H M

Digitized by Google

NAZIONALE
8
41 - F
2
VITT. EMANUELE
ROMA

B - II - 11 - 12

Digitized by Google

Digitized by Google

SECUNDUS LIBER SENTENTIARUM.

Digitized by Google

8.41.F.2

TRACTATUS THEOLOGICI
IN
SECUNDUM SENTENTIARUM LIBRUM
DE
DEO CREATORE
& GUBERNATORE.

Continens Materias
DE CREATIONE MUMDI CORPORALIS,
ANGELIS, ADAMO, STATU INNOCENTIÆ, JUSTITIA ORIGINALI, LIBERO ARBITRIO, ET PECCATIS IN SE ET IN POSTERIS SUIS.

Ad mentem
JOANNIS DUNSII, ſeu natione, ſeu cognomento SCOTI,
Ord. Minor. Scholæ Scotiſticæ Fundatoris, DOCTORIS SUBTILISSIMI,
Omnium Scholaſticorum Acutiſſimi.

AUTHORE
F. AMANDO HERMANN,
Ordinis Minorum Reformat. Theologiæ Lectore Jubilato,
Provinciæ Bohemiæ Ex-Provinciali.

Opus claro ſtylo elaboratum, Methodo ſuccincta combinatum, Materiis refertum, Authoritatibus Patrum firmatum, & duplici Indice proviſum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

COLONIÆ,
Cum PERMISSU SUPERIORUM.
Proſtat FRANCOFURTI apud BALTHASAREM JOACHIMUM ENDTERUM, Bibl. Norib.
Anno CHRISTI M DC XCIV.

Bibl. S. Pudent. Dedit D. Carolus M.a a S.to Fran.co 1708.

Digitized by Google

Digitized by Google


de Angelis
revelat
De DEO
et
Trino
Uno
Gratia
de Incarnatione
Spes
Sustentat
Charitas
possidet
de Sacramentis
de Lapsu
Angelorum
Ordo
de
Virtutibus
de Actibus Humanis Bonis & Malis
TRACTATUS THEOLOGICI,
In Libros Sententiarum Scoti.
Authore
P.F. AMANDO HERMANN, Ord. Min. Refor.
del. Anto. Lublinsk. Can. Reg. Olomutij
Joann Ulrich Kraus

Digitized by Google

SERENISSIMO ac CELSISSIMO

PRINCIPI

DOMINO, DOMINO,

JOANNI ADAMO ANDREÆ,

Sacri Romani Imperii Principi de Lichtenſtein, in Nicolſpurg;

Domûs de Lichtenſtein Gubernatori,

In Sileſia Oppaviæ & Carnoviæ

DUCI,

Sacræ Cæſareæ Regiæq; Majeſtatis Camerario, Conſiliario Intimo, Aurei Velleris Eqviti, &c. &c.

Domino ac Principi Clementisſimo.

SERENISSIME DUX & PRINCEPS.

EX cauſarum viſceribus dedicationes eſſe deſumendas, docet Quintilianus, redeundúmque ad caput, ut ultima primis, & ultimis prima reſpondeant, vel ab ipſius naturæ exemplo, quæ omne quod abſolvit Sphæridis fere, & circuli figurâ concludere ſolet; Sunt autem tituli, & cauſæ ex Philoſophi mente: *Vel Tutelæ quærendæ, ſeu officii conteſtandi ſeu parandæ gratia, aut æſtimationis conciliandæ.* Prima ex his cauſa & motivum eſt Prudentiæ & Providentiæ; ſecundum Juſtitiæ; tertium Temperantiæ; & quartum Fortitudinis; omnibus iſtis titulis Li-

Lib. 3. Inſtit. Orat. cap. 8.

Ariſt. in Problem. Sect. 16.

(*) a brum

brum hunc Secundum Sententiarum Vestræ Serenitati dedico, sacro, & consecro: Est enim Opus minoris Fratris, Minoribus autem Tutor dandus est, ac tutela quærenda: *Quæ est vis & potestas in capite libero ad tenendum eum, qui defendere se nequit.* Nam Tutelam securissimam in Serenissima Vestra Celsitudine nanciscetur; ubi enim Scripta Theologica hæc tutius possent sperare præsidium quàm ab illo Principe, qui ingenii subtilitate & sublimitate eminet, solidus, profundusq; omnigenæ litteraturæ est perscrutator, & indagator sedulus? Ubi, inquam, de securiori tutela assecurari posset, quàm à Principe illo, qui jam à tenera ætate & ab ipsis quasi incunabulis, tanta omnis doctrinæ & sublimissimi talenti edidit specimina, ut isto & priori jam tempore summè dignus esset moderatorem populi atq; præstantissimi cujusq; Dicasterii Præsidem agere, cùm ipse Augustissimus noster Monarcha perenni, ac sacratissima perspicuitate suâ Serenitatem Vestram, nondum expleto annorum ætatis lustro ad intima cum admiratione tantæ prodeuntis Sapientiæ, pariter ac insitæ scientiæ, vocaverit consilia. Prudentiæ igitur est huic operi talem ac tantum quæsivisse Tutorem.

§. Institut. de Tut. It. Paul. in lib. 1. ff. eodem.

Porrò: Quia *Tutor Domini loco habetur*: tutelam sequitur debitum meum contestandi officii; Justitia igitur exigit, ut ex hinc obligationem contractam, atq; ex plurimis innumerisq; aliis beneficiis tùm mihi privatim, tùm Seraphicæ nostræ Religioni præstitis & gratiis. Testatur palam universo mundo celebre illud monasterium, & magnifica mirandis picturis, suppellectili pretiosa, sculpturis artificiosis, ornata Basilica, Veldtspergę pro Fratrib9 nostris Minoribus Provinciæ Austriæ extructa, quæ non quid nobis habere deceat, sed quid Principem Alexandrinum dare, & fabricare conveniat, clarè ostendit. Parem, imò abundantiorem clementiam experitur nostra Bohemiæ Provincia, quæ in Ducatibus suis, & Territoriis triplex erectum & concessum habet monasterium; Oppaviæ primum, Leobschitii alterum, & tertium Moravo-Triboviæ, tanquam triplex gratiarum suarum ridentium domicilium, ac proindè ut Justitiæ debitum exsolvam, hunc II. Sententiarum Librum obsequentissimè dedico, Serenitatem Vestram humiliter exorans,

Julius in L. 56. §. 4. ff. de furt. & Paul. ff. de administr. Tut.

Seneca de Benefic. lib. 5.

Pierius.

Digitized by Google

exorans, grato acceptari obtutu, non quod dignum quid tanto sit Principi, sed quoniam aliud mihi non suppetit: Nam *dat pyra, dat poma, quisquis non habet aurea dona*, quæ cùm hominesque, Deosque placare soleant, per vilem hanc oblationem, rorem gratiarum suspiro, & spero, & temperatè favorem Serenitatis Vestræ clementissimam reconciliare contendo, bellè enim dixit Sapientum quispiam: *quod pauperum dos beatissima sit Principum clementia.* Pomp. Lir. cit.

Hanc adeptus ingentem libro meo æstimationem reconciliabo, & certus vivo, quòd fortiter, suaviterq; liber iste contra adversantes protegetur, hoc enim fortitudinis gratiosum erit beneficium, nec alibi solidius invenire potui, nam si id limine Portæ speciosæ, Serenissimæ Vestræ Domûs hæreo, statim in admirationem abripior, & Avos, Proavos, Abavos, & Antenatos, meros *Stantes in Curribus Æmilianos*, cerno, imò Hectores, Achilles, & Athlantes mundo universo sustentando sufficientes; Sago Illustrissimos, & invictissimos togâ, bello & pace inappretiabiles, nam ut dicam, quod scio, Serenissima Vestra Lichtensteinica Domus ortum, & originem desumpsit à Bodone, (*a) Saxonum Rege, invictissimo Heroe, æternisq; laudibus dignissimo, in quo gloriosissimo vestræ propagationis stipite per infinitas præcipuarum illustrissimarum familiarum strictas habet conjunctiones, unde in omnibus pene Europæ partibus Lichtensteinica familia inclyta floruit, & à quindecim jam sæculis honorificentissimam suam generationem usq; ad Serenitatem Vestram, cum duobus pretiosis surculis Carolo Josepho, & Francisco Dominico, deduxit, ex quibus semper illustrissimi & invictissimi prodiêre Proceres Viri, Principes, foris, domiq; clarissimi, qui in bello veluti animosi Hectores, Fabii, Alexandri &c. (*b) profusis toties hostilibus copiis palmas triumphales reportârunt, & celebribus victoriis Lauros Cæsareas condecorârunt.

Juvenal. Satyr. 8.

(*a) Vide Remissionem fol. sequent.

(*b) in Remiss.

In Legationibus, ministeriisq; (*c) per orbem in exoticis infidelium usq; partibus, dexteritate ac prudentia commicuerunt, ut pro Cæsaris publicique bono, tanta effecerint, quasi votum, animumq; ejusdem continuò secum ferrent. (*c) Vide Remiss.

(*d) in Remiss. In Gubernandis provinciis, (*d) inviolatam inter tot machinationum technas cum crebriori vitæ periculo, & deperditione propriæ substantiæ constantissimam conservârunt fidem, animosque plurium incolarum abominabili jam perfidiæ crimine obstrictos, prudentissima, ac laudabilissima ad fidelitatem Cæsari juratam ratione disposuerunt.

(*e) Vide Remiss. Denique Domi, (*e) & ubivis locorum, indefessè in personalibus muniis Augustissimis proficuè, & cum Summo semper Majestatis decore astiterunt, omnibusque suis honorificentissimis actionibus eò solùm collimârunt, ut omnes id, quod pro Cæsare factum, monstrarunt, & *documenta darent, qua sint & origine nati.*

Sciverunt id probè Augustissimi Imperatores, quid undiq; Lichtensteinii in publicis, & maximè necessariis profuerint. Scivit Rudolphus, Matthias, Maximilianus, atque invictissimi eorum descendentes, nihil aliud celsius resolvere potuisse, nisi toga sagoque sibi semper vicinas habere Lichtensteinios, utpote perspicacitas Augustissimorum nunquam aliud permisit, nisi collocationem tot fidelium illustrissimorum Heroum lateri stipatam cernere, judicaruntque pariter sibi, bonoque publico satis provisum, si res ac provincias suas, viribus, fidelitati, ac curæ Lichtensteiniadum confiderent. Quæ laconicè de Inclyta, antiquissimaque Familia Vestra, Serenissime Princeps, temperatè dicere gratiâ suâ sim ausus, ut fortitudinis clypeum & protectionis Scutum à Serenitate Vestra tantisque Heroibus pro Operis hujus fronte & speciosa porta emutuarem, nam gloriam debitam & manifestare scribentem defatigarent, & Annales implerent copiosos, video tamen hos enumeratos omnes Antenatos Vestros tædam ardentem ad sublimia regendi munia, propriaq; gubernia tradidisse, quam tanto lumine auget & fovet clarissima lux omnium Virtutum, excelsarumque qualitatum Celsitudo Vestra, Serenissima, ut cum antiquitatis memoria sit perennatura!

Verbum

Digitized by Google

Verbum igitur *ad te ô Princeps!* Serenissime Dux, ad te 4. Reg. 9.
& tantum Principem mea convertitur peroratio, quâ humillimè supplico pro hujus libri, idque minoris gratiosâ tutela, audiet enim aliquando, ***quod minori fecistis, mihi fecistis.*** Per hoc opus debitum gratitudinis officium humiliter profiteor, ast Serenitas Vestra brachio extento, fortique manu me minimum meritò, reverentiâ maximum, promptitudine totum dedicatum protegat clientem, qui pro longævâ vita Rerumque humanarum, & gubernii prosperitate divinam exorabit indefessè Clementiam, ut amplitudinem cunctorum conservet, promoveat, atque adaugeat, pretiososque duos Surculos Carolum, & Franciscum, in millia millium crescere faciat, ita optat humiliter, reverentialiter, & quantum potest efficaciter vovet.

SERENISSIMÆ CELSITUDINIS
VESTRÆ

Minor minimus, & obligatissimus
Exorator

FR. AMANDUS HERMANN.

Digitized by Google

REMISSIO DECLARATORIA
PRÆMISSÆ DEDICATIONIS,
Ad
Amicum & honoratum Lectorem.

NOlui Serenissimi Principis oculos offendere, recensendo heroica Domesticarum rerum facinora, nam prolixitas sæpè tœdium generat, vetat illius modestia, & Scientia *propria ejus perfectior*, econtra mea notitia imperfectior est, quàm ut singula debitè exprimat, ideò pro mea consolatione, & tua informatione hanc remissionem superaddere debui, ut quanti Serenissimam hanc Familiam habeas æstimare, cognoscas.

(*a) Bodo Saxonum Rex, cui Sanguine proximè juncti erant Otho I. Otho II. & Henricus Imperatores. Ab hoc Bodone rectâ descendentium lineâ per tot gradus venit Adrianus I. Montferrati Marchio, & Dux. Ab illo, Marchio de Saluzzo Guilielmus I. qui nomen Lichtenstein recepit, à quo Guilielmus II. de Lichtenstein, Dynasta in Austria, Anno 1074. & sic consecutivè in linea descendentium rectâ per octodecim generationes usque ad hodiernum diem, Principes de Lichtenstein, de Nicolspurg in Feldtspurg florent.

Jn collateralibus veniunt Duces Misniæ, & pòst Landgravii Thuringiæ, & Saxoniæ.

Ex altero latere venit Hajo Dynasta Frisiæ, Reginberti Ducis Austriæ, & Westphaliæ Filius.

Post hinc Christianus Comes Oldenburgensis; tandem Reges Daniæ & Duces Holsatiæ.

Cinxerunt & Latera hujus Familiæ plurimi Principes & Heroes, ùt Marchiones Montferrati, Caretto in Liguria, Comites de Lupfen, Duces & Comites Sabaudiæ, & Duces Bosniæ, Principes Eggenbergii, Duces Zagrabiæ, Principes Ostfrisiæ, Marchiones Styriæ, Principes Dietrichstenii, Duces Tes-

sinen-

Digitized by Google

finenses, Comites Pfannenbergii, Ringelhemii, Ortenburgii, & infiniti alii.

(*b) Hartmannus II. Maximiliani I. Consiliarius bellicus.

Georgius II. Ernesti Ferrei Archi-Ducis Austriæ Copiarum Ductor.

Henricus VI. Friderici IV. Jmperatoris, contra infideles Prussos Copiarum Ductor.

Guilielmus II. Dux Copiarum Leopoldi Marchionis Austriæ in Asia.

Fridericus III. Bellistrategus Rudolphi I. Jmperatoris, contra Ottocatum Copiarum Ductor.

Fridericus II. Henrici I. Austriæ Ducis, contra Gayzam Hungariæ Regem Copiarum Ductor.

Georgius Erasmus, Ferdinandi I. Jmperatoris contra Solymannum ad Viennam Centurio.

Andreas cum Maximil. I. in ludis Equestribus Aquisgrani.

Maximilianus I. Matthiæ Jmperatoris Intimus Consiliarius.

Maximilianus adhuc Superstes sub Augustissimo nostro Jmperatore Colonellus, & etiamnum Serenissimus Princeps Philippus.

(*c) Henricus IX. Rudolphi II. Jmperatoris ad Portam Ottomannicam Orator.

Henricus VII. à Sigismundo Jmperatore ad Albertum Austriacum Legatus.

Henricus V. Pacis Restaurator inter Albertum II. Jmperatorem, & Rempublicam Venetam.

Henricus III. Legatus ad Marchionem Misniæ.

Henricus I. Henrici V. Jmperatoris Romæ Orator.

Serenissimus Princeps Antonius, ad Sanctissimum Dominum Jnnocentium XII. Papam, Solemnissimus Legatus.

(*d) Christophorus I. Mareschallus Austriæ.

Carolus I. Supremus in Regno Bohemiæ Gubernator.

Carolus Eusebius II. Supremus in Silesia Capitaneus.

(*e) Guilielmus Quartus Rudolphi I. Cæsaris Consiliarius.

Fridericus I. Divi Leopoldi, Marchionis Austriæ primarius Minister.

Joannes VII. Intimus Consiliarius Maximil. Jmperatoris II. in Ejus Coronatione Francofurti.

Sigismundus I. Maximil. Jmperatoris Supremus Stabuli Præfectus.

Georgius III. Vir gravis & Sapiens, Friderico IV. Imperatori amicissimus.

Georgius I. Alberti I. Jmperatoris Consiliarius Intimus.

Hartmannus I. Eques Rhodius, Alberti Archi-Ducis Austriæ Primus Minister.

Guilielmus VII. Eques Teutonicus, militavit acerrimè contra Hussitas.

Andreas I Cum Maximiliano I. Jmperatore in Ludis Equestribus Aquisgrani,

Carolus Rudolphi II. Supremus Aulæ Præfectus.

Atque innumeri alii Principes & Dynastæ de Lichtenstein, qui dignissimè summa obierunt munia.

Ità potissimè recensent infrà citati Authores.

Franciscus Pingonius in Genealogia Marchionum Monferrati.

Author in Speculo Honoris Augustissimæ Domûs Austriacæ.

Chronicon Joannis Naucleri.

Genealogia R. P. Gabrielis Bucelini.

Chronicum Alsatiæ Bernardi Herzog.

Comes Loschi, Vincentinus.

Paprotzky Author Bohemus.

Sebastianus Münsterus.

Nicolaus & Elias Reusnerus.

Et plures alii Authores.

APPRO-

Digitized by Google

APPROBATIONES THEOLOGORUM MINORUM S. P. N. FRANCISCI REFORMATORUM.

OPus Theologicum in Librum Secundum Sententiarum ad mentem Doctoris subtilis elaboratum à R. P. Amando Hermann Lectore jubilato, Provinciæ emerito Patre, in studio Generali ad Nives Sacrorum Dogmatum Professore, de mandato Adm. Rdi. Patris Antonii Hattmann Lectore jubilato, Ministro Provinciali, Superiore meo dignissimo, sedulò & industriosè perlegi, deprehendique in eo subtilitatem mira claritate fulgere: Doctrinam in Sacra Scripturâ non minus ac Oecumenicis Conciliis fundatam; Sanctorum Patrum Sententiis, firmisque rationibus roboratam: materiam etiam complectitur omnibus virtutum Studiosis maximè necessariam, adeoq; in se & modo procedēdi Amandam, ita ut non incongruè valeat applicari versus: *Conveniunt rebus nomina sæpè suis.* Cùm igitur nihil contra fidem orthodoxam contineat, nihil nisi bonos instruat mores, corrigat depravatos, dignissimum judicavi, ut utilitati publicæ per prælum pateat. Dabam in Conventu Pragensi ad Nives Fratrum Min. Reform. die 23. Novembris 1692.

(L. S.) Fr. Sebastianus Schambogen, Lector jubilatus, Provinciæ Pater, & in studio Generali SS. Canonum Professor.

EX commissione A. R. P. F. Antonii Harttmann SS. Theologiæ Lectoris jubilati, Almæ Provinciæ Boëmiæ Ministri Provincialis, Superioris nostri colendissimi, nos infrà scripti magna animi voluptate perlegimus opus Theologicum, seu Disputationes in Secundum Sententiarum librum Authore R. P. F. Amando Hermann, SS. Theologiæ Lectore jubilato, & actuali Polemicæ Professore, Provinciæ Boëmiæ Patre: quid de hoc opere sentiendum? Coetera Authoris scripta tàm Philosophica, quàm Theologica hactenus in lucem edita, omni exceptione majora, abundè testantur; eadem enim styli gravitate juncta suavitati doctrinæ soliditate, ac subtilitate, & materiarum abundantia, ut coetera, est refertissimum; quia igitur Author in hoc opere

 sicut

ſicut in cœteris, ſcribit non minus orthodoxè, quàm doctè, digniſſimum cenſemus, ut ſupra candelabrum poſitum luceat omnibus, nedum iis, qui in domo ſunt Seraphicæ Religionis, verùm etiam ad commune Orbis litterarii beneficium lucis ſuæ radios diffundat in omnes veræ Sapientiæ Amatores. Actum Pragæ in Conventu noſtro S. Mariæ ad Nives, die 17. Februarii anni currentis 1693.

(L. S.)

Fr. Gregorius Gerzabek, ibidem SS. Theologiæ Lector Generalis actualis.

Fr. Caſtulus Martin, ibidem SS. Theologiæ Lector Generalis actualis.

CENSURA & APPROBATIO
THEOLOGORUM
SACRI ORDINIS PRÆDICATORUM.

OPus Theologicum in Librum Secundum Sententiarum Authore Adm. R. ac Eximio P. F. Amando Hermann, Ordinis Minorum S. Franciſci Reformatorum, SS. Theologiæ ſapientiſſimo Lectore jubilato, Almæ Provinciæ Boëmiæ Diffinitore, in celeberrimo Conventu S. Mariæ ad Nives Sacræ Theologiæ Profeſſore actuali &c. non minus eruditè ac induſtrioſè elaboratum ex ſpeciali commiſſione Reverendiſſimi Domini Wenceslai Bilek à Bilenberg, Officialis (tit:) attentè perlegimus, & accuratè revidimus, in quo nihil prorſus Orthodoxæ fidei diſſonum, aut bonis moribus contrarium invenimus, quin imò ſubtiliſſimam doctrinam in eo contentam, Authoritate ſacræ Scripturæ, & Oecumenicorum Conciliorum, ac Sanctorum Patrum roboratam, rationumq; pondere firmatam, brevi ſed claro ſtilo elucidatam reperimus; ac proindè publicæ utilitati plurimum proficuum judicamus, ut in lucem publicam quantocyus edatur digniſſimum cenſemus, utque omnium manibus circumferatur, & ab omnibus Sapientiæ amatoribus ſtudioſè legatur, unicè optamus: Etenim (ut verbis concludamus Hugonis) *Liber iſte eſt ſcriptum ſacrum, quo Eccleſia regitur, menterq; fidelium Dei agnitione replentur.* Noſtrum eſt hoc judicium de tàm præcelſo opere. Datum in Conventu noſtro Sancti Ægidii Vetero-Pragæ Anno 1693. die 5. Aprilis.

Fr. Thomas Albertus Tranquillo, SS. Theologiæ Magiſter.

Fr. Antoninus Pfrenger SS. Theologiæ Magiſter, & ſtudii Generalis Regens.

FACUL-

Digitized by Google

FACULTAS
REVERENDISSIMI PATRIS COMMISSARII GENERALIS.

FR. Antonius ab Introduco, Ordinis Minorum Regularis Observantiæ S. P. N. Francisci Lectori jubilatus, & in tota Cismontana Familia tàm Observantium, quàm Reformatorum Commissarius Generalis & Servus; Dilecto Nobis plurimum in Christo R. P. Amando Hermann Sac. Theologiæ Lectori jubilato & actuali Polœmicæ Professori, ac nostræ Reformatæ Provinciæ Bohemiæ Patri, Salutem in Domino.

Cùm juxta Apostolicas, nostriq; Ordinis Constitutiones revisum & approbatum fuerit Opus quoddam à te diligenter compositum, cujus titulus est: *Disputationes, seu Tractatus Theologici in secundum Sententiarum Scoti.* Tenore præsentium ad salutaris obedientiæ meritum tibi facultatem impertimur, quatenus servatis servandis illud typis mandare valeas. Datum Romæ ex Ara cœli, die 18. Aprilis 1693.

Fr. Antonius ab Introduco,
Commissarius Generalis.

(L. S.)

De mandato suæ Paternitatis
Reverendissimæ
F. Joannes Franciscus de Rapallo,
Secretarius Generalis.

FACULTAS Adm. R. P. MINISTRI PROVINCIALIS BOHEMIÆ.

REverendo Patri Amando Hermann Ordinis Min. S. P. N. Francisci Reformatorum Prædicatori Lectori jubilato Almæ Provinciæ Bohemiæ Patri, Salutem & Benedictionem. Cùm Opus Theologicum in Librum Secundum Sententiarum ad mentem Doctoris subtilis Joannis Duns Scoti à Vestra Paternitate industriosè, & eruditè elaboratum, à Theologis nostræ Provinciæ visum fuerit, & approbatum, facultatem concedo illud typis mandandi, servatis de reliquo servandis. Dedi in Conventu nostro Pragensi S. Mariæ ad Nives die 2. Decembris 1692.

(L. S.)

Fr. Antonius Hartmann, Minister
Provincialis Bohemiæ.

Imprimatur.
Wenceslaus Bilek à Bilenberg,
Officialis.

INDEX
TRACTATUUM,
DISPUTATIONUM
& QUÆSTIONUM.
IN HOC TOMO SECUNDO CONTENTARUM.

TRACTATUS I.
DE OPERE SEX DIERUM.

DISPUTATIO I.
DE
Opere ſex dierum in communi.

Quæſt. I. *Quid ſignificet in Principio? pag. 4.*
Quæſt. II. *In illud* creavit. *Quid ſit creare? 7.*
Quæſt. III. *In illud* DEUS*; an per hoc Eſſentia Divina vel Perſona aliqua, aut omnes intelligantur? 11.*
Quæſt. IV. *In illud*, Cœlum & Terram : *An cœlum & terra per veram creationem ſit producta? 19.*
Quæſt. V. *An illi ſex dies, quibus dicuntur omnia creata, fuerint reales & continui, an verò ſolùm intentionales? 24.*

DISPUTATIO II.
DE
Opere ſex dierum in particulari.

Quæſt. I. *Quando inceperit, & qualis fuerit prima dies? 30.*
Quæſt. II. *De opere primæ diei. 36.*
Quæſt. III. *De opere ſecundæ diei. 41.*
Quæſt. IV. *De opere tertiæ diei. 50.*
Quæſt. V. *De opere quartæ diei. 58.*
Quæſt. VI. *De opere quintæ diei. 64.*
Quæſt. VII. *De opere ſextæ diei. 68.*
Quæſt. VIII. *De Sanctitate diei ſeptimæ. 72.*

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS II.

DE

PRIMA & NOBILISSIMA CREATURA INTELLECTUALI,

SEU

DE ANGELIS.

DISPUTATIO I.

DE

Natura Angelorum secundùm se.

Quæst. I. *An in Universo, seu in Mundo dentur Spiritus, qui vocantur Angeli? pag. 80.*

Quæst. II. *Quando Angeli sint creati? 84.*

Quæst. III. *An Angeli sint substantiæ corporeæ? 90.*

Quæst. IV. *An Angeli sint omninò incorruptibiles? 96.*

DISPUTATIO II.

DE

Distinctione generica, specifica & numerica Angelorum.

Quæst. I. *An Angelus & homo distinguantur genere vel specie? pag. 98.*

Quæst. II. *De Distinctione specifica Angelorum. 104.*

Quæst. III. *De Distinctione numerica Angelorum inter se, 107.*

Quæst. IV. *De numero plurali Angelorum. 111.*

Quæst. V. *De Distinctione extrinseca Angelorum. 113.*

DISPUTATIO III.

DE

Intellectu & voluntate Angelorum.

Quæst. I. *An intellectus Angelicus sit compositivus, divisivus & discursivus? pag. 122.*

Quæst. II. *An Angelus possit simul plura cognoscere? 126.*

Quæst. III. *An Angeli cognoscant contingentia futura? 130.*

Quæst. IV. *An Angeli connaturaliter cognoscant secreta cordium? 133.*

Digitized by Google

Quæst. V. *An Angeli similiter mysteria gratiæ naturaliter cognoscant, & quæ?* 138.

Quæst. VI. *De Cognitione Matutina & Vespertina Angelorum?* 145.

Quæst. VII. *De Voluntate Angelica.* 147.

DISPUTATIO IV.

DE

Speciebus, & Medio cognitionis Angelorum.

Quæst. I. *An Essentia Angeli sit medium cognoscendi se, & alia?* pag. 151.

Quæst. II. *An Angelus cognoscat Essentiam Divinam per suam substantiam, an verò per speciem?* 156.

Quæst. III. *An Angeli egeant speciebus ad alias res creatas cognoscendas?* 163.

Quæst. IV. *Unde habeant Angeli suas species, quibus mediantibus cognoscant objecta?* 165.

Quæst. V. *De natura specierum intelligibilium infusarum.* 171.

DISPUTATIO V.

DE

Locutione & Illuminatione Angelorum.

Quæst. I. *Quomodo Angeli loquantur ad se invicem?* 179.

Quæst. II. *An Angelus unus possit pluribus, & de pluribus simul loqui?* 189.

Quæst. III. *An Angelus possit alteri in quacunque distantia loqui?* 191.

Quæst. IV. *Quid sit illuminatio, & quomodo à Locatione differat?* 192.

Quæst. V. *Quomodo fiat Illuminatio in Angelis?* 194.

Quæst. VI. *An Angeli superiores illuminent inferiores, & è contra?* 195.

DISPUTATIO VI.

DE

Duratione, Loco & Motu Angelorum.

Quæst. I. *Quidnam sit mensura durationis Angelorum?* 199.

Quæst. II. *An Angelus sit in loco, & an per operationem?* 203.

Quæst.

Digitized by Google

Quæst. III. *An Angelus determinatum locum requirat secundùm maximum & minimum?* 209.
Quæst. IV. *An plures Angeli possint esse simul in eodem loco?* 212.
Quæst. V. *An unus Angelus possit esse simul in pluribus locis.?* 213.
Quæst. VI. *Utrum Angelus possit moveri de loco ad locum?* 215.
Quæst. VII. *Quomodo Angeli moveantur?* 218.
Quæst. VIII. *An Angelus possit movere se de extremo ad extremum, non transeundo per medium?* 220.

Disputatio VII
DE
Gratia & Merito Angelorum.

Quæst. I. *An Angeli in sua Creatione fuerint beati?* 224.
Quæst. II. *An Angeli tam boni quàm mali fuerint creati in gratiâ?* 228.
Quæst. III. *An omnes Angeli acceperint æqualem gratiam?* 234.
Quæst. IV. *De Merito & via Angelorum.* 237.

Disputatio VIII
DE
Lapsu Angelorum.

Quæst. I. *An possit dari Angelus, qui non sit labilis in peccatum, seu naturâ impeccabilis?* 239.
Quæst. II. *An Angeli mali lapsi sint in primo instanti creationis suæ, vel saltem labi in illo potuerint?* 241.
Quæst. III. *An Angelus malus poterit labi & peccare, appetendo æqualitatem DEI?* 243.
Quæst. IV. *Quisnam primus lapsus & peccatum Luciferi fuerit?* 247.
Quæst. V. *De aliis peccatis, in quæ Angeli lapsi sunt.* 251.
Quæst. VI. *De obstinatione Dæmonum in malo, ad non operandum benè, & causa hujus obstinationis.* 254.
Quæst. VII. *De Pœnis Angelorum malorum.* 257.

Disputatio IX
DE
Missione & Custodiâ Angelorum.

Quæst. I. *Quinam Angeli mittantur? & à quo?* 263.
Quæst. II. *An apparitiones Divinæ in Veteri Testamento factæ sint per Angelos ad repræsentandum DEUM missos?* 266.
Quæst.

Quæst. III. *An Angeli apparentes verè assumant corpora, & quomodo?* 269.
Quæst. IV. *Cujus naturæ sint corpora per Angelos assumta?* 272.
Quæst. V. *An Angeli in assumptis corporibus operationes vitæ exerceant?* 274.
Quæst. VI. *De Custodia Angelorum.* 277.
Quæst. VII. *De oppugnatione & infestatione malorum Angelorum?* 283.

TRACTATUS III.

DE
SECUNDA CREATURA INTELLECTUALI
SEU
DE ADAMO & EVA IN STATU INNOCENTIÆ.

DISPUTATIO I.
DE
Creatione primi Hominis Adami.

Quæst. I. *Quando & ubi fuerit Adam primus homo creatus?* 291.
Quæst. II. *Quomodo, & ubi Eva fuerit producta?* 296.
Quæst. III. *De Anima Hominis.* 303.
Quæst. IV. *De Imagine DEI in Homine.* 307.

DISPUTATIO II.
DE
PARADISO.

Quæst. I. *De Paradiso secundùm se.* 315.
Quæst. II. *De Ligno Scientiæ boni & mali, Ligno vitæ & fluviis Paradisi.* 322.

DISPUTATIO III.
DE
Statu Innocentiæ primi Hominis.

Quæst. I. *De Donis collatis in statu Innocentiæ Adamo & Evæ quoad intellectum.* 331.
Quæst. II. *De Donis collatis Adamo & Evæ quoad voluntatem.* 339.
Quæst. III. *De Donis collatis Adamo & Evæ, quoad immortalitatem & impassibilitatem.* 341.
Quæst. IV. *De Dominio Primi Hominis.* 348.

DISPU-

Digitized by Google

Disputatio IV.

DE

Multiplicatione & Regimine Posterorum Adæ.

TRACTATUS V.

DE

JUSTITIA ORIGINALI & SANCTIFICANTE ADAMI,

AC

Posterorum ejus, tàm in Statu Innocentiæ, quàm Naturæ lapsæ.

Disputatio I.

Disputatio II.

DE

Justitia & Gratia Justificationis nostræ.

Quæst. V. *An forma justificans seu gratia & charitas habitualis ex natura sua, an verò ex acceptatione divina reddat suum subjectum DEO gratum? filium ejus adoptivum? & dignum vitâ æternâ? 396.*

Quæst. VI. *An & quomodo forma justificans, seu gratia aut charitas habitualis deleat peccatum? 401.*

Quæst. VII. *An inductio gratiæ & deletio peccati sint mutationes distinctæ, an necessariò connexæ, an alterutra prior alterâ? 408.*

Quæst. VIII. *An gratia sanctificans à solo DEO, & hoc per creationem propriè dictam producatur? 410.*

DISPUTATIO III.

DE

Dispositionis requisitis ex parte justificandi.

Quæst. I. *An & quæ dispositio requiratur ad gratiam? 415.*

Quæst. II. *An ultima dispositio ad gratiam producatur ab eadem gratia, ad quam disponit? 422.*

Quæst. III. *An & per quæ gratia justificationis adepta possit amitti, conservari & augeri? 424.*

Quæst. IV. *In quantum gratia justificans possit augeri? 426.*

Quæst. V. *De certitudine nostræ justificationis, & perseverantia in ea. 428.*

Quæst. VI. *An sine gratiâ sanctificante possit homo aliquod opus moraliter bonum elicere? 431.*

Quæst. VII. *Quod requiratur ad perseverandum in gratia, & in quo perseverantia & confirmatio in gratia à se invicem differunt? 435.*

DISPUTATIO IV.

DE

Adjutorio Divinæ gratiæ ad justificationem acquirendam, & alias operationes eliciendas necessario.

Quæst. I. *De Hæreticorum erroribus gratiam auxiliantem impugnantibus. 440.*

Quæst. II. *Quid & quotuplex sit adjutorium gratiæ Divinæ? 444.*

Quæst. III. *In quo consistat adjutorium gratiæ Divinæ, ad opera pietatis requisitum? 447.*

Quæst. IV. *An adjutorium Divinæ gratiæ sit necessarium ad cognoscendas veritates naturales & speculativas? 453.*

Quæst.

Digitized by Google

Quæst. V. *An Adjutorium divinæ gratiæ sit necessarium homini ad veritates practicas cognoscendas?* 457.

Quæst. VI. *An sine speciali adjutorio divinæ gratiæ actualis possit homo lapsus elicere aliquod opus moraliter bonum?* 460.

Quæst. VII. *An sine speciali divinæ gratiæ adjutorio homo possit in statu naturæ lapsæ vincere graves & leves tentationes?* 466

Quæst. VIII. *An sine speciali adjutorio DEI, homo possit diligere Deum, ut Authorem naturæ, & servare omnia præcepta Decalogi?* 471.

Quæst. IX. *An ad actus supernaturales fidei, spei & charitatis eliciendos, sit necessarium adjutorium speciale divinæ gratiæ?* 480.

DISPUTATIO V.

DE

Adjutorio divinæ gratiæ efficaci & sufficienti.

Quæst. I. *De efficacia adjutorii divinæ gratiæ.* 485.

Quæst. II. *De auxilio divinæ gratiæ sufficienti, an tale detur, cui aliquando resistatur?* 496.

Quæst. III. *An DEUS omnibus adultis det auxilia divinæ gratiæ ad minus remotè sufficientia ad salutem?* 502.

Quæst. IV. *An Deus præparaverit omnibus, dederitq; omnibus gratiam internam sufficientem ad salutem?* 506.

Quæst. V. *An parvulis, & usu rationis carentibus dentur auxilia interna divinæ gratiæ sufficientia?* 513.

DISPUTATIO VI.

DE

Effectu Auxilii Divinæ gratiæ, seu de Merito.

Quæst. I. *Quid sit Meritum ut sic?* 517.

Quæst. II. *De Divisione Meriti in Meritum de condigno & congruo?* 524.

Quæst. III. *An ad meritum de condigno requiratur status gratiæ sanctificantis?* 530.

Quæst. IV. *An ad Meritum requiratur promissio & acceptatio divina?* 535.

Quæst. V. *An ad hoc, ut opus sit meritorium, requiratur, illud ex charitate fieri seu imperari; aut necesse sit, aliqua ratione ad DEUM referri?* 540.

Quæst. VI. *An justi de facto mereantur de condigno vitam æternam?* 543.

Quæst. VII. *Quibus operibus justi mereantur vitam æternam; an Consilii tantùm, vel etiam præcepti?* 548.

Digitized by Google

Quæſt. VIII. *Quænam alia dona juſti mereantur de condigno vel congruo?* 551.

Quæſt. IX. *An omnia Juſtorum merita ſint æqualia, & unde alia aliis cenſeantur digniora?* 553.

Quæſt. X. *Quando cenſeatur augmentum gratiæ meritis correſpondens?* 555.

TRACTATUS V.
DE LIBERO ADAMI ARBITRIO, & POSTERORUM QUOAD ACTUS HUMANOS ELICIENDOS.

DISPUTATIO I.
DE
Libero Adami Arbitrio.

Quæſt. I. *An ad benè agendum eguerit Adami liberum arbitrium gratiæ divinæ auxiliis?* 561.

Quæſt. II. *An ſtante gratiâ & libero arbitrio, Adam in ſtatu innocentiæ potuerit priùs venialiter quàm mortaliter peccans?* 562.

Quæſt. III. *An poſt peccatum Adæ liberum in nobis manſerit arbitrium?* 566.

DISPUTATIO II.
DE
Noſtro Libero Arbitrio.

Quæſt. I. *Quid in nobis ſit Liberum arbitrium?* 574.

Quæſt. II. *Quid & quotuplex ſit Voluntarium?* 577.

Quæſt. III. *Qualem requirat liberum arbitrium agendi libertatem & indifferentiam?* 581.

Quæſt. IV. *Quâ ratione liberum arbitrium prærequirat cognitionem intellectivam?* 587.

Quæſt. V. *An & quomodo liberum arbitrium moveatur à concupiſcentia?* 590.

Quæſt. VI. *An & quomodo DEUS, Angeli, Aſtra & Objecta moveant liberum arbitrium?* 592.

DISPUTATIO III.
DE
Actibus liberi Arbitrii.

Quæſt. I. *De Actibus liberi arbitrii circa finem verſantibus.* 595.

Quæſt. II. *De Actibus liberi arbitrii verſantibus circa media.* 599.

DISPU-

Digitized by Google

Disputatio IV.

De

Actibus involuntariis liberi arbitrii.

Quæst. I. *An violentia in actibus liberi arbitrii possit causare involuntarium, & an hæc possit inferri voluntati?* 603.

Quæst. II. *An voluntas possit simpliciter cogi aut necessitari ad actum?* 607.

Quæst. III. *An actus liberi arbitrii, qui ex metu solo fiunt, sint simpliciter voluntarii?* 609.

Quæst. IV. *An concupiscentia augeat vel minuat voluntarium?* 611.

Disputatio V.

De

Bonitate & Malitia Actuum humanorum.

Quæst. I. *Quid sit Actus humanus, seu moralis?* 615.

Quæst. II. *Quid sit Bonitas moralis?* 619.

Quæst. III. *An & quomodo actus sumat bonitatem suam ex objecto?* 622.

Quæst. IV. *An & qualem bonitatem sumat actus à fine & mediis?* 627.

Quæst. V. *An & quomodo actus sumat bonitatem, & malitiam ex circumstantiis?* 631.

Disputatio VI.

De

Bonitate & Malitia Actuum humanorum & externorum.

Quæst. I. *An Actus externus addat aliquid bonitatis & malitiæ actui interno?* 636.

Quæst. II. *An detur actus indifferens in specie, & in individuo?* 642.

Quæst. III. *De actu negativo voluntatis. An scilicet voluntas exercere possit suam libertatem per actum negativum, seu per puram omissionem?* 647.

Quæst. IV. *De actu concurrente vel concomitante ad omissionem puram, & tempore, quo ipsum omissionis peccatum contingit?* 651.

Disputatio VII.

De

Regulis Bonitatis & Malitiæ Actuum humanorum.

Quæst. I. *An, quomodo, & in quibus teneatur homo se conformare voluntati Divinæ?* 656.

Quæst. II. *Quid & quotuplex sit Conscientia?* 660.

Quæst. III. *De conscientia recta & infallibili.* 665.

Quæst. IV. *De Conscientia dubia.* 666.

Quæst. V. *De Conscientia Erronea.* 671.

Quæst. VI. *De Conscientia scrupulosa & fatua.* 675.

TRACTATUS VI.
DE
CONSCIENTIA PROBABILI,
ET
MODO UTENDI PROBABILITATIBUS,
SEU
PROBABILITAS MODIFICATA.

DISPUTATIO I.
DE
Natura Opinionis Probabilis.

DISPUTATIO II.
DE
Licito Probabilitatum Usu.

DISPUTATIO III.
DE
Modo utendi Probabilitatibus.

APPENDIX.

Propo-

Propositiones damnatæ ab Alexandro VII. 810.
Ab Innocentio XI. damnatæ Propositiones. 812.
Ab Alexandro VIII. damnatæ Propositiones. 815.

TRACTATUS VII.
DE
PECCATIS PRIMORUM PARENTUM, ADAMI, & EVÆ, AC POSTERORUM, TAM ORIGINALI, QUAM ACTUALI.

DISPUTATIO I.
DE
De Lege Primordiali data Adamo.

Quæstio Unica. *Qualis Lex, qualéve fuerit hoc præceptum Adamo datum? 818.*

DISPUTATIO II.
DE
Peccato Adami & Evæ, pœnisq; pro iis inflictis.

Quæst. I. *De Tentatione Evæ. 822.*
Quæst. II. *De Peccatis Primorum Parentum, Adami & Evæ. 827.*
Quæst. III. *De gravitate peccatorum primorum Parentum. 833.*
Quæst. IV. *De Pœnis primorum Parentum. 838.*

DISPUTATIO III.
DE
Natura & Proprietatibus Peccati.

Quæst. I. *Quid sit peccatum tàm quoad esse materiale, quàm formale peccati? 846.*
Quæst. II. *In quo subjectetur immediatè privatio rectitudinis debitæ inesse, & an illa sit aversio à DEO, vel conversio ad creaturam? 856.*
Quæst. III. *An & quomodo peccatum sit contra naturam rationalem? 859*
Quæst. IV. *An peccatum necessariò respiciat Legem? 863.*
Quæst. V. *De multiplicibus peccatorum Divisionibus. 867.*
Quæst. VI. *De distinctione specifica Peccatorum. 870.*
Quæst. VII. *De Distinctione numerica Peccatorum. 874.*

DISPUTATIO IV.
DE
Originali Peccato.

Quæst. I. *Quid sit peccatum Originale? 880.*
Quæst. II. *An Peccatum Originale verè contrahatur ad Posteros Adæ? 891.*
Quæst. III. *De Pœnis Originalis Peccati. 897.*

DISPU-

DISPUTATIO V.

DE

Peccato actuali, tàm mortali, quàm veniali.

Quæst. I. *An ex natura sua peccata omnia sint æqualia, vel aliqua ex se sint mortalia, alia ex se venialia?* 904.
Quæst. II. *Quomodo peccata mortalia, & venialia inter se differant?* 909.
Quæst. III. *An ex mortali possit fieri veniale, aut econtra?* 915.
Quæst. IV. *An venialia multiplicata efficere possint unum mortale?* 919.
Quæst. V. *An & quomodo peccatum leve, vel opus indifferens fiat grave & mortale ratione scandali?* 922.
Quæst. VI. *An malitia peccati mortalis sit infinita?* 928.
Quæst. VII. *Unde desumenda sit gravitas peccatorum essentialis?* 931.
Quæst. VIII. *An, & qualis desumatur gravitas & levitas peccatorum ex circumstantiis tàm aggravantibus, quàm mutantibus speciem?* 934.
Quæst. IX. *De Circumstantiis in particulari.* 938.

DISPUTATIO VI.

DE

Causis Peccati Actualis.

Quæst. I. *An DEUS super omnia benedictus sit causa peccati?* 953.
Quæst. II. *An diabolus sit directa causa peccati?* 957.
Quæst. III. *An & quomodo voluntas sit causa peccati?* 961.
Quæst. IV. *An voluntas creata possit peccare ex certa malitia?* 964.
Quæst. V. *An tàm in portione superiori quàm inferiori possit esse peccatum?* 968.
Quæst. VI. *An motus sensuales sint causa peccati, vel peccata, & quâ ratione?* 970.
Quæst. VII. *An Consensus in delectationem morosam de re illicita sit peccatum mortale, etiam absque consensu in opus ipsum?* 973
Quæst. VIII. *An ignorantia sit causa peccati?* 979.
Quæst. IX. *An & quomodo ignorantia excuset à peccato coram DEO?* 985.
Quæst. X. *An & quomodo ignorantia juris & facti excuset à peccato, & pœnâ Legis humanæ?* 987.

DISPUTATIO VII.

DE

Effectibus Peccati Actualis.

Quæst. I. *De maculâ relictâ & remanente ex peccato actuali, quæ peccatum habituale dicitur.* 992.
Quæst. II. *De reatu, seu pœnâ peccati respectu alterius peccati, seu an unum peccatum sit pœna alterius?* 999.
Quæst. III. *An & quomodo peccatum mortale inducat reatum pœnæ æternæ & infinitæ?* 1001.
Quæst. IV. *An & quanta pœna debeatur peccato veniali, & an utrumque puniatur à DEO citra condignum?* 1005.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS I.

DE

OPERE SEX DIERUM.

PROOEMIUM,

tàm in hunc Tractatum, quàm totum Sententiarum Librum Secundum.

QUod Sapiens postmodum tradidit verbis: *A magnitudine speciei & creaturæ, cognoscibiliter poterit Creator horum videri*, hoc opere docuit primus Hagiographus Scriptor Moyses, virorum mansuetissimus, quando ad totius Israëlitici populi electi eruditionem totius mundi opificium descripsit in primo suo libro, qui ob generationum & productionum enumerationem, *Genesis*, appellatur, nè in turpem Ægyptiacam Idololatriam laberetur, de qua tot signis & portentis fuerat eductus, si enim infelices illi habuissent scientiam DEI, attendissent & ex operibus ejus agnovissent, quis esset artifex omnium, & non *ignem, aut spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem & lunam, rectores orbis terrarum deos putavissent, quorum si specie delectati, deos putaverunt: sciant quantò his dominator eorum speciosior est, speciei enim generator hæc omnia constituit.* Hinc D. Paulus præclarissimus Gentium Doctor quoque dicit: *Invisibilia ipsius DEI à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus* & *divi-*

Sapient. cap. 13.

I. Moyses primus hagiographus scriptor.

II. Ex creaturis potest DEUS cognosci.

Rom. 1.

Digitized by Google

& divinitas. Ita quòd sit indubitata fides, & omnium sanctorum Patrum & Theologorum doctrina, quod ex creaturis consideratis, Creator earum DEUS cognosci possit, & cognitus glorificari debeat; ex quibus sufficiat duos, quorum opinionem præ aliis sector & amplector, adducere, D. Augustinum videlicet, & Bernardum, quorum primus serm. 55. de verbis Domini cum tradidisset, quomodo Philosophi DEUM cognoverint ex epist. ad Rom. cap. 1. subjungit: *Interroga mundi ornatum, cœli fulgorem, dispositionemque siderum, solem diei sufficientem, lunam noctis solatium. Interroga terram fructificantem herbis, & lignis, animalibus plenam, hominibus exornatam. Interroga mare quantis, & qualibus natatilibus plenum. Interroga aëra quantis volatilibus viget. Interroga omnia, & vide si non sensu tuo tanquam tibi respondent: DEUS nos fecit; Hæc & Philosophi nobiles quæsierunt, & ex arte artificem cognoverunt.* Mellifluus verò Doctor serm. 9. de diversis: *Et est velut communis quidam liber & catena alligatus (ut assolet) sensibilis mundus iste, ut in eo Sapientiam DEI legat, quicunque voluerit. Erit tamen cum cœlum plicabitur sicut liber, in quo utique deinceps legere habeat necesse, quoniam erunt omnes docibiles DEI: & quemadmodum creatura cœli, sic & creatura mundi jam non per speculum & in ænigmate, sed facie ad faciem DEUM videbit, & sapientiam ejus ad liquidum contemplabitur in se ipsa. Interim verò opus habet humana anima velut quodam vehiculo creaturæ, ut ad cognitionem creatoris assurgat, cùm econtrà longè beatius, perfectiusque angelica natura in Creatore notitiam habeat creaturæ.* Porrò Moyses in dicta Genesi primis tribus capitibus mundi productionem, quæ ex eo, quòd sex dierum spatio perfectam afferat, à Græcis Hexameron dicitur, tàm eleganter, támque compendioso stylo, quàm rerum & materiarum fœcundo, ita ut Ilias quædam omnium scientiarum dici possit, & ex illis omnes erui speculativæ notitiæ, nam quod ait In principio, comprehendit totam Trinitatem, nam Pater non solùm omnium creaturarum, sed etiam Filii & Spiritûs Sancti est principium, Filius pariter & Spiri-

Digitized by Google

Spiritus sunt idem principium omnium rerum ad extra, nam Joann. 8. dicit Christus: *Ego sum principium, qui & loquor vobis*, unde D. August. lib. 5. de Trinit. cap. 14. dicit: *Relativè ad creaturam Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt unum principium, sicut unus Creator, unus Dominus*: & clarius per totum sensum, *In principio creavit DEUS cœlum & terram*, ubi Hebraicus textus habet: *Eloim creavit cœlum*, id est, Dii, ponens in singulari *creavit*, denotat divinæ Essentiæ unitatem; *Dii*, in plurali indicat personarum trinitatem, adeóque tota materia de DEO uno & trino huc referri posset: Per cœlum & terram tota materia in Physicorum libris, de cœlo & mundo, de generationibus comprehensa, ipsaque Astrologia, & sic discurrendo de cœteris omnibus, imò ipsi Chymici nostri principium universalissimum ex capite 1. Genesis de terra inani & vacua assumunt, quasi illa materia omnes formas induere possit; unde D. Chrysostomus hom. de jejunio & Geneseos docet, hanc materiam esse utilissimam, scitúque jucundissimam, & fructuosam, nam impugnantes sic redarguit: *Sed quid ad nos, inquies, creaturarum pertinet ratio? & valdè quidem, charissime, sic enim ex magnitudine & decore creaturarum competenter earum conditor agnoscitur: quantò autem magis ad earum intelligentiam fuerimus intenti, tantò magis via nobis patescit ad intuitum conditoris. Magnum, crede mihi, bonum scire est, quid sit creatura & quid creator, & quæ sunt opera, quis verò Opifex. Si enim hoc diligenter scirent discernere hæretici, nunquam utique omnia confunderent, & quæ sursum sunt, facerent deorsum. Non dico, quod cœlum & stellas deorsum, terram autem sursum ducerent: sed quòd Regem ab excelsis sedibus deducentes, cum creaturis & operibus collocaverint: creaturam verò divinis honoribus affecerint. Si de creaturis scissent philosophari Manichæi, nunquam materiam corruptibilem & mutabilem, quæ cùm non esset effecta, esse ingenitam, DEOq; dicerent coæternam. Si de creaturis rectè scissent philosophari Gentiles, nunquam coluissent & servissent creaturæ potius quàm Creatori. Bonum vides cœlum, sed propterea ut illud aspi-*

Digitized by Google

ciens adores Conditorem ejus: pulchrum Solem, sed ut illum intuens, Factorem ipsius venereris. Si enim creaturarum pulchritudine detentus inhareas, nec ex earum specie magnitudinem consideres Creatoris, conversum est tibi lumen in tenebras. Vides quantum boni sit scire creaturarum rationem? De hâc eâdem materiâ scripsit post Moysen Josephus lib. 1. Antiquit. & D. Augustinus per duodecim libros de Genesi ad litteram; unum de Genesi imperfectum, & de Genesi contra Manichæos libros duos. Et in aliis diversis locis. Gregorius Nissenus, Chrysostom. tom. 1. hom. 1. de primis hominibus, Euthimius, Ambrosius, Anselmus lib. 1. Cur DEUS homo, Lyranus, & interpretes communiter. Quare post cognitum DEUM, ut in se est, oportet nunc considerare eundem, ut extra operatur.

DISPUTATIO PRIMA.

DE

Opere sex Dierum in communi.

TOta hæc Disputatio eò tendit, ut explicet totius Sacræ Scripturæ versum hunc: *In principio creavit DEUS cœlum & terram*, ex quo facilè colligitur illius fœcunditas, & fœcunda profunditas, itaque sit

QUÆSTIO PRIMA.

Quid significet in Principio?

I. *De particula variè accipitur.*

IAM præpositio *In*, quàm nomen Principium diversimodè capiuntur, nam considerando singulariter *In* Primò significat Tempus & Locum, ut Judic. 18. *In diebus illis non erat Rex in Israël, & tribus Dan quærebat possessionem sibi, ut habitaret in ea: usque ad illum enim diem inter cœteras tribus sortem non acceperat.* Ex Ruth 1. *In diebus unius Judicis, quando judices præerant, facta est fames in terra.* Item aliquando significat *Per*, ut Hebræ. 1. *Novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio:* aliquando pro *Cum*, ut Oseæ 4. *Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis, qui habitat in ea, in bestia agri, & in volucre cœli: sed & pisces maris congregabuntur.* Principium similiter diversimodè sumitur, nam aliqui accipiunt *in principio*, id est, in principatu, seu in potentia regia, (hanc enim significat quoque Græcum ἀρχὴ: undè ἄρχοντες vocantur Principes & Magistratus) DEUS fecit cœlum & terram, inquit Tertull. lib. contra Hermogen. sic & Procopius, DEUS, inquit, *qui est Rex Regum, & plenissimè sui juris existens, nec aliunde pendens, cunctaque pro suo arbitrio administrans, excitavit hoc universum simul cum speciebus & formis; imò & materiam ipse deprompsit, nec aliunde eam mutuatus est.*

II. *Principium diversimodè Genes. 1. accipitur.*

Secun-

Digitized by Google

Secundò: Aquila pro *in principio* vertit, *in capite*, id eſt, ſummatim, ſimul omnia comprehenſim ſeu acervatim. DEUS enim creans cœlum & terram, in iis ſimul quaſi reliqua omnia creavit ſummatim, ex iis enim cœtera poſtmodum efformavit.

Tertiò: S. Ambroſius & S. Baſilius hom. 1. Hexam. *in principio*, inquiunt, id eſt, in momento, citra omnem, etiam minimam temporis morulam, nam impartibile eſt principium, ſicut enim principium viæ non eſt via, ſic principium temporis non eſt tempus, ſed inſtans.

Quartò: *In principio*, id eſt, prima tanquam fundamenta & baſes univerſi, inquit S. Baſilius & Procop. ſic dicitur: *Principium Sapientiæ timor Domini*, eſt enim timor fundamentum Sapientiæ, & primus ad eam gradus.

Quintò: Junilius hîc, τὸ, inquit, *in principio*, notat DEI æternitatem & omnipotentiam. *Quem enim in principio temporum Mundum creâſſe perbibet, ipſum profectò ante tempora æternaliter extitiſſe deſignatur: & quem ipſo conditionis initio cœlum & terram creâſſe narrat, tantâ celeritate operationis omnipotentem eſſe declarat.*

D. Auguſtinus lib. 12. Confeſſionum cap. 28. aliorum opiniones quoque refert dicens: *Alius intendit in id, quòd dictum eſt, In principio fecit DEUS, & reſpicit Sapientiam principium, quia & loquitur ipſa nobis. Alius itidem intendit in eadem verba, & principium intelligit exordium rerum conditarum, & ſic accipit, in principio fecit, ac ſi diceretur, primò fecit: atque in eis, qui intelligunt, in principio, quòd in ſapientia feciſti cœlum & terram.*

Totam verò hanc propoſitionem: In principio creavit DEUS cœlum & terram, multifariam poſſe intelligi ex aliis in eodem libro cap. 20. docet: *Ex his ergò aliud ſibi tollit, qui dicit, in principio fecit DEUS cœlum & terram, id eſt, in verbo ſuo ſibi coæterno fecit DEUS intelligibilem atque ſenſibilem, vel ſpiritualem corporalemq; creaturam. Aliud, qui dicit, in principio fecit DEUS cœlum & terram, id eſt, in Verbo ſuo ſibi coæternò fecit DEUS univerſam iſtam molem corporei mundi hujus, cum omnibus, quas continet manifeſtis notisq; naturis. Aliud, qui dicit, in principio fecit Deus cœlum & terram, id eſt, in Verbo ſuo ſibi coæternò fecit DEUS informem materiam creaturæ ſpiritualis & corporalis. Aliud, qui dicit, in principio fecit DEUS cœlum & terram, id eſt, in Verbo ſuo ſibi coæterno fecit DEUS informem materiam creaturæ corporalis, ubi confuſum adhuc erat cœlum & terra, quæ nunc jam diſtincta atque formata in iſtius mundi mole ſentimus. Aliud, qui dicit, in principio fecit Deus cœlum & terram, id eſt, in ipſo exordio faciendi atque operandi fecit Deus informem materiam confusè habentem cœlum & terram, unde formata nunc eminent & apparent cum omnibus, quæ in eis ſunt.* His præmiſſis

Dico Primò; *In ſenſu allegorico & metaphorico dicitur In principio, id eſt, in Filio, vel in Sapientia DEUM creâſſe cœlum & terram, non tamen in hiſtorico & litterali.* Prima pars eſt D. Auguſtini lib. 1. de Gen. contra Manichæos cap. 2. ubi objectionem Manichæorum ſolvens dicit: *Reſpondemus, DEUM in principio feciſſe cœlum & terram, non in principio temporis, ſed in Chriſto, cùm Verbum eſſet apud Patrem, per quod facta, & in quo facta ſunt omnia. Dominus enim noſter JESUS Chriſtus, cùm eum Judæi interrogâſſent, quis eſſet? reſpondit: Principium, quod & loquor vobis. Sed & ſi in principio temporis DEUM feciſſe cœlum & terram credamus, debemus utique intelligere, quòd ante principium temporis non erat tempus, DEUS enim fecit & tempora. Et ideò antequam faceret tempora, non erant tempora. Non ergò poſſumus dicere fuiſſe aliquod tempus, quando DEUS nondum aliquid fecerat. Quomodo enim erat tempus, quod DEUS non fecerat, cùm omnium temporum ipſe ſit fabricator.* Et alibi ſæpe, maximè

III. Principium ſignificat allegoricè Filium.

Digitized by Google

lib. de Genes. imperfect. cap. 3. Probatur secunda pars: Virtus creativa DEI est ipsa omnipotentia DEI, & formalitas essentialis non notionalis, atqui ea sunt essentialia, quæ sunt omnibus tribus personis communia, ergò tàm Patri, quàm Filio ac Spiritui Sancto conveniunt, undè vulgatum est axioma Theologorum: *Opera Trinitatis ad extra esse indivisa*, ergò DEUS, *qui creavit* cœlum & terram, non creavit illa in Filio, vel dici debet Filium in Filio creâsse cœlum & terram.

IV. In Principio significat principium temporis.

Dico Secundò: *Sensus planus & litteralis hujus propositionis, In principio creavit, est, ab initio temporis DEUM omnia creâsse.* Hæc in re est communis. Probatur ex Concilio Lateran. sub Innocentio III. *cap. 1. Firmiter*, *de Fide Catholica*, ubi dicitur: *Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quòd unus solus est verus DEUS &c. unum universorum principium, creator omnium invisibilium & visibilium, spiritualium & corporalium, qui sua omnipotenti virtute, simul ab initio temporis, utramq; de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem, angelicam videlicet & mundanam: ac deindè humanam quasi communem ex spiritu & corpore constitutam.*

Probatur Secundò ex D. Augustino lib. 12. Confess. cap. 29. ubi dicit: *Ille, qui non aliter accipit, in principio fecit, quàm si diceretur primò fecit: non habet, quomodo veraciter intelligat cœlum & terram, nisi materiam cœli & terræ intelligat, videlicet universæ, id est, intelligibilis, corporalisque creaturæ. Si enim jam formatam velit universam, rectè ab eo quæri poterit, si hoc primò fecit DEUS, quid fecerit deinceps, & post universalitatem non inveniet, ac per hoc audiet invitus, quomodo illud primò si postea nihil? Cùm verò dicit primò informem, deindè formatam, non est absurdus, si modò est idoneus discernere quid præcedat æternitate, quid tempore, quid electione, quid origine. NB.*

Probatur etiam ratione: Tùm, Quia principium temporis, licèt sit pars, habet tamen indivisibile, sive instans sui terminativum, & in illo potuit exerceri creatio cœli & terræ, ergò. Probatur antec. Quia in continuo permanenti indivisibile terminans pertinet ad ipsum continuum, ita ut qui illud attingat, dicatur tangere ipsum continuum, v. g. tabula est quoddam continuum permanens, & tamen qui tangit superficiem tabulæ, dicitur tangere tabulam, ergò pari ratione de continuo successivo: Tùm, Quia, licèt continuum non habeat ultimam aut primam partem proportionalem, habet tamen æqualem, & circa illam atque in illa possunt exerceri actiones, v. g. tabula non habet minimam partem primam, habet tamen primum palmum, habet secundum, sic etiam tempus diurnum non habet primam morulam, habet tamen primum quadrantem, & primam horam, cùm ergò Scripturæ subdat illi propositioni tenebras fuisse super faciem abyssi, idem est, ac fuisse noctem, & factâ luce factam quoque primam diem, consequens est, in primâ die cœlum & terram creata fuisse, & sic verissimè dicitur in principio, id est, in initio temporis, quia illa dies fuit prima dierum & totius temporis. Sed in contra

Opponitur Authoritas D. Augustini lib. 12. Confess. cap. 12. ubi dicit: *Duo reperio, quæ fecisti carentia temporibus, cùm tibi neutrum coæternum sit. Unum, quod ita formatum est, ut sine ullo defectu contemplationis, sine ullo intervallo mutationis, quamvis mutabile, tamen non mutatũ, tua æternitate atq; incommutabilitate perfruatur. Alterum, quod ita informe erat, ut ex quâ forma, in quam formam, vel motionis, vel stationis mutaretur, quo tempori subderetur, non haberet. Sed hoc, ut informe esset, non reliquisti, quoniam fecisti ante omnem diem in principio cœlum & terram.* Respond. neg. consequ: Quia S. Augustinus tantùm vult duo illa in rigore scholastico non esse creata in tempore, nam si rigorosè loquamur, illud, quod creatur, fit in instanti, sed quod fit in instanti, non fit in tempore, quia suc-

Digitized by Google

successio in actione oritur ex resistentiâ passi, in creatione autem nulla fuit resistentia passi, quia nullum passum adfuit, & aliud non erat quàm nihil.

V. Principio in significat omnia à DEO habuisse originem.

Dico Tertiò: *Illius propositionis In principio creavit Deus &c. planissimus sensus est prima DEI opera, primosq; effectus à se productos fuisse cœlum & terram, seu universam creaturam productam habuisse principium authorem & creatorem Deum.* Ita Div. Augustinus lib. 1. de Genesi contra Manichæos cap. 5. ubi ait: *Illud, quod dictum est: In principio fecit Deus & cœlum & terram: cœli & terræ nomine universa creatura significata est, quam fecit & condidit DEUS. Ideò autem nominibus visibilium rerum hæc appellata sunt, propter parvulorum infirmitatem, qui minus idonei sunt invisibilia comprehendere: Prima ergò materia facta est confusa & informis, undè omnia fierent, quæ distincta atque formata sunt, quod credo à Græcis chaos appellari. Sic enim & alio loco legimus dictum in laudibus DEI; Qui fecisti mundum de materia informi. Quod aliqui Codices habent de materiâ invisa. Et ideò Deus rectissimè creditur omnia de nihilo fecisse, quia etiamsi omnia formata de ista materia facta sunt, hæc ipsa materia tamen de omnino nihilo facta est.* Et ratio est, quia Moyses voluit instruere simplicem Hebræorum populum ostendendo omnia hæc creata esse in tempore, & non fuisse ab æterno, adeoque non debere nec posse coli ut Deos, prout faciebant Gentiles, ergò. Sed in contra

Opponitur Scriptura, Ecclesi. 1. *Prior omnium creata est sapientia, & intellectus prudentiæ ab ævo*, ergò cœlum & terra non sunt primò omnium creata. Respond. cum Hugone, Primò omnium dici propter dignitatem: vel primò omnium, id est, ante ipsam nihil: vel primò omnium creata, id est, prævisa creari: vel creata, id est, genita secundùm quod de Filio exponitur, vel prima, id est, una de primis, vel inter primas creaturas, sicut fides dicitur prima, id est, una de primis. Item super epistolam ad Titum dicit Hieronymus, quòd Angeli servierunt DEO ante tempora, nempe: servierunt DEO in præscientia DEI: sicut illud Apocal. 13. *Agnus, qui occisus est ab origine mundi*, id est, prævisus occidi.

QUÆSTIO SECUNDA.

In illud creavit. *Quid sit creare?*

Possibilem esse creationem sat superq; ostendi in Philosophia, ejusque naturam, quantum ibi opus fuit, explicui: verùm tamen hic nonnulla scripturistica & theologica erunt superaddenda, pro quo — I. Creatio describitur.

Notandum Primò: Magistrum Sententiarum lib. 2. dis. 1. q. 1. definire Creatorem sic: *Creator est, qui de nibilo aliquid facit, & creare est de nihilo aliquid facere: facere verò non modò de nihilo aliquid operari, sed etiam de materia. Unde & homo & Angelus dicitur aliqua facere, sed non creare: vocaturque factor sive artifex, sed non creator. Hoc enim nomen soli DEO propriè congruit, qui & de nihilo quædam, & de aliquo aliqua facit, ipse est ergò Creator, & opifex, & factor.*

Notandum Secundò: Præpositionem hanc *De*, dupliciter accipi, Primò ut denotet ordinem naturæ, vel temporis, positivè, vel negativè. Secundò causalitatem: si primo modo accipitur, tunc in hac propositione: *Creatio est de nihilo*, facit hunc sensum, quod creatur, id fit post nihil, hoc est, post suum non esse: si verò secundo modo accipiatur, tunc facit primò sensum, illud quod creatur non præexigere entitatem præjacentem veluti sui causam intrinsecam; Secundò illud nihilum non esse aliquid ejus, quod creatur per modum partis, quasi totalis terminus constet ex positivo, & negativo. — II. De particula dupliciter accipitur.

Dico Primò: *Creatio in Scriptura Sacra non significat semper productionem* — III. Creatio nō semper significat pro-

ductionem ex nihilo.

ductionem ex nihilo. Hæc est extra controversiam. Probatur ex Scriptura, nam in hoc primo capite Genesis dicitur: *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum, cujus semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita*, & tamen certum est, quod terra hæc producendo non creaverit, sed eodem modo ibi dicitur, quòd DEUS creaverit Cete & pisces, qui tamen non fuerunt facti ex nihilo, sed ex aqua, ergò, & similiter dicitur, aquas produxisse animam motabilem secundùm speciem, sed aquæ nihil possunt producere ex nihilo, ergò. Item versu 27. dicitur: *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem DEI creavit illum, masculum & fœminam creavit eos.* quod etiam constanter repetit cap. I. *In principio creavit DEUS cœlum & terram. Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi: & Spiritus DEI ferebatur super aquas.* Sap. II. *Omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum ex materia invisa.* Eccles. 17. *DEUS creavit de terra hominem, & secundùm imaginem suam fecit illum.* In quibus locis semper subjectum exprimitur per particulas *De*, & *Ex*; & clarissimè liquet in illo Eccles. 38. *Honora medicum propter necessitatem: etenim illum creavit Altissimus. - - - Altissimus creavit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa.*

Confirmatur ex Proverb. cap. 8. ubi de æterna Sapientia, seu de Verbo divino dicitur: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret.* Ubi, uti patet clarissimè ex contextu aliorum verborum, quæ de nulla creatura verificari possunt, Septuaginta legerunt, & interpretati sunt τὸ *possedit*, *creavit me*, quam interpretationem usque ad Hieronymi tempora etiam ipsa Ecclesia est secuta, sed certum est Sapientiam æternam non esse creatam ex nihilo, ergò.

Probatur Secundò ex Authoritate SS. Patrum, qui creare frequenter sumunt pro produci ex aliquo, ut S. Ambrosius, qui lib. 3. de fide cap. 4. sic ait: *Intelligimus illud, quod de Incarnatione Domini scriptum est, Dominus creavit me* (nunc legimus possedit me) *principium viarum suarum in opera sua, id significare, quod ad redimenda opera Patris, Dominus JESUS Christus ex Virgine sit creatus*, sed certum est, JESUM Christum ex purissimis sanguinibus B. V. Mariæ, & non ex nihilo esse productum, alioquin nec verè esset Filius hominis, si non haberet originem ab homine, ergò. Hieronymus in cap. 31. Jeremiæ in illud: *Creavit Dominus novum super terram*, dicit, *simul & hoc notandum est, quòd Nativitas Salvatoris atque Conceptûs, DEI creatio nuncupatur.* S. Joannes Damascenus lib. 3. de fide Orthodoxa ait: *Copulavit sibi ex sanctissimis ac purissimis ipsius Virginis sanguinibus, nostræ cunctæque conspersionis carnem animatam, anima rationali non seminans, sed per Spiritum Sanctum creans*, si de sanguinibus Spiritus Sanctus creavit carnem Christi, ergò ex aliquo, & non de nihilo illam produxit, consequenter nec Patres creare semper sumunt pro productione ex nihilo.

Probatur Tertiò ex communi modo loquendi omnium hominum & nationum, nam ipsa Ecclesia de omnibus Pontificibus Sanctis primis refert eorum ordinationes, in quibus referunt, quos Episcopos creaverint, sit exemplum de S. Clemente, de quo sic legitur in Breviario: *Fecit ordinationes duas mense Decembri, quibus creavit Presbyteros decem, Diaconos duos, Episcopos per diversa loca quindecim*, unde vulgariter dicuntur creari Consules, Magistratus, Doctores &c. in quo sensu & modo loquendi dicit Augustinus lib. I. contra Adversarios Legis: *Id fieri, quòd si non fieret, non esset, creari autem ex eo, quod erat condi aliquid, vel constitui, sicut dicimus creari Magistratus*, nam certum est, quòd

quòd omnia subjecta, quibus hæ dignitates conferuntur, antea in rerum natura existant. Imò nihil usitatius est, quàm quòd parentes filios suos, suas vocitent creaturas, quas tamen generârunt & non de nihilo produxerunt. Insuper Plinius lib. 9. suæ historiæ cap. 8. ait: *Leporem dissolutionem stomachi creare*, & lib. 22. cap. 24. *Fastidium dicitur creare mel*, & universaliter Ambrosius Calepinus docet vulgò dici creare fraudem alicui, commoditatem, cœdes, lites, &c.

IV. Creare benè assumitur ad explicandam productionem ex nihilo.

Dico Secundò: *Ad explicandam divinam productionem omnium rerum ad extra benè assumptum est verbum creare, ut per illud intelligatur productio ex nihilo.* Probatur Conclusio primò ex Concillis Nicæno I. in quo damnatus est Arius, qui dicebat, Verbum DEI esse creatum, id est, ex nihilo productum, ut docet etiam S. Augustinus lib. 6. de hæresibus hæresi 49. dicens: *Ariani ab Ario, in eo sunt notissimi errore, quòd Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, nolunt esse unius ejusdemque naturæ atque substantiæ, aut ut expressiùs dicatur, essentiæ, quæ ὐσία græcè appellatur, sed esse Filium creaturam, Spiritum verò Sanctum creaturam creaturæ, hoc est, ab ipso Filio creatum volunt.* Toletano XI. quod in confessione fidei ait: *Filium nec esse factum, nec de nihilo*, id est, *nec creatum.* Lateran. IV. sub Innocentio III. ubi definitum est: *Quòd DEUS sua omnipotenti virtute simùl ab initio temporis utramque de nihilo condidit naturam*, ergò ex mente Conciliorum creare significat productionem ex nihilo.

Probatur Secundò ex Patribus, Augustin. enarrat. 2. in Psal. 70. ubi dicit: *Quid enim esset quicquid aliud est, nihil ipse fecisset? Quo ergò eget abs te, qui erat ante te, & tam potens erat, ut cùm tu nihil esses, faceret te? Nunquid quomodo parentes faciunt filios? Per quandā concupiscentiam carnalem generant potiùs quàm creant: istis enim generantibus, DEUS creat, id est, animam, nam si tu ita creas, dic, quid tua mulier paritura est. Quid dicam, tu dic? ipsa dicat, quæ quod portat ignorat?* Et enarrat. 18. in Psal. 118. ait: *An etiam secundùm hoc rectè dici potuit, Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me, quod unusquisque non sine opere DEI etiam de parentibus fit, ipso creante, illis generantibus?* Athanasio in Symbolo, ubi contra Arianos dicit: *Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus.* & contra Macedonianos: *Spiritus Sanctus à Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens*, per quod à divinis Personis non solùm productionem ex nihilo per tò *creatus*, sed etiam productio ex alio aliquo extra DEUM excluditur. Chrysostom. hom. 1. in Gen. ait: *Dicere enim ea, quæ sunt ex præjacente materia esse facta, & non confiteri, quòd ex nihilo creaverit ea omnium opifex, desipientiæ extremæ signum fuerit. Beatus itaque propheta iste, obturando insipientium ora, auspicaturus librum, sic cœpit: In principio creavit DEUS cœlum & terram.* Adde S. Bernardum lib. 5. de considerat. cap. 6. ubi sic loquitur: *Frustra Philosophi materiam quærunt, non eguit materia DEUS. Non enim officinam quæsivit, non artificem. Ipse per se, in se omnia fecit. Unde? De nihilo. Nam si ex aliquo fecit, ac per hoc nec omnia.*

Probatur Tertiò ex congruentia: Quia revera datur talis productio alicujus rei ex nihilo sui & subjecti, ergò etiam convenit, quod illi particulare applicetur nomen & verbum, quod illam debitè exprimat, & ab aliis distinguat. antec. patet. probatur consequentia. Tùm, Quia aliæ etiam actiones & passiones suis exprimuntur & distinguuntur nominibus, ut sunt: Generatio viventium à non viventium: Tota generatio à corruptione, & utraque ab alteratione: Alteratio iterum ab augmentatione, & sic de aliis: Tum, Quia Discipuli Christi rectè sunt Christiani appellati ab ipso, & etiam apud ipsos Christianos ex occasione mysteriorum fidei plura inventa sunt

nomina, ut *Trinitas*, *Consubstantialitas*, *Transubstantiatio*.

V. Creatio quid sit. Itaq; Creatio theologicè & strictè accepta est primam causalitatem dare esse post non esse, absolutè, ita ut nihil susceptivum præsupponatur, undè Doctor subtilis quodlib. 12. §. de secundo dicit: Hæc vox creare vel creatio significat dependentiam ipsius esse ad causam non præcisè, sed ut est cum respectu ad non esse immediatè præcedens, quia ibi non tantùm notatur dependentia rei ad causam in essendo, sed ultra in accipiendo tunc primò illud esse post non esse.

VI. Creatio est possibilis. Dico Tertiò: *Creatio, seu productio ex nihilo verè est possibilis.* Hæc est de fide, & Probatur Primò ex Scriptura, 2. Machab. 7. *Peto, nate, ut aspicias ad cœlum & terram, & ad omnia, quæ in eis sunt: & intelligas, quia ex nihilo fecit illa DEUS, & hominum genus.* Sapientiæ 2. *Quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tanquam non fuerimus.* Joan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Isaiæ 41. *Ecce vos estis ex nihilo.* per quod solvitur curiosa quæstio quorundam quærentium, an productio ex nihilo ex Scriptura deduci & probari possit, quia hic verè dicitur DEUM omnia ex nihilo fecisse, fundamentaliter nempè, eo quòd saltem materiam primam ex nullo præsupposito subjecto fecerit.

Probatur Secundò ex Patribus tùm suprà tùm ex Augustino lib. de fide & symbol. clarissimè docet, DEUM omnia ex nihilo produxisse dicens: *Rectissimè credimus omnia DEUM fecisse ex nihilo, quia etiamsi de aliqua materia factus est mundus, eadem ipsa materia facta est de nihilo. Hoc autem diximus, ne quis existimet contrarias sibi esse Divinarum Scripturarum sententias, quoniam & omnia fecisse DEUM, scriptum est, & Mundum factum esse de materia invisa.*

Probatur Tertiò rationibus Scoti: DEUS immediatè potest causare aliquid, ergò potest creare, antec. patet, quia DEUS est efficiens & primum agens; ergò debet aliquid posse immediatè efficere, alioquin nihil posset efficere, quia cùm sit Agens primum, non potest agere mediante aliquo, alioquin non esset primum Agens. Probatur consequ: Quia DEUS potest aliquid immediatè efficere, ergò illud non est ex se necessarium, sed possibile, & transit de non esse ad esse, sed quod transit de sic non esse ad esse, creatur, ergò. Probatur subsumptum, quia transit de non subjecta materia, si enim transiret ex subjecta materia, sequeretur, quòd illud, quod supponitur immediatè produci, tantùm mediatè produceretur, nempè mediante materia, quod repugnat: Tùm, Quia non esset immediatum Agens DEUS: Tùm, Quia illud, quod producitur, haberet aliquid ante se, ex quo produceretur.

Probatur Quartò ex Scoto, quòd etiam possit creare in tempore. Si DEUS non posset creare in tempore, maximè quia DEUS necessariò producit, quidquid immediatè producit, & quod contingenter producit, producit mediatè per causas secundas ex aliquo præsupposito, & tunc non est creatio, sed hæc ratio est falsa, ergò potest creare in tempore. Major est Philosophorum antiquorum negantium, DEUM posse aliquid creare in tempore: probatur minor: Si DEUS omnia necessariò produceret, tolleretur omnis contingentia ad extra, & omnia necessariò evenirent, sed hoc est contra experientiam, ergò. Probatur sequela: Quia omnes causæ secundæ agunt, in quantum moventur à prima, in cujus virtute agunt, ergò si omnia necessariò agerent, omnis contingentia tolleretur. Sed in contra

Arguitur: Ex nihilo nihil fit, ergò non datur creatio ex nihilo, quia alioquin superfluerent prima principia. Respond. distin: antec: naturaliter & agentibus creatis, concedo. ab Agente infinito, quod ut perfe-

Digitized by Google

perfectius, imò perfectissimum & infinitum, nihil præsupponit, nego antec: & consequentiam.

Instatur: Creaturæ omnes, antequam producuntur, habent aliquod esse, & essentiam suam immutabilem, ergò nec ab Agente infinito possunt fieri ex nihilo essentiæ & existentiæ: patet antec: Quia habent esse cognitum, & esse possibile, ergò. Respond. & distinguo antec: habent aliquod esse diminutum & ideale, conc: reale, nego. Creatio hoc posterius excludit non prius, nam illud esse, quod habent in mente divina secundùm quid tale tantùm est, si enim esset aliquid absolutè, esset DEUS, quia illud esse in Essentia Divina est DEUS.

Urgetur: Quod possibile fuit antecedenter, habet potentiam passivam ut sit, sed omnis potentia passiva in aliquo recipi debet, ergò, sed non in DEO, ergò in ipsis creaturis, & consequenter habuerunt aliquod esse, antequam producerentur. Respond. distin: majorem: debet habere potentiam passivam objectivè, concedo, subjectivè, nego majorem, & similiter distincta minori, nego consequentiam.

QUÆSTIO TERTIA.

In illud DEUS: An per hoc Essentia divina, vel Persona aliqua, aut omnes intelligantur.

I. Heloim nō nisi de Deo vero construitur cū singulari verbo.

HEbraicus textus habet Creavit *Heloim*, quod est *Dii*, ab hoc singulari El אל quod est Deus, ut testatur Rabbi Abenhazra, & alii Hebræi, per quod clarè insinuatur Naturæ Divinæ unitas, & Personarum Trinitas, nam illa constructio *creavit* cum plurali *Dii* aliter conciliari nequit, licèt enim quandoque etiam Judices & falsi Dii, ut mox dicam, vocentur *Heloim*, tamen nunquam construuntur cum singulari verbo, sed semper cum plurali, ut Exodi 22. *Si latet fur Dominus domûs ad Deos applicabitur - - - ad Deos* ubi ponitur *Heloim*, *utriusque causa* [illegible] *perveniet*, id est, ad judices, qui hic Dii vocantur: verumtamen statim subjungitur verbum non in singulari, sed in plurali: *Et si illi judicaverint, duplicem restituet proximo suo.* Similiter Psalm. 81. *Omnes Dii Gentium dæmonia*, ubi dicitur *Heloim*, & tamen ibi non ponitur Dæmon, sed Dæmonia. Item Psalm. 95. *Ego dixi Heloim estis*, id est, Dii, & non *Ego dixi Heloim es*: & sic de pluribus aliis.

Quare in hac quæstione examinandum est, an sit tantum unus Creator, & unum omnium rerum principium, non obstante quod dicatur *Heloim, Dii creavit.* Secundò an illud principium seu virtus creativa necessariò sit in tribus personis, & pro tertio, quòd si non essent per impossibile tres personæ, adhuc in illa inveniretur virtus creativa? pro quo

Notandum Primò: Quòd Rabbi Abenhazara, licèt fateatur in Hebræo legi *Heloim creavit*, ex hoc non personarum pluralitatem inferat, sed pluralitatem virtutum & potentiarum ab eo procedentium, quod cum suis sequacibus sic probat: Quia in Scriptura quandoque etiam judices dicuntur *Heloim*, propter eorum virtuosam potentiam in judicando: ut Exodi 22. ubi dicitur: *Diis non detrahes, & Principi populi tui, non maledices*: Sed hæc cavillatio est valdè irrationabilis, quod patet ex duobus. Primò enim Hebræi nobiscum conveniunt in articulo Creationis mundi: præsertim in hoc, quòd solus DEUS mundum creavit, & eum immediatè produxit: in tantum, quod ipsi tradunt Angelos fuisse creatos in feria secunda, nè, si in prima fuissent creati, crederetur de Angelis, quòd fuissent cooperatores DEI in mundi creatione. Si igitur hoc, quod dicitur Heloim, intelligatur de virtutibus procedentibus à DEO: aut tales virtutes sunt aliquid creatum, aut quid increatum? Si primo modo sequitur, quod aliud, quod non est DEUS, creavit mundum, vel saltem cooperatum est in — II.

II. Heloim creavit nō significat pluralitatem virtutum.

creatione mundi. Si secundo modo, sequitur, quòd in Divinis est aliud increatum à DEO procedens, quod est intentum. Nam cùm DEUS etiam ab illis concedatur esse summè simplex, quicquid est in DEO, DEUS est. Secundò hæc cavillatio videtur irrationabilis, ex eo, quòd Moyses præcipuè intendebat informare populum de unitate DEI, & exclusione pluralitatis Deorum, juxta quod dicitur Devter. 6. *Audi Israël Dominus DEUS tuus unus est.* & Devter. 32. *Videte nunc quod ego sum, & non est alius Deus mecum*, & sic de multis aliis. Cùm igitur Moyses dixisset: *Creavit Heloim*, pluralitatem virtutum, manifestè dedisset occasionem credendi populo pluralitatem Deorum, quam intendebat excludere: secundùm eos etiam potius debuisset dicere *Hel*: quod nullam pluralitatem significat, & ex quo nullum inconveniens sequeretur.

III. Plato dicit DEUM unam tantum intelligentiam potuisse producere.

Plato in Timæo, & Avicenna, aliique Philosophi antiqui docuerunt quidem, DEUM esse Creatorem, sed non nisi unam creaturam, seu unam intelligentiam potuisse producere, nam cùm sit unissimus & simplicissimus, non nisi unum effectum sibi, suæque unitati correspondentem producere posse, & intelligentiam productam reflectendo se supra se, & suprà principium, à quo erat producta, producit secundam intelligentiam, secunda tertiam, & sic deinceps usq; in immensum.

IV. Manichæi duo ponebant principia unum bonum, alterum malum.

Manichæi, qui, ut scribit S. August. lib. de Hæresibus ad Quodvult Deum, hæresi 46. *à quodam Persa extiterunt, qui vocabatur Manes, quamvis & ipsum cum insana ejus doctrina cœpisset nomen prædicari: nam antehac Urbicus vocabatur. Sed in Græcia Discipuli ejus, vitantes nomen insaniæ, quasi doctiores & eo ipso mendaciores, geminata, n, litera, Manichæum quasi Manna fundentem (pro Manichæo, id est, insano) appellaverunt. Iste duo principia inter se diversa atque adversa, eademque æterna atque coæterna, hoc est, semper fuisse, composuit. Duásque naturas atque Substantias, boni scilicet & mali, sequens alios antiquos hæreticos, opinatus est: quarum inter se pugnam & commixtionem, & boni à malo purgationem, & boni quod purgari non poterit, cum malo in æternum damnationem secundùm sua dogmata asseverans multa fabulatur, quæ cuncta intexere huic operi, nimis longum est. Ex his autem suis fabulis vanis atque impiis coguntur dicere, animas bonas, quas censent ab animarum malarum naturæ scilicet contrariæ commixtione liberandas, ejus, cujus DEUS est, esse naturæ.* Hinc consequenter ponebant duo principia, unum bonum, alterum malum: Duo regna, unum lucis, alterum tenebrarum, duas gentes, duósque principes; audi quid de utroque dicant, ut refert idem S. Augustinus lib. contra epist. fundam. cap. 15. *Juxta unam verò partem, ac latus illustris illius ac sanctæ terræ, erat tenebrarum terra profunda & immensa magnitudine, in qua habitant ignea corpora, genera scilicet pestifera. Hinc infinitæ tenebræ ex eadem manantes natura inæstimabiles cum propriis fœtibus, ultra quas erant aquæ cœnosæ & turbidæ cum suis inhabitatoribus, quarum interius venti horribiles ac vehementes cum suo principe & genitoribus. Rursum regio ignea & corruptibilis cum suis ducibus & nationibus. Pari more introrsum gens caliginis ac fumi plena, in qua morabatur immanis princeps omnium & dux, habens circa se innumerabiles principes, quorum omnium ipse erat mens atque origo, hæque fuerunt naturæ quinque terræ pestiferæ.*

Inter Catholicos est subtilis sententia Henrici de Gandavo, qui docet, DEUM creaturas producere, non per quamcunq; sapientiam aut amorem, sed per sapientiam, ut est opus intellectûs disponentis, & voluntatis affectantis, & infert, Patrem in productione creaturarum habere Filium & Spiritum Sanctum, veluti rationes formales agendi, quia producit eas per Filium, ut sapientiam disponentem, & per Spiritum

situm Sanctum ut Amorem efficacem.

Dico Primò: *Unum tantùm est principium, & Creator omnium visibilium & invisibilium DEUS.* Ita fides Catholica, qua credimus *in unum DEUM Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium & invisibilium.* Probatur Primò ex Scripturâ, Exodi 20. *Sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt, & requievit in die septimo, idcircò benedixit Dominus diei sabbati, & sanctificavit eum.* Psalm. 88. *Tui sunt cœli, & tua est terra, orbem terræ & plenitudinem ejus tu fundasti: aquilonem & mare tu creâsti.* Isaiæ 37. *Domine exercituum DEUS Israël, qui sedes super Cherubim: tu es DEUS solus omnium regnorum terræ, tu fecisti cœlum & terram.* Isaiæ 44. *Hæc dicit Dominus redemptor tuus, & formator tuus ex utero. Ego sum Dominus, faciens omnia, extendens cœlos solus, stabiliens terram, & nullus mecum.* Isaiæ 45. *Ego Dominus & non est alter, formans lucem & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum: ego Dominus faciens omnia hæc. - Quia hæc dicit Dominus creans cœlos, ipse DEUS formans terram, & faciens eam, ipse plastes ejus: non in vanum creavit eam: ut habitaretur formavit eam, ego Dominus, & non est alius.* Baruch. 3. *Sed qui scit universa, novit eam, & adinvenit eam prudentia sua: qui præparavit terram in æterno tempore, & replevit eam pecudibus & quadrupedibus: qui emittit lumen & vadit: & vocavit illud, & obedit illi in tremore. - - - - Hic est DEUS noster, & non æstimabitur alius adversùs eum.* Eccles. 1. *Unus est altissimus Creator omnipotens, & Rex potens, & metuendus nimis, sedens super thronum illius, & dominans DEUS.* Ad Colossenses 1. *Quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis & in terra, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus sive potestates: omnia per ipsum & in ipso creata sunt.*

Probatur Secundò authoritate Patrum D. Augustini in sententiis à S. Prospero collectis cap. 146. *Nullus, quamvis minimæ naturæ, nisi DEUM creatorem credi aut dici licet ab aliquo. Quia etiamsi Angeli jussi vel permissi adhibeant operationem suam rebus, quæ gignuntur in mundo, tam non sunt creatores animalium, quàm nec agricolæ frugum atque arborum.* Lib. 12. de Civit. DEI. cap. 25. *Non nisi DEUM debemus Conditorem dicere naturarum, qui neque ex ea materia facit aliquid, quam ipse non fecerit: nec operarios habet, nisi quos ipse creaverit: & si potentiam suam, ut ita dicam, fabricatoriam rebus subtrahat, ita non erunt, sicut antequam fierent, non fuerunt. Sed antè dico, æternitate, non tempore. Quis enim alius creator est temporum, nisi qui fecit ea, quorum motibus currerent tempora?* Enarrat. 2. in Psalm. 18. Cœli enarrant, ubi gratiosè discurrit, quomodo DEUS omnia fecerit, sic loquens: *Quod dictum, gloriam DEI, hoc repetitum est, opera manuum ejus. Quæ opera manuum ejus? Non sicut quidam sentiunt, DEUS verbo fecit omnia, & tanquam præstantiorem cæteris hominem suis manibus fecit. Non ita sentiendum est. Infirma est ista & non satis elimata sententia. Omnia enim verbo fecit. Nam licet opera Dei diversa narrentur, in quibus hominem ad imaginem suam fecit: tamen omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Quod autem ad manus DEI attinet, & de cœlis dictum est: Et opera manuum tuarum sunt cœli. Et ne putes etiam ibi cœlos sanctos dictos, subjecit. Ipsi peribunt, tu autem permanes. Ergò non solùm homines, sed etiam cœlos, qui peribunt, DEUS manibus suis fecit: cui dictum est: Opera manuum tuarum sunt cœli. Et de terra hoc idem dictum est: quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud, & aridam manus ejus fundaverunt. Ergò si & cœlos manibus & terram manibus, non solùm hominem fecit manibus: & si cœlos verbo, & terram verbo, ergò & hominem verbo. Quod verbo hoc manu, & quod manu hoc verbo. Non enim humanis membris statura Dei distincta est, qui ubique totus est, & nullo*

continetur loco. Quod ergò verbo fecit, sapientiâ fecit, quod manu fecit, virtute fecit. Probatur Tertiò ex Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III.

VI. Creativa virtus propria DEO Angelis nec-quit communicari.

Dico Secundò: *Virtus creativa est ita propria DEO, ut non possit Angelis, seu intelligentiis, vel cuicunque alteri creaturæ communicari.* Hæc est communior Scholasticorum, & Probatur Primò authoritate Patrum, Augustini lib. 12. de Civit. cap. 24. *Illi, qui Platoni suo credunt, non ab illo Summo DEO, qui fabricatus est mundum, sed ab aliis minoribus, quos quidem ipse creaverit, permissu, sive jussu ejus animalia facta esse cuncta mortalia, in quibus homo præcipuum, diisq; ipsis cognatum teneret locum: si superstitione careant, qua quærunt, unde justè videantur sacra & sacrificia facere, quasi conditoribus suis, facilè carebunt etiam hujus opinationis errore. Neque enim fas est ullius naturæ quamlibet minimæ mortalisque, Creatorem nisi DEUM credere ac dicere, etiam antequam possit intelligi: Angeli autem, quos illi Deos libentius appellant, etiamsi adhibent, vel jussi, vel permissi operationem suam rebus, quæ gignuntur in mundo, tamen tam non eos dicimus creatores animalium, quàm nec agricolas frugum atque arborum.* Et cap. 25. *Hæc non nisi uni artifici Creatori & Conditori DEO, qui mundum ipsum & Angelos sine ullo mundo & sine ullis Angelis fecit.* Et paulò pòst: *Proinde facti primitùs Angeli cujusmodi ministerium præbuerint Creatori cœtera facienti, nescio, nec tribuere illis audeo, quod fortè non possunt: nec debeo derogare quod possunt. Creationem tamen, conditionemque omnium naturarum, qua fit, ut omninò naturæ sint, eis quoque faventibus illi DEO tribuo, cui se etiam ipsi debere quod sunt, cum gratiarum actione noverunt.* Et lib. 9. super Genesin ad litt. cap. 21. *Angeli nullam omninò possunt creare naturam.* Et ibidem cap. 22. *Creare naturam tàm nullus Angelus potest, quàm nec creare se ipsum.* Item Damasc. cap. 18. *Qui dicunt Angelos esse creatores alicujus naturæ, sunt omnes filii patris sui diaboli.*

Probatur Secundò Rationibus Scoti: Quia Angelus, aut quæcunque creatura, si posset creare, id posset vel ut principalis causa, vel ut instrumentalis, sed neutro modo creatura potest creare, ergò minor, de qua est tota & sola difficultas, distinctis argumentis est probanda. Itaque

Probatur, Angelum non posse creare ut causam principalem, nam Angelus non potest creare substantiam aliam nec accidens, ergò nihil, cùm non sit aliquid aliud in rerum natura: probatur, Angelum non posse creare substantiam, Quia hic non operatur ad extra, nisi per intellectionem & volitionem, sed per intellectionem & volitionem non potest aliquam substantiam producere, ergò non potest creare. Probatur major: Quia natura intellectualis nihil producit nisi intelligendo & volendo, quia etiam persona divina nihil producit sive ad intra sive ad extra sine actu istarum potentiarum, nam natura divina ut est prior intellectu & voluntate, non est principium producendi, quia tunc esset in divinis aliqua persona prior Verbo, & sic essent in DEO quatuor personæ. Et si dicas, esse aliam potentiam in Angelis, *executivam* nempè, nihil dicis, quia hæc esset subordinata illis, ergò: probatur minor: per nullum accidens potest creari & produci substantia aliqua, sed intellectio & volitio sunt accidentia, ergò: probatur major: Quia accidens est imperfectius substantiâ ex Philosopho 1. Metaph. textu 2. sed nullum imperfectius potest producere perfectius, quia omne principium productivum debet esse, vel æquè perfectum, vel perfectius, si enim est univocè agens, erit æquè perfectum, si æquivocè, erit magis perfectum, ergò: probatur etiam minor illa, quòd intellectio & volitio sint accidentia: Tùm, Quia aliàs sequeretur, quòd Angelus naturaliter posset esse beatus, est enim beatus per

per visionem & fruitionem, quæ sunt accidentia: Tùm, Quia Angelus esset essentiâ infinitus, posset namque habere cognitionem infinitam, quia infinitorum objectorum, hæc autem una esset, cum essentia esset unum quid, ergò una infinita, ergò intellectio non est essentia sua. Vide plura in mea Philosophia.

Probatur etiam, Angelum non posse creare accidens, Quia accidens à creatura materiali creari non potest, ergò nec ab Angelo: probatur antec: Forma, quæ creatur prius, naturaliter est à causa efficiente, quàm materiam informet: forma materialis non potest esse ab aliqua creatura, prius naturaliter quam informet materiam suam, vel potentiale suum: ergò &c. probatur major, quia si non prius naturaliter, ergò non accipit esse à causa, nisi illâ actione, quâ subjectum informatur: sed illa informatio est mutatio propriè dicta, & ita non creatio, probatur minor: nulla creatura potest formæ materiali dare esse absolutum in se, hoc est absque hoc, quod informet suum potentiale: quia si posset sic dare esse, posset & illud conservare, ut realiter virtute creaturæ maneret in aliqua duratione talis forma sine materia: formam autem materialem dico esse omnem illam, quæ ex naturâ suâ necessariò inclinatur naturaliter ut sit actus materiæ, sive sit substantialis, sive accidentalis.

Probatur nunc Conclusio Angelum, & quamcunque creaturam non posse creare etiam instrumentaliter: Omne instrumentum vel dispositivè se habet ad terminum principalis agentis, vel attingit activè terminum principalis agentis, sed nulla creatura potest dispositivè agere ad terminum creationis, nec eum activè attingere, ergò nulla potest creare, patet major, probatur minor, quia agens dispositivè, producit terminum prævium termino principalis agentis, & ordinariè recipitur in subjecto ex quo, vel in quod inducitur forma, sed in creatione nullum est subjectum, in quo dispositionis effectus prævius recipi possit, ergò. Probatur eadem minor principalis secundò: Quòd nec principalem terminum activè attingere possit, quia omne instrumentum agit per aliquid sibi proprium, sed nihil est in creatura proprium, per quod possit attingere terminum creationis, ergò. Sed contra primam partem Conclusionis

Arguitur pro Avicenna: A prima intelligentia non potest produci nisi una intelligentia, ergò necessariò dicendum est, intelligentiam secundam producere tertiam, talis autem productio est creatio, quia ex nihilo. Probatur anteced. Quia à causa omninò una non potest esse immediatè nisi unus effectus. Sed prima intelligentia est causa omninò una simplex, & invariabilis, ergò. Respond. neg. antec. cum sua probatione, ut enim plura possit producere, sufficit, quòd sint plura objecta possibilia cognita ut producibilia, quæ magis patent ex dictis notabili primo

Instatur. Unum corpus potest aliud producere, ergò etiam una intelligentia aliam, quia sunt perfectiores, tunc enim unumquodque perfectum est, cum potest producere sibi simile, ergò. Respond. neg. antec. non enim omne quod conceditur imperfectiori debet perfectiori concedi, si illud in ipso argueret imperfectionem, angelica autem natura ex perfectione habet, quòd non possit, nisi à DEO solùm produci.

Dico Tertiò: *Virtus creativa atque etiam ipse actus creandi necessariò est in tribus personis.* Probatur Primò authoritate Patrum, Augustini lib. 1. de Civitate cap. 24. ubi ait: *Atque hoc totum & Trinitas sit propter proprietatem personarum, & unus DEUS propter inseparabilem divinitatem, sicut unus omnipotens propter inseparabilem omnipotentiam: ita tamen, ut, cùm de singulis quæritur, etiam unusquisque eorum & DEUS, & omnipotens esse respondeatur: cùm verò* VII. Creativa virtus necessariò est in tribus personis.

Digitized by Google

verò de omnibus simul, non tres Dii, vel tres omnipotentes, sed unus DEUS omnipotens: tanta ibi est in tribus inseparabilis unitas, quæ sic se voluit prædicari. Et serm. 30. de verbis Apostoli cap. 3. tom. 10. *Solus enim Creator Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, sed trina unitas, una trinitas, sola illa natura immutabilis, incommutabilis, nec defectui, nec profectui obnoxia, nec cadit ut minus sit, nec transcendit ut plus sit, perfecta, sempiterna, omnimodo immutabilis, sola natura. Creatura verò bona, sed Creatori impar valdè.* Huc etiam pertinet illud, quod in Procemio citavi ex lib. 5. de Trinitate cap. 14. ubi ait: *Nam si interrogemur de Spiritu Sancto, verissimè respondemus, quòd DEUS sit, & cum Patre & Filio simul unus DEUS est. Unum ergò principium ad creaturam dicitur DEUS, non duo vel tria principia.* Et paulò pòst: *Sicut Pater & Filius unus DEUS, & ad creaturam relativè unus creator & unus Dominus, sic relativè ad Spiritum Sanctum unum principium. Ad creaturam verò Pater & Filius & Spiritus Sanctus unum principium, sicut unus creator & unus Dominus.* Item lib. 9. de Genesi ad litt. cap. 15. ubi dicit: *Angeli autem nullam omninò possunt creare naturam: solus enim unus cujuslibet naturæ, seu magnæ seu minimæ, Creator est DEUS, id est, ipsa Trinitas Pater & Filius & Spiritus Sanctus.* Adde D. Bernardum serm. 57. de diversis, ubi ait: *Ipsa quippe* (Sapientia, Verbum) *est secunda in Trinitate Persona: & licet eandem incarnationem simul fecerint Pater & Filius & Spiritus Sanctus, non tamen Pater aut Spiritus sanctus est incarnatus, sed solus Filius. Implevit quidem & Pater & Spiritus carnem Filii, à quo neuter eorum poterat separari, sed implevit Majestate, non susceptione:* sed eadem est ratio de aliis operibus ad extra, ac de Incarnatione, ergò tota Trinitas omnia producit & creat.

Probatur Secundò Ratione: Quia productio divinarum personarum necessariò præsupponitur productioni creaturæ in quocunque esse, ergò tota Trinitas perfecta supponitur necessariò cuicunque causabili, sed in Trinitate perfecta necessariò intelligitur ratio formalis prima & proxima causandi omne causabile in quocunque esse, ergò. Antec. probatur. Tum, Quia productio necessaria est prior productione libera & contingenti, sed productio Personarum est necessaria, creaturarum libera in quocunque esse, ergò. Tùm, Quia objectum primarium primò est præsens potentiæ, quàm secundarium, sed Essentia Divina est objectum primarium, creaturæ secundarium, ergò &c. subsumo: sed in illo instanti, in quo intellectus habet Essentiam præsentem necessariò producit notitiam genitam, ergò in illo instanti producit Verbum, & idem est de voluntate respectu Spiritûs Sancti, ergò in illo instanti prius naturaliter, quàm intellectus & voluntas respiciant creaturas, habent esse, cum ergò Personis communicetur tota perfectio Patris, consequenter communicabitur etiam tota perfecta causalitas creaturarum in quocunque esse.

Dices: Productio creaturarum in esse possibili est necessaria, quia est naturalis & non libera, sicut productio creaturarum futurarum, ergò. Contra: Productio personarum est magis necessaria, quia pertinet ad actum primum, productio creaturarum autem ad actum secudum, ergò. Sed contra Conclusionem.

Arguitur Primò: Pater primus origine producit lapidem in esse cognito quàm Filius, ergò vel Filius non producit illum, vel idem producitur bis. Respond. dist. anteced. prius origine, id est, Pater habet principium productivum à se, & Filius non à se, sed à Patre, conc. antec: id est, non producit eadem productione lapidem & in eodem instanti naturæ, nego antec: Et quia in eodem instanti possunt assignari omnes gradus originis, hinc nego bis produci, nisi priùs naturaliter, & in

& in priori instanti naturæ producatur à Patre, quàm à Filio, quod non fit, quia Filius in eodem instanti naturæ, in qua Pater producit lapidem, in tali esse habet eandem naturam, & consequenter eandem fœcunditatem productivam sibi non repugnantem, ergò virtutem producendi lapidem, qui ante illud instans ordine naturæ non inteligitur productus.

Instatur: Saltem prius origine præintelligitur productus à Patre, quàm à Filio, ergò nequit produci à posteriori origine, ergò non à Filio, sicut Filius non potest producere alium Filium. Respond. transt: Ant: neg: conseq: utramque, nec est paritas de productione alterius Filii, disparitas est, quia Verbum habens eandem memoriam cum Patre, nequit esse prius realiter, quàm Verbum simpliciter sit productum, nec est Verbum aliud producibile à Verbo habente illam memoriam, Verbum autem habens eandem virtutem productivam lapidis in esse cognito est primò realiter, & creatura est ab ipso in esse cognito productibilis. Verùm

Urgetur: Prius causatum nequit causari posterius, quin bis causetur, ergò si lapis primò origine causatur à Patre, & posterius à Filio bis causabitur. Respond. distin: antec: si prius & posterius referantur ad ipsum causatum, conc: antec: si referantur ad causantia, neg: antec: sic autem est in proposito, unde nil impedit, quo minus possent habere virtutem, & principium causandi aliquo ordine, & tamen simul in eodem instanti producere effectum. Hinc colligitur Patri aliquo modo competere creare, quo non competit Filio, Patri enim competit creare authoritativè, Filio subauthoritativè, & utrique competit authoritativè respectu Spiritus Sancti, quod deducitur ex Joann. 5. ubi Christus dicit: *Non potest Filius à se facere quidquam*, ubi negat sibi authoritatem, infrà tamen addit: *Sicut enim Pater suscitat mortuos, & vivificat, sic & Filius, quos vult, vivificat, & opera, quæ dedit mihi Pater, ut perficiam, ego facio.* ubi sic concedit subauthoritatem, & ratio est, quia Filius accipit principium agendi à Patre, & illud idem Spiritus Sanctus ab utroque, quod principium est Essentia Divina cum intellectu & voluntate.

Dico Quartò: *Hinc solus Pater non est principium creationis, omniumque rerum creatarum Conditor, nec Filius & Spiritus Sanctus sunt rationes formales creandi Patri propriæ.* VIII. Filius & Spiritus S. non sunt rationes formales creandi Patri.
Hæc est contra Henricum à Gandavo suprà. Probatur Primò ex authoritate D. Augustini lib. 15. de Trinit. cap. 7. ubi postquam in antecedenti capite demonstrâsset, quomodo in mente humana sit imago Trinitatis, attamen dicit: *In hoc magna est distantia, quod sive mentem dicamus in homine, ejusque notitiam & dilectionem, sive memoriam, sive intelligentiam, voluntatem, nihil mentis meminimus nisi per memoriam, nec intelligimus nisi per intelligentiam, nec amamus nisi per voluntatem. At verò in illa Trinitate, quis audeat dicere Patrem, nec ipsum, nec Filium, nec Spiritum Sanctum intelligere nisi per Filium, vel diligere nisi per Spiritum Sanctum, per se autem meminisse tantummodò vel sui, vel Filii, vel Spiritûs Sancti: eodemque modo Filium nec sui, nec Patris meminisse nisi per Patrem, nec diligere nisi per Spiritum Sanctum, per se autem non nisi intelligere & Patrem, & seipsum, & Spiritum Sanctum: Similiter & Spiritum Sanctum per Patrem meminisse, & Patris, & Filii, & sui, & per Filium intelligere & Patrem, & Filium, & seipsum, per se autem non nisi diligere & se, & Patrem, & Filium: tanquam memoria sit Pater & sua Filii & Spiritûs Sancti, Spiritus verò sanctus charitas & sua & Patris, & Filii: quis hæc in illa Trinitate opinari vel affirmare præsumat? Si enim solus ibi Filius intelligit, ut intelligentia sit & sibi & Patri & Spiritui sancto, ad illam reditur absurditatem, ut Pater non sit sapiens de seipso, sed de Filio, nec sa-*

pientia sapientiam genuerit, sed ea sapientia Pater dicatur sapiens esse quam genuit. Ubi enim non est intelligentia, nec sapientia potest esse, ac per hoc si Pater non intelligit ipse sibi, sed Filius intelligit Patri, profectò Filius Patrem sapientem esse facit. Ex quo hoc sumo argumentum, &

Probatur Conclusio Secundò Ratione: Pater non est sapiens formaliter per sapientiam genitam, nec amat formaliter per amorem spiratum ex mente S. Augustini, ergò nec est formaliter potens & creans per sapientiam genitam & amorem spiratum, probatur consequ: Quia aliàs sequeretur, quòd Pater non crearet formaliter, sed hoc est falsum, ergò. Probatur sequela maj: quia quod non est in actu, nec est formaliter tale per illud, quod est propria ratio agendi, non agit formaliter illa actione, sed Pater non est in actu Verbo & Spiritu Sancto, qui ex propria sententia sunt rationes formales creandi, ergò non creat formaliter: minor patet, agens enim prius debet esse in actu primo per rationem formalem agendi, quam agat, min: probatur: Tùm, Quia aliàs Pater esset Verbo, & Spiritu Sancto, quia quo quid in actu proprio constituitur, eo est tale secundùm exigentiam actûs. Tùm, Quia Verbum & Spiritus Sanctus sunt supposita, ergò nequeunt alteri à se communicari ut quo, suppositum enim est incommunicabile ut quo, & ut quod. Verum quidem est, quòd Pater habet Verbum & uterque Spiritum Sanctum, ut correlativa, sed non formaliter. Omitto alias rationes in Philosophia mea videndas. Sed in contra adduco unicam oppositionem, quà sic in contrarium

Arguitur: Creaturæ non producuntur à DEO per notionem simplicis intelligentiæ, nec simplicis complacentiæ, sed per notitiam dispositivam seu practicam, & per amorem affectivum, sed talis notitia dispositiva, & amor affectivus in divinis vocatur Filius & Spiritus Sanctus, ergò omnia creantur per eos, ut per immediata principia. Major probatur, quod producitur per notitiam simplicis intelligentiæ, & amorem simplicis complacentiæ, necessariò producitur, sed quæ producuntur ad extra, non necessariò, sed liberè producuntur, ergò. Respond. neg: maj: Scientia enim concurrens ad creationem est speculativa, & licèt extendatur ad praxim, id est, ad actum divinæ voluntatis, quæ producit res, non extenditur tamen ad eam, ut directiva ejus, quia cognitio rectitudinis praxis in intellectu divino non est prior ipsa praxi, quia ideò res factæ à DEO sunt rectæ, quòd sint volitæ à DEO, non econtra sic respondet D. Augustinus lib. 11. de Civit. cap. 21. Ad probationem majoris nego volitionem simplicem, seu essentialem communem tribus esse necessariam ad extra, DEUS enim quidquid vult ad extra communi volitione liberè vult, & contingenter.

Dico Quintò: *Si per impossibile una tantum esset Persona divina, adhuc haberet completam activitatem res realiter ad extra producendi.* Ita Doctor subtilis. Probatur, Principium æquè perfectum agendi in uno supposito sicut in pluribus est æquè principium agendi in uno sicut in pluribus, quia ad actionem aliud non requiritur, quàm perfectum principium quo, & quod, sed potentia producendi ad extra, est æquè in uno supposito, sicut in tribus, ergò. Minor probatur: principium quo agendi non accipit perfectionem à supposito, sed potius tribuit perfectionem supposito agendi, quia eo præcisè est suppositum perfectè agens, ergò tale principium non est perfectius in tribus, quàm in uno, quando idem numero ponitur in pluribus, & in uno. Undè digne Richardus 3. Trinit. cap. 16. docuit, quòd si tantùm una esset persona in DEO, adhuc esset in ea plenitudo potentiæ & sapientiæ, ergò posset se sola producere omne possibile. Confirmatur, actio creandi non requirit per se suppositorum pluralitatem,

IX. Persona in divinis, si una tantum esset, haberet virtutem creativam.

Digitized by Google

litatem, sed solùm rem per se existentem in natura divina, ergò si una esset Persona Divina, cuncta posset creare, consequentia claret. antec: probatur, quia nulla ratio assignari potest, ob quam actio creandi plura supposita exposcat. Omnes etiam Theologi fatentur, creaturas pendere à DEO sub ratione unius, & non sub ratione ut Trini. Sed in contra

Opponitur Authoritas D. Augustini 15. Trinit. cap. 11. ubi dicit: *Verbum potuit esse nulla existente creatura, creatura verò nulla esse potest, nisi per ipsum, per quod facta sunt omnia*, ergò. Secundùm ipsum Verbum necessariò præexigitur in ratione causæ ad productionem creaturæ. Respond. ex Scoto? Verbum præexigi in ratione causæ dupliciter posse intelligi, primò sic, ut perficiens causalitatem Patris, vel ita, quod effectus, quantum est de se, non haberet à quo sufficienter posset produci, nisi Verbum esset causa. Secundo modo sic, ut conveniens in eadem causalitate cum primo ad causandum requisito, scilicet, quia habet necessariam concomitantiam in causando. Primo modo non intelligit S. Augustinus Verbum præexigi ut causam, taliter enim in se, & à se habet causalitatem perfectam, & communicat Filio, & ideò Filius habet, sed secundo modo: quod non officit Conclusioni.

Arguitur ex Ratione: Quidquid reperitur in Divinis, est summè necessarium, sed productiò ad extra necessariò præsupponit productionem ad intra, ergò nequit consistere productio ad extra sublatâ productione ad intra. Respond. distin: min: ita ut productio una formaliter exigat productionem alteram, ac ratio formalis unius fundet rationem formalem alterius, nego min: ita ut una exigat alteram tantùm quasi materialiter, quatenus scilicet principium utriusq; ex sua perfectione priùs determinatur ad simpliciter necessaria, quàm ad contingentia, conc: minorem, & nego consequ: quia ille ordo non est causalitatis, sed naturalis præsuppositionis, quæ tollitur per hypothesim.

QUÆSTIO QUARTA.

In illud, Cœlum & Terram: *An Cœlum & Terra per veram creationem sit producta.*

Quod hìc quæritur, est, quid in hac propositione, *In principio creavit DEUS Cœlum & terram*, propriè & litteraliter significet *cœlum & terra?* videlicet an unum tantùm cœlum excludendo alia corpora cœlestia, & cœlestes creaturas, an verò omnes comprehendendo? Similiter an per terram intelligenda sit sola arida excludendo alias creaturas terrestres, quæ postmodùm sex diebus dicuntur productæ? *I. Cœli etymologia & nomina.* Quantum ad etymologiam nominis, Cœlum à cælando, hoc est, ab occultando dictum est, quod inferiora omnia cœlet & tegat; sive à stellarum imaginibus & impressionibus, quæ in eo quodammodo cœlatæ & sculptæ apparent, undè Ambrosius in lib. Hexameron. ait: *Cœlum quod impressa stellarum lumina habeat, quasi cœlatum appellatur, sicut argentum quod signum eminentibus refulget, cœlatum dicimus.* Quoad rem, Cœlum significat totam illam mundi partem, quæ est supra elementum ignis, habet autem tàm à Philosophis, quàm Poëtis varia nomina, nam appellatur ab illis æthera, firmamentum, Olympus, Arx ætherea, Divorum mansio, astra, siderea ac cœlestia regna &c. Sed etiam in Scriptura Sacra variis compellatur nominibus, nam dicitur Sedes DEI & Templum, Psalm. 10. *Dominus in Templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes ejus.* Jerusalem & Civitas cœlestis, Apocalyp. 21. *Vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de cœlo à DEO, paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.* & versu 23. *Et civitas non eget sole, neque luna ut luceant in ea. nam claritas DEI illuminavit eam, & lucerna ejus est*

Agnus. Sinus Abrahæ, Lucæ 16. *Factum est, ut moreretur mendicus & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ*. Paradisus Luc. 23. *Hodie mecum eris in paradiso*. 2. Corinth. 12. *Quoniam raptus est in Paradisum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui*. Et plura alia nomina.

12. Terra etymologia & nomina.

Terra similiter varias habet acceptiones, dicitur ergò *Terra*, credo equidem à terendo, quòd pedibus gradientium præsertim atque etiam aliis elementis teratur. *Humus*, quod humore admixtum habeat, aliàs nihil productura. *Tellus*, quod inde tollamus. *Ops*, quod melior evadat operâ nostrâ, vel quod suggerat alimentum, quo opus habemus. *Magna Mater*, quia nascentes excipit, natos alit, semel editos sustinet, gremio complectitur extinctos. *Proserpina*, quòd fruges indè proserpant. *Vesta*, quòd herbis & floribus vestiatur, vel quòd suâ vi stet juxta illud Ovidii: *Stat vi terra suâ, vi stando terra vocatur*, & alia, de quibus videri potest S. Augustinus lib. Civit.

His prænotatis Plato cùm incidisset in librum Genesis, eumque juxta suam Philosophiam interpretatus esset, dixit per *Cœlum & terram*, intelligi *Ideas*, verùm perperam, quia Ideæ apud DEUM sunt improductæ, consequenter extra DEUM esse non potuerunt, cùm non fuerit in quo essent.

13. Chaos explicatum.

Veteres Philosophi nomine terræ intelligebant Chaos, quod deindè alii in varios sensus distraxerunt. Quidam intelligebant illud ex una universali & rudi forma conflatum; aliqui ex omnibus elementis confusè mixtis, alii aliter, sed sit ut velit, & est Chaos videtur esse Poëtarum inventum, saltem ab iis præ cœteris celebratum: non proindè tamen censendum fabula, quum constat antiquos Poëtas fuisse etiam Philosophos, Hesiodus:

Extitit ante Chaos, post hæc latissima tellus,
Quam super innixum pondus rerum incubat omne.

Sed certè! hæc poësis non favet communi intellectui Chaos, ponit enim illud separatum à terrâ, cùm tamen communiter jam intelligatur in Chaos ipsa terra, tanquam pars, & quidem prima, undè magis ad Philosophorum & Moysis mentem Euripides cecinit:

Cœlum, Terraque unius forma fuit,
Sed cùm fuissent abjuncta complexu mutuo,
Emersit omnis in lucem res progenita.

Alii per Cœlum intelligunt superlunarem Regionem, per Terram inferiorem; alii per Cœlum superiora duo elementa, per Terram duo inferiora; alii per Cœlum & Terram utriusque materiam informem, quam Plato aliiq; Philosophi & ipse Augustinus Hyle appellat; aliique denique per cœlum & terram intelligunt totum universum summariè descriptum. D. Thomas q. 46. art. 3. ait: *Quatuor enim ponuntur simul creata scilicet Cœlum empyreum, materia corporalis, quæ nomine terræ intelligitur, tempus, & natura Angelica*, ex quibus plura probabiliter dicuntur, & ego

14. Cœlum per & terram intelligitur summariè omnis creatura producta.

Dico Primò: *Per Cœlum & Terram in uno summario intelligitur omnis creatura cœlestis & terrestris totius divinæ operationis & creationis intra sex dierum spatium productæ*. Ita Interpretes & Patres communiter, & Probatur Primò ex Scriptura, Genes. 2. *Istæ sunt generationes cœli & terræ, quando creata sunt in die, quo fecit Dominus DEUS cœlum & terram*, in quem locum Glossa dicit: *His paucis verbis insinuata est omnis creatura*. Exodi 31. *Sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram, & in septimo ab opere cessavit*, si enim hîc cœlum acciperetur pro aliquo cœlo tantùm, vel aliqua terra tantùm, cœtera cœlestia & terrestria viderentur excludi ab opere sex dierum. Devteron. 4. *Scito ergò hodiè & cogitato in corde tuo, quòd Dominus ipse sit DEUS in cœlo sursum & in terra deorsum, & non sit alius.*

quod

quod utique intelligendum est universaliter, scilicet, quod nec in cœlestibus nec in terrestribus sit ullus alius DEUS, Jerem. 23. ubi Propheta intendens docere DEUM esse ubique, ait: *Nunquid non cœlum & terram Ego impleo*, quod intelligendum est de totius mundi integritate. Psal. 101. *Initio tu Domine terram fundâsti, & opera manuum tuarum sunt cœli.*

Probatur Secundò eadem Conclusio ex doctrina seu modo loquendi Apostolorum, quibus sensus Scripturæ perfectiùs fuit apertus, juxta illud Lucæ 24. dicentis: *Aperuit eis sensum, ut intelligerent Scripturas.* Hi enim circa articulum creationis mundi nil ampliùs expresserunt, quàm fuisse à DEO creatum, nisi cœlum & terram dicentes in Symbolo: *Credo in unum DEUM Creatorem cœli & terræ.*, ubi manifestè tanquam doctissimi in Scripturarum intelligentia nos docent, quod in hoc, quod profitemur DEUM creasse cœlum & terram, cuncta cœlestia & terrena à DEO fuisse creata testantur. Nullus enim sani intellectûs diceret, quòd Apostoli articulum Creationis mundi imperfectè tradidissent. In Symbolo autem Nicæno hæresibus insurgentibus specialiter Manichæorum, qui dicebant unum DEUM esse bonorum, & alium malorum, & aliis similibus: fuit additum in hoc articulo de creatione mundi quasi exponendo *visibilium omnium & invisibilium*: ad denotandum, quod in hoc, quod dicitur in primo Symbolo: *Creatorem Cœli & terræ*: intelliguntur cœlestia & terrestria: non solùm visibilia, sed etiam invisibilia.

Probatur Tertiò ex Patribus: Chrysostomo, qui dicit: *In his verbis præmittitur*, supple in principio, *creavit &c. summariè & compendiosè totum opus divinum circa creationem, distinctionem & ornatum mundi in omnibus diebus sex primis successivè factum.* Et D. Basilius, qui supra illa verba ait: *Ex duobus autem, quæ extrema sunt totius existentiam ænigmaticè proponit*, & consequenter per *cœlum* hic non debet intelligi tantùm cœlum empyreum, vel aëreum tantùm, nec per terram arida sola, sed tota substantia generabilium & corruptibilium.

Probatur seu declaratur Quartò: Per exemplum, quod etiam habet D. Thomas 1. p. qu. 68. a. 3. Si quis diceret: Hic artifex fecit domum istam, & postea describeret totam structuram per omnes partes successivè productas & factas, ut primò fodit fundamentum, adduxit aquas & materialia, erexit parietes, superimposuit tectum, adornavit tapetibus triclinia &c. quod totum synopticè comprehenditur, per hoc *ædificavit domum hanc.* Sic à pari Moyses primò dixit: In principio creavit DEUS cœlum & terram, & postmodum enumerat per singulas partes.

V. Cœlum per & terram benè intelligitur etiam Empyreum, & Angeli ac materia prima.

Dico Secundò: *Per Cœlum hic etiam benè intelligitur Cœlum empyreum unà cum Angelis, per terram verò materia omnium corporum.* Hæc est conformis D. Augustino, qui in lib. 12 Confess. cap. 7. dicit: *Dominus DEUS omnipotens in principio, quod est de te, in sapientia tua, quæ nata est de substantia tua, fecisti aliquid & de nihilo. Fecisti enim cœlum & terram, non de te, nam esset æquale unigenito tuo, ac per hoc & tibi, & nullo modo justum esset, ut æquale tibi esset, quod de te non esset. Et aliud præter te non erat, unde faceres ea DEUS una Trinitas, & trina unitas, & ideò de nihilo fecisti cœlum & terram, magnum quiddam & parvum quiddam, quoniam Omnipotens & bonus es ad facienda omnia bona, magnum cœlum & parvam terram. Tu eras & aliud nihil, unde fecisti cœlum & terram, duo quædam, unum propè te, alterum propè nihil, unum quo superior tu esses, alterum quo inferius nihil esset.* & cap. 9. *Cœlum cœli quod in principio fecisti, creatura est aliqua intellectualis, quamquam nequaquam tibi Trinitati coæterna: particeps tamen æternitatis tuæ valdè mutabilitatem suam præ dulcedine felicissimæ contempla-*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by

templationis tuæ cohibet, & sine ullo lapsu, ex quo facta est inhærendo tibi, excedit omnem volubilem vicissitudinem temporum. Ista verò informitas terræ invisibilis & incomposita, nec ipsa in diebus numerata est. Item cap. 12. *Duo reperio, quæ fecisti carentia temporibus, cùm tibi neutrum coæternum sit: Unum, quod ita formatum est, ut sine ullo defectu contemplationis, sine ullo intervallo mutationis, quamvis mutabile tamen non mutatum, tua æternitate atque incommutabilitate perfruatur. Alterum, quod ita informe erat, ut ex qua forma, in quam formam vel motionis, vel stationis mutaretur, quo tempori subderetur non haberet. Sed hoc ut informe esset non reliquisti, quoniam fecisti ante omnem diem, in principio Cœlum & terram*, ubi vocat Angelos *cœlum intellectuale*. Imò explicans illud: *Terra erat inanis*, c. 21. ait: *Id est, hoc totum, quod cœlum & terra appellatum est, adhuc informis & tenebrosa materies erat, unde fieret cœlum intelligibile, quod alibi dicitur cœlum cœli, & terra scilicet omnis natura corporea, sub quo nomine intelligatur etiam hoc cœlum corporeum, id est, unde fieret omnis invisibilis, visibilisque creatura.*

VI. Cœlum per & terram quoque intelligi potest materia utriusque informis.

Dico Tertiò: *Per Cœlum & terram utriusque materia informis intelligi potest.* Ita D. Augustinus lib. 12. Confess. cap. 3. ubi ait: *Tu Domine docuisti me, quòd prius quam istam informem materiam formares atque distingueres, non erat aliquid non color, non figura, non corpus, non spiritus, non tamen omninò nihil? erat quædam informitas sine ulla specie.* & cap. 8. declarat se ulterius: *Tu enim Domine fecisti mundum de materia informi, quam fecisti de nulla re penè nullam rem, unde faceres magna, quæ miramur filii hominum. Valdè enim mirabile hoc cœlum corporeum, quod firmamentum inter aquam & aquam secundo die post conditionem lucis dixisti, fiat, & sic factum est. Quod firmamentum vocâsti cœlum, sed cœlum terræ hujus & maris, quæ fecisti tertio die, dando speciem visibilem informi materiæ, quam fecisti ante omnem diem. Jam enim feceras & cœlum ante omnem diem, sed cœlum cœli hujus, quia in principio feceras cœlum & terram. Terra autem ipsa, quam feceras, informis materies erat, quia invisibilis erat & incomposita, & tenebræ erant super abyssum. De qua terra invisibili & incomposita, de qua informitate, de quo penè nihilo faceres hæc omnia, quibus iste mutabilis mundus constat.* & cap. 21. in illud: *Terra autem erat inanis &c.* ait: *Id est, hoc totum, quod cœlum & terra appellatum est, adhuc informis & tenebrosa materies erat, unde fieret cœlum corporeum & terra corporea cum omnibus, quæ in eis sunt corporeis sensibus nota.*

VII. Cœlum & terra sumantur non propriè creata.

Dico Quartò: *Si per cœlum & terram intelligitur in uno summario omnis creatura cœlestis & terrestris, hoc universum totum non est vera & rigorosa creatione productum.* Hæc est extra controversiam, & Probatur Primò authoritate D. Augustini, lib. 12. Confess. cap. 12. in illa verba, Terra autem erat invisibilis, dicit: *Quibus verbis insinuatur informitas, ut gradatim excipiantur, qui omnimodam speciei privationem, nec tamen ad nihil perventionem cogitare non possunt, unde fieret alterum cœlum & terra visibilis atque composita & aqua speciosa, & quicquid deinceps in constitutione hujus mundi non sine diebus factum commemoratur, quia talia sunt, ut in eis agantur vicissitudines temporum propter ordinatas commutationes motionum atque formarum.* Et alibi sic ait: *Sed quæri potest, utrum jam dicta & composita omnia dixerit cœlum & terram, an ipsam primò informem universitatis materiem, quæ in has formosas & speciosas naturas DEO ineffabiliter jubente digesta est, Cœli & terræ nomine nuncupari.* Si enim naturæ istæ corporales ex materia informi digestæ sunt, in rigore creatæ non sunt, etsi fuissent strictâ creatione creatæ, ex nihilo forent, & non ex materia.

Probatur Secundò Ratione: Tùm, Quia Dominus DEUS omnes naturas ex materia educere potuit, nam

Digitized by Google

nam DEUS omnia fortiter & suaviter disponit & ordinat, nempè prout res ipsæ connaturaliter exigunt, sed omnibus formis materialibus connaturale est, ut ex materia educuntur, nam sola anima, quia forma spiritualis est, petit creari, ergò. Tùm ex communi Philosophorum axiomate: *Dominus DEUS ea, quæ condidit, administrat, ut ea proprios motus agere sinat*: quod certè rationi consentaneum est, & consequenter etiam illud erit, ut sinat proprias habere quietes, & proprias passiones pati, sed materiæ proprium est esse *unius cujuscunque subjectum*, id est, causam materialem, ex qua efficiens educit formas, ergò Dominus DEUS hoc illi permittit, ut scilicet ipsa influat in formas sibi similes, id est, materiales subjectivè, sive sustinendo earum eductionem ex se, adeòque Dominus DEUS non eripit hujusmodi causalitatem materialem ac subjectivam, sed permittit, atque ita ipse non creavit formam cœli independenter à subjecto, quod esset creare eam, sed eduxit, ita ut illa aliquid materiæ deberet, ac non totum efficienti, quantumvis divino.

VIII. Cœlum & terra significans Angelos & materiam, sunt propriè creata.

Dico Quintò: *Si per Cælum intelligantur Angeli, & per terram materia prima, sive Hyle, cœlum & terra sunt propriè & strictè creata.* Hæc etiam est certa, & Probatur Primò: Quia sic cœlum, seu Angeli generari non potuit, adeoque creari debuit: antec: est evidens, quia generatio fit per eductionem formæ ex materia, sed certum est, quòd nulla forma potuit educi ex materia, ubi materia non est, in cœlo, seu Angelis non est materia, ergò ipsum non est generatum. Secundò, Generatio est productio per eductionem formæ ex materia, Angelus non sic est productus, ergò non generatus. Minor probatur, quia ubi materia non est, certè ab illa non est educta, in Angelo non est, ergò. Tertiò adhuc eodem medio: quod generatione producitur, est compositum, atqui Angelus non est quid compositum, sed simplex, ergò non est generatus.

Dico Sextò: *Benè dicitur, quòd Dominus DEUS omnia illa creet, quæ creaturæ generant, v. g. filios hominum, &c.* Probatur Primò: Ex Scriptura, Ecclesiast. 17. *DEUS creavit de terrâ hominem & secundùm imaginem suam fecit illum. - - - Creavit ex ipso adjutorium simile sibi: consilium & linguam, & oculos & aures, & cor dedit illis excogitandi.* Isaiæ 54. *Ecce ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus suum, & ego creavi interfectorem ad disperdendum.* Plures textus videantur in quæstione secundâ. IX. Creaturæ & res omnes benè dicuntur à DEO creatæ.

Probatur Secundò Authoritate Patrum: Tertullianus de Resurrect. ait: *Quantum interest ex nihilo quid proferri, an ex aliquo, dum quod non fuit, fiat ex aliquo, quod sine illo faciente non foret*, ergò perindè est, quod DEUS ex nihilo producat quidpiam, aut ex præsupposito subjecto, dum ipsum etiam subjectum ab illo efficiente producatur. Augustinus suprà dicens: *DEUS rectissimè creditur, omnia de nihilo fecisse, quia etiamsi omnia formata de ista materiâ facta sunt, tamen hæc ipsa materia de omninò nihilo facta est.* Itaque omnia omninò respectu DEI ex nihilo sive mediatè, sive immediatè; ac proindè non immeritò omnia dicuntur ipsius creaturæ, licet respectu sui ipsarum habeant alias appellationes, v. g. Ego respectu Patris mei sum filius, scamnum respectu sacri est opus & artefactum, utrumque tamen tàm ego, quàm scamnum respectu DEI creatura. Item serm. 18. in Psalm. 118. *An etiam secundùm hoc rectè dici potuit, Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me, quod unusquisque nostrûm operâ DEI etiam de parentibus sit, ipso creante, ipsis generantibus.*

Probatur Tertiò Ratione: Quia respectu DEI omnes istæ productiones sunt ex nihilo, quia tametsi adsit materia, tamen DEUS illam produxit. Perindè autem est alicui producere rem extra omne subjectum, ac producere ipsam, & subjectum, ex quo educenda est, verbi gratia: pro-

duceri-

Digitized by Google

ducenda est hic & nunc albedo, hic inquam, & hoc est in vacuo, in quo nulla substantia, nullum subjectum est, apparet perindè esse mihi, quòd illam producam sine subjecto, ac quòd producam imprimis ipsum subjectum, & deindè ex alio eliciam albedinem, sicut perindè mihi est, quòd iter acturo comodem equum, ac quòd dem pecuniam, qua acquirat sibi equum, ubique enim DEUS debet aliquid ex nihilo facere, sive formam ipsam immediatè, sive subjectum immediatè, & illam formam ex ipso, quæ proindè ex nihilo erit.

Quæ omnia perpendens S. Thomas 1. p. qu. 45. a. 2. ad quæsitum: Utrum DEUS possit aliquid creare? in corpore articuli: *Respondeo* (inquit) *dicendum, quòd non solùm est possibile à DEO aliquid creari, sed necesse est ponere, omnia à DEO creata esse*; quem locum exponens Bannez, opportunè, inquit, cùm D. Thomas ait: omnia esse creata à DEO, non est hic accipiendum, quasi quodlibet individuum sit immediatè secundùm se creatum, sed sensus est, quòd mediatè vel immediatè cuncta ex nihilo produxit, quia res omnes productæ sunt ex nihilo per creationem, vel ex materia, quæ à DEO per creationem processit.

QUÆSTIO QUINTA.

An illi sex dies, quibus dicuntur omnia creata, fuerint reales & continui, an verò solùm intentionales?

I. Dies sex creationis putat Augustinus esse allegoricos.

HUic insigni difficultati occasionem præbet Scriptura Sacra, nam Moyses in hoc capite primò enumerat sex dies integros, & de septimo capite sequenti subjungit: *Complevitque DEUS die septimo opus suum, quod fecerat: & requievit die septimo ab universo opere, quod patrârat.* Ecclesiasticus autem cap. 18. ait: *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul.* Notandum Philonem antiquum Judæum & Ecclesiasticum Scriptorem in libro de opificio mundi, & lib. 2. de Allegoriis legis, dicit hic allegoriam esse in Genesi, in recensitione sex dierum, cui accessit S. Augustinus, qui in diversis locis, ut lib. 4. de Genesi ad litt. cap. 12. lib. 5. primis 5. capitibus lib. 11. de Civit. cap. 67. &c. arbitratur sex illos dies creationi rerum impensos non fuisse veras moras temporis, sed diversitatem cognitionum, quas de his rebus Angeli habuerunt, ita ut Mane vocet cognitionem omnium rerum, quam habuerunt in Verbo longè clarissimam, Vespertinam verò, quam habuerunt in proprio genere, unde licèt sententia modò non amplectatur à Theologia, insignem tamen præbet doctrinam, ostenditque, quàm profunda sit Scriptura, undeipsimet dicit in lib. de historia Genes. *Major est Scripturæ hujus autoritas, quam omnis humani ingenii capacitas.* Itaque

II. Dies sex creationis mundi vera, ac reales & continui fuerunt.

Dico: *Dies sex, in quibus totus mundus describitur, creatus & factus cum omnibus, quæ in cælo & terra sunt, veri fuerunt dies naturales, & artificiales, atque continui.* Hæc est Catholicæ Ecclesiæ communis sensus & consensus, fuitque olim Judaicæ Synagogæ, & Probatur Primò authoritate Sacræ Scipturæ: Primò ex hac particula: *Factus est dies unus*, id est, *primus dies*, deindè *secundus*, tùm *tertius*, &c. prout ad quodlibet opus ibidem subjungitur, ergò clarè Scriptura insinuat, dies illos veros & reales fuisse. Secundò, Ex illo Exodi 20. *Memento, ut diem Sabbathi sanctifices: Sex diebus operaberis, & facies opera tua, septimo autem die Sabbathum Domini DEI tui est, non facies omne opus servile in eo tu & filius tuus, & filia, servus tuus & ancilla tua, jumentum tuum, &c.* Sequitur: *Sex enim diebus fecit DEUS cœlum & terram.* Et secundo loco quasi quodam Deuteron. id ipsum: *Sex diebus facietis opus &c. sex enim diebus fecit Dominus cœlum, &c.*

Ex qui-

Ex quibus verbis sic argumentor: Dominus & ejus lex hoc loco est causalis, ut patet ex illo *enim*, adeoque si voluit rectè arguere, ut posset justificari in sermonibus suis & vincere, cùm judicatur, debuit effectui cuiq; adferre parem ac opportunam causam, assignare enim causam moralem effectui reali est ineptum & indignum sapiente: Effectum esse ens reale, causam ejus ens rationis, aut irritum est incredibile, æquè ac impossibile, ergò si causa, cur homines possint operari sex diebus, est, quia Dominus DEUS operatus est totidem in conditione mundi, sicut operatio & tempus fuit vera ac solidum apud Judæos, ita debuit fuisse apud Dominum DEUM, alioquin non sequeretur unum ex alio, assignanda sunt enim principia & præmissæ proportionatæ effectui secuturo, & inferendo. Argumentor Secundò: In utroque Loco Verba Legis sunt præceptoria, sed præceptum non potest nec debet ferri verbis typicis, & figuratis, aliàs Lex facilè posset eludi, ergò. Probatur major, quia ibi præcipitur observantia diei septimæ allegatâ ratione, quòd DEUS quieverit septimâ die, & operatus sit sex prioribus diebus, ergò si Judæi possunt operari vi Legis sex veris diebus, etiam DEUS totidem sua opera patravit, & consequenter non in uno die, minus in unico instanti fecit omnia.

Dices, non posse hîc assignari omnia similia hinc indè, quia nimirum DEUS non produxit cœlum & terram labore ac fatigatione, sicut homines sua efficiunt, adeoque necessariò debet hic admitti improportio: Respond. fit ita, non tamen officit, quia nec est opus intercedere laborem, aut fatigationem, non enim ego intuli, ut nec Scriptura Sacra ex fatigatione quietem, sed ex operatione, quæ certè in DEO realis & physica fuit, ac non tantùm moralis aut ex hominum opinione.

Probatur Secundò authoritate S. Augustini, aliorumque Patrum, lib. de Genesi contra Manichæos, cap. 14. ubi ait: *Quærunt* (Manichæi) *quomodo quartâ die facta sint sidera, sol & luna & stellæ? Tres enim dies superiores quomodo sine sole esse potuerunt, quum videamus nunc solis ortu & occasu diem transigi, noctem verò nobis fieri solis absentia, cùm ab alia parte mundi ad Orientem redit? Quibus respondemus, potuisse fieri, ut tres superiores dies singuli per tantam moram temporis computarentur, per quantam moram circumit sol, ex quo procedit ab Oriente quousq; rursus ad Orientem revertatur. Hanc enim moram & longitudinem temporis possent sentire homines, etiamsi in speluncis habitarent, ubi orientem & occidentem solem videre non possent. Atque ita sentitur potuisse istam moram fieri etiam sine sole antequam sol factus esset, atque ipsam moram in illo triduo per dies singulos computari.* Et paulò pòst subdit: *Restat ergò, ut intelligamus, in ipsa quidem mora temporis ipsas distinctiones operum sic appellatas, vesperam propter transactionem consummati operis, & mane propter inchoationem futuri operis, de similitudine scilicet humanorum operum, quia plerique à mane incipiunt, & ad vesperam desinunt.* Quod profectò non est negantis, sed affirmantis.

Probatur Tertiò ulterius ex rationibus & sequelis, quæ ex Scripturæ veritate assumuntur, si omnia uno & quidem primo instanti producta sint, etiam lux illo modo ac tempore producta est, quod non possunt negare Adversarii, nisi velint lucem nihil esse. Tùm autem involvit eos absurdum, & debent Scripturas negare, quia sic non poterit verum esse, quod *tenebræ fuerint super faciem abyssi*, aut quòd eo usque non *apparuerit arida*, cùm tamen utrumque hoc ibi descriptum sit vers. 2. & vers. 9.

Probatur Quartò: Sequeretur terram nunquam fuisse inanem & vacuam, nam in eodem primo instanti fuit ornata, etiam onusta & plena arboribus, plantis & animalibus; alioquin concedendum unum

horum accessisse post aliud, & habemus intentum. Deindè falsum erit, factum esse firmamentum & divisisse aquas ab aquis, nam aquæ semper fuerunt divisæ, alioquin concedant Adversarii, prius fuisse indivisas aquas, ac deindè separatas, & tùm habemus tempus, nempè prius & posterius.

Probatur Quintò: Sequeretur falsum esse, quòd DEUS formaverit hominem de limo terræ, nam si id verum sit, tunc prius fuit limus, & deindè homo, ubi autem est prius & posterius, ibi necessariò est aliquid instans, nam nullum instans est se ipso prius, adeoque delenda erunt illa verba DEI ad homines: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & universa ligna, qui habent in se sementem generis sui, &c.* hæc enim dicta & facta sunt sexto die secundùm nos, primo autem instanti secundùm adversarios. patet autem illorum partem hîc esse falsam, nam herba non adfert semen in instanti, neque arbor, etenim materia, in quam herba & arbor introducit formam seminis, priùs debuit fuisse sub alia forma, ergò.

Probatur Sextò ex variis congruentiis moralibus: Prima est, quam suggerunt nobis SS. Patres, Augustinus lib. 1. Gen. ad litt. cap. 7. in illud Spiritus DEI ferebatur, sic quærit: *An quoniam egenus atque indignus amor ita diligit, ut rebus, quas diligit, subjiciatur: propterea cum commemoraretur imperfecta creatura, Spiritus DEI, in quo ejus benevolentia dilectioque intelligitur, superferri dictus est, ne faciendo opera sua per indigentiæ necessitatem potius, quam per abundantiam beneficentiæ Deus amare putaretur.* Idem habet S. Chrysostom. hom. 3. in Genesim in illud factum est vesperi & mane, ait: *Istboc ipsum misericordis DEI condescensionem declarat. Neque enim inops erat omnipotens illius manus, & infinita sapientia, ut non posset uno die producere omnia. Quid, inquam, uno die? & simplici momento poterat. Sed quandoquidem res non obsuam utilitatem produxit (nullius enim rei indigus est, qui sufficientissimus) sed ob suam benignitatem & bonitatem fabricavit omnia: idcircò non simul, sed successivè & per partes condidit, & doctrinam nobis manifestam de rebus conditis per linguam beati hujus Prophetæ tradidit, ut hæc exactè discentes non accedamus eorum sententiæ, qui humanis rationibus moventur.* Itaque prima moralis ratio & congruentia est, ut sciretur ipse Dominus DEUS non necessariò, non violenter, non alia vi aut impulsu cogente, sed mero suo arbitrio ac liberè res omnes produxisse, sive (ut loquuntur Scholastici) non fuisse agens naturale, sed liberum, si enim fuisset agens naturale, omnia raptim produceret, hoc est, tàm citò quàm posset; nam tale non potest temperare sibi in agendo, sed pergit ad ultimum suæ activitatis. Et revera benè cessit ei consilium, sed & apparet, eum voluisse hâc ratione duci; nam non modò extendit productionem ad multos dies, cùm posset eam unâ, imò citiùs expedire, sed invertit ordinem ad modum producendi. Imprimis enim producturus orbem, id est, mundum, qui in modum Circuli (aut sphæræ potiùs) factus est, non, ut nos, à centro incepit, sed à circumferentia, deindè autem *terram*, quod est centrum totius. Prima die creavit lucem nullum ei lichnum dans, nullum luminare sive subjectum, quod primùm quarta die creavit. Secunda die fecit firmamentum ex aquis eousque liquidis, cùm potuerit à principio facere eas firmas & firmamentum, nec expectare biduum. Tertia die jussit congregare aquas omnes in unum locum, ut appareret arida, cur enim non fecit aqparere prima? cur tàm fastum pelagus aquarum posuit in eo loco, unde eas statim erat expulsurus, atque ita per reliqua discurres.

Secundò: Ut maturè præscinderet occasionem idololatriæ, probè enim novit futuros, qui corpora cœlestia pro Diis habituri essent, nominatim Judæos, adoraturos aliquos

quos solem, & lunam, & omnem militiam cœli, ut ergò præveniret & supplantaret hæc sacrilegia, creavit cœlos sine firmitate, solem sine lumine, stellas sine influxu, & deindè omnia omnibus concessit, quo ita scirentur illa omne bonum ab alio habere, qui proindè ab omnibus adorandus & invocandus esset, non autem illa imperfecta corpora, quæ ne sibi quidem poterant subvenire, aut præstare naturalem perfectionem.

Tertiò: Ut idem DEUS præberet nobis exemplum maturitatis & moræ in agendo, ne negotia præcipitaremus, quando ipse, qui non potuit errare, nihilominus voluit opus suum tractu temporis absolvere, sic idem ille cùm probè sciret nefandas libidines Sodomorum, tamen ad ferendam in eos sententiam mortis ac tormentorum voluit præsens adesse, & experiri, quod sparsit fama super infami turpitudine eorum. Sic filios Israël ex Ægypto in terram promissam duxit quadraginta annis, cùm posset commodè quadraginta diebus.

Quartò: Ut nos excitaret ad cultum sui sive ad Sabbatismum, & vacandum DEO ejusdem exemplo, qui operatus est ad extra sex diebus, septimo se sibi vendicavit, & quasi intrò reduxit, nè quid extra se ageret, sic enim voluit nos agere illa die, nempè cessare ab omni opere servili, & liberè illi soli vacare. In quo præstando etiam hoc stratagema involvit, ut suo jure posito determinaret jus naturæ, certum quidem quoad substantiam cultûs, incertum quoad tempus, sive recursum diei, qui ei impendendus esset. Nam Juris naturalis est, ut aliquid nostri temporis impendamus DEO, agnoscendo & adorando, at verò quando? & quoties hoc nobis est agendum? natura non determinavit proprio jure, benè autem DEUS suo, ut id fieret septima quaque die. Sed in contra

III. Omnia simul creata. Opponitur Primò Authoritas Scripturæ, Eccles. supra in principio Quæstionis, & in ipsa Genesi cap. 2. *Istæ sunt generationes cœli & terræ, quando creata sunt, in die, quo fecit Dominus DEUS cœlum & terram:* in quo loco Moyses sive retractat, sive explicat se in superioribus dictis, ait enim virgulta agri esse facta eadem die, qua cœlum & terra, & tamen in superioribus asseruit, virgulta illa primum die tertiâ fuisse producta, adeoque tertia dies apud ipsum erat prima, si autem tertia dies incidit in primam, consequenter & secunda ac prima & postmodum etiam reliquæ tres. Job. 40. *Ecce Behemoth, quem feci tecum*, id est, cum homine. Sed Respond. Nihil omnes istas authoritates probare contra veram dierum sex continuationem, quam potiores Patres affirmant, ut Basilius, Ambrosius, Chrysostomus, Gregorius, & plures alii, qui omnes respondent ad primum locum Ecclesiastici, & ad illam particulam *simul* non referendum esse ad *creavit*, sed ad *omnia*, ita ut sensus sit omnia simul, id est, nihil est, quod non est ab ipso creatum, prout Joannes cap. 1. *Et sine ipso factum est nihil*, unde Græca Biblia habent & legunt: *Creavit omnia pariter*, quod universalitatem rerum creatarum significet, non autem tempus.

Ad secundum locum ex Genesi Respond. Quòd hìc duo dici possint, utrumque aptè, neutrum absurdè, unum est, ibi intelligendam esse distributionem accommodam, ut prius illud in posterioribus repetatur toties, quoties numerantur opera illius Domini DEI: uti est hic textus: *Istæ sunt generationes cœli & terræ, quando creata sunt in die, quo fecit Dominus cœlum & terram, & omne virgultum agri, antequam oriretur in terra*, quem dico proindè verificari, quia illud, *in die*, intelligendum est repeti in sequentibus ad numerum operum sic: *In die, quo fecit Dominus cœlum & terram, & in die, quo fecit omne virgultum agri*, & sic de cæteris, quibus sigillatim adhibendum & repetendum est illud *in die.* quomodo intelligendum.

Digitized by Google

die. Nam divina Scriptura est *verbum abbreviatum*, volens plura intelligi quàm dicuntur, quod etiam alibi ei familiare est, ut Levit. 20. *Qui maledixerit patri, & matri, morte moriatur*, quo loco non est expectandum, quòd quis maledicat utrique parenti, ad hoc, ut pœnam mortis incurrat, sed sufficit injuriam fecisse alteri ex duobus, atque ita verum intentum Legislatoris indiget distributione, ut intelligatur, ac si dixisset: *Qui maledixerit Patri, morte moriatur. & qui maledixerit matri, morte moriatur*. Sic Act. 2. S. Petrus pauperi inquit: *Argentum & aurum non est mihi*, per quod excusavit se Apostolus ab eleemosyna ei eroganda, ad hoc autem ut legitimè id fecerit, opus est, ut intelligatur cum distributione locutus, nam si collectivè id ille dixerit, non satis se purgavit, licèt enim non haberet utrumque, id est, argentum & aurum, poterat eleemosynam facere, dummodò alterutrum haberet, hoc est, vel argentum vel aurum: atque ita denique excusatio ipsius nititur huic distributioni, ut sensus sit: Argentum non est mihi, & aurum non est mihi. Denique illud de Behemoth tunc aliquid aget, cùm constiterit rectè intellectum ab argento, quòd scilicet Diabolus sit simul cum primo homine conditus, verùm hìc liberum in omne est arbitrium, & textus videtur significare, quòd sit cum ipso Job non alius conditus. Adeoque

Opponitur Secundò Authoritas Concilii Lateranensis 341. Patrum, ubi in capite de Summa Trinitate dicitur: *Firmiter credendum, Quòd Dominus DEUS omnipotenti sua virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam angelicam scilicet & mundanam*, si enim simul, jam non unam post alteram. Et confirmatur ex ipso textu Genesi, Quia certum est, DEUM illud opus, quod uni diei adscribitur, in instanti perfecit, cùm in singulis operibus addatur: *Dixit: & factum est*, id est, simul ac dixit, subitò dictionem excepit effectus, sed vera dictio DEI non fit per syllabas & moras, sed raptim uno motu, nutu, instanti & momento, adeoque DEUS singulis diebus non occupavit ad summum unum instans, & reliqua die quieverit, & consequenter non sex diebus, sed sex momentis totum perfecit, quòd autem dies appellentur, potius est ad nostrum captum, quàm ad veram historiam. Respond. negando consequ. Quia materia, quam sibi Concilium definiendam proposuit, fuit, productionem omnium rerum à Domino DEO factam esse, cœtera propter elegantiam sermonis adduntur, adeoque ut incidenter dicta non faciant tam certam fidem, quàm illa, quæ intenduntur, nunquam enim intendit ibi Concilium definire, omnia in uno momento & instanti fuisse producta, quod clarè liquet, nam ipsummet distinguit & insinuat, non omnia simul fuisse facta, nam primò dicit, utramque condidisse creaturam, angelicam & mundanam, & postmòdum, *ac deindè humanam*. Ad Confirmationem Respondeo: Hic esse distributionem accommodam, & dicitur, quòd DEUS sex diebus operatus sit, eò quòd qualibet die ex his aliquid produxerit, septima verò nihil, non est autem necesse, quòd totos dies impenderit operi, sed sufficit, impendisse aliquid singulorum, sicut dicitur omne animal fuisse in Arca Noë, non quia nullum defuerit, sed quia ex omni specie aliquod individuum adfuit, sic Christus Matth. 15. ait: *Omne, quod intrat per os, in ventrem vadit, & in secessum emittitur*, quod non est æquè verum distributione facta pro singulis generum, sed benè pro generibus singulorum, quia ex omni cibo aliquid egeritur, non tamen totus ipse, nam aliquid convertitur in substantiam aliti, & manet apud ipsum intrò, quare licèt in rigore metaphysico non sit operatus totis diebus, benè tamen in communi phrasi, nam Joannis 2. *Dixerunt ergò Judæi: Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus exci-*

Digitized by Google

excitabis illud? Et tamen certum est, quòd opifices, cœmentarii nec in Sabbathis, nec in festis aliis, nec de nocte laboraverint, sed cessaverint, sic eodem discurre modo.

IV. Dies sex possunt eleganter in sensu mystico explicari.

Opponitur Tertiò Authoritas D. Augustini, qui enumerat illos dies sex tanquam morales in pluribus locis, ex quibus penes supra allatos adduco unum lib. 11. de Civit. cap. 7. ubi ait: *Fit tamen & vespera diei hujus, & mane aliquatenus, quoniam scientia creaturæ in comparatione scientiæ creatoris quodammodò vesperascit. Itemque lucescit & mane fit, cùm & ipsa refertur ad laudem dilectionemq; creatoris. Nec in noctem vergitur, ubi non creator creaturæ dilectione relinquitur. Denique Scriptura cùm illos dies dinumeraret ex ordine, nusquam interposuit vocabulum noctis. Non enim ait alicubi, facta est nox: sed facta est vespera, & factum est mane, dies unus. Ita secundus, & cœteri. Cognitio quippe creaturæ in se ipsa decoloratior est, ut ita dicam, quàm cùm in DEI sapientia cognoscitur, velut in arte, qua facta est. Ideò vespera congruentius quàm nox dici potest, quæ tamen, ut dixi, cùm ad laudandum & amandum refertur creatorem, recurrit in mane. Et hoc cùm facit in cognitione sui ipsius, dies unus est. Cùm in cognitione firmamenti, quod inter aquas inferiores & superiores cœlum appellatum est, fit dies secundus. Cùm in cognitione terræ ac maris omniumq; gignentium, quæ radicibus continuatæ sunt terræ, dies tertius. Cùm in cognitione luminarium majoris & minoris omniumque siderum, dies quartus. Cùm in cognitione omnium ex aquis animalium natatilium atq; volatilium, dies quintus. Cùm in cognitione omnium animalium terrenorum, atque ipsius hominis, dies sextus.* Respond. S. Augustinum hos dies in sensu mystico explicuisse, & docuisse sic explicari posse, non verò, quòd in sensu primo & litterali intelligi non posse, unde alibi & oppositum asseruit, vel planè retractavit, nam in lib. Genes. perfect. cap. 1. ait: *Narratio in his libris* (Genesis &c.) *non genus locutionis figuratarum rerum est, sicut in Cantico Canticorum, sed omninò gestarum est, sicut in libris Regum.* & cap. 2. ait: *In principio conversionis meæ duos libros scripsi contra Manichæos in Genesin, & quia mihi tunc non occurrebant omnia, quemadmodum propriè possent accipi, magisque non posse accipi videbantur, aut vix posse, aut difficile, ne retardarer, quid figuratè significarent ea, quæ ad litteram non poteram invenire, quanta valui & brevitate, & perspicuitate explicavi, nè vel multa lectione, vel disputationis obscuritate deterriti, in manus ea sumere non curarent.* Undè in lib. Retract. lib. 1. cap. 18. hos posteriores magis recommendat dicens: *Breviter admoneo, ut illi duodecim libri legantur, quos longè postea Episcopus feci, & ex ipsis de isto* (Genes. imperfect.) *judicetur.*

Arguitur Quartò ex Ratione: Tùm, Quia illa præpostera enumeratio partium diei, ut primò ponatur nox, deindè lux, videtur judicare sensum esse moralem, nam aliàs videtur significare quasi dies ex tenebris & luce componatur: Tum, Quia DEO attribuitur quies, cùm tamen nunquam cessêt ab operatione, nec per ullam operationem fatigetur, quæ omnia si mysticè sumantur, faciliter effugiunt omnem difficultatem. Respond. primò: neg: antec: primum, quia nullo modo dicendus est ordo præposterus, quem DEUS ordinavit, qui omninò jussit, quòd à vespera ad vesperam celebrentur Sabbatha, quod de facto Ecclesia quoque practicat in suis solemnitatibus, undè licèt dies artificialis incipiat apud quosdam mane, cœremonialis tamen incipit à vespera, & ipsemet naturalis primus incepit à tenebris. Ad secundum dico: diem omninò componi integraliter ex luce & tenebris, non tanquam ex partibus integrantibus, sed sibi succedentibus usque ad 24. horarum spatium. Ad tertium respondet S. Augustinus lib. 4. de Genes. ad litt. cap. 12. *Quòd possit intelligi DEUM requievisse à condendis generibus crea-*

turæ, quia ultra eam non condidit aliqua genera nova: deinceps autem usque nunc & ultra operatur eorundem generum administrationem, quæ tunc instituta sunt, non ut ipso saltem die septimo potentia ejus à cœli & terræ, omniumque rerum, quas condiderat, gubernatione cessaret, alioquin continuò dilaberentur. Creatoris namque potentia & omnipotentis atque omnitenentis virtus, causa subsistendi est omni creaturæ: quæ virtus ab eis, quæ creata sunt, regendis, si aliquando cessaret, simùl & illorum cessaret species, omnisque natura concideret. Hinc desumpta est brevis Theologorum responsio, DEUM quievisse à creandis novis speciebus, non verò ab individuis, cùm species non conserventur, nisi in suis individuis, quæ quotidiè producit, & gubernando administrat.

DISPUTATIO SECUNDA.

DE
Opere sex Dierum in particulari.

QUÆSTIO PRIMA.

Quando incœperit & qualis fuerit prima Dies?

I. IN hac materia Magister Sententiarum in 2. d. 3. post Bedam dicit, *primam diem habuisse vesperam, sed non mane*, rationem reddit, *Quia mane dicitur finis præcedentis diei, & initium sequentis. -- Mane ergò primus dies non habuit, qui nec præcesserat dies, qui sequentis initio terminaretur.* Quæ sententia & opinio est valdè grammaticalis, non Theologica, quia apud Grammaticos verum est crepusculum matutinum & auroram sumi pro mane, & per crepusculum vespertinum intelligunt vesperem, quæ non faciunt diem naturalem, utpotè cùm nonnisi aliquot horis durent, dies autem naturalis ex 24. horis conflatur. Lypomanus & Ambrosius Catherinus citantes pro se D. Augustinum, locum tamen diligenti facta inquisitione invenire non potui, totum oppositum docent, & dicunt, vesperum & mane fecisse unum diem, ut primogenia lux sit producta in puncto occasûs respectu hæmisphærii nostri nominatim palestini, indeque descendens & circumiens alterum seu hæmisphærium fecerit ibi diem & nobis noctem, quæ hoc loco dicta est vespera, & rediens ab inferis illis ad nos fecerit mane, id est, diem. Verùm etiam hic modus inchoandi diem graves patitur difficultates, ut infrà patebit, quare necessariò alius dicendi & explicandi modus erit inveniendus, quomodo verum sit factum est vespere & mane dies unus? Pro quo

Dico Primò: *Per vesperem intelligitur hic nox seu absentia lucis, & per mane lux, quæ illo die fuit creata, seu dies, ita videlicet, ut post duodecim horarum spatium noctis, dies & lux duraverit totidem horis, & sic integram, naturalemque diem constituit.* Probatur Primò ex Scriptura, Genes. 1. prius dicitur: *Tenebræ erant super faciem abyssi*, id est, absentia lucis, deindè *dixit DEUS, fiat lux, & facta est lux*, ergò per vesperem nox, per mane lux & dies intelligitur, quod confirmatur ex eo, quod in eodem capite creato jam sole eodem utitur stylo Moyses, semperq; dicit: *Et factum est vespere & mane dies quartus. - - - - - Et factum est vespere & mane dies quintus &c.* II. Vespera sumitur pro nocte.

Probatur Secundò ex Levitico 23. ubi præcipitur Judæis, ut incipiant computare dies à serotinis horis, *A vespera usque ad vesperam celebrabitis Sabbatha vestra*, sed certum est, vesperam esse initium noctis

& in

& in æquinoctiis usque ad ortum lucis duodecim fluere horas, & totidem horis esse lucem, atqui cœlum & terra, seu totus mundus fuit creatus in Æquinoctio verno, ergò post duodecim horarum spatium tenebrarum creata fuit lux, ergò prima dies incœpit à nocte.

Probatur Tertiò ex Patribus: Augustino lib. 12. Confess. cap. 3. ubi in illud: Et tenebræ erant, &c. ait: *Unde jussisti* (DEO confitens loquitur) *ut scriberetur, quòd tenebræ erant super abyssum, quid aliud quàm lucis absentia? Ubi enim lux esset, si esset, nisi superesset eminendo & illustrando? Ubi ergò lux nondum erat, quid erat adesse tenebras, nisi abesse lucem? Super itaque erant tenebræ, quia lux super aberat, sicut sonus ubi non est, silentium est. Et quid est esse ibi silentium, nisi sonum ibi non esse?* Si ergò fuerunt prius tenebræ & lucis carentia, dies primus incepit à carentia lucis, seu à nocte, quomodo autem lux illa diem facere potuerit, describit S. Augustinus lib. 1. de Genes. litt. c. 12. dicens: *An ex una parte, lux facta est, ut ipsam circumiens etiam noctem ex alia parte consequenter circumire permitteret? Cùm enim totam terram adhuc aqua tegeret, nihil impediebat, ut aquosa & glabosa moles ex una parte faceret diem lucis præsentia, ex alia noctem lucis absentia, quæ in eam partem succederet à tempore vespertino, ex qua lux in aliam declinaret*, ergò D. Hieronymus in cap. 2. Jonæ monet lectorem, quòd Judæi non à meridie, sed ab occasu solis computant diem, prout etiam faciunt Itali & Bohemi, videturque fuisse mos Græcorum, nam Thales Milesius magnæ authoritatis Philosophus interrogatus semel, an prior nox fuerit vel dies? respondit priorem fuisse noctem. Et quidem de diebus festivis certum esse, eos incepisse semper ad vesperam, ut patet ex Levitico supra cap. 23. *Mense primo, quartadecima die mensis, ad vesperum Phase Domini est.* Quare certò tenendum est, apud Judæos diem cœremonialem & naturalem incœpisse à vespera, id est, à nocte, quamvis diem artificialem probabiliter incœperint, prout doceo in quarto Sentent. Tr. 4. Disp. 1. qu. 2. à Solis ortu, quod indè patet, quod omnes Evangelistæ testentur, Christum inchoativè mortuum seu crucifixum fuisse hora sexta, quæ apud nos (qui incipimus horas numerare à media nocte) est hora duodecima, consequenter illi debuerunt ab ortu solis, sex horis post nos, quia tunc erat æquinoctium vernum. Dixi hîc inchoativè mortuum, ut me explicem, quomodò intelligam illud in quarto de morte Christi in loco citato. Confirmatur hoc ex alio usu Judæorum, qui supputatione temporum lunam observant, luna autem comparet ad vesperam seu ad noctem, ergò.

Probatur Quartò ex Concilio Lateranensi, quod declaravit illud *à principio*, quo creavit DEUS cœlum & terram esse initium temporis, adeoque tunc tempus incepit, & duratio successiva haud dubiè absq; intermissione usque in hodiernum diem. Itaque tempus illud, quo cœlum & terra præcesserunt lucem, scilicet duodecim horæ fuit nox, & præcessit diem artificialem. Primum quidem quia dicitur vesper & altera medietas temporis, quæ cum duratione lucida integravit diem naturalem, hæc autem est nox. Secundò, quia Scriptura ita utrumque refert ut vesperum præponat, manè autem postponat, adeoque prior fuit nox quàm dies, & ex utroque sic succedente sibi conflandus est dies naturalis.

Probatur Quintò ex Inconvenientiis, ex aliorum opinionibus sequentibus, nam si per vesperam intelligatur crepusculum vespertinum à luce relictum, necessariò dicendum erit, lucem illam fuisse creatam in occidente, & per arcum alterius hæmisphærii ad nos pervenisse, & sic dies non apud nos, seu in nostro hæmisphærio, aut in Palæstina incepit dies, quod planè improbabile est, si verò dicatur, quòd lux cœperit in meridie, tunc cogemur dice-

dicere, quòd lux fulgentissima sit vespera, & nox de die inceperit. Sed in contra sic

Arguitur: Dies naturalis, cùm sit tempus reale, debet componi ex horis temporis realis, sed illæ duodecim horæ tenebrarum non fuerunt temporis realis, ergò dies naturalis non potuit incipi à vespera seu à tenebris; major patet: probatur minor: Tùm, Quia nullum motum mensurabat, cùm tamen sit mensura motûs, nam non existebat cœlum mobile, sed solum empyreum, ut complures Patres docent: Tùm licèt fuisset aliud cœlum aliquod, illud tamen non movebatur, quia motus cœli est ad lucem circumferendam, quæ tamen nondum fuit. Respond. Primò, negando minor: cum sua probatione, quam impugno ex Scriptura, nam in illo capite 1. Genesis dicitur: *Et Spiritus DEI ferebatur super aquas*, quæ verba si vera sint (ut sunt sine dubio verissima) tunc falsa erit imaginatio communis Authorum, quòd nullum corpus movebatur à principio, ista enim verba significant, imò affirmant ventum motum esse tunc & mutari solitum, nam ipse ventus est, qui hic dicitur, & in se est spiritus, sic dictus à spirando, ergò spirabat, flabat, & ferebatur ventus jam tunc à principio, qui hic particularius dicitur DEI, quia DEUS producit ventos de thesauris suis, & D. Augustinus lib. 5. de Civit. DEI cap. 9. ait: *Nam & aër iste sive ventus dicitur spiritus: sed quoniam corpus est, non est spiritus vitæ.* Nec de hoc dubium esse potest, quin ventus non possit cessare ab omni motu, ut experimur, at verò motus est, qui facit tempus, imò est ipsum, definitur enim *Mensura motus secundùm prius & posterius.* Confirmatur totum ex eodem loco, nam sic ferebatur Spiritus super aquas, sicut tenebræ erant super eandem abyssum, quantum ex tenore relationis Scripturæ habetur: sed certum est, quòd tenebræ erant statim à principio super faciem abyssi & ipsa abyssus, sicut & terra creata est in tenebris: nam si quo minus, tùm lux aliqua fulgeret ante primam lucem, sive illam, quam jussit Dominus DEUS fieri (non enim possunt abesse tenebræ, nisi adsit lux) at verò id est falsum, & contra omnium sensum, ergò.

Instatur: Per tò *Spiritus DEI ferebatur*, intelligi Spiritum Sanctum, prout docet S. Augustinus lib. 13. Confess. cap. 5. ubi ait: *Tenebam jam Patrem in DEI nomine, qui fecit hæc, & Filium in principii nomine, in quo fecit hæc, & Trinitatem credens DEUM meum sicuti credebam, quærebam in eloquiis sanctis ejus, & ecce spiritus tuus superferebatur super aquas. Ecce Trinitas DEUS meus Pater & Filius & Spiritus Sanctus, creator universæ creaturæ.* Undè plura cap. 6. subjungit de Spiritûs Sancti superlatione. Et Ecclesia quoque in officio Ecclesiastico applicat hunc textum sanctificationi Baptismi. Sed Respondeo distinguendo: ant: litteraliter & historicè sumendo Scripturam, nego: mysticè, concedo: itaque sensum illum esse ænigmaticum, metaphoricum & allegoricum, prout ipse S. Augustinus ibidem docet in eodem cap. 5. *Ecce apparet mihi in ænigmate Trinitas, quod es DEUS meus, quoniam tu Pater in principio, quod est tua sapientia de te nata, æqualis tibi & coæterna, id est, in Filio tuo fecisti Cœlum & terram. & multa diximus de cœlo cœli, & de terra invisibili & incomposita, & de abysso tenebrosa, secundùm spiritalis infirmitatis vagabunda deliquia, nisi converteretur ad eum, à quo erat qualiscunque vita, & illuminatione fieret speciosa vita, & esset cœlum cœli ejus, quod inter aquam & aquam postea factum est.* Adeoque non elidit sensum litteralem & historicum, qui hic attenditur, unde S. Augustinus alibi dubitativè & conditionatè loquitur lib. de Genes. cap. 4. post medium: *Hoc autem dictum sit, si hoc loco Spiritus DEI Spiritus Sanctus, quem in ipsa ineffabili incommutabili Trinitate veneramur, accipitur. Potest autem & aliter intelligi, ut Spiritum DEI,*

Digitized by Google

DEI, vitalem creaturam, qua universus visibilis mundus, atque omnia corporea continentur & moventur, intelligamus: cui DEUS omnipotens

potest fieri per mediam horam, si acceleretur, & vice versa, ergò. Confirmatur hoc dictum, quòd tempus non sit certò reale, quia com-

enim solitudo poterat esse in nocte? benè tamen obscuritas, ita hic accipiendum est, quòd DEUS paraverit origini mundi primordia lucis, ut mundus, qui tunc incœpit, videretur. Deindè etiam dici potest, lucem ibi sumi pro die, ut sensus sit, DEUM paràsse originem mundi primordiis diei novæ.

Arguitur Tertiò ex ratione: Dies (uti & omne tempus) incipit extrinsecè & per primum sui non esse, nam instans, per quod explicanda est inceptio ejus, est ei extrinsecum, explicatur enim sic: Nunc (sive in hoc instanti) non est tempus, sed immediatè posteà erit, atque ita ante omne tempus fuit aliquod instans, certum est autem, quòd in primo instanti creaverit Dominus DEUS cœlum & terram, adeóque ante omnem diem creavit utrumq; quod est intentum adversariorum, ergò: Respond. si ita sit, quæro ex arguente, cujus sit illud instans? Si temporis, non potuit esse ante omne tempus, si æternitatis, sequitur, quòd mundus sit æternus, nec habuerit principium contra Sacram Genesim & Concilium Lateranense. Itaque illud instans non est quidem tempus, tamen est aliquid illius, sicut instans terminativum & continuativum, & planè talia in continuo successivo sunt sicut puncta & lineæ continui permanentis, in quo certè illa non sunt extra partes, sed immersæ illis, ita similiter hic discurrendum, undè pulchrè D. Augustinus lib. 11. de Civit. cap. 5. dicit: *Procul dubio non est mundus factus in tempore, sed cum tempore, quod enim fit in tempore & post aliquod fit, & ante aliquod tempus, post id, quod præteritum est, ante id, quod futurum est. Nullum autem posset esse præteritum, quia nulla erat creatura, cujus mutabilibus motibus ageretur: Cum tempore autem factus est mundus, si in ejus conditione factus est mutabilis motus, sicut videbitur se habere etiam ordo ille primorum sex vel septem dierum, in quibus mane & vespera nominantur.*

Dico Secundò: *Æque probabile est diem primam incœpisse à luce, & mane, ita ut vespera scilicet ultimum lucis, & mane ultimum noctis.* Ita SS. Patres Basilius, Ambrosius, Augustinus, qui vel unus sufficit, ac proindè ejusdem, nam lib. 1. de Genesi c. 10. sic arguit contra Manichæos: *Non intelligunt*, Manichæi scilicet, *operationem illam, qua lux facta est, & divisum est inter lucem & tenebras, & vocata est lux dies, & tenebræ nox. Hanc ergò totam operationem non intelligunt ad diem pertinere: post hanc autem operationem tanquam finito die facta est vespera. Sed quia etiam nox ad diem suum pertinet, non dicitur transisse dies unus, nisi etiam nocte transacta, quum factum est mane: sic deinceps reliqui dies computantur à mane usque in mane, Nunc enim cùm factum est mane, & transactus est unus dies, incipit operatio, quæ sequitur ab ipso mane, quod jam factum est: & post ipsam operationem fit vespera, deindè mane, & transit alter dies: atque ita deinceps cœteri dies transeunt.* Addo Chrysostom. qui hom. 3. in Gen. dicit: *Finem diei & finem noctis unum, signanter nominavit, ut ordinem aliquem & consequentiam statueret visibilium, nullaque fieret confusio.* Sanctos Patres sequuntur Interpretes communiter, nam ut dicit Lyranus noster, in vesperi completur dies artificialis, qui est pars prima diei naturalis, & in mane sequentis completur nox, quæ est altera pars diei naturalis, & ideò præponit Moyses vesperum ipsi mane, ut ostendat completionem diei naturalis ostendendo terminos artificialis diei ac noctis, quæ sunt partes integrantes diem naturalem. Sed in contra sic

III. Vespera potest sumi pro ultimo lucis.

Arguitur: Ante lucem teste Scripturâ, tenebræ erant super faciem abyssi, ergò non à luce, sed à tenebris cœpit prima dies. Respond. Tenebras brevissimâ morâ præcessisse lucem, imò veriùs momentaneè tantùm.

Instatur: Hinc sequeretur, cœlum & terram, quæ sunt creata ante lucem,

Digitized by Google

lucem, non fuisse creata primâ die, sed ante illum, adeoque extra tempus contra illud Ecclesiæ: *Primo dierum omnium, quo mundus extat conditus*; imò ulteriùs contra Scripturam, quæ Exodi 20. *Sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt, & requievit in die septimo.* Respond. Primò, me in superioribus satis difficultatem illam enucleâsse, quid per cœlum & terram intelligendum sit, ex quibus facilè constat, qualiter ad primam diem pertineant. Respond. Secundò, neg. sequelam, nam licèt momentaneæ præcesserint tenebræ, hoc non obstante cœlum & terra prima die creata dicuntur, Deumque sex diebus omnia condidisse, eò quòd illud momentum etiam ad primam diem pertineat, etiam strictè loquendo, cùm momentum illud fuerit terminus à quo diurni temporis subsequentis immediatè, quo lux effulsit. Hinc infero Bedæ sententiam suprà à Magistro relatam, & sic intellectam, quasi lux fuisset creata in puncto meridiei, majorem pati difficultatem, & sic verum esse, illam diem non habuisse mane, sed ex hoc sequeretur, quia prima dies perfectissima fuerit brevissima, & mundus fuisset conditus notabili duratione ante primam diem contra mentem Ecclesiæ. Si verò intelligant per mane principium diei, convenit nobiscum cum priori conclusione, sicut etiam sententia Lypomani convenit satis cum prima conclusione, habet tamen suam quoque difficultatem, eò quòd videatur lux potius creanda, ubi primus homo erat ponendus, quod pertinet insuper ad dignitatem hujus hæmisphærii, in quo filii lucis & filii DEI semper ambulârunt, & ubi etiam totius mundi reparatio facta est. Deindè sequeretur etiam (si altero hæmisphærio lux primò affulsisset) quod in nostro hemisphærio non una vespera unumque mane diem naturalem facerent, sed duæ vesperæ, quia post illam naturalem & universalem noctem & lucis carentiam totius orbis in hæmisphærio Moysis fuisset alia vespera quasi artificialis, quæ responderet diei artificiali lucenti in opposito, apud antipodas, hæmisphærio. Quidquid tamen sit, si opinio hæc vera esset, tunc sententia hæc describeret diem naturalem per principium noctis & principium diei sicut superior descripsit per ultimas partes. His præmissis progredior ad secundam partem tituli quæstionis, &

IV. Dominica est omnium prima dies.

Dico Tertiò: *Prima dies dierum omnium fuit dies dominica nostra, non verò Sabbathum Judæorum.* Probatur, Quia fuit dies octava, nam hebdomas illa apud Judæos constat sex diebus operis & una quietis, quæ faciunt septem, sequens ergò est octavus in numero, adeoque incidit in illam differentiam temporis ac diei in quam prima, ut patet cuique calculanti, nam in quamcunque diem hebdomadæ incidit festum aliquod, in eandem incidit ejus octava, si v. g. Nativitas Domini hoc anno celebretur feriâ quintâ, necesse est, ut octava ejus celebranda sit aliâ feriâ quintâ, scilicet proximè sequenti. Cùm ergò dies Dominica Christianorum sit octava in numero, respondet per omnia primo, atque ita in ipsa recurrit:

Primus dierum omnium
Quâ mundus extat conditus.

Undè valdè providè festivitas diei, à Sabbatho Judaico, translata est ad Dominicam Christianam, & quidem magna gratitudine ac maturitate, celebrat enim tunc quietem, quam Christus Dominus à laboribus passionis acquisivit in sua resurrectione; quæ contigit dominica die, una Sabbathi Phase Judæorum, ita enim habet Divus Matthæ. 28. v. 1. *Vespere Sabbathi, quæ lucescit in prima Sabbathi.* & Lucas 23. v. 1. *Una Sabbathi valdè diluculo.* & denique apud Joann. *Una Sabbathi.* Dixi graviter factum, cujus assigno duas rationes: una, quia hic interim recolitur opus redemptionis, quod potius est opere creationis, adeoque festivitas debuit illi potius impendi. Deindè,

by Google

Quia Christus Dominus Redemptor verè laboravit, verè fatigatus est opere redemptionis, DEUS non item opere creationis, adeoque magis eguit requie & Sabbathismo.

V. Dici Dominicæ privilegia.

Privilegia primæ diei copiosè descripserunt S. Leo in epist. 80. Beda de celebrat. Paschæ. S. August. serm. 251. de tempore, ubi ait: *Ideò Dominicus dies appellatur, ut in eo à terrenis operibus vel mundi illecebris abstinentes, tantùm divinis cultibus serviamus: dantes scilicet diei huic honorem & reverentiam propter spem resurrectionis nostræ, quam habemus in illa. Nam sicut ipse Dominus JESUS Christus, & Salvator resurrexit à mortuis, ita & nos resurrecturos in novissimo die speramus. Apparet autem hunc etiam in Scripturis Sacris esse solemnem. Ipse enim est primus dies sæculi, in ipso formata sunt elementa mundi, in ipso creati sunt Angeli, in ipso quoque à mortuis resurrexit Christus, in ipso de cœlis Spiritus Sanctus super Apostolos descendit, manna in eodem in eremo primum de cœlo datum est. His enim speciebus ac talibus indiciis, Dominica dies extat insignis. Ac ideò sancti Doctores Ecclesiæ decreverunt omnem gloriam judaici Sabbatismi in illam transferre, ut quod ipsi in figura, nos celebraremus in veritate: quia tunc erit requies nostra vera, quando resurrectio fuerit perpetrata, & remuneratio in anima, & corpore simùl perfecta.* Undè alii Scholastici ex hoc, & aliis Patribus duodecim hæc deducunt diei Dominicæ privilegia, nam imprimis iste fuit primus mundi dies, in quo lux facta est. Secundò: hac eadem die Hebræi mare rubrum siccis vestigiis transiérunt. Tertiò: hâc eâdem primum pluit manna in deserto. Quartò: Christus Dominus eadem die natus est. Quintò: eâdem baptizatus in Jordane. Sextò: eadem patravit primum miraculum in Nuptiis convertendo aquam in vinum. Septimò: idem multiplicatis, aut magnificatis quinque panibus 5000. hominum saturavit. Octavò: ipsa eadem Dominus resurrexit à mortuis. Nonò: octavâ ejusdem diei idem ingressus est ad Discipulos januis clausis, dedit eis Spiritum Sanctum & potestatem remittendi peccata. Item in eam incidit dies Pentecostes. Adhuc eâdem die S. Johannes Apostolus & Evangelista Apocalypses suas incepit, si non etiam absolvit. Denique in eodem creditur futura resurrectio mortuorum, & totius mundi renovatio. Quorum fides sit penes prædictos.

Quæres: Quare dicatur dies unus & non primus? S. Augustinus respondet, ideò factum (aut potiùs dictum) putat ab historico, ut uno die mundum conditum insinuaret. Basilius, ut naturalem viginti horarum hunc primum diem fuisse demonstraret. Homerus, ut unitatis Sacramenta in primo numero intelligeremus. Alii alias adducunt moralitates & mysticas rationes, ego respondeo, Moysen adhibuisse Hebrææ linguæ idiotismum, totum enim indè provenit, quia apud Hebræos tò *unus* significat hoc, quod est primus, ut constare potest Sacræ Scripturæ testimoniis tàm veteris, quàm novi Testamenti, Daniel. 9. *Anno uno regni ejus*, id est, primo, ut ipse ibi se exponit. Apocalyps. 6. *Cùm aperuisset Agnus sigillum unum*, id est, primum, agitur enim ibi de septem sigillis. Et denique in Evangelio Dominus dicitur resurrexisse *una*, id est, prima *Sabbathi*, accipitur enim Cardinalis numerus pro Ordinali.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Opere primæ Diei.

PRo Resolutione Notandum. Primò ex Augustino lib. de Genes. imperfect. cap. 5. *DEUM dixisse, fiat lux, non voce de pulmonibus edita, nec lingua & dentibus accipere debemus. Carnalium sunt istæ cogitationes, secundùm autem carnem sapere mors est*, sed significat hîc non dictionem, qua Pater dicit Verbum, sed efficacem ejus voluntatem, & efficax — I. Dicere DEI quid sit?

ficax velle, quo vult aliquid fieri pro instanti, pro quo refertur dixisse, undè licèt ab æterno DEUS habuerit efficax velle, non tamen ab æterno dixit externa dictione, sed tantùm in tempore, quia pro tempore habuit velle, idque quasi in actu secundo.

II. Vocare Dei quid in Scriptura significet. Notandum Secundò: Ex eodem D. Augustino lib. 1. de Genes. cap. 9. Quòd ly appellavit & *vocavit, ita dictum est, vocari fecit: quia sic distinxit omnia, & ordinavit, ut & discerni possent, & nomina accipere, sed postea suo loco requiremus, utrum verè sic est accipiendum, quia vocavit DEUS: quoniam quantum accedimus in Scripturis & in eis assuescimus, tantum nobis locutiones earum innotescunt. Sic enim dicimus, ille paterfamilias ædificavit domum istam, id est, ædificari fecit, & multa talia per omnes libros divinarum Scripturarum inveniuntur.* Secundò: Appellare & vocare DEI etiam significat conferre rebus proprietatem, uti dicitur Psalm. 146. *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* His ita prænotatis

III. Die prima creavit DEUS cœlum empyreum & Angelos. Dico Primò: *In prima die creavit Dominus DEUS cœlum empyreum cum omnibus Angelis.* Probatur Primò authoritate Concilii Lateran. suprà, ubi dicitur: *DEUM ab initio temporis utramque condidisse creaturam, angelicam, & mundanam.* Probatur Secundò authoritate D. Augustini lib. 11. de Civit. DEI cap. 9. dicentis: *Ubi de mundi constitutione sacræ Litteræ loquuntur, non evidenter dicitur, utrum vel quo ordine creati sunt Angeli: sed si prætermissi non sunt, vel cœli nomine, ubi dictum est: In principio fecit DEUS cœlum & terram: vel potius lucis hujus, de qua loquor, significati sunt. Non autem prætermissos esse hinc existimo quod scriptum est, requievisse DEUM die septimo ab omnibus operibus suis, quæ fecit, cùm liber ipse ita sit exorsus. In principio fecit DEUS cœlum & terram, ut ante cœlum & terram nihil aliud fecisse videatur.* Vide plura ibidem, lib. 12. Confess. cap. 15. ubi postquam explicuisset illud Eccles. 1. Prior omnium creata est Sapientia, id est, de Angelis tandem concludit: *Ergò quia prior omnium creata est quædam sapientia, quæ creata est mens rationalis & intellectualis castæ civitatis tuæ, matris nostræ, quæ sursum est, & libera est, & æterna in cœlis, quibus cœlis, nisi qui te laudant cœli cœlorum? quia hoc est & cœlum cœli Domino, etsi non invenimus tempus ante illam, quia & creaturam temporis antecedit, quæ prior omnium creata est, ante illam tamen est ipsius Creatoris æternitas, à quo facta sumpsit exordium.* Iterum lib. 1. de Genes. ad litt. cap. 9. dicit: *In principio fecit DEUS cœlum & terram, ut cœli nomine intelligatur spiritali jam facta & formata creatura, tanquam cœlum cœli hujus, quod in corporibus summum est. Secundo enim die factum est firmamentum, quod rursus cœlum appellavit, terræ autem nomine invisibilis & incompositæ ac tenebrosæ abyssi, imperfectio corporalis substantiæ significata est, unde temporalia illa fierent, quorum prima esset lux,* Et cap. 5. *Et fortasse quod quærunt homines, quando Angeli facti sunt, ipsi significantur hac luce, brevissimè quidem, sed tamen convenientissimè*: sive ergò intelligantur Angeli per cœlum, sive per lucem primâ die facti sunt.

Dico Secundò: *Prima quoque die creata est terra, aqua, & aër.* IV. Die prima creavit DEus quoque terram, aquam, & aërem. Hæc est communior Theologorum opinio. Probatur Primò ex Scriptura, nam Genes. 1. statim ut dicitur: *Terra erat inanis & vacua*, statim subjungitur: *Et tenebræ erant super faciem abyssi: & Spiritus DEI ferebatur super aquas*, ita quòd ipsemet Moyses statim explicet utrumque, quomodo terra fuerit, & quomodo aqua & aër fuerit, videlicet abyssus & lumine carens, sicut terra inanis & vacua, seu ut habet alius textus *invisibilis & incomposita*, prout illum semper citat D. Augustinus.

Dico Secundò authoritate D. Augustini lib. de Genes. imperfect. cap. 4. *Hoc, quod cœlum & terra appellatum est, materies erat confusa quædam,*

dam, de qua mundus, qui duabus maximè partibus, cœlo scilicet & terra constat, digestis elementis & accepta forma fabricaretur. Quæ confusio materiæ sic potuit insinuari populari intelligentiæ, si diceretur terra invisibilis, vel incomposita, vel inordinata, vel imparata, & tenebræ super abyssum, id est, super profunditatem vastissimam: quæ rursus profunditas ex eo fortasse nominata est, quia nullius intelligentia propter ipsam informitatem penetrari potest. Et tenebræ erant super faciem abyssi. Utrum subter abyssus erat & supra tenebræ, quasi jam loca distincta essent? An quoniam materiæ adhuc confusio exponitur, quod jam χάος græcè dicitur. Et paulò pòst: *Nusquam dixerat DEUS: aquam fecit, nec tamen ullo modo credendum est aquam DEUM non fecisse, & eam jam fuisse, antequam ille aliquid constituisset: etenim ille est, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, sicut Apostolus dicit: ergò & aquam DEUS fecit, & aliter credere, magnus error est. Cur igitur non dictum est, quòd aquam DEUS fecerit? An rursus eandem materiam, quam vel cœli & terræ, vel terræ invisibilis & incompositæ atque abyssi nomine nuncupaverat, etiam aquam voluit appellare? Cur enim non & aqua appellaretur, si terra potuit, cùm adhuc neque aqua distincta atque formata, neque terra esset, neque aliquid aliud? Sed primò fortasse cœlum & terra appellata est, secundò terra incomposita & abyssus carens luce, tertiò aqua non incongruè: ut primò ipsius universitatis, propter quam facta est materies de omninò nibilo, cœli & terræ nomine vocaretur: Secundò terræ incompositæ atque abyssi nomine insinuaretur informitas, quia inter omnia elementa terra est infirmior, & minus relucens quàm cætera: tertiò aquæ nomine significaretur materia subjecta operi artificis, aqua enim mobilior est, quàm terra, & ideò propter operandi facilitatem & motum faciliorem, subjecta materies artifici aqua magis vocanda erat quàm terra. Et aër quidem mobilior est quàm aqua, æther autem mobilior ipso aëre, non absurdè creditur aut sentitur.* Vide plura ibi subsequenter de aëre. Dupliciter ergò nominatur aqua simul expressè, & altera vice per abyssum, nam D. Augustinus lib. 11. Civit. cap. 9. vocat abyssum *quandam terræ & aquæ indistinctam Confusionem.* & libro 22. contra Faustum Manichæum, cap. 11. abyssum sic definit: *Abyssus namque est aquarum inæstimabilis profunditas.* Et lib. de Genes. imperfect. cap. 14. ubi ait: *Hinc etiam intelligi datur de aëre nihil dictum esse, quomodo vel quando sit factus: quia iste aër nomine aquarum tenetur, ille autem nomine firmamenti, atque ita elementum nullum prætermissum est.*

Probatur Tertiò ratione & explicatione desumpta ex Scriptura: Quia in textu hebraico pro *cœlo*, habetur *Schamaim*, hoc est, *ibi aquæ*, atque adeò cœlum quando productum est à DEO, fuit fluidum, sive aquaticum. Secundò firmamentum factum est in medio aquarum, utiq; per condensationem earum, vel similis alicujus corporis fluidi, adeoque antecedenter, hoc est, ante secundum diem, non fuit solidum sed fluidum, cùm ergò omnia fuissent fluida, & sibi imminentia sine solido interjecto, meritò dicebantur chaos, sive confusa corporum moles. Narrat Baronius, se Romæ apud Nicolaum Cardinalem Albergatum, vulgò Ludovisium, vidisse in Camera sua secretiori clepsidram vitream laminis obductam, in qua aliquot ordines arenæ, singulos sibi situ & paritate succedentes numero & coloribus elementorum: Primus fuscus erat, qvippè terræ concolor. Secundus vitreus seu crystallinus, qui aquæ responderet. Tertius viridis, sive saphirinus aërem exhibebat, ultimus ruber, qui ignem; admiranti autem sibi & hærenti in cognitione objecti, Cardinalem dictum apprehendisse clepsidram, atque ita valenter concussisse, ut omnes quatuor ordines in unum miscerentur confusi, quo præstito majorem sibi stuporem incussit, quòd deindè colloquentibus illis aliquamdiu, omnes illi ordines & singuli redierunt quisque

que ad pristinum locum, sic concipe tale fuisse chaos, qualis arena illa antequam concuteretur, & postquam subsedisset concessa ei quiete. Ad majorem hujus intelligentiam finge tibi sphæram aliquam sic ordinatam cum variis circulis ita ut intimus sit terra, sequens aqua, quæ vapores ita emisit in superiorem aërem, ut ægrè discerni posset iste ab illa: Tum autem sequuntur sphæræ aquaticæ cœlestes, jam tum contiguæ & quasi continuæ sibi, donec secunda die siccarentur, & tum solidæ fierent, quod dicuntur firmamentum. Quod tamen non omnibus est præstitum, aliquæ enim præmissæ sunt suæ liquiditati, ita ut denique firmamentum haberet tàm suprà, quàm infrà se aquas, hoc est, liquores.

V. Die prima facta est etiam lux.

Dico Tertiò: *Item prima die facta est lux.* Hæc patet ex Scriptura, Genes. 1. *Dixitque DEUS, fiat lux, & facta est lux.* Est autem difficultas, quidnam intelligatur hic per lucem? nam ut dicit S. Augustinus lib. de Genes. ad lit. cap. 5. *Utrum ea lux, quæ bis carnalibus oculis patet, an aliqua occulta quam nobis per hoc corpus videre non datum est? Et sic occulta, utrum corporea, quæ per locorum spatia tenditur fortasse in sublimibus partibus mundi: an incorporea, qualis in anima est, ad quam vitandi & appetendi refertur examen à sensibus corporis, qua non carent etiam animæ bestiarum? An ea, quæ superior ratiocinando apparet, ex qua incipit omne, quod creatum est? Quamlibet enim lucem significet, factam tamen & creatam debemus accipere, non illam, qua fulget ipsa DEI sapientia, quæ non creata est, sed nata, nè sine luce DEUS fuisse putetur, priusquam istam, de qua nunc agitur, condidisset. De hac enim, sicut ipsa verba satis docent, hoc commendatur, quod facta sit. Et dixit, inquit, fiat lux, & facta est lux. Alia est lux de DEO natura, & alia lux, quam fecit DEUS: natura de DEO lux est ipsa DEI sapientia; facta verò lux est quælibet mutabilis sive corporea sive incorporea. Movere autem solet, quomodo lux corporea esse potuerit, antequam cœlum esset & cœli luminaria, quæ post istam exponuntur: quasi verò facilè hoc ab homine percipi potest, aut omninò ullo modo potest, utrum sit aliqua lux præter cœlum, quæ tamen spatiis locorum distincta atque diffusa sit, mundumque amplectatur. Sed cum liceat hic & incorpoream lucem intelligere, si non visibilem tantum creaturam in hoc libro, sed omnem creaturam expositam dicimus, quid opus est in hac controversia remorari? & fortasse quod quærunt homines, quando Angeli facti sunt, ipsi significantur hac luce, brevissimè quidem sed tamen convenientissimè & decentissimè.* Quidquid tamen sit conformiter ad mentem ejusdem S. Doctoris talem lucem factam à DEO, qualem modò facit sol, cùm nulla sit difficultas, quomodo talem posset facere, & cùm dicatur facta lux, vocetur que dies, omninò non alia, quàm talis lux facta censeri debet.

Difficilius est, ad quem finem fieret ante solem & lunam? Sed non est necessarium, ut sciamus, quid ad hoc moverat DEUM, sed verisimile est, quod lux illa vel secundùm se, vel secundùm qualitates illi annexas conduxerit ad disponendam aquam & terram, ad opera deinceps ex illis facienda. Itaque prima parte diei primæ produxerat DEUS cœlos omnes, terram & aquam, quæ cooperiebat totam superficiem terræ, & quia nondum erat creata lux, tenebræ erant ubique supra aquam, postea verò eodem die facta luce in uno orbis hæmisphærio, exclusæ erant ab eo tenebræ, quæ tamen manebant in altero hemisphærio, unde dies erat in uno, & nox in altero, & sic divisa fuit lux à tenebris.

Quæres Primò: Quid propriè hic significet Spiritus DEI? Respond. mysticè significare Spiritum Sanctum, ut ex D. Augustino visum est; Secundò & significare ventum, qui frequenter Spiritus dicuntur, ut Psalm. 47. *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis.* Psal. 106. *Dixit & stetit Spiritus procellæ, & exaltati* VI. Spiritus DEI quid propriè significet?

exaltati sunt fluctus ejus. Psalm. 148. *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus,* & alibi sæpe concordat phrasis hebraica, nam ipsi quando aliquam magnitudinem exprimere volunt, adducunt ly DEI, ut *mons DEI*, id est, magnus mons, *Cedri DEI*, id est, Cedri magni & alti, ita hîc *Spiritus DEI*, id est, magnus ventus & commotionis magnæ, adeoque hìc benè insinuatur etiam tertium elementum in prima creatione expressum. Tertiò ex D. Augustino lib. de Genes. imperf. cap. 4. intelligi potest, *ut credatur Spiritûs nomine, aëris elementum enunciatum: ut ita quatuor elementa insinuata sint, quibus mundus iste visibilis surgit, cœlum scilicet & terra & aqua & aër: non quia jam erant distincta & ordinata, sed quia in illius materiæ quamvis informi confusione, tamen exortura præsignabantur, quæ informis confusio tenebrarum & abyssi nomine commendata est.* Quartò potest Spiritûs nomine intelligi creatura intellectualis seu Angeli, qui movebant materiam secum conditam, juxta illud Job. 38. *Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ? - - - - Cùm me laudarent simul astra matutina, ut jubilarent omnes filii DEI*: sed tunc per cœlum & terram materia rerum omnium visibilium debet intelligi. Quintò & optimè meâ opinione per Spiritum DEI intelligitur virtus DEI, quæ ferebatur super aquas, quatenus eas movebat & disponebat ad aliquem finem DEO notum, & ita etiam sentit D. Augustinus cap. 4. ubi ait: *Cavendum est, ne quasi spatiis DEI Spiritum superferri materiæ putemus, sed vi quadam effectoria & effabricatoria, ut illud, cui superfertur, efficiatur & fabricetur. Sicut superfertur voluntas artificis ligno, vel cuique rei subjectæ ad operandum, vel etiam ipsis membris corporis sui, quæ ad operandum movet. Et hæc similitudo cùm jam sit omni corpore excellentior, parva est tamen, & propè nihil ad intelligendam superlationem Spiritûs DEI, subjecta sibi ad operandum mundi materia.*

VII. Lux quòd bona sit, quomodo DEUS viderit?

Quæres Secundò: Quomodo intelligendum: *Et vidit DEUS lucem, quòd esset bona?* Respond. cum S. Augustino lib. de Genes. imperfect. cap. 5. ubi ait: *Ista sententia non quasi insoliti benevolentiam, sed approbationem operis significari, oportet intelligi. Quid enim convenientiùs de DEO dicitur, quantum inter homines dici potest, quàm cùm ita ponitur, dixit, factum est, placuit, ita ut in eo, quod dixit, imperium ejus intelligatur: in eo, quod factum est potentia: in eo, quod placuit benignitas: sicut ineffabilia per hominem hominibus, ita ut omnibus prodessent, dici debuerunt.* Respond. Secundò cum eodem: Hoc non factum esse, quod antecedenter non sciverit esse bonam, sed quia jam in illo erat, ista enarrat in Psal. 61. ubi ait: *Non enim DEUS, quod per Verbum faciebat, ipse non noverat: si autem quod faciebat noverat, in illo erat, antequam fieret, quod fiebat. Si enim non in illo erat, quod fiebat, antequam fiebat, ubi noverat quod faciebat? non enim potes dicere Deum ignorata fecisse. Scivit itaque DEUS, quod fecit. Et ubi scivit antequam faceret, sciri nisi facta non possunt? Sed à factis sciri nisi facta non possunt, à te scilicet ab homine in imo facta, & in imo posito. Antequam autem fierent hæc omnia, sciebantur ab illo, à quo facta sunt, & quod scivit, fecit. Ergò in Verbo illo, quod perfecit omnia, antequam fierent, erant omnia, & cùm facta sunt ibi sunt omnia, sed aliter hic, aliter ibi, aliter in propriâ naturâ, in quâ facta sunt, aliter in arte, per quem facta sunt.*

VIII. Lucis divisio à tenebris qualiter facta.

Quæres Tertiò: Quomodo diviserat DEUS lucem à tenebris? Respond. cum eodem ibidem: *Hinc intelligi licet, quanta divini operis facilitate ista dicantur effecta. Non enim quisquam est, qui sic æstimet lucem factam, ut esset confusa cum tenebris, & ob hoc postea separationis indigeret: sed eo ipso, quo lux facta est, consecuta est etiam divisio inter lucem & tenebras. Quæ enim societas lucis cum tenebris? DEUS ergò divisit inter lucem & tenebras, qui lucem fecit, cujus*

by Google

jus absentia tenebræ vocantur. Interest autem inter lucem & tenebras, sicut interest inter vestimentum & nuditatem, aut plenum & inane, & similia.

QUÆSTIO TERTIA.

De Opere secundæ Diei.

I. Firmamentum creatum est secunda die.

CErtum est ex Scriptura Sacra, secunda die factum esse firmamentum, quòd etiam sit cœlum, nam Genes. 1. *Dixit quoque DEUS, fiat firmamentum, & factum est ita; vocavitque DEUS firmamentum cœlum:* Similiter certum est, illud firmamentum factum esse in medio aquarum, *divisitque aquas, quæ erant sub firmamento, ab his, quæ erant super firmamentum, & factum est ita.* Et sic firmamentum divisit aquas, quæ supra ipsum erant ab illis, quæ infra illud erant constitutæ, sola autem est difficultas, quodnam sit hoc firmamentum, an scilicet illud, in quo quarta die dicuntur collocata Sol, Luna, & reliqua sidera, nam ita videtur præ se ferre textus Scripturæ, qui appellat illud cœlum nomine firmamenti hoc die facti, & paulò pòst de stellis: *Et posuit eas in firmamento cœli*, nec ullo modo indicat, se de alio loqui firmamento, consequenter videtur omninò de eodem agere, quod hoc die factum est? Econtra verò videtur difficile intellectu asserere, quòd supra firmamentum, in quo sunt stellæ, sint aquæ ullæ, quæ per illud dividantur ab aquis nostris, quid enim facerent aquæ superius, & ad quid deservirent? Notandum autem ex D. Augustino lib. 2. de Genes. litt. cap. 10. *Firmamentum enim non propter stationem, sed propter firmitatem, aut propter intransgressibilem terminum superiorum & inferiorum aquarum vocatum intelligere licet.*

II. Firmamentum est probabiliter aër vel aliqua ejus pars.

Dico Primò: *Per firmamentum, quod hodie dicitur factum, probabiliter intelligitur, vel integer aër, vel illa pars ipsius, quæ supra se detinet aquas superiores, quæ in aquas crassiores & graviores conversæ, quandoque decidunt ad has partes inferiores.* Hæc est de mente S. Augustini, eamque sequuntur Rupertus, D. Thomas, quos sequitur & citat Ariaga, favetque Scriptura, Job. 12. *Si continuerit aquas, omnia siccabuntur, & si emiserit eas, subvertent terram*, & cap. 26. *Qui ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum.* Proverb. 8. *Quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum.* hebraicè habetur, *quando nubes firmabat sursum.* Probatur Primò ex S. Augustino lib. de Genes. imperfect. cap. 14. ubi postquam multa de aëris divisione & puritate: *In sublimiore illo atque puriore, qui verè aër ab omnibus appellatus est, nequeunt: non enim earum pondus tenuitate sua sustinet. In illo autem neque nubes concrescere asseruntur, neque aliquid procellosum existere, quippe ubi ventus adeò nullus est, ut in vertice Olympi montis, qui spatia hujus humidi aëris excedere dicitur, quædam literæ in pulvere solere fieri perhibeantur, & post annum integræ atque illæsæ inveniri ab iis, qui solenniter memoratum montem ascendebant, Quapropter non absurdè existimari potest firmamentum cœli in divinis Scripturis usque ad hæc spatia vocari, ut & ille aër tranquillissimus & syncerissimus ad firmamentum pertinere credatur. Hoc enim nomine firmamenti, ipsa tranquillitas & magna pars rerum significari potest.* Et cap. 15. *Si volatilia non volant in illo purissimo aëre, ubi nulla nubila oriuntur, hinc manifestum est, ad firmamentum eum pertinere, quia sub firmamento cœli dictum est volatilia volare super terram.* Et lib. 3. de Genes. litt. cap. 4. *Talibus eorum disputationibus cedens, laudabiliter conatus est quidam demonstrare aquas super cœlos, ut ex ipsis invisibilibus conspicuisque naturis assereret Scripturæ fidem. Et prius quidem quod facillimum fuit. ostendit & hunc aërem cœlum appellari, non solùm sermone communi, secundùm quem dicimus serenum vel nubilum cœlum, sed etiam nostrarum ipsarum consuetudine Scripturarum, cùm dicuntur volatilia cœli. cùm aves in hoc aëre manifestum sit volare. Et*

Dominus cùm de nubibus loqueretur: Faciem, inquit, cœli potestis probare. Nubes autem etiam per proximum terris aërem conglobari sæpè cernimus, cùm per declivia jugorum ita recumbunt, ut plerumque excedantur etiam cacuminibus montium. Cùm ergò probâsset & hunc aërem cœlum dici, nulla alia causa etiam firmamentum appellatum voluit existimari, nisi quia intervallum ejus dividit inter quosdam vapores aquarum, & istas aquas, quæ corpulentius in terris fluitant. Et nubes quippè sicut experti sunt, qui inter eas in montibus ambulaverunt, congregatione & conglobatione minutissimarum guttarum talem speciem reddunt: quæ si spissantur amplius, ut conjungantur in unam grandem plures guttæ minimæ, non eam patitur aër apud se teneri, sed ejus ponderi ad ima dat locum, & hæc est pluvia. Ergò ex aëre, qui est inter vapores humidos, undè superiùs nubila conglobantur, & maria subterfusa, ostendere ille voluit esse cœlum inter aquam & aquam. Hanc ergò diligentiam considerationemque laude dignissimam judico. Quod enim dixit neque contra fidem est, & in promptu posito documento credi potest.

Probatur Secundò: Quia certum est aërem in Scriptura vocari cœlum, nam cùm dicitur *volucres cœli*, hoc non de alio cœlo, quàm de aëre intelligi solet, aut potest. Deindè etiam satis congruè vocari potest firmamentum, quia est res ex natura sua satis firma ad detinendas aquas illas superiores. Rursus dividit aquas easdem ab inferioribus: si enim non intercederet, non dividerentur, ergò omnia, quæ dicit Scriptura de firmamento hac die facto, conveniunt ipsi, sed nec ullum aliud firmamentum assignari potest, cui æquè benè conveniant, ergò ille factus esse censendus est. Ultimum subsumptum patet: Quia si ullum aliud, maximè illud, in quo quarta die dicuntur collocata astra, nam illud est, quod communiter hac die factum esse asseritur, sed hoc non, quia non est verisimile ullas aquas esse supra ipsum, quæ sunt veræ & propriæ aquæ, nam vocare Angelos aquas, aut cœlum crystallinum, aut partem fluidam cœli empyrei, aut alterius cujusvis est tàm impropriè dictum, ut nullam mihi faciat fidem, imò in ipsamet Scriptura videtur significari firmamentum hoc die factum non esse illud, in quo dicuntur collocata astra, nam cùm de nullo alio firmamento sub nomine firmamenti ante fecisset mentionem, quàm de eo, quod factum est hodie.

Arguitur in contra: Aer productus est à principio, idque suo loco, qui est supra aquas elementares, adeoque jam erat quid medium dividens aquas ab aquis, ut proindè non fuerit opus firmamento ad hoc præstandum. Confirmatur: Quia per aërem eo modo dispositum satisfit Scripturæ, quæ postulabat extensionem (id enim significat vocabulum autographum Hebræum *Rachia*, pro quo nos habemus firmamentum) nam aër ibi erat extensus, & totum spatium occupabat, alioquin daretur vacuum, adeoque aquæ superiores jam erant divisæ ab inferioribus, ut non fuerit necesse Dominum DEUM esse solicitum de separatione earum interjecto corpore, jam enim unum fuit illis interjectum. Respond. concedendo aërem fuisse primitùs productum, nego tamen habuisse locum adhuc determinatum, sed ferebatur hinc inde sicut bullæ moventur inter corpora porosa & fluida. Et dato etiam, quòd habuerit locum super aquam, non fuisse tunc extensum, adeoque non poterat habere rationem firmamenti, nunc autem per extensionem factum est. Pro Confirmatione hujus Conclusionis consule objectiones, quæ contra sequentem in favorem hujus fiunt.

Dico Secundò: *Longè probabilius est & Scripturæ conformius per firmamentum hac die factum non intelligi aërem quemcunque, sed orbes omnes cœlestes.* Probatur Primò, Quia aër jam quasi biduo præcessit, quod autem III. Firmamentum probabilius sunt orbes cœlestes.

autem præcessit, sine dubio non est reproductum tunc, ergò maj: continetur in illo Genes. 1. *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, est enim aër ille Spiritus, nec enim ullum elementum spirat, nisi aër, qui est ipse ventus (tunc autem nondum erant mixta) & proindè Rabini Hebræorum, qui phrasin Scripturæ optimè callent, Spiritum hoc loco pro vento accipiunt, & secutus eos Theodoretus, ut omittam Eugubinum, & alios, qui etiam peritiam hebraismi profitentur.

Probatur Conclusio Secundò: Quia Scriptura discretè testatur Genes. 1. Quòd *DEUS fecerit duo luminaria magna*, hoc est, Solem & Lunam, & *posuerit ea in firmamento cœli*, sed certum est, non posuisse ea in aëre, ergò jam aër non est firmamentum, de quo Genes. 1. Hoc argumentum est optimum & efficax, nec Adversarii sat sciunt, quid aut quomodo respondeant? præmissæ enim sunt certissimæ, prima fide divinâ, secunda hominum experimento, & saltem confessione Adversariorum, conclusio autem est ex diametro exposita doctrinæ ipsorum.

Dices: Nomine firmamenti intelligi totam expansionem corporum diaphanorum ab octava sphæra usq; ad terram, undè aliquid ei tribuitur modò ob unam partem horum, modò ob alteram. Respon. Primò: Hæc inventio satis aperit angustias opponentis, qui ad evadendam vim argumenti cogitur turpiter æquivocare: nam quæ vox unquam erit æquivoca, si non sit illa, quæ modò significat cœlum, modò ignem, aliàs aërem, & fortassis aquam: quod totum facit tò *Firmamentum* adversario. Respond. Secundò: Ideò Adversarii aërem appellant firmamentum, ut possint defendere, quòd dentur aquæ supra firmamentum, sed hoc modo id non possunt, quia supra totam collectionem orbium mobilium est tantùm cœlum empyreum, quod cœlum tantum abest à natura aquæ, ut habeat illam ignis, indeque nomen acceperit à πυρὸς, scilicet. Si autem propter hoc nolint illi accipere vocabulum *firmamentum* collectivè pro tota serie corporum diaphanorum, sed tantùm pro ultimo, puta aëre, similiter hic iterum impingunt, quia supra aërem proximè est ignis secundùm communem Authorum. Respond. Tertiò indirectè impugnando illorum fundamentum, juxta textum Scripturæ firmamentum dividit aquas ab aquis, ad quod præstandum, debuit habere hinc indè aquas: sed aër non habet, non enim supra, ob rationem, quam proximè attuli, quia nimirum sic ignis esset aqua: Non infra proximè, quia in opinione magis communi, quam etiam tenent aliqui Adversarii, terra est altior, quàm aqua, quod si verum sit, tunc infra aërem proximè non erit aqua, sed terra, ergò firmamentum ipsorum non est in medio aquarum, aut unius elementi, sed duorum, neque dividit aquam ab aquis, sed ignem à terra, quæ non sunt synonyma.

Probatur Conclusio Tertiò: Quia vocabulum non quadrat in aërem, nam firmamentum significat rem solidam, & valentem aliud quidpiam defendere ab invasione, idque quàm maximè phrasi Scripturæ, quæ proindè vocabulum ipsum sæpè attribuit Domino DEO, significans eum esse instar propugnaculi aut turris, Psalm. 24. *Firmamentum est Dominus timentibus eum.* Et Psal. ult. legitur *firmamentum virtutis*, id est, virtuosum sive robustum phrasi hebræa, quæ substantiva pro adjectivis usurpat. Non est autem expectandum, ut author Scripturæ S. putaverit aërem esse talem, cùm cuivis etiam stupido contrarium constet. Deindè Scriptura Sacra est optimus interpres sui, proximè ipsam Patres: sed tàm illa, quàm ipsi, ubi repetunt idem vocabulum, semper intelligunt rem solidam, ac firmam, & nequaquam defluentem, aut teneram, quæ cuique alteri cedat.

Confirmatur: Quia aër est planè ineptus ad id præstandum, quod

à firmamento expectatur, scilicet continere aquas, hinc indè, ne misceantur, omnis enim quæcunque aqua perrumpit aërem, cùm sit solidior & fortior eo. Deindè aquæ superiores quomodo continerentur ab aëre, ne diffluerent? Si id posset fieri, nunquam plueret, nunquam ningeret, aut grandinaret, quia nimirum aër retrò ageret aquas pluvias, & floccos nivis, cujus contrarium est verissimum, ergò. Sed

IV. Firmamentum non significat extensionem.

Dices: In textu hebraico pro firmamento habetur hoc vocabulum *Rachia*, quod solum significat extensionem, aut effusionem, quorum utrumque benè convenit in aërem, quia & latè extensus est, & cùm sit humidus, est effusus. Respond. Primò: Dubium omninò esse, an vox *Rachia* sit originalis: Quia si originalis vox hujus Scripturæ sive Hebræa sive Chaldæa esset *Rachia*, non rectè transferetur græcè per tò στερέωμα, uti factum est à 70. Interpretibus peritissimis utriusque linguæ, latina quidem versio benè sederet, si translata sit ex græca, nam στερέωμα rectè redditur firmamentum, at non item, si ex Hebræo proximè, nam nihil ferè commune est expansioni cum firmamento, extendi enim possunt debillima, & effundi humida, quorum tamen nulla dici possunt firma, mnltò minus firmamentum, undè omninò credibile est, quòd versio 70. facta sit ex alio textu hebræo, qui non sit ille, quem hodiè videmus in Bibliis circumferri, sive non ille primò primus, & puro-putus, qui à Moyse scriptus sit, neque fortè ille, qui ab Esdra est reparatus. Respond. Secundò: neg: conseq: Quia extensio quatuor modis fieri solet contusione, ut quando ferrum malleis in latam laminam protenditur: Rarefactione, ut cùm aqua frigida calore intumescit: Incremento, cùm infantum corpora crescunt, & extenduntur: postremò Explicatione, quomodo cortina eatenus convoluta dilatatur expansa, sed aër nullo horum extendi potest, ergò.

Probatur secunda pars ex Augustino lib. de Genes. imperfect. cap. 12. *Fiant in firmamento cœli luminaria, utrum de fixis tantùm dictum est sideribus, an etiam de vagis? sed duo luminaria majus & minus inter vaga sidera numerantur: quomodo ergò facta sunt omnia, cum singulos suos vel globos vel circulos vaga singula quæque possideant? An quoniam in Scripturis & cœlos multos legimus & cœlum, sicuti in hoc loco cùm dicitur firmamentum cœlum, intelligendum est omnem istam æthercam machinam dici, quæ omnia substantia continet, sub qua puri & tranquilli aëris serenitas viget, sub qua item iste aër turbulentus & procellosus agitatur.*

Arguitur in contra primò: Non potest assignari aliud firmamentum, super quod sint aquæ nisi aër, sed Scriptura asserit super firmamentum esse aquas, ergò aër erit firmamentum: major patet, probatur min: Quia absurdissimum videtur ponere aquas elementares supra cœlos, ut abundè demonstrant Philosophi & Authores alii, sed Respons negando majo: & minore concessa, consequ: cum suo supposito, supponitur enim, quòd supra aërem sint aquæ, quod ego nego, & dico potius aërem esse supra aquam, quippe ea leviorem: supra aërem autem est ignis.

Dices: Nubes pro aquis poni, quia continent aquas, juxta phrasim Scripturæ, cùm ergò nubes sint supra aërem, sequitur supra aërem esse aquam. Sed Respond. in contra, & quæro, utrum nubes in toto aëre sint? An tantùm in parte aliquâ ejus? Si sint in toto, jam nullæ nubes sunt supra aërem, adeoq; nullæ aquæ, atque ita licèt darémus aërem esse firmamentum, tamen nullæ aquæ erunt supra firmamentum: Si autem nubes sint in aliqua parte aëris, dicatur, qua? in prima non possunt esse, hoc est in suprema regione (dividitur enim ille in tres:) nam ut refert S. August. lib. 3. de Genes. ad litteram cap. 2. *Dixit quidam sæcularium Poëtarum:*

Nubes

Digitized by Google

Nubes excedit Olympus,
Et pacem summa tenent:

Quia perhibetur in Olympi vertice aër esse tam tenuis, ut neque nubibus obumbretur, neque turbetur vento, neque sustentare alites possit, neque ipsos qui fortè ascenderint homines, crassioris auræ spiritu alere, sicut in isto aëre consueverunt: (&) tamen & ipse aër est, unde aquis vicina qualitate diffunditur, & propterea ipse quoque in humidam naturam conversus diluvii tempore creditur. neque enim arbitrandum est aliquid de spatiis siderei cœli usurpâsse, cùm omnes etiam altissimos montes aqua transcenderit. Ex quo sic infero: Si aliquid terræ excedit generationem nubium, quanto magis aliquid aëris, Olympus autem est aliquid terræ, quippè mons quidam in Græcia, ita relictæ sunt duntaxat duæ infimæ regiones aëris his nubibus, si autem nubes sint in secunda, jam ipsa secunda non est aliquid firmamenti, quia non dividit aquas, sed exhibet illas, atque ita pereunt duæ partes firmamenti Adversariorum. Tertia etiam sive ultima hæc regio non poterit dici firmamentum, quia non potest repellere sive sursum tenere aquas, sed permittit eas fluere & pluere, ut patet assiduè, ergò. Denique vox *Aqua* sine dubio æqualiter sumitur à Moyse in hoc loco, sicut & in aliis, sed non æqualiter, imò inæqualiter, difformiter & æquivocè sumeretur, si modò acciperetur pro elemento aquæ, modò pro nubibus, nam nubes & aquæ non sunt synonyma. Tandem, (ut quidem benè notavit) totis sex primis diebus aër fuit purissimus, & à nubibus liber, ut colligitur ex cap. 2. hujus historiæ, ubi decursu septiduo dicitur, quòd *DEUS nondum pluerat supra terram*, si autem adessent nubes, plueret, nam cum resolvuntur *nubes, effundunt imbrem* super terram, adeoque necdum fuerunt aquæ illæ, quas Adversarii vocant nubes, ut ad defendendam inventionem eorum per interjectum firmamentum ab inferioribus aquis separaretur.

Arguitur Secundò: In principio creavit DEUS cœlum & terram, ergò cœlum æthereum non potest esse firmamentum, & consequenter firmamentum hoc, quod hodie creatum dicitur, & cœlum appellatur, est aër, cùm aliud non sit assignabile, alioquin diceretur esse bis creatum. Respond. negando consequ. Nam ly *In principio creavit DEUS cœlum & terram*, habet multiplicem sensum, nam primò intelligitur cœlum Empyreum, secundò æthereum, & sidereum, tertiò omnes sphæræ superiores unà cum aëre, adeoque etiam aër deberet esse bis creatus. Itaque dico cœlum æthereum prima die creationis juxta supra dicta creatum fuisse, quoad omnem substantiam, materiam, suppositum, &c. Hac autem die unam partem evasisse in firmamentum, ita quòd firmamentum hic sit quasi nomen artificiale, non substantiale & essentiale, sicut lignum & scamnum, quod fit ex ligno. Et sicut Principes faciunt firmamenta ædium, urbium, & præsidiorum ad repellendos incursus, sic DEUS fecit firmamentum ad continendas aquas superiores, nè defluant ad inferiores, & sicut in Holandia faciunt Aggeres, nè mare exundet &c. Itaque videtur, quòd cœli in prima creatione fuerint omnes liquidi, quasi aqua, subtiles, & pervii, hac verò die discriminavit singula, & cœlis æthereis, ac maximè firmamento contulit soliditatem, nam ut Job dicit cap. 37. *Tu forsitan cum eo fabricatus es cœlos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt.* Vide dicta superiùs, & juxta multifariam ibi propositam resolutionem hic consequenter responde, nolo eadem sæpius repetita.

V. Dico Tertiò: *Super cœlum æthereum ac etiam firmamentum sidereum dantur veræ aquæ.* Hæc Probatur Primò authoritate Scripturæ, Gen. 1. *Et fecit DEUS firmamentum, divisitque aquas, quæ erant sub firmamento ab his, quæ erant super firmamentum, & factum est ita.* Danielis 3. *Benedicite aquæ omnes, quæ super cœ-* Aquæ sunt super firmamentum.

los sunt, Domino, laudate & superexaltate eum sæcula. Psal. 148. *Laudate eum cœli cœlorum, & aquæ omnes, quæ super cœlos sunt.* & Psal. 103. *Extendens cœlum sicut pellem, qui tegis aquis superiora ejus.*

Dices: Hoc ultimum non convenire cœlo, sed aëri, adeoque de aëre hic loquitur, qui extenditur sicut pellis: antec: patet, Quia cœli sunt sphærici, sed quod sphæricum est, non potest extendi sicut pellis. Respond. cum S. Augustino lib. 2. de Genes. ad litt. cap. 9. ubi ait: *Sive hoc, sive alio aliquo modo intelligendum sit, cœlum sicut pellis extensum, propter molestos & nimios exactores expositionis ad litteram, hoc dico, quòd sicut arbitror omnium sensibus patet: utrumque enim fortasse, id est, & pellis & camera figuratè intelligi potest, utrumque autem ad litteram quomodo possit videndum est. Si enim camera non solùm curva, sed etiam plena rectè dicitur profectò & pellis non solùm in planum, verùm etiam in rotundum sinum extenditur. Nam & uter (sicut) & vesica pellis est.*

Probatur Secundò: Ex Sexta Synodo Constantinop: quæ act. 13. recipit Epistolam Sophronii, in qua reprobatur doctrina, asserens, cœlestes non dari aquas, quas negare cùm non esset ausus Origenes dixit: *Angelos esse illas aquas*, imò etiam in sensu mystico S. Augustinus per aquas Angelos intelligit, sicut in Apocalyps. dicitur: *Aquæ multæ populi multi.*

Probatur Tertiò ex Patribus: qui in magno numero citari possunt, ut Justinus Martyr, Tertullianus, Cyrillus Hierosol. Hilarius, Basilius, Ambrosius, Hieronymus, Epiphanius, Damascenus, Anselmus. Sed mihi duo sufficiunt, Augustinus lib. 2. de Genes. contra Manichæos cap. 11. & lib. 11. Civit. cap. 34. contra eos, qui per aquas Angelos intelligunt, sic arguit: *Hi, qui in nomine aquarum, quæ super cœlos sunt, Angelos intelligi volunt, ponderibus elementorum moventur, & ideò non putant aquarum fluidam, gravemque naturam in superioribus mundi locis potuisse constitui, qui secundùm rationes suas si ipsi hominem facere possent, non ei pituitam, quod græcè φλέγμα dicitur, & tanquam in elementis corporis nostri aquarum vicem obtinet, in capite ponerent. Ibi enim sedes est phlegmatis, secundùm DEI opus utique aptissimè: secundùm istorum autem conjecturam tàm absurdè, ut si hoc nesciremus, & in hoc libro similiter scriptum esset, quòd DEUS humorem fluidum & frigidum, ac per hoc gravem, in superiore omnibus cœteris humani corporis parte posuerit, isti trutinatores elementorum nequaquam crederent.* Et lib. 2. Gen. litt. cap. 5. postquam variorum modos & explicationes attulisset, ait: *Quoquo modo autem, & qualeslibet aquæ ibi sint, esse eas ibi minimè dubitemus: major est quippè Scripturæ hujus authoritas, quàm omnis humani ingenii capacitas.* D. Chrysostomus hom. 4. in Gen. S. Ambrosius lib. 2. in Hexameron fusissimè; Hieronym. epist. ad Ocean. quæ est in ordine 32.

Operæ pretium autem censeo VI.
esse allegare Patrum rationes, ob quas asserunt, aquas esse super cœlum, nam quidam antiquorum censent, aquas à Domino DEO collocatas esse super firmamentum, ut, cœlum ab ardore astrorum præservarent, ita Theodoretus qu. 11. in Genes. Damasc. lib. 2. fid. & quem magis miror Beda. Alii quod adhuc viris gravibus minus dignum est, ut cœlum inconcussum à ventorum procellis firmaret. Ita Justinus Martyr, cognomento Philosophus. Aliquis addidit, ut radios astrorum, qui naturâ suâ ad superiora feruntur, deorsum ad bonum universi impellerent, sic Procopius. Quidam judicârunt id factum, ut aqua illa empyrei ardorem retùnderet; Ita Hilar. & cum eo iterum Beda. Simile est judicium Basilii, atque Ambrosii, id factum ut ignitæ virtuti in astra ac sphæram & mixta diffusæ essent temperamentum. Eamque opinionem D. Thomas suo adjectu probabilem reddidit, Postilla in Genes.

Aquæ [illegible] re sint supra [illegible]

Adhuc

Digitized by Google

Adhuc alii, inter quos videtur esse Augustinus, credunt & assignant causam, cur aquæ in alto illo positæ sint, ut Saturni frigidissimam stellam reddentes in fluxus frigidos in Mundo foverent. Denique S. Epiphanius judicavit id factum ad hoc, ut tanta copia aquarum in diluvio effundi posset, & homines obruere, quòd ferè repetunt Cyrillus Hierosol. & ex eo Magister Sententiarum, quos curioso Lectori allegare volui, melior non est, quàm DEI voluntas, sufficit nobis Scriptura, quæ asserit, aquas esse super cœlos.

Sed hîc oritur difficultas, quales sint illæ aquæ, quæ sunt super cœlos? sunt enim complures Authores & Patres copiosi, qui volunt esse ejusdem naturæ, sicut sunt elementares, prout etiam olim docui in mea Philosophia. Et qvamvis planior sit & simplicior hæc opinio, quæ Scripturæ sensum ac verba nullatenus detorquet, verum tamen censeo quoque probabile esse, diversæ esse naturæ, unde ne idem semper sapiamus, & utrumque tenere valeamus, etiam oppositum probabile teneo, quare

VII. Aquæ supercœlestes non sunt ejusdem rationis cum elementari.

Dico Quartò: *Aquæ supra cœlos existentes non sunt ejusdem naturæ cum nostris elementaribus, sed sunt de materia & natura cœlesti, sicut istæ sunt de natura elementari.* Hanc tenent complures SS. Patres, & post ipsos Lyranus noster. Probatur Primò ex D. Bonaventura 2. sent. d. 14. art. & q. 1. ubi rejectis aliis modis dicit: *Et ideò est tertius dicendi, quòd supra firmamentum, sicut dicit Scriptura, sunt aquæ, quæ tamen non habent naturam & speciem aquæ elementi, censetur tamen aquæ nomine propter convenientiam in aliqua proprietate, unde notandum est, quod aqua ista tres habeat proprietates, habet enim perspicuitatem, habet frigiditatem, habet nihilominus gravitatem. Quantum ad naturam receptivam luminis, & quodammodo retentivam, sicut experimento patet in aliquibus lapidibus, qui de nocte non videntur per se, nisi ponantur in aqua, quantum autem ad naturam gravitatis simpliciter differunt, illæ enim aquæ nullo modo sunt graves, nec appetunt deorsum, quantum verò ad naturam frigiditatis, partim conveniunt, partim differunt. Conveniunt in hoc, quòd utræque sint frigidæ effectivè, differunt autem in hoc, quòd istæ sint frigidæ formaliter, illæ verò minimè.* Expressius autem & argutius S. Thomas in quæst. disp. quæst. 4. conatur partibus satisfacere sic: *Videtur dicendum, quòd* (legendum est ut) *Scripturæ veritas ab omni calumnia defendatur, quòd aquæ illæ non sint de natura harum aquarum elementarium, sed sunt de natura quintæ essentiæ, habentes communem cum nostris aquis diaphaneitatem, sicut & cœlum empyreum cum nostro igne communem splendorem. Et has aquas quidam vocant cœlum Cristallinum*, quod uterque haurire potuit à communi eorum Doctore ac Magistro Alexandro illo Magno Alensi: Hic enim in 2. parte suæ Summ. *Aquas supra firmamentum esse* (inquit) *opinio tantùm est, nec certi determinatique quidquam habetur. Quare & ibidem nos eas esse affirmabimus, non tamen sub quacunque proprietate, sed sub ratione perspicui & lucidi, adeò & cœlum aqueum vel cristallinum dicamus esse ex luce & perspicuitate naturali, sicut ex complemento sui.*

Probatur Secundò ex ratione & natura loci, ubi sunt illæ aquæ: Quia DEUS in conditione omnium rerum dedit cuique locum suum & situm, prout cujuscunque natura postularet, licèt deindè aliquid exindè mutaverit in bonum universi, sed in conditione rerum dedit aquæ elementari penè infimum locum, quia proximè ad centrum mundi, ergò non dedit illi quoque locum penè supremum & super aërem, ignem ac alias octo sphæras cœlestes: Probatur consequ: Quia opposita non possunt esse ulli uni connaturalia, sed clarum est, quòd aquæ connaturale sit propè terram esse, ergò non est ei connaturale procul à terra esse, adeoque nec in cœlo, & multò

multò minus supra illud. Confirmatur Primò: Quia si uterque locus esset connaturalis aquæ, scilicet medium & circumferentia, tunc etiam duplex motus esset connaturalis aquæ, scilicet à medio & ad medium, sed hoc est impossibile, sunt enim ambo isti oppositi, incompossibiles, nempè ascensus & descensus, ergò. Confirmatur Secundo ex suprà dictis, quia aër etiam à principio conditus est, idque supra aquas juxta illud Genes. 1. *Spiritus ferebatur super aquas*, adeoque connaturale est aquæ subesse aëri, quod si verum sit, non poterit verum esse, quòd ei connaturale sit eminere aëri, sive esse in superiori loco, quo nec ipse aër aspirat.

Probatur Tertiò: Ratione ex conditione nostræ aquæ, quæ est corruptibilis, sed non est credibile, quòd corruptibile positum sit inter incorruptibilia; cœli autem sunt incorruptibiles, ergò. Cõfirmatur hoc ex Scriptura, Psal. 148. *Laudate Dominum de cœlis, &c.* in quibus ponuntur aquæ ibi: *Laudate eum cœli cœlorum & aquæ omnes, quæ super cœlos sunt.* quibus subditur: *Statuit eum in æternum.* Si autem cœli illi & aquæ supercœlestes destinati sunt ad æternam durationem, non est credendum, quod aliquod eorum sit corruptibile, nam hoc non potest ferre æternitatem, ergò. Econtra verò cœlestes aquæ non sunt corruptibiles, essent autem, si forent elementares. Imò dico, aquas elementares, si quæ ibi essent, non modò corruptibiles esse, sed dudum jam corruptas esse, nam patiuntur à contrario, nempè calore, quia nimirum cùm incumbant firmamento, rapiuntur ab eo furenti motu illo diurno, ut necesse sit eas vehementer incalescere, ultra quam credi potest, quia motus est causa caloris, ut axiomate circumfertur in Scholis, & experientiâ in foro extra illas, cùm constet plumbeas sagittas arcu emissas acquisito calore dissolvi.

Probatur Quartò ex alia Qualitate aquæ, quæ est gravitas, hæc enim inclinat deorsum & premit corpus sibi subjectum, quod proindè vim patitur, non est autem dicendum firmamentum vim pati, quia in æternis nulla est violentia, neque ullum violentum est perpetuum, ut etiam scholastico proverbio circumfertur. Argumentum hoc à gravitate non debet leve censeri, ut visum est quibusdam, qui illudere illud conantur novis hypothesibus, etiam si Scripturæ credamus (debemus autem credere) judicandum nobis est, quòd tanta moles aquæ elementaris cœlo illi incumbat, quanta est tota Oceani nostri Archipelagi cum omnibus finibus & partibus ejus, quanta omnium fluminum, fontium, stagnorum, rivorum, puteorum, &c. quia nimirum firmamentum factum est in medio aquarum, & tantum illarum relictum est supra firmamentum, quantum depressum est sub firmitate, si ergò sub firmamento sunt tot maria immensa, tam vasta flumina, & sciamus aquarum voragines esse sub utroque polo, quæ quantæ sint nescimus.

Dices: Aquas ibi non gravitare, eò quòd sint extra seriem & situm elementarem, taliter autem constituta non gravitant, quia gravitas & levitas sunt ad ordinanda inter se elementa, cùm ergò aliquod ex illis ponitur extra totum ambitum elementorum, ibi non debet gravitare aut levitare. Confirmatur, Quia certum est, quòd elementa aliquando non gravitent: si autem aliquando desinunt gravitare, maximè in casu, quo elevata sunt tàm immani spatio extra totum spatium elementorum, nullus enim videtur casus esse, qui magis exigat cessationem à gravitando. Probatur antecedens, Quia elementa in suis locis non gravitant, aqua fluminis in suo alveo decurrentis non gravat portitores, natans enim sub aquis habet supra se subindè 100. libras aquæ, neque tamen ullius pondus sentit. Idemque est de homine sub terra constituto, quamvis arctè se applicet ei. Deindè si pars terræ deferretur

Digitized by Google

retur extra mundum, certè non descenderet, adeoque non gravitaret. Verùm respondeo, negando antec: & dico omninò aquas ibi supra firmamentum adhuc gravitare, quia nimirum adhuc sunt intra hoc universum, ac proindè locus quilibet illis comparatus illis debet vel naturalis, vel violentus esse, ostensum est autem superiorem esse violentum aquis, ex quo sequitur, quòd ibi debeant gravitare. Deindè aquæ ibi sunt in circumferentia, habent ergò suum ordinem ad centrum sive medium, & si medium sit earum locus naturalis, propendent ad illud occupandum, hæc autem propensio est gravitas, ergò. Denique non est credibile, quòd si aperiretur hiatus aliquis in firmamento, quòd, inquam, non descenderent aquæ, imò multi sunt, qui causam de facto extitisse dicunt, neque intelligendum esse Genes. 7. quòd *cataractæ cœli apertæ sunt.* Quòd autem tunc descenderet, nunc interim gravitat, quia gravitare non est aliud, quàm inclinare ad *ubi* inferius, & quantum est de se eò ferri, si non impediretur.

VIII. Aquæ plures sunt diversæ speciei.

Arguitur in contra Primò: Si aquæ, quæ super cœlos sunt, essent alterius naturæ seu cœlestes, seu crystallus, aut alius aliquis igneus vel fluidus liquor, Moyses in descriptione sua Genesis enormiter æquivocaret, quia semel acciperet aquam pro liquido, altera vice pro solido: & licet dicere, illas aquas esse quoq; liquidas, sed alterius naturæ, attamen dicere possemus, etiam lac, vinum, oleum, & vitrum liquefactum in officina vitriaria posse vocari aquas, ergò sunt ejusdem naturæ. Respond. negando antec: cum suo illato, quia constat dari aquas specie distinctas, quæ omnes conveniunt in esse frigidi, liquidi, diaphani, coloris quasi argentei aut aëri, id est, nullius propriè, quæ omnia competunt illi cœlo, quod ab aliis crystallinum, & aqueum dicitur, non verò oleo aut lacti, ergò. Et totum erui potest ex pulchra doctrina, & quasi synonyma SS. Bonaventuræ & Thomæ supra. Certè aqua rosacea censetur & est verè aqua, & tamen est quid mixtum, non verò elementum, idemque est de aquis distillatis, adustis, & crematis, quas Pharmacopolæ vendunt. Pro Confirmatione dici potest, aquam illam sive cœlestem habere aliquid elementi, nam dicitur quinta essentia, nempè computatis quatuor elementis.

Arguitur Secundò: Si nomine aquarum intelligi potest cœlum illud superius, tunc incertum erit, ubi Spiritus Domini ferebatur super aquas elementares, an supra cœlestes, nam utrumque est aqua. Respond. negando illatum: in promptu causa est, quia nimirum illud superius relatum est ab historico nomine cœli, cùm diceret, in principio creavit DEUS cœlum & terram, sensus enim est, quòd produxerit creaturas cœlestes & elementares, uti suprà diversimodè textum illum explicui, nam phrasis Scripturæ est per cœlum & terram intelligere omnia tàm cœlestia, quàm sublunaria. Hinc illud tritissimum Psalm. 123. *Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram*, id est, omnia omninò tàm cœlestia, quàm terrena, sive subcœlestia. & hoc confirmat ipse textus Genes. Si quis advertat, nam cùm dixisset, quòd *creaverit DEUS cœlum & terram*, statim subdit: *Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi, & Spiritus Domini ferebatur super aquas*, quibus verbis prosequitur distinctè, quæ antè dixerat confusè, enumerat enim elementa seorsim, Terram suo nomine, aquam nomine abyssi, aërem nomine Spiritûs.

Arguitur Tertiò: Illo biduo, quo nondum factum fuit firmamentum, quòd aquæ superiores non miscerentur inferioribus, aut miraculosè factum est, aut naturaliter; non est dicendum, quòd miraculosè, non enim credibile est, quòd DEUS inceperit mundum à miraculis: Si autem naturaliter, tunc non erat

Digitized by Google

opus firmamento, nè miscerentur. Respond. id naturaliter factum, eò quòd aquæ illæ cœlestes non gravitent, & proindè non descenderunt. Quia tamen idem DEUS voluit id firmiter factum & duraturum, produxit in medio firmamentum. Scimus nos oleum superferri aquæ, vino supernatare, nec proindè tamen utrumque eidem vasi committimus. Respond. Secundò: Quod etiam supra attuli, quòd quamvis tunc non miscerentur, tamen periculum imò certitudinem fore mixtionis deindè secuturæ ob motum celerem cœlorum deindè futurum, quamvis tunc, id est, in biduo illo quiescerent, tàm rapida enim latio facilè misceret liquida sibi contigua. Respond. Tertiò: DEUM noluisse, ut cœli superiores sive aquei, sive ignei, aut empyrei viderentur à nobis pro hoc statu, & proindè interposuisse hoc alterum cœlum, quasi velum templi, ne illa Sancta Sanctorum paterent.

QUÆSTIO QUARTA.

De Opere tertiæ Diei.

1. Aquæ quomodo congregatæ tertiâ die?

Opera hujus Diei clarè recenset quoque Moyses in primo Genealogiæ Mundi capite, quæ potissimùm duo sunt, Congregatio aquarum in unum locum: *Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum unum.* Alterum productio herbarum: *Germinet terra herbam virentem & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum, cujus semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita.* Itaque

Dico Primò: *Hæc tertiâ die facta est congregatio aquarum in locum unum, debetque sic intelligi, ut fuerint ita dispositæ per terram, ut modò sunt, & ut terra apparuerit, ut modò apparet in aliquibus partibus, in quibus non cooperitur mari, nec fluminibus.* Hæc patet, Quia congregatio aquæ & collectio in uno tali loco erat magis opportuna ad beneficium mundi, quàm alia ulla; nec constat, quando aliter facta est postea talis, ergò dicendum est, factam esse hoc die, præsertim cùm verba Scripturæ æquè hujusmodi congregationi ac ulli alteri imaginabili accommodari possint.

Porrò nunc exurgit difficultas, quomodo illa congregatio facta sit? In quâ utplurimum desudant Authores, nam ut dicit Ecclef. cap. 3. *Cuncta fecit bona in tempore suo, & mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est DEUS ab initio usque ad finem.* Tres tamen sunt potiores explicandi modi; Primus congregationem aquarum factam fuisse per translationem aquæ ad unam partem superficiei convexæ terræ, quam antea aquæ occupârunt, quia occupârunt illam totam. Secundò congregationem hanc factam per condensationem aquæ, per hanc etenim illa occupat minorem locum, quàm aliàs, sicut contingit etiam in aliis corporibus. Tertius modus explicandi est per concussionem violentam terræ, ita quòd terra, quæ antea erat sphærica & solida concussa fuerit & disrupta in diversas caveas, cryptas, voragines, & sinus, ex quo factum quoque est, quòd excreverit alicubi in montes, colles, alibi in profundas scrobes, quæ aquam commotam & compulsam exceperunt, ita tres has sententias refert S. Thomas 1. p. q. 69. a. 1. ad secundum argumentum, ubi ait: *Secundùm alios tripliciter respondetur, uno modo, ut aquæ in majorem altitudinem sint elevatæ in loco, ubi sunt congregatæ, nam mare est altius terrâ, ut experimento compertum est in mari rubro*, ut Basilius dicit: *Secundò ut dicatur, quòd rarior aqua velut nebula terras tegebat, quæ congregatione densata est. Tertio modo ut dicatur, quòd terra potuit aliquas partes præbere concavas, quibus confluentes aquæ reciperentur. Inter quas prima videtur probabilior.* His ita præmissis

Dico

II. Aquarum congregatio potest dici earum productio.

Dico Primò : *Si ly In principio creavit DEUS cœlum & terram intelligatur materia informis, congregatio aquarum, & aridæ apparitio, benè dicuntur eorum productio.* Ita D. Augustinus lib. 2. de Genes. contra Manichæos cap. 12. ubi ait : *In isto loco Manichæi dicunt, si totum aquis plenum erat, quomodo poterant aquæ congregari in unum? sed jam superiùs dictum est, nomine aquarum materiam illam appellatam, super quam ferebatur Spiritus DEI, unde erat DEUS omnia formaturus. Nunc ergò cùm dicitur : Congregetur aqua, quæ est sub cœlo in congregationem unam, hoc dicitur, ut illa materia corporalis formetur in eam speciem, quam habent aquæ istæ visibiles. Ipsa enim congregatio in unum, ipsa est aquarum istarum formatio, quas videmus & tangimus. Omnis enim forma ad unitatis regulam cogitur. Et quod dicitur appareat arida : quid aliud dici intelligendum est, nisi ut illa materia accipiat visibilem formam, quam nunc habet terra ista, quam videmus & tangimus? superius ergò, quod nominabatur terra invisibilis & incomposita, materiæ confusio & obscuritas nominabatur, & quod nominabatur aqua, super quam ferebatur Spiritus DEI, eadem rursus materia nominabatur. Nunc verò aqua ista & terra formantur ex illa materia, quæ ipsis nominibus appellabatur, antequam formas istas, quas nunc videmus, acciperet.* Idem habet lib. de Genes. imperfect. cap. 10. Augustinum sequitur Gregorius Nissenus, Abulensis, D. Bonaventura in 2. d. 1. p. 2. & ante omnes tenuit etiam Philo Judæus &c. Et ratio est : Quia ipsum DEI dicere est præstare, & vocare est facere, Quia ergò *vocavit DEUS aridam, terram, congregationesque aquarum appellavit maria. Et vidit DEUS, quòd esset bonum*, consequenter tunc terram produxit in illa specie & forma ac mare, juxta illud Psalmi 148. *Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt.* Verumtamen stando aquas & terram hac die non fuisse substantialiter, ut communiter tenetur, & verisimilius ac conformius est textui Scripturæ, quæ nullius alterius meminit, quàm Congregationis aquarum & apparitionis terræ, hinc

III. Aquarum congregatio duplici modo facta est.

Dico Secundò : *Aquas fuisse congregatas non per solam translationem illarum ad unam partem superficiei terræ, nec etiam per solam condensationem earundem, sed utroque modo.* Ita D. Augustinus lib. 1. de Genes. ad litt. cap. 12. ubi primam partem sic adstruit : *Si autem totum* (aquæ) *texerant, quis erat locus, quo colligerentur, ut terræ ariditas appareret? nunquid non in altum congregatæ sunt, sicut fit, cùm ad ventilandum in area messis trita surrigitur, & congesta in aggerem nudat locum, quem diffusa contexerat? Quis hoc dixerit, cùm videat usquequaque campos maris æquabiliter fusos, qua etiam cùm aquæ fluctuantis quidam velut montes eriguntur, sedatis rursus tempestatibus complanantur. Et si qua littora nudantur latius, non potest dici nulla esse alia terrarum spatia, quo accedat id, quod aliunde decedit, unde in eum locum, ex quo recesserat, iterum accedat.*

Ratio etiam est : Quia secundùm communem saltem opinionem aliquorum terra multò altior est, quàm aquæ, nam Psalm. 23. dicitur : *Super maria fundavit eum*; quem Augustinus lib. 1. qq. Genes. qu. 132. explicans dicit : *Hæc locutio si intelligatur in Psalm. 1. ubi scriptum est, qui fundavit terram super aquam, non coguntur homines putare, sicut navem natare terram super aquam. Secundùm enim hanc locutionem rectè intelligitur, quòd altior sit terra, quàm aqua : Altius quippè ab aquis sustollitur, ubi habitant terrena animalia*, adeòque si in uno loco essent, in superficie defluerent. Et quamvis non sit dubium, DEUM omnipotenti sua virtute posse aquas etiam sic in superficie continere, uti Job. 38. dixit : *Circumdedi illud terminis meis, & posui vectem & ostia; & dixi : usque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Nihilominus non fuisset hoc

conveniens communi ordini divinæ providentiæ ſine ullo naturali medio per ſolum miraculum continuum aquas ſic continere, cùm DEUS utatur cauſis ſecundis in ordinariis effectibus, quando commodè fieri poteſt, prout hîc facilius fit per continentiam in foraminibus & cavernis.

Probo hoc ulterius implicare: Quia alioquin aquæ deberent facere proprium unum globum, quod tamen eſt contra experientiam & rationem, nam qui deſcendunt mare, & illud navigant, nunquam experti ſunt, ſe ad alium pervenire globum, & inſuper ſic non perficerent cum terra unam ſphæram, ſed duplicem in Ecclypſi lunari, quæ oritur ex interpoſitione terræ inter ſolem & lunam, & appareret aliquando iſtarum ſphærarum diſtinctio, cùm Eclypſis ſit ſimilis figuræ, qualem habet corpus interjectum, undè reſultat. Denique ſeqveretur, aquam & terram habere diverſum centrum, quod tamen falſum apparet ex eo, quòd aqua & terra naturaliter tendant deorſum per eandem lineam perpendiculariter.

Secundam partem ibidem docet D. Auguſtinus dicens: *An fortè rarior aqua velut nebula terras tegebat, quæ congregatione ſpiſſata eſt, ut ex multis eas partibus, in quibus arida poſſet apparere, nudaret.* quaſi diceret negativè.

Sequitur itaque tertia pars, quæ ſic declaratur: DEUS volens ipſum eſſe, & vivere, etiam animantibus aëris ac terreſtribus communicare, juſſit aquam retrò cedere, & oſtendere fundum ſuum: quod & factum protinus quadam quaſi fuga aquarum, ut ſupra Pſalm. retraxerunt enim ſe illæ, & ut fit in fuga multorum, quòd unus alium comprimit, ita hîc aquæ aquis inſiliêrunt, atque erexerunt ſe in ingentem molem. Quoniam autem illa altitudo & congeries liquidi ſupervacanea, imò importuna erat, cùm impediret orbicularitatem globi aquatici ac terreſtris, idem DEUS adhuc alia adhibuit, ſed ſvaviora media ad eundem finem, fueruntq; condenſatæ aquæ, per flatum venti vehementis planè, ſicut olim in exitu Iſraël de Ægypto, Exodi 14. *Cùmque extendiſſet Moyſes manum ſuper mare, abſtulit illud Dominus flante vento vehementi & urente totâ nocte, & vertit in ſiccum: diviſaque eſt aqua.*

IV. Aquæ etiam motione ſunt congregatæ.

Dico Tertiò: *Non ſola condenſatione, ſed etiam motione locali aqua congregata eſt ad locum unum, nempè ad præparatos antea magnos ſinus terræ.* Ita etiam D. Auguſtinus lib. 1. contra Adverſarios Legis & Prophetarum cap. 13. dicens: *Movet imperitiſſimus quiſpiam quæſtionem & reprehenſionem tanquam non rectè dictum, Congregentur &c. Ignorans quemadmodum aqua in aëreos vapores tenuata rareſcat, & nebuloſa caligine multum occupet ſpatii, exiguum verò ſi congregata denſetur, nec jam levis volitet, ſed gravis fluitet. Quid ergò mirum, ſi rara terram texerat, ſpiſſata nudavit. Quid ſi etiam divino nutu in magnos ſinus terra ſubſedit, atque ita quicquid naturæ humidæ per totum ejus jacebat, in partes concavas confluens, receſſit à cœteris, & quod operiebat aperuit, congregata in humiliora ſuccumbentia, quà mare interflueret, & circumflueret, atque altiora deſerens, quà orbis emineret?*

Probatur ulterius ex Hugone à S. Victore lib. 1. de Sacram. p. 1 c. 6. *Et qui nunc ſunt alvei ſive trachones aquarum: jam tunc in ipſo naſcentis mundi exordio in terræ corpora futura aquis receptacula parata erant. In quibus etiam magna illa abyſſus, (de qua omnium fluenta aquarum producenda ſive derivanda fuerant) patulo adhuc hiatu vacuoq; horrendum in præceps inane præferebat.* Et adhuc clarius cap. 21. *Locus unus, in quo congregatæ ſunt aquæ, quæ ſub cœlo erant, abyſſus magna creditur, quæ ab ipſo mundi exordio in terræ corpore, tantæ capacitatis facta fuiſſe putatur, ut omnium receptaculum aquarum eſſe potuiſſet.* Richardus item lib. 2. except. c. 7. *Abyſſus eſt concavitas terræ, quæ receptaculum inferiorum fu-*

by Google

tura erat aquarum. Ecce terram concavam priusquam aquæ in illa reciperentur, ecce capacitatem sive cavitatem in terra præsentem, cùm tamen receptio aquarum in ipsa adhuc esset futura.

Probatur etiam Ratione: Quia Scriptura Sacra significat hanc mutationem in aqua factam esse, non autem in terra: *Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt in locum unum, & appareat arida*, ubi quisque videt ad terram nihil pertinere nisi apparentiam, sive revelationem tanquam imago aliqua, cui velum obductum retrahatur, sed si aquæ congregatæ fuissent per cavernarum productionem, multò major mutatio contingeret in terra, hæc enim eatenus continua divideretur in segmenta, rumperetur, cavaretur, alibi efferretur in altum, aliàs deprimeretur in imum, haud dubiè maximo fragore, & crepitu, atque ita iste modus non nimis est conveniens S. Scripturis. Deindè, quia Scriptura in hoc negotio satis accurata fuit, & recensuit motus ac mutationes multò minoris notæ, quàm fuerint illæ, quæ in terra & aqua secundùm istos contigerunt, refert enim quòd terra ex parte conversa sit in arbores, in gramen, sive (ut loquitur ipsa) *in herbam virentem.* Refert fluxum unius fontis è terra &c. quantò magis describeret tàm vastas machinas, tàm immensas voragines, & caveas, si tunc illa proscindi contigisset. Et sanè si omnia omisisset, videri posset diminutè processisse, quippè quæ majora tacuit, nimis occupata circa minoris notæ objecta.

V. Montes & colles probabiliter tertia die facti sunt.

Dico Quartò: *Probabile quoque est, montes, valles, voragines, & cavernas hâc die fuisse factas.* Ita docet S. Damascenus, Rupertus lib. 1. in Genes. cap. 34. Probatur, Quia dum DEUS terram quibusdam in partibus elevavit ingentibus cavernis, quæ aquarum essent receptacula, relictis, quædam etiam discoopertæ terræ partes aliis depressis elevatæ manserunt, ut montium & convallium varietas existeret, quæ non solùm ad aspectum jucunda esset, sed etiam plurimum conferret ad regionum salubritatem, ad cohibendum ventorum impetum, ad arcendos maris fluviorumque incursus, ad rerum, quas terra ex se progenerat, fertilitatem & copiam. Quare licèt mentionem Scriptura non fecerit, per hoc negandum non est, nam etjam non fecit mentionem de igne, & tamen non est dubium factum esse, & fortè, primâ die, quando lucem fecit, undè hîc implicitè insinuatur, non verò explicitè, ut benè probabat ratio superior.

VI. Herbæ & plantæ productæ sunt tertia die.

Dico Quintò: *Hac eadem die tertia productæ sunt à DEO ex terra plantæ & herbæ omnis generis in debita magnitudine, & multitudine sufficienti juxta dispositionem terræ & influxus cœlorū, ac aliarum causarum secundarum tunc existentium, quæ postea saltem sine industria humana creverunt.* Hæc patet & probatur Primò ex Scriptura, Genes. 1. *Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum, & habens unumquodque sementem secundùm speciem suam.*

Probatur Secundò Authoritate D. Augustini lib. 4. Genes. litt. cap. 33. *Si rerum naturales motiones, dierumque istorum, quos novimus usitata spatia, cùm hæc primitus verbo DEI facta sunt, cogitemus, non uno die opus erat, sed pluribus: ut ea, quæ radicibus pullulant, terramque vestiunt, subter primitus germinarent: deindè certo numero dierum pro suo quoque genere in auras erumperent, etiamsi hoc usque fieret, quod de creata natura eorum die uno, id est, tertio factum Scriptura narravit.* Et lib. 5. *His enim verbis magis apparet, semina esse exorta ex herbis & lignis: non autem illa ex seminibus, sed ex terra, præsertim quia & ipsa verba DEI sic se habent. non enim ait, germinent semina in terra herbam fœni, & lignum fructuosum: sed ait: Germinet terra herbam fœni seminantem semen, ut semen ex herba, non herbam insinuaret ex semine.* Dixi autem in Conclusione: *Saltem sine industria humana*, quia si quæ tales

sunt, non erat necesse, ut hac die crearentur, sed potius id omittendum, antequam industria vel casu accideret, ut postea nascerentur, cœteræ verò omnes quoad speciem debebant hodie generari, quia nulla erat ratio, ob quam differretur earum generatio, & si verò generarentur à DEO aliquando particulari concursu, nunquam postea generari potuissent, sicut si nunquam primò produxisset ovum vel gallinam, nunquam in mundo reperirentur. Quòd autem in debita magnitudine eas produxerit, patet ex verbis illis facientem semen, & faciens fructum, nec enim illa de herbis aut plantis, quæ non essent debitæ magnitudinis ad generationem seminis & fructûs intelligi possunt tàm commodè. Deindè quòd in debita multitudine creatæ fuerint quantum ad speciem, patet, quia debita multitudo specifica est illa, quæ complectitur omnes species necessarias, quæ præsertim nec industriâ, nec casu generari poterant, nisi à DEO ipso prius crearentur, species autem necessariæ existimandæ sunt illæ, quæ hactenus generatæ sunt, sed ex illis omnes, quotquot nec arte, nec casu produci possunt, hac die creatæ sunt, & non erat necessarium, ut aliæ crearentur, quæ casu & industriâ creari poterant, ergò multitudo necessaria quoad speciem creata est hac die.

Difficilius est determinare de hac multitudine quoad individua, sed quod necessariò fuerint producta, non potest esse dubium, cur enim omitteret DEUS aliquod individuum, necessarium autem existimo de qualibet specie non nisi pauca individua à DEO producta hac die respectivè ad multiplicationem postea naturaliter propria propagatione factam, quia sicut pauca individua animalium produxerat primò, ita respectivè sentiendum à paritate rationis de plantis & herbis. Produxerat verò species diversas non omnes in qualibet parte mundi, sed quasdam in una, alias in alia, juxta conditionem locorum, & usum populi, quem postea prævideratfuturum in omnibus mundi partibus, sicut etiam sic reperiuntur de facto species illæ in mundo. Existimandum est primò eas in iisdem partibus productas, nisi paucas excipias, quas constat ex una mundi parte ad aliam translatas. Sed in contra

Arguitur ad probandum, quòd hoc die non fuerint plantæ & herbæ productæ in illa, quam dixi magnitudine, sed quòd DEUS tantùm creaverit in terra semen, ex quo postea debito tempore orirentur. Genes. 2. habetur: *In die, quo fecit DEUS cœlum & terram & omne virgultum agri priusquam germinaret*, ergò nondum germinârat. Confirmatur: Quia ita dixerat terræ, hodie germinet, sicut postea dixerat animalibus, crescite & multiplicamini, sed animalia, quando creata sunt, non habuerunt totum suum, nec ediderunt fœtus suos, ergò nec terra ediderat hoc die herbas & plantas in magnitudine asserta in conclusione. Respond. dist. conseq. ergò nondum usque ad illam diem, conc: ergò nec in illo die, neg: conf. sensus ergò est, quòd ante primam diem, qua DEUS produxit virgultum, nunquam germinaverit aut productum fuerit ex terra, non quod illa ipsa die non germinaverit. Ad Confirmationem neg: consequ: & ad probationem nego, quòd etiam animalia non habuerint justam magnitudinem, quando facta sunt, concedo verò, quòd non ediderint partus suos, quia id non solùm non erat necessarium, quandoquidem ipsamet, quæ creata erant, sufficiebant, antequam per naturalem propagationem multiplicarent se ipsa juxta virtutem datam ipsis à DEO illis verbis: *Crescite & multiplicamini*: nego verò, indè sequi, quòd tera non germinaverit prima die, quia habetur in Scriptura, quòd prima die protulerit herbas, & non habetur in illa, quòd animalia prima die multiplicaverit.

Dico

VII. Spinæ & tribuli producti sunt tertiâ die.

Dico Sextò: *Spinæ, tribuli, & herbæ venenosæ fuerunt productæ hoc die.* Hæc est communior opinio; & eandem tenet D. Augustinus lib. 3. Genes. litt. cap. 13. ubi sic loquitur: *Quæstio de spinis & tribulis solet oboriri, & quibusdam lignis infructuosis, vel cur, vel quando creata sint, cùm DEUS dixerit: producat terra herbam pabuli seminantem semen, & lignum fructiferum faciens fructum.* Et postquam allegâsset, quòd videatur de spinis & tribulis facilè responderi posse, tunc incepisse, cùm dixit post peccatum Adæ: *Germinabit tibi spinas & tribulos*: nihilominus ipse sic respondet: *Nec tamen facilè dicendum est, tunc cœpisse ista oriri ex terra, fortassis enim, quoniam in ipsis quoque generibus seminum multæ reperiuntur utilitates, poterant habere locum solum sine ulla pœna hominis, sed ut in agris, in quibus jam pœnaliter laborabat, etiam ista nascerentur, hoc ad cumulum pœnæ valere credi potest, cùm possent alibi nasci, vel ad avium pecorumque pastus, vel ad ipsorum hominum aliquos usus. Quamquam & ille sensus non abhorret ab his verbis, quo ita intelligitur dictum, spinas & tribulos pariet tibi, ut hæc etiam antea pariens, non tamen homini pareret ad laborem, sed animalibus ad convenientem cibum.*

Probatur ex Congruentia: Quia nulla est ratio, ob quam non producerentur propter eosdem usus, propter quos de facto serviunt, nam etiamsi non essent necessariæ, si Adam perseverâsset in innocentiâ, sicut nec reliqua pars mundi præter paradisum, qui solus habitaretur ab hominibus in illa hypothesi, præsciverat tamen DEUS ea futura necessaria post lapsum, quem tunc etiam prævidebat futurum, nec propterea earum creationem differre oportebat usque ad ipsum lapsum.

Dices: Illa fuisse ordinata à Deo in pœnam peccati Adæ, ut colligitur ex Genes. 3. *Spinas & tribulos germinabit tibi*, ergò decretum erat tunc tantùm quòd producerentur, & consequenter non erant ante producta. Respond. neg. conseq. Quia quamvis non essent producta, nisi esset peccatum, tamen ex suppositione peccati prævisi poterant antè produci etiam in pœnam peccati, quod prævidebatur ante futurum, & quamvis etiam essent producenda, etiamsi peccatum non esset committendum propter alios effectus, quos possent habere, tamen non germinarentur homini ad pœnam, nisi peccâsset, quia ita disponeret DEUS res, ut homini non nocerent, nisi commisisset peccatum, quod ipsum significari videtur per particulam *tibi*, quæ, nisi id significaret, superfluè adderetur, sufficeret enim dicere, spinas & tribulos germinabit.

Hæc de productione herbarum quoad substantiam, nunc occurrit quæstio speculativa, & sat curiosa: An scilicet terra sua naturali virtute concurrerit effectivè, ad productionem graminum, herbarum, & plantarum? An verò solus DEUS? nam terram materiali concursu cooperatam fuisse extra omne dubium est. Et ratio hujus quæsiti est: Quia Genes. 2. dicitur: *Istæ sunt generationes cœli & terræ, quando creata sunt, in die, quo fecit Dominus DEUS cœlum & terram, & omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis priusquam germinaret: non enim pluerat Dominus Deus super terram, & homo non erat, qui operaretur terram*: hic dicitur DEUM omnem herbam regionis fecisse, antequam terra germinaret, consequenter terra nihil fecit effectivè. Et contra verò cap. 1. post mandatum acceptum: *Germinet terra herbam*, statim subjungitur: *Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum, & habens unumquodque sementem secundùm speciem suam*; Ecce effectivè concurrit, nihil autem potest dici protulisse vel produxisse, nisi illud aliqua ratione attingat. Ad quam difficultatem ut respondeam:

Dico

VIII. Terra aliqua ratione effectivè concurrit ad producendas herbas.

Dico Septimò: *Quamvis Deus absolutè sua omnipotenti virtute ipsemet produxerit omnes herbas & plantas, attamen dici quoque potest, terram aliqua ratione etiam effectivè concurrisse.* Hæc quoad primam partem est extra omne dubium, quia DEUS *fecit cœlum & terram & omne virgultum agri, priusquam oriretur à terra.* Probatur secunda pars ex Scriptura quoque, nam cap. 1. Genes. dicitur: *Germinet terra herbam virentem, & lignum pomiferum, &c. & factum est ita.* Ut scilicet terra germinaret herbam virentem & lignum pomiferum, quod etiam expressum est ibi, neque relictum nostris illationibus, aut in consequentiis, subditur enim: *Et protulit terra herbam.* quo loco clarissimè efficientia significatur, nam germinare & proferre de se, est, aliquid agere.

Probatur eadem pars à simili: Si fœmina conciperet sine opera viri (& cum omni reverentia mysterii) ei quod gestum est à S. Virgine Maria Domini nostri Matre, quando concepit de Spiritu Sancto Christum Dominum, ac deinde peperit eundem, etenim in ipsa Spiritus Sanctus supplevit operam viri, id est, semen genitale, ac protinus formavit corpus humanum, concurrente tamen efficienter ipsa Virgine, alioquin non esset Mater illius prolis; Ita hic Dominus DEUS supplevit semina herbarum & arborum, admisit tamen secum concursum ipsius terræ, sicut admisit concursum Mariæ Matris, quæ alioquin Mater non esset, utrobique ergò egerunt partes suas, hinc inde Maria Virgo, & terra majores quàm materia, sed minores quàm Dominus DEUS, sicut vir est principalis author prolis.

Probatur Tertiò alio exemplo: nam corpus fœminæ alicujus emortuum prostet sub dio, & generentur ex eo vermes, certè fœmina illa non erit vera mater istorum vermium, neque corpus ejus, licèt ministraverit materiam ex qua, adeoque si S. Maria, si terra non aliud facit quàm ministrare materiam, natura erit mater, cum tamen utraque sit suo modo. Confirmatur primò: Quia Dominus DEUS sic administrat res, ut permittat causas naturales agere, quod notavit Augustinus, & ratio dictat, sed terra habet virtutem gignitivam graminum tanquam fœmina, & recipit semina sicut mulier à mari, adeoque influxit in effectum comunem scilicet gramen & virgultum totum. Confirmatur Secundò: Quia non sunt fingenda, neque admittenda miracula sine fundamento ex parte nostra, sine necessitate ex parte DEI, sed miraculum foret, DEUS totum efficeret, cùm sufficeret ei efficere partem, scilicet illam seminis in prima productione, & relinquere terræ activitatem suam, adeoque ita factum est. Sed in contra.

Opponitur Primò authoritas Scripturæ suprà citatæ: *Fecit DEUS cœlum & terram, & omne virgultum agri priusquam oriretur in terra*, ergò terra nihil effecit, nec ulla ratione præterquam materialiter concurrit. Confirmatur, quia sol tunc nondum erat, absque illius autem cooperatione terra nihil potest, ita ut sit vulgatum symbolum *sine sole nec umbra.* Respond. negando conseq. Quia illum textum Div. Augustinus lib. 5. Genes. litt. cap. 4. dicit. Terram hic intelligi causaliter produxisse herbam & lignum, id est, accepisse producendi virtutem, unde legitimus & genuinus sensus hujus loci est, quòd DEUS prius fecerit omne virgultum in materia originaliter dando ei potentiam activam concurrendi antequam oriretur, seu antequam appareret super terram essentialiter, in substantia, & in natura. Deindè sensus quoque est, DEUM seipso primò produxisse prima gramina & virgulta, & non expectâsse, donec terra illa produceret, sicut fit hodie, quem sensum satis insinuat Scriptura subsequens, nam subditur: *Nondum enim pluerat Dominus DEUS super terram,*

Digitized by Google

terram, & homo non erat, qui operaretur terram, quæ duo sunt necessaria ad naturalem frugum productionem, nimirum influentia cœlestis, & labor agricolæ. Ad Confirmationem Respond. Non fuisse solem, sed plusquam solem: nam sol suâ luce calefacit & fœtat terram, sed tunc aderat lux multò vehementior solari, sicut quæcunque facta à DEO immediatè excedunt facta à causis secundis.

Arguitur Secundò: Licèt admittatur terra habere virtutem germinandi & fructificandi, non tamen illa habet vim fructificandi subitò, sed tantùm per intervalla, at verò generatio & fructificatio prima illa facta est subitò, non autem per intervalla mensium, ergò non potuit offici à terra. Respond. Et si hoc non solvam secundum rigorem philosophicum, tamen ostendam esse solubile: Tota enim oppositio recurrit contra maternitatem Virginis Deiparæ Mariæ, nam licèt illa fuerit fœcunda & apta generare naturaliter, tamen non potuit naturaliter gignere aut formare corpus humanum in instanti, ut de facto fecit cum Spiritu Sancto, sicut ergò ibi illa virtute sua naturali aliquid fecit in opere supernaturali, ita hic Dominus dedit benedictionem, & terra nostra dedit fructum suum.

Arguitur Tertiò: Si terra concurrit ad gramen & virgulta, cùm gramen & virgulta fiant ex terra, & ipsa terra convertatur in illa, sequitur, quòd terra concurrat ad destructionem sui, quod à natura & ratione est alienum, ergò. Resp. Argumentum esse metaphysicum, sed pati cōtra se instantias physicas, tàm positivas, quàm negativas. Nam privatio est principium compositi generandi, adeoque novæ formæ, & tamen nova forma extinguit privationem, sicut & privatio formam, ergò potest aliquid esse principium sui destruendi. Deinde semen sive decisum ab animali, sive à vegetantibus concretum, quando committitur aut utero fœminæ, aut glebis terræ, sine dubio concurrit ad fœtum & fructum sequentem, idque efficienter (agit enim partes patris, qui solus est evidenter efficiens, nam de cœteris res est dubia) ut tamen hoc semen necesse est destrui, & construatur fœtus ac fructus, Joan. 12. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, nullum fructum adfert*, adeoque concurrendo ad fructum aut fœtum agit ad destructionem sui, quia in materiam illius introducitur forma fœtûs aut fructûs. Denique Natura indidit animalibus appetitum generandi sibi simile, hoc est, filios aut proles, & tamen generando proles & propagando speciem corrumpitur individuum paulatim, eò quòd vires patris transferantur in filios. Cùm ergò natura appetat conservationem speciei, necessariò convincitur agere ad destructionem individui, id est, sui, licèt indirectè. Undè in forma Respondeo ad argumentum supra allatum, distingu: maj: sequeretur, quòd Terra concurreret ad sui destructionem per se, directè, & ex intentione, seu naturali inclinatione, nego majo: per accidens, & indirectè, transeat: & dist: similiter min: nego consequentiam.

Quæres: An mineralia fuerint etiam hac die producta? Communior Sententia est, quod sic: Sed res est incerta, nam cùm non esset opus, ut à DEO ipso crearentur, nec erant necessaria humanis usibus, antequam possent naturaliter creari virtute solis ex partibus illis terræ, in quibus habentur, videtur magis connaturale esse, ut earum productio causis secundis relinqueretur, quia tamen productio fructuum ac plantarum in omnibus partibus mundi in debita magnitudine, in qua supponuntur creata, non erat necessaria usui hominum, qui non accesserunt ad illas partes ante longum tempus, & tamen facta est hoc die, ita dici potest de Mineralibus, fuisse etiam hac die producta. IX. Mineralia sunt producta tertia die.

Digitized by Google

QUÆSTIO QUINTA.

De Opere quartæ Diei.

I Hujus diei opus quoque est manifestum: sunt enim astra omnia, Sol, Luna, & Stellæ in partibus illis cœli, in quibus modò sunt. Verùm plures aliæ hîc occurrunt difficultates, quomodo astra, & luminaria illa sint producta, An videlicet per creationem substantialem? vel An per accidentalem? quarum quælibet iterum subdividi potest, nam productio substantialis alia est *Creatio*, & alia *Generatio*: Accidentalis verò alia potest fieri vel per collationem motûs, vel per collationem novæ influentiæ, seu virtutis activæ, quam viam qui tenent, necesse habent dicere, quòd luminaria omnia prima die sint producta in substantia. Verumtamen

II. Sol, & astra non sunt producta primâ die.

Dico Primò: *Nullo modo sustinendum est, Astra & luminaria cœli fuisse producta prima creationis die.* Probatur hæc Conclusio Primò ex Scriptura, quæ post diem tertium factum ait: *Dixit autem DEUS: Fiant luminaria in firmamento cœli, & dividant diem ac noctem, & sint in signa & tempora, & dies & annos, ut luceant in firmamento cœli, & illuminent terram.* Et post alia luminarium officia enumerata subjungit: *Et factum est vespere & mane dies quartus*, ergò non sunt facta primâ die.

Probatur Secundò: Quia dicere Solem & astra esse creata prima die, aperit viam ad negandam distinctionem sex dierum in creatione rerum adhibitarum, & cogit asserere in uno die imò in uno momento & instanti totam creationem esse peractam, quod, qui semel cœperit dicere, debet pergere dicendo, quòd dies sint cognitiones Angelorum claræ, & noctes cogitationes illorum obscuræ &c. quæ evertunt fidem totius historiæ, ac reducunt eam ad tropos. Patet autem sequi quia si omnes res, quæ referuntur, factæ quarta die, productæ sunt primâ, etiam res quintæ & sextæ, & multò magis res secundæ ac tertiæ, quæ proximiores sunt primæ, sed consequens est non solùm contra textum Scripturæ, sed contra mentem ejus, ut patet Deuteron. 5. & adhuc expressiùs, Exodi 20. *Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua &c. Sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt.* Et in ipsa Genesi assignatur ratio, cur septima dies sit sancta, quia nimirum in illo DEUS cessavit ab operando, id autem esset falsum, & deberet sanctificari potius secunda dies, quia in illo requievit, cùm omnia produxerit primâ. Deindè septima dies involvit haud dubiè viginti quatuor horas, tenentur enim Judæi tot horis vacare, etiam Christiani, adeoque singuli ex aliis sex; vel ergò mentitur Moyses, vel opera sequentium dierum non sunt facta in prima, sed opus secundæ diei expectavit viginti quatuor horas primæ, & illud tertiæ totidem secundæ: & sic de cæteris.

Probatur Tertiò: Quia si verum sit, quòd Sol creatus sit prima die, & hora statim à principio, falsum erit, quòd *tenebræ erant super faciem abyssi*, nam non possunt tenebræ esse cum lumine, volunt autem Adversarii solem statim à principio fuisse instructum suo lumine, adeoque dicet ille fortè, solem creatum esse in altero hemisphærio, Luna & Stellæ erant in nostro, quæ sanè sufficerent, nè tenebræ forent super faciem abyssi, cùm aquæ fluminum, & maris clarè videantur de nocte, maximè incremento Lunæ, & omnium summè in plenilunio, quô creditur illa creata. Deindè pòst creatam lucem DEUS dicitur complacuisse sibi, cum eam esset intuitus: *Vidit DEUS lucem, quòd esset bona*; & proindè: *divisit lucem à tenebris*, tenendo scilicet lucem in uno hemisphærio, & tenebras in altero, sed id non contingeret sic, sed aliter & prius, nam in ipso momento, quo sol erat in uno hemisphærio, tenebræ erant in altero, adeoque non poste-

tius

rius contigit hæc diviſio, neque per ſequens mandatum DEI, ſed ſtatim à principio fuit. Quo loco obſervandum eſt, debuiſſe præcedere duodecim horas tenebrarum in uno hemiſphærio, & totidem lucis in altero ante hanc nuncupationem, aliàs enim non ſubeſſet res his nominibus *dies*, *nox*; nam ſingula ex his poſtulant duodecim horas, ea tempeſtate ſaltem, qua mundus eſt conditus. Sed incontra

III. Sol & aſtra non ſunt per creationem producta.

Arguitur Primò: Niſi dicatur ſolem & aſtra producta fuiſſe prima die, nequit explicari, quomodo aſtra ſint producta? An per creationem ex nihilo? An per generationem ex præcedenti materia? non primo modo, ſive per creationem, quia hic repugnant omnes Theologi, quorum conſtans doctrina eſt, quòd DEUS negotium creationis ſtrictè ſumptæ abſolverit primâ die, imò primo momento, atque ita ſecuta omnia per generationem ex materia produxerit, ſed aſtra non produxit per generationem ex materia, quod fuit alterum membrum, & ſic probatur; nam illa materia eousque aut fuit informis, aut fuit formata: non informis, & non formata, primum non, quia materia ſine forma, aut impoſſibilis, aut certè difficillima, ſive magno miraculo exhibenda eſt, ad quod non poſſumus cogere DEUM, neque ſubeſt ratio cogendi aut cogitandi: Non etiam materia formata, quia talis debuit eſſe cœleſtis, ſed materia cœleſtis non poteſt ſpoliari ſuâ formâ, cùm compoſitum ſit incorruptibile. Reſpond. Solem & ſidera producta eſſe per generationem & eductionem ex materia, ut benè probat argumentum, ad cujus probationem per factam inquiſitionem, num materia illa fuerit eousque informis, an formata? dico fuiſſe formatam in ſubſtantia, ſed non forma cœleſti plenè ante ſecundam diem, neque forma ſolis plenè ante quartum. Nam ajo: Firmamentum factum eſſe per condenſationem aquarum cœleſtium ex parte, nempe media, quod ideò addo, quia remanſerunt aquæ aliquæ ſupra convexum firmamenti, & de iſtis intelligendæ ſunt Scripturæ, quæ paſſim aſſerunt, aquas ſupra cœlos eſſe. Materia ergò firmamenti fuit primâ die, imò ſecundùm quosdam ante omnem diem producta, tamen formam firmamenti, ſcilicet firmitatem ac ſoliditatem, non accepit niſi ſecunda die. Similiter de ſole &c. materia ejus fuit ante quartum diem, ſed carens illa ſoliditate, quæ ad ſolem & aſtrum requiritur: aſtrum enim eſt denſior pars ſui orbis, ac proindè aptius ejaculando lumini, quia minus diaphanum. Sicut ergò aquæ illæ liquidæ cœleſtes, ut fierent firmamentum, indurata ſunt, ita ipſum firmamentum adhuc amplius induratum, & condenſatum eſt, ut evaderet aſtrum, puta ſol &c.

Arguitur Secundò: Cùm dicitur DEUS feciſſe luminaria, & poſuiſſe ea in firmamento cœli, locus, quem occupârunt luminaria illa, antea aut fuit plenus, aut fuit vacuus, vacuus eſſe non potuit, quia talis naturæ repugnat, ſi autem plenus fuit, reſtat reſpondendum, quid factum ſit de illo corpore, cujus locum occupaverunt aſtra? in cœlis manere non potuit, cùm deeſſet ei locus, alibi minus, ſcilicet inter ſublunaria, quia ſingula ferè aſtra majora ſunt totâ mole terræ &c. nec dum omnia. Reſpond. ad hoc per fidem, quod locus ſiderum, puta ſolis &c. fuit plenus, & quidem ipſis ſideribus quantum ad ſubſtantiam, quia illa materia homogenea totius cœli evecta eſt ad eſſe aſtri per condenſationem & duritiem, ſicut aquæ noſtræ poſſunt magis & minus dureſcere in Cryſtallum.

Arguitur Tertiò: Scriptura innuit, quòd producta ſint ſidera ſubſtantiali actione, non autem accidentali tantùm. Antecedens patet ex illo *fiat*; item *fecitque DEUS duo luminaria magna*. Reſpond. noſtram vulgatam editionem quidem hæc habere, ſed in Hebræo non legi *fiat*, ſed *ſit* utrobique, quod certè non ne-

cessariò significat substantialem productionem necessariò, potest enim verificari de re præcedenti. Sed Dices, secundo loco etiam in Hebræo habetur *fecit*. Respond. verum est, sed secundus locus est commentarius, aut quasi repetitio quædam primi, nam illi *fit* subdit, & factum est ita. Respond. Secundò, hanc difficultatem omnibus solvendam esse, eadem enim dicuntur de firmamento: *Dixitque DEUS fiat firmamentum, dividat aquas, & fecit DEUS firmamentum*, neque tamen volunt communiter Theologi tunc productum esse substantialiter firmamentum secundùm omnes partes, sed tantùm per condensationem præcedentium, quasi ex aqua fieret Crystallus. Respond. Tertiò, facta esse tunc astra illa non in esse astrorum, sed in esse luminarium. Sed contra omnia adhuc

Arguitur Quartò: Saltem id factum est per condensationem, sed cœli sunt incapaces condensationis: tùm ob eorum invariabilitatem; tùm quia condensato corpore aliquo relinquitur vacuum, nam minorem locum occupat densum, quàm rarum, vel si non contigerit, tunc vacuum, DEUS debuit producere plus materiæ & quidem cœlestis ad occupandum illum locum, quod etiam est absurdum, nam totam materiam, & omnem terminum veræ creationis produxit Dominus à principio. Respond. falsum esse, quòd cœli sint incapaces condensationis aut raritatis, ut patet in firmamento, quod tale evasit per condensationem materiæ, ut supra. Ad illud de vacuo unum ex duobus dici potest, scilicet DEUM, sicut condensavit partem illam cœli, quæ cessit in solem &c. ita rarefecisse aliam, quæ relicta est cum proportione ad decrementum, quod accepit magnitudo ejus per condensationem materiæ, quæ facta est sol: vel non esse absurdum vacuum in cœlestibus. Cur enim? & unde?

Arguitur Quintò: Luna non habet lumen à se, sed à sole, sed hoc non facit luminare, ergò. Maj: conceditur passim ab Authoribus, dicunt enim, quòd luna reflectit lumen solare, quando incidit in ipsam, & ejaculatur in terram, hoc autem non sufficit ad luminaria, aliàs chalybs & æs, &c. essent luminaria, nam singula illa reflectunt lumen solis, si autem luna proindè non est luminare, quomodo erit magnum luminare? Respond. Certum esse, quòd luna habet à se lumen, ac non tantùm à sole, quia videntur à nobis, tametsi obscurè, illæ partes ejus, quæ non illustrantur à sole; sed quia hoc lumen est exiguum, & minus lumine stellarum firmamenti, atque etiam aliorum planetarum, ut Jovis & Martis, propter quod non sufficit, ut luna dicatur, aut sit luminare magnum. Respond. latum discrimen esse inter lunam & chalybem atque alia supra numerata, chalybs enim non aliud facit, quàm repellere à se lucem, sicut pila à pariete resilit juxta angulos incidentiæ, at verò luna recipit in se lumen tanquam canalis quidam, & deinde effundit.

IV. Sol & alia quomodo possunt dici secundo die producta esse.

Dico Secundò: *Si sol est de substantia firmamenti, ejusdem rationis & naturæ, substantialiter conditus fuit secunda die, & accidentaliter quarta die in esse luminaris, ità quòd DEUS constipaverit & condensaverit illam partem cœli, quæ in solem formata est, atque etiam simul lucem illam primogeniam illi infuderit, & pro subjecto determinaverit.* Hæc videtur clarè posse deduci ex Scriptura, nam Isaiæ 30. dicitur: *Et erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum, in die, qua alligaverit Dominus vulnus populi sui, & percussuram plagæ ejus sanaverit.* Ex qua authoritate sic argumentor: Post resurrectionem lux solis erit septempliciter major quàm nunc sit, & consequenter intendi debebit, sed quod intenditur, non est de substantia & natura ejus, sed qualitas ab extrinseco adveniens, ergò etiam lux solis est tale quid, & consequenter con-

Digitized by Google

constipata & condensata una cœli parte illi infusa & indita fuit, naturæ enim rerum sunt immutabiles, & nullatenus intensibiles, unde solis proprietas est, posse habere lucem eamque subjectare, sicut homo potest acquirere scientias, & in se intendere: Confirmatur: Tùm ex illo Ecclef. 43. *Sol in aspectu annuntians in exitu, vas admirabile opus Excelsi.* Si vas, ergò quasi lucis receptaculum, ad quod DEUS magna arte lucem collocavit. Tum Genef. 1. *Fecitque DEUS duo luminaria magna; luminare majus, ut præesset diei: & luminare minus, ut præesset nocti: & stellas*, ubi notanter dictum est, DEUM fecisse *luminaria*, & non dixit solem & lunam, per quod insinuatur, DEUM quodammodo se gessisse in eorum fabricatione, sicut nos, quando accendimus candelam, tunc enim non producimus candelam in esse candelæ, sed in esse luminaris, quia facimus quod effundat lumen illud, quod indidimus, ita etiam DEUS jam ante quartam diem habuit præparatum solem in substantia, hæc autem quarta die fecit illum in esse luminaris.

Probatur Secundò Authoritate Patrum: August. lib. 11. de Civit. cap. 7. ubi post examen illius lucis, quæ prima die creata est, ejusque natura tandem subjungit: *Aut enim lux aliqua corporea est, sive in superioribus mundi partibus longè à conspectibus nostris, sive unde postmodum sol accensus est.* Basilius, qui præ aliis eleganter ait: *Solis corpus conditum esse, ut illi primigeniæ luci vehiculum esset.* Nazianzenus Orat. 43. de lumine loquens ait: *Nec verò id organicum*, id est, subjectatum *à principio, nec mea quidem sententia solare protulit, verùm incorporeum, sed postea ad orbem terrarum illustrandum, soli traditum est.* Anastaf. Synaita post alia multa: *Quando quarta die fabricatur orbis solis, & lux illa, quæ est ubique præsens, in eo ponitur.* Basilio subscribit, ut solet, Ambrosius, ipsius enim est illud:

Quarto die qui flammeam
Solis rotam constituens,

Urbanus VIII. correxit sic:

Dum solis accendis rotam.

Ubi advertendum est, non dici, quòd Dominus DEUS quarto die solem statuit, vel rotabilem aut volubilem eum fecit, sed flammeam, indens scilicet ei lucem, per quam flammas excitat, & tamen hæc stropha (ut & totus hymnus) authoritatem habet non unius Sancti tantùm, sed etiam Ecclesiæ, quæ illum assumpsit & recitat in officio hujus diei, nempe feria IV.

Dico Tertiò: *Si Sol & astra sunt alterius substantiæ & naturæ, ut probabiliter sunt, à corporibus cœlestibus, dicendum est, hac quarta die eos fuisse quoad substantiam creata secundum figuram, magnitudinem densitatem & lucem.* Probatur: Tùm, Quia sic Scriptura secundùm litteram sumpta sonat, asserens, simpliciter hac die ea omnia facta esse, sed in materia historica stylus, litteralisque sensus aliis est præferendus, ergò. Tùm, Quia si sint simul cum cœlis vel firmamento facti, debuisset, vel saltem congruentius potuisset lux illa prima die creata affigi, quæ tamen vel alteri corpori conjuncta vel sola vagabunda fuit relicta: Tùm, Quia potuissent jam tunc distinguere diem & noctem, nec fuisse necesse ad lucem illam recurrere: Tùm denique ipsissimus modus loquendi Scripturæ id satis ostendit, nam sicut DEUS dixit: *Fiat lux, fiat firmamentum*, ita dixit: *Fiant luminaria*, non autem dixit, producant cœli luminaria, aut producat lux primogenia solem & lunam, sicut de herbis, piscibus, & animantibus. Argumenta; quæ contra hanc Conclusionem adferri possunt, jam superius sunt soluta.

V. Sol & astra in alia via propriè sunt producta quarta die.

Dico Quartò: *Sol & Luna cum stellis sunt facta, ut dividant diem & noctem.* Probatur Primò ex Scriptura, Genef. 1. *Et præessent diei ac nocti, & dividerent lucem ac tenebras.* & Psal. 135. *Qui fecit luminaria magna, Solem in potestatem diei, lunam & stellas in potestatem noctis.*

VI. Sol & Luna facta sunt, ut dividant diem & noctem.

Digitized by Google

Probatur Secundò ex Patribus: Augustin. qui in hunc locum lib. de Genes. imperfect. sic dicit : *Nonne jam DEUS diviserat inter lucem & tenebras, & vocaverat lucem diem, & tenebras noctem? ex quo apparet, eum inter diem & noctem divisisse. Quid sibi nunc vult, quod dicitur de luminaribus, & dividant inter diem & noctem: An ita nunc sit ista divisio per luminaria, ut hominibus nota sit etiam solis carnalibus oculis ad rerum istarum contemplationem utentibus? Ita verò DEUS eam fecit ante circuitum luminarium, ut videri nisi à paucis sano spiritu & serena ratione non possit? an inter aliumdiem & aliam noctem divisit DEUS, id est, inter speciem, quam imprimebat illi informitati: & informitatem, quæ adhuc formanda restabat? Alius verò est ista dies, & alia nox, quorum volvente cœlo vicissitudo animadvertitur, quæ fieri non posset, nisi solis ortu & occasu.* Declaratur etiam hoc explicatione, Quia per hoc officium ostenditur differentia inter lucem prima die factam, & lucem luminarium, ibi enim non dicitur, quòd lux divideret inter diem & noctem, seu lucem à tenebris, sed quòd DEUS diviserit, quia illa lux non habuit proprium motum à se, sed per diffusionem & contractionem à DEO factam, aut per commotionem Spiritûs, qui super aquas ferebatur, ut dixit S. Basilius, sed luminaria habent proprium motum à se secundùm naturam à DEO sibi collatam, unde illis propriè convenit dividere, nam dies aliud non est, quàm *latio solis super terram & hemisphærium nostrum.*

VII. Sol & Luna non sunt in signa eventuum liberorum.

Dico Quintò : *Sol & Luna non sunt in signa & tempora eventuum liberorum, sed tantùm effectuum, variationum temporalium naturalium abillis naturaliter pendentium.* Hæc est indubitata fides Catholica, & probatur prima pars ex Scriptura Deuteren. 18. *Gentes istæ, quarum possidebis terram, augures & divinos audiunt: tu autem à Domino DEO tuo aliter institutus es.* Jeremiæ 10. *Hæc dicit Dominus: juxta vias gentium nolite discere: & à signis cœli nolite metuere, quæ timent gentes.* Isaiæ 44. *Ego Dominus faciens omnia, irrita faciens signa divinorum, & ariolos in furorem vertens. Convertens sapientes retrorsum: & scientiam eorum stultam faciens.* Ad Galat. 4. *Dies observatis & menses, & tempora & annos. Timeo vos, nè fortè sine causa laboraverim in vobis*, in quibus omnibus locis prohibetur divinatio per astra, solem, & lunam, quæ scientia ordinariè vocatur Astrologia Judiciaria, quæ gravissimè semper fuit prohibita, hinc

Probatur Secundò eadem pars tàm ex Jure Canonico, quàm Civili, nam in Concilio Toletano I. cap. ult. dicitur : *Si quis Astrologiæ vel Mathesi credendum esse dixerit: anathema sit.* & cap. 26. q. 3. 4. 5. Item Sixtus V. in motu proprio, qui incipit : *Cœli & terræ*, sub gravissimis pœnis eandem damnat *L. Nemo, & L. ac Codice de Maleficis & Mathematicis* &c. ubi jubentur Astrologi & Mathematici puniri eodem modo ac Nigromantici.

Probatur Tertiò authoritate Patrum, Augustini lib. 5. de Civit. cap. 1. ubi Astronomorum ignorantiam in duobus geminis perstringit, dicens: *Veruntamen ut concedamus non eos, ut debent loqui, & à Philosophis accipere oportere sermonis regulam, ad ea prænuncianda, quæ in siderum positione, se reperire putant, qui fit, quòd nihil unquam dicere potuerint, cur in vita geminorum, in actionibus, in eventis, in professionibus, artibus, honoribus, cæterisque rebus ad humanam vitam pertinentibus, atque in ipsa morte sit plerumque tanta diversitas, ut similiores eis sint, quantum ad hæc attinet, multi extranei, quàm ipsi inter se gemini, per exiguum temporis intervallum in nascendo separati, in conceptu autem per unum concubitum uno etiam momento seminati.* Et quia aliqui Mathematici videntes, se in liberis hominis actibus non posse subsistere, dicebant, sidera influere ad corporalia tantùm, quod iterum refellit exemplo duorum gemellorum,

rum, quorum unus masculus, alter fœmina, cap. 6. *Cùm igitur non usquequaque absurdè dici possit, ad solas corporum differentias afflatus quosdam valere sidereos, sicut in solaribus accessibus & decessibus videmus etiam ipsius anni tempora variari, & lunaribus incrementis atque decrementis augeri & minui quædam genera rerum. Sicut Echinos & Conchas, & mirabiles æstus oceani, non autem & animi voluntates positionibus siderum subdi: nunc isti, cùm etiam nostros actus inde religare conantur, admonent, ut quæramus, undè nec in ipsis quidem corporibus eis possit ratio ista constare: Quid enim tam ad corpus pertinens quam corporis sexus? & tamen sub eadem positione siderum diversi sexus gemini concipi potuerunt. Unde quid insipientius dici aut credi potest, quàm positionem siderum, quæ ad horam conceptionis eadem ambobus fuit, facere non potuisse, ut cum quo habebat eandem constellationem, sexum diversum à fratre non haberet: & positionem siderum, quæ fuit ad horam nascentium, facere potuisse, ut ab eo tam multum virginali sanctitate distaret?* Et quia in his & similibus aliquando tangunt aliquid, tandem concludit ope dæmonum ista fieri, cap. 7. verbis sequentibus: *His omnibus consideratis non immeritò creditur, cùm Astrologi mirabiliter multa vera respondent, occulto instinctu fieri spirituum non bonorum, quorum cura est, has falsas & noxias opiniones de astralibus fatis inserere humanis mentibus, atque firmare, non horoscopi notati & inspecti aliqua arte, quæ nulla est.* Et alibi sæpè maximè in lib. 5. Confess. & lib. 1. contra Academicos Astrologiæ vanitatem insigniter perstringit.

Probatur secunda pars, Matth. 16. Ubi Christus Dominus ex astris dicit colligi posse naturales effectus; *Facto vespere dicitis: Serenum erit, rubicundum est enim cœlum. Et manè: Hodie tempestas, rutilat enim triste cœlum.* Et Lucæ 12. *Cùm videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis: Nimbus venit, & ita fit: & cùm Austrum flantem, dicitis: Quia æstus erit, & fit.* In quibus locis similes prædictiones de temporum mutatione probat. Quia sol & luna distinguunt quatuor tempora anni tempestatum, plantationis, sementis, messis, vindemiæ: sunt quoque signa dierum naturalium, artificialium, sacrorum, forensium, hebdomadarum, Mensium, annorum solarium & lunarium. Item tempestatum, pluviarum, frigorum, calorum, ventorum, &c. quamvis hæc & similia magis sunt aëris, non cœlorum mutationes, ab influxu tamen cœlorum emanare credendum est.

Idem docet S. Augustinus lib. de Genes. Imperfect. cap. 13. ubi ait: *Cùm adjungit* Scriptura: *Et in diebus, & in annis: ostendit quæ dixerit tempora, ut dies fiant conversione fixorum siderum, anni verò manifesti, cùm sol signiferum circulum peragit: obscuriores autem, cùm id unumquodque vagorum siderum in suis orbibus facit.* Et lib. 2. Genes. litt. cap. 14. *Cùm dicit de sideribus, & sint in signa? neque enim illa dicit, quæ observare vanitatis est, sed utique utilia, & hujus vitæ usibus necessaria, quæ vel nautæ observant in gubernando, vel omnes homines ad prævidendas aëris qualitates per æstatem & hyemem & autumnalem, vernalemque temperiem. Et nimirum hæc vocat tempora, quæ per sidera fiunt non spatia morarum, sed vicissitudines affectionum cœli hujus.* Sed contra primam partem.

Opponitur authoritas Scripturæ, Isaiæ 34. *Et tabescet omnis militia cœlorum, & complicabuntur sicut liber cœli: & omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vinea & de ficu.* quod de ultimo judicio intelligunt interpretes, sicut etiam habetur Apocal. 6. *Et cœlum recessit sicut liber involutus: & omnis mons, & insulæ de locis suis motæ sunt*, ergò nunc & de facto cœli aperti sunt, in quibus legere possimus illa omnia, quæ futura & eventura nobis sunt. Confirmatur ex libro, cui titulus *Narratio Jacob*, in quo Jacob dicitur

tur locutus fuisse filiis : *Vidi in tabulis cœli quæcunque vobis & filiis vestris sunt eventura*, ergò. Respon. negando consequent: Quia uterque textus aliud non volunt, quàm in judicio cœlos abscondendos ob horrorem diei illius, ita quòd amplius non erunt aperti ad annuntiandum gloriam DEI, quæ ex pulchritudine eorum cognita & intellecta oritur. Imò noster Lyranus dicit, quòd cœli in fine mundi complicabuntur, quia deinceps Gentiles Mathematici amplius iis veluti libro prognostico uti non poterunt. Noster quoque Sasbouth ideò ait complectendos cœlos, quia definit motus, & ordinarius eorum usus, ac influentia, non aliter quàm cùm desivimus uti libro, illum claudimus. Alii dicunt, hanc comparationem ideò factam à Propheta, quia sicut liber seu volumen veterum cylindro complicatum & involutum legi non poterat absconditis litteris, sic cœlum ejusque stellæ quasi litteræ absconden-tur nigris nubibus, ut amplius videri non poterit. Et puto ideò hanc metaphoram assumptam, Quia DEUS nunc dicitur *extendere cœlos sicut pellem*, Psal. 103. & Job. 9. *Qui extendit cœlos solus*, tunc autem complicabuntur, quia cessabit eorum usus, & finis venit, ob quem creati fuerant, nempe gloria DEI, ornatus universi, & utilitas hominis, nam *omnia propter semetipsum operatus est Dominus*.

QUÆSTIO SEXTA.

De Opere quintæ Diei.

I. Aquis in quinquies DEUS est operatus.

ADmirabilem suam sapientiam ostendit Altissimus in creatione totius universi, nam incepit à cœlo, & definit in terra, *Creavit cœlum & terram*, etenim primâ die lucem fecit, alterâ firmamentum, tertiâ segregavit aquam ab aqua, aridamque vacuam vestivit herbis & plantis; Deinde regressus iterum est quartâ die ad ornandos cœlos, quæ omnia sicut ordinatissimè disposuit faciendo, ita etiam ornando; nam cœlum quoque ornavit primò luminaribus & stellis, deindè regressus ad inferiora, incipit ab elementis atioribus, aëre & aqua scilicet, easque ornat piscibus & avibus, de quibus in hac quæstione agendum. Itaque

Notandum autem, DEUM hac die jam quintâ vice operatum fuisse in aquis: Prima operatio ejus fuit creatio abyssi. Secunda illius fœcundatio per suum Spiritum, qui proinde quasi quodam incubatu *ferebatur super aquas*. Tertia fuit divisio earundem, & expansio firmamenti medii, ne unquam deindè confunderentur. Quarta congregatio aquarum subcœlestium in unum, Quinta hodierna germinorum ac fœtuum ex illis eductio.

Dico Primò: *Quintâ die creavit DEUS pisces & aves in debita varietate, magnitudine, & multitudine*. Ita textus: *Dixit autem DEUS: Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile super terram sub firmamento cœli*, ubi per reptile intelliguntur pisces, qui ideo reptilia vocantur, quia pedibus carent, & repere videntur sicut colubri super terram, unde etiam David Psal. 103. dicit: *Hoc mare magnum & spatiosum manibus: illic reptilia, quorum non est numerus*. Ita etiam docet D. Augustinus lib. de Genes. imperfect. cap. 14. *Ea, quæ natantia sunt animalia reptilia sunt appellata, quia pedibus non ambulant. An quia sunt alia, quæ sub aqua in terra repunt? An sunt pennata in aquis, sicut pisces squamas habent, vel alii, qui non habent, sed tantum pennis nituntur, qui utrum inter volatilia hoc loco numerandi sint, dubitari potest*. Et quamvis sint aliqua animalia aquatica, quæ pedes habent, ut sunt Crocodilli, & equimarini, iis tamen utuntur veluti remis, adeoque adhuc reptilia vocari possunt. Amphibia autem, quæ Cicero ancipitis vitæ vocat lib. de natu. Deorum. 2. qualia sunt Castor, seu Fiber, Lutra &c. eò quòd tàm in aquis, quàm terra degant, tàm natant, quàm currunt,

II. Pisces & aves quinta die produxit DEUS.

Digitized by Google

runt, & hæc propriè reptilia vocari non possunt. Porrò fuisse omnia reptilia in debita magnitudine facta, clarè liquet ex textu: *Creavitq; Deus cete grandia.*

III. Aves unde productæ, est quæstio varia.

Hæc quoad substantiam creationis, nunc loquor verbis Div. August. lib. Genes. imperf. cap. 14. *Ipsa volatilia cur aquis tribuerit, non aëri, nonnulla quæstio est, non enim has aves tantùm accipere possumus, quibus aquæ familiares sunt, quales mergi & anates, & quæcunque hujusmodi, nam si de his tantùm dixisset, non prætermitteret alio loco de aliis avibus dicere, inter quas nonnullæ usque adeò ab aquis remotæ sunt, ut ne bibant quidem, nisi fortè istum aërem terris contiguum, quoniam se humidum etiam serenissimis noctibus rore testatur, aquam vocavit, qui & in nubem cogitur, nubes autem aqua est, quod omnes sentiunt, quibus contingit in montibus inter nubila, vel etiam in campis inter nebulas ambulare. In hoc quippè aëre volare aves dicuntur.* Fuit ergò quæstio olim, & est inter antiquos, sed est etiamnum adhuc hodie inter Recentiores, An aves de aqua sint productæ, an verò de terra? in quo dubio tres sunt modi resolvendi, nam aliqui aquam assignant pro avium materia *ex qua*; Alii aërem, & tertii terram: primi habent pro se Scripturam; secundi auctoritatem S. Augustini; tertii rationem naturalem, unde videndum, quidnam verius dici possit. Rationem dubitandi præbuit Scriptura ipsamet, nam cap. 1. Genes. *Dixit etiam DEUS, producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile super terram sub firmamento cœli.* & cap. 2. *Formatis igitur Dominus DEUS, de humo cunctis animantibus terræ, & universis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam*; in primo loco videtur expresse asserere, aves ex aqua esse productas, in hoc autem posteriori loco attribuitur illis *humus* seu terra: Et utriusque opinionis authores eodem planè modo respondent ad Scripturam sibi objectam, nam dicentes terram esse materiam, dicunt tò *Producant*, non esse construendum cum utraque parte propositionis, quamvis sit copulativa, sed cum prima sola, & in altera parte jam novam esse constructionem, quod probant, quia per duo interjecta punctula distinguuntur. Similiter aquam ponentes pro materia dicunt ly *humo* cadere tantùm super animantia seu bestias, non verò super volatilia.

IV. Aves esse productas ex aere est probabile.

Dico Primò: *Probabile censeo aves productas esse ex aëre, qui aquæ nomine compellatur.* Ita censet S. Augustinus lib. 1. de Gen. contra Manichæos cap. 15. *Hi solent* (Manichæi) *reprehendere quærentes, vel potiùs calumniantes, quare animalia non solùm ea, quæ in aquis vivunt, sed etiam ea, quæ in aëre volitant, & omnia pennata de aquis nata scriptum sit? sed sciant omnes, quos hæc movent, istum aërem nubilosum & humidum, in quo aves volant, à doctissimis hominibus, qui hæc diligenter inquirunt, cum aquis solere deputari, concrescit enim & crassius efficitur exhalationibus, & quasi vaporibus maris & terræ, & de ipso humore pinguescit quodammodo, ut volatus avium portare possit. Ideò per noctes serenas etiam rorat, cujus roris guttæ manè in herbis inveniuntur*, ubi clarè docet, per aquam aërem esse intelligendum, qui maximè cum aqua symbolizat. Sequuntur Augustinum Beda, Rupertus, Eucherius, & S. Thomas.

Probatur etiam Ratione: Quia de terra producta sunt animantia, de aquis natatilia, consequens etiam est, ut aër fœcundetur, cum omnia elementa acceperint suam benedictionem, nam ipse quoque ignis suas habet bestias, prout D. Augustinus de Salamandra scribit lib. 21. de Civit. cap. 4. & generaliter loquitur, quando cap. 2. de quibusdam dicit: *Esse animalia profectò corruptibilia, quia mortalia, quæ tamen in mediis ignibus vivant, nonnullum etiam genus vermium in aquarum calidarum scaturigine reperiri, quarum fervorem nemo impunè contrectat: illos autem* non

non solùm sine ulla sui læsione ibi esse, sed extra esse non posse.

V. Aves probabilius ex terra sunt productæ.

Dico Secundò: *Probabilius puto aves ex terra fuisse productas.* Hæc est Ambrosii Catherini, Cajetani. Probatur Primò ex Scriptura supra allegata cap. 2. Genes. *Formatis igitur Dominus DEUS, deh umo cunctis animantibus terræ, & universis volatilibus cœli:* Ex quo sic argumentor: Illa est probabilior sententia, quæ habet pro se Scripturam & rationem, atqui hæc hoc habet, ergò: Major est certa, probatur Min: ex mox dicendis rationibus, ergò. Probatur Secundò ex eadem Scriptura subtiliùs examinata: *Creavitque DEUS cete grandia, & omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, & omne volatile secundum genus suum.* In quo loco apparet quasi manifestè de mente Moysis, quòd aquæ non habuerint partem in productione volatilium, quia nimirum hæc separatim ab eo ponuntur, & quidem diverso modo ac pisces, si enim censuisset ille aves æquè ex aqua, aut ab illa productas, sufficiebat ei dixisse, quòd creaverit DEUS omnem animam, quam produxerant aquæ, ibi enim includerentur etiam aves. Deindè autem addere illas seorsim, videtur esse superflua repetitio, ergò, cùm separatim utrasque disparaverit, signum est, singula suo modo prodiisse, idque diverso ab altera.

Confirmatur tripliciter, Primò sic: Quia ad partem illam, quæ procedit de piscibus *Cete grandia, &c.* addit historia, *quam produxerant aquæ*, at verò ad illud *omne volatile*, non addit, significans certè prima animantia ab aqua prodiisse, sequentia non.

Confirmatur Secundò: Quia iterum Scriptura mutavit phrasim, & stylum inter utrosque, nam de piscibus ait, quòd producti sint secundùm species suas, de volatili autem *secundum genus suum*, adeò voluit nos judicare, latum discrimen esse inter utrasque, neq; genus utriusq; esse unum, sicut latissimè differunt genus & species.

Confirmatur Tertiò ex tenore hebraici textûs, qui longè alius est à latino, Hebræus enim sic habet: *Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile volet super terram*, ubi vides nullam partem aquis assignari in productione avium.

Probatur Conclusio Tertiò Rationibus naturalibus, quarum sit prima, quia unumquodque ex illis conservatur, ex quibus coalescit, sed aves conservantur & nutriuntur terrâ & genitis ex ipsâ, ergò: Probatur min: Quia aves nutriuntur granis & seminibus, quæ sicca & solida sunt, in quo videre est apertum discrimen eorum à piscibus, nam pisces aqua aluntur, & majores minoribus, qui sunt quasi aqua concreta. Secundò: Quia si aves ex aqua & ab ipsa prodiissent sicut pisces, etiam in illa habitarent, non minus quàm illi, unusquisque enim ductu naturæ libenter in sua patria degit, sed evidens est, aves non in aquis degere, sed in terra, in arboribus nidificare, in scopulis, lignis &c. Tertiò: Hinc sequeretur, quòd si ex aquis essent, sicuti pisces, ut adversarii volunt, & videtur significare Scriptura, non egerent respiratione, patet consequ: à piscibus, qui proinde nec attrahunt aërem, nec respirant. Confirmatur totum, Quia respiratio est instituta à natura quasi quædam refrigeratio cordis & hepatis, sed pisces non egent refrigeratione, cùm sint frigidissimi, contrarium autem videmus experientiâ in avibus, adeò ut multæ ex illis soleant à nobis occidi intercluso halitu, ut passeres, turtures, & si in aquam ceciderint, submerguntur, &c. Quartò denique: Quia pisces & aves sibi opponuntur ex diametro ambo illa genera, pisces enim muti sunt, aves canoræ ac musicæ, & usque adeò non damnatæ silentio, ut quædam humanas voces exprimant, etiam peregrinas & doctrinales, loqvuntur enim aliquæ vernaculâ linguâ, loqvuntur latinè ac græcè pro re nata,

tam

tàm immane autem discrimen utrorumque non contingeret, si forent fratres ab eadem matre geniti, ut volunt adversantes.

Probatur Quartò, Ratione morali: Quia si aves essent ex aquæ materiâ non minùs quàm pisces, non essent vetiti in diebus jejunii, neque quisquam hoc violaret vescendo illis. Patet à paritate piscium, consequ: sed fallitas consequentis ex usu & præcepto Ecclesiæ, quæ certè meritò interdixit nobis esu avium inter jejunandum; sunt enim illæ non solùm veræ carnes, sed delicatæ, ut patet nedum in pullis gallinaceis, sed in turdis, alaudis, phasianis, perdicibus, &c. Confirmatur ex ovis gallinarum & anserum, quæ in partibus illis, ubi lacticinia in quadragesima non admittuntur, æquè vetita sunt, quia trahunt secum naturam suæ materiæ, sicut & lac, quod non est, quàm sanguis quidam concretus & coagulatus. Sed in contra

Opponitur authoritas Ecclesiæ, quæ in hymno feriæ quintæ ad vesperas sic canit:

Magnæ DEUS potentiæ,
Qui fertili natos aquâ
Partim relinquis gurgiti,
Partim levas in aëra.
Demersa lymphis imprimens
Subvecta cœlis erigens.
Ut stirpe ab una prodita
Diversa repleant loca.

Ubi Ecclesia docet, ex fertili aquâ productas esse aves & pisces, in gurgite relictos pisces, in aëra esse levatas aves, ita ut ex eadem materia geniti diversa repleant loca. Respond: Equidem ista ibi legi, & ab Ecclesia cani, sed nego esse Canones fidei; Hymnus enim est S. Ambrosii, in cujus reverentiam Ecclesia permittit illi doctrinæ probabilitatem, si autem illa sit probabilis, etiam opposita erit; nam si opposita sit improbabilis aut damnata, hæc erit articulus fidei, aut definita, quod absit. Itaque, quæ ex SS. Patribus inferuntur officio Rom: non statim faciunt articulos fidei, sed duntaxat piam doctrinam.

Instatur: Aves tàm benè degunt in aquis quàm pisces, ergò signum est, aves quoque ex aqua esse genitas, antec: patet. Nam Cigni, Grues, Filucæ, Mergi, Alcyones, & alia amphibia, ergò. Respond. negando consequ: Quia aves longè aliter degunt in aquis quàm pisces, pisces enim merguntur in aquis, natant in profundo, & ibidem prolificant, aves verò nonnisi in superficie aquæ manent. Hæ rationes, sicut & aliæ plures, Tùm ex authoritate Scripturæ ac Patrum sunt, quæ me movent ad unam faciendam distinctionem, quare

Dico Tertiò: *Probabilissimum est aves aliquas de aquis, & alias de terra esse productas.* Hac ratione & conclusione reconciliantur Scripturæ, nam primò manifestè astruit, aves de aqua esse factas, intellige *aliquas*, & in secundo loco aves esse de humo formatas iterum supple aliquas, quia aliquæ sunt ita terrestres, ut planè nullam habeant cum aquis symbolizationem, ut Struthio-Camelus, qui licèt pennas habeat, sit bipes, volare tamen non potest, habetque tantum calorem in stomacho, ut ferrum digerere dicatur, hoc saltem certum est fine delectu quæcunque vorare & digerere. Coturnices similiter sunt aves valdè terrestres. VI. Aves aliquæ ex terra, aliæ ex aqua sunt productæ.

Probatur Secundò: Quia legitima una versio non habet simpliciter *volatile*, sed *volatile pennatum*, ita quòd ly volatile non debet referri ad aves, sed ad pisces pennatos, & hæc est doctrina S. Augustini lib. de Gen: imperf. cap. 15. ubi præfatum textum examinans dicit: *Cur additum est pennatum? An potest esse volatile, quod pennas non habet? Sed si potest, nunquid hoc genus fecit DEUS, quandoquidem non invenitur, ut sit factum? an omninò potest quicquam volare fine pennis? nam & vespertiliones, & locustæ, & muscæ, & si quid hujusmodi est, quod plumis careat, pennis non caret, sed pennatum additum est, nè solas aves intelligeremus, quoniam pisces pennati sunt, & super*

super terram volant infra aquas: ideò non dictum est aves, sed volantia generaliter & volatile pennatum.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Opere sextæ Diei.

I. *JAm nunc consequens erat*, utor verbis S. Augustini lib. 3. de Gen. ad litt. cap. 11. *Ut DEUS alteram partem, quæ propriè terra dicitur, infimi hujus loci, quem totum cum omnibus abyssis & nebuloso aëre universaliter vocabulo terræ alibi Scriptura complectitur, ornaret animalibus suis.* Author naturæ DEUS, eam imitatus est in conditione totius universi, nam post Angelorum creationem semper ab imperfectioribus ad perfectiora progressum fecit, in iis, quæ materia constant; nam primò cœlos creavit; firmamentum fecit, luminaria constituit, & hæc sunt inanimata, post illa produxit vegetabilia, deindè sensitiva; & tandem animal rationale. Itaque hac die

II. Animantia sensitiva producta sunt sextâ die. Dico Primò: *Sexta die DEUS produxit primò animantia sensitiva super terram existentia, quæ in tribus generibus enumerat, in reptilibus, jumentis, & bestiis.* Ita textus Genes. cap. 1. *Dixit quoque DEUS: Producat terra, animam viventem in genere suo, jumenta, & reptilia, & bestias terræ secundùm species suas*, in quæ verba scribens S. Augustinus gratiosè declarat, quæ animantia per illa tria genera secundùm litteram intelligantur lib. 3. de Genes. litt. cap. 11. dicens: *Manifesta sunt animalium genera, quæ in verbo DEI terra produxit. Sed quia sæpe nomine pecorum vel nomine bestiarum animalia omnia rationis expertia solent intelligi, meritò quæritur; quas nunc propriè bestias, & quæ nunc pecora dicat. Et repentia quidem sive reptilia terrena, non est dubitandum, quòd omnes serpentes intelligi voluit; quamquam & bestiæ dici possint, pecorum autem nomen non usitatè serpentibus convenit. Rursum leonibus & pardis & tigridibus & lupis & vulpibus, canibus etiam & simiis, atque id genus cæteris usitatè convenit vocabulum bestiarum. Pecorum autem nomen his animalibus accommodatius aptari solet, quæ sunt in usu hominum sive adjuvandis laboribus, ut boves & equi, & si qua talia: sivè ad lanificium, vel ad vescendum, ut oves & sues. Quid ergo sunt quadrupedia? Quamquam enim hæc omnia præter quædam serpentia quatuor pedibus gradiantur, nisi tamen hoc proprio nomine quædam vellet intelligi, non utique hic etiam quadrupedia nominaret, quamvis de his in repetitione tacuerit. An cervi, & damulæ, & onagri, & apri, quia neque illis bestiis, ubi leones sunt, conjungi possunt, similes enim sunt illis pecoribus, neque tamen sub humana cura sunt, propriè quadrupedia nuncupata sunt: quasi reliqua essent hæc animalia, quibus ista appellatio generalis quidem, cùm multis propter numerum pedum, sed tamen speciali significatione tribueretur.*

Pro intelligenda Scripturæ notandum ex eodem citato S. Augustino, non esse simpliciter dictum *reptilia*, sed additum *terræ*, nam ut S. Pater ait: *In repetitione quadrupedum nomen non iteravit, quia reptilium vocabulo fortasse complexus est: unde ibi non simpliciter ait reptilia, sed addidit omnia reptilia terræ. Ideò terræ, quia sunt & aquarum, & ideò omnia ut illic intelligantur, quæ quatuor etiam pedibus nituntur, quæ superius quadrupedum nomine propriè significata sunt.*

Notandum Secundò: Scripturam quoque diversimodè loqui de ornatu terræ, qui factus fuit in productione herbarum, & in productione animantium. Nam cùm jussisset Dominus DEUS: *Germinet terra herbam virentem*, Subdit Scriptura: *Et factum est ita, & protulit terra herbam.* In secundo autem, cùm retulisset, quòd idem Dominus DEUS jussisset: *Producat terra animam viventem*, non subdit: & protulit terra animam viventem, sed ait: *Et fecit DEUS bestias terræ juxta species suas*,

Digitized by Google

ſuas, innuens terram non æquè concurrere ad iſta, quæ perfectiora ſunt, ac ad vegetata, quæ ipſi terræ innixa manent; & continuantur quaſi quædam partes ejuſdem.

Quibus præmiſſis moventur aliqua dubia de his animantibus: utrum quæ ex putri materia à Domino DEO hac ſexta die producta ſint? intellige in ſpecie, non verò in ſingulis individuis. Item, an illa, quæ ex commixtione exotica diverſarum ſpecierum prodeunt? Tertiò, an hac die animalia noxia à Domino DEO producta ſint Aſpides, Dipſades, Baſiliſci, Crocodilli, Lupi, Leones; de primis non eſt tanta difficultas; in tertiò, SS. Patres cùm hærerent in affirmando; & negando, tertium quid quaſi medium elegerunt.

Aſſerere ipſis durum videbatur, nè quid pœnale, aut formidandum haberet Adam in illa felicitate; Negare item, cùm conſtet, hæc conducere ad ornamentum; & complementum univerſi: Præterea etiam indè, quia non poſſent iſta nunc haberi ex ſemine; niſi prima individua ex primævo ſemine præceſſiſſent; hinc dixerunt, omnia à principio fuiſſe producta; ſed non fore formidanda Adamo, niſi peccaſſet. Ita Anaſtaſ. Gregor. item Nicen. Eucher. Auguſt. &c. paſſim, unum Chryſoſt. adduco: *Neque enim* (ait ille) *hujusmodi feræ antea homini terribiles; nec ab eo fugiendæ; ſed cicures & manſuetæ; poſtquam autem præteritum mandatum, & DEO non obeditum eſt, plurimum honori detractum.* Quod etiam repetit alibi dicens: *Beſtiarum* hujusmodi, *inſultus in memoriam nobis revocare primi parentis peccatum; illud ſcilicet, per quod incurrimus eorum lanienam ac feritatem.* Interim quæ ſunt leviora, expedio priùs, &

III. Inſecta animalia probabiliter die ſexta fuerunt producta.

Dico Secundò: *Inſecta quoque probabiliter, quæ ex putri materia generari ſolent; hac quoque die creata ſunt.* Ita D. Auguſtinus lib. 3. de Geneſ. litt. cap. 11. ubi dicit: *Majore attentione ſtupeamus agilitatem muſcæ volantis, quam magnitudinem jumenti gradientis, ampliusque miremur opera formicarum, quàm onera Camelorum.* Sed utrum in primis rerum conditionibus, *quæ iſto ſex dierum ordine creatæ narrantur, hæc quoque minima inſtituta credamus, an poſtea conſequentibus corruptibilium corporum ſolutionibus? hoc quæritur? & quod poteſt quidem dici ea minutiſſima, quæ vel ex aquis, vel terris oriuntur tunc creata; in quibus etiam illa non abſurdè intelliguntur, quæ naſcuntur ex iis, quæ terra germinante orta ſunt.*

IV. Animalia ex putrefactione corporum & exotica nõ fuerunt in prima creatione producta.

Dico Tertiò: *Animalia, & animalcula, quæ ex putrefactione corporum & animantium perfectorum ſudoribus, aliisque cauſis oriuntur, non ſunt hac die producta, niſi potentialiter in iis corporibus, ex quibus gignuntur.* Et hæc etiam eſt D. Auguſtini locò citato; ubi ait: *Cætera verò, quæ de animalium gignuntur corporibus: & maximè mortuorum, abſurdiſſimum eſt dicere tunc creata; cùm animalia ipſa creata ſunt, niſi quia inerat in omnibus animatis corporibus vis quædam naturalis; & quaſi pro ſeminata materia, eo quodammodo initiata primordia futurorum animalium, quæ de corruptionibus talium corporum pro ſuo quæque genere ac differentiis erant exortura, per adminiſtrationem ineffabilem omnia movente incommutabili Creatore.*

Quod dixi de ſimilibus animalculis; idem cenſeo dicendum de iis; quæ per commixtionem exoticam generantur; ut mulus ex aſino & equa, linx ex lupo & cerva, leopardus ex pardo & leæna; qualia monſtra quotidie dicuntur in Africa generari; & certum eſt generari ex plurium aliarum ſpecierum commixtione, ſicuti etiam hortulani noſtri plures pomorum, fructuum, & florum ſpecies per inſertionem alterius rami & rami producunt; quibus omnibus ſufficit; quod in ſuis ſpeciebus heterogeneis ſint producta. Progredior ergò ad reſolvendam poſitivam difficultatem tertiam, pro qua

V. Animantia venenoſa & efferata fuerunt etiam ſexta

Dico Quartò: *Hac quoque die producta fuerant animalia venenoſa beſtiæ feroces & homini nocivæ; atque formi-*

die produ-ctas.

formidabiles, quæ tamen statu innocentiæ perseverante nunquam nocuissent. Probatur Primò per deductionem ex Scriptura factam, nam Genes. 1. dicitur: *Creavit DEUS hominem ad imaginem suam, ad imaginem DEI creavit illum, masculum & fœminam creavit eos, benedixitque illis DEUS, & ait: Crescite & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & universis animantibus, quæ moventur super terram.* Ex quo sic argumentor; Tàm benè DEUS commisit Adamo dominium terræ, ac dominium bestiarum etiam quando fuit in statu Innocentiæ existenti, sed in illo statu datum fuit illi & dictum, ut eam subjiceret sibi, utique per laborem & industriam eam operando & colendo, ergò etiam sic datum fuit illi super bestias terræ, & consequenter etiam in statu Innocentiæ fuerant bestiæ feræ & nocivæ. Confirmatur primò: Quia Dominium involvit potestatem coactivam, ut patet in illo, *Dominamini piscibus maris, & volatilibus Cœli,* sed tàm pisces, quàm aves fuissent adhuc cogendæ in statu Innocentiæ, ut ipse textus innuit, ergò non fuissent. Confirmatur secundò: Dominium non involvit exercitium obedientiæ, sed tantùm jus in illud, nos hodie habemus verum Dominium nostrarum ferarum, draconum, luporum, leonum, quos emimus, sed an proinde illæ deponunt erga nos feritatem? nonne sunt tàm terribiles ementibus quàm aliis? Habemus Dominium servorum nostrorum, sed quoties eorum rebellionem experimur.

Probatur Secundò ex D. Augustino lib. 14. de Civit. cap. 11. *Cui stanti, scilicet Adamo, quoniam ipse ceciderat, invidebat, colubrum in paradiso corporali, ubi cum duobus illis hominibus masculo & fœmina, animalia etiam terrestria cætera subdita & innoxia versabantur, animal scilicet lubricum, & tortuosis anfractibus mobile, operi suo congruum, per quem loqueretur, elegit,* ergò fuit ibi serpens. Idem sentire videtur lib. 3. de Genes. litt. cap. 15. ubi dicit: *Sanctus Daniel inter leones salvus atque intrepidus vixit, qui non utique DEO mentiens in oratione non tantùm peccata populi sui, sed etiam sua fatetur. Et in ipsius Apostoli manu mortifera vipera adhæsit, nec læsit. Potuerunt ergò ista etiam creata nihil nocere, si causa non extitisset, vel terrendorum puniendorumque vitiorum, vel probandæ perficiendæque virtutis: quia & exempla sunt demonstranda patientiæ ad profectum cæterorum, & ipse sibi homo in tentationibus certiùs innotescit, & justè salus ille perpetua, quæ turpiter amissa est per voluptatem, fortiter recipitur per dolorem.* Et cap. seqventi solvit dubium incidens examinando causam, cur sibi invicem noceant ajens: *Dicet aliquis, Cur ergò invicem bestiæ nocent, quibus nec peccata ulla sunt, ut vindicta ista dicatur, nec ullam recipiunt tali exercitatione virtutem? ideò nimirum, quia scilicet aliæ cibi sunt aliarum: nec rectè dicere possumus, non essent, quibus aliæ vescerentur. Habent enim omnia, quamdiu sunt, mensuras, numeros, & ordines suos, quæ cuncta meritò considerata laudantur, nec sine occulta pro suo genere moderatione pulchritudinis, temporalis etiam, ex alio in aliud transeundo mutantur.* Denique lib. 1. de Gen. contra Manichæos, cap. 16. *Omnia animalia aut utilia nobis sunt, aut perniciosa, aut superflua. Adversus utilia non habent quid dicant. De perniciosis autem vel punimur, vel exercemur, vel terremur, ut non vitam istam multis periculis vel laboribus subditam, sed aliam meliorem, ubi securitas summa est, diligamus, & desideremus, & eam nobis pietatis meritis comparemus. De superfluis verò quid nobis est quærere? Si tibi displicet, quod non prosunt, placeat, quod non obsunt, quia etsi domui nostræ non sunt nececessaria, eis tamen completur hujus universitatis integritas, quæ multò major est, quàm domus nostra, & multò melior. Hanc enim multò melius administrat DEUS, quàm unusquisque nostrûm domum suam. Usurpa ergò*

utilia,

utilis, cave perniciosa, relinque superflua. In omnibus tamen cùm mensuras, & numeros, & ordinem vides, artificem quære, nec alium invenies, nisi ubi summa mensura, & summus numerus, & summus ordo est, id est, DEUM.

Probatur à priori, quia per peccatum non est variata natura corporum, nè ipsius quidem peccatoris, puta hominis, quantò minus aliorum, quæ ob ipsum facta sunt. Quod confirmatur, quoniam ex communi doctrina à Dionysio accepta in ipsis *dæmonibus naturalia manserunt integra*, cùm tamen multò gravius peccaverint, quàm primus homo. Confirmatur, Quia mundus non est factus totaliter, sed ut maximè principaliter propter hominem, universaliter propter DEUM, partialiter autem ob alia, puta animalia & plantas: *Universa propter seipsum operatus est Dominus*, sed quæ sunt homini perniciosa, sunt aliis animantibus utilia & salutaria, nam sturni impunè cicutas comedunt, coturnices helleboro aluntur &c. Aliàs, etiamsi nihil homini periculosum fieret à principio non deberet condi abyssus, quia in illa potest homo submergi; non ignis, quia potest uri &c. fateor tamen in istis non currere plenam paritatem, nam herbæ perniciosæ non possunt nocere homini, nisi velit, bestiæ autem possunt, licèt nolit, possunt enim invadere ipsum ac discerpere in frusta, quod tentavit leo in Davidem, & præstitisset piscis in Tobiam, nisi Angelus obstitisset.

Probat aliquis Quartò Conclusionem, Quia ista cicuratio bestiarum, & submissio spontanea earum, quæ ex natura sua sunt feræ ac indomitæ, videtur esse paradoxum, & reddi difficilem fidem, adeoque cavendam esse, & fugiendam. Antec: probatur, quia ad eam habendam debuit poni in animalibus illis justitia originalis, hoc autem est intolerabile, quod ostendit sequi, quia concupiscentia hominis rebellat rationi sibi relicta, ac proindè, nè rebellaret, DEUS infudit homini habitum illum pretiosum & planè admirabilem justitiæ originalis, ergò si animalia illa fuerunt, ut certissimè fuerunt feræ, & ex se terribilia homini, ut redderentur mansveta, atque obedirent ad nutum ei, nec unquam vires suas in eum exercerent, nisi ipso concedente, certè aliquid ipsis superaddi debuit, quasi frænum & quidem artificiosum, ac valens, quod tantam feritatem coërceret, hoc autem est, quod à Theologis dicitur justitia originalis, appellatur enim eo nomine, non quia reddidit justum aut sanctum, cùm fuerit in corpore hominis, sed quia reddidit tranquillum, & pacificè utentem suis potentiis, ergo si Adam accepit pacem & obedientiam non solùm à suis potentiis, quæ aliàs forent ei efferatæ, sed etiam à feris, sequitur justitiam illam & habitum illum habitum esse non solùm à potentiis ipsius hominis, sed ab animalibus externis ac feris. Verùm Probatio hæc est subtilior quàm verior, dico ergò, quod poterat DEUS continuâ suâ providentiâ procurare, nè animalia ista homini nocerent. Sed contra Conclusionem

Arguitur sic: Nisi Adam peccasset, nullam molestiam pateretur, sed feræ istæ carni- voræ & crudeles haud dubiè essent ei molestæ nisi cicurarentur à DEO, vel certè omitterentur non productæ, non est autem credibile, eas fore improductas à DEO, ergò fuerunt ab eo cicuratæ, quod est intentum. Respond. Quòd bestiæ illæ, & alia perniciosa tàm in reptilibus, quàm in herbis non nocerent homini, quamdiu innocentiam servaret, eò quòd ille interim semper in paradiso habitaret, sic autem non forent bestiæ violentæ, nec reptilia venenata, benè autem in reliqua terra.

Instatur: Gen. 1. v. 28. dicitur: *Replete terram & subjicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & universis, quæ moventur super terram.* Quæ intelligenda sunt de terra, de qua hactenus histori-

storicus, nam certum est, quod in paradiso non fuerit mare, ergò. Confirmatur totum ex alio textu ibidem: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, &c. ut sint vobis in escam.* Adeóque jam homo habitaret liberè in terra extra, & vesceretur fructibus ejus, atque ita communicaret cum jumentis: additur enim ibi, quòd herbæ illæ essent in usum *cunctis animantibus terræ.* Respond. Hæc quidem dicta esse, & factum iri, nisi DEUS melius providisset Adamo, quod fecit: Deindè enim introduxit eum in paradisum tanquam habitaculum eo dignum, neque concedendum feris. Adam ergò, si perseverasset, semper habitaret in paradiso, & quia non erat perseveraturus, Dominus DEUS præparavit ei ac Posteris habitaculum magis spatiosum, sed minus commodum, scilicet terram elementarem ac rudem. Confirmatur ex illo Evæ ad Serpentem: *De fructu lignorum, quæ sunt in paradiso, vescimur*, non autem promiscuè de omnibus totius terræ.

Dices: Hæc omnia non solvere instantiam factam, quia poterat Adamus pro suo libitu & libertatis exercitio excurrere extra paradisum, & inambulare terram, & tunc incidere in bestias carni-voras, quæ ipsum læderent, nisi essent cicuratæ. Respond. omninò potuisse bestias, tamen non læsuras ex singulari DEI providentia, quæ non debet dici frustranea, vel DEO otiosa, nam uti dicitur Psalm. 126. *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.* Respöd. Secundò: Fortè Adamum non potuisse exire de paradiso, sicut nunc Beati non possunt promiscuè exire ex Paradiso.

Arguitur Secundò: Ex illo Gen. 3. ubi à DEO dictum est serpenti post peccatum hominis & propter ipsum: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, semen tuum, & semen illius.* Ex quo loco clarè deducitur, bestias in statu Innocentiæ non fuisse nocivas, Primò: Quia testatur DEUS, id esse futurum, adeoque ante illud tempus non fuit inimicitia illa. Secundò: Quia est pœna peccati, ut patet ex prima parte sententiæ divinæ: *Quia fecisti hoc.* Ex quibus omnibus sequitur, quòd serpens non uteretur veneno suo in hominem, nisi iste peccasset, neque esset ei odiosus, aut inimicus, sed familiaris. Respond. Hoc argumentum valdè promovere causam Patrum, ut probabilem, sed ideò non sufficere, quia usque hodie non constat, quomodo accipienda sit illa sententia. Verumtamen dico satis probabiliter dictum iri, quod sententia sit allegorica, & pœna spiritualis, spectans non ad animal reptile, sed ad diabolum, qui illo usus est instrumento. Ultimum & perfectissimum sextæ diei opus est Homo, qui est complementum totius mundi visibilis, & quidam Microcosmus. de cujus creatione, & felicitate integer particularis tractatus erit instituendus, postquam ordinatè procedendo in particulari creaturarum intellectualium & Angelicarum statum & conditionem explicuero, interim sit

QUÆSTIO OCTAVA.

De Sanctitate Diei septimæ.

MYsteriosus est totus septimus dies, nam ut cum D. Augustino loquar lib. 11. de Civit. cap. 31. vel de Septenarii numeri perfectione plura dici possunt: *Hoc autem satis sit admonere, quod totus impar primus numerus ternarius est, totus par quaternarius, è quibus duobus septenarius constat. Ideò pro universo sæpè ponitur, sicuti est, septies cadet justus, & resurget, id est, quoties cunque ceciderit, non peribit. Quod non de iniquitatibus, sed de tribulationibus ad humilitatem perducentibus intelligi voluit. Et septies in die laudabo te: quod alibi alio modo dictum est: Semper laus ejus in ore meo. Et multa hujusmodi in Divinis authoritatibus* 1. Dies septimus est totus mysteriosus.

Digitized by Google

tatibus reperiuntur, in quibus septenarius numerus, ut dixi, pro cujusque rei universitate poni solet. Propter hoc eodem sæpe numero significatur Spiritus Sanctus, de quo Dominus ait: Docebit vos omnem veritatem. Ibi requies DEI, qua requiescitur in DEO. In toto quippe, id est, in plena refectione requies, in parte autem labor.

Moyses verò Sanctificationem Sabbathi sic describit cap. 2. Genes. *Complevitque DEUS die septimo opus suum, quod fecerat, & requievit die septimo ab universo opere, quod patrârat. Et benedixit diei septimo: & sanctificavit illum: quia in ipso cessaverat ab omni opere suo, quod creavit DEUS, ut faceret.* Ex quo textu tres oriuntur difficultates resolvendæ, Prima est de complemento hujus diei; Secunda de quiete DEI; Tertia de benedictione & sanctificatione hujus diei. Et quidem prima difficultas mihi videtur magis nominalis quàm realis, consistitque in hac æquivocatione: Qui complet, aliquid operatur, DEUS septima die nihil operatus fuit, ergò non complevit, & vice versa DEUS complevit opus suum die septima, ergò in illa operatus fuit, ergò in illa non cessavit ab omni opere suo. Iterum quod caret complemento suo, non est perfectum, sed opera DEI sextâ die fuerunt perfecta, ergò. His præmissis

II. DEUS quomodo compleverit opera sua die septime. Dico Primò: *DEUS complevit omnia opera sua die sexto intrinsecè; die autem septimo extrinsecè.* Hæc conciliat omnem difficultatem, & probatur Primò ex Scriptura, nam Genes. 2. *Igitur perfecti sunt cœli & terræ, & omnis ornatus eorum.* Quod interpretatur noster Lyranus, scilicet: *prædictis sex diebus per opus distinctum complevit & ornatus*, favet translatio Septuaginta; qui ubi etiam refert noster Lyranus, sic vertunt: *Complevit DEUS die sexto opus suum, quod patrârat*, quod omninò est admirandum, cùm in hebræo expressè habeatur septimo, ut fatetur ipse Hieronymus, qui etiam illo die aliquid factum fatetur. Ego sanè non dubito divinitus factum esse, ut 70. Interpretes transferrent *sexto*, nam & illorum versio fuit omninò miraculosa, quia non aliter fieri potuit, ut tot capita sive simul, sive seorsim scribentia in eundem sensum convenirent. Et nisi vulgata editio à Tridentino approbata haberet tò *septimo*, non obstante hebræo textu, legerem sexto. Sed quia id non licet, ideò puto utrumque verum, ita ut legi possit unum, intelligi aliud, imò utrumque. Complevit igitur DEUS opera sua sexto die intrinsecè, id est, habuit ultimam actionem productivam illo die. Complevit septima extrinsecè nullam habendo: quod potest dici complementum. Quod explico, Quia illa definitio complementi intrinseci dependet ab isto secundo, Complere intrinsecè est habere ultimam actionem productivam; at verò in hoc, quod est esse ultimum, involvitur nullam aliam sequi sequenti die, atque ita denique non est completum negotium ante septimam diem, quia non est factum, ut nulla sequeretur, nam actio sequens sextum diem pertinet ad septimam.

Noster Lyranus aliter explicat utramque combinando: Utraque translatio scilicet vera est vario tamen modo. Est enim duplex completio vel perfectio alicujus rei. Prima est, quando assequitur formam debitam: sicut ignis quando per generationem assequitur formam igneitatis & qualitatum concomitantium. Alia est perfectio seu completio: quando exit in operationem sibi debitam: sicut quando ignis calefacit vel generat ignem. Et prima perfectio ordinatur ad secundam: quia forma est propter operationem. Igitur quia sex diebus perfectæ sunt creaturæ in suis formis & proprietatibus: ideò sexto die complevit DEUS opus suum quantum ad primam perfectionem: sed quia à septimo die dicitur incepisse tempus administrationis & gubernationis rerum, sicut sex dies præceden-

tes dicuntur tempus productionis, ita dies septimus & deinceps dicitur tempus gubernationis, per gubernationem enim res applicantur ad suas operationes: ideò dicitur DEUS die septimo complevisse opus suum quantum ad secundam perfectionem, & de isto opere administrationis & gubernationis rerum Salvator dicit Joann. 5. cap. *Pater meus usque modò operatur & ego operor.*

Opponitur authoritas S. Hieronymi, qui dicit: *Quòd jam tunc in principio Sabbathum dissolutum sit, dum DEUS operatur in Sabbatho complens opera sua in eo & benedicens ipsi diei.* Ubi DEO assignat tàm completionem quàm benedictionem illius diei, ex quo sic argumentor: Benedicere est aliquid agere, DEUS benedixit septimæ diei, ergò illa die aliquid egit: probatur minor, Quia prima dies ad opus pertinet, Secunda item, Tertia etiam &c. & tamen ipsa prima die fuit dictio: *Dixit* enim DEUS prima die *fiat lux.* Secundâ *dixit, fiat firmamentum*, & sic de aliis aliquot, omnia enim illa fecit DEUS dicendo, ut refert ferè dietim Moyses, adeoque jam dicere DEI est facere, sed septimâ die dixit, nam benedixit, ergò egit. Confirmatur Primò: Benedicere aut est dictio, aut est factio. Secundum est intentum in terminis, primum etiam est idipsum per illationem, jam enim ostendi, quòd dictio DEI sit factio: *Ipse dixit, & facta sunt.* Unde in productionibus primorum dierum, DEUS non habuit aliam partem quàm dicendi. Confirmatur Secundò: Quia DEUS sanctificavit illam diem, ut legitur Gen. 2. & Exod. 20. Id autem sine dubio est agere, ac non tantùm dicere, sanctificare enim est Sanctum facere; sine dubio autem sanctificavit eum ipso illo die; adeoque egit aliquid illa. Probatur subsumptum, quia non sanctificavit eam sextâ; cum in sexta non fuerit septima, præterea sanctificavit, quia quievit, adeoque prius quievit, non quievit autem nisi in hac præsenti die, de qua agimus. Respond. Argumentum cum omnibus suis confirmationibus esse facilis solutionis, non enim est dubium, quin Dominus DEUS aliquid egerit ad extra, & adhuc agat post sextum diem, conservat omnia, adjuvat in agendo &c. quæ colliguntur ex Joann. 5. *Pater meus usque modò operatur, & ego operor.* Sapient. 7. *Et cùm sit una, omnia potest, & in se permanens omnia innovat, & per nationes in animas sanctas se transfert, amicos DEI & Prophetas constituit.* Isaiæ 26. *Domine dabis pacem nobis: omnia enim opera nostra operatus es nobis.* Itaque sensus sententiæ illius Mosaicæ est; quòd DEUS cessaverit ab agendis illis, quæ ipse eousque retulit ac similibus, id est, à creandis ex nihilo; producendis novis speciebus corporum sive vegetantium, sive sentientium, aut etiam elementorum; nam individua quotidie producit; species in individuis conservat, quod mox clarius ex sequenti conclusione patebit.

Dico Secundò: *Quies Domini DEI non est accipienda materialiter, sed metaphoricè sicut dicitur irasci, pœnitere &c. itaque significat propriè summam DEI beatitudinem, qua in se quiescit, vel vult nos docere, in quo nobis quiescendum, & quando.* Hæc de se patet, & Probatur multipliciter ex D. Augustino, qui hanc quietem diversimodè interpretatur: Nam Primò non posse nec debere litteraliter accipi; docet lib. 4. de Genes. ad litt. cap. 14. ubi postquam secundum dicendi modum explicuisset, subjungit: *Dicam sanè quod sentio, hæc duo indubitatâ præloquens, nec DEUM, velut post laborem desideratumvè sui negotii finem, temporali quadam requie delectatum: nec has literas authoritatè tanta meritò præminentes frustra falsoque dixisse, quòd DEUS ab omnibus operibus suis, quæ fecit, septimo die requieverit, eaque causâ, eundem diem sanctificaverit.*

III. Quies DEI non est accipienda materialiter, sed metaphoricè.

Probat autem, beatitudinem esse requiem illam sic lib. citato cap. 16. *Requies igitur DEI rectè intelligenti-*

gentibus ea est, qua nullius indiget bono: & ideò certa & nobis in illo est, quia & nos beatificamur bono, quod ipse est, non ipse bono, quod nos sumus. Nam & nos aliquod bonum ab illo sumus, qui fecit omnia bona valdè, in quibus fecit & nos. Porrò alia res bona præter ipsum nulla est, quam ipse non fecit, ac per hoc nullo præter se bono alio eget, qui bono, quod fecit, non eget: hæc est ejus requies ab omnibus operibus suis, quæ fecit.

Tertiam partem eleganter sic docet lib. de decem chordis cap. 5. ubi dicit: *Requievit DEUS ab omnibus operibus suis, non enim fatigatus erat DEUS, ut diceretur, requievit DEUS ab omnibus operibus suis: sed in illo verbo tibi laboranti requiem promisit, Quia fecit omnia bona valdè, & sic dicitur, requievit DEUS, ut intelligas etiam te post bona opera requieturum, & sine fine requieturum. Nam omnia superiora, quæ dicta sunt, id est, dies superiores habent vesperam: septimus iste dies non habet vesperam, ubi DEUS sanctificavit requiem. Dicitur ibi, factum est mane: ut inciperet ipse dies. Non est dictum, factum est vespera, ut finiretur dies, sed dictum est, factum est mane, ut fieret dies sine fine. Sic incipit ergò requies nostra, quasi mane: sed non finitur, quia in æternum vivemus.*

Quantum ad tertiam difficultatem de sanctificatione Sabbathi plus premit, dicitur enim ibidem de DEO, quòd *benedixit diei septimo, & sanctificavit*, non apparet autem, quæ benedictio possit esse ista, quæ sanctificatio? Nam benedicere DEI, est benefacere, quia ille non benedicit, ut nos apprecando, aut optando, sed præstando, non liquet autem, quòd peculiare bonum aut beneficium illi diei præ aliis præstiterit: Explicetur enim, cùm Scriptura ipsa non aliud adfert, quàm quòd desierit operari. *Benedixit diei septimo, & sanctificavit eum, quia in ipso cessavit ab omni opere, quod patravit*, sed hujusmodi cessatio non videtur beneficium, sed oppositum magis, quia plus boni DEUS confert agendo aliquid, quàm nihil, ad quod

Dico Tertiò: *DEUM benedixisse diei septimo atque etiam sanctificasse eum præ aliis per hoc, quòd eum suo cultui destinavit, & suo exemplo voluit ab hominibus impendi quieti ab operibus suis, ac contemplationi divinorum operum patratorum per sex dies præcedentes, prò quibus etiam illa quies esset actio gratiarum, nempe prò beneficio creationis non sui ipsorum duntaxat, sed & aliorum corporum in illorum utilitates.* Hæc conclusio est facilis & benè explicat benedictionem & sanctificationem diei septimæ. Ac proinde

IV. Sanctificare diem septimum est illum cultui divino destinare.

Probatur Primò: Quia Exodi 16. refertur latè quomodo Manna de cœlo pluerit, & quòd Judæi collegerent, quolibet die ex illa satis erat illi diei: *In die autem sexta collegerunt cibos duplices, id est, duo Gomor per singulos homines, propter quod venerunt Principes multitudinis & narraverunt Moysi, qui ait eis: hoc est, quod locutus est Dominus: Requies Sabbathi sanctificata est Domino cras, quodcunque operandum est facite (hodie) & quæ coquenda sunt coquite &c. Sex diebus colligite, in die autem septimâ Sabbathum est Domini, ideò non invenietur in agro.* Et infrà: *Videte quòd propter hoc die sexta tribuit vobis cibos duplices.* Ex quibus omnibus patet, quòd diu ante legem datam fuerit Sabbathum in usu & observatione, Scriptura enim loquitur de eo tanquam de rituali quo continuo & familiari jam tunc, id est, diu ante legem datam, nam lex lata est, aut rectius refertur esse, Exodi 20. ista autem contigerunt ejusdem 16.

Confirmatur: Quia miracula non sunt afferenda sine necessitate, sed ad observantiam Sabbathi tunc multa ab eo facta sunt, ergò. Nam Primò miraculum sine dubio fuit, quòd singuli Judæi sex primis diebus singulas mensuras mannæ colligebant, sextâ autem singuli duas. Secundò miraculum fuit, quòd idem cùm putresceret primâ die reservatum in secundam, secundâ in tertiam &c. tamen sextâ die reservatum in septimam, non putrefiebat, neq;

Digitized by Google

liquefiebat. Hoc autem totum factum est in reverentiam Sabbathi. Ergò jam tunc Sabbathum differebat ab aliis diebus, jam tunc Sabbathi religio erat in usu apud Judæos, adeoque

Probatur Secundò ex eodem Exodi: 20. quo loco, ut dixi, refertur lata Lex: ibi enim in tertio præcepto primæ tabulæ, quando venitur ad ferendam legem Sabbathi expressè dicitur: *Memento ut diem Sabbathi sanctifices.* Qui tenor legis planè aperit sanctificationem Sabbathi fuisse antea præceptam, quia de eo indicitur memoria, memoria autem non est nisi præteritorum, ergò.

Probatur Tertiò iterum ex Exodo 20. *Sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt, & requievit in die septimo, idcirco benedixit Dominus diei sabbathi, & sanctificavit eum.* Ex quo colligitur, quàm ista res cordi fuerit DEO, imprimis enim ad illam à nobis obtinendam, ipse molem hanc mundi, quam poterat unico instanti expedire, sex plenis ac continuis diebus absolvit, ut nos ab illo disceremus totidem diebus nostra agere, septimâ autem ipsi vacare, sicut & ille, quamvis nullo labore lassus, dici tamen voluit die septima quietem captâsse, ut nos ad talem suo exemplo invitaret, hoc est, ad quietem septima die exercendam. Deindè, quia quietem hanc voluit non solùm ad homines, sed etiam ad jumenta pertinere. Exod. 23. *Sex diebus operaberis, septima die cessabis, ut requiescat bos & asinus tuus, & refrigeretur filia ancillæ tuæ, & advena.* Neque solùm ad jumenta, sed ad ipsam humum, Lev. 25. *Quando ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, sabbatizes sabbathum Domino. Sex annis feres agrum tuum, & sex annis putabis vineam, colligésque fructum ejus, septimo autem anno Sabbathum erit terræ requietionis Domini.*

Probatur Quartò: Quia videtur ad jus naturale pertinere partem operæ nostræ assignare DEO, cumq; aliquando colendum sacrificiis, oblationibus, &c. ut omnes fatentur. Quòd si fieri debeat, certè determinato aliquo tempore fieri debet, adeoque huic operæ determinatum tempus est assignandum, quod est substantiæ nostræ resolutionis, reliquum enim ferè est πάρεργον.

Probatur Quintò: Quia hoc dicere est in favorem fidei, sic enim suaviter intelligitur littera illa supra allata de benedictione & sanctificatione Sabbathi, aliàs non, quis enim non videat, quàm violentus sit ille adversariorum Commentarius, sanctificavit, id est, sanctificabit, aut sanctificaturus erat intelligere per præterita futuri aut vice versa, afferere factum primâ mundi hebdomadâ, quod non contigit nisi deinde post bis mille quingentos triginta septem annos. Nam lex à Moyse lata est, vel potiùs à DEO per ipsum quarta mundi ætate. Cùm tamen benedictio & sanctificatio dicatur præterita, & facta ipsâ statim septimâ mundi die & primo Sabbatho ejusdem. Si licet sic inferre vim Scripturæ, dicam legem nondum esse latam, imò nec Legislatorem natum, sed utrumque referri per anticipationem. Sed in contra

Arguitur Primò: Si Sabbathi præceptum tunc fuisset impositum generi humano, obligâsset etiam homines in statu Innocentiæ, atqui hoc non est dicendum, quia tunc erat supervacaneum, eò quòd in illo statu nihil fuerit, quod homines à DEI cultu & contemplatione avocaret. Respond. Hæc quidem dici fidenter, sicut & illud, quod in paradiso nullum fuerit positivum præceptum, sed ego credo magis Moysi, qui palàm asserit, DEUM posuisse Adamum in Paradiso voluptatis, *ut operaretur* (nota) *& custodiret illum.* Unde primus homo & alii certissimè deinceps laborarent corporaliter in Paradiso, prætereà etiam mente occuparentur circa custodiam loci. Quomodo autem externus labor corporis & internus mentis non avocaret hominem à contemplatione, con-

ne, consulendi opifices super istis atque etiam famuli dominorum, qui statim excusabunt se à contemplationibus, & volent illas monachis otiosis incumbere. Igitur Adam in Paradiso ageret agricolam, neque enim expectandum fuit, ut DEUS, qui plantavit hortum illum, etiam coleret eum. Et videtur totum legi apud Zachar. cap. 13. *Homo agricola sum, Adam exemplum meum.*

Arguitur Secundò: Si præceptum Sabbathi fuisset impositum hominibus, hoc est toti generi humano à principio, nemo salvari posset absque observantia ejus, id autem est falsum, ait Abulensis, quia multi Philosophi creduntur salvi, qui tamen nihil de Sabbatho audiverunt. Tertullianus etiam afferit ex antiquis Patriarchis plures Sabbatha dimisisse sicut & circumcisionem, per quod conatur superbiam Judæorum deprimere, qui in Sabbathis & circumcisione gloriantur. Audiendus ipse est & legendus lib. contra Judæos cap. 2.

Denique ex historiis gentium clarum est, nullam religionem Sabbathi ab illis observatam, dico Græcis, Romanis, & multò minùs à Barbaris, adeoq; non est credibile totum genus humanum sive universum mundum obnoxium fuisse huic Religioni, quæ nullibi est observata præter Judæam, quæ est tantùm particula quædam Europæ, nè dicam orbis. Respond. Hæc quidem aliquid facere, at non satis. Primum illud Abulensis tunc mihi nocebit, cùm ille ostenderit, quinam fuerint illi Philosophi sancti, quandoquidem constat ferè omnes fuisse idololatras, & juxta Apostolum ab ipso DEO traditos in reprobum sensum. Illud Tertulliani facilè explicatur: Patres propter necessitatem aliquando omisisse.

Arguitur Tertiò: Si præceptum divinum esset, non potuit mutari, & maximè si est naturale, adeoque vel nunc Sabbathum debet observari, vel non fuit ullum præceptum divinum. Respond. tamen agendo de lege lata initio orbis, præceptum illud fuisse divinum, sed positivum, non naturale ac immobile, adeoque potuisse abrogari, quod in parte est factum, non enim amplius celebranda est septima dies, sed sequens ex Apostolica traditione, quæ incepit ipsorummet temporibus observari, nam S. Joannes Apocal. 1. meminit Dominicæ diei: *Fui*, inquit, *in Spiritu in Dominica die.* Et Augustin. lib. 4. de Gen. litt. cap. 13. *Tempore gratiæ revelatæ observatio illa Sabbathi, quæ unius diei vacatione figurabatur, ablata est ab observatione fidelium. In ea quippe gratia perpetuum Sabbathum jam observat, qui spe futuræ quietis operatur quicquid boni operatur, nec in ipsis bonis operibus suis quasi habens bonum, quod non acceperit, gloriatur: ita enim tanquam diem Sabbathi, hoc est, Dominicæ cessationis in sepultura suscipiens, atque intelligens Baptismi Sacramentum, quiescit à pristinis operibus suis, ut jam in novitate vitæ ambulans, DEUM in se operari cognoscat, qui simul & operatur & quiescit, & creaturæ præbens congruam gubernationem, & apud se habens æternam tranquillitatem.*

Dices: Aut hîc agitur de præcepto Decalogi Judæis dato, & non eguit ulla authoritate, ut desineret obligare Christianos, quia nunquam cœpit: Aut agitur de præcepto initio orbis dato, & hoc non potuerunt irritare, aut immutare Apostoli, neque tota Ecclesia, quia est divinum. Respond. quidquid alii cogitent, me succumbere argumento ferè toti, & proindè existimare hoc negotium transactum esse Christi Domini authoritate, non autem solà illius Apostoli, sed nec omnium simùl propter rationem jam allatam. Quòd autem Christi Domini authoritate potuerit, non debet esse dubium, quia illa est divina, & nominatim supra sabbathum esse, expressè scriptum est, Matth. 12. *Dominus est Filius hominis etiam Sabbathi.* Hæc de Opere sex dierum dicta sufficiant, Sanctificetur ergò Nomen Domini in æternum. Amen.

TRACTATUS II.

DE

PRIMA ET NOBILISSIMA CREATURA INTELLECTUALI,

SEU

DE ANGELIS.

August. lib. 12. Confess. cap. 20.

IN principio fecit DEUS Cœlum & Terram, id est, dicit S. Augustinus, *in Verbo suo sibi coæterno fecit DEUS intelligibilem atque sensibilem, vel spiritualem, corporalemque creaturam.* Unde cap. sequenti vocat eos *cœlum intelligibile*, & alibi sæpè *Cœli cœlorum.* Et antecedenter eos nomine Sapientiæ dicit expressos, ait enim: *Prior omnium creata est Sapientia, nec utique illa Sapientia tibi DEUS noster Patri suo planè coæterna & coæqualis, & per quam creata sunt omnia, & in quo principio fecisti cœlum & terram, sed profectò sapientia, quæ creata est, intellectualis natura scilicet, quæ contemplatione luminis lumen est, dicitur enim & ipsa, quamvis creata, sapientia, sed quantum interest inter lumen, quod illuminat, & quod illuminatur, tantum inter sapientiam, quæ creat, & istam, quæ creata est, sicut inter justitiam justificantem, & justitiam, quæ justificatione facta est.*

cap. 21. cap. 15.

Item docet non modò nomine cœli, sed & nomine lucis prima die facti intelligendos esse Angelos, dicit namque: *Cùm enim dixit DEUS: Fiat lux, & facta est lux, si rectè in hac luce creatio intelligatur Angelorum, profectò participes facti sunt lucis æternæ, quæ est ipsa incommutabilis sapientia DEI, per quam facta sunt omnia, quem dicimus unigenitum DEI Filium, ut ea* luce

Lib. 11. Civit. cap. 9.

I. Angeli nomine cœli & lucis intelliguntur.

luce illuminati, qua creati fierent lux, & vocarentur dies participatione incommutabilis lucis & diei, quod est Verbum DEI, per quod & ipsi & omnia facta sunt.

Imò nonnunquam etiam firmamenti nomine intelligit Angelos, & tandem etiam aquarum nomine eos designari docet, ita enim ait: *Sunt & aliæ aquæ super hoc firmamentum, credo* Lib. 13. Confess. cap. 15. *immortales & à terrena corruptione secretæ. Laudent nomen tuum, laudent te super cœlestes populi Angelorum tuorum, qui non opus habent suscipere firmamentum hoc, & legendo cognoscere verbum tuum. Vident enim faciem tuam semper, & ibi legunt sine syllabis temporum, quid velit æterna voluntas tua. Legunt, eligunt, & diligunt, semper legunt, & nunquam præterit, quod legunt. Eligendo enim & diligendo legunt ipsam incommutabilitatem consilii tui. Non clauditur codex eorum, nec plicabitur liber eorum, quia tu ipse illis hoc es, & es in æternum, quia super hoc firmamentum ordinâsti eos.* Mirandum porrò est, quare Moyses in Universi II. Angelorū cur Moyses non fecerit mentionem. descriptione non fecerit expressam Angelorum mentionem, cujus rei causas varii varias allegant; Nam aliqui putant, id factum, nè populus hebraicus existimaret, Angelos esse Deos, & sic ad multiplicitatem Deorum, consequenter ad idololatriam laberetur; hinc etiam D. Augustinus enarrat. in Psalm. 135. docet, nusquam in Scriptura angelos fuisse Deos appellatos, quamvis sancti homines sic vocentur. *Ego dixi vos Dii estis*, dicens: *Ea mihi causa potissimum occurrit, nè in isto nomine homines ad hoc ædificarentur, ut ministerium vel servitium religionis; quæ Græcè liturgia vel latria dicitur, sanctis Angelis exhiberent: nec quod ipsi exhiberi ab hominibus volunt, nisi illi DEO, qui & ipsorum & hominum DEUS est. Unde multò utiliùs Angeli vocantur; qui latinè nuncii nuncupantur: ut per nomen non substantiæ, sed officii, satis intelligamus illum DEUM à nobis eos coli velle, quem nunciant.* Non abs re, & idem sentiunt alii Patres; ut S. Joannes Chrysostomus, qui tamen adhuc aliam insinuat rationem, nempè ideò factum, quia Moyses suscepit tantùm onus describendi creationis ordinem rerum temporalium. Quæcunque causa sit,

vel

vel quocunque nomine comprehendantur, certum est, eos ad opera DEI pertinere, quæ his sex diebus referuntur facta, adeóque congruit, ut post generaliorem rerum conditarum seriem ad primam & principalissimam creaturam descendam. Quamvis autem olim anno videlicet 1676. Cursum edendo Philosophicum, ex quo jam plures delibârant, & sua fecerunt, hanc materiam tradiderim in Metaphysica utpote agente de Ente simplicissimo, & quàm maximè à materia abstracto, nihilominus ut omnes tractatus, quæ in libris Sententiarum à Magistro & Theologis tractantur juxta eorum methodum singulis suis locis constituantur, huc etiam eundem revocare volui, ne Lectori quidquam desit, & alibi quærere cogatur, superaddam autem nonnulla, & alia demam, sicubi opus fuerit. Sit itaque

DISPUTATIO PRIMA.

De

Natura Angelorum secundùm se.

QUÆSTIO PRIMA.

An in Universo, seu in Mundo dentur Spiritus, qui vocantur Angeli?

I. Angeli nomen diversimodè accipitur.

PRo Resolutione hujus Quæstionis prænotandum, hoc nomen Angelus diversimodè accipi posse, nam D. Augustinus lib. 1. Retract. cap. 11. dicit: *Angelorum autem sanctorum nomine, omnem sanctam creaturam spiritalem, in DEI secreto atque occulto ministerio constitutam nunc appellaverim: sed spiritus angelicos sancta Scriptura nomine animarum significare non solet.* Hinc nihil communius habemus in usu, quàm quòd animas innocentium angelos vocemus. Imò etiam ipsos Sanctos, angelos appellare consuevimus habito fundamento ex Scriptura, quæ Sacerdotes Domini angelos appellat, & ipsemet Christus Dominus dicitur Angelus Testamenti, & Angelus magni consilii.

II. Spiritus sex modis dicitur.

Notandum Secundò ex D. Augustini operibus tract. 5. de cognitione veræ vitæ cap. 4. *Sex modis in Scripturis spiritus substantialiter dici, non nescio à vobis sciri. Primò summus omnium DEUS Spiritus appellatur, ut ibi: Spiritus est DEUS, & qui adorant eum, in spiritu oportet adorare. Secundò angeli dicuntur spiritus, ut ibi: Qui facit angelos suos spiritus. Tertiò animæ spiritus nuncupantur, ut ibi: Exibit spiritus ejus, & caro revertetur in terram. Quartò vita brutorum animalium spiritus vocatur, ut ibi: Quis scit, si spiritus jumentorum descendat deorsum? Quintò venti dicuntur spiritus, ut ibi: Spiritus procellarum. Sextò aër scribitur spiritus, ut ibi: Os meum aperui, & attraxi spiritum.* His prænotatis

III. Spiritus Angeli dantur.

Dico Primò: *Dantur Spiritus, qui vulgò Angeli dicuntur.* Ita fides. Estq; communissima contra Atheos, qui sicut DEUM, sic quoque omnem spiri-

Digitized by Google

ſpiritum negant, & Sadducæos dicentes: *Non eſſe reſurrectionem, neque Angelum, neque ſpiritum*, Act. 23. & Probatur Primò ex Scriptura, quæ frequentiſſimè tùm antiquo, tùm novo Teſtamento Angelorum mentionem facit, ut *Angelus, qui loquebatur in me, & volavit Angelus ad me*. Iſaiæ 1. *Angelis ſuis DEUS mandavit de te*. Pſal. 90. *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus*. Pſal. 103. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt*. Matth. 18.

Probatur Secundò ex Patribus: Auguſtino lib. 15. Civit. cap. 23. ubi ait: *Scriptum eſt enim, qui facit Angelos ſuos ſpiritus, id eſt, eos, qui naturâ ſpiritus ſunt, facit eſſe Angelos ſuos, injungendo eis officium nuntiandi, qui enim græcè dicitur ἄγγελος, quod nomen latinâ declinatione angelus perhibetur, latina lingua nuncius interpretatur*. Plura & fuſiora adducam infra in ſequenti Concluſione. S. Bernardo, qui lib. 5. de conſider. cap. 4. ſic Angelos deſcribit: *Et primò quidem cives eſſe illic* (in cœlis) *ſpiritus potentes, glorioſos, beatos, diſtinctos in perſonas, diſpoſitos in dignitates, ab initio ſtantes in ordine ſuo, perfectos in genere ſuo, à DEO conditos, divinis laudibus & obſequiis deditos. Hæc omnia legendo comperimus, fide tenemus*.

IV. Angelos dari non tamen evidenter probari poteſt.

Dico Secundò: *Dari Angelos poteſt quidem rationibus oſtendi, ſecluſâ autem fide nec moraliter, nec phyſicè evidenter convinci*. Hæc eſt communis, & quoad primam partem Probatur Primò ratione, deſumptâ ex lib. ſub nomine S. Auguſtini edito ſupra citato cap. 4. ubi ait: *Angelus autem ſpiritus eſt, ſubſtantia incorporea, inviſibilis, rationalis, intellectualis, immortalis: bonorum lucida, & impaſſibilis, malorum tetra, & paſſibilis. Sed videndum eſt, utrum aliqua ſubſtantia talis in rebus creatis eſſe credatur, cùm à nobis minimè videatur. Angelos eſſe ipſa inſenſibilia probant, quæ tam certam ſui motûs legem obſervant. Omne quippè quod movetur, aut motum à ſe habet aut aliundè: ſed omne, quod motum à ſe habet, eſt ſenſibile, ut anima: quod aliundè inſenſibile, ut corpus. Quòd ſi ſol, luna & ſidera per ſe moventur, ſenſu vel ratione vigere videntur: quæ tam certa tempora, tàm certa cœli ſpatia cuſtodiunt, & quodammodò ſuum intellectum huic mundo lumine vel ſignis innuunt. Sed qui ea rationabilia vel ſaltem ſenſibilia corpora arbitrantur, jure ſenſu carentes, inter irrationabilia computantur. Cùm autem verè ſint corpora viſibilia, ſed motu carentia, ut puta inſenſibilia, & tamen moveantur, conſtat profectò, quòd aliundè moveantur. Reſtat igitur ea per angelica miniſteria moveri: ſimiliter ventos, pluvias, grandines, fulgura, tonitrua, tempeſtates, auras, juſſu DEI per illos regi. Qui dubitat, & ea ſenſibilia putat, hunc ratio ſtultum cum inſenſibilibus probat*. Quam rationem ſic enucleo: Cœli moventur, ut de ſe patet, ergò ab aliquo intrinſeco principio vel extrinſeco, ſed non ab intrinſeco alio, quàm DEO. Probabiliſſimum eſt, cœlos non eſſe animatos, ac proindè non moventur motu viventium, antec: patet ex Nicephoro lib. 17. Eccleſ. hiſt. cap. 27. & 28. inter alios Originis errores, quos quinta Synodus generalis (eſt ſecunda Conſtantinopoli celebrata) anathematizavit, recenſet etiam illum, quòd cœlum & aſtra animata fecerit. Et idem teſtatur Joverius in ſumma Conciliorum in eadem Synodo quinta propè finem verba hæc ejusdem refert: *Si quis dicit, ſolem, lunam, ſtellas & aquas, quæ ſupra cœlos ſunt, animantes quasdam eſſe, & materiales virtutes, anathema ſit*. Favet etiam Concluſioni illa definitio Eccleſiæ in cap. *Firmiter*. de ſumma Trinitate & fide Catholica, ubi dicitur: DEUM utramque de nihilo condidiſſe creaturam, ſpiritualem & corporalem, & deindè hominem ex utraque compoſitum, ubi apertè indicat, non eſſe aliam naturam ex utraque compoſitam præter hominem, nec aliam eſſe naturam intellectualem præter Angelos & homines, ut benè notant Suaretz & Valentia, &c. ergò per aliquod extrinſecum, illud au-

Digitized by Google

tem non est aliud quàm spiritus aliquis & aliqua intelligentia. ergò. Probatur subsumptum: Quia ille motus non est talis, sicut non animatorum in his sublunaribus, v.g. sicut aqua, lapis, &c. Quia motus horum sublunarium est ad aliquem locum naturalem, in quo mobile naturaliter quiescit, motus autem cœlorum est perpetuus, nec ad ullum locum determinatum tendit, ergò.

Probatur Secundò: Ratione D. Bonaventuræ 2. d. 1. a. 2. Decet DEUM ita res facere, ut sint in ostensionem & manifestationem suæ potentiæ, sapientiæ, & bonitatis, sed potentia maximè ostenditur in productione rerum valdè distantium, quales sunt substantiæ incorporeæ & corporeæ: Sapientia verò demonstratur in ordinis perfectione, ordo autem requirit summum, infimum, & medium: summum est natura completa spiritualis scilicet angelica: infimum natura pura corporalis: medium natura humana cœteraque composita: Bonitas verò DEI ostenditur per communicationem & diffusionem sui in alterum, ergò Congruum fuit DEUM de facto produxisse & creâsse creaturam spiritualem completam, quæ multùm distaret à pura creatura corporali, quod habet pro esse vivere, & intelligere simùl.

Probatur Tertiò: DEUS est perfectissimus Artifex, & totius Conditor, ita quòd de facto condiderit Universum perfectissimum, sed ad perfectionem universi spectant Angeli, ergò de facto dantur: Probatur min: ad perfectionem effectûs spectat, ut sit saltem quoad aliquam sui partem similis suæ causæ quantum fieri potest, cùm sit per communicationem suimetipsius aliqua ratione & alicujus boni, ergò etiam spectabit ad illum, quòd in universo sit aliqua creatura immaterialis & completa, maximè cùm DEO non desit ad hoc potentia, nec invidus sit, ut talem effectum producere non velit.

Probatur secunda pars ex Div. Augustino Enarrat. in Psal. 103. ubi clarè adstruit, Angelos ex fide tantùm cognosci, ita enim discurrit: *Quamvis non videamus apparitionem Angelorum, abscondita est enim ab oculis nostris, & est in quadam republica magna Imperatoris DEI, tamen esse Angelos novimus ex fide, & multis apparuisse scriptum legimus & tenemus, nec inde dubitare fas nobis est. Spiritus autem Angeli sunt, & cùm spiritus sunt, non sunt Angeli, cùm verò mittuntur, fiunt Angeli. Angelus enim officii nomen est, non naturæ. Quæris nomen hujus naturæ, spiritus est: quæris officium, Angelus est. Ex eo, quod est, spiritus est, ex eo, quod agit, Angelus est. Vide illud in homine, Nomen naturæ homo, officii miles. Nomen naturæ vir, officii præco: homo enim fit præco: id est, qui homo erat, fit præco, non quivit at præco, fit homo. Sic ergò, qui erant jam spiritus conditi à Creatore DEO, facit eos Angelos, mittendo eos nunciare, quod jusserit, & ignem flagrantem facit ministros suos. Legimus apparuisse ignem in rubo, legimus etiam missum ignem desuper, & implêsse, quod præceptum est.* Ex qua authoritate simùl colligitur, Angeli nomen esse nomen officii, non nomen naturæ.

Hæc pars quoque probatur ex rationum omnium & objectionum solutionibus; quæ contra afferri possunt, & modò allatæ fuerunt, quare contra 1. partem

Arguitur Primò: Ex motu cœlorum, quem adhibet Author lib. de cognitione veteæ fidei, & Aristoteles ut supra, sic, Omnis motus vel est ab intrinseco vel extrinseco, atqui motus cœlorum non est ab intrinseco, ut ratio etiam nostra probat, ergò ab extrinseco, ergò vel à DEO vel ab Angelo, sed non à DEO, ergò ab Angelo. Probatur min: Quia esset contra summam divinæ providentiæ dispositionem, quæ res, quas condidit, sic gubernat, ut inferiora per superiora regat, & administret. Respond. Motum cœli posse esse ab extrinseco, scilicet ab ipso DEO,

quod

quòd multipliciter contingere potest, nempè vel ab ipso movente, in quo nulla est inconvenientia; cùm non sit aliud, quàm continua volitio motionis usque ad finem præordinatum & præfixum, sicut est ipsa quoque conservatio eorum ab omni corruptione; & etiam horum inferiorum gubernatio. Deindè hoc potest fieri per impulsum semel cœlis à DEO impressum continuò perseverantem. Vel etiam ex naturali inclinatione & virtute cœlis indita, & quamvis elementa petant quiescere, & ideò ad suum centrum moventur, tamen cœli sunt omninò alterius ordinis, formæ, & fortè etiam materiæ. Et posito etiam, quòd non moverentur à DEO, sed ab aliqua causa secunda; possunt allegari animæ separatæ, adeoque nulla demonstratio erit dari Angelos, sed solùm per fidem cognitio.

Instatur: Philosophi antiqui, ut Plato, Aristoteles, & alii sine lumine fidei ex meris principiis naturalibus cognoverunt dari Angelos; quos nomine Deorum, intelligentiarum, Satyrorum & similium prædicatorum indigitârunt, ut notat Div. Augustinus lib. 15. Civit. cap. 23. ergò. Respond. negando consequ: Quia Philosophi antiqui vel hoc habuerunt ex principiis fidei, seu ex libris Propheticis, & Mosaicis, quos legit singulariter Plato, undè ex malè intellectis scrutabantur simulacrorum suorum similitudines sibi Deos & Deas, Intelligentias, Panes, & Faunos effingebant: vel si non ex illis, tunc simpliciter ex imaginatione; non verò ex ulla clara vel evidenti ratione; & sic decepti fuerunt: vel potuerunt habere ex traditione seniorum, scilicet filiorum Abrahæ, maximè qui de ancilla erant, quique à patriis regulis declinantes, turpiter ad idololatriam postea prolapsi sunt.

Arguitur Secundò: Ad ostendendam divinam sapientiam & bonitatem, convenit Angelos esse, sicut etiam ad pulchritudinem universi; nam ut docet S. Augustinus: Quidquid verâ ratione tibi occurrerit melius esse, hoc scito DEUM fecisse, sed melius & perfectius est universum, si Angeli sint, ergò. Respond. negando consequ: Nam divina sapientia & bonitas sufficienter ostensa & demonstrata esset per creaturas de facto conditas, & per hoc universum, quod scitur, nec debet dici DEUM omnem omninò perfectionem possibilem produxisse, quis enim neget corpus simplex esse perfectius, materiam spiritualem, corpora spiritualia, terras magis frugiferas &c. hujusmodi, & tamen DEUS has & similes res non produxit; nec ratio convincit Augustini, nam ille non dicit, *quidquid tibi occurrerit*, sed quidquid vera ratione occurrerit, sed verâ ratione non occurrit, Angelos esse, nam illa nondum fuit allegata, quare ipsemet quoque D. Augustinus lib. 83. qq. quæst. 54. docet animam perfectissimam esse post DEUM, qui loco citato sic ait: *Nunc interim ratio comperit, nihil corpus & animam esse, quòd sit corpore melius, anima deterius: Quod autem est omni anima melius, id DEUM dicimus; cui quisquis eum intelligit, junctus est.* Et paulò pòst absolutè sic concludit: *Nec quidquam est melius animâ rationali, nisi DEUS.* Per hoc etiam solvitur argumentum D. Bonaventuræ de infimo: medio, & supremo, quia anima illa est vel supremum vel medium sibi jungens DEUM per contemplationem, & corpus per informationem; unde Div. Augustinus ibidem addit: *Cum igitur intelligit aliquid, quod semper eodem modo sese habet, ipsum sine dubio intelligit. Hæc autem est ipsa veritas, cui quia intelligendo anima rationalis jungitur, & hoc bonum est animæ, rectè accipitur id esse; quod dictum est, mihi autem adhærere DEO bonum est.*

QUÆSTIO SECUNDA.

Quando Angeli sint creati?

I. CErtum est, Angelos non fuisse ab æterno, sicut nec ullam creaturam seu spiritualem, seu corporalem contra Aristotelem, & plures alios Philosophos ex Scriptura & ex *cap. Firmiter. de summa Trinitate.* Attamen nonnulli Patres Græci, ut Gregorius Nazianzenus, Basilius, Damascenus, &c. & etiam aliqui latini, ut Ambrosius & Hieronymus voluerunt, eos longo tempore ante mundum conditum creatos esse. Econtra verò D. Augustinus, Gregorius M. Beda, Hugo à S. Victore, & plures alii docent, eos fuisse simùl cum mundo condito creatos, ita ut Cajetanus, Vasquetz, Sixtus Senensis, dicant, in hac re nihil certi dici posse, cùm nihil sit ab Ecclesia determinatum. Secunda tamen sententia eis probabilior videtur, estque communior, unde etiam tum ea

II. Angeli creati sunt cum cælo & terra.

Dico Primò: *Angeli probabiliùs creati sunt simùl cum cœlo & terra.* Ita Patres pro secunda sententia citati. Probatur Primò ex Scriptura, quæ clarè insinuat, DEUM omnium primò creâsse Cœlum & terram, ut Genes. 1. *In principio creavit DEUS cœlum & terram.* & cap. 2. *Igitur perfecti sunt cœli & terra, & omnis ornatus eorum*, atqui ornatus terræ sunt herbæ, arbores, flores; fructus, bestiæ, jumenta, & homo, qui illam operatur, illisque dominatur, ergò ornatus cœlorum sunt Angeli, qui eos movent, gubernant, & toti præsunt mundo, tanquam partes connaturales; ergò. Huic argumento particulariter favet textus hebraicus, qui loco *ornatus eorum*, habet *exercitus eorum*, atqui Angeli sunt exercitus cœlorum, undè DEUS ordinariè à Prophetis vocatur Dominus exercituum, id est, Angelorum. Et Amos cap. 5. *Et migrare vos faciam trans Damascum, dicit Dominus, DEUS exercituum nomen ejus.* Confirmatur ex Genes. 32. *Jacob quoque abiit itinere, quo cœperat; fueruntque ei obviam Angeli DEI, quos cùm vidisset, ait: Castra DEI sunt hæc, & appellavit nomen loci illius Mahanaim, id est, Castra.* In quem locum dicit D. Augustinus lib. qq. supra qu. 101. *Castra DEI, quæ vidit Jacob in itinere, nulla dubitatio est, quòd Angelorum fuerit multitudo: ea quippè in Scripturis militia cœli nominatur.* Secundò Psal. 101. *Initio Domine tu terram fundâsti:* ergò non fuerunt antecedenter creati, sed nec etiam pòst, quia Job. 31. dicitur: *Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ, cùm me laudarent astra matutina, & jubilarent omnes filii DEI;* ergò fuerunt simùl creati cum cœlo & terra. Item Exod. 20. *Sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt, & requievit in die septimo; idcircò benedixit Dominus diei sabbathi, & sanctificavit eum.* Sed Angeli sunt in cœlo & terra, quia unà cum creatura corporea unum totum integrale componunt.

Probatur Secundò: Ex *cap. Firmiter. de Sum. Trinit.* èx Innocentio III. in Concilio Lateran. ubi habetur: *Creator omnium visibilium & invisibilium, spiritualium & corporalium, qui sua omnipotente virtute simul ab initio temporis utramque condidit creaturam spiritualem & corporalem, angelicam videlicet & mundanam*, ergò Angeli simùl cum creatura mundana creati sunt, quæ authoritas efficacissimè probat conclusionem, & quidem ita, quòd aliqui planè voluerint asserere, hanc esse determinationem de fide; verùm ut admonet Sixtus Senensis, non semper sunt attendenda præcisè verba Conciliorum, sed mens, cùm autem Concilium Latetahense ibi tantùm intendat damnare errorem Originis dicentis: *DEUM creâsse à principio substantias spirituales tantùm, deindè quibusdam illarum peccantibus creâsse corpora, in quibus eas tanquam in corporibus puniret.* Ideò incidenter tantùm egit de creatione Angelorum simul cum creatura humana.

Pro-

Probatur Tertiò authoritate Patrum: Augustini lib. 11. Civit. cap. 6. ubi dicit: *Porrò si litteræ sacræ, maximéque veraces ita dicunt, in principio fecisse DEUM cœlum & terram, ut nihil antea fecisse intelligatur, quia hoc potius in principio fecisse diceretur, si quid fecisset ante cœtera cuncta, quæ fecit, proculdubio non est mundus factus in tempore, sed cum tempore.* Ecce nihil ante mundum factum esse docet, consequenter nec Angeli, qui cùm etiam non sint facti post mundi opera; ut quoque docet in eodem lib. cap. 9. dicens: *Quis porrò audebit opinari, post communia omnia ista, quæ sex diebus enumerata sunt, angelos factos. Sed, & si quisquam ita desipit, redarguit istam vanitatem illa Scripturæ pari authoritate, ubi DEUS dicit: Quando facta sunt sidera, laudaverunt me voce magna omnes Angeli mei. Jam ergò erant Angeli, quando facta sunt sidera. Facta sunt autem quarto die. Nunquidnam ergò die tertio factos esse dicemus? Absit. In promptu est enim, quid illo die factum sit. Ab aquis utique terra discreta est, & distinctas sui generis species duo ista elementa sumpserunt: & produxit terra, quidquid ei radicitus inhæret. Nunquidnam secundò? Nec hoc quidem, tunc enim firmamentum factum est inter aquas superiores & inferiores, cœlumque appellatum est: in quo firmamento facta sunt sidera quarto die.* Ergò necesse est dicere ipsos factos fuisse prima die; & consequenter cùm cœlo & terra. Addo Epiphanium hæresi 65. ubi dicit: *Illud evidenter divinus sermo declarat; neque post sidera Angelos productos, neque ante Cœlum terrámque constitutos, est enim certa illa & immutabilis sententia, ante cœlum & terram nihil omninò rerum creatarum extitisse, quoniam in principio creavit DEUS cœlum & terram, ut illud sit creandi principium, ante quod creatis ex rebus omninò nulla fuerit.*

Probatur Quartò: Angeli mali statim post creationem suam, vel saltem parvâ intercedente morulâ, peccârunt, ut colligitur ex illo Joan. 8. *Ille homicida est ab initio*, sed quandò peccârunt, jam fuerunt cœli creati & terra, ergò simùl cum Angelis: Probatur minor: Quia Angeli post peccatum statim detrusi fuerunt ad infernum, sed infernus est in mediò terræ, ergò terra jam tunc fuit creata. Sed

Dices: Angelos post peccatum suum non fuisse statim detrusos ad infernum; quia potuerunt primò manere interim alibi. Secundò, homines post peccatum non fuerunt statim puniti, ergò non constat, quòd Angeli sic sint detrusi, maximè cùm Scripturæ, quæ de casu Angelorum loquuntur, non dicunt *statim* decidisse & dejectos esse. Sed contra Primò: Si Angeli manserunt alibi, quæro, quid sit illud *alibi*? si aër, parum curo, quia satis est, quòd in illum veluti in locum suæ punitionis sint relegati; verùm tunc aër, cùm hondùm fuerit, meliùs dicam, quòd aliqui ad infernum proprium, aliqui ad locum caliginosum deturbati sint, ubi nunc aër est, & in eo adhuc maligni spiritus commorantur ad exercitium hominum. Contra Secundò: Licèt homines non sint statim post peccatum ad infernum detrusi, non sequitur etiam Angelos non esse detrusos: Tùm, Quia illis misericordia divina providit de remedio salutis, non his. Tùm, illi magis malitiâ, hi verò fragilitate peccârunt: Tùm, Quia SS. Patres communiter docent, diabolum statim punitum fuisse in inferno. Sed dato etiam, quòd non statim essent puniti & detrusi in infernum; ex hoc tamen nequit inferri, quòd non fuerit creatura corporalis, quando illi peccârunt; quia statim, ut peccârunt, fuit determinata illis pœna: *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, &c.* Matth. 25. Sed illa fuit ignis, ergò tunc statim fuit; & consequenter simùl creati. Sed pro contraria sententia

Opponitur authoritas S. Scripturæ, Job. 40. ubi de Behemot (diabolo) dicitur: *Ipse est principium viarum DEI*, id est, ipse est prima

creatura, quam DEUS condidit, ergò diabolus, & quicunque Angelus non est conditus simùl cum cœlo & terra, sed antecedenter. Respond. Primò, distingu: antec: *Behemot* est principium viarum DEI in ordine durationis, neg: antec: in dignitate & excellentia, qui fuit signaculum DEI dictus, conc: antec: & nego consequ: Itaque diabolus & angeli ejus dici possunt, quòd sint principium viarum DEI negativè, id est, quòd nihil ante ipsos creatum sit, non verò positivè, quia ipsi creati non sunt ante cœlum & terram, sed simùl. Respond. Secundò, litteraliter explicando in dicto loco sermonem esse de elephante, vel grandi aliquo dracone, qui ob fortitudinem & robur dicitur principium viarum DEI.

Instatur: Quælibet promissio ad ad extra alicui fieri debet, sed DEUS promisit Filium suum ante mundi constitutionem venturum in mundum, ergò alicui facta debuit esse, subsumo, sed non hominibus, quia antea non fuerunt, ergò Angelis consequenter illi fuerunt. Major patet, probatur Min: Quia ad Titum 1. dicit Apostolus Christum, ejusque fidem esse secundùm pietatem *in spem vitæ æternæ, quam promisit, qui non mentitur DEUS ante tempora sæcularia*, id est, ante mundum & tempora sæculi, ergò Respond. Primò: Si per ly *promisit*, intelligatur promissio propriè dicta, *per tempora sæcularia* intelligenda esse plurima sæcula, sicque sensus erit; quòd DEUS promiserit Filium suum in spem vitæ æternæ ante multa sæcula, id est, Abrahæ & Prophetis sanctis. Respond. Secundò: Si per ly *ante tempora sæcularia* intelligatur, ante mundi constitutionem, Per ly *promisit* intelligendum esse decretum, ut sit sensus, quòd DEUS decreverit Christum ante sæculum conditum.

III. Angelos ante mundum conditos dicere non est error in fide.

Dices: Videtur divinæ bonitati magis consentaneum, ut se alicui creaturæ nobiliori ad extra citiùs communicet, quàm mundum totum producendo, ergò dicendum est, quòd Angelos antecedenter produxisset ante mundum. Respond. neg. antec: Quia libera DEI voluntas ita perfecta est, ut nullam habeat regulam majoris vel minoris consentaneitatis, sed quæcunque vult, perfectissimè & rectissimè vult, quando & quomodo vult. Imò, si ista consentaneitas probaret aliquid, probaret etiam, quòd ab æterno se debuisset creaturæ alicui communicare. Nec ex non productione censeri potest otiosus; qui licèt nunquam aliquid ad extra produxisset, otiosus dici non potuisset, satis multum produxit, cùm Filium ad intra genuit, & Spiritum spiravit.

Dico Secundò: *Asserere Angelos fuisse creatos ante mundum corporalem, dummodò non dicantur æterni, non est error in fide.* Est contra Ferrariensem, Cano, Molinam, & cœteros. Probatur Primò authoritate S. Scripturæ, Job. 38. *Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi, si habes intelligentiam. - - - - Cùm me laudarent simùl astra matutina, & jubilarent omnes filii DEI.* & cap. 40. *Ecce Behemoth, quem feci tecum, fœnum quasi bos comedet - - - ipse est principium viarum DEI, qui fecit eum, applicabit gladium ejus.* In quibus locis insinuatur, malum angelum ante mundi constitutionem conditum. Et Divi Augustini lib. 11. Civit. cap. 32. ubi dicit: *Ne quis autem contendat, aut doceat, Angelos prius esse factos, non tantùm ante firmamentum, quod inter aquas & aquas factum, appellatum est cœlum, sed ante illud, de quo dictum est, in principio fecit DEUS cœlum & terram; atque illud, quod dictum est in principio, non ita dictum tanquam primum hoc factum sit, cùm ante fecerit Angelos, sed quia omnia in sapientia fecit, quod est Verbum ejus, & ipsum Scriptura principium nominavit: sicut ipse in Evangelio Judæis quærentibus quis esset, respondit, se esse principium, non è contrario referam contentionem, maximè quia hoc me delectat plurimùm, quòd etiam in summo exordio sancti libri Geneseos Trinitas commendatur.*

Et paulò

Et paulo post subjungit: *Proinde ut volet unusquisque accipiat, quod ita profundum est, ut ad exercitationem legentium à fidei regula non aberrantes plures possit generare sententias: dum tamen Angelos sanctos in sublimibus cœli sedibus, non quidem DEO coæternos, sed tamen de sua sempiterna & vera felicitate securos & certos esse, nemo ambigat.*

Probatur Secundò Authoritate Patrum Græcorum in principio quæstionis relatorum, quibus accedit S. Hieronymus, quem citat, & pro superiore conclusione glossat Magister Sententiarum sic: Hieronymus tamen super epist. ad Tit. aliud videtur sentire dicens: Sex millia necdum nostri temporis implentur annorum: & quantas prius æternitates, quanta tempora, quantas sæculorum origines fuisse arbitrandum est, in quibus Angeli, Throni, Dominationes, cœteríque Ordines servierunt DEO absque temporum vicibus atque mensuris; & DEO jubente substiterunt. His verbis quidam adhærentes dixerunt, cum mundo cœpisse tempus sæculare: sed ante mundum extitisse tempus æternum sine mutabilitate, & in eo immutabiliter & intemporaliter astiterunt Angelos DEO jubente substitisse, eique servisse. Nos autem quòd prius dictum est, pro captu intelligentiæ nostræ magis approbamus, salvâ tamen reverentiâ secretorum, in quibus nihil temerè asserendum est: & illud Hieron. dixisse non ita sentiendo, sed aliorum opinionem referendo arbitramur.

Probatur Tertiò: Quia Conclusio præcedens nullibi est definita de fide, ergò hæc oppositum illius non est error in fide. Sed in contra

Opponitur authoritas Concilii Lateranensis suprà allegati, quod definitivè videtur procedere, nam in Confessione Fidei sicut incipit: *Firmiter credimus, & simpliciter confitemur*, eodem contextu utramque creaturam ab initio temporis condidisse angelicam scilicet & mundanam, ergò. Verùm Respond. Primò, ut suprà, non fuisse mentem Concilii Lateranensis de Angelorum creationis tempore definire, sed tantùm refutare errorem Originis, unde illud dixit ex communi doctrina Patrum & Theologorum idque incidenter, prout omnia dici solent, quæ ex professo non tanguntur, aut definienda assumuntur. Respond. Secundò: Ly *simul* non significari simultatem temporis, sed simultatem dependentiæ in esse producti & creati, vide dicta in superius. Respond. Tertiò: Esto concederetur ly *simul* significari idem tempus & initium, id tamen habere aliquam latitudinem, sicuti illos, qui eadem die, vel anno nati sunt, dicuntur simul nati, licèt unus nasceretur horâ primâ, alter horâ sextâ, undè Patres Concilii tantùm voluerunt excludere Originis errorem, qui voluit mundanam creaturam primò conditam propter lapsum & peccatum Angelorum. Scripturæ facilè explicantur, illas loqui de creatione & productione rerum corporalium, sicut etiam revera Moyses aliud non intendit.

Quantùm ad secundam partem, certum est, Angelos esse creatos in cœlo, quod clarè deducitur ex Div. Paulo ad Colossens. 1. *Quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis & in terra, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum & in ipso creata sunt:* ubi notandum, Doctorem Gentium particulariter dicere *in cœlis* aliqua esse condita, ergò sicut visibilia, ut plantæ & animantia sunt condita in terra, ita invisibilia, ut throni & dominationes sunt creati in cœlis, verùm quæritur; in quonam cœlo? Ad quod

Dico Tertiò: *Probabilius est, Angelos creatos esse in cœlo Empyreo.* Hæc est communior Theologorum post Magistrum Sententiarum. Probatur Primò ex Scriptura, Isaiæ 14: *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram; qui* IV. Angeli creati sunt in cœlo Empyreo.

qui vulnerabas gentes? ubi in parabola Regis Babylonis de diabolo dicitur, eum de cœlo decidisse, & quidem ex eo, ad quod homines sancti per humilitatem ascendunt, atqui illi ex fide & doctrina Patrum ascendunt ad cœlum Empyreum, ergò. Deindè Ezechielis 28. in persona Regis & Principis Tyrii dicitur: *Hæc dicit Dominus DEUS: Tu signaculum similitudinis, plenus sapientiâ, & perfectus decore, in deliciis paradisi DEI fuisti*, ubi etiam dicitur, illum fuisse positum in monte sancto, atqui mons sanctus DEI congruentissimè dicitur cœlum empyreum Lucæ 10. *Et ait illis: Videbam Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* & Apocal. 12. *Et factum est prœlium magnum in cœlo: Michaël & Angeli ejus prœliabantur cum dracone, & draco pugnabat & angeli ejus: & non invaluerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cœlo.*

Probatur Secundò authoritate Patrum: D. Gregorii 27. Moralium cap. 25. in illud Job. 37. *Tu forsitan cum eo fabricatus es cœlos.* ubi dicit, *possunt per cœlos hi, qui in cœlestibus sunt conditi angelici spiritus designari.* & lib. 32. cap. 26. *Consideret homo, quid elatus in terra mereatur, si & prælatus Angelis angelus de cœlo prosternitur.* Beda in Hexamer. circa initium, ubi considerans Moysen non expressisse Angelorum creationem, & tamen cùm dixisset: *In principio creavit DEUS cœlum & terram*, de hac sola subdidit: *Terra autem erat inanis & vacua*, ait: *ut quid enim hæc de terra prætermisso cœlo intulit, quia nihil tale de cœlo intelligi voluit, ipsum est enim cœlum superius, quod ab omni volubili hujus mundi statu secretum, divinæ præscientiæ seu præsentiæ manet semper quietum.* Et infrà: *Non ergò superius illud cœlum, quod mortalium omnium est inaccessibile conspectibus mane creatum est & vacuum esset, terra, quæ nihil in sua creatione virentium germinum, vel viventium produxit animantium, quia nimirum suis incolis mox creatum, hoc est, beatissimis angelorum agminibus repletum est, &c.* Glossa interlinearis in illud Psal. 103. *Draco iste, quem formâsti*, dicens, *secundùm substantiam formâsti, in quâ bonus erat, & in Empyreo locatus.*

Probatur Tertiò Rationibus: Tùm, Quia ibi Diabolus creatus est, ubi peccavit, sed peccavit in cœlo Empyreo, ergò ibi creatus est. Probatur min: ibi peccavit, unde per superbiam cecidit, & quò per humilitatem homo venire debet, sed homo debet venire ad cœlum, ergò. Probatur min: ex D. Augustino lib. 22. de Civit. cap. 1. *DEUS tantum populum per gratiam suam colligit, ut indè suppleat & instauret partem, quæ lapsa est, Angelorum, ac si illa dilecta & superna civitas non fraudetur suorum numero civium, quin etiam fortassis & uberiore lætetur.* Ex D. Bernardo serm. 2. de verbis Isaiæ, ubi dicit: *Qualem ergò putas, necesse est, hominem inveniri, qui repudiati locum Angeli fortiatur?* Et infrà: *Exierunt, & vacuus est relictus locus, quem accipiet alter. Nonne DEO subjecta erit anima mea? alioquin nec tibi locus erit in templo*, ubi satis insinuat diabolum ex cœlo cecidisse, & hominem illuc ascensurum, & locum ejus occupaturum. Tùm, Quia Angeli fuerunt producti cum cœlo & terra, ita quòd vel per ipsum cœlum intelliguntur vel per lucem, ergò in cœlo empyreo fuerunt creati, quia tunc nondum erat aliud cœlum, nam firmamentum primò altera die fuit productum: Tùm, Quia Angeli sunt partes universi, ergò in universo creari debuerũt, in nulla autem parte ejus potius, quàm in cœlo empyreo, cùm tunc probabiliter aliud non fuerit, utpotè cùm primâ die creati sint, ergò. Sed in contrarium

Opponitur Authoritas Scripturæ, nam Isaiæ 14. in persona luciferi dicitur: *In cœlum ascendam, supra astra DEI exaltabo solium meum, similis ero Altissimo.* Ergò in altius cœlum voluit ascendere, ergò in Empyreo creatus non fuit, quia illud est altissi-

Digitized by Google

altissimum. Respond. ibi literaliter esse parabolam de Rege Babylonis, cujus excidium prædicitur, ex eo, quòd sicut DEUM volebat se honorari, undè quemadmodum figuratè applicatur ille textus lucifero, ita etiam figuratè debet intelligi cœlum, nempè Celsitudo Divinitatis & ejus æqualitas, quam Lucifer affectavit, cùm astra tunc nondum fuerint creata; undè consequenter etiam figuratè exponit Mellifluus Doctor tract. de grad. humil. cap. 10. Ascendam super altitudinem nubium, sedebo in monte, in lateribus Aquilonis, dicens: *Neque Aquilonem hunc corporalem, nec sedem hanc intelligo materialem. Puto autem per Aquilonem reprobandos homines fuisse designatos, per sedem potestatem in illos. Ut quomodo Altissimus suâ sapientiâ & bonitate omnibus filiis obedientiæ præerat, ita & tu super omnes filios superbiæ Rex constitutus, tuâ eos astutâ malitiâ ac malitiosâ astutiâ regeres, per quod Altissimo similis esses.*

Instatur: Videtur inconveniens, quòd illud regnum beatitudinis peccati fœditate macularetur, de quo dicit D. Gregorius, *In quo est pax summa, nec ulla scandala inveniuntur, quæ colligantur*, ergò. Respond. neg: antec: Quia cœlum empyreum tantùm extrinsecè peccato Angelorum fuit infectum, nec hoc est inconveniens magis, quàm quòd Paradisus sit infectus peccatis primorum Parentum, quòd autem de facto non inveniantur scandala, quæ colligantur, non sequitur, quòd antecedenter non fuerit inventum ab eo, qui in Angelis suis reperit pravitatem, quia nunc est amplius ordinatum pro stadio & via, sed pro Patria, tunc autem fuit ordinatum pro via.

Urgetur: Convenientius videtur esse dici Angelos esse extra cœlum Empyreum creatos, quàm intra, quia sic magis agnoscerent DEI beneficium & auxilium speciale, quod ex se ad illud attingere non possint, sed ex gratiâ per merita attingere deberet. Respond. neg: anteced: nam sicut probatur hinc, quòd extra debuissent creari, ita probari potest, intra debuisse creari, & altera die extra poni, ut humiliter agnoscerent locum illum eis non esse connaturalem, sed per gratiam ab eis esse adipiscendum. Paritas de Adamo nihil etiam concludit, quia sequeretur, quòd etiam Eva debuisset extra fuisse producta, cùm tamen intra Paradisum sit efformata.

Opponitur Secundò Authoritas S. Augustini, qui lib. 3. super Genesim ad litt. cap. 10. docet: Angelos in superiore parte aëris fuisse creatos, ergò non in cœlo. Respond. neg. consequ: Quia S. Augustinus ibidem dubitativè loquitur, & ex mente aliorum, ut clarè patet, nam dicit: *Superior verò pars aëris propter puram tranquillitatem, cœlo, cui collimatur, communi pace conjungitur, & ejus vocabulo nuncupatur. In quâ fortassis parte si fuerunt ante transgressionem suam, transgressores angeli cum principe suo nunc diabolo, tunc Archangelo: nam nonnulli nostri, non eos putant cœlestes vel super cœlestes angelos fuisse: non mirum si post peccatum in hanc sunt detrusi caliginem.* Et paulò pòst: *Si autem transgressores illi antequam transgrederentur, cœlestia corpora gerebant, neque hoc mirum est, si conversa sunt ex pœna in aëream qualitatem, ut jam possint ab igne, id est, ab elemento superioris naturæ aliquid pati: nec aëris saltem spatia superiora atque puriora, sed ista caliginosa tenere permissi sunt, qui eis pro suo genere quidam quasi carcer est, usque ad tempus judicii. Et si quid de his transgressoribus Angelis diligentius requirendum est, alius erit accommodatior Scripturæ locus.* Vide, quomodo omnia dubitativè proponit, & plura alia de eorum corporibus aëreis refert, quæ tamen credo non ex mente sua absoluta, sed aliorum allegat.

QUÆSTIO TERTIA.

An Angeli ſint ſubſtantiæ corporeæ?

I. Dupliciter poteſt aliquid eſſe corporeum.

ANgelum corporeum eſſe dupliciter intelligi poteſt: Primò ut Angeli ita ſint & dicantur corporei, ut revera vel totaliter conſtent ex ſubſtantia corporea, ſicut cœli, aſtra, &c. vel ſaltem ſint compoſiti ex forma ſpirituali, & materia noſtra phyſica, ſicut homines. Secundò dici poſſunt Angeli corporei taliter, non quidem, quòd ſicut aſtra & cœli compoſiti ſunt, ſed nec quòd ex materia tali, quali eſt homo, ſed ex ſubſtantia aliqua ſpirituali, & alia quadam materiali valdè ſubtili, & ad ſpiritualem accedente ſimili aëri vel igni. In primo ſenſu nonnulli & inter alios Tertullianus putavit, Angelos omninò eſſe corporeos, quod tamen à Patribus & ab omnibus Theologis de facto reprobatur. In ſecundo ſenſu plures SS. Patres tàm Græci, quàm Latini docuerunt, Angelos præter ſubſtantiam ſpiritualem involvere quoque aliquam materialem diſtinctæ ſpeciei à noſtra, tanquam compartem eſſentialem. Ita ſenſit olim Cæſarius, Origenes, S. Baſilius, S. Athanaſius, & etiam ipſi noſtri Doctores ambigui fuerunt; nam D. Auguſtinus frequentiſſimè in Angelis corpora ſupponit, nam lib. I. de Civit. cap. 12. & 13. definit Angelum, quòd ſit *Animal rationale*, lib. 83. qq. q. 47. dicit: *Angelica corpora, qualia nos habituros ſperamus lucidiſſima atque æthera eſſe credendum eſt.*

II. Mens SS. Patrum circa corpora Angelorum.

Et lib. 8. Civit. cap. 16. dicit: *Dæmones eſſe genere animalia, animo paſſiva, mente rationalia, corpore aërea, tempore æterna*, quæ omnia vel ex mente aliorum, vel dubitanter dicta eſſe credendum eſt; nam ut ipſe, quod in libris 83. qq. qu. 67. dixerat: *Summos Angelos ſpiritualiter vivere, infimos autem animaliter*, retractans lib. I. Retract. cap. 26. dicit: *Eſſe audacius dictum de infirmis, quàm ut poſſit Scripturis ſanctis, vel ipſis rebus oſtendi.* Ex quo patet, ipſum vel ex mente aliorum locutum fuiſſe, vel planè dubitanter, ſicut ipſum dubitâſſe clarè inſinuat mellifluus Doctor ipſe quoq; dubitans ſerm. 5. in Cantica, ubi ſic ait: *Cæterum angelica corpora utrumnam ipſis Spiritibus naturalia ſint, ſicut hominibus ſua, & ſint animalia, ſicut homines, immortalia tamen, quod nondum ſunt homines, cùm tamen in ſui veritate præ ſubtilitate naturæ atque ſubſtantiæ ſuæ impalpabilia ſint, & noſtris omninò inattingibilia viſibus, an verò ſimplici ſpirituali ſubſtantia ſubſiſtentes, corpora cùm opus eſt, ſumant, rurſumque expleto opere ponant in eandem, de qua ſumpta ſunt, materiam diſſolvenda, nolo ut à me requiratis. Videntur Patres de hujusmodi materia diverſa ſenſiſſe.* (hic citantur ad finem ſermonis plura loca D. Auguſtini) *nec mihi perſpicuum eſt, ut alterutrum doceam.* Similiter lib. 5. de Conſiderat. cap. 4. Sententiam de corporibus Angelorum judicium ſuum ſuſpendit, ait enim: *Quamquam de corporibus* (Angelorum) *non modo unde ſint, ſed & an aliquatenus ſint, hæret ſententia aliquorum, unde ſi quis magis inter opinabilia ad ponendum cenſuerit, non contendo.* Magis tamen inclinari utrumque Doctorem Sanctum ad negativam partem ex infrà dicendis patebit: ac proindè

III. Angeli non ſunt corporei, nec ex noſtra materia.

Dico Primò: *Angeli non ſunt adæquatè corporei, vel etiam ex materia ſublimari noſtra, tanquam parte eſſentiali & ſpiritu compoſiti, ut homo.* Ita Fides Catholica & SS Patres, Dionyſius Areop. Gregor. Nazianz. Athanaſius, Baſilius, Gregorius M. lib. 4. Dialog. cap. 29. Damaſcenus, Theodoretus, quibus adde D. Bernardum, qui licèt dè corporibus Angelorum dubius ſit, non eſt tamen dubius de ſimilibus corporibus, qualia nos & alia ſublunaria habent, undè ſerm. 5. in Cant. aſſerens ad initium omnem ſpiritum, excepto DEO, corpore opus habere, notanter interponit, quòd neceſſarium ſit corpus, corporiſve ſimilitudo.

Probatur Primò: Tùm ex Scripturis infrà allegandis: Tùm ex Lucæ 8. ubi in unum hominem intravit legio dæmonum, quod utique fieri non posset, si Angeli essent corporei: Tùm ex cap. Firmiter de summa Trinit. & Fid. Cathol. ubi dicitur: *DEUM ab initio temporis condidisse creaturam spiritualem & corporalem, id est, angelicam & mundanam, deinde humanam, quasi communem ex spiritu & corpore constitutam.* ubi substantiam angelicam imprimis opponit mundanæ, quæ merè corporalis; & cùm subdat humanam mediam veluti ex spiritu & corpore constitutam, satis insinuat, angelicam non habere aliquid de corpore; alioquin non esset una ex extremis, sed etiam ex medio; ergò Angelus non est corporeus, nec ex materia nostra sublunari. Imò hæc authoritas probat etiam conclusionem sequentem. Interim præsens

Probatur Secundò ex SS. Patribus pro secunda Conclusione citandis. Prò nunc sufficiat S. Chrysostomus hom. 22. super Genes. ubi dicit: *Quomodo rationi consonum est; Angelum incorporeum, & in tali dignitate constitutum, homini invidere corpore circumamicto? Sed invidit, qui à superna gloria in extremam ignominiam dejectus est, licèt esset incorporeus: videns autem formatum hominem; & in corpore tantum honorem conditoris benevolentiâ sortitum, invidia exarsit, & deceptione, ad quam serpentis operâ usus est; hominem mortis supplicio obnoxium fecit. - - - Alioquin etiam quanta non dementiâ plenum fuerit, dicere angelos dejectos; ut cum mulieribus rem habeant, & incorporea illa natura copuletur corporibus? An non audis Dominum dicentem de Angelorum substantiâ. In resurrectione neque matrimonium contrahunt, neque elocantur, sed sunt sicut Angeli DEI? Neque enim possibile est incorpoream naturam, talem unquam concupiscentiam habere. - - Enim verò vir desideriorum fermè animam expirâsset conspecta Angeli, præsentia; non tamen substantiâ; quo pacto enim videri posset incorporalis substantia? sed transformatione solùm quadam visa parum aberat, quin & animam relinqueret, defectis viribus. Ita tantus ac talis vir absque spiritu jacebat. Quis enim etiam valdè insanus comprobaret talia verba dementiæ plena, quod incorporea & spiritualis natura corporis complexum ferret?* Ubi docet tria: Primò: Angelum etiam incorporeum posse invidere: Spiritualem naturam non posse ferre complexum ad seminandum scilicet & verè generandum. Et Angelum non posse videri quoad substantiam, eò quòd sit spiritualis. Ex quibus hæ consurgunt & pullulant rationes: Angeli sunt nobiliores homine, ergò non sunt corporei sicut homo. Antec: patet ex eorum virtutibus, Angeli enim movent cœlos, & alia multa faciunt, quæ homines efficere non possunt. Probatur consequ: Quia alioquin non essent excellentioris & nobilioris naturæ.

Probatur Tertiò: Angelorum operationes non dependent à corporibus; ergò ipsi non sunt corporei, quia si operari non prærequirit corpus; nec esse requirit; quia tale esse judicamus, quale est operari: Probatur antec: Quia operationes Angelorum potissimæ sunt intelligere & movere, sed hæ operationes non prærequirunt corpus, non quidem intelligere tùm ex S. Bernardo in Cant. serm. 5. (suppono creaturam rationalem fieri beatam per operationem intellectus & voluntatis) dicente: *Nec brutus ergò; nec angelicus spiritus ad ea capessenda, quæ beatam faciunt spiritualem creaturam; suis ullo modo corporibus adjuvantur; ille quidem pro innata stoliditate non capiens; iste verò pro excellentioris gloriæ prærogativa non indigens*; ergò Angelorum intelligere non prærequirit corpus, unde, quando mellifluus Doctor in Angelis corpus requirit & ponit; ordinariè loquitur de eorum missionibus ad homines; nam ait: *Quònam modo ergò implent ministerium suum absque corpore, præsertim apud viventes in corpore?* IV. Ex eorum operationibus.

(*) M 2 Tùm;

Tùm, Quia anima separata non dependet in intelligere à corpore, ergò.

Confirmatur: Quia ex alia nulla operatione potest colligi Angelos esse corporeos, ergò: Probatur antec: Non ex intellectione, ut modò dictum est, quia aliàs intellectio posset collocari in materiali & in lapide, tanquam in subjecto. Nec etiam ex motu eorum activo, quo cœlos movent, cùm potius per hoc concludat Aristoteles, intelligentias esse immateriales, incorporeas, & ab omni materia separatas propter perpetuitatem virtutis motivæ earum. Nec denique ex apparitionibus & locutionibus, quas cum hominibus habuerunt, quia hæc omnia fuerunt per assumpta corpora, quibus adstiterunt extrinsecè, non quæ intrinsecè informârunt.

V. Ex corruptibilitate.

Probatur Quartò: Si Angeli haberent corpora, vel essent organica, vel inorganica: non inorganica, quia per illa non possent exercere aliquam operationem vitæ & sensûs, consequenter non ponenda est in eis materia corpus constituens, cum forma non ordinetur ad materiam, nec umquam ei uniatur, nisi cum ea opus habet ad esse, vel ad operari: Non etiam dici potest, quòd illa corpora sint organica, quia talia corpora sunt mixta ex variis qualitatibus, præsertim enim haberent organum ad sensum tactûs, sed tale est mixtum ex ipsis qualitatibus, quod autem mixtum est, corruptibile est, consequenter Angeli essent corruptibiles, sicut homines, ubi enim materia prima est & qualitates, ibi est potentia ad formam aliam, & privatio, quæ sunt causa corruptibilitatis.

VI. Non satiatur materia per aliquam formam, nisi illa forma det ipsi esse, quod habet ad alteram formam.

Dices: Forma angelica satiat totam capacitatem, & appetitum illius materiæ, quô satiatô non appetit amplius alias, consequenter non tendit amplius ad corruptionem. Sed Contra: Nulla forma potest explere appetitum materiæ respectu alterius formæ, nisi det actum oppositum privationi alterius formæ, verbi gratia, ignis non potest satiare appetitum materiæ suæ, quem habet ad formam aquæ, nisi det actu esse illi materiæ, quod daret forma aquæ, aliàs maneret semper in illa materia appetitus ad esse formæ aquæ, sed forma Angeli non dat esse illi materię, quod daret quæcunque alia forma, ad quam est in potentia illa materia, ergò illa esset semper corruptibilis. Confirmatur hæc minor: Quia nulla forma dat actum oppositum privationi cujuscunque formæ, nisi contineat illas actu, vel virtualiter, sed forma Angeli non continet virtualiter omnes alias formas, ad quas est in potentia materia, ut formam ignis, aquæ, animæ sensitivæ, &c. Quia tunc posset producere effectus illarum formarum, ut patet de DEO, qui cùm omnes formas virtualiter contineat, potest producere omnes effectus formarum creatarum, licèt aliò modò nobiliori, sed Angelus non potest producere effectus aliarum formarum, ut ignire, calefacere, generare &c. ergò forma Angeli non potest completè satiare appetitum materiæ. Sed

VII. Angeli non possunt generare.

Opponitur Primò Authoritas S. Scripturæ, nam Gen. 6. dicitur: *Videntes filii DEI filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt sibi uxores.* Sed posse generare denotat corporeitatem, ergò Angeli continent in se formam animæ sensitivæ. Confirmatur: Quia Angeli continent etiam formam ignis, quia Psal. 103. dicitur: quòd DEUS *faciat ministros suos*, Angelos, *ignem urentem*, vel *flammam ignis*, ut alii legunt, ergò continet in se formas illas, consequenter perfectè satiabit forma Angeli ejus materiam. Sed Respond. neg. consequ: & etiam primum antecedens ex Genesi, nam ut illum textum exponit D. Augustinus per filios DEI intelliguntur filii Seth per Enoch, qui primus cœpit invocare nomen Domini, erantq; probi & assueti colere DEUM, ob quod filii DEI vocantur, sicut mali vocantur filii Belial vel Diaboli, per filias verò homi-

hominum intelliguntur filiæ Cain: nam lib. 15. de Civit. cap. 23. dicit: *Esse quosdam dæmones, quos Drusios Galli nuncupant, hanc assiduè immunditiam & tentare & efficere plures talesque asseverant, ut hoc negare impudentiæ videatur, non hic aliquid audeo temerè definire: utrum aliqui spiritus elemento aëreo corporati, (nam hoc elementum etiam cùm agitatur flabello, sensu corporis, actuque sentitur) possunt etiam hanc pati libidinem, ut quomodo possint, sentientibus fœminis misceantur? DEI tamen Angelos sanctos nullo modo illo tempore sic labi potuisse crediderim.* Et paulò pòst: *Angelos autem fuisse etiam DEI homines nuncupatos, eadem Scriptura sancta locupletissimè testis est. Nam & de Joanne scriptum est: Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam: Et Malachias Propheta propriâ quâdam, id est, sibi propriè impertitâ gratia, dictus est Angelus. Verùm hoc movet quosdam, quòd ex illis, qui dicti sunt Angeli DEI, & ex mulieribus, quas amaverunt, non quasi homines generis nostri, sed gigantes legimus esse natos: quasi verò corpora hominum modum nostrum longè excedentia, quod etiam supra commemoravi, non etiam nostris temporibus nata sunt. Nonne ante paucos annos cùm Romanæ Urbis, quod à Gothis factum est, appropinquaret excidium. Romæ fuit fœmina cum suo patre & sua matre, quæ corpore quodammodo giganteo longè cæteris præemineret. Ad quam visendam mirabilis fiebat usquequaque concursus. Et hoc erat maximè admirationi, quòd ambo parentes ejus nec saltem tam longi homines erant, quàm longissimos videre consuevimus. Potuerunt ergò gigantes nasci, & priusquam filii DEI, qui & Angeli DEI dicti sunt, cum filiabus hominum, hoc est, secundùm hominem viventium miscerentur: Filii scilicet Seth, filiabus Cain. Nam & Canonica Scriptura sic loquitur, in quo libro hæc legimus, cujus verba ista sunt: Et factum est, postquam cœperunt homines multi fieri super terram, & filiæ natæ sunt illis, videntes Angeli DEI filias hominum, quia bonæ sunt, sumpserunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant.* Ad illud, quod ex Psalmo assumitur, Respond. cum eodem D. Augustino citato, in sensu metaphorico accipiendum ob flammam amoris ardentis, quo pleni sunt supremi illi Spiritus, ita enim dicit: *Sed utrum eorum corpora consequenter adjunxerit, dicendo, & ministros suos ignem ardentem: an quòd charitate tanquam igne spirituali fervere debeant ministri ejus, ambiguum est: apparuisse tamen hominibus Angelos in talibus corporibus, ut non solùm videri, verùm etiam tangi possent, eadem verissima Scriptura testatur.* Vel ob vim purgativam aut punitivam, quam exercent in castigandis peccatoribus.

Opponitur Secundò Tobiæ 6. *Et respondens Angelus dixit ei: cordis ejus particulam si super carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmonum, sive à viro, sive à muliere, ita ut ultra non accedat ad eos*; sed odoribus affligi vel etiam allici non possunt, nisi corpora & res materiales sensitivæ, ergò. Item cap. 8. *Tunc Raphaël Angelus apprehendit dæmonium, & religavit illud in deserto superioris Ægypti.* Similiter Apocalyp. 20. *Et apprehendit Draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus & sathanas, & ligavit eum per annos mille.* 1. Regum 16. *Quandocunque Spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & leviùs habebat, recedebat enim ab eo spiritus malus.* Ex quibus omnibus sic argumentor: Angeli delectantur musica, quibusdam odoribus sensibilibus in Sacrificiis, aliis iterum offenduntur, alligantur & cruciantur igne infernali, sed hæc de eis non possent verificari, nisi Angeli & dæmones essent corporei, ergò. Respond. disting. majo: Delectantur &c. formaliter & propriè, neg: majo: objectivè, conc: maj: & neg: min: Quia ad tales delectationes & dolores objectivè perceptos non opus habent corpore, sed dum illa objecta intel-

lectualiter percipiunt, spirituali affectu in iis sibi complacent, vel odio spirituali displicent, prout dicit Scotus de igne infernali, quòd dæmones & animæ damnatæ ab eo cruciéntur per violentam ejus contemplationem, & nolitam in eo detentionem. Totum hoc quoque pulchrè docet D. Augustinus lib. 21. Civitat. cap. 10. ubi dicit: *Si quisquam nulla habere corpora dæmones asseverat, non est de hac re aut laborandum operosa inquisitione, aut contentiosa disputatione certandum. Cur enim non dicamus, quamvis miris tamenveris modis etiam spiritus incorporeos posse pœnâ corporalis ignis affligi, si spiritus hominum etiam ipsi profectò incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari? Adhærebunt ergò si eis nulla sunt corpora spiritus dæmonum, imò spiritus dæmones, licèt incorporei, corporeis ignibus cruciandi: non ut ignes ipsi, quibus adhærebunt, eorum junctura inspirentur, & animalia fiant, quæ constent spiritu & corpore, Sed ut dixi miris & ineffabilibus modis adhærendo accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam.*

VIII. *Solvuntur authoritates Patrum.* Opponitur Tertiò Authoritas SS. Patrum, qui frequentissimè Angelis tribuunt corpora, ut patet ex Augustino & Bernardo suprà relatis, cujus opinionis etiam fuerunt olim Justinus, Cyprianus, Lactantius &c. & confirmatur ex authoritate 7. Synodi a. 5. ubi Joannes Episcopus Thessalonicensis probat; Angelos posse depingi, quia sunt corporei; cui tota Synodus annuendo respondit *etiam Domine*, ergò. Respond: SS. Patres dixisse olim Angelos corporeos, non ex mente sua, sed ex opinione antiquorum Philosophorum. Secundò frequenter ab iis dici corporeos, ex eo, quòd missi in ministerium hominum assumant corpora. Unde S. Augustinus ait, difficile esse explicatu, quomodo Angeli appareant; & qualia habeant corpora in Enchirid. cap. 59. dicens: *Itemque Angeli, quis explicet cum qualibus corporibus apparuerint hominibus, ut non solùm cernerentur, verùm etiam tangerentur, & rursus non solida corpulentia, sed spirituali potentia quasdam visiones non oculis corporeis, sed spiritualibus vel mentibus ingerant, vel dicant aliquid, non ad aurem forinsecus, sed intus in animo hominis, etiam ibidem ipsi constituti: sicut scriptum est in Prophetarum libro: Et dixit mihi Angelus, qui loquebatur in me, non enim ait, qui loquebatur ad me, sed in me. Vel appareant & in somnis, & colloquantur more somniorum. Habemus quippè in Evangelio: Ecce Angelus Domini apparuit illi in somnis dicens: His enim modis velut indicant se Angeli contrectabilia corpora non habere. Faciuntque difficillimam quæstionem, quomodò Patres eis pedes laverint, quomodo Jacob cum Angelo tam solidâ contrectatione luctatus sit. Cùm ista quæruntur, & ea sicut potest, quisque conjectat, non inutiliter exercentur ingenia, si adhibeatur disceptatio moderata, & absit error opinantium se scire; quod nesciunt. Quid enim opus est, ut hæc atque hujusmodi affirmentur, vel negentur, vel definiantur cum discrimine, quando sine crimine nesciuntur?* Tertiò si qui dicant corporeos, non tribuunt eis tamen talia corpora, qualia habent res sublunares. Quartò dicuntur corporei respectu DEI, nam licèt in rei veritate non sint corporei, tamen comparati ad simplicitatem divinam compositi sunt, & quasi corporei dici possunt, nempe in comparatione ad DEUM, qui excludit omnem potentialitatem, quia est actus purissimus, unde reliqua omnia possunt dici materialia & corporalia, intelligendo aliquam potentiam ad perfectionem, quâ carent; ita expressè D. Damascenus lib. 1. de fide, cap. 17. dicit: *Angelos esse incorporeos, & immateriales in se, materiales autem respectu DEI.* Ad confirmationem ex 7. Synodo Respond. Quòd Concilium annuit quidem, Angelos posse depingi, non probavit tamen rationem, propter quam dicuntur à Joanne Episcopo posse depin-

depingi, sed movebatur ex eo, quod frequenter in forma humana apparuerint, sicut depingitur etiam Sanctissima Trinitas, nam licèt dicatur, quòd Angeli haberent corpora, revera tamen dici non potest, quòd habeant humana, cùm tamen in iis depingantur.

Dices: Ad pulchritudinem universi pertinere videtur, quòd saltem aliqui Angeli sint corporei, licèt non habeant sensationes corporeas, nam cùm dentur aliquæ creaturæ merè corporales, aliæ merè spirituales, & aliæ mediæ habentes vim sensitivam, ita etiam dantur mediæ, sine tali vi sentiendi. Respond. Non omne, quod conveniens est ad pulchritudinem universi afferi debet, nisi ratione vel authoritate probari possit.

IX. Angeli non sunt ullo modo cōpositi.

Dicò Secundò: *Nec Angeli sunt corporei in secundo sensu, seu in quantum essent compositi ex substantia spirituali, & aliqua materia alterius, & subtilioris rationis à nostra, tanquam comparte essentiali.* Ita subtilis Doctor contra Richardum, Alensem D. Bonaventuram, &c. Probatur Primò ex Scriptura, Psalm. 103. *Qui facit Angelos suos spiritus.* Lucæ 24. *Palpate & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Ad Hebræos 1. *Omnes sunt administratores Spiritus.* Apocal. 1. & 5. dicuntur: *Septem Spiritus assistere ante thronum DEI: mitti in omnem terram*, & in Evangelio sæpe dæmones vocantur *spiritus immundi*, in quibus & similibus locis Scriptura satis insinuat, Angelos esse simpliciter Spiritus, & nullo modo habere corpora, cum hunc modum non adhibeat, quando loquitur de homine, licèt habeat compartem spiritualem, sed si spiritualis compars adducitur, vocatur anima, Angeli autem nulli leguntur habere animas. Hinc Div. August. lib. 1. Retract. cap. 11. ait: *Angelos sanctos habere animas, nusquam me legisse in divinis eloquiis, canonicisque recolo.* Et cap. 16. ubi dicit: *In hoc libro illud, quod dixi, animam dico esse factam à DEO, ut cætera omnia, quæ à DEO facta sunt, sed inter illa, quæ DEUS omnipotens fecit, principalem locum datum esse animæ, ita dixi, ut hoc generaliter de creatura rationali universâ accipi vellem, quamvis in Scripturis sanctis animas dictas esse Angelorum, aut non omninò, aut non possit facilè reperiri, sicut jam suprà diximus.* Ubi notanter dicit: Animas dictas esse Angelorum, aut non omninò, aut non potest facilè in Scripturis Sacris reperiri, si autem corpora haberent, utiq; possent dici animata, & animas habere, ergò.

Probatur Secundò ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. in cap. *Firmiter credimus*, *ex nihilo utramque condidit naturam spiritualem & corporalem, angelicam videlicet & mundanam, deinde humanam, quasi communem*, quæ verba, si benè perpendantur, excludunt omnem materiam ab Angelis, nam si humana natura est media, angelica & mundana sunt extrema, adeóque angelica nihil habet de materia, quia mundana habet valdè multa corpora subtilia & aërea. Confirmatur ex alio Concilio Lateranen. sub Leone X. ubi definitum est animam esse immaterialem & spiritualem, ergò à fortiori Angelus.

Probatur ex Patribus: Augustino lib. 1. Retract. cap. 11. *Angelorum sanctorum nomine omnem sanctam creaturam spiritualem nominaverim.* in Psalm. 103. *Spiritus Angeli sunt.* lib. 15. de Civit. cap. 23. *Eos, qui naturâ spiritus sunt, facit esse Angelos*, & alibi sæpe *dæmones immundos spiritus, malignos, fallacissimos, & nocendi cupidissimos spiritus* vocat D. Bernardus lib. 5. de considerat. cap. 3. Angelos spiritus vocat, & magis proximos DEO, quàm animam, ait enim: *Spiritus est Deus, sunt & Angeli sancti, & hi suprà te.* & serm. 3. in Cantica vocat: *supercœlestes spiritus*, ergò.

Probatur Tertiò Ratione ex Scoto: Illud, quod habet rationem immaterialem, ita quòd non possit recipi, nisi in subjecto immateriali & inex-

inextenso, est immateriale, sed Angeli sunt tales, ergò. Probatur min: Quia intelligere solùm potest recipi in anima rationali & Angelo, consequenter sicut illa, ita iste erit totaliter immaterialis.

Probatur Quartò ex eodem 2. d. 2. qu. 8. Si Angeli essent corporei, non posset esse legio in uno corpore humano obsesso, quod tamen in Scriptura legitur Lucæ 8. ergò: probatur sequela, quia legio habet 6666. ex D. Bonaventura, sed tantus numerus dæmonum corporeorum in corpore humano locum habere non potest, nisi dæmonum corpora essent valdè parva, & consequenter imperfectissima in genere corporis.

Dices: Dæmonum corpora sunt valdè subtilia, undè non implicat, quòd tot in eodem sint corpore. Sed contra. Quantumcunque sint subtilia, aliquem tamen locum occupare debent, & sic non tot possunt esse simùl.

Probatur Quintò ex eodem Doctore Quodl. q. q. a. 2. Quod est per se subsistens ultima actualitate, nec per se ordinatur, aut est ordinabile ad aliquem ulteriorem actum, non potest esse forma alicujus materiæ, Angelus est tale quid, ergò: probatur min: Angelus est perfectus in specie perfecta, imò perfectior, quàm sit aliqua substantia materialis, sed aliqua substantia materialis est ita in actu, quòd non sit ordinabilis ad aliquem ulteriorem, ergò multò minùs Angelus. Probatur maj: ex Aristotele 8. Metaphys. Ordo specierum & ordo numerorum, sicut ergò unus numerus excedit alium numerum, ita una species aliam speciem.

Probatur Sextò: Unum corpus potest penetrare aliud corpus, nec unum materiale aliud, sed Angeli penetrant corpora, quod faciunt, quando intrant hominem, eumque totum occupant, estque communis conceptus Angelorum posse penetrare, ergò non sunt corporei & materiales.

Dices: Angelos non penetrare corpora, sed ea intrare per poros. Sed contra: Angeli mali ceciderunt de cœlo, in quo creati fuerant, & in quo peccârant, sed cœli saltem aliqui non habent poros, cùm dicantur *solidi quasi ære fusi*, apud Job, ergò per poros non poterant cadere. Deindè si intrarent per poros, vel deberent habere corpora minutissima & imperfectissima in genere corporum, vel deberent secari & dividi, deberet enim una pars intrare per unum porum, alterâ per alium, quæ omnia an non sint ridicula? Sed directè

Arguitur in contra: Angeli possunt esse vel non esse, agere & pati, se movere & moveri, nec sunt actus puri, ergò necessariò componuntur ex materia & forma, quæ sunt principia omnis motûs & mutationis. Respond. negando consequ: Quia omnia in antecedenti allegata non solis materia & forma constantibus conveniunt, sed etiam cuicunque creaturæ, unde Argumentum solùm probat, Angelos non esse actus puros, sed constare ex actu & potentia metaphysica, nempè genere & differentia. Cùm autem dicitur materiam & formam esse principia omnis motûs & mutationis distinguenda est propositio, motûs materialis, physici & sensibilis, concedo, motûs cujuscunque maximè spiritualis & insensibilis, nego min: & consequ:

QUÆSTIO QUARTA.

An Angeli sint omninò incorruptibiles?

NOtandum ex Doctore subtili, corruptibilitatem esse affectionem propriam corporis mixti; distinguitur autem corruptio ab annihilatione ex eo, quòd non possit dici ad convertentiam, omne enim, quod est corruptibile, est annihilabile, non tamen statim quod est annihilabile, est corruptibile. Res verò dicitur annihilabilis, quatenus

b. Differentia inter corruptionem & annihilationem.

tenus creata, ab alio causata, non habens ex se esse, indifferens omninò ad esse, & non esse, includens possibilitatem tantùm ad existendum secundùm non repugnantiam. Corruptibilis verò res, quatenus composita ex parte actuali & potentiali, realiter distinctis, quarum una separabilis ab altera in potentia contradictionis ad quemcunque actum à se realiter distinctum. Itaque corruptio est carentia suæ formæ in materia, annihilatio est totalis defitio rei. Corruptio habet negationem intra genus, annihilatio extra. Hoc prænotato

II. Angelus est incorruptibilis. Dico Primò: *Angeli sunt incorruptibiles*. Ita communissimè Patres. Probatur authoritate SS. Patrum D. August. enarr. in Psalm. 101. dicentis: *Si manent quædam cum DEO, quæ facta sunt à DEO, non manent in se, sed in DEO, non recedendo à DEO. Quid enim dicturi sumus fratres, quòd Angeli perituri sunt igne, quòd incendetur mundus? Absit! sed quid? Dicemus, quòd Angelos DEUS non fecerit? Absit. Sed quid dicemus? Et unde essent, si non ab illo facti essent? Ipse dixit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt. Dictum est enim hoc, cùm operum ejus commemoratio fieret, in quibus & Angeli nominati sunt. Erunt ergò cum illo Angeli etiam mundo igne flagrante: & erit incendium mundi, non incendens Sanctos DEI.* Si ergò Angeli per ignem non conflagrabuntur, per nullum aliud agens corrumpi poterunt, cùm nullum sit potentius ad corrumpendum & destruendum. D. Bernardi lib. 5. de consid. cap. 4. ubi eos vocat *immortalitate perpetuos, impassibiles*, & ego infero, ergò incorruptibiles, quia corrumpi non potest, quod per nullam causam agentem potest pati, omnis enim corruptio fit vel per destructionem subjecti, vel per formæ contrariæ inductionem, vel per activitatem qualitatum contrariarum, sed &c. ergò. D. Bernardo adjungo authoritatem Div. Dionysii de divin. nom. dicentis: *Intellectuales substantiæ vitam habent indeficientem ab universa corruptione, morte, materia & generatione existentes mundæ.*

Probatur Secundò Ratione: Corruptibile dicitur, cujus una pars potest ab alia dissolvi, sed Angelus est omninò simplex simplicitate opposita compositioni ex materia & forma, ergò est incorruptibilis: Probatur consequ: Quia corruptio non est pura negatio, sed privatio in subjecto apto, ergò Angelus carens illis partibus intrinsecis, intrinsecè est incorruptibilis.

III. Angelus est immortalis. Dico Secundò: *Angelus est immortalis ex natura sua.* Hæc satis deducitur ex Concil. Lateranensi sub Leone X. sess. 8 ubi determinatur de anima rationali, quòd sit immortalis, major autem vel saltem æqualis est ratio de Angelis, eamque tenet mellifluus Doctor suprà dicens, eos esse immortalitate perpetuos. Unde de anima dicit serm. 81 in Cant. *Nam naturale quidem etiam, quod non spiritualiter* (per gratiam) *vivit, immortaliter vivat necesse est.*

Probatur etiam Ratione: Quia res producta exigit connaturaliter conservari à DEO tamdiu, quamdiu nec extrinseca, nec intrinseca rei dispositio exigit destructionem, quia, qui dat formam, dat etiam consequentia ad formam, sed Angelus ratione physicæ suæ simplicitatis, nec ex se aliquando desinere petit, nec à causis secundis aliquid recipere potest, ratione cujus connaturaliter à DEO deberet destrui, ergò.

IV. Est annihilabilis. Dico Tertiò: *Angelus est simpliciter annihilabilis tàm objectivè ex extrinseca DEI potentia, quàm intrinseca potentia passiva, ratione suæ essentiæ finitæ.* Contra Suaretz, & Probatur Primò ex authoritate S. Scripturæ, Sap. 11. *Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod à te vocatum non esset, conservaretur?* 1. ad Timoth. 6. de DEO dicitur: *Qui solus habet immortalitatem.* Unde D. Bernardus dicit supra serm. 81. in Cant. Animam sine gratia naturali vitâ *immortaliter*

(*) N *vivit.*

vivere necesse esse, & subdit: *Aliàs autem immortalis est anima, & in hoc nihilominus verbo similis quidem, sed non æqualis, nam in tantum supercellit immortalitas Deitatis; ut Apostolus dicat de DEO, qui solus habet immortalitatem*, id est, omnimodam indefectibilitatem.

Probatur Secundò ex Scoto 1. d. 43. Possibilitas & impossibilitas rei formaliter ex parte rei realis, fundata in ejus quidditate, independenter à quocunque intrinseco, sed Angelus ex natura sua possibilis est creari, & annihilari, ergò sicut habet realem possibilitatem & potentiam intrinsecam, ut creetur, etiam habebit ut annihiletur. Confirmatur Primò: Omni potentiæ reali activæ correspondet potentia passiva realis subjectiva. ergò sicut ex parte DEI datur potentia activa annihilandi, ita dabitur passiva annihilabilitatis ex parte Angeli. Confirmatur Secundò, omnis res subjicitur potentiæ DEI secundùm esse, & non esse, sed Angeli sunt à DEO ex nihilo per creationem, ergò etiam possunt ad nihilum per eum reduci. Sed in contrarium

Arguitur Primò: Omnis potentia realis intrinseca vel est activa, vel passiva, sed neutram habent Angeli ad sui annihilationem, ergò. Probatur min: Non activam, quia Angelus nequit seipsum propriâ existentiâ privare: Non etiam passiva, quia talis potentia nunquam est directè ad non esse, ergò. Respond. neg: min: cum sua probatione pro altera parte, quia omnis creatura essendo indifferens ad esse & non esse habet potentiam intrinsecam, ut sicut ad extra à causa extrinseca ponitur, ita etiam, quod ab eadem possit annihilari, consequenter etiam Angeli.

Instabis: Res, cùm est producta, non est amplius indifferens ad esse & non esse, ergò Angelus non erit amplius indifferens, quando actu existat, cùm existentia sit ipsius modus intrinsecus. Respond. dist. Non est amplius indifferens ex intrinseca potentia passiva, nego ab extrinseca causa, per quam ad existendum determinatur, concedo. Quare, licèt existentia sit ejus modus intrinsecus, in quantum existens est, contingens tamen est, quòd existat.

Arguitur Secundò: Quidquid est conforme naturali inclinationi, est illi omninò connaturale, sed esse semper est conforme appetitui Angelorum, ergò est prædicatum illis connaturale. Respond. distin. maj: Inclinationi naturali, ut dicit actum elicitum voluntatis, conc: maj: ut dicit pondus naturæ secundùm potentiam passivam, neg. maj: Qui si secundùm inclinationem ponderis naturæ haberet appetitum, ut semper sit, haberet etiam appetitum, ut semper producatur, & sic, quamdiu non fuit productus, fuisset in statu violento, prout est, quando destrueretur, prout violentum opponitur actui elicito. Notandum autem, quòd potentia passiva plus in se habeat, quàm appetitus naturalis, unde possunt benè simùl stare potentia passiva ad non esse, & appetitus naturalis ad esse, maximè cùm illa potentia non sit positiva, sed tantùm negativa per quod, si benè adnimadvertatur, plures difficultates & authoritates SS. Patrum solvi possunt, dum enim aliqui dicunt, DEUM esse immortalem, omnem verò creaturam indefectibilem, loquuntur de indefectibilitate, prout opponitur defectibilitati positivæ & negativæ, quæ soli DEO competit. Alii econtra dicunt, Angelos esse indefectibiles totaliter & immortales, ac per hoc differre à rebus materialibus, & hi intelligendi sunt de indefectibilitate, prout opponitur defectibilitati internæ positivæ.

DISPU-

DISPUTATIO SECUNDA.

DE

Distinctione generica, specifica, & numerica Angelorum.

QUÆSTIO PRIMA.

An Angelus & homo distinguantur genere vel specie?

Certum & indubitatum est, hominem, prout est ens corporeum, distingui non solùm specie, sed etiam genere ab Angelo, qui totus spiritualis est & immaterialis, & licèt haberet aliquam materiam, illa utique etiam esset specie distincta, nec de hac re ulla potest esse difficultas, quæ tantùm vertitur comparando & considerando hominem quoad animam, an videlicet Angelus & anima differant specie, non quidem tanquam duæ species completæ, cùm anima non sit nisi pars formalis speciei, sed an differant sic specie & forma speciei, pro quo resolvendo antecedenter

I. Angelus præstantior est homine. Dico Primò: *Angelus quantum ad naturæ dignitatem præstantior est homine, quantum ad finem ultimum consequendum sunt pares.* Hæc est communis. Probatur Primò authoritate D. Augustini lib. de Civit. DEI cap. 15. ubi dicit: *Non enim est ulla natura etiam in extremis infimisque bestiolis, quam non ille constituit: à quo est omnis modus, omnis species, omnis ordo: sine quibus nihil rerum inveniri vel cogitari potest: quantò magis angelica creatura, quæ omnia cætera, quæ DEUS condidit, naturæ dignitate præcedit.* Et cap. 16. *In his, quæ intelligunt, præponuntur immortalia mortalibus, sicut Angeli hominibus, sed ista præponuntur naturæ ordine,* ubi satis insinuat, ordine gratiæ non sibi præponi, sed æquari. Verùm specialiter

Probatur Secundò prima pars Conclusionis: Tùm, Quia purè spirituale excedit in perfectione naturę id, quod est mixtum corpori: Tùm, Quia Angelus ab intrinseco est incorruptibilis, non sic homo: Tùm, Quia Angelus magis assimilatur DEO quàm homo, quia DEUS est purus Spiritus, ergò.

Probatur secunda pars: Tùm, Quia tàm Angelus, quàm homo ad eandem beatitudinem DEI visionem & fruitionem sunt præordinati, eadémque est mensura utriusque scilicet ævum, & sicut dantur multi Angeli superiores pluribus hominibus non solùm in naturalibus, sed etiam in gratuitis, ita dantur aliqui homines excedentes improportionabiliter omnes Angelos in gratuitis, ut Christus Dominus, B. V. Maria, & fortè etiam aliqui Sanctorum, ut S. Pater noster Franciscus, qui dicitur humilitate suâ locum Luciferi obtinuisse, ergò.

Opponitur Authoritas D. Augustini lib. 4. Trinit. cap. ult. ubi dicit: *Mente humanâ solus DEUS est major.* Et lib. 15. cap. 1. sic discurrens dicit: *Pervenimus ad ejus imaginem, quod est homo, in eo, quo cæteris animalibus antecellit, id est, ratione vel intelligentiâ, & quidquid aliud de animâ rationali vel intellectuali dici potest, quod pertineat ad eam rem, quæ mens vocatur vel animus. Quo nomine nonnulli Authores Linguæ latinæ, id, quod excellit in homine, & non est in pecore, ab anima, quæ inest & pecori, suo quodam loquendi more distinguunt. Supra hanc ergò naturam si quærimus aliquid, & verum quærimus, DEUS est, natura scilicet non creata, sed creatrix.* Ergò si nihil mediat inter animam & DEUM, anima vel

ma vel erit perfectior Angelo, vel saltem æquè perfecta, si autem Angelus esset perfectior, aliquid esset DEO propinquior & immediatior in perfectione. Respond. neg. consequ: nam ut semetipsum sæpius explicat S. Doctor, animam ille frequenter accipit pro utraque creatura rationali, angelica videlicet & humana, nam lib. 1. Retract. cap. 13. ait: *Hic animam pro universa creatura in corporali posui, non loquens more Scripturarum, quæ animam, quando non translato verbo utuntur, nescio utrum velint intelligi, nisi eam, quâ vivunt animalia mortalia, in quibus & homines sunt, quamdiu mortales sunt.* Similia habet cap. 16. ut supra retuli, & lib. 2. Retract. cap. 14. revocat, quod dixit in lib. de catechisandis rudibus: *Novit enim DEUS ordinare deserentes se animas: convenientius diceretur, deserentes se spiritus, quoniam de Angelis agebatur.* Itaque toties quoties dicit, animam esse perfectissimam in hac generaliori acceptione intelligi debet; vel de donis gratuitis: vel de eo, quòd DEUS immediatè influat in animam per gratiam suam semetipsum se illi communicando per visionem & fruitionem.

Instatur: Lucæ 22. dicitur: *Major est, qui recumbit, quàm qui ministrat*, sed Angeli ministrant, nam *omnes sunt administratorii Spiritus missi propter illos, qui hæreditatem capiunt salutis*, ergò. Respond. distin: majo: Si ministrant tanquam Domino & propter se, concedo: si propter alium & ex charitate, nego major. In proposito Angeli ministrant hominibus non propter excellentiam hominum, quam habent super Angelos, sed propter DEUM, cujus voluntati obtemperant, & in omnibus adimplent.

Arguitur Secundò: Christus Dominus est caput Angelorum, & B. V. Maria dicitur Regina Angelorum, ergò sunt nobiliores Angelis, & consequenter tota species humana perfectior erit angelica. Probatur hæc ultima consequ: si optimum in uno genere est nobilius optimo alterius generis, quodlibet illius generis est nobilius, & simpliciter perfectius, ergò. Nec valet dicere, quòd Christus Dominus secundùm naturam divinam, non verò secundùm humanam sit nobilior Angelo, quia B. Virgo est purus homo, & tamen est Angelis nobilior, ergò. Respond. Tàm Christum Dominum, quàm B. Virginem excedere Angelos, non tàm in dignitate naturæ humanæ, sed in donis gratuitis collatis naturæ humanæ secundùm perfectionem entitativam omninò excedunt Angeli.

Dico Secundò: *Angelus & homo secundùm animam rationalem specie distinguuntur inter se.* Ita Doctor subtilis 2. d. 1. qu. 5. D. Bonaventura ibidem a. 3. q. 1. & 2. hanc Conclusionem probant aliqui sic: Quia anima rationalis est discursiva, non verò Angelus, & proindè utriusque intellectus differunt specie, & consequenter ipsæ naturæ in se. Hæc ratio omninò non valet: Tùm, Quia modus intelligendi sine discursu etiam competit animæ, nempè circa prima principia ex terminis cognita. Item anima non discurrit circa objectum beatificum. Tertiò, Angeli discurrere videntur, dum cognoscunt effectum propter causam, undè D. Bernardus suprà non dicit, eos non posse discurrere, & aliud ex alio cognoscere, sed non habere necesse, ut semper faciant. Quartò intellectus angelicus finitus est, ac limitatus, ergò ei repugnat unico actu causas & effectus possibiles cognoscere, cùm id solùm divino competat, ergò.

II. Angelus & homo secundùm animam specie distinguuntur.

Probatur ergò rationibus Scoti Primò: Quantò forma creata est nobilior, tantò distinguitur in plures gradus essentiales, ut patet, ideò enim plures formæ mixtorum, quàm elementorum, & plures formæ animatorum, quàm inanimatorum, ergò etiam erunt plures species in natura intellectiva, cùm hæc sit perfectissima, ergò Angelus & anima rationalis specie differunt.

Proba-

Digitized by Google

Probatur Secundò: Forma ejusdem rationis & speciei habent eandem rationem perficiendi, sed anima rationalis est perfectiva corporis organici, ut forma, Angelus autem non est naturaliter perfectivus, ergò.

Probatur Tertiò: Diversæ speciei potentiæ consequuntur diversam substantiam, cui identificantur, sed intellectus angelicus est diversæ speciei, ergò etiam Angelus & anima. Probatur min: Quia intellectus angelicus non est ex natura sua intellectivus dependenter à phantasmatibus, intellectus verò humanus est, ergò. Minoris veritatem eleganter describit mellifluus Doctor serm. 5. in Cantic. his verbis: *Porrò autem supercœlestis spiritus absque adjutorio corporis, & absque intuitu horum, quæ per corpus sentiuntur* (phantasmatibus) *sola profectò vicinitate ac vivacitate naturæ sufficit apprehendere, summa & intima penetrare. An non hoc Apostolus intellexit, qui cùm diceret invisibilia DEI per ea, quæ facta sunt, intellectu conspiciuntur, adjecit protinus à creatura mundi? nimirum quoniam à creatura cœli, non ita. Quo enim is involutus carne, & terræ incola spiritus ex consideratione sensibilium proficiens, gradatim quodam modo, paulatimque nititur pervenire eò ille cœlestium inhabitator ingenità subtilitate ac sublimitate sua in omni velocitate facilitateque pertingit, nullo utique corporei sensûs adminiculo fultus, nullo corporei membri adjutus officio, nullo corporeæ cujuscunque rei informatus intuitu.* Undè licèt lib. 5. de confid. cap. 3. dicat: *Unum siquidem tui & Angeli optimum, ratio est.* Non intelligit unitatem rationis specificam, sed genericam & communem.

Probatur Quartò: Quia ens completum, & incompletum differunt specie, sed Angelus est ens completum, anima incompleta, quia ordinatur ad completionem & constitutionem hominis, ergò: Hinc etiam Doctor subtilis docet, quòd pro priori anima & Angelus distinguantur, quia hic talis natura est, & illa talis per ordinem ad se, non quidem quasi duæ species, sed sicut species, & pars speciei, quia anima non est propriè species, sed pars speciei, & tamen ipsa est ratio distinguendi suam speciem, cujus est pars, sed in contrarium

Opponitur Authoritas D. Augustini de lib. arb. lib. 3. ubi dicit: *Angelus & anima sunt natura pares, sed officio impares*; sed paritas in natura non arguit differentiam specificam, ergò. Respond. Primò, Angelum & animam esse in natura pares secundùm gradum genericum intellectualitatis, non verò secundùm gradum specificum. Respond. Secundò: Et fortè magis ad mentem D. Augustini: Animam & Angelum esse pares in appetitu ad infinitum bonum, ex eo, quòd nec illa, nec ipse satietur, nisi per possessionem infiniti boni. Eodem modo exponitur alius textus lib. de quantitate animæ, ubi dicit: *Quemadmodum fatendum est, animam humanam non esse DEUM, ita præsumendum inter omnia, quæ creavit DEUS, nihil esse propinquius ipsâ DEO.* Quia in lib. 11. Civit. cap. 5. ait: quòd *angelica natura, cætera, quæ DEUS condidit, naturæ dignitate antecedat.*

Instatur: Sequeretur, quòd Angelus quilibet perfectius possideret infinitum & summum bonum, quàm quælibet anima, quia si secundùm totam speciem sunt alterius naturæ, etiam quilibet Angelus erit perfectior quâlibet animâ, & cùm perfectionem naturæ sequatur capacitas possidendi objectum, evidenter sequitur, quemlibet Angelum perfectius possessurum, sed hoc est falsum, quia Christus Dominus perfectius possidebit, quàm omnes Angeli, & multi Sanctorum pluribus Angelis, ergò. Respond. neg. sequel: Quia licèt quilibet Angelus quâlibet animâ sit perfectior, non tamen perfectius quilibet possidebit summum bonum, quia hæc possessio non commensuratur capacitati natu-

naturali præcisè, sed meritis, unde dico, quòd capacitas possidendi & intelligendi naturalium sequatur perfectionem naturæ, & ut talium semper perfectiorem futuram capacitatem Angeli.

Urgetur: Tota capacitas naturæ satiatur per possessionem summi boni, quia totus appetitus explebitur, ergò cùm capacitas Angelorum sit perfectior, perfectior etiam erit possessio & satietas. Respon. distin: antec: capacitas tota naturæ satiatur secundùm appetitum naturalem & innatum, nego antec: secundùm appetitum elicitum conformantem se perfectæ divinæ voluntati & ordinationi, conc: antec: & nego consequentiam.

Ad magis declarandam priorem Conclusionem ejusque solidam probationem à posteriori plurimum conducit scire, an intellectualitas Angeli & animæ sint ejusdem vel diversæ speciei, si enim distinctæ sunt speciei, consequenter & ipsæ naturæ erunt distinctæ rationis, pro quo

VIII. Intellectus Angeli & hominis sunt distinctæ speciei. Dico Tertiò: *Probabilius censeo esse, intellectum Angeli, & animæ rationalis esse distinctæ speciei.* Doctor est in hac re problematicus, & licèt videatur oppositum hujus conclusionis docere, revera tamen dubius mansit, nec aliquam partem determinatè resolvit, & ordinariè ex supposito alieno loquitur, nam in fine citatæ quæstionis sic dicit: *Aut istud verum non est, sed relinquitur istud modo sicut dubium:* & ibidem solvit rationes factas contra hanc nostram conclusionem, itaque

Probatur Primò: Quia licèt Angelus & anima conveniant in ratione substantiæ & intellectualis ut sic, disconveniunt tamen in ratione talis substantiæ intellectualis, ergò licèt conveniant in ratione intellectûs ut sic, disconveniunt tamen in ratione talis intellectûs: Probatur consequ: Quia non magis debent convenire in ratione intellectûs ut sic, ob convenientiam in intellectualitate ut sic, quàm disconvenire in ratione talis intellectûs ob disconvenientiam in ratione talis intellectûs. Probatur Secundò: Quo perfectior est substantia, eò perfectiorem habet potentiam, sed Angelus est perfectioris substantiæ, quam homo, ergò debet habere perfectiorem potentiam non aliam, quàm intellectum & voluntatem, ergò. Tertiò: Quia intellectus angelicus ex natura sua particulari non est intellectivus cum dependentia à phantasmatibus, ergò distinguitur ab humano, qui est sic intellectivus: Probatur ant: Quia non est per se componibilis & conjungibilis cum corpore ad faciendum unum totum per se compositum, sed nequit esse intellectivus dependenter à phantasmatibus, nisi possit corpori per se uniri, ergò.

Probatur Quartò: Quia Angelus potest intelligere perfectiori modo, quàm anima, vel non potest? Si primum, ergò distinguitur specie ab humano: Si secundum? ergò anima est perfectior, quàm Angelus: probatur consequ: Quia anima potest habere tàm perfectas operationes, quàm Angelus, & ultra hoc potest habere alias operationes, quas non potest Angelus, quia potest habere operationes dependentes à phantasmatibus, & operationes sensitivas, quas nequit habere Angelus, sed perfectius est habere omnes operationes, quas potest Angelus, & ulteriores, quàm illas solas, ut patet. ergò. Nec obstat, quòd anima sit substantia incompleta, quia melius est & perfectius esse substantiam incompletam cum perfectioribus operationibus, quàm completa cum imperfectioribus, hinc anima est perfectior lapide, plantâ, & bruto, licèt illa sit incompleta, & istæ naturæ completæ.

Probatur Quintò: Proprietates emanantes immediatè ab essentiis rerum specie distinctis, distinguuntur specie, sed intellectus & voluntas Angeli & animæ emanant ab essentiis rerum, quarum sunt, ut de se patet,

Digitized by Google

patet, habentque essentias specie distinctas, ergò etiam intellectus & voluntas specie distinguuntur.

Dices: Intellectum & voluntatem emanare quidem ab Angelo & anima, non tamen secundùm rationes specificas, sed secundùm rationem genericam utriusque communem, sicut sensibilitas hominis & bruti sunt ejusdem rationis, quia emanant à ratione generica animalis utriusque communi. Sed contrà illud ratione cujus intellectus convenit homini, est differentia ultima & specifica illius, & similiter de Angelo, sed differentiæ ultimæ hominis & Angeli sunt specie diversæ secundùm omnes, ergò quæcunque ad istas consequuntur, differunt specie: major, in qua est difficultas, probatur, quia proprietates perfectissimè debent convenire rebus ratione perfectissimi gradûs & formalitatis in eis inclusæ, sed intellectus & voluntas sunt perfectissimæ proprietates rei creatæ secundùm omnes, ergò conveniunt homini & Angelo ratione perfectissimi gradûs entis in utroque inclusi, cujusmodi absque controversia est gradus specificus, ergò intellectus & voluntas emanant ab Angelo & anima secundum gradus specificos. Major in omni bona Philosophia nota est, quia sicut omnis proprietas sequitur ad essentiam, ita quò perfectius est esse, eò perfectiorem habet proprietatem, & hinc concludimus proprietates absolutas DEI esse infinitas, quia emanant ab esse infinito. Unde qui dicunt intellectualitatem Angeli & animæ emanare ab aliqua ratione generica utriusque communi, consequenter deberit dicere Angelum & animam habere alias potentias & proprietates perfectiores intellectu & voluntate, licèt nobis ignotas, quia necesse est, quòd à gradu specifico utriusque emanent proprietates & perfectiones correspondentes in perfectione perfectionibus graduum, à quibus desumuntur, & sic habent negare minorem supra positam contra omnem prorsus rationem, nam nec fides, nec ratio à priori vel posteriori convincit in DEO vel creatura esse alias proprietates perfectiores intellectu & voluntate. Sed in contra.

Opponitur authoritas Scoti, qui suprà relatus probat intellectum Angeli & animæ esse ejusdem speciei, ex eo, quòd sint circa objecta ejusdem rationis. Item ex eo, quòd licèt bos & aquila differant specie, non propterea potentia visiva utriusque est diversæ speciei, ergò hæc conclusio est contra Scotum & rationem. Respond. neg. consequ. quoad Doctorem subtilem attinet: dico illum fuisse & mansisse problematicum. Quantum ad rationes autem dico eas non concludere, non quidem prima, nam ut Scotus ipsemet §. *ad primum argumentum principale*: Quia alioquin sequeretur, intellectum divinum & creatum esse ejusdem speciei, quia versantur circa idem objectum, licèt ergò ex parte objecti, vel termini, non possit assignari diversitas specifica istarum potentiarum, benè tamen ex parte fundamenti utriusque, videlicet ex parte naturarum, quæ sunt diversæ speciei, & consequenter habent proprietates diversæ rationis, ut benè Doctor ibidem. Secunda ratio quoque nihil concludit, quia vel antecedens pro secunda parte potest negari, utpote quòd nulla ratione constat, imò in Philosophia contrarium docui p. 4. d. 4. q. 5. ubi videri possum, quamvis autem in probationibus quandoque has easdem Scoti rationes adhibui, id feci probabilitatem sequendo, prout materia exigebat. Vel potest negari paritas, quia non constat, quòd potentia visiva bovis emanet à differentia ultima ipsius, imò magis constat, quòd à differentia generica, de intellectu hominis & Angeli id constat, ut visum est, ergò.

Instatur: Intellectus Angeli & hominis conveniunt in ratione communi intellectualitatis, ergò intellectualitas est eadem in utroque. Respond.

spond. neg. consequ: Quia sicut Angelus & homo, licèt non conveniant non solùm inter se, sed etiam cum DEO in ratione communi substantiæ intellectualis, nihilominus differunt in ratione specifica talis & talis substantiæ secundùm omnes, ita similiter de potentiis utriusque dicendum, quòd conveniant in ratione communi & generica potentiæ intellectualis, & differant in ratione specifica talis & talis substantiæ.

IV. Arguitur Secundò: Ad potentias specie distinctas sequuntur operationes specie distinctæ, sed operationes intellectûs angelici & humani, non differunt specie, ergò nec potentiæ. Major patet, Probatur min: Tùm, Quia versantur circa idem objectum, & sub eadem ratione: Tùm, Quia si tàm potentiæ, quàm operationes specie distinguuntur, ergò una secundùm se tota erit nobilior altera, & per consequens quodlibet individuum unius erit nobilius quolibet individuo alterius, & sic quilibet Angelus ejusque operatio erit perfectior qualibet anima, ejusque operatione, sed utrumque consequens est falsum, quia inde sequeretur, quòd visio & fruitio infimi Angeli esset perfectior visione & fruitione animæ Christi & B. Virginis: Probatur hæc sequela, quia natura quò perfectior est, eò capacior ad recipiendam beatitudinem, ergò, cum beatitudo repleat totam capacitatem beati, majorem beatitudinem habebit quilibet Angelus, quàm anima Christi. Respond. ex Scoto imprimis majorem non esse adeò certam, maximè quando potentiæ sunt causæ æquivocæ suorum effectuum, ut est in proposito, nam sol & ignis causant calorem ejusdem speciei ex probabilissima sententia. Respond. Secundò: neg: min: loquendo ex parte fundamenti, ad primam probationem dico illam tantùm portare, quod nos quantum est ex parte objecti non possimus colligere differentiam specificam istarum operationum, quod transeat pro hoc statu, benè tamen ex parte fundamenti, quia scilicet fundamentum & principium utriusque est diversæ speciei. Ad secundam probationem concedo utramq; consequentiam absque aliquo absurdo, si intellectus Angeli & animæ Christi relinquantur suis viribus naturalibus, & ex hoc concedo, quòd visio beata Angeli pro ea parte, qua procedit ab ipso intellectu Angeli sit perfectior visione animæ Christi; Cœterum, quia quæ desunt viribus naturalibus animæ Christi supplentur per abundantiora auxilia & dona gratiæ, hinc fit, ut visio animæ Christi simpliciter excedat visionem supremi Angeli, quia quod deest naturæ, supplet gratia. Idem dico de anima B. Virginis. Ad illud de capacitate dico, quod quantum ad capacitatem passivam recipiendi beatitudinem sunt æquales, & quod quævis beatitudo sufficienter satiat cujusque beati capacitatem, quia juxta cujusque meritum datur.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Distinctione specifica Angelorum.

D. Thomas 2. p. qu. 5. art. 4. quem sequuntur Cajetanus, Capriolus, Ægidius, Godefredus, & plures Thomistæ conformiter ad sua principia, quibus tenent rationem & causam formalem, seu principium individuationis esse quantitatem, seu materiam signatam, hic docent Angelos, cùm non constent quantitate, nec materia, necessariò differre omnes specie, & consequenter tot esse species Angelorum, quot sunt eorum individua, ita quod non possint plures in eadem specie cum altero participare. Scotus verò 2. d. 3. q. 7. docet, possibiles esse plures Angelorum species, & etiam de facto plures tales esse, similiter docet, posse plures Angelos solo numero sub eadem specie differentes, & fortè etiamnum de facto sic esse. Sunt etiam nonnulli, qui inter Angelos ponunt majorem

jorem distinctionem, quàm specificam, idque inter eos, qui sunt diversæ Hierarchiæ. Imò sunt, qui considerant universitatem Angelorum instar invisibilis mundi, & in eodem ordine plures Angelorum species admittunt, quibus favere videtur, quòd Lucifer, licèt fuerit de supremo ordine Angelorum, tamen cœteris ejusdem Ordinis antecelluit, uti in gratia, sic in natura. Verumtamen, quia nec ex Scriptura, nec ex Patribus aliquid certi, vel solidi habemus, verius somniare, quam aliquid solidi opinari possumus, ego in hac quæstione agam solummodò de specifica differentia Angelorum; an plures species possibiles sint, an verò actu tales existant? Pru quo

II. Angelorū species plures sunt possibiles. Dico Primo: *Possibiles sunt plures species Angelorum essentialiter inter se differentes.* Ita Doctor subtilis citatus, & Scotistæ communiter, nec potest esse aliqua difficultas, quare Probatur Primò ex Patribus, D. Bernardo lib. 5. de consid. cap. 4. qui spiritus illos cœlestes dicit: *Dispositos in dignitates, ab initio stantes in ordine suo, perfectos in genere suo.* Sed sub genere continentur species, ergò Angelorum Ordines erant specie distincti; unde ipse mellifluus Doctor subdit interrogativè: *Nullane inter illos spiritus, qui simpliciter Angeli, & eos, qui Archangeli nuncupantur, distantia? Quid ergò sibi vult gradualis distinctio hæc?* Quod quamvis possit intelligi de graduali distinctione donorum, tamen æquè congruè, & benè intelligitur de distinctione graduali specifica. D. Damasceno in Elementario cap. 17. dicente: *Secundum unamquamque speciem fecit DEUS Angelos.* Hinc etiam Div. Basilius lib. de Spiritu S. cap. 16. ait: Angelis gratiam distributam esse secundùm proportionem majorem, & minorem naturalem, sed certum est, quòd Angeli, quàm maximè in gratia se invicem excellant, ergò etiam in natura, major est D. Basilii citati sic dicentis: *Cœlorum virtutes non suaptè natura Sanctæ sunt, sed juxta perfectionem, qua se invicem superant, à spiritu habent sanctificationis mensuram*, ergò. Et confirmari potest ex eo, quòd in diabolis deprehendatur inæqualitas in perfectione naturali, utpotè cum unus altero sit, & dicatur intelligentior, sagacior, velocior, &c. quæ in distinctionem gradualem gratiæ referri non possunt, ergò ex naturalibus hoc habent, quæ secundùm Patres in ipsis manserunt integra, ergò.

Probatur Secundò: Non repugnat brutâ, sub gradu sentiendi, in quo essentialiter conveniunt, specificam & essentialem suscipere diversitatem; ergò nec ulla est repugnantia sub gradu intellectuali, plures naturas essentialiter diversas reperiri. Probatur consequ: Quia participant eundem gradum intellectualitatis, sicut bruta eundem gradum genericum sentiendi, ergò sicut ista habent differentias essentialiter diversas, ita & illæ, quamvis nobis non sint ita notæ; utpotè qui pro isto statu à nostra cognitione sunt valdè remoti.

Probatur Tertiò: De facto datur pluralitas essentialis naturarum spiritualium sub gradu intellectuali convenientium, quæ saltem inadæquata est, si non completa; quia anima & Angelus essentialiter inter se differunt; ad minus ut species & pars speciei, ergò non implicat dari completam: consequ: probatur; quia pertinet ad pulchritudinem universi; ut in creaturis intellectualibus sub eodem genere intellectuali sint plures species.

Dico Secundò: *Verosimilius est, Angelos saltem diversorum Ordinum specie inter se distingui.* Hæc etiam est conformis Scoto. Probatur Primò ex Patribus omnibus illis, qui admittunt inter Angelos ordinem inæqualitatis dignitatis, ut sunt Dionysius, Isidorus, Nazianzenus orat. 2. de Theol. in fine, vocans illum ordinem proportionem. D. Chrysost. hom. 2. de incomprehensibili DEI natura dicens: *Esse genera cœlestia innume-* III. Angeli diversorum ordinum inter se specie distinguuntur.

numerabilia. D. Bernardus supra dicens: Angelos esse *unanimitate individuos*, ergò non numero, consequenter specie distinguuntur, & sic non de omnibus verificaretur, saltem de ordinibus diversis.

Probatur Secundò: Tùm, Quia specierum diversitas sicut mirabiliter ornat mundum hunc corporalem, sic æquè & potius ornat mundum invisibilem & spiritualem: Tum, Quia distinctionem specificam arguunt, sufficienterque indicant diversæ functiones, operationes, illuminationes, ut ardere, intelligere &c. in Cherubinis, Seraphinis: Item diversitas Hierarchiarum, Chororum, quæ distributiones non solùm secundùm gratiam, sed etiam secundùm naturam attendi debent & possunt, ergò. Sed in contrarium

Opponitur Primò Authoritas SS. Patrum: D. Augustini lib. 3. liber. arbitr. cap. 11. ubi dicit: *Angelos esse officiò impares, naturâ pares.* D. Damasceni lib. Ecclesf. instit. cap. 7. ubi hæc habet: *Intelligendum, ea, quæ individua continent, species infimas vocari, cujusmodi est Angelus, homo, equus.* D. Athanasii lib. qq. ad Antiochum, q. 4. ubi postquam interrogavit, an Angeli essent ejusdem naturæ? Respond. *Una & eadem est essentia, sicut una est tantùm essentia hominum.* ergò. Respond. SS. Patres nihil determinatè asseruisse, sed solùm dubitativè, quod expressè patet ex aliis eorum locis, nam Div. Augustinus lib. ad Orosium contra Priscill. cap. 11. dicit: *Esse sedes, dominationes, principatus, potestates in cœlestibus apparatibus firmissimè credo, & differre inter se aliquid, indubitata fide teneo. Sed quo me condemnas, quem magnum putas esse Doctorem, quænam ista sint, & quid inter se differant, nescio: nec eâ sanè ignorantiâ me periclitari puto, sicut inobedientiâ, si Domini præcepta neglexero.* Et in Enchirid. cap. 58. dicit: *Quomodo autem se habeat beatissima illa & superna societas, quæ ibi sint differentiæ personarum, ut cùm omnes tanquam generali nomine Angeli nuncupentur (sicut in epistola ad Hebræos legimus: Cui enim Angelorum DEUS dixit aliquando, sede à dextris meis? hoc quippe modo significavit omnes universaliter Angelos dici) sint tamen & illic Archangeli: & utrum iidem Archangeli nominentur virtutes.* Et paulò pòst: *Dicant, qui possunt, si tamen possunt probare, quod dicunt, ego, me ista ignorare, confiteor.* Et similia habet alibi, ut pro sequenti conclusione adducam. D. Damascenus eodem modo est ambiguus, nam præterquam quòd dixerat suprà, DEUM creâsse Angelos secundùm unamquamque speciem, tamen lib. 2. de fide cap. 3. ait: *Ac de essentia quidem, æqualésne inter se, an dispares sint, haudquaquam compertum habemus, solus ille scit, qui eos creavit, DEUS, qui omnia perspecta & explorata habet.* D. Athanasius explicari potest, quòd quemadmodum homo est una essentia specifica infima, ita Angelus sit una generica, vel quòd in infimo choro Spirituum, qui Angeli dicuntur, omnes sint ejusdem speciei.

Arguitur contra Conclusionem ex ratione: Cedit ad majorem perfectionem major unitas naturæ angelicæ, quòd nonnisi numero multiplicentur, & non specie, sed status Angelorum est perfectior, quàm quiscunque rerum materialium & hominum, ergò ipsi concedenda est major unitas, quàm rebus materialibus & hominibus: major patet, quia ideò DEUS summè benedictus est unus numerò, &, ut cum D. Bernardo loquar, *unissimus est*, quia perfectissimus, ergò cùm ad talem Angeli pervenire non possint, dicendum, eos saltem esse specie unos. Respon. neg: majo: aut si putas id difficile, transeat, quia non omnis perfectio possibilis eis est admittenda. Deindè maxima etiam est perfectio, posse multiplicari specie, ergò. Undè dico, quòd perfectionem unitatis, quæ in DEO reperitur, pluralitas specierum suppleat, est enim perfectio supplens imperfectionem.

Insta-

Digitized by Google

Instatur: Spiritualis substantia dividitur in duos gradus, in animam naturalem & intellectualem angelicam, sed anima rationalis non multiplicatur specie; ergò nec angelica. Respond. dist. maj: In duos gradus genericos & quasi talem; conc: majo: in duos gradus specificos; neg: majo: & concessâ minore, nego consequ: Quia anima rationalis est species incompleta, non sic angelica, & licèt illa non possit multiplicari specie; non sequitur quod nec ista.

Urgetur: Angeli non habent operationes specie diversas; sed ubi non sunt operationes specie diversæ, non sunt naturæ diversæ, ergò. Respond. neg. min: quia anima bovis & aquilæ specie differunt, & tamen visiones non differunt secundùm probabilem sententiam, ergò: unde continentia possunt specie differre, licèt non contenta.

QUÆSTIO TERTIA.

De Distinctione numericâ Angelorum inter se.

I. Angeli dari possunt solo numero differentes. IN hac quæstione servabo eandem methodum & stylum resolvendo primò posse esse plures Angelos solo numero differentes, & probabile esse etiam de facto plures sub eadem specie numero differre tantùm, & conformiter ad secundam conclusionem saltem illi differunt sic, qui sunt in diversis choris & ordinibus. Itaque

Dico Primò: *Possunt dari plures Angeli sub eadem specie solo numero differentes.* Hæc est Scoti, D. Bonavent. 1. p. a. 2. q. 1. Probatur Primò: Quia, si quid obstaret maximè defectus materiæ; sed hic non obstat; ergò; major est Adversariorum: Probatur min: In anima rationali, quæ non habet materiam, & in accidentibus purè immaterialibus, v. g. in intellectione & volitione Angeli, gratiâ sanctificante, præsentia illius; nec absentia materiæ signatæ obstat; quæ sine ullo efficaci fundamento asseritur esse principium individuationis. Plures probationes sequens subministrabit conclusio, quæ simùl probabit possibilitatem, & actualitatem.

II. Angeli de facto solo numero differunt. Dico Secundò: *De facto dantur plures numero solo differentes Angeli sub eadem specie.* Probatur Primò ex Patribus, D. Damasceno in Elementario cap. 22. ubi dicit: *Post hæc secundùm unumquemque ordinem Angelorum, & virtutes differentes hypostases condidit solùm hoc, sed etiam secundùm unamquamque speciem, ut utique communicantes ad invicem naturam, gaudeant ad invicem.* Gregorio Nisseno de opificio hominis dicente: *Angeli ad infinita propè millia esse diffusos, ut & una natura, & multi numero esse possint.* Athanasius super illud *omnia tradita sunt* ait: *Angeli quòque inter se generis ratione, ut cætera omnia, cognata; sunt ejusdem naturæ.* Augustinus lib. 12. Civit. c. 1. ubi dicit: *Angelorum bonorum & malorum inter se contrarios appetitus non naturis principiisq; diversis (cùm DEUS omnium substantiarum bonus autor & conditor utrosque creaverit) sed voluntatibus & cupiditatibus extitisse, dubitare fas non est, dum alii constanter in communi omnibus bono, quod ipse illis DEUS est, atque in ejus æternitate, veritate, charitate persistunt: Alii suâ potestate potius delectati; velut bonum suum sibi ipsi essent, à Superiore communi omnium beatifico bono ad propria defluxerunt: & habentes elationis fastum; pro excelsissima æternitate; vanitatis astutiam, pro certissima veritate: studia partium, pro individua charitate: superbi; fallaces; invidi effecti sunt.* Et paulò pòst ad propositum nostrum adjungit: *Ab illa ergò; quæ adhæret DEO, non natura differt ista; sed vitio, quo tamen etiam vitio valdè magna multumque laudabilis ostenditur ipsa natura.* Si ergò natura idem sunt, numero solùm different, non specie.

Probatur Secundò: Argumento desumpto ex authoritate D. Augustini in Enchirid. cap. 29. ubi ait:

Digitized by Google

posset intelligi sic; esset *de se sic*, sicut essentia divina *de se hæc*, quia sine contradictione non potest intelligi sub ratione universali; quia ratio intelligendi repugnat omninò sub objecto universali. Confirmatur, in natura angelica datur genus de pluribus speciebus prædicabile, ergò etiam dabitur species de pluribus individuis prædicabilis ab omnimoda paritate, quia si esset aliqua ratio disparitatis, maximè quam allegant Thomistæ, quòd tota species imbibatur in unico individuo, hæc nulla est disparitas, quia dicam ego, quòd totum genus imbibatur in una specie. Sed pro aliis

Dices: Hanc rationem præcisè non esse, sed quia sub natura angelica possunt assignari plures differentiæ specificæ; non verò individuales. Contrà, Vel differentia propria alicujus Angeli constitutiva, & ejus ab aliis distinctiva, est communicabilis pluribus Angelis distinctis, vel incommunicabilis? Si primum, erit utique differentia specifica, & ita poterunt esse plures Angeli solo numero distincti sub ipsa: Si secundum, ergò non erit differentia specifica, sed singularis, & sic ille Angelus, v. g. Michaël, non distinguetur ab aliis specie, sed solo numero, & consequenter dabitur pluralitas individualis in illis, alioquin tolletur totá ratio specifica ex medio, quia illud nequit habere rationem specificam, quod non est ulterius communicabile, quod enim tale est, habet rationem individui, non verò speciei.

Probatur Conclusio Quintò: Animæ intellectivæ & rationales distinguuntur numero sòlo, ergò etiam creaturæ angelicæ intellectuales; probatur consequ: Quia quidquid concluderet impossibilitatem communicabilitatis ex parte Angelorum, concludet etiam ex parte animarum, ergò quidquid probat, animam esse multiplicabilem numero, probat etiam Angelum esse.

Dices: Animas habere inclinationem ad corpus, per quam possunt multiplicari numero, illud autem Angeli non habent, ergò. Contra: Inclinatio non est entitas absoluta, quia non potest aliquid inclinari ad se, ergò præsupponit aliquam entitatem absolutam & distinctam, quia enim est hæc anima, habet talem inclinationem, & non econtrà, ergò hæc inclinatio non est ratio essendi hanc animam, sed supponit eam. Ita Doctor subtilis in terminis.

Probatur Sextò: DEUS potest illum unicum Angelum in una specie v. g. Michaëlem annihilare, & eandem speciem iterum producere, sed secundùm Thomistas non posset illam speciem reproducere in natura Michaëlis, ergò in aliquo alio individuo, ergò dabiles sunt plures Angeli numero distincti in eadem specie. Probatur min: Secundùm Thomistas non potest homo resurgere, nisi maneret eadem anima intellectiva numero, sed in Angelo annihilato non maneret aliquid, quod præexstitisset, ergò ille Angelus non posset per DEUM reproduci, quia hic tota esset interruptio naturæ, cùm tamen interruptio faciat, quòd homo possit reproduci: Dicere autem, non posse DEUM alium producere, est multum coarctare omnipotentiam divinam, ubi tamen arctanda non est, nisi ob aliquam implicantiam.

Opponitur contra Conclusionem authoritas Aristotelis 7. Metaph. cap. de part. definit. ubi dicit: *In his, quæ sunt sine materia, idem est, quod quid est, & cujus est*, ergò cùm Angelus sit sine materia; quod quid est, ejus est idem ipsi Angelo: ergò impossibile est, Angelum distingui ab Angelo, nisi quod quid est ejus distinguatur à quo quid est alterius, id est, nisi essentia unius distinguatur ab essentia alterius, consequenter non potest esse distinctio individualis in Angelo. Respond. neg. conseq: Quia Aristoteles existimavit, quòd omne illud, quod est sine materia, sit necessarium, quod autem potest esse in natura necessaria, III. Unum numero sunt, quorum materia una.

est in ea, consequenter quodlibet, quod potest habere illam, habet eam, undè non posuit distantiam à potentiâ ad actum; si autem possibilitas esset ad plura individua, esset possibilitas ad infinita, adeoque essent actu infinita individua; sic discurrebat Aristoteles; ut refert Doctor subtilis. Verumtamen Philosophus erravit in hoc primo principio, quòd quidditas non habens materiam, sit formaliter necessaria, undè etiam in Conclusione cum ipso discordandum est. Aliam authoritatem Aristotelis ex 5. Metaph. cap. 12. alii adducunt, ubi dicit: *Unum numero sunt, quorum materia est una*, ergò cùm Angelis non sit materia, non potest ibi aliquid constitui unum numero. Sed etiam facilè ad hanc respondetur, quòd vel intelligatur materia individualitatis gradus, qui materiæ nonnihilum assimilatur; vel capit materiam pro materia Metaphysica potentialitatis.

Arguitur Primò ex Ratione: Principium distinctionis numeralis & constitutionis est materia; vel quantitas, Angeli non habent materiam, aut quantitatem; ergò non possunt distingui numeraliter. Sed Respondetur majorem jam dudum alibi negatam esse, Tùm, Quia materia ipsa est numeraliter distincta: Tùm, Quia manet eadem in genito, & incorrupto; si autem ipsa esset causa distinctionis; genitum & corruptum essent idem numero: Tum denique, Quia neque, ut est signata quantitate; potest esse principium individuationis, nam quantitas est accidens; consequenter posterius omni illo; quod pertinet ad constitutionem substantiæ, ut est individualitas, quam nos vocamus ultimam realitatem & hæcceitatem, estque in Angelis quoque proportionaliter, quia non sunt ita simplices, ut compositionem ex gradibus metaphysicis excludant.

Instatur: Omnis distinctio vel est à materia, vel à forma, sed forma non est principium distinctionis numeralis, sed specificæ, ergò debet esse à materia, sed Angeli, subsumo, non habent materiam, ergò. Respond distin: majo: omnis distinctio est à materia, vel à forma, à materia propriè tali, vel similitudinaria; conc: majo: à propria semper, nego majo: & conc: min: distin: similiter consequ.

Urgetur: Si natura humana separaretur ab omni materia, natura illa esset una simpliciter, & nullam pateretur divisionem; ergò materia propriè dicta est causa divisionis numeralis. Respond: neg: antec: Quia illa natura esset adhuc numero multiplicabilis, quia non esset de se hæc; consequenter esset adhuc contrahibilis per ultimam realititatem substantiæ, quæ facit, quòd sit hæc, diciturque communiter hæcceitas; quæ quamcunque naturam proportionaliter consequitur.

Arguitur Secundò: Multiplicatio individuorum non est per se intenta à natura; sed propter speciei conservationem tantùm, ergò, ubi species potest conservari, continuò non debet dari multiplicatio individuorum, ut fieri videmus in sole & luna, consequenter id magis dicendum de Angelis. Respond. distin: antec: multiplicatio: &c. propter speciei conservationem præcisè; & à priori, nego antec: pro conservatione etiam, & à posteriori; conc: antec: & nego consequ: Ratio autem, quare multiplicatio individuorum intendatur, est, quia quælibet quidditas est multiplicabilis; ita; quòd etiam DEUS veluti Author naturæ intendat primò multiplicationem individuorum, cùm enim individualitas sit ultimum in perfectione; erit primum in intentione.

Instatur: Illa individualitas, quam natura, vel DEUS intenderet; est aliquid substantiale, ergò non potest natura angelica multiplicari numero; probatur consequ: Quia si natura angelica; v. g. Michaëlis posset multiplicari numero; natura Michaëlis non contineret in se omnem perfectionem debitam sibi, & possibilem in illa specie; quia non con-

contineret individualitatem alterius Angeli, ergò. Respond. neg: consequ: cujus probat: antec: distin: non contineret omnem perfectionem sibi debitam & possibilem suæ speciei, in quantum est species, neg: antec: omnem perfectionem extensivam & numeralem, conc: antec: sic etenim Angelus non continet, nisi suum principium individuationis, non verò aliorum, si enim contineret Angelus Michaël omnem perfectionem individualem aliorum, esset infinitæ perfectionis simpliciter, valet enim consequentia à summo inferiori ad summum in superiori, ut, est perfectissimus homo, ergò perfectissimum animal, ergò etiam in proposito, est perfectissima & infinita substantia spiritualis, ergò infinitum ens, & ulterius, ergò infinitus Angelus simpliciter. Respond. Secundò: Quòd si quodlibet individuum deberet continere omnem perfectionem suæ speciei secundùm extensionem, nec anima, nec alia quæcunque creatura posset multiplicari numero, ut rem penitus consideranti clarè patebit.

Urgetur: Pluralitas individuorum est infinita, sed natura angelica non potest intendere infinitum, ut dicebat ipsa responsio, ergò nec pluralitatem individuorum. Respond. neg: majo; Quia, ut dicit Scotus, non enim pluralitas numeralis est infinita; sed tantùm stare potest infinitas ipsâ non repugnante, licèt ergò nullus intendat infinitatem per se, tamen aliquis potest intendere multitudinem numeralem, quæ de se non est infinita, quia sicut compatitur secum infinitatem, ita etiam finitatem. Ita Doctor subtilis.

Dices: in quolibet choro & ordine Angelorum est prius & posterius, sed hoc est secundùm speciem & gratiam simùl, concedo secundùm speciem tantùm, nego. id est, sub eadem specie sunt aliqua plura individua, quæ adhuc in gratia se invicem excedunt.

QUÆSTIO QUARTA.

De numero plurali Angelorum.

Quantum ad numerum & multitudinem Angelorum plurimum diversificant Authores, nam Philosophus 12. Metaphys. cap. 7. ponit numerum intelligentiarum juxta numerum orbium cœlestium, sed Aristoteles erravit, vel accepit pro principalibus speciebus, & fortè allusit ad novem choros Angelorum, aut etiam fieri potuit, quòd inciderit in libros S. Scripturæ, & ex lib. Tobiæ cap. 12. cognoverit septem esse Spiritus, qui adstant ante Dominum, nempè principaliores, quibus particularia & singularia comunicantur mysteria, &c. Alii putant, homines incomparabiliter excedere Angelos, quia soli prædestinati, qui sunt, eheu! minima pars hominum, tertiæ parti Angelorum, illis videlicet, qui ceciderunt, in ruinam & suppletionem succedunt. Sed hoc fundamentum infirmum est, puta, non constat, tertiam partem Angelorum cecidisse, illud enim Apocalyp. 12. ad litteram intelligitur de Ecclesia ex hominibus collecta, ut videre est apud Lyranum: Tùm, Quia non constat tot homines assumi ad ruinas cœlestes reparandas, quot Angeli ciciderunt, ut docet S. Isidorus lib. 1. de summo bono cap. 12. D. Gregorius tandem hom. 34. in Evang. putavit tot esse beatos Angelos, quot sunt homines electi juxta illud Devteron. 34. *Constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israël.* ubi apud Septuaginta habetur: *juxta numerum Angelorum DEI*, verùm in loco præfato agitur de divisione terræ Chanaan, quam juxta numerum filiorum Israël distribuit.

I. Aristotelis & aliorum opinio de numero Angelorum.

III. [illegible]

Dico Primò: *Quamvis ex S. Scriptura constet maximam esse Angelorum multitudinem & numerum, tamen nec ratione, nec authoritate constat, eos excedere multitudinē omnium corporearum in individuis.* Est communior sententia, & Probatur prima

II. Numerus Angelorū an excedat omnia individua incertum est.

pars ex Scriptura, Danielis 7. *Fluvius igneus, rapidusque egrediebatur à facie ejus, millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei*: Job. 25. *Numquid est numerus militum ejus? & super quem non surget lumen illius?* Ad Hebræos 12. *Sed accessistis ad montem Sion, & civitatem DEI viventis, Jerusalem cœlestem, & multorum millium Angelorum frequentiam.* Apocal. 9. *Et numerus equestris exercitus vicies millies dena millia*, in quibus omnibus locis & loquendi formulis designatur maxima multitudo Angelorum, ponendo indefinitè numerum certum pro incerto, & determinatum pro indeterminato, ut dicit S. Gregorius lib. 17. Moral. cap. 7. Augustinus, & alii.

Probatur secunda pars: Quia nulla ratio vel authoritas adferri potest, quæ hoc demonstraret, ergò. De ratione est manifestum. Probatur ergò de authoritate: Quia si quæ esset maximè D. Dionysii 14. de cœlesti Hierarchia, ubi dicit: *Multi sunt beati cœlestium mentium exercitus, qui infirmum & contractum numerum corporeorum, quibus utimur, modum superant*, atqui hæc authoritas non convincit, quod probatur: Quia S. Doctor non numerum Angelorum excedere numerum rerum omnium corporearum, sed tantùm illorum esse tantam multitudinē, ut non possint à nobis numerari quavis numeri multiplicatione, quâ in rebus corporeis numerādis uti consvevimus, ut centenario, millenario, &c. ut patet ex ipsismet verbis relatis.

III. Angelorũ numerus excedit omnes homines creatos & creandos.

Dico Secundò: *Numerum Angelorum esse majorem quàm omnium hominum creatorum & creandorum.* Hæc probatur exindè, quòd D. Dionysius, de cœlesti Hierarchia, & etiam posthæc Sanctæ Brigittæ, revelatum sit, esse tantum numerum, ut cuique homini decem deputari possint ad custodiam, ita testatur Dionysius Carthusianus in cap. 14. Dionysii Areopagitæ de cœlesti Hierarchia. Favet etiam S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 15. dicens: *Pro locorum magnitudine cogitandum est: Si hæc nostra terra est tanquam centrum in medio cœli, & tantam habet multitudinem, quantam habebit multitudinem cœlum, quod terram ambit? & cœli cœlorum immensam habebunt multitudinem, scriptum est enim, millia millium ministrabant ei &c.* Deindè, quia verisimile est, in custodiam hominum simplicium mitti Angelos infimi chori, qui specialiter dicuntur Angeli, sed certum est, plures esse simplices, quàm doctos & majores. Item docent singulis hominibus distinctum esse deputatum ad custodiam, nec unum pluribus successivè inservire, ex quo sequitur, solos Angelos infimi ordinis æquare vel superare homines tàm creatos, quàm creandos, quibus si addantur octo illi ordines, & tertia pars, quæ cecidit, sine comparatione certè Angeli excedent homines in numero.

Opponitur authoritas Scripturæ Sacræ, quæ videtur docere, majorem esse numerum hominum, quàm Angelorum: Tùm Tobiæ 12. *Ego enim sum Raphaël Angelus, unus ex septem, qui astamus ante Dominum*: & Apocalyp. 12. dicitur draco traxisse tertiam partem stellarum de cœlo, id est, Angelorum, quæ ruina secundùm Patres ab hominibus reparanda est; ergò tantus erit numerus hominum beatorum, quantus est Angelorum, qui ceciderunt, subsumo; sed aliundè constat, tertiam hominum partem non esse salvandam; ergò major erit numerus hominum, quàm Angelorum. Respond. neg: utramque consequ: nam nec ex primo, quia per septem illos Spiritus intelliguntur illi Spiritus, qui missi sunt in omnem terram tanquam Principes & Præfecti, quibus cura universi orbis principaliter est commendata, quippè qui singulariter dicuntur adstare ante DEUM, quasi rationes reddentes eorum, quæ suæ curæ sunt commissa, nam etiam aliàs leguntur, filii DEi venisse, *ut assisterent coràm Domino*, Job. 1. Ad secundum locum Respond-

Digitized by Google

Respond. & dico ut suprà, nihil certi ex illo loco colligi posse, quia incertum est, an ille locus loquatur de ruina Angelorum, qui cum Lucifero ceciderunt, an verò de ruina tertiæ partis hominum seu Prælatorum, qui in Ecclesia militante lucebant sicut stellæ, quos Sathan seduxit, ut non solùm Lyranus, sed & Richardus, ac alii interpretantur.

IV. ngelorũ merus certus

Dicò Tertiò: *Incertus omninò est Angelorum numerus.* Ita D. Augustinus lib. 15. de Civit. cap. 1. *Mysticè appellamus civitates duas: hoc est, duas societates hominum: quarum est una; quæ prædestinata est in æternum regnare cum DEO: altera æternum supplicium subire cum diabolo. Sed iste finis est earum, de quo pòst loquendum est. Nunc autem, quoniam de exortu earum, sive in Angelis, quorum numerus ignoratur à nobis, sive in duobus primis hominibus, satis dictum est, jam mihi videtur earum aggrediendus excursus, ex quo illi duo generare cœperunt, donec homines generare cessabunt.* Et in Enchirid. ad Laurent. cap. 29. *Superna illa Hierusalem mater nostra civitas DEI, nulla civium suorum numerositate fraudabitur, sed uberiore etiam copia fortasse regnabit. Neque enim numerum aut sanctorum hominum, aut immundorum dæmonum novimus, in quorum locum succedentes filii Sanctæ Matris Ecclesiæ, quæ sterilis apparebat in terris, in ea pace, de qua illi ceciderunt, sine ullo temporis termino permanebunt.*

QUÆSTIO QUINTA.

De Distinctione extrinseca Angelorum.

EXtrinsecam voco distinctionem illam, quæ fit in Hierarchias & Choros, seu Ordines; nam in sententia probabili, quæ dicit omnes esse ejusdem speciei, gradus illi non possunt esse nisi ab extrinseco, vel per DEI gratiam, aut per merita; imò licèt omnes distinguerentur specie, adhuc illa coordinatio esset ab extrinseco, quia per DEI dispositionem his præ aliis conferentis primatum & principatum, cum enim naturæ puræ etiam Angelicæ non debeatur visio & fruitio, consequenter nec tantus gradus, vel præeminentia, alioquin Lucifer non peccâsset prætendendo prædominium super omnes alios, suppositò quòd fuerit nobilissimus Angelus in natura. Pro quo

II. Hierarchiæ etymologia.

Notandum: *Hierarchiam* secundùm etymologiam nominis componi ex *Hiero* & *archos*, & idem significat ac sacrum principatum, seu sacrorum. Et Hierarcha *ἱεράρχης* sacrorum præfectum. Dionys. in lib. de Eccles. Hierarch. Hierarchiam definit *ordinatam omnium sacrorum administrationem*: & *Hierarchen, virum divinum omnium eorum, quæ ad sacrorum cognitionem pertinent peritum.*

III. Hierarchia est triplex.

Notandum Secundò ex D. Dionysio lib. de cœlest Hierarch. Hierarchiam in genere esse triplicem. *Supercœlestem*, seu divinam: *Cœlestem*, seu Angelicam; & *Subcœlestem*, seu humanam. *Supercœlestis* ab eodem sic describitur: *Quòd sit divina pulchritudo, ut simpla, ut optima, ut consummata.* Hanc descriptionem amplectitur seraphicus Doctor, eamq; sic explicat: quòd dicatur *Divina pulchritudo*, ut ostendatur in DEO unitas in Trinitate; pulchritudo enim consistit in pluralitate & æqualitate: ut autem ostendatur, quòd pluralitas non præjudicat unitati, additur *ut simpla*: ut pari ratione, ut ostendatur, quòd pluralitati non præjudicet unitas; subjungitur *ut optima*, quia sic in DEO est unitas, ut tamen sit summa bonitas, per quam est perfecta communicatio, & sic personarum pluralitas, & econtra: Subditur tandem *ut consummata*, in quo signatur, quòd in Trinitate & unitate consistat summa & omnimoda perfectio. Breviter posset dici: *Cœlestis*, seu Angelica, Hierarchia à S. Dionysio sic describitur: *Quòd sit ordo divinus, scientia & actio DEI formæ quantum possibile est*

Digitized by Google

simulans, & ad inditas ei divinitus illuminationes proportionaliter in Dei similitudinem ascendens; quam sic explicat S. Bonaventura: Dicitur *Ordo divinus, scientia & actio*, ut ordo, id est, ordinata potestas respondeat Patri in Divinis, cui appropriatur potentia in Divinis, Scientia Filio, Actio Spiritui Sancto. Additur DEI *formæ*, quantum ad actum primum, scilicet intellectum, voluntatem, & habitus; & quantum ad actum secundum, unde subditur, *& ad inditas ei illuminationes, &c.* quæ denotant actum secundum: Additur *proportionaliter &c. ascendens*, id est, secundùm proportionem donorum naturæ, & gratiæ. *Subcœlestis* Hierarchia, seu humana, & Ecclesiastica est *Ordinata potestas virorum ordinatorum ad ministerium divinum & sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum administrandum sub uno capite in scientia & actione cohærentium*, quæ allegoricè perfectè assimilatur cœlesti Hierarchiæ, ad quam complendam aliquando est creata & instituta. De omnibus tribus paucâ sequentibus proponam Conclusionibus, & primitus

IV. Hierarchia dividitur in supercœlestem, cœlestem, & subcœlestem.

Dico Primò: *Divisio genericâ D. Dionysii in triplicem Hierarchiam supercœlestem, cœlestem, & subcœlestem bona est.* Hæc est contra Recentiores, qui supercœlestem communiter negant, verùm ego magis credo tanto viro, qui complura secreta cœlestia accepit ab ipsò Doctore Gentium, & ipsemet ex communi Patrum sensu divinis revelationibus illustratus fuit: quare Probatur Primò authoritate dicti S. Dionysii: Tùm etiam D. Augustini, qui in Deo Ordinem Hierarchicum agnoscit lib. 3. contra Maximinum cap. 14. ubi ait: *Non genitorem ab eo, quem genuit; sed genitum à genitore mitti oportebat; verum hoc non est inæqualitas substantiæ, sed ordo naturæ: non quòd alter prior esset altero; sed quòd alter esset ex altero. Oportebat ergo operari eum, qui missus est; opera ejus, à quo missus est.* Secundò: Quia Hierarchia supercœlestis secundùm Scotum in 4. d. 46. q. 1. nihil aliud est, quàm Esse Divinum bonum publicum communitatis, non communitate aggregationis, sed continentiæ, ad quodcunque res creatæ ordinem dicunt complectens eminenter: in quo sunt tres personæ secundùm originem ordinatæ, exercentes Ordinem Hierarchicum tùm ad intra, tùm ad extra: Ad intra, Quia Pater est principium, à quo Filius, Pater & Filius principium à quo Spiritus Sanctus. Ad extra etiam operantur hierarchicè, quia Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, licèt sint unicum principium ad extra, effectus tamen intelliguntur authoritativè facti a Patre, & subauthoritativè à Filio & Spiritu Sancto. Tertiò: Quia in Trinitate reperitur personarum pluralitas, summus ordo originis & hierarchica potestas, uti etiam S. Hilarius ipsemet advertit: & S. Bernardus lib. 5. de Consid. cap. 5. ubi omnes Angelorum actiones DEO principaliter tribuit, & à DEO originari docet, & tandem in fine concludit: *Sed DEUS amat ut charitas, novit ut veritas, sedet ut æquitas, dominatur ut majestas, regit ut principium, tuetur ut salus, operatur ut virtus, revelat ut lux, assistit ut pietas; quæ omnia faciunt & Angeli, facimus & nos, sed longè inferiori modo, non utique bono quod sumus, sed quod participamus.*

Dico Secundò: *Cœlestis Hierarchia seu angelica benè subdividitur in triplicem aliam, nempè supremam, mediam, & infimam.* Hæc est communis Patrum opinio & mens; quorum primus & Manuductor est S. Dionysius cap. 6. Damascenus, Anselmus; Hugo à S. Victore; S. Bonaventura; D. Thomas; Magister Sententiarum 2. d. 9. ubi dicit: *Scriptura in pluribus locis novem esse ordines Angelorum promulgat, scilicet Angelos, Archangelos, Principatus, Potestates, Virtutes, Dominationes, Thronos, Cherubin, & Seraphin. Et inveniuntur in istis ordinibus tria terna esse, & in singulis tres ordines, ut Trinitatis similitudo in eis insinuetur impressa.*

V. Hierarchia cœlestis in triplicem quoque dividitur.

pressa. Unde Dionysius tres ordines Angelorum esse tradit, ternos in singulos ponens. Sunt enim tres superiores, tres inferiores, tres medii. Superiores, Seraphin, Cherubin, Throni, Medii, Dominationes, Principatus & Potestates. Inferiores Virtutes, Archangeli, Angeli.

Infima itaque Hierarchia continet, secundùm Dionysium, *Angelos, Archangelos & Principatus*: secundùm Gregorium & Bernardum verò *Angelos*, *Archangelos & Virtutes*. Media, secundùm Dionysium, *Virtutes*, *Potestates*, *& Dominationes*. Secundùm Gregorium verò, & Bernardum continet *Potestates*, *Principatus & Dominationes*. Suprema autem ex communi Patrum consensu habet *Thronos*, *Cherubinos & Seraphinos*, nunc

Probatur Conclusio ex S. Bonaventura: Quia vel consideramus Hierarchiam secundùm ea, quæ essentialiter ipsam respiciunt, ut sunt *Ordo*, *Scientia*, *& Actio*, vel secundùm statum & officia? Si primo modo, tunc triplex debet assignari Hierarchia, una penes Scientiam: altera penes ordinem: tertia penes actionem. Prima est suprema: altera media: tertia infima. Si verò consideremus Hierarchiam secundùm statum & officia, similiter triplex debet assignari Hierarchia juxta triplicem statum, videlicet Contemplativorum, activorum, & Prælatorum, ad primum statum spectat Hierarchia suprema, ad secundum spectat infima, & ad tertium, quæ est Prælatorum, spectat Hierarchia media; atqui hi tres status hominum repræsentant Angelorum Status, ergò.

VI. Hierarchia angelica quælibet iterum tripliciter dividitur.

Dico Tertiò: *Quælibet Hierarchia angelica benè dividitur iterum in tres ordines*. Ita S. Gregorius, qui definit ordinem, quòd sit *multitudo cœlestium Spirituum, qui inter se aliquo munere, gratia simulantur, sicut & in naturalium donorum participatione conveniunt*. Conclusionem sic declarat S. Bonaventura: Quia in suprema Hierarchia attenditur secundùm statum suum & contemplationis, quæ consistit in conversione ad DEUM, ad quam autem requiritur triplex actus, scilicet *Tentionis*, *Cognitionis* & *Dilectionis*; hinc triplex ponitur ordo quantum ad perfectam tentionem est Ordo Thronorum, qui est infimus, & denominantur Throni seu Sedes DEI. quia tanta dignitatis gratia replentur, ut in eis dicatur DEUS speciali modo sedere, & in eis judicia decernere. Quantum ad perfectam cognitionem est Ordo Cherubinicus, qui est medius, & dicitur talis à plenitudine scientiæ. Quantum ad perfectam dilectionem est Ordo Seraphicus, qui secundùm omnes est supremus, & dicitur talis, quia præ aliis ardet charitate. Ad propositum etiam audiatur mellifluus Bernardus, qui eodem quasi modo illorum actus explicat, sed ordine inverso incipiendo à perfectioribus, nam lib. 5. consid. cap. 5. sic ait: *Hæc omnia contulit spiritibus illis, ipse, qui condidit illos unus atque idem summus Spiritus, dividens singulis prout vult: hæc operatur in illis, hæc dedit operari & illis, sed aliter. Ardent Seraphim, sed igne DEI, vel potius igne DEO. Quod præcipuum est in eis, amant, sed non quantum DEUS, nec quomodo. Lucent Cherubim, & scientia eminent, sed participio veritatis, ac per hoc non ut veritas, nec quantum. Sedent Throni, sed insidentis beneficiò. Judicant & ipsi cum tranquillitate, sed non ad mensuram modumve pacis pacantis; pacis, quæ exuperat omnem sensum.*

Similiter explicatur media Hierarchia; quæ spectat ad statum Prælatorum, secundùm quod perfectiò in Prælatis consistit in tribus, scilicet in præsidendo, in quo attenditur ordo dominationis; in resistendo, in quo est ordo potestatum; & in operando, in quo attenditur ordo virtutum, qui est infimus, quia plus est præsidere, quàm resistere, & hoc iterum plus, quàm operari. D. Bernardus autem hujus Hierarchiæ & Ordinum actus, quos angelici

lici Spiritus habent, explicat suprà citatus dicens: *Dominantur Dominationes, sed sub Domino dominantur, & serviunt pariter. Quid hoc ad summum sempiternum singularéque dominium? Præcellit in Potestatibus fortitudo, sed cui debent, quod fortes sunt, & aliter est fortis, & plus. Nec tam fortis, quàm ipsa fortitudo est. Virtutes pro suo ministerio & potentatu satagunt excitare corda torpentia hominum innovatione signorum, virtus verò in eis manens ipsa facit opera.*

Divisionis tertiæ tandem Hierarchiæ sufficientia declaratur juxta triplex ministerium, ad quod Angeli deputantur; quidam enim deputantur ad Regimen Principum & regnorum, & hi Principatus vocantur, de quibus S. Bernardus ait: *Principatus & regunt, sed reguntur & ipsi, ita ut regere jam non norint, si regi desierint.* Quidam verò Angelorum deputantur ad regimen multitudinis, & hi dicuntur Archangeli, quidam denique ad regimen & custodiam particularium personarum; & isti vocantur Angeli, de quibus S. Bernardus cap. 4. dicit: *Cernere postremò, & mirari est in Angelis & Archangelis veritatem atque experientiam vocis illius. Quoniam ipsi cura est de nobis: qui talium nos & tantorum non desinit jucundare visitationibus, instruere revelationibus, suggestionibus commonere, sedulitate solatiari.*

VII. Chori Angelorum sunt novem.

Esse autem novem Angelorum Choros, Patres ex Scriptura colligunt. D. Gregorius hom. 34. in Evangel. ex epist. ad Romanos *Angelos, Archangelos, Principatus.* Ex 1. Corinth. 15. *Virtutes.* Ad Coloss. 1. *Thronos, Dominationes & Potestates.* Ex Genes. 3. *Cherubinos.* Ex Isaiæ 3. *Seraphinos.* His verbis: *Novem Ordines Angelorum dicimus, quia videlicet esse, testante sacro eloquio, scimus, Angelos; Archangelos, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim, atque Seraphim. Esse namque Angelos, & Archangelos penè omnes sacri eloquii paginæ testantur, Cherubim atque Seraphim, sæpè ut notum est, libri Prophetarum loquuntur. Quatuor quoque Ordinum nomina Paulus enumerat ad Ephesios, dicens: supra omnem Principatum & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem, qui rursus ad Colossenses scribens ait: sive Throni.*

Arguitur in contrà Primò: Angeli non sunt demonstrabiles à nobis, ergò neque nominabiles tot tamque diversis nominibus, quibus explicati fuerunt in recensendis Ordinibus & Hierarchiis. Respond. dist: antec: Cognitione acquisita & naturali, concedò: per fidem & revelationem divinam, nego. Tali enim cognitione agnovit eos Moyses, Prophetæ, Paulus, Joannes, &c. qui aliis potuerunt erudire; sicut revera erudierunt & instruxerunt. Sed

Arguitur Secundò: Denominationes illæ sunt improportionatæ, & inordinatæ, ergò: Probatur antec: Quia alii denominantur à Charitate, alii à Scientia, alii ab Operatione, & alii aliter, quæ sunt inordinatæ; quod probatur: Quia denominatio semper debet fieri à digniori, sed inter dona Charitas est dignior & excellentior, ergò ab illa deberent denominari, consequenter omnes deberent dici Seraphini. Respond. neg: antec: cum sua probatione, nam licèt Charitas sit dignior, non ob id debent omnes ab ea denominari; sed solùm illi, qui magis in ea excellunt, magis què ardent, quales sunt illi, qui sunt de primo ordine.

Instatur: Cherubini denominantur à plenitudine Scientiæ; sed plenitudo scientiæ non est, nisi ubi est plenitudo dilectionis; tantùm enim secundùm Patres cognoscit ibi quisque, quantum diligat; ergò Seraphini magis deberent denominari à Scientia; vel Cherubini deberent quoque denominari à Charitate. Respond. neg: consequ: quamvis enim quilibet Ordo suo modo; & in suo gradu habeat dilectionem & scientiam, cœteraque dona, à quibus desumun-

sumuntur istæ denominationes, nihilominus congruè & ordinatè supremus Ordo denominationem sumit à primo & excellentissimo dono, & alter Ordo immediatè sequens denominationem sumit ab illo dono, quod immediatè sequitur excellentissimum inter omnia dona Charitatis, qualis est Scientia, & sic deinceps usque ad infimum ordinem, qui est Angelorum; quique ab infimo dono seu ministerio, ministrandi scilicet, uni personæ particulari suam sumpsit agnominationem.

VIII. Michaël est supremus Angelorũ.

Dico Quintò: *Sanctus Michaël est de Ordine Seraphinorum, imò supremum omnium cœlestium Spirituum.* Ita Doctores passim contra nonnullos existimantes, eum esse Archangelum vel unum de Principatibus. Colligitur ex Apocalyp. 17. *Michaël & Angeli ejus præliabantur &c.* ubi reliqui dicuntur Angeli Michaëlis veluti Principis, sicut ibidem inferiores dæmones dicuntur angeli draconis, sive diaboli principalis. Deinde Ecclesia celebrat festum Angelorum nomine Michaëlis veluti omnium Principis; eumque appellat Primatem cœlestis exercitûs; Principem militiæ Angelorum; & Præpositum Paradisi; quare singulari privilegio constitutus est Custos Ecclesiæ Catholicæ, sicuti olim Synagogæ, quamvis regulariter ad similia ministeria soleant Angeli ex inferioribus Ordinibus & Hierarchiis deputari. Nec refert; quòd in Canonica Judæ dicatur *Arch-Angelus*; qui ibi non significat aliud, quàm per antonomasiam Principem Angelorum, non verò de penultimo ordine: Simili modo dicitur Daniel. 12. *Princeps Magnus*, quia nimiorum supremus inter cœlestes Spiritus: quo etiam sensu accipiendum est illud Daniel. 10. *Ecce Michaël unus de Principibus primis*, unus scilicet Primus ex hebraica phrasi, & is maximus, quasi diceret, primus inter Principes primos, sicut Genes. 1. dicitur: *Et factum est vespere & mane dies unus*, id est, primus. Ex quo autem ordine sit S. Gabriel, incertum est inter Authores, mihi tenendum est cum mellifluo Doctore, eum esse de secundo Ordine Arch-Angelum, ut suprà videre licuit. Eum sequitur Angelicus Doctor 3. p. q. 30. a. 2. ad 4. & probabiliter addens, eum esse supremum de isto ordine. Nec refert, quod Lucæ 1. de seipso dicat: *Ego Gabriel, qui asto ante DEUM*, nam tò *astare* multipliciter in Scriptura accipitur; si enim accipiatur prout significat præsenti DEI vultu frui, sic omnes Angeli adstant; si verò accipiatur *adstare* pro communicatione majorum mysteriorum, sicut Secretarii adstant intimiùs suis Principalibus, sic adstitit particulariter S. Gabriel, utpotè cui uni concessum fuit, ut tantum mysterium nuntiaret Virgini MARIÆ.

Dico Sextò: *Etiam in dæmonibus esse aliquam præeminentiam, verùm incertum, utrum sint divisi in tales Ordines.* Prima pars patet ex Scriptura, Matth. 9. ubi *Belzebub* dicitur *princeps dæmoniorum.* Matthæi 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo*, (per antonomasiam) *& Angelis ejus.* Ad Ephes. 6. ubi Apostolus vocat dæmones: *Principes & potestates tenebrarum harum.* Patet etiam secunda pars: Quia nec ratione nec authoritate hoc constat, aut oppositum; probabilius tamen videtur; inter dæmones non esse tales ordines, cùm de divina misericordia præsumendum sit, nullum integrum Angelorum Chorum cecidisse; imò ex uno tantùm; quotquot ceciderunt, à quali & ab omni malo liberet nos Dominus Rex Angelorum.

IX. Dæm... servant... quem... se ordin...

Dico Septimò: *Subcœlestis Hierarchia seu humana & Ecclesiastica symbolizat perfectè cum cœlesti; cum qua una est, una domus, una civitas, unum templum.* Hæc est extra controversiam, & probatur Primò ex Scriptura, 1. ad Corinth. 12. per totum partialiter autem addit: *Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro. Et quosdam quidem posuit DEUS in Ecclesia primùm Apostolos, secundò Prophetas; tertiò*

X. Hierarchia Ecclesiastica symbolizat cum cœlesti.

Doctores, deinde Virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Ad Ephes. 1. ubi docet, Christum etiam esse constitutum *ad dextram DEI in cœlestibus supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro, & omnia subjecit sub pedibus ejus: & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam.*

Probatur Secundò ex D. Augustino lib. Enchirid. cap. 56. ubi dicit: *Rectus itaque confessionis ordo poscebat, ut Trinitati subjungeretur Ecclesia, tanquam habitatori domus sua, & DEO templum suum, & Conditori civitas sua. Quæ tota hìc accipienda est, non solùm ex parte, quâ peregrinatur in terris à Solis ortu usque ad occasum laudans nomen Domini, & post vetustatis captivitatem cantans canticum novum, verùm etiam ex illa, quæ in cœlis semper, ex quo condita est, cohæsit DEO, nec ullum sui casûs malum experta est. Hæc in sanctis Angelis beata persistit & suæ parti peregrinanti, sicut oportet, opitulatur, quia utraque una erit consortio æternitatis, & nunc una est vinculo charitatis, quæ tota instituta est ad colendum unum DEUM.* Et enarrat. in Psalm. 39. dicit: *In Ecclesia iste ordo est, alii præcedunt, alii sequuntur. Et qui præcedunt, exemplum se præbent sequentibus, & qui sequuntur, imitantur præcedentes. Sed & illi, qui se exemplum præbent sequentibus, nunquid neminem sequuntur? si neminem sequuntur, errabunt: sequuntur ergò & illi aliquem, ipsum Christum. Meliores quippe in Ecclesia quibus non remansit jam homo, quem imitentur, quia omnes proficiendo superaverunt, ipse Christus eis remanet, quem usque in finem sequantur. Et cernitis ordinatos gradus per Paulum Apostolum dicentem: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.*

XI. Pontifex Christum repræsentat. Probatur Tertiò ex Symbolizatione in Christo, qui est Caput Ecclesiæ tàm Triumphantis quàm Militantis, & ut Paulus loquitur ad Coloss. 1. *Ipse est imago DEI invisibilis, primogenitus omnis creaturæ -- quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare.* In summo Pontifice debet inhabitare plenitudo perfectionum, uti suum Eugenium considerare jubet mellifluus Bernardus lib. 4. cap. 7. dicens: *De cætero oportere te esse considera formam justitiæ, sanctimoniæ speculum, pietatis exemplar, assertorem veritatis, fidei defensorem, doctorem gentium, Christianorum ducem, amicum Sponsi, sponsæ paranymphum, Cleri ordinatorem, pastorem plebium, magistrum insipientium, refugium oppressorum, advocatum pauperum, miserorum spem, tutorem pupillorum, judicem viduarum, oculum cœcorum, linguam mutorum, baculum senum, ultorem scelerum, malorum metum, gloriam bonorum, virgam potentium, malleum tyrannorum, regum patrem, legum moderatorem, canonum dispensatorem, sal terræ, orbis lumen, Sacerdotem Altissimi, Vicarium Christi, Christum Domini, postremo Deum Pharaonis.*

Putemus Seraphim, ait mellifluus Doctor lib. 5. consid. cap. 4. *Spiritus totos divino igne succensos succendere universa, ut singuli cives singulæ sint lucernæ ardentes & lucentes, ardentes charitate, lucentes cognitione.* Correspondent Apostoli, qui dicunt: *Nonne cor nostrum ardens erat, cùm loqueretur nobiscum in via.* Succedunt Episcopi, qui Angeli sunt, ut patet ex Apocal. 1. & 2. & Malachiæ 3. Angeli nomen est officii non naturæ, Episcopi nomen est officii non dominii, ut docet S. Bernardus lib. 2. consid. cap. 6. dicens: *Blanditur cathedra? Specula est. Inde denique superintendentis, sonans tibi Episcopi nomine, non dominium, sed officium.* Episcopi Angeli sunt, non qualescunque, sed Seraphini charitate ardentes in DEUM & proximum, unde obligati etiam sunt pro ovibus suis animas ponere, dicit enim Christus Joan. 15. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* XII. Apostoli & Episcopi sunt Seraphini.

Puta-

Digitized by Google

XIII. Presbyteri sunt Cherubini.

Putemus Cherubim, ait Bernardus, *ex ipso Sapientiæ fonte ore Altissimi haurientes, & refundentes fluenta scientiæ universis civibus suis. Et vide ne is sit, quem Propheta loquebatur fluminis impetus lætificans civitatem DEI.* Correspondent his Prophetæ, quos Paulus enumerat suprà, sequuntur Presbyteri & Sacerdotes, qui illuminati ut Prophetæ, alios quoq; illuminare debent, prout Pontificale Rom. in ordinatione eorum prælegit ipsis: *Dominus præcipiens Moysi, ut septuaginta viros de universo Israël in adjutorium suum eligeret, quibus Spiritus S. dona divideret, suggessit. Quos tu nôsti, quòd senes populi sunt. Vos siquidem in septuaginta viris & senibus signati estis, si per Spiritum septiformem Decalogum legis custodientes probi & maturi in scientiâ similiter & opere eritis. Sub eodem quoque mysterio, & eâdem figurâ in novo Testamento Dominus septuaginta duos elegit, ac binos ante se in prædicationem misit, ut doceret verbo simul & facto Ministros Ecclesiæ suæ fide & opere debere esse perfectos, seu geminæ dilectionis, DEI scilicet & proximi, virtute fundatos. Tales itaq; esse studeatis, ut in adjutorium Moysi & duodecim Apostolorum (Episcoporum videlicet Catholicorum, qui per Moysen & Apostolos figurantur, dignè per gratiam DEI eligi valeatis.* Et paulò pòst ad DEUM orationem convertens: *Sic in eremo per septuaginta virorum prudentium mentes Moysi spiritum propagâsti, quibus ille adjutoribus usus, in populo innumeras multitudines facilè gubernavit.*

XIV. Diaconi sunt Throni.

Throni dicuntur, ait Bernardus: *& ex eo sedent, quòd sedet in eis Deus. Neque enim sedere in eis, qui non sederent, posset. Quæris, quid illam sentiam sessionem? summam tranquillitatem; placidissimam serenitatem, pacem, quæ exuperat omnem intellectum. Talis est, qui sedet in Thronis Dominus Sabaoth; judicans omnia cum tranquillitate, placidissimus, serenissimus, pacatissimus: Et tales sibi constituit Thronos simillimos sibi*, horum loco posuit Paulus in epist. ad Corinth. Doctores, & nunc Diaconi, quibus Episcopus in ordinatione dicit: *Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare*, en præparat DEO thronum, ut in anima justi sedeat veluti in throno, & *Prædicare*, quod est officium Doctoris &c. *Ecclesiam DEI veluti tabernaculum*, veluti thronum; *portare & munire debet ornatu sancto, prædicato divino, & exemplo perfecto.*

XV. Subdiaconi sunt Dominationes.

Putemus Dominationes, ait Bernardus ibidem, *adeò cunctis supereminere præfatis Ordinibus; ut respectu horum cœteri videantur omnes administratorii Spiritus; & ad istos tanquam ad Dominos referri regimina Principatuum, tutamina potestatum, operationes virtutum, revelationes Archangelorum, curam & providentiam Angelorum.* D. v. Paulus posuit hic virtutes; & significantur Subdiaconi, nam hi ad virtutem angelicam, castitatem perpetuam, & cœlibatum assumuntur, & constituuntur Domini suarum passionum, ita ut per servitium divinum ad Regnum cœleste perveniant, hinc Episcopus in ordinatione eis dicit: *Hactenus liberi estis, licetq; vobis pro arbitrio ad sæcularia vota transire: Quòd si hunc ordinem susceperitis, amplius non licebit à proposito resilire, sed DEO, cui servire regnare est, perpetuo famulari, & castitatem illo adjuvante servare oportebit, atque in Ecclesiæ ministerio semper esse mancipatos.*

XVI. Acolythi sunt Principatus.

Putemus Principatus his quoque prælatos, quorum moderamine & sapientiâ omnis in terris principatus constituitur, regitur; limitatur; transfertur; mutilatur; mutatur. Divus Paulus his applicat Gratias curationum nempè spiritualis regendo, instruendo, & optimè convenit Acolythis, unde in Pontificali Romano Episcopus eos ordinans; dum candelam porrigit, dicit: *Hoc fieri, ut hominum mentes & lumine scientiæ illustrent, & pietatis* (divinæ) *rore irrigent, ut ita* (singuli; magni; parvi; nobiles, ignobiles; simul in unum dives & pauper) virtutes eminentes adquirant, *acceptum ministerium, DEO auxiliante, peragant, qualiter ad æter-*

nam

nam remunerationem pervenire mereantur. Idipsum Accolythi præstant in terris, *quatenus lumen visibile manibus præferentes, lumen quoque spirituale moribus præbeant, adjuvante Domino nostro JESU Christo &c. qui eorum mentes & lumine scientiæ illustrat, & pietatis rore irrigat, ut ita acceptum ministerium peragant, qualiter ad æternam remunerationem mereantur pervenire.*

XVII. Exorcistæ Potestates. *Putemus Potestates superiores istis, quarum virtute potestas tenebrarum comprimitur, & coercetur malignitas aëris hujus, nè, quantum vult, noceat, nè malignari, nisi, ut prosit, possit.* His conjungit D. Paulus opitulationes, quibus sanè indigent Energumeni, unde convenit Exorcistis, quibus in Pontificali Romano ab Episcopo dicitur: *Debetis noscere, quid suscipitis: Exorcistam etenim oportet abjicere dæmones &c. Accipitis itaque potestatem imponendi manum super energumenos, & per impositionem manuum vestrarum gratiâ Spiritûs Sancti, & verbis exorcismi, pelluntur spiritus immundi à corporibus obsessis* &c. Et paulò pòst pronunciat, quòd Exorcistæ *sint spirituales Imperatores ad abjiciendos dæmones de corporibus obsessis &c. quod per impositionem manuum & oris officium & potestatem habeant spiritus immundos exercendi. &c.*

Putemus Virtutes esse, quarum nutu vel opere signa & prodigia in elementis sive ex elementis facta apparent ad commonitionem mortalium. Inde est XVIII. Lectores Virtutes. *fortassis quòd cùm in Evangeliis legas: Erunt signa in Sole, Luna, & Stellis; paulò pòst habes: Nam Virtutes cœlorum movebuntur. Hi nimirum Spiritus, per quos signa fiunt.* D. Paulus ponit Gubernationes, & convenit Lectoribus, qui in Cathedra sedent, quasi Gubernatores, quique multas debent habere virtutes, unde in Pontificali Romano dicitur ipsis: *Debent enim verba DEI, videlicet lectiones sacras distinctè & apertè ad intelligentiam & ædificationem fidelium absque omni mendacio falsitatis proferre: nè veritas divinarum lectionum incuriâ eorum ad instructionem audientium corrumpatur. Quòd autem ore legunt, corde tenentur credere, complere opere, quatenus auditores suos verbo pariter & exemplo docere possint. Ideòque dum legunt, in loco alto Ecclesiæ stant, ut ab omnibus audiantur, videantur, figurantes (intelligentes) positione corporali se in alto Virtutum gradu debere conversari; quatenus cunctis; à quibus audiuntur & videntur, cœlestis vitæ formam præbeant.*

Archangeli sunt Ostiarii, quibus XIX. Ostiarii Archangeli.
commissum est suscipere animas, & eas ad paradisum exultationis perducere. Ostiarii hi enim ex Pontificali Romano habent obligationem, ut *Invisibilem* domum DEI, corda scilicet fidelium dictis & exemplis claudant diabolo, & aperiant DEO; ut divina verba, quæ mortales audierint, corde retineant, & opere *compleant.*

Angeli denique sunt omnes Clerici in sortem Domini admissi.

Pro fine hujus materiæ adjungo Schema omnium rerum, quæ Ordinem servant Hierarchicum; & cum cœlesti symbolizant, vel figurant.

SCHE-

SCHEMA
Ordinis Seraphici in toto Universo.

DEUS.	Christus.	Spiritus S.	Pontifex.	Sphæra Cœlestis.	Sphæra Elementaris.	Ens & tota Natura.
Seraphim,	Apostoli,	Spiritus Sapientiæ.	Episcopi,	Primum Mobile.	Ignis,	Substantia,
Cherubim,	Prophetæ,	Sermo Scientiæ,	Presbyteri,	Cœlum Crystallinum.	Æther,	Quantitas,
Throni,	Doctores,	Fides,	Diaconi,	Firmamentum stellarum,	Nubes,	Qualitas,
Dominationes,	Virtutes,	Gratia Sanitatum,	Subdiaconi,	Saturnus,	Aer,	Relatio,
Principatus,	Gratia Curationum.	Operatio Virtutum,	Acolythi,	Jupiter,	Aqua,	Quando,
Potestates,	Opitulationes.	Prophetia,	Exorcistæ,	Sol,	Terra,	Actio,
Archangeli,	Gubernationes,	Discretio spirituum.	Lectores,	Mars,	Abyssus,	Passio,
Angeli.	Genera linguarum.	Genera linguarum.	Ostiarii,	Venus,	Centrum.	Ubi,
	Interpretatio sermonum.	Interpretatio sermonum.	Clerici.	Mercurius,		Situs,
				Luna.		Habere.

DISPUTATIO TERTIA.
DE
Intellectu & Voluntate Angelorum.

Dixi in Philosophia, hanc materiam de Angelorum intellectu ex animasticis sufficienter colligi, quia licèt specie differant intellectus angelicus & humanus, seu anima rationalis, in esse intellectivi tamen conveniunt: verùm hic expedit specialiter de illo agere. Et imprimis quidem suppono tanquam certum, Angelum habere intellectum seu potentiam intellectivam, imò S. Bernardus dicit, rationem naturalem hoc convincere, nam lib. 5. de consid. cap. 4. dicit: *Porrò intellectu præditos, non fide, non opinione, sed intellectu capimus, quia non possunt hujus expertes, & DEI simul participes esse.* I. Angeli habent intellectum.

Suppono Secundò: Intellectum & Voluntatem Angeli non distingui realiter ab Angelo, nec tamen esse formaliter idem, quod essentia Angeli, tùm ex prima sententia & à fortiori de intellectu divino & voluntate, quæ distinguuntur, non tamen esse DEI essentiam dicimus, sed ab essentia dimanare tanquam attributa absoluta & perfectissima naturæ divinæ. Tùm à pari de anima rationali, in qua distinguimus intellectum & volunta- II. Intellectus Angeli non distinguitur realiter ab Angelo.

tem ab illius essentia saltem formaliter: Tùm denique: Quia Patres docent, tria quædam esse in Angelo & anima, quia tria unum sunt, atque in hoc consistere imaginem DEI, ita expressè nostri Doctores, nam Augustinus lib. 10. de Trinit. cap. 11. dicit: *Hæc tria memoria, intelligentia, voluntas, quoniam non sunt tres vitæ, sed una vita: nec tres mentes, sed una mens: consequenter utique nec tres substantiæ sunt, sed una substantia. Memoria quippe, quod vita & mens & substantia dicitur, ad seipsam dicitur. Quod verò memoria dicitur, ad aliquid relativè dicitur. Hoc de intelligentia quoque & de voluntate dixerim. Et intelligentia quippè & voluntas ad aliquid dicuntur. Vita est autem unaquæque ad seipsam, & mens & essentia. Quocirca tria hæc eo sunt unum, quo una vita, una mens, una essentia.* His præsuppositis sit

QUÆSTIO PRIMA.

An Intellectus Angelicus sit compositivus, divisivus & discursivus?

1. Componere quid sit.

NOTANDUM Primò: Componere in proposito non esse aliud, quàm per actum judicativum affirmare unum de alio dicendo: hoc est hoc. Dividere verò per oppositum est negare unum alio, & hoc modo certum est, quòd Angeli in via composuerint & diviserint, quia verè judicabant res cognitas esse, vel non esse tales.

Notandum Secundò: Judicium etiam in nobis esse unam simplicem qualitatem repræsentantem conjunctionem prædicati cum subjecto, ac proinde non quæritur, an Angeli judicando sic componant, quasi judicium sit aliquod compositum è pluribus actibus, quorum unus subjectum alter prædicatum repræsentet, cùm nec nos, qui imperfectiùs res cognoscimus, taliter componamus, itaque quæritur, an sicut nos, dum judicamus, prius apprehendamus subjectum & prædicatum distinctis apprehensionibus, & postmodùm actu judicativo componimus, vel dividimus utrumque extremum, ita etiam Angeli. Nec hoc quæritur de cognitione beata Angelorum, sed de naturali & in via.

Notandum Tertiò: Nec esse hic difficultatem pro secunda parte de discursu virtuali, quando videlicet intellectus non progreditur per plures actus ab una cognitione ad aliam determinatam à priore, licèt benè transeat ab uno objecto ad aliud, ut, quando cognoscit effectum in causa, qui actus æquivalet duobus, hunc enim discursum nemo negat Angelis, difficultas tamen est de formali, quando scilicet distinctis actibus ex aliquo medio cognito infertur connexio duorum extremorum inter se, quia cognita sunt identificari vel connecti illi medio, & è contra negantur connexa inter se, quia cognita sunt divisa ab illo medio.

In hac materia prima opinio est D. Thomæ 1. p. qu. 58. a. 3. dicentis, Angelos non discurrere, movetur ad hoc, quod comparet, Angelum corporibus cœlestibus, qui perfectionem

Digitized by Google

ctionem suam ex motibus non habent, sicut hæc inferiora, sed ex natura sua, sic intellectus angelicus suam perfectionem non habet per motus discursuum, sed statim ex natura sua. Scotus verò in 2. d. 7. qu. un. §. contra Conclus. & in prooem. lib. 1. q. 4. utrum Theologia sit scientia? docet intellectum angelicum esse formaliter discursivum, cum quo ad quæstionem resolutivè

II. Angeli in via verè cōposuerunt & diviserunt.

Dico Primò: *Angeli in via verè componebant; & dividebant ex prævijs apprehensionibus terminorum.* Probatur Conclusio Primò: Quia non repugnat Angelos apprehendere terminos vel extrema propositа, suspendendo adhuc judicium de complexione eorundem, nec eorum intellectus est infinitæ virtutis, ut possit naturaliter unico intuitu comprehendere omnia. Imò iste modus cognoscendi est magis naturalis intellectui limitato pro statu viæ, ergò non est, cur negemus Angelos verè componere, seu judicare ex prævijs terminorum apprehensionibus.

Probatur Secundò: Necesse est respectu aliquorum objectorum, ut scilicet mysteria fidei, secreta cordium &c. ponere in Angelo compositionem, ergò: Probatur antec: Quia si Angelo antequam fuisset revelatum mysterium Incarnationis proponerentur isti termini: *Verbum divinum, natura humana, hypostatica unio*; vel isti, *DEUS homo*, tunc Angelus apprehenderet istos terminos, & tamen non ferret judicium de complexione eorum, donec postea revelaretur ipsi, ergò signum est, quòd non eodem actu apprehendat terminos in via, ac eosdem componat. Sed incontra

Opponitur authoritas S. Dionysii 7. de divinis nominibus, ubi dicit, quòd *virtus intellectualis Angelorum resplendeat perspicaci divinorum intellectuum simplicitate*, ergò Angeli non componunt, aut dividunt propriè. Respond. neg: consequ: Sanctus enim Dionysius tantùm vult, quòd Angeli in componendo vel discurrendo sint adeò perspicaces ac dextri, ut comparatione nostri intellectûs pro hoc statu videantur unico quasi intuitu omnia cognoscere, cùm tamen revera prius apprehendant, quàm componunt, vel judicent.

Instatur: Ideò nos componimus vel discurrimus, quia non ita perfectè apprehendimus quidditates rei, ut simul agnoscamus omnia, quæ possunt attribui vel removeri à subjecto, & hoc propter debilitatem luminis intellectualis in nobis, ergò cùm in Angelo sit lumen intellectuale perfectum, & perfectè apprehendat rerum quidditates, non est necesse in eo ponere compositionem aut divisionem. Respond. Quòd licèt Angelus habeat lumen intellectuale perfectum, minusque impeditum quàm nos, ac proindè perfectiùs penetret rerum naturas, inde tamen non rectè infertur, quòd unico intuitu sine compositione, vel divisione affirmet, vel neget unum de alio, sed solùm quòd multò expeditius, promptius quàm nos componat vel dividat.

III. Intellectus angelicus est discursivus.

Dico Secundò: *Angeli verè discurrunt, seu Intellectus angelicus ex naturâ suâ est formaliter discursivus.* Ita post Scotum Suarez, & plures alii contra D. Thomam & suos. Probatur Conclusio Ratione Scoti, Primò; Omnis quidditas subjecti cognoscibilis continet in se veritates virtualiter, quas notas potest facere intellectui, cuicunque potenti cognoscere illam, sed hoc est discurrere formaliter, ergò intellectus angelicus circa quidditatem, & ejus veritates virtualiter contentas discurret formaliter: major patet: Quia corpus continet plures veritates, quæ ex illo sunt educibiles, animal, homo, &c. Probatur etiam minor: Quia tunc formaliter discurritur, quando ex aliquo priori etiam naturæ (temporis enim in Angelis non requiritur) educitur aliqua veritas, quæ suam veritatem habet à priori, ergò: subsumo, sed Angeli sic habent plures veritates, ergò discurrunt formaliter. Et quamvis hoc sit

Digitized by Google

imperfectionis in DEO, & in beatitudine formali, non est tamen imperfectionis in Angelo secundùm se, sicut nec est imperfectionis in homine. Unde

Probatur Conclusio Secundò: Quidquid perfectionis competit intellectui humano, quod in intellectu angelico non arguit imperfectionem, est illi attribuendum, sed colligere ignotum ex rebus alioquin notis est perfectionis in intellectu humano, & nullam imperfectionem arguit in angelico, ergò: Probatur min: quoad secundam partem, in quâ sola vertitur difficultatis cardo, quia non est imperfectionis in aliquo, qui non habet ex se aliquam perfectionem, posse illam acquirere eô modô, sine quo non posset illam habere ex se, sed intellectus angelicus non habet cognitionem ex se omnium rerum, earumque quidditatum & veritatum formaliter, & virtualiter contentarum, ergò non est imperfectionis in illo, posse ex cognitione aliquarum rerum, quas habere posset, hic & nunc acquirere per discursum aliarum, quas posset ignorare. Maj: est clara, & probatur à paritate hominis, in quo non est imperfectionis, quòd mediante discursu acquirere possit cognitiones rerum, quas aliàs ignoraret: Min: patet: Quia Angelus non cognoscit omnia futura, aut secreta cordium, & licèt illa cognosceret qualitercunque, non cognoscit omnia evidenter, illa alia autem cognitio non impediret, quin per discursum aliqua cognosceret.

Dices: Licèt Angelus ex se non habeat cognitiones omnium rerum, exigit tamen ut illas habeat, quotiescunque vult, aut debet habere absque discursu, ergò: Probatur antec: Quia talis exigentia est perfectionis in ipso, & negatio ipsius esset imperfectionis, sed si discursu acquirere posset aliquas cognitiones, non haberet talem exigentiam, & consequenter quòd Angelus posset acquirere ullas cognitiones discursu, argueret in illo imperfectionem. Contra: Angelus non habet exigentiam, ut cognoscat secreta cordium, nec cognoscit ea toties, quoties vult, & tamen non est imperfectionis in ipso.

Instabis: Angelus exigit, ut, quando deberet de talibus rebus aliquid cognoscere, talis cognitio ipsi tribueretur absque discursu, maximè cùm probabilius sit, Angelos habere à primo instanti species omnium cognoscendorum aliquando ab illis, idque à DEO per infusionem. Contra: Hoc gratis asseritur, imò contrarium probari potest, quia cùm DEUS dederit Angelo virtutem acquirendi illam cognitionem mediante discursu, sine causa & necessitate daret illi etiam cognitionem absque discursu, aut speciem ad illam requisitam. Adde illud, quod Adversarii dicunt de universalitate specierum, quasi scilicet daretur Angelo una species repræsentativa rerum omnium, aut diversæ species omnium rerum, esse quid fictitium & nulli convincenti fundamento innixum. Dato quoque quòd in hoc Angelo argueret imperfectionem, non habere tales species, & habere eas perfectionem, non propterea sunt concedendæ, cùm nec ratione, nec authoritate sufficienter ostendi possint, nec omnis perfectio ipsi non repugnans admittenda. Directè contra Conclusionem

Opponitur Primò Authoritas S. Augustini lib. 4. Gen. litt. cap. 32. ubi dicit: Secundùm potentiam *spiritualem mentis angelicæ cuncta, quæ voluerit simul notitia facillimè comprehendens.* Bernardi serm. 6. in Cant. ubi ait: *Supercœlestis Spiritus absque adjutorio corporis, & absque intuitu horum, quæ per corpus sentiuntur, sola profectò suæ vicinitate ac vivacitate naturæ sufficit apprehendere summa, & intimà penetrare. An non hoc Apostolus intellexit, qui cùm diceret: Invisibilia DEI per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: adjecit protinus: à creatura mundi? Nec mirùm quoniam à creatura cæli, non ita. Quo enim is involutus*

Digitized by Google

tus carne & terræ incola Spiritus ex consideratione sensibilium proficiens, gradatim quodam modo paulatimque nititur pervenire : eò ille cœlestium habitator ingenita subtilitate ac sublimitate sua in omni velocitate facilitateque pertingit, ergò. Respond. neg. consequ: Quia SS. Patres aliud non intendunt, quàm quòd Angeli sancti facillimè & non per tantos labores intelligant, ut intelligendo & discendo tempore egeant, sicut nos discimus, & intelligimus, imò Div. Augustinus cit. expresè loquitur ibi de cognitione in proprio genere, quæ est vespera, unde cùm præmisisset modum, quomodo mens humana cognoscat per phantasmata, & per longa intervalla rerum naturas de Angelis capite illo allegato subjungit : *Mens verò angelica purâ charitate inhærens verbo DEI, postquam illo ordine creata est, ut præcederet cætera, prius ea vidit in verbo DEI facienda quàm facta sunt. : ac si prius in ejus fiebant cognitione, cùm DEUS dicebat ut fierent, quàm in suâ propria natura : quæ itidem facta in eis ipsis etiam cognovit, minore utique notitia, quæ vespera dicta est. Quam notitiam sanè præcedebant, quæ fiebant, quia præcedit cognitionem quicquid cognosci potest : nisi enim prius sit, quòd cognoscatur, cognosci non potest*. S. Bernardus autem tantùm vult, Angelos non indigere corpore & phantasmatibus ad intelligendum, nec accipere cognitionem DEI ab his rebus creatis per discursum, tanquam ab effectibus sicut nos, sed per speciem intelligibilem cognoscere distinctè Essentiam divinam in se in statu viæ, nunc autem in patria facie ad faciem.

Arguitur Secundò : Si intellectus angelicus esset discursivus, non distingueretur ab humano, sed hoc est falsum, ergò. Respond. neg: sequelam, quia cum hoc, quòd intellectus tàm angelicus, quàm humanus sit discursivus, optimè stat, quòd in aliis rationibus differant specificè. Deindè secundùm Adversarios non sequitur, ex eo, quòd intellectus angelicus conveniat in omnibus, quòd non sunt discursivi, esse ejusdem speciei, nec etenim est potior ratio, quare ex convenientia aliquorum in discursivitate posset inferri identitas specifica ipsorum, quàm ex convenientia aliorum in non discursivitate ipsorum Angelorum identitas specifica eorundem.

Instatur : Hinc sequeretur, rationale, seu discursivum, quod est differentia hominis, esse commune homini & Angelo, sed hoc est absurdum, ergò : Major patet : Quia uterque esset æquè discursivus. Minor probatur, quia duo genera diversa, qualia sunt Angelus & homo, non possent esse sub eadem differentia, ergò. Respond. distin: majo: Discursivum, quod est differentia hominis, nego majo: discursivum ut sic, concedo & distin: similiter min; neg: conseq: discursivitas autem hominis non est quæcunque, sed dependens à phantasmatibus, seu apta ab illis dependere, & à concursu organi corporei in ordine ad discursum formandum, talis autem non est discursivitas Angeli, ergò. Respond. Secundò, admittendo sequelam, neg. min: cum antec: probationis, quia multa genera diversa contineri possunt sub una differentia, & de facto continentur sub irrationalitate diversissima genera, quæ non rationalia sunt.

IV. Angelus etiam in materia certa potest discurrere.

Dico Tertiò: *Intellectus angelicus discurrere etiam potest in materia certa, quantum est de se, quamvis probabilius sit, cum de facto non sic discurrere*. Probatur Prima pars: Quia est materia certa, & evidens Angelo, quòd detur DEUS; sed intellectus ejus potest hoc per discursum ostendere, quantum est de se, ergò. Probatur min: Quia DEUS posset Angelo infundere species creaturarum tantùm, & non sui, sed intellectus ex se discursivus, qualis est angelicus ex dictis, posset illis mediantibus demonstrare existentiam DEI: Tùm, Quia id homines possunt. Tùm, Quia sine fundamento eis id negaretur.

Dices: In tali casu ante discursum, quo angelicus intellectus cognoscit existentiam DEI, non est ipsi certa & evidens, ergò ex eo, quòd de existentia DEI discurrat, non sequitur, quòd in materia certa & evidenti discurrat. Contra: Est materia certa & evidens intellectui angelico, quòd DEUS existat, & posset etiam talis esse mediante discursu in tali casu, in responsione autem non aliter intelligo, quòd in materia certa & evidenti possit discurrere, quantum est de se, & ob hoc addidi *quantum est de se*, sed ex eo, quòd habent species, quibus clarè & absque discursu cognoscit, quæcunque cognoscit. Unde

Probatur secunda pars: Quia ille discursus non esset à priori, nec à posteriori, ergò. Probatur antec: Quia de facto Angelus illo actu, quo evidenter & quidditativè videt causam, videt etiam in illa effectum, & econtra illo actu, quo cognoscit effectum, cognoscit similiter causam, quod verù est, sive abstractivè, sive intuitivè rem cognoscat, sed talis modus non est à priori vel à posteriori discursivus, ergò: maj: patet. Tùm, Quia gratis negaretur Angelo talis modus cognoscendi: Tùm, Quia cognitio quidditativa illum cognoscendi modum postularet: minor est certa, quia discursus formalis (de quo hîc) nunquam uno actu perficitur.

QUÆSTIO SECUNDA.

An Angelus possit simùl plura cognoscere?

I. AD pleniorem præcedentis quæstionis intelligentiam hanc subnectere volui, nam Adversarii quàm maximè probant, quòd angelicus intellectus discursivus non sit, quia unico actu potest simùl plura cognoscere, adeoque non est necesse, ut per cognitionem unius progrediatur ad aliam, unde videndum est, quomodo etiam non obstante, quòd plura possit simùl cognoscere, sit adhuc discursivus? Quomodoq; pluralitas cognitorum non impediat discursum. Itaque

Notandum Primò: Quòd sensus quæstionis possit esse duplex: Primò, an intellectus angelicus possit simùl plura intelligere habitualiter? Secundò: An actualiter? De primo nulla est difficultas, nam in intellectu angelico possunt esse, & sunt plures species rerum repræsentativæ, quæ se habent per modum actûs primi, ut possunt cum intellectu angelico concurrere ad producendam intellectionem in actu secundo, consequenter intellectus angelicus est discursivus habitualiter. De secundo est major difficultas, nam Durandus dicit, intellectum angelicum ita necessariò cognoscere omnia simùl actu, quæ existunt in rerum natura, & futura, quæ dependent à causis naturalibus, ex eo, quòd sint præsentia in se, vel in suis causis, negat enim Angelum intelligere per species concreatas, quas nullatenus admittit. Gregorius ab Arimino dicit: intellectum angelicum posse plura cognoscere, licèt non omnia simùl. Cajetanus verò & Capreolus negant id omninò esse possibile.

Notandum Secundò: Intellectum angelicum posse simùl plura cognoscere, vel per modum unius, vel per modum plurium, vel una cognitione plura, vel plura pluribus cognitionibus distinctis, vel illa, quæ cognoscuntur, sunt objecta disparata, vel subordinata, ut denique cognitiones sunt distinctæ, & claræ, aut confusæ, quibus actu plura simùl cognoscuntur. Exemplifico: Plura per modum unius intelligere tunc dici possumus, quando v. g. intelligimus plures partes continui in uno toto, aut etiam alia, quæ se habent per modum unius objecti, quemadmodum cognoscimus simùl in propositione prædicatum & subjectum, cùm ea ad invicem connectimus, aut cùm dividimus vel componimus, hæc enim facere non possumus, nisi plura simùl cognoscamus, II. Plura simùl cognosci variè contingit.

mus, quomodo enim per divisionem negarem, hanc partem non esse illam, hoc membrum non esse illud, nisi illud & hoc intelligerem; similiter in omnibus comparationibus plura simùl intelligi debent. Tunc autem dicimus plura per modum plurium intelligere, quando plura objecta pluribus intellectionibus adæquatis cognoscimus, idq; potest fieri cognitione perfecta formaliter, vel objectivè, vel imperfectâ utroque modo. His prænotatis.

III. Angelus potest simùl plura per modū unius cognoscere.

Dicò Primò: *Potest Angelus plura cognòscere per modum unius distinctè per unum conceptum formalem ex una specie productum, quàm etiam per plures conceptus ex pluribus speciebus.* Colligitur ex Scoto 1. *d.* 3. *q.* 2. §. *Quinto dico*, ubi ait: magis & minus universale posse per eandem & diversam speciem cognosci, sic species singularis repræsentat singularitatem, naturam communem, ejusque proprietatem &c.

Probatur Primò authoritate S. Augustini lib. 4. de Gen. ad litt. c.37. dicentis: *Omnia mens simul angelica potest, quæ singillatim per ordinem connexarum causarum sermò distinguit.* & cap. 32. *Secundùm potentiam spiritualem mentis angelicæ, cuncta, quæ voluerit* (Angelus) *simùl notitiâ facillimâ comprehendit.* Et plura alia ibidem: comparando tarditatem humani ingenii ad Angelorum velocitatem in intelligendo. D. Bernardi serm. 6. in Cant. ubi sic habet: *Supercœlestis spiritus sola profectò suæ vicinitate, ac vivacitate naturæ sufficit apprehendere summa, & intima penetrare, utique etiam simùl si voluerit.* Videatur suprà.

Probatur Secundò: Discursus demonstrativus non fit per unum simplicem conceptum formalem, sed per plures, cum ordine tamen ad unam quidditatem objecti adæquati, ergò Angelus, potest plura cognoscere per modum unius per plures species impressas & expressas: antec: patet: Quia discursus syllogisticus pertinet ad tertiam mentis operationem includentem primam & secundam, quæ non sunt aptæ repræsentari per unum simplicem conceptum, ergò potest intellectus uti illâ specie ad cognoscendum unumquodque illorum distinctis actibus cum illo ordine, quo virtualiter continentur in objecto illius speciei. Confirmatur: Quia unica intellectione & etiam pluribus possunt simul intelligi essentiæ, & passiones subjecti, ergò. Sed

Opponitur authoritas Aristotelis 2. Topic. 4. dicentis: *Contingit plura scire, cogitare autem non*, id est, potest aliquis habere in intellectu plura scita, & tamen non potest simùl contemplari: Unde 4. Metaph. tex. 10. ait: *Qui unum non intelligit, nihil intelligit*, ergò nequit Angelus plura per modum unius intelligere. Respond. neg: consequ: Ad primam authoritatem dico, quòd Aristoteles intelligendus sit de pluribus per modum plurium, & de objectis disparatis, non verò subordinatis. Ad secundum dico, quòd Aristoteles ibi agat de *uno*, *univocatione terminorum*, nam qui unum tale non intelligit, nihil intelligit, quia attinget æquivocationem alterius, quare dicere vult, quòd in omnibus terminos debeamus adhibere univocos, non verò æquivocos; quia alioquin faciemus audientes non intelligere.

Arguitur etiam ex Ratione: Impossibile est idem corpus habere diversas figuras; Item idem subjectum nequit informari pluribus formis ejusdem rationis, ergò nequit etiam Angelus habere simùl plures cognitiones, de pluribus objectis per modum unius. Respond. neg. consequ: Disparitas est, Quia figuræ quantitativæ corporis occupant locum, consequenter non compatiuntur se invicem, intellectiones autem sunt formæ spirituales, quæ sicuti plures species in eodem intellectu esse possunt, sic etiam plures simùl non se expellunt, est enim intellectus tàm benè locus intellectionum, quàm est specierum ex Aristotele 3. de an.

Digitized by Google

de anima. Respond. Secundò, assignando aliam disparitatem, quia figura est terminus adæquatè terminans quantitatem, non sic species, quare, si esset aliqua, quæ adæquatè terminaret capacitatem intellectûs, tunc non posset simùl aliâ cognitione ex alia specie proveniente tendere in aliud objectum. Per hoc patet etiam ad secundum, Quia duæ formæ adæquatæ, completæ, & non subordinatæ, nequeunt esse simùl in eodem subjecto, si sint ejusdem rationis, & materiales.

Instatur: Ad unitatem motus requiritur unitas termini, ergò intellectus nequit moveri ad intelligendum plura per modum unius. Respond. Primò: dist: consequ: Nequit moveri ad intelligenda plura per modum unius, unica intellectione, transeat: pluribus, nego consequ. Respond. Secundò, aliter distingu: Nequit moveri unica intellectione virtualiter involvente plures, nego: Non involvente, concedo. In Conclusione autem loquor utroque sensu, nempè, quòd vel sic, vel sic possit plura simùl intelligere.

IV. Angelus non potest plura disparata simùl cognoscere.

Dico Secundò: *Intellectus angelicus nequit per unam intellectionem distinctè plura objecta disparata cognoscere.* Ita Doctor subtilis 1. D. 1. q. 1. Probatur Primò: Intellectui repugnat angelico ex finitate essentiæ, potentiæ, & actûs intelligere simùl unico actu cuncta, ergò etiam plura. Ex eadem ratione

Probatur Secundò: Unicus actus intellectionis postulat commensuratam intelligendi rationem objectivam formaliter, motivam & terminativam, quia sicut intellectio in ratione qualitatis determinatum habet objectum in ratione principii, ita in ratione termini, cùm ab utroque specificetur, ergò impossibile est attingere plura, quia quâ ratione posset duo, posset infinita. Et confirmatur: Quia eodem actu intelligimus principia & Conclusionem, finem & medium distinctè, de quo semper loquor, ergò nequit plura objecta disparata simùl distinctè cognoscere.

V. Angelus potest plura simùl cognitionibus cognoscere.

Dico Tertiò: *Intellectus angelicus potest simùl plura objecta cognoscere distinctis cognitionibus etiam per modum plurium.* Ita colligitur ex Doctore subtili 2. d. 5. q. 5. §. *Respondeo.* Probatur Primò: Intellectus beatus angelicus simùl cognoscit Essentiam divinam, & res in eadem essentia, easdemque in proprio genere, item cognoscit suam essentiam, & simùl alias res repræsentatas per species sibi concreatas.

Probatur Secundò: Sensus materialis potest simùl plura cognoscere & percipere, ergò magis intellectus spiritualis: antec: patet, quia oculus simùl videt plures colores, plures homines, & alia visibilia, non quidem per unum simplicem actum, quia hic specificatur ab objecto, sed per plures: similiter auditus percipit plures sonos, tactus, plures qualitates, ut humidum & calidum, gustus qualitatem & saporem, ut dulce & calidum &c.

Dices: Si intellectus angelicus intelligit simùl plura, ut plura, nulla erit differentia inter DEUM & Angelum, quia etiam DEUS intelligit plura ut plura unico actu. Respon. neg. antec: Tùm, Quia DEUS infinita intelligit unico actu, Angelus tantùm aliqua plura pluribus actibus: Tùm, Quia DEUS omnia distinctè non sic Angelus: Tùm DEUS immutabiliter, Angelus cum mutatione.

VI. Angelus plura non sic perfectè cognoscit ac unum.

Dico Quartò: *Angelus non sic perfectè secundùm intensionem actûs intelligit plura per modum plurium sicut intelligit unum.* Ita Doctor suprà. Probatur Primò: Angelus habet potentiam finitam, ergò nequibit tàm benè intelligere quatuor ut unum. Secundò, potest intellectus angelicus perfectus ut sex habere actum intensum ut sex, sed tunc non potest distinctè aliquid amplius cognoscere, quia alioquin operaretur ultra connaturalem capacitatem, cui tamen semper debet actus commensurari, ergò. Tertiò universale est in

est in creatis: *Pluribus intentus minor est ad singula sensus.*

VII. Angelus intellectionem suam potest suspendere. Dico Quintò: *Potest Angelus intellectionem quamcunque distinctam cujuscunque objecti ex imperio voluntatis suspendere.* Est contra Durandum 2. *d.* 3. *qu.* 8. ut suprà notavi. Probatur: Angelus non necessariò cognoscit omnia creata simùl, sed nunc movet se ad intelligendum hoc, nunc ad illud, idque successivè, ergò si non necessariò perseverat sub priori, potest suspendere se tàm à contemplatione hujus, ac illius objecti ex libertate sua: antec: patet. Quia Angelus est finitæ & limitatæ virtutis, nec ex ullo capite exigit omnia simùl cognoscere. Dixi *cognitionem distinctam*: Quia Angelus nequit omninò cessare à cognitione sui, vel aliorum objectorum confusa: Tùm, Quia voluntatis operatio circa objectum semper præsupponit operationem intellectûs, ergò nequibit ab una intellectum avertere, & ad aliam convertere, nisi ambæ aliquo modo insint, & sic in intellectu Angeli semper oportet inesse aliquas cognitiones: Tùm, Quia intellectus est potentia naturalis, & semper ei sunt objecta aliqua præsentia, & maximè sua essentia, ergò si non potuerit causare distinctam cognitionem, saltem producet indistinctam & confusam: Tùm denique, Quia oculus corporeus potest omnium visibilium præsentiam aliquam notitiam confusam habere, ergò. Sed incontra

Arguitur: Si Angelus aliquando cessaret ab intellectione alicujus objecti, non posset amplius ad illam pervenire, ergò, ut hoc caveatur, dicendum potius, quod nunquam cesset: Probatur antec: Quia si ab aliquo ad intellectionem illam posset pervenire, hoc posset à voluntate, ab hac non, quia nihil volitum, quin præcognitum, ergò. Respond. negando sequelam cum sua probatione, quia voluntas potest intellectum avertere à cognitione prioris objecti, ex eo, quòd sibi amplius non complaceat in illo, & præcipere, ut contempletur objectum aliud proximè obvium & præsens, & sic si objectum, vel species fuerit præsens rei prioris, redibit ad illius contemplationem, vel etiam hoc potest alio modo, videlicet ex eo, quòd habeat antecedenter intellectionem aliquam confusam de alio objecto, ad quod ex libertate sua movet intellectum, ut clarè & distinctè illud contempletur.

Quæres: An intellectus angelicus sit capax veritatis & falsitatis? Respond. Affirmativè, & de veritate quidem nullum dubium est, quia certissimè sese cognoscunt, & multa naturalia, & etiam aliqua supernaturalia. Similiter falsitatem posse eis inesse, ambiguum non est, potest enim Angelus connaturaliter ex signis inevidentibus, aut testimonio fallibilis alterius aliquid cognoscere, & sic falli, uti contingit in Angelis malis, qui, dum inordinato amoris, aut odii affectu ducti assensum præbent, vel dissensum iis, quæ incerta omninò sunt, & fallibilia, vel solùm verisimilia, falluntur. Deindè, sicut isti semper malè volunt, ita etiam semper malè judicant, maximè cùm in istis, si alicubi debeatur dici malitiam intellectum excœcare, & insuper error non ex intellectu solo, sed saltem ex voluntate originem trahat, saltem avertendo directè eum à consideratione veri. Sed nec intellectus Angeli beati de se simpliciter incapax est falsitatis, maximè cùm videantur discurrentes de rebus futuris erràsse, ut patet ex contentione illa duorum Angelorum, Danielis 10. uno judicante, magis expedire liberationem Judæorum, altero opinante contrarium. Verùm, quia isti expertès sunt ab omni inordinato affectu, hinc nè in similibus errent & decipiantur, non judicant de talibus futuris absolutè, sed indefinitè, vel planè judicium suspendunt, undè autem hoc habeant, quòd nonnisi indefinitè judicent, vel judicium suspendant, puto provenire à divina providentia, & suavissima DEI Dispositione, qui sicut voluntatem præservat ab omni peccato, ita intelle-

VIII. Angelus est capax veritatis & falsitatis.

(*) R ctum

ctum ab omni errore, & hoc videtur ad completam integritatem illius actûs pertinere, undè D. Augustinus lib. 9. de Civ. DEI cap. 22. pulchrè de utrisque discurrit, & ostendit, quare dæmones frequenter errent, & fallantur, Angeli autem boni nunquam, dicens: *Dæmones autem non æternas temporum causas, & quodammodo Cardinales in DEI sapientia contemplantur, sed quorundam nobis occultorum majore experientiâ multò plura quàm homines futura prospiciunt, dispositiones quoque suas aliquando prænunciant. Denique sæpè isti, nunquam illi omninò falluntur. Aliud est enim temporalibus temporalia, & mutabilibus mutabilia conjectare, eisq; temporalem & mutabilem modum suæ voluntatis & facultatis inserere, quod dæmonibus certâ ratione permissum est. Aliud autem in æternis & incommutabilibus DEI legibus, quæ in ejus sapientia vivunt, mutationes temporum prævidere, DEIq; voluntatem, quæ tàm certissima, quàm potentissima est, divini spiritûs ejus participatione cognoscere, quòd sanctis Angelis rectâ discretione donatum est.*

QUÆSTIO TERTIA.

An Angeli cognoscant contingentia futura?

I. Objectum intellectûs angelici est quæ.

Hic præmittendum foret examen de objecto angelico ut sic, sed quia ex superioribus id facilè colligi potest, supersedeo lubens, dicendum enim, quòd objectum intellectûs angelici est illud idem, quod intellectûs humani, ens scilicet latissimè sumptum, seu prout abstrahit à reali & rationis, quod intelligendum est respectu utriusque intellectûs de objecto adæquato adæquatione commensurationis, hoc est, in quantum objectum adæquatum dicitur illud, in quod tendit potentia, & in nullum tendit, in quo non sit ratio illius objecti aliquo modo, non est autem ens objectum adæquatum hujus, aut illius intellectûs in hoc sensu, quòd tendere non possit, aut de facto non tendat in ullum objectum, nisi in rationê entis præcisè, quia certum est, quòd intellectus tendat non solùm in rationem entis ut sic, sed etiam in rationem talis & talis entis, ac insuper tàm in entia, quàm in non entia, quod est dicere, tendere in objectum terminativum. Pro resolvenda quæstione

Notandum: Tria esse genera futurorum contingentium: Primum eorum, quæ habent causam determinatam necessariam & infallibilem secundùm ordinarium rerum cursum, ut tempus, Ecclypsis lunæ, pluviæ &c. Secundum genus est eorum, quæ habent necessariam & determinatam causam in ordine causæ secundæ, sed plerumque fallibilem propter impedimentum ex defectu alterius causæ concurrentis, ut fertilitas, & sterilitas terræ & similia, de quibus, quia multæ causæ concurrunt, quarum una potest aliam impedire, difficilius est divinare, quàm de futuris prioris generis. Tertium est eorum, quæ dependent à causâ indeterminata in agendo, scilicet à libero arbitrio humano, vel angelico. Quo prænotato

Dico Primò: *Futura contingentia primi & secundi generis possunt ab Angelis certò certitudine quadam physica, non tamen omninò infallibili præcognosci.* Hæc est communis Patrum, & D. Bonaventura proponit quæstionem hanc sub hoc titulo: Utrum dæmones futura contingentia præcognoscant. Probatur Primò authoritate Augustini lib. 9. de Civit. cap. 22. dicentis: *Angelis bonis omnis corporalium, temporaliumq; scientia rerum, quâ inflantur dæmones, vilis est, non quòd earum ignari sint, sed quòd illis DEI, qua sanctificantur, charitas chara est, & ideò certius etiam temporalia & mutabilia ista noverunt.* Et lib. de divinat. dæmon. cap. 5. dicit: *Aliquando, non quæ ipsi faciant, sed quæ naturalibus signis futura præcognoscunt, quæ signa in hominum sensus venire non possunt, ante prædicunt.*

II. Futura cõtingentia quæ cognosci certò possint ab Angelis.

Proba-

Digitized by Google

Probatur Secundò: Quia etiam nos homines, & maximè perfecti Astrologi cognoscimus aliqua futura contingentia, ergò id magìs concedendum est Angelis, utpotè multò perfectioris & vivacioris intellectûs, qui solâ vivacitate naturæ ima & summa possunt penetrare, Mellifluo teste; Et esset in illis magna imperfectio, quòd similia non cognoscerent.

Probatur Tertiò: Quia Angelus naturaliter cognoscit perfectè naturas, qualitates, & virtutes cœlorum aliarumque naturalium causarum, motus orbium cœlestium, astrorum concursus, & quidnam efficere possint circa passa sufficienter sibi applicata, nisi à DEO impediantur, sciuntque quænam passa in his inferioribus sint sufficienter applicata aliis activis, & insuper quænam impedimenta obstare possint, ergò possunt secundùm ordinarium rerum cursum quid futurum vel non futurum sit, in iis omnibus, quæ dependent per se à solis causis naturalibus non impeditis cognoscere. Sed quia supra hæc omnia est DEUS optimus maximus, qui potest prout vult causas secundas naturales impedire à suis motibus, sicut de facto sæpè impedit, ideò nullus Angelus potest cum omni certitudine de his futuris judicare, per quod patet secunda pars conclusionis. Sed in contra sic

Arguitur: Futura primi & secundi generis sunt contingentia, adeoque possunt indifferenter esse, vel non esse, ergò non poterit Angelus aliquid de illis prædicere. Respond. neg. consequ: loquendo de certitudine physica, & juxta ordinarium rerum cursum, nam licet ejusmodi possunt esse, vel non esse, ob aliquod impedimentum ortum ex parte alterius causæ secundæ, Angelus tamen videt, si tale obstaculum sit futurum, nec ne? & secundùm hoc judicat talem effectum juxta communem rerum naturalium cursum futurum vel non?

Dices: Potest DEUS impedire, nè sequatur talis effectus, esto omnes aliæ causæ sint sufficienter dispositæ & applicatæ. Respond. conced: antec: & neg. conseq. Quia ideò dictum est in Conclusione, Angelum non posse ferre judicium de tali effectu futuro absolutè & cum infallibili certitudine, sed juxta communem causarum cursum, & posito quòd DEUS permittat causas secundas motus suos agere.

Dico Secundò: *Futura contingentia, quæ à causis liberis dependent, ipsosque actus liberos nequit Angelus virtute naturali certitudinaliter cognoscere, benè tamen conjecturaliter.* Est etiam communis. Probatur Primò ex Scriptura, Isaiæ 41. *Annuntiate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia dii estis.* Et 46. *Ego sum DEUS, & non est ultra Deus, & non est similis mei, annuntians ab exordio novissima, & ab initio quæ nondum facta sunt*, ubi prænuntiare futura (supple dependentia à causis liberis) signum divinitatis ponitur, idque certum est, si evidenter & certitudinaliter sine alterius revelatione manifestentur & prædicantur.

II. Futura contingentia libera non potest Angelus cognoscere

Probatur Secundò ex Authoritate S. Augustini lib. de divin. cap. 5. ubi habet: *Aliquando & hominum dispositiones non solùm voce prolatas, verùm etiam cogitatione conceptas, cùm signa quædam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiscunt, atque hinc etiam multa futura prænunciant, aliis videlicet mira, qui ista disposita non noverunt. Sicut enim apparet concitatior animi motus in vultu, ut ab hominibus quoque aliquid forinsecus cognoscatur, quod intrinsecus agitur, ita non debet esse incredibile, si etiam leniores cogitationes dant aliqua signa per corpus, quæ obtuso sensu hominum cognosci non possunt, acuto tamen dæmonum possunt.* Ubi S. Doctor clarè astruit, dæmones certò cognoscere non posse cogitationes cordis nostri, nisi in quantum per signa exteriora exprimuntur, quod est conjecturare. Et dedu-

deducitur etiam Conclusio clarè ex D. Bernardo serm. 7. de verbis Isaiæ, ubi de dæmone loquendo dicit: *Ex hoc pedum velamento factum reor, ut nesciens Dominum gloriæ fecerit crucifigi. Ex hoc quotidie fieri, ut salutis nostræ negotiis ignorans serviat, & invitus, ferè postmodùm plangens, quod dum obesse voluit, inventus est profuisse.* Ex quo sic argumentor: Si dæmones scirent futura libera à causis liberis dependentia, nunquam intenderent ponere, & efficere aliqua, quæ ad nostram salutem promovendam serviunt, utpotè cùm livore & odio pleni sint, sed ex Div. Bernardo intendunt & serviunt nobis ignoranter ad salutem, ergò non debuerunt prævidisse. Videatur D. Bernardus tract. ad Hugonem per totum caput quintum, ubi expressè docet, Angelos non potuisse cognovisse circumstantias loci, temporis, & personæ in incarnatione Verbi, quæ à libera DEI voluntate dependent.

Probatur Tertiò: Argumento desumpto ex D. Augustino enarrat. in Psalm. 49. ubi dicit: *Cum illo ager, cum illo species terræ, cum illo species cœli, cum illo omnia volatilia, quia ipse ubique. Et quare apud ipsum omnia? Quia & antequam essent omnia aut crearentur, ei nota erant omnia.* Ex quo sic arguo: Solus Deus cognoscit omnia futura antequam sint, & omnia creata ac creanda, sed hoc de nullo intellectu creato dici potest, maximè quoad illa, quæ dependent à libero arbitrio, quod determinari vel condeterminari ab aliquo priori se in agendo debet, ergò.

Probatur Quartò Ratione: Quia seclusa revelatione nihil est assignabile, quod determinaret intellectum angelicum ad similia futura libera cognoscenda, ergò nequeunt ea cognoscere. Probatur antec: Quia si aliquid determinare posset, maximè ipsa futura vel species eorum, vel decretum ab æterno positum, sed hæc nequeunt determinare, ergò: Probatur min: non ipsa futura, quia hæc non supponuntur esse præsentia nec in se, nec in sua causa, quæ indifferens est, & indeterminata: Nec etiam species, quia de his ambigitur, an dentur? & dato, quòd dentur, de quo infrà, illæ non essent Angelis connaturaliter debitæ, sicut nec concursus DEI supplens vicem specierum. Nec denique decretum DEI, quia licèt per hoc futura sint determinata ad futuritionem, tamen Angelis nequeunt illud connaturaliter cognoscere.

Arguitur Primò: Futura pendentia à libero arbitrio tàm in se, quàm in suis causis sunt determinatè vera, & consequenter determinatè intelligibilia, nec excedunt limites entis finiti & creati, ergò nil obstat, quo minus ab Angelo possint cognosci. Respond. negan: consequ: Nam licèt talia futura ab æterno sint determinatè vera, & per hoc intelligibilia ab intellectu omnia comprehendente, non tamen ab intellectu creato, Ratio est, quia hujusmodi futura in se ipsis non possunt objici intellectui creato, cùm non existant, nec in aliqua specie accepta, ab ulla alia re creata existente, ut patet, nec in suis causis liberis, cùm hæ sint indeterminatæ ad earum positionem vel non positionem. Idem ergò in proposito obstat, quòd ejusmodi futura libera nullo modo naturaliter & determinatè objici possint intellectui creato, benè tamen divino, qui omnia intuetur.

Arguitur Secundò: Dæmones & per eos magi multa divinant, & verè prædicunt circa actiones liberas hominum, ut multis exemplis compertum est, ergò. Respond. cum S. Bonaventura, quòd dæmones, quia superbi sunt, & maximè desiderant honorari ut Dii, conantur se ut tales ostendere, & licèt futura libera certitudinaliter præscire non valeant, frequenter tamen multa prædicunt, & hoc secundùm D. Augustinum, Primò ex sensûs & ingenii acrimonia, ut quando vident, & diligenter considerant ad quod inclinetur IV. Dæmones quæ futura prædicunt.

affectio

affectio nostra, vel quæ sunt inducentia, vel retrahentia subministrant, ut habet S. Augustinus lib. de divinat. dæmon. cap. 5. ibi videndus ne longior sim. Secundò, per experientiam temporum, quia ex talibus videntur frequenter accidere, utrumque modum assignat D. Augustinus lib. de Trin. c. 16. nam agens de mundi vaticiniis, ejusque vatibus dicit: *Quanquam & Prophetarum nomen non omninò alienum est à litteris eorum, sed plurimum interest, utrum experimento præteritorum futura conjiciendo, sicut Medici multa prævidendo etiam litteris mandaverunt, quæ ipsi experta notaverunt: sicut denique agricolæ, vel etiam nautæ multa prænunciant. Talia enim si ex longis intervallis temporum fiant, divinationes putantur. An verò jam ventura præsenserint, & longè visa venientia nuncient, pro acuto sensu videntium, quod cùm faciunt aereæ potestates, divinare creduntur: tanquam si quisquam de montis vertice aliquem longè videat venientem, & proximè in campo habitantibus antè nunciet.* Tertiò ex dolosa cautela, quando scilicet proponunt aliquid facere, quod prædicunt postea futurum. Et Quartò ex doctrina aliena, ut quando justo DEI judicio permittuntur aliquid discere à bonis Angelis, qui per revelationem multa libera sciunt futura, & tunc dæmones illa scientia abutuntur ad fidelium deceptionem, & ita D. Augustinus lib. 4. de Trin. c. 17. dicens: *Potestates autem aëreæ superbæ atque fallaces, etiam si quædam de societate & civitate Sanctorum, & de vero mediatore a Sanctis Prophetis, vel Angelis audita per suos vates dixisse reperiuntur, id egerunt, ut per hæc aliena vera etiam fideles DEI, si possent, ad sua falsa traducerent.* Omnes quatuor modos hos eleganter simùl complectitur idem S. Doctor lib. 2. de Gen. ad litt. cap. 17. *Quod cùm ad decipiendos homines fit, spirituum seductorum operatio est: quibus quidam vera de temporalibus rebus nosse permittitur, partim quia subtilioris sensus acumine, partim, quia corporibus subtilioribus vigent, partim experientia callidiore propter tam magnam longitudinem vitæ, partim à sanctis Angelis, quod ipsi ab omnipotente DEO discunt etiam jussu ejus sibi revelantibus, qui merita humana occultissimæ justitiæ synceritate distribuit. Aliquando autem iidem nefandi spiritus etiam quæ ipsi facturi sunt, velut divinando prædicunt. Quapropter bono Christiano, sive Mathematici, sivè quilibet impiè divinantium, maximè dicentes vera cavendi sunt, ne consortio dæmoniorum animam deceptam, pacto quodam societatis irretiant.*

QUÆSTIO QUARTA.

An Angeli connaturaliter cognoscant secreta cordium?

NOtandum Primò: Per Secretum cordis ordinariè intelligere Theologos volitiones creaturæ rationalis tàm Angeli, quàm hominis, sicut etiam eorum cogitationes, non quomodocunque, sed in quantum à voluntate per affectionem operantur, quamvis Alii omnes operationes mentis, sine data reduplicatione pro secretis cordium etiam ponant, imò in homine pro hoc statu etiam ipsas operationes potentiæ sensitivæ internæ. I. Secretum cordis describitur.

Notandum Secundò: Causam secretorum cordium in homine de facto esse membrorum nostrorum corpulentiam, & intellectûs nostri in operando à sensibus dependentiam, hinc sicut nequimus cognoscere cogitationes alterius hominis, nisi aliquo modo ad extra manifestet, sic nec cognoscimus operationes sensitivas, nisi manifestentur etiam propter eandem rationem; In Angelis verò & animabus separatis, primò est subtractio generalis concursûs DEI, quæ facit formaliter aliquid esse secretum, cùm alioquin non plus possit actus talis esse secretus, seu occultus, quàm ipsa substantia, cùm eòdem modò sit extra causas suas positus: Secundò, ipsa libertas operantis, quatenus in po- II. Causa secretorum cordis.

aestate ipsius est, quòd velit actum tegere, vel non tegere, ita quòd aliquo modo subtractio illa sit in potestate creaturae rationalis, sic enim DEUS cuncta creata administrat, ut ea suos motus habere sinat ex doctrina D. Augustini 7. *Civit. cap.* 31. sicut enim ad integritatem libertatis creatae spectat, aliquos actus aliis occultare, ita DEUS regulariter concursum suum aliis creaturis pro libertate alterius non administrat ad cognoscendos illos actus, ut proinde aliquo modo debita sit illa subtractio concursus generalis, alioquin illa secreta naturaliter cognoscerentur. Nam ut

III. Omne ens finitum extra causas positum, potest movere intellectum.

Notandum est Tertiò: Omne ens finitum & limitatum extra suas causas positum, natum, movere intellectum angelicum, ad sui cognitionem, sive illud sit productum à libera causa, sive à necessaria, semper enim est naturale. Ita Doctor subtilis quodl. 14. a. 3. contra Div. Thomam, qui putat Angelum non moveri ab extrinseco objecto, sed à specie universali in ipso existente, & movente ad essentias rerum, etiam singularium cognoscendas, eo ipso, quòd res ponatur à sua causa ad esse, praesertim si naturalis sit, qualis non est, secundum eundem S. Doctorem, quae à voluntate libera immediatè oriuntur, ut cordium cogitationes & affectiones piae, quae sunt altioris ordinis, & sic ab illa specie universali non repraesententur Angelo, & hinc est, quòd non possit secreta cordium cognoscere. His itaque notatis

IV. Angelus si sibi relinquatur, potest cognoscere secreta cordis.

Dico Primò: *Si Angelus suae naturae relinquatur, potest ex propriis viribus naturae cognoscere cogitationes cordis humani, prout in ipso sunt, & etiam volitiones & affectiones alterius Angeli.* Ita Doctor subtilis 2. d. 9. q. 2. contra Alensem, DD. Thomam, & Bonaventuram: Eam tamen satis insinuant SS. Augustinus, & Bernardus, hic enim serm. 5. in Cant. docet: *Eum infima & summa vivacitate naturae suae penetrare, & sese intimè nobis applicare.* Et lib. 5. de Consid. cap. 5. *In nobis esse*, si autem in nobis sunt, & summa penetrant, cur non etiam cogitationes nostras? D. Aurelius autem in pluribus locis, nam serm. 6. *de divers. cap.* 5. ait: *Cogitationes, fratres mei, quas modò non videt, nisi DEUS, omnes invicem videbunt in illa societate Sanctorum*, ubi clarè docet, nunc tantùm DEUM solum videre cogitationes, utique, quia sibi hoc propter rationes & fines ab eo intentos, reservat, ergò si relinqueret Angelos naturae suae, possent eas etiam modò videre, cùm potuerint tunc animae separatae. Similia habet in lib. 2. de Civit c. 24. & alibi, unde lib. 83. qq. q. 47. ait: *Dic nobis, rogo te, quando tibi indicaverunt Archangeli, quòd ipsi videant Angelos, non autem videantur ab Angelis? Quibus narrantibus Angelis cognovisti, quòd ipsi videant animas, animae illos non videant? A quo hoc audisti, unde didicisti, unde legisti?* Est autem eadem ratio de cogitationibus, ergò. Sed

Probatur Ratione Primò: Quodcunque objectum intelligibile actu in se sufficienter praesens & proportionatum potentiae cognoscitur, potest intellectus angelicus cognoscere, sed cogitationes & affectiones voluntatis sunt entia intelligibilia actu, praesentia, ut suppono, & proportionata, ergò: major patet, quia activo & passivo sufficienter applicatis & proportionatis, ac non impeditis sequitur actio: Probatur min: Quia cogitationes propriae sunt ipsi sibi intelligibiles, ergò etiam alterius, cùm possint cogitationes alterius Angeli esse minoris perfectionis, quidquid autem potest quod plus est, potest etiam quod minus est, & quidquid potest Angelus inferior, potest & superior, ergò, si Angelus inferior cognoscere potest suas cogitationes, poterit easdem quoque cognoscere superior.

Dices: Cogitationes tales esse quidem entia intelligibia, sed si alter Angelus velit, si verò velit eas occultare, non esse intelligibiles. Sed contra Primò: Causa naturalis debitè applicata objecto praesente non potest

test ab aliena voluntate impediri directè, ut patet de oculo, sive enim Titius velit, sive nolit, si mihi proportionatum & præsens sit objectum, videbo illud. Contra Secundò: Angelus non potest impedire, ut non videat alius essentiam suam; ergò nec impedire, ut non videat volitionem & cogitationem suam; anteced: patet ex D. Augustino supra. Probatur consequ: Quia essentia Angeli non est minus intrinseca & intima, quàm intellectio. Contra Tertiò: Illa volitio, quà Angelus vult occultare cogitationem suam, est ens intelligibile per se, ergò, si debet occultari per illam, illa autem erit adhuc intelligibilis per se, ergò debebit occultari per aliam, & sic in infinitum.

Dices: Contra secundam solutionem, disparitatem esse, quia essentia Angeli est substantia, intellectio est accidens, & ipsa volitio est ordinis supernaturalis. Sed Contra: Quia tàm substantia, quàm accidens est ens actuale, proportionatum, & intelligibile naturaliter. Quod autem dicunt, volitionem, & piam affectionem esse ens ordinis supernaturalis, omninò falsum est: Tum, Quia producitur à causa naturali, prout opponitur supernaturali; Tum, Quia ipsa volitio non est altioris ordinis, quàm causa producens: Tùm, Quia alioquin sequeretur, quòd etiam actus imperati essent ordinis supernaturalis, aut si non, certè tunc debebunt admittere, quòd, licèt non possit Angelus videre volitiones alterius, quòd tamen possit cogitationes etiam imperatas.

Probatur Conclusio Secundò: Ex sententia Thomistarum sequitur, quòd Angelus nunquam poterit cognoscere secreta cordium, vel quòd connaturaliter semper cognoscat; utrumque est contra ipsos; ergò: Probatur sequela: Quæcunque cognoscunt Angeli, cognoscunt per species concreatas (excipiunt DEUM & suam propriam Essentiam) sed Angeli non habent species concreatas secretorum cordium, ergò nunquam poterunt cognoscere, vel si habent, poterunt connaturaliter sicut alias res.

Dices: Angelum non habere species concreatas secretorum cordium, exindè autem non sequitur, quòd ea nunquam possint cognoscere, quia fiunt cognoscibilia per ordinationem voluntatis Angeli loquentis, & revelantis ea ad intellectum Angeli audientis. Sed contra Primò: Angeli non possunt loqui, nisi de rebus, quarum species concreatas habent secundùm ipsos, sed &c. ergò. Contra Secundò: Quod ex natura sua est altioris ordinis, non potest per relationem supervenientem mutari de illo ordine ad inferiorem; sed secreta cordium sunt altioris ordinis secundùm ipsos, ergò per ordinationem, quæ est mera relatiò rationis, non poterit fieri inferioris: major patet: Tum, Quia, quòd est secundum essentiam unius generis, nequit fieri alterius, nisi essentia mutetur: Tum, Quia visibile per nullum superveniens fiet gustabile, & econtra. Contra Tertiò: Ipsa ordinatio, si non est relatio; erit actus voluntatis; ergò ipsa non erit intelligibilis, cùm non habentur ejus species, utpotè ordinis supernaturalis.

Probatur Conclusio Tertiò ex Durando 2. *d.* 8. *qu.* 5. *num.* 7. Quia ratio D. Thomæ, cui innititur ejus sententia negans, nihil convincit, ergò; Probatur antec: Durandi, his verbis: Quia istud habet multas inconvenientias: (Dico ego pace tanti Doctoris sancti) dato enim, quòd voluntas soli DEO subjaceat quoad causalitatem; non sequitur quoad cognoscibilitatem, alioquin non cognosceremus ea, quæ à solo DEO creata sunt, ut sunt cœlum, materia prima &c. Item dato, quòd voluntas DEO subjaceat aliis quoad cognitionem; quia per eandem rationem motus cœli, qui est à voluntate Angeli moventis, non esset notus nobis. Item ratione libertatis voluntatis non potest latere nos motus ipsius

ipſius, quia libertas non eſt impedita ab alterius cognitione, ſed ab alterius coactione. Specialiter autem in propoſito noſtro, ſi cogitationes noſtræ laterent Angelum, quia dependent à voluntate per eandem rationem & operationes tranſeuntes in materiam exteriorem, quæ imperantur à voluntate, laterent ipſum, non enim eſt differentia in his & illis quoad cognitionem Angeli, cui ea nota ſunt cœteris paribus intrinſeca & extrinſeca, eò quòd non accipiant cognitionem à ſenſibilibus. Sed in contrarium

Opponitur Authoritas S. Scripturæ pluribus in locis, ſignanter Jeremiæ 17. ubi dicitur: *Pravum eſt cor hominis & inſcrutabile, & quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans corda.* 2. Regum 8. *Tu ſolus noſti corda filiorum hominum*, ergò Angelus nequit naturaliter cognoſcere ſecreta cordium, etiam relictis viribus naturæ ſuæ, quia nihil poteſt ei adſcribi, quod ſoli DEO competit, ergò. Reſpond. neg. conſequ: utramque: Quia, quod DEUS dicatur ſolus ſcrutator cordium eſt Primò: Quia univerſaliter cognoſcit omnia tàm præſentia, quàm præterita & futura ex propria perfectione, ut impoſſibile ſit impedire, quin ea cognoſcat. Secundò, Quia cognoſcit ut judex univerſalis, quo modo nec Angeli boni, nec Angeli mali ea poſſunt cognoſcere. Tertiò: Quia ea cognoſcit cum neceſſitate abſoluta, quatenus illa nequeat objectivè præſentia non habere, defectu cujus multos bonos motus Angeli boni non cognoſcunt, nec mali, quia DEUS impedit, & cum eis non concurrit, quòd ſi concurreret, poſſent omninò cognoſcere: undè autem ſciam, quòd non concurrat, ſi quæras? Reſpond. Quia ad perfectionem libertatis pertinere videtur, ut poſſint Angeli aliquas cognitiones & pias affectiones voluntatis ſibi reſervando occultare.

Inſtatur: Ex ſolutione ſequeretur, quòd etiam ſolus DEUS cognoſceret res naturales. quia ille ſolus eas cognoſcit ex neceſſitate, ex omnimoda perfectione, quæ impediri non poteſt, ſed certum eſt, quòd ille ſolus non cognoſcat, ergò ſi illi textus aliquid probant, probant nullo modo Angelum ſecreta cognoſcere, alioquin ſi cum illis limitationibus DEUS tantùm cognoſcit, ſtat ſequela ineſſe. Reſpond. conced. ſequelam, quia ſolus DEUS res naturales ex neceſſitate & propria perfectione omnes ſimùl cognoſcit tàm præteritas, quàm præſentes, quòd autem de cognitione ſecretorum cordium magis loquitur Scriptura eam DEO attribuendo, eſt, quia ſibi reſervat particulariter ad punitionem & prœmiationem, unde dici poteſt, DEUM ſolum ſibi reſervare eorum cognitionem. Hinc Div. Bernardus tract. de morib. & offic. Prælat. ait de Chriſto: *Solus meritò conſtitutus eſt Judex vivorum & mortuorum, qui finxit ſigillatim corda univerſorum, & intelligit omnia opera eorum.*

Dico Secundò: *Probabilius eſt de facto Angelos nec bonos nec malos cognoſcere ſecreta cordium, id eſt, cogitationes intellectûs, & affectiones voluntatis.* Hæc eſt extra controverſiam. Probatur Primò Authoritate S. Scripturæ, Pſalm. 47. *Ipſe novit abſcondita cordis.* 2. Paralipom. 6. *Tu exaudies de cœlo, & reddes unicuique ſecundùm vias ſuas, quas noſti eum habere in corde ſuo, Tu enim ſolus noſti corda filiorum hominum*, & ſuprà Jerem. 17. & 2. Reg. 8. in quibus omnibus locis attribuitur ſoli DEO cognitio cordium & ſecretorum, ergò de facto id Angelis non conceditur. V. Angeli de facto non cognoſcunt ſecreta cordium.

Probatur Secundò ex Patribus: D. Auguſtino enarr. in Pſalm. 7. dicente: *Opera noſtra poſſunt eſſe nota hominibus, ſed quo animo fiant, ſolus ille novit, qui ſcrutatur corda Deus.* Et in Pſalm. 141. *Ibi ergò effunde precem tuam, ubi ſolus ille videt, qui remunerat.* Nec refert, quod loquatur de hominibus, quia à fortiori id tenendum de ſecretis Angelorum, quod autem dæmones non cognoſcant

ſcant

Digitized by Google

ſcant ullatenus ſecreta cordium noſtrorum, expreſsè habet in lib. de Eccl. dogm. cap. 81. dicens: *Internas animæ cogitationes diabolum non videre certò ſcimus.*

Probatur Tertiò ex aliis, qui ex cognitione cordium & cogitationum humanarum probant, Chriſtum fuiſſe verum DEUM, ut eſt Ambroſius in Lucam, cap. 5. Chryſoſt. hom. 3. & 42. in Matth. cap. 9. & 11. Hieronymus in cap. 9. Matth. ſic argumentatur: *JESUS videt cogitationes hominum, ſed nullus poteſt cogitationes internas videre, niſi ſolus DEUS; ergò Chriſtus eſt DEUS.* Sic quoque argumentatur D. Bernardus tract. de mor. & offic. Ep. & Prælat. cap. 6. *Pravum eſt cor hominis & imperſcrutabile, ita ut nemo ſciat, quæ ſunt in homine, niſi ſpiritus hominis, qui in iſto eſt, ſed nec ipſe plenè. Qui judicat, Dominus eſt, Dominus, cujus ſcientiam non effugit, ſententiam non ſubterfugit, etiam quod propriam latet conſcientiam. Audivit DEUS in corde cogitantis, quod non audit vel ipſe, qui cogitat. Meritò itaque non erat opus Domino JESU, ut quia teſtimonium perhiberet de homine. Ipſe nimirum ſciebat, quid eſſet in homine. Quid cogitatis* (ait Matth. 9.) *mala in cordibus veſtris? reſpondebat non ſermonibus, ſed cogitationibus. Audiebat non loquentes, videbat non apparentes.* Sancti, inquam, Patres ex cognitione cordis cogitationum colligebant, Chriſtum eſſe verum DEUM, ſed hæc argumentatio prorſus nihil valeret, ſi Angeli de facto cognoſcerent ſecreta cordium, ergò. Major conſtat ex authoritate Patrum adducta. Minor eſt evidens, quia malè concluditur, aliquem eſſe verum DEUM ex eo, quod eſt commune DEO & creaturæ, ſed ſi de facto cognoſcerent Angeli ſecreta cordium, hoc eſſet commune DEO & ipſis, ergò.

Dices cum Durando: SS. Patres non deduxiſſe ex cognitione ſecretorum cordis præſentium, Chriſtum eſſe verum DEUM, cùm nec in Scriptura id pro argumento Divinitatis aliquo modo ponatur, ſed ex eo, quòd omnia cordis ſecreta, tàm præſentia, quàm præterita, & futura cognoſcebat. Sed contra: In prædictis locis ſaltem in aliquibus ſermo eſt de præſentibus cordis ſecretis. Deindè de illis præſentibus loquuntur Hieronymus, & Bernardus &c. Denique ſine fundamento limitantur Scripturæ verba dicentia, abſolutè ſoli DEO competere hujusmodi cognitionem, ut ſignificent omnia ſecreta collectivè ſumpta; cùm illa non ſolùm ſint ſecreta, ſed quælibet etiam in particulari. Tandem videtur, quòd nihil debeat dici ſecretum cordis, niſi quod actu præſens eſt, nam quod fuit, perindè ſe habet, ac ſi non eſſet. & quod erit, nondum eſt.

Dices cum Hervæo: Patres non colligere Divinitatem ex cognitione ſecretorum cordis quoad ſubſtantiam, ſed tantùm ex cognitione eorum omnimodâ, quò cognoſcibilia ſunt, quod benè poteſt fieri, cùm Angeli non cognoſcant omni modo, quo ſunt cognoſcibilia. Sed contra: Hæc gloſſa omninò falſa videtur & voluntaria; quia nec in verbis Chriſti ulla fit mentio de cognitione ſecretorum cordis quoad omnem modum, quo cognoſcibilia ſunt, nec Patres in ſua argumentatione unquam dixerunt, ideò ſe colligere, Chriſtum eſſe DEUM, quòd cogitationes cordis cognoſcat omni modo, quo ſunt cognoſcibiles, imò nec hoc dicere poterant, quia probabiliter Chriſtus quà homo non cognovit ſecreta cordium omni modo, quo ſunt cognoſcibilia, quia ſic non poſſunt cognoſci, niſi per cognitionem comprehenſivam, quam Chriſtus probabiliter non habuit. Et quamvis ſic benè defendantur Scripturæ, & Patres, & inſtantiæ datæ ſolvantur, attamen

Dico Tertiò: *Non eſt dogma Fidei, quòd Angeli boni de facto non cognoſcant præſentia cordium ſecreta, quamvis fidei valdè conforme ſit, Angelos malos ea non cognoſcere.* Probatur: Quia ex vulgato Theologorum, VI. Non eſt dogma fidei, Angelos nõ cognoſcere ſecreta cordiũ.

(*) S

rum, Quod expressè non traditur in Scriptura, nec explicitè continetur in Evangelio, nec definitur in Conciliis, nec à SS. Patribus, & ab Ecclesia quantum ad doctrinam authenticè docetur, non est dogma fidei, sed hotum nihil habetur, quòd Angeli non cognoscant secreta cordium, ergò. Deinde nihil est de fide, quod per aliam Scripturam sine contradictione in alio sensu explicari potest, sed sic possunt explicari Scripturæ & Patres, ergò: Major patet, probatur Minor: Nam licet dicatur, quòd solus DEUS habeat immortalitatem, tamen non sequitur, quòd Angelus etiam non sit ex natura sua semel ad extra positus immortalis, sed quòd immortalis non sit eo modo, quo DEUS, nempe omni indefectibilitate & annihilabilitate, ergò à pari sic discurri potest. Quòd autem Dæmones de facto non cognoscant secreta cordium, expressè docet Doctor 4. d. 10. q. 8. quodque fidei magis sit consentaneum, exinde deduco, quia alioquin multa bona impedirent, cùm tamen alligati sint, ut nocere non possint, nisi volenti, nec hominibus mala machinari, nisi in quantum permittuntur. Deinde magis conforme videtur ad pœnam eorum subtrahere hujusmodi concursum generalem, sicut subtrahitur, nè possint se pro libitu localiter movere, nec cessare à consideratione perpetua ignis infernalis.

QUÆSTIO QUINTA.

An Angeli similiter mysteria gratiæ naturaliter cognoscant, & quæ?

II. Mysteria gratiæ in duplici differentia sunt.

Quæstio hæc procedit de omnibus mirabilibus effectibus omnipotentiæ divinæ, quæ misericordiarum Pater pro salute hominum ex nimia charitate operari dignatus est, & usque nunc operatur, qui proinde mysteria gratiæ appellantur, suntque in duplici differentia, alia enim dicuntur *Supernaturalia in substantia*. Alia *in modo*. Prima sunt ea, quorum entitas est supra vires naturæ absolutè & omnimodè, ita quòd à solo DEO sint producibilia citra ullum debitum & exigentiam virtutis creatæ, imò juxta aliquos, dummodò concursus specialis DEI ad aliquid producendum sit indebitus, & specialis, licèt partialiter & effectivè producatur à causa creata propter actus virtutum Theologicarum, de quibus controvertitur, simpliciter autem supernaturalia in substantia sunt Incarnatio, mysterium Eucharistiæ, habitus supernaturales, auxilia specialia, &c. *Supernaturale quoad modum* est illud, cujus entitas est supra vires naturæ non absolutè, sed tantùm quoad circumstantiam ex modo, quo hic & nunc fit, ut suscitatio mortui, &c. ita quòd utriusque differentia constituatur per extrinsecam comparationem ad agens, vel ad subjectum, in quo forma supernaturalis recipitur, non verò differunt intrinsecè, quia habitudo ad agens aliud & aliud non reddit rem intrinsecè diversam & entitativè distinctam, præter perfectiones divinas, quæ intrinsecè sunt in substantia formaliter supernaturales. De mysteriis gratiæ in posteriori acceptione non est difficultas, benè tamen de supernaturalibus quoad substantiam. Verùm

Notandum adhuc: Quòd, quando quæritur, an Angelus naturaliter cognoscat mysteria gratiæ, *tò naturaliter* non excludere concursum objecti & cœterarum causarum naturalium ad cognitionem necessariarum, præsentiæ nempe, & approximationis, ac dispositionis, sed naturaliter hic sumitur, prout opponitur ad concursum supernaturalem. Item *tò cognoscere* non sumitur pro quacunque notitia, sed pro notitia intuitiva, qua res videtur, ut est in se præsens, non verò ut absens, vel per species, seu abstractivè, nam sic multa gratiæ mysteria posse etiam nostrum intellectum cognoscere certum est, à fortiori proinde angelicum.

Notandum ultimò: Quod licet Doctor subtilis 4. d. 10. q. 8. indefinitè

nitè dicat mysteria gratiæ, ex quo sunt posita in actu, Angelum ea posse cognoscere, si sibi & viribus suis cum concursu generali relinquatur, attamen non est universaliter locutus, nam quodl. 14. *sub litt. O* expressè docet, objectum primum intellectûs angelici esse præcisè ens limitatum, quare excipienda sunt mysteria Sanctissimæ Trinitatis utpotè intrinsecè illimitatum, & quæcunq; alia respectum ad DEUM, vel ad liberam voluntatis divinæ dispositionem præ se ferentia, ut Incarnatio Verbi, justificatio impii per infusionem formæ supernaturalis, cunctaque opera justi de condigno vitæ æternæ meritoria, sic etiam mysteria omnia in actibus divinæ voluntatis & intellectus intrinsecè consistentia, ut mysteria prædestinationis, reprobationis, finalis præscientiæ, damnationis & glorificationis creaturæ rationalis.

Hinc de mysterio sanctissimæ Trinitatis præclarè D. Augustinus ait: *Vas fictile* (homo curiose) *quærit scire de mysterio Trinitatis, quod Angeli in cœlo* (viribus propriis supple) *scire non possunt.* Ita Serm. 189. de Tempore. Et D. Bernardus lib. 5. de Consid. c. 5. *Dicamus itaque tres, sed in præjudicium Unitatis. Sacramentum hoc magnum est, & quidem venerandum, non scrutandum, Quomodo pluralitas in unitate & hæc unitate, aut ipsa in pluralitate? Scrutari hoc temeritas est, credere pietas est, nosse vita, & vita æterna est.* Similia habet per totum caput 5. tract. ad Hugonem. His itaque præmissis.

II. Angeli mali habent virtutem integram ad cognoscenda supernaturalia.

Dico Primò: *Angeli mali habent virtutem integram ad cognoscenda mysteria fidei & gratiæ, extrinsecè tamen per denegationem divini concursûs impeditam.* Ita Doctor 4. d. 10. q. 8. Probatur ex D. Bernardo tract. ad Hugon. cap. 5. *Sanè etenim reprobi Spiritus, etsi destituti sint participatione gratiæ spiritualis, non tamen vivacitate industriæ naturalis*, ergò ex se habent vivacitatem ad cognoscenda mysteria gratiæ, quamvis impeditam. Nec hoc impedimentum dicendum est miraculosum, quia status illorum subtractionem illam exigit ex rectitudine justitiæ vindicativæ: Tum, ne ipsi impediant salutem hominum, quod facerent, si illa cognoscerent.

III. Angeli boni possunt cognoscere mysteria gratiæ in actu posita.

Dico Secundò: *Angeli boni habent virtutem naturalem cognoscendi mysteria gratiæ evidenter, & de facto, si sibi relinquantur, illa cognoscunt, ex quo posita sunt in actu, & in quantum rebus creatis substant, dummodò non dicant specialem respectum ad aliquam personam divinam.* Ita Scotistæ communiter post Doctorem suum, Gabriel &c. Probatur: Mysteria gratiæ cadunt non solùm sub objecto adæquato, sed etiam proportionato intellectus angelici, ergò si sibi relinquantur, possunt ea naturaliter cognoscere: Conseq. patet, antec. probatur: Omne ens creatum non dicens necessarium ordinem ad aliquod proprium divinis Personis est sufficienter proportionatum in repræsentando intellectui angelico, sed mysteria gratiæ sunt talia, ergò: Probatur minor: Quia non apparet, unde illa improportio posset oriri, cùm ejusmodi entia non excedant in essendo naturam aut perfectionem intellectûs angelici, & consequenter nec in intelligibilitate, ergò sicut unus Angelus potest naturaliter alterum Angelum cognoscere, cur non posset etiam quodlibet ens creatum secundùm suum esse absolutum, & consequenter mysteria fidei.

Dices: Totum ens naturale est objectum intellectûs angelici, non verò supernaturale. Contra: Illa mysteria gratiæ supernaturalia in substantia sunt entia creata, sed ens creatum est objectum adæquatum intellectûs angelici, ut ipsi fateri debent, ergò negari non debet, quin ea possint cognoscere, cùm nullus sit excessus in entitate finita ac limitata eorum.

Instabis: Excessum esse eo quod sint altioris ordinis, cùm autem objectum non debeat excedere potentiam cognoscitivam in modo essendi,

di, proinde Angelus non poterit ea cognoscere. Sed contra Primò, Mysteria gratiæ, licèt sint altioris ordinis per respectū ad causam productivā, vel ad subjectum, non sunt tamen altioris ordinis in entitate secundùm se considerata, cùm sit indeterminata aliqua specie qualitatis præscindentis ab ordine ad causam, vel ad subjectum. Quòd autem per respectum causæ vel ad subjectum fint altioris ordinis, parùm est ad rem, & quid purè extrinsecum, non verò intrinsecum. Contra Secundò, Falsum omninò est, quòd objectum non debeat excedere potentiam cognoscitivam in modo essendi, quia sic, primò nec Angelus posset cognoscere accidentia, nec privationes & negationes, nec entia materialia, quia hæc omnia habent diversum modum essendi à potentia cognoscitiva Angelorum; nec valet responsio eorum, quòd per species concreatas ista cognoscant, quia etiam istæ sunt alterius ordinis in essendo. Contra Tertiò, si daretur intellectus creatus, cui lumen gloriæ esset connaturale (ut hic Pragæ solenniter defenderunt Professores Seminarii Archi-Episcopalis tanquam possibile) visio divina ei esset connaturalis, & tamen modus essendi divinæ essentiæ excederet in infinitum modum essendi hujusmodi intellectûs, ergò. Contra Quartò, Quia licèt intellectui angelico de facto sit visio supernaturalis, tamē non est ei supernaturalis, in quantū informatus est lumine gloriæ, ergò excessus nihil facit. Contra Quintò, Hinc sequeretur, quòd nullus Angelus posset DEUM videre in beatitudine, quia quantumcunque informatus per lumen, DEUS eum in infinitum excedit.

Dices: Hic sermonem esse de cognitione naturali, non supernaturali, qualis est visio, in naturali tantùm nullus debet esse excessus, licèt sit in supernaturali. Contra: Ad illam visionem concurrit intellectus, sicut aliæ potentiæ ad sua objecta cognoscenda, ergò si excessus in consideratione haberi debet, nec supernaturaliter cognosci poterit, quia DEUS nunquam poterit eum elevare, sicut non potest elevare oculū ad percipiendum sonum, dulcedinem, vel alios sapores, eo quòd ista excedant objectum oculi. Ex his omnibus dictis

Probatur Conclusio Secundò: Si supernaturalitas hic obstaret, hoc ideò esset: quia redderet suum ens perfectius quocunque ente creato, cujus cognitionem potest Angelus connaturaliter habere, quia ut rectè Philosophus 2. Metaphys. dicit: Ideò aliqua potentia non potest ferri in objectum aliquod, vel propter perfectionem hujus, vel imperfectionem potentiæ; Et inde dicit idem Philosophus, intellectum nostrum se habere ad entia abstracta, sicut oculus noctuæ ad lumen Solis, scil. propter excellentiam istorum, & imperfectionem intellectûs nostri pro hoc statu, sed tunc sic: Supernaturalitas non reddit suum ens perfectius omni ente naturaliter cognoscibili ab intellectu angelico, ergò nihil obstat: Probatur subsumptum, quia ea, de quibus nunc loquuntur, pro majori parte sunt accidentia, sed substantia spiritualis & præsertim completa est perfectior quocunque accidente in ratione entis, ut de se patet, ergò.

Probatur Tertiò: Hujusmodi entia nec secundùm suum absolutum esse in se, nec secundùm respectum, quem dicunt ad DEUM ut efficientem excedunt captum intellectûs angelici, ergò. prob. ant. Quoad 2. partem, in qua est difficultas, quia principium formale producendi ista entia est omnipotentia DEI, seu, quod idem est, ejus voluntas, sed Angelus discurrendo naturaliter potest cognoscere DEUM esse omnipotentem, & posse producere multa excedentia vires naturales cujuscunque causæ secundæ, ergò, dum in re producit aliquos tales effectus, nihil obstat, quo minus Angelus sibi relictus possit eos cognoscere.

Proba-

Probatur Conclusio Quartò: Angelus habens actum supernaturalem, experitur se illum habere, & dominium, quod habet super tales actus, exigit, ut suppositâ eorum existentiâ, eos posset naturaliter cognoscere, ergò.

Dices: Angelos quidem noscere, se habere actus fidei, v. g. & amoris, non tamen noscere, an sint supernaturales, quia eos tantùm abstractivè cognoscit & non perfectè. Contra: Angelus sine discursu & immediatè illos actus in se experitur, ergò potest experiri illum actum esse supernaturalem, dato enim concursu DEI ad cognitionem actûs, gratis dicitur solùm concurrere ad cognitionem actûs sub ratione communi, in qua convenit cum actibus naturalibus, & non ad rationem specificam supernaturalitatis, maximè cùm utraque ratio identificetur. Deinde Angelus videns clarè & distinctè DEUM potest naturaliter per actum reflexum naturaliter experiri se habere talem visionem, sed tunc noscet se habere cognitionem claram & intuitivam DEI, ergò suppositâ elevatione intellectûs angelici, & concursu generali cognoscet naturaliter talem visionem esse supernaturalem. Sed contra Conclusionem directè

Opponitur Authoritas D. Bernardi tract. ad Hugonem cap. 5. ubi defendit, quòd Hom. 1. super Missus est, docuerat, neminem Angelorum cognovisse mysterium Incarnationis, præter solum Archangelum missum à DEO. Et D. Dionysii Cœlest. Hierarch. c. 7. ubi ait: *Angelos inferiores didicisse à superioribus Christum*, & sic cognovisse mysterium Incarnationis, ergò Angeli nequeunt cognoscere mysteria gratiæ connaturaliter. Respond. neg. conseq. Quia de hoc mysterio est specialis difficultas, ut infrà dicam. Deindè SS. Patres non loquuntur de mysterio in actu posito, sed antequam poneretur, ut ex D. Bernardo clarè colligi potest. Et transeat quòd etiam de in actu posito loquerentur, non est paritas de aliis, quia hoc mysterium non constat ex entibus creatis & finitis, sicut alia plura mysteria gratiæ. Jam ex ratione

Arguitur: Intelligibilitas cujuscunque rei est naturali entitati ejus proportionata, sed mysteria gratiæ sunt supra naturam Angeli, ergò etiam supra intelligibilitatem. Respond. disting. major. Intelligibilitas est proportionata, ita quòd, sicuti est, possit etiam intelligi intellectione creata vel increata, conced. major. Ita quòd solùm possit intelligi eo modo, quò est ad extra producta, neg. majorem & disting. minor. sunt supra naturam Angeli productivam, concedo: entitativam, neg. minor. & conseq. Itaque si semper ens deberet intelligi tantùm eo modo, quo est, sequeretur quòd substantia per accidens non posset cognosci, nec Essentia divina per visionem divinam, ut supra dixi. Respond. Secundò: nego conseq. argumentum enim laborat fallaciâ distributionis, arguit enim ab excessu secundùm efficientiam, ad excessum secundùm entitatem & intelligibilitatem.

Instatur: Angeli non habent media naturalia ad cognoscenda hæc mysteria, ergò: Anteced. probatur: Quia hæ species talium entium sunt Angelis magis debitæ, quàm ipsæ qualitates supernaturales; nec tales species possunt fieri per causas naturales. Respondetur: neg. anteced. ad cujus probationem dico, quòd vel species harum qualitatum habebunt Angelici, sicut aliarum rerum creatarum, vel poterunt intuitivè ea mysteria cognoscere sine speciebus, cùm eis sint debitè præsentia, quare ab ipsis rebus poterunt acquirere species. Sed

Urgetur: Species repræsentantes debent esse ejusdem ordinis cum mysteriis, ergò debebunt esse supernaturales & consequenter non magis illis debitæ quàm mysteria: Probatur antec. Quia species sunt entitativè proportionatæ ad repræsentandum

tandum objectum, prout est in se. Respond. neg. anteced. Quia species semper deficit ab objecto, aliàs oporteret speciem repræsentantem substantiam esse substantiam, Et licèt species debeant esse proportionatæ, non requirunt tamen similitudinem entitativam specificam, sed in communi spiritualitatis.

Arguitur Secundò : Quæ pendent ex libera DEI voluntate, non possunt Angeli naturaliter cognoscere, sed &c. ergò. Respond. dist. major. Antequam ad esse ponantur, concedo : posita in esse & actu si creatis rebus substent, neg. maj. & conc. min. neg. conseq. patet ex dictis. Imò etiam Angelus potest arguitivè cognoscere ipsum DEUM ut authorem supernaturalem, licèt directè & immediatè id non possit.

Arguitur Tertiò : Intellectus angelicus indiget virtute elevante ad videndum DEUM, quia ipse est supernaturale objectum, ergò etiam alia mysteria gratiæ videre non poterit sine elevatione tali. Respondetur negando conseq. Disparitas est, quia DEUS est objectum intrinsecè supernaturale, infinitè distans ab intellectu angelico, speculum liberum & voluntarium, alia mysteria sunt tantum intrinsecè supernaturalia, in perfectione minora, vel saltem non perfectiora, quàm ipsa substantia Angeli. Sed

Quæres: Quænam mysteria possit Angelus connaturaliter agnoscere? Respond. Habitus fidei, spei & charitatis supernaturales, actúsq; eorum, & opera meritoria de condigno vitæ æternæ, item habitus luminis gloriæ & gratiæ consummatæ, actûsq; beatificos Beatis inexistentes, quia actus isti omnes sunt entitates absolutæ dicentes connotativè respectum ad objectum, unde non excedunt latitudinem intellectus angelici magis quàm substantia ipsa Angeli : Verùm quia respectum ad objectum connotant, ideò

IV. Angeli ab… Dico Tertiò : *Angeli non cognoscunt habitus & actus illos supernaturales, nisi quoad entitatem absolutam in genere qualitatis.* Probatur : Quia mysteria illa vel sunt media ad salutem consequendam, vel salus & beatitudo in iis consistit, sed media ad salutem innituntur soli acceptationi divinæ, quæ naturaliter nequit ab Angelis cognosci, utpote liberæ DEI voluntatis & benignitatis, sicut etiam objectum liberum est, & voluntarium speculum ipsiusmet beatitudinis, ergò quoad hanc formalitatem & respectum non continentur intra latitudinem objecti Angeli. Nec est necesse, quòd aliquando aliqua entitas absolutè cognoscitur, cognoscitur etiam intuitivè vel abstractivè omnis respectus ejus, vel omnis terminus, sed sufficit, quòd arguitivè cognoscere possit. Ulterius

Dico Quartò : *Intellectus angelicus potest naturaliter intuitivè cognoscere existentiam Corporis Christi in Evcharistia.* Ita Scotus 4. d. 10. q. 8. pro qua Notandum in Evcharistia sex deprehendi quæ particularis sunt considerationis : Primò est unio hypostatica Corporis & Sanguinis Christi cum Divinitate. Secundò efficientia hujus Sacramenti seu transubstantiatio panis & vini in Corpus Christi. Tertiò, effectus, nempe sanctificatio suscipientis. Quartò, desitio panis. Quintò existentia accidentium sine subjecto. Sextò realis præsentia Corporis Christi : Tria prima non cognoscit Angelus, quia involvunt Deitatem, suntque extrinseca huic Sacramento pro formali, vel involvunt specialem dependentiam voluntatis divinæ, ideò de his negat Scotus, quòd contineantur intra objectum intellectús angelici. De reliquis V. Possunt cognoscere existentiam Corporis Christi in Evcharistia.

Probatur Conclusio Primò: Quia omnia continentur intra latitudinem objecti angelici, ergò, patet anteced. Quia substantia Corporis Christi continetur, sicut etiam continetur ipsa substantia panis, ergò ubicunque fuerit, cognosci ab Angelo poterit, ergò etiam quando substantia panis erit absens, nam

poten-

Digitized by Google

potentia potens cognoſcere aliquid præſens, poteſt etiam abſentiam ex 2. de anima, text. 103. ubi dicitur, per viſum non cognoſci ſolùm lucem, ſed etiam tenebras; ergò, ſi hæc cognoverit, cognoſcet præſentiam Chriſti in Eucharistia, quod probatur: Quia ubi objectum eſt proportionatum potentiæ per ſe, modus accidentalis ipſius objecti non poteſt impedire cognitionem ejus, quia, *quod eſt per accidens, non variat id, quod eſt per ſe*, ſic enim res habent cognoſcibilitatem, ſicut habent entitatem, ſubſtantia autem Corporis Chriſti eſt prior, quàm ille modus exiſtendi, ergò etiam intelligibilitas erit prior, ergò modus non variabit eam utpote poſterior & accidentalis.

Dices: Modum, qui connaturaliter intra latitudinem objecti continetur, non variare rationem intelligibilitatis, ſed iſte modus eucharisticus non continetur intra objectum intellectûs angelici, atqui proinde variat intelligibilitatem Corporis Chriſti, & conſequenter non poterit eum intelligere; cùm non habeat ſpecies, niſi rerum naturalium. Sed Contra 1. Petitur principium tàm ratione objecti, quàm ratione ſpecierum, eſt enim quid creatum, quod per ſpecies repræſentari poteſt, ſicut quodcunque aliud: Contra 2. Modus ille exiſtendi ex ſuâpte natura poſtquam per DEI virtutem poſitus eſt ad eſſe, neceſſariò dicit ordinem ad aliquem intellectum, à quo naturaliter cognoſcatur intuitivè, ſed non ad intellectum divinum; quia hic non movetur, nec mobilis eſt à rebus ad extra, ergò, ad aliquem creatum naturaliter mobile à quocunq; objecto finito tàm ad propriam ſpeciem, quàm ad propriam cognitionem. Contra 3. Iſte modus eſt ſupernaturalis tantùm quoad cauſam effectivam, non verò intrinſecè formaliter quoad entitatem.

Probatur Concluſio Secundò: Anima glorioſa poteſt cognoſcere in Eucharistia præſentiam Corporis Chriſti, ergò & Angelus: Probatur antec. conſeq. patet à pari: Anima Chriſti cognoſcit naturaliter ſe eſſe ubicunque eſt, ergò novit ſe etiam eſſe in Eucharistia, ergò etiam præſentiam, quæ ratione ſui & Corporis ſui ibi eſt: Conſeq. probatur, quia non eſt poſſibile cognoſcere ſe eſſe in Eucharistia, & non cognoſcere modum, quo ibi exiſtit, quia modus eſſendi in Eucharistia includitur in cognitione, quia cognoſcit ſe eſſe in loco, non enim poteſt cognoſcere ſe eſſe in Eucharistia, & non cognoſcere. quòd non ſit extra hoſtiam, & quòd pars non eſt in parte hoſtiæ, quia hæc includitur in illa.

Dices: Animam cognoſcere quidem eſſe ibi, ſed non cum modo, quo eſt, quia etiam humanitas Chriſti, cognoſcebatur à dæmonibus non cognito modo unionis, ergò. Reſpondetur, neg. antec. cujus probatio nihil concludit: quia unio hypoſtatica eſt formaliter relatio ad terminum illuminatum, ſcilicet verbum divinum, quæ proinde naturaliter cognoſci nequit, non cognito Verbo divino, quod eſt ſupra naturalem attingentiam intellectûs angelici, præſentia verò Corporis Chriſti in Eucharistia non dicit reſpectum ad terminum illimitatum, quia ſi ſub hoc reſpectu conſideretur, fateor ab intellectu angelico non poſſe cognoſci, ut adverti in notabili concluſionis. Si autem dicas, ut aliqui Thomiſtæ dicunt, hoc eſſe animæ Chriſti particulare; ex hoc tamen ad Angelos cõnſequentia fieri non debet; nihil dicis, quia ſtatim infero, ergò ſupernaturalitas non eſt ratio, cur intellectus angelicus illam præſentiam nequeat cõgnoſcere, alioquin etiam obſtaret in anima Chriſti, quia nihil eſt cognoſcibile naturaliter, niſi quod cadit ſub objectum illius potentiæ; ſi ergò hoc cadit ſub objecto animæ Chriſti, cadit etiam ſub objecto intellectûs angelici, cùm idem habeant objectum. Sed principaliter contra concluſionem.

Oppo-

VI. Non tamē mysterium Incarnationis etiā in actu positum.

Opponitur: Non potest naturali ratione demonstrari mysterium Eucharistiæ esse possibile quoad existentiam accidentium sine subjecto, & existentiam Corporis Christi sub illis sine modo quantitativo, nec defito substantiæ panis & vini, cùm ista omnia sint merè credibilia, & res secundùm naturales secundùm substantiam, ergò nec est possibile Angelum naturaliter illud cognoscere. Respond. neg. antec. cum ratione sua, quia non quodcunq; per fidem cognitum excedit quodcunque naturaliter cognoscibile, respectu intellectûs angelici, sicut respectu intellectûs nostri conjuncti.

Instatur: Ille modus accidentium solitariè est supernaturalis, tàm ex parte efficientis, quàm ex parte propriæ formalitatis, quia non est tantùm supernaturalis, sicut est visus restitutus cœco, sed sicut unio hypostatica, ergò simpliciter excedet intellectum angelicum. Respond. neg. antec. cum sua probatione, quia visus cœco restitutus est effectivè tantùm supernaturalis secundùm modum, modus autem accidentium & existentia Corporis Christi sub illis est effectivè supernaturalis secundùm substantiam. Videatur lib. 4. sent. d. 5. q. 4.

Dico Quintò: *Intellectus angelicus nequit suis viribus naturaliter cognoscere mysterium Incarnationis etiam in actu positum.* Est communis, & Probatur 1. Authoritate Patrum Augustini tract. 7. in Joan. dicentis: *Tantum eis innotuit quantum voluit, innotuit dæmonibus non per id, quod est vita æterna, & lumen incommutabile, sed per quædam temporalia virtutis suæ effecta, & quando ea paulùlum supprimenda judicavit, dubitavit de illo dæmonum princeps.* Ubi docet, dæmonem quidem scivisse Christum venturum maximè ex Scripturis, non tamen ultra quàm ei DEUS permiserat, verùm naturaliter non cognovit, & certò, alioquin dubitâsset, suspicatus est ergò dæmon hunc esse Christum. D. Bernardi de annunt. Serm. 2. *Abyssus planè imperscrutabilis incarnationis dominicæ Sacramentum, abyssus impenetrabilis. Verbum caro factum est. Quis investiget? Quis attingat? Quis apprehendat?* Et tract. ad Hugonem de S. Victore cap. 5. *Modum deinde illum tàm incomprehensibilem, quem & Virgo sollicita requisivit, unde quæso docere queam Angelis fuisse præcognitum? Mihi verò videtur nec ipsi quidem (ut pace ejus dixerim) qui nuntiabat. Quod & ipse fatetur, si ejus verba diligenter advertimus. Respondens quippe Spiritus Sanctus superveniet in te, nonne apertè mittit ad magisterium Spiritûs S. cujus unctione doceatur de omnibus, quorum ipse sibi non præsumit scientiam, & discat experiendo, quod audiendo non poterat? Denique subjungit, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, expressius profectò significans modum secretissimum, arcani incomprehensibilis & ineffabilis Sacramenti.* Et tandem subdit: *Porrò autem, si Diabolus eam nec post conceptionem agnovit, Joseph utique desponsatione deceptus: credi potest & sanctis Angelis, vel ante* (& post) *minimè innotuisse. Sanè enim reprobi Spiritus etsi destituti sunt participatione gratiæ spiritualis, non tamen vivacitate industriæ naturalis.*

Probatur Conclusio Ratione: Quia non potest cognosci unio hypostatica humanitatis ad Verbum, nisi Verbum ipsum, ad quod terminatur, cognoscatur, sed Verbum Patris æternum à nullo creato intellectu naturaliter videri & cognosci potest directè, cùm sit ens simpliciter supernaturale, & speculum voluntarium, ergò: Probatur major. Quia sicut cognitione abstractiva non potest cognosci relatio secundùm esse, & non dici, nisi cognitò terminò, ita nec relatio unitiva, sed unio hypostatica est relatio simpliciter secundùm esse, ergò. An autem possit hoc mysterium arguitivè ab Angelo cognosci? Lis est, & pendet à pluribus aliis sententiis, juxta quas quilibet respondere debet. Videatur lib. 3. sent. tract. 1. d. 3. q. 6. Pro nunc breviter contra Conclus.

Oppo-

Digitized by Google

Opponitur Doctoris subtilis authoritas 4. sup. ubi vult Angelum quemcunq; mysterium Incarnationis naturaliter cognoscere, quærens enim, an aliquis intellectus creatus Corpus Christi in Eucharistia naturaliter videat? Respondet affirmativè, exponens Ambrosium super Lucam dicentem: *Malignum Spiritum latuisse mysterium Incarnationis*, non esse absolutè intelligendum, quasi simpliciter non habeat potentiam videndi illud, sed ex hypothesi, quòd non fuerit illis permissum uti illâ suâ naturali potentiâ videndi illud, quoad esse suum formale, ergò. Respond. neg. conseq. Quia Scotus non cedit Angelo potentiam naturalem absolutè in ordine ad esse formale hypostaticæ unionis, sed tantùm in ordine ad circumstantias illius prorsus extrinsecas ex parte Matris.

Instatur: Unio hypostatica quoad esse suum formale non excedit limites objecti creati naturaliter motivi intellectûs angelici, cùm sit formaliter creata, nec intrinsecè includens fundamentum vel terminum, cùm tantùm sit unio extremorum, ergò etiam quoad esse suum formale poterat Angelus illud cognoscere. Respond. neg. antec. cum sua ratione, quia licèt unio hypostatica intrinsecè extrema non includat, ex propria tamen sua natura intrinsecè illa connotat, adeóque nequit distinctè cognosci non cognitis extremis.

VII. Remissionem peccati nequit Angelus cognoscere.

Dico Sextò: *Angelus non potest naturaliter directè distinctè cognoscere remissionem peccati.* Est etiam communis. Probatur: Quia peccatum non remittitur, nisi DEUS velit illud remittere, vel per condonationem extrinsecam, nempe per actum liberum divinæ voluntatis, vel per infusionem alicujus formæ oppositæ illi peccato, sed Angelus neutrô modô potest naturaliter cognoscere, ergò. Probatur min. Non primò: Quia actus divinæ voluntatis utpotè simpliciter infinitus est extra latitudinem objecti ipsius. Nec etiam secundò: Quia illa forma non est physicè opposita peccato, & licèt sit moraliter, hoc tamen Angelus nequit cognoscere naturaliter, nisi cognoscat ordinationem DEI, ratione cujus opponitur, quam non potest cognoscere; & quamvis videret actum supernaturalem charitatis, hic tamen non est plus physicè oppositus peccato, quàm ipse habitus charitatis, ergò nulla ratione naturaliter poterit cognoscere.

QUÆSTIO SEXTA.

De Cognitione Matutina & Vespertina Angelorum.

I. Quid intelligatur per cognitionem matutinam & vespertinam.

SCotus 2. d.3. q.9. §.3. *persuadet.* Duplicem in Angelis commemorat naturalium notitiam, *Matutinam*, & *Vespertinam*, utramque naturalem, prima est secundùm speciem impressam divinæ naturæ, secunda ex rebus in proprio genere: Appellatur autem matutina, quia terminatur ad esse primum ideale rerum. Secunda vespertina, quia ad esse reale ex mente Div. Augustini *lib.2. Gen. imperf. cap.25. & 11. Civ. cap.29.* ubi oppinatur illos sex dies creationis non esse secundùm successionem temporis, sed in cogitatione angelica, cogitavit enim D. Aurelius, DEUM omnia eodem temporis momento creâsse, juxta illud Ecclesiast. 8. *Qui vivit in æternum creavit omnia simul.* Moyses autem narravit secundùm successionem temporis, ob ruditatem populorum, quibus loquebatur, verumtamen postmodum senior & sapientior effectus omninò astruit mundum per sex dies, & successionem temporis fuisse factum, ut ipsum fusè alibi retuli. Nihilominus

II. Quid Augustinus intellexerit per cognitionem matutinam.

Dico Primò: *Probabile est, Augustinum per rerum notitiam matutinam in verbo intellexisse visionem beatam, ad differentiam naturalis cognitionis in proprio genere.* Ita Scotus ex lib. 4. Gen. D. Augustini cap. 22. 23. & 24. ubi dicit: *Quapropter cùm sancti Angeli, quibus post resurrectionem coæquabimur, si viam, quæ nobis*

Digitized by Google

bis Chriſtus factus eſt, usque in finem tenuerimus, ſemper videant faciem DEI, verboque ejus unigenito Filio ſicut Patri æqualis eſt, perfruantur, in quibus prima omnium creata eſt ſapientia: procul dubio univerſam creaturam, in qua ipſi ſunt principaliter conditi, in ipſo Verbo DEI prius noverunt, in quo ſunt omnium etiam, quæ temporaliter facta ſunt æternæ rationes, tanquam in eo, per quod facta ſunt omnia: ac deinde in ipſa creatura, quam ſic noverunt tanquam infra deſpicientes, eamque referentes ad ipſius laudem: in cujus incommutabili veritate rationes, ſecundùm quas facta eſt, principaliter vident. Ibi ergò tanquam per diem, unde & concordiſſima unitas eorum ejusdem veritatis participatione dies eſt primitus creatus: hic autem tanquam per veſperam, ſed continuò fit mane. Quòd in omnibus ſex diebus animadverti poteſt, quia non remanet angelica ſcientia in eo, quod creatum eſt, quin hoc continuò referat ad ejusdem laudem atque claritatem, in quo id non factum eſſe, ſed faciendum fuiſſe cognoſcitur, in qua veritate ſtando dies eſt. Nam ſi vel ad ſeipſam natura angelica converteretur, ſeque amplius delectaretur, quàm illo, cujus participatione beata eſt, intumeſcens ſuperbia caderet ſicut diabolus: de quo ſuo loco loquendum eſt, cùm de ſerpente hominis ſeductore ſermo debitus flagitabitur. Et lib. 11 Civit. cap. 7. ubi ait: *Cognitio creaturæ in ſeipſa decoloratior eſt, ut ita dicam, quàm cùm in DEI ſapientia cognoſcitur, veluti in arte, qua facta eſt, ideò veſpera congruentius quàm nox dici poteſt.* Et cap. 29. *Ipſam quoque creaturam melius ibi, hoc eſt, in ſapientia DEI, tanquam in arte, quâ facta eſt, quàm in ea ipſa ſciunt Angeli ſancti, ac per hoc & ſeipſos ibi melius, quàm in ſeipſis, verumtamen & in ſeipſis. Facti ſunt enim & aliud ſunt, quàm ille, qui fecit. Ibi ergò tanquam in cognitione diurna, in ſeipſis tanquam in veſpertina; multum enim differt, utrum in ea ratione cognoſcatur aliquid, ſecundùm quam factum eſt, an in ſeipſo. Sicut aliter ſcitur rectitudo linearum, ſeu veritas figurarum, cùm intellecta conſpicitur, aliter cùm in pulvere deſcribitur.* Et paulò pòſt: *Omnia hæc aliter in Verbo DEI cognoſcuntur ab Angelis, ubi habent cauſas, rationesq; ſuas, ſecundùm quas facta ſunt, incommutabiliter permanentes, aliter in ſeipſis, illic clariore, hîc obſcuriore cognitione velut artis atque operum, quæ tamen opera, cùm ad ipſius Creatoris laudem, venerationemq; referuntur, tanquam mane luceſcit in mente contemplantium,* ergò. Confirmatur: Quia infrà magis dicit, quòd *cognoſcendo verbo perfruantur*, fruitio autem ad beatitudinem pertinet, ergò.

Dico Secundò: *Eſt etiam veritati conformius Auguſtinum per cognitionem matutinam ſignificâſſe naturalem à veſpertina diſtinctam.* Ita Doctor ſuprà, & Probatur: Tùm cognitio matutina rerum creatarum in Verbo ponitur communis omnibus Angelis bonis & malis, ergò non potuit eſſe beata, cùm tunc fuerint adhuc in ſtatu & morula merendi: Tùm, Quia Angeli in via exiſtentes habuerunt cognitionem veſpertinam, hanc præceſſit in eis ſecundùm Auguſtinum cognitio matutina, ſicut mane præcedit veſperam, ergò utraque cognitio fuit in Angelis in via: Probatur maj: Quia ſecundùm Auguſt. & comunem ſententiam Angeli fuerunt creati ſimùl cum mundo corporeo, licèt poſterius natura, & conſequenter in eodem inſtanti cognoverunt tàm ſe, quàm alias creaturas tunc productàs in genere proprio, licèt poſterius naturâ, quam viderant eas in Verbo, & juxta hæc, cognitio, qua Angeli in via per ſpeciem à DEO impreſſam cognoſcebant Eſſentiam divinam diſtinctè & in ea creaturas, dicetur matutina, quæ verò terminabatur ad ipſas res in genere proprio veſpertina. III. Poteſt intelligi naturalis viſio.

Dices: In Angelorum notitia non ſunt tenebræ & errores, ſed manè & veſperi habent tenebras admixtas, ergò malè dicitur, Angelos habere cognitionem matutinam & veſpertinam. Reſpond. neg. conſeq: Quia manè accipitur hîc pro primitate

tate

tate, & prima rerum cognitione, in ordine ad primum esse ideale in mente divina.

Dices: Adhuc partes diei sunt quatuor, mane, meridies, vesper, & nox, ergò, si Angelorum notitia diei potest comparari, debebit habere quatuor notitias. Respond. nec hoc esse difficile quatuor tales notitias eis concedere. Prima scilicet in Verbo abstractivè cognito. Secunda in Angelis bonis in Verbo clarè viso. Tertia vespertina intuitiva rerum in proprio genere & propria existentia. Quarta nocturna per species impressas, & quidem tres tales notitias habere Angelos, clare docet S. Augustinus lib. 4. Genes. ad lit. c. 29. ubi dicit: *Nunquid tamen dicet, aut si quisquam dixerit audiendus est, illam cœlestem in Angelorum millibus civitatem, aut non contemplari Creatoris æternitatem aut mutabilitatem ignorare creaturæ, aut ex ejus inferiore quadam cognitione non laudare Creatorem? Simùl hoc totum possint, simul hoc faciant, possunt tamen & faciunt. Simùl ergò habent & diem & vesperam, & manè.*

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Voluntate angelica.

Voluntatem angelicam per humanam, & hanc per illam congruentissimè explicari posse, nemo est, qui ambigat, unde ea, quæ ibi dixi, hìc non repetam, & quæ omisi, & quæ particularia sunt, brevibus adducam. Proindè

I. *Voluntas multipliciter accipitur.* Notandum Primò: Voluntatem multipliciter accipi: Primò enim accipitur pro natura cujuslibet rei inclinatæ ad sibi convenientia, seu pro naturali inclinatione, ad aliquam suam perfectionem, verùm hæc acceptio est valdè impropria, nam licèt connotet potentiam activam & passivam, de se tamen formaliter non dicit, nisi solam propensionem, nec ullum actum habet, nec est indifferens ad quodcunque objectum. Secundò accipitur pro appetitu sensitivo. Tertiò, pro volitione, in quo sensu dixit D. Augustinus lib. 1. Retract. cap. 9. *Nihil tàm est in potestate voluntatis, quàm ipsa voluntas*, id est, nihil magis est in potestate voluntatis, quàm ejus actus. Quartò, pro potentia vitali appetitiva condistincta immediatè contra intellectum, & definitur à Scoto 3. quòd sit *Appetitus cum ratione liber*. Dicitur *Appetitus*, quia præter appetitum naturalem communem omni creaturæ, est in quolibet cognoscente appetitus vitalis, seu potentia specialis, quâ appetimus commoda, & fugimus nociva. Dicitur *cum ratione*, ad differentiam appetitûs naturalis & sensitivi: Additur *liber*, eò quòd non violentetur, & quòd positis omnibus requisitis potest agere, & non agere tàm quoad specificationem, quàm quoad exercitium, seu tàm quoad subjecta & actus oppositos, quamdiu causa prima liberè agit, hac enim agente necessariò, voluntas amplius non posset esse indifferens, quia ageret ut mota à prima.

Notandum Secundò: Libertatem aliud non esse, quàm voluntatem sub negatione determinationis intrinsecæ ad unum, vel aptitudinale dominium suorum actuum, quòd ab illis, veluti proprietas immediatè voluntatem consequitur. Libertas autem non requirit judicium compositionis ad omnes suos actus, licèt nihil sit volitum, quia præcognitum, sufficit enim in multis simplex apprehensio, ut patet in appetitu sensitivo, & ex experientiâ, quâ sentimus nos delectari in objecto impossibili, de quo nullum potest esse verum judicium, verumtamen ad actus efficaces judicium requiritur, nemo enim eligit media, nisi judicet assecutionem finis sibi esse possibilem. Voluntatis nostræ actus (ipsa est causa totalis) alii sunt efficaces, alii inefficaces, hi non sufficiunt ad electionem, benè tamen illi ut modò dixi, efficaces sunt absoluti, inefficaces significantur per *vellem*, & denotat tantùm affectum. Alii sunt II. *Libertas quid sit.*

deliberati, alii subiti, ad primos requiritur consideratio objecti & circumstantiarum, qualis ad electionem necessaria est. Actus subiti, qui sine tali consideratione fiunt, suntq; duplices, quidam enim sunt primò primi, ut omnes actus subreptitii tangentes voluntatem inopinatè, & hi nullam involvunt libertatem. Alii secundò primi, qui succedunt primis motibus, & hi habent aliqualem libertatem, seu imperfectam deliberationem, qualem habent semi-dormientes, & semi-ebrii, ut notat Cajetanus in summa. Verbo delectatio. Navarrus in Prælud. 5. His prænotatis

III. In Angelis est voluntas. Dico Primò: *De fide est, in Angelis dari voluntatem verè productricem & operatricem vitaliter per actum elicitum.* Probatur Primò ex Scriptura, Psalm. 102. *Ministri, qui facitis voluntatem ejus;* undè pro maximo merito adscribitur Angelis, quòd adimpleant ejus voluntatem, nihil autem est capax meriti & demeriti, nisi ratione voluntatis, & liberi arbitrii. Deinde 1. Petri 1. *In quem desiderant Angeli prospicere*, sed desiderium & complacentia sunt actus voluntatis, vel appetentis, vel quiescentis in possessione boni acquisiti.

Probatur Secundò ex Patribus: Augustino lib. 12. Civit. cap. 9. dicente: *Bonam voluntatem & Angelis quis fecit, nisi ille, qui eos in bona voluntate cum amore casto creavit.* Div. Bernardi lib. de grat. & lib. arbit. c. 4. *Hoc autem indubitanter sciendum, utramque* (libertatem à peccatis & à miseria) *plenam & perfectam perfectis inesse animabus carne solutis, cum DEO pariter & Christo ejus, atque Angelis supercœlestibus. Verùm libertas à necessitate* (intrinseca & vitaliter operans) *æquè est indifferenter DEO, universæq; tam malæ quàm bonæ rationali convenit creaturæ.* Et universim Patres omnes.

Probatur Tertiò Ratione: Angeli habent intellectum, ergò etiam voluntatem, ille enim hanc rectè infert saltem de potentia ordinaria: Probatur proindè consequ: Omni rei connaturaliter inest inclinatio ad bonum sibi proportionatum, ut in animatis appetitus innatus, sensitivis sensitivus & naturalis, ergò etiam voluntas creaturæ rationali. Confirmatur: Quia Angeli de facto possident illud bonum, ad quod habent inclinationem, nempè infinitum per beatitudinem, sed beatitudo non est, nisi per visionem & fruitionem, ergò habent intellectum & voluntatem, per quorum actus possidetur illud infinitum Bonum.

IV. Objectum volunt: est Ens. Dico Secundò: *Objectum Voluntatis angelicæ motivum ac terminativum est ens communissimè sumptum.* Colligitur ex Scoto 1. d. 3. qu. 3. & in 2. Probatur: Voluntas adæquatur intellectui, cùm apta sit operari circa quodcunque præcognitum, ergò idem est objectum utriusque sub eadem ratione, sed objectum intellectûs angelici est ens communissimè sumptum; Tùm, Quia ens sub utraque ratione attingitur, nempè veri & boni: Tùm, Quia intellectus differentiam inter verum & bonum constituit, habens perfectam scientiam de ente secundùm omnes affectiones simplices & disjunctas.

V. Est in ipsis vera libertas. Dico Tertiò: *De fide est, in Angelis reperiri veram libertatem & verum liberum arbitrium.* Probatur Primò ex Patribus: Tùm suprà: Tùm Augustino lib. 22. Civit. c. 1. ubi ait: *DEUS intelligentiam dedit spiritibus, & liberum arbitrium eidem naturæ intellectuali tribuit tale, ut si vellet DEUM deserere continuò misera esset futura.* D. Bernardo suprà cap. 4. *Hoc namque complebitur, quod nunc passim cunctæ rationali (ut jam dictum est) creaturæ commune videtur, liberum scilicet à necessitate arbitrium: erit etiam in electis hominibus, uti jam in sanctis est Angelis: Et cautum à peccato, & tutum à miseria:* Similia habet infrà cap. 9.

Probatur Secundò Ratione seu deductione: De fide est Angelos bonos meritoriè in gratia stetisse, & beatitudinem de condigno meruisse; malos

Digitized by Google

malos culpaliter cecidiſſe, & juſtitiam primam amiſiſſe, ac juſtè ad ſempiternos cruciatus deſtinatos, ſed ſi Angeli non haberent liberum arbitrium, nec mereri, nec peccare, nec juſtè puniri poſſent, nam ut dicit D. Bernardus ſuprà cap. 2. *Quòd ſi ex neceſſitate & abſque conſenſu propriæ voluntatis mala bonáve fieri poſſent, rationalis creatura aut miſera profectò nulla ratione deberet, aut beata penitus eſſe non poſſet, cui nimirum in utraque parte id deeſſet, quod ſolùm in ea miſeriæ, ſive beatitudinis capax eſt, id eſt voluntas*, ergò.

VI. Sempè eſſentialis. Dico Quartò: *In Angelis reperiri libertatem eſſentialem; ſeu cum neceſſitate.* Ita ex Patribus, Auguſtino in Enchirid. cap. 73. ubi ait: *Liberam eſſe voluntatem, quâ ita volumus eſſe beati, ut non poſſimus eſſe miſeri.* Div. Bernardo c. 9. *Hujus bipartitæ ſimilitudinis ſapientiæ & potentiæ DEI* (probat hominem triplici libertate DEO aſſimilari) *non quidem in gradu ſummo, ſed qui ipſi tamen eſſet proximior, homo conditus eſt in paradiſo. Quid enim viciniùs ad non poſſe peccare, vel turbari (in quo utique jam Sanctos & Angelos ſtare & DEUM ſemper eſſe dubium non eſt) quàm poſſe & non peccare & non turbari.* Adde D. Anſelmum de lib. arbitr. c. 1. dicentem: *Eum eſſe liberiorem, qui malum velle nequit.*

VII. Liber eſt reſpectu cujuscunque boni. Dico Quintò: *Angelica voluntas libera eſt quoad exercitium reſpectu omnium bonorum creatorum, & etiam reſpectu ipſiusmet ſummi boni increati.* Colligitur ex Scoto pluribus in locis & ſignanter quodl. 16. & 17. Probatur prima pars: Tùm, Quia experimur nos ceſſare ab amore cujuscunque objecti creati; non tantùm ceſſante ejus conſideratione, ſed etiam perſeverante: Tùm, Quia nullum creatum bonum oſtenditur pro nunc, circa cujus amorem intellectus non poſſit invenire aliquam rationem mali, nempè moleſtiæ vel defatigationis, & ſic voluntas ab eo poteſt abſtinere; & eſto talis non appareret, adhuc voluntas pro libitu ſuo poteſt actum ſuſpendere.

Probatur ſecunda pars Primò: Divina voluntas ideò ſummum bonum neceſſariò & ſimpliciter diligit; quia per ſe recta eſt, nequiens ullátenus à ſe recta regula diſcedere; cùm ſit ipſa regula recta & rectitudo; ſed voluntas angelica non eſt ſic per ſe recta, cùm ſolùm participet rectitudinem divinam habens neceſſariò regulam ſuperioris, à qua poteſt liberè recedere, vel volendo, vel ſaltem actum ſuſpendendo.

Probatur Secundò: Quia intellectus potentia naturalis circa objectum ſuum adæquatum naturaliter operatur, voluntas verò econtra eſt potentia libera tendens liberè ad bonum in commune, ergò etiam liberè ſub hâc ratione ad bonum increatum. Confirmatur: Quia hoc eſt conformius naturæ libertatis, & perfecto dominio ſuorum actuum. Concluſio hæc eſt vera quoad hanc partem, eſto quòd admitteretur eam ſemper debere habere aliquem actum ſub disjunctione: Tùm, Quia nihil ipſos cogit ad talem dilectionem, cùm infinita DEI bonitas Angelis viatoribus (de his eſt potior ſermo) non ſit clarè viſa: Tùm, Quia non ſemper neceſſariò cogitant de DEO. Sed

Arguitur in contrarium; Convenientius eſt angelicæ naturæ, quòd in operatione ſua nec laxetur, nec defatigetur, ergò non erit libera quoad exercitium. Confirmatur: Quia voluntas non poteſt ſuſpendere quemcunque actum intellectûs, confuſum, ergò nec quemcunque proprium. Reſpondetur: diſt. antec: convenientius eſt angelicæ naturæ &c. in ordine ad potentiam neceſſariam, & reſpectu entis naturalis, concedo antec: reſpectu potentiæ liberæ, neg. antec: & conſequ: Huic enim eſt perfectius poſſe agere, & non agere, quàm oppoſitum. Ad Confirmationem Reſpond. Quòd quemadmodum voluntas poteſt ſuſpendere omnem aliam (primâ exceptâ) cognitionem ſub disjunctione, quantum ad productionem, continuationem, intenſionem & converſionem

sionem ad hoc, vel illud objectum, ita etiam voluntas potest, nam sicut dicit D. Augustinus 11. Trinit. cap. 3. & 13. cap. 27. *Intelligimus cùm volumus.*

Instatur: Si esset aliquis actus volendi, in quo non esset ulla ratio mali, nec in ejus carentia appareret aliqua ratio boni, voluntas non posset ab eo cessare, ergò. Respond. distin: antec: Non posset ab eo cessare tendendo in eum ratione aliqua opposita, concedo: per puram omissionem, nego.

Urgetur: Angelus nunquam cessavit ab actu secundo, ergò verisimilius est non posse. Respond. antecedens non esse adeò per se notum, & transeat, consequens est absolutè falsum; cœli enim nunquam cessaverunt à motu, ergò non possunt? Cœtera, quæ de voluntate angelica dici debent, inferiùs expediam agendo de gratia, merito, peccato, missionibus &c. pro nunc sufficiant ista. Sit igitur pro reditu ad intellectum.

DISPUTATIO QUARTA.

DE Speciebus, & Medio Cognitionis angelicæ.

MEdium angelicæ cognitionis voco rem illam, qua mediante, seu qua accidente completur efficacia intellectûs angelici ad cognitionem, potestq; considerari duplex, unum tenens se ex parte potentiæ, alterum ex parte objecti, prioris generis sunt habitus, posterioris species impressæ; de primo difficultas nulla est, certum enim est, intellectum Angeli indigere hujusmodi medio, ad claram DEI visionem, non specie, sicut animæ beatorum, item ad cognitionem fidei infusæ, vel saltem indiget auxilio actuali supplente talem habitûs defectum. Habitus autem scientifici à speciebus impressis distincti, veluti superflui in intellectu angelico non dantur, utpotè qui ex se satis expeditus est, & ad objecta cognoscenda satis inclinatus. De altero quod se tenet ex parte objecti eximia est difficultas, & tale medium vel est ipsa substantia & essentia Angeli, vel species impressæ. Tales autem species esse necessarias, abundè docui in Philosophia p. 4. disp. 8. q. 6. Et easdem astruit S. Augustinus lib. 12. Gen. 1. litt. c. 6. ubi ait: *Homo, vel arbor, vel sol, & quæcunque alia corpora, sive cœlestia, sive terrestria, & præsentia videntur in suis formis & absen-*

Ad visionem indigent habitu, non verò habitibus scientificis.

Digitized by Google

& absentia cogitantur imaginibus animo impressis, & faciunt duo genera visorum, unum per corporis sensus, alterum per spiritum, quo illa imagines continentur. Item lib. 12. civit. cap. 7. ubi dicit: *Cùm acies etiam oculi corporalis currit per species corporales, nusquam tenebras videt, nisi ubi cœperit non videre. Ita etiam non ad aliquem alium sensum, sed ad solas aures pertinet sentire silentium: quod tamen nullo modo nisi non audiendo sentitur. Sic species intelligibiles mens quidem nostra intelligendo conspicit, sed ubi deficiunt, nesciendo condiscit.* Ubi non solùm species corporales in oculo, sed etiam intelligibiles in mente necessarias docet, ea consequenter in Angelis dari debent. De his in hac Disputatione erit agendum. Sit proindè

QUÆSTIO PRIMA.

An Essentia Angeli sit medium cognoscendi se, & alia?

I. Angelus cognoscit se. ANgelum sese cognoscere, res est indubitata, si enim hoc conceditur homini, cur Angelo denegaretur? Est autem intellectus Angeli, quâ se cognoscit, accidens ab eo distinctum, & non ipsa sua essentia, ut voluit Durandus: Tùm, Quia id docet expressè D. Augustinus lib. 11. Civit. cap. 12. ubi simplicitatem DEI distinguit ab anima, & consequenter ab Angelo per hoc, quòd ibi non sit aliud esse, & aliud habere dicens: *Propter hoc itaque natura dicitur simplex, cui non sit aliquid habere, quod vel possit amittere: vel aliud sit habens, aliud quod habet: sicut vas aliquem liquorem, aut corpus colorem, aut aër lucem sive fervorem, aut anima sapientiam: nihil enim horum est id, quod habet.* Et paulò pòst subjungit: *Anima quoque ipsa, etiam si semper sit sapiens: sicut erit, cùm à præsenti miseria liberabitur à miseria in æternum: quia licèt tunc sapiens sit in æternum, participatione tamen incommutabilis sapientiæ sapiens erit, quæ non est quod ipsa.* Plura ibidem habet, pulchra ad hanc rem: Tùm, Quia aliàs sequeretur, Angelum esse naturaliter beatum, beatus enim est per volitionem & visionem, ergò, si visio esset ipsius essentia, esset ipsi connaturalis sicut ipsa essentia: Tum, Quia sequeretur, quòd ejus intellectio penderet à solo DEO, veluti ab objecto, & sic nihil intelligeret nisi solum DEUM. Probatur sequela, quia essentia ejus à solo DEO dependet, ergò.

Hoc supposito sensus quæstionis est, an Angelus cognoscat se, & alia per suam propriam essentiam, ita quòd non indigeat aliqua specie, (hæc in rebus non sufficienter proportionatis, & potentiâ tantùm intelligibilibus necessarium est medium cognoscendi) ipsam & alia repræsentante, sed quòd ipsa essentia angelica immediatè uniatur intellectui angelico in ratione objecti seclusâ specie, sicut essentia divina unitur immediatè in ratione objecti intellectui divino. In hac materia docet primò Henricus, Angelum non cognoscere se immediatè per suam essentiam, sed per aliquem habitum, in quo omnia creata, & etiam ipsa essentia clarè relucet, ita quòd si talis habitus scientialis ab ipso tolleretur, amplius non posset à se, vel ab alia quacunq; removeri. Ita quodl. 5. q. 14. Mar[illegible]lius quoque 2. q. 7. a. 1. ait: Angelum non posse se immediatè II. Difficultas est quomodo.

Google

diatè per suam essentiam cognoscere, sed habere necessariam propriam naturæ angelicæ intelligibilem speciem. Verùm

III. Angelus ad cognoscendum se non indiget habitu.

Dico Primò: *Intellectus angelicus non indiget aliquo habitu tanquam modis ad cognoscendam suam essentiam.* Ita Doctor subtilis 2. d. 3. q. 8. contra Henricum. Probatur Primò: Quia intellectus humanus potest cum solo concursu phantasmatum & specierum intelligere omne intelligibile actu & proportionatum, ergò etiam angelicus suam essentiam actu intelligibilem ab omnimoda paritate, & à fortiori, quia omne, quod intellectivo imperfecto convenit, perfectiori magis perfecto modo competere debet, sed &c. ergò.

Probatur Secundò: Si Angelus non potest intelligere essentiam suam, nisi ut relucens in tali habitu, vel quia non est huic intellectui intelligibile, nisi ut sic relucens, vel quia requiritur præsentia objecti per informationem, neutro modo obstat, ergò: Non primo: Quia tunc DEUS non posset illa cognoscere, nisi per, vel in habitu, nihil enim cognoscit, nisi quod est cognoscibile: nec secundò, Quia huic intellectui est maximè proportionata, nihil enim magis proportionatum sibi, quàm res ipsamet. Nec denique tertiò, Quia non requiritur præsentia per informationem, ut aliquid sit intelligibile, quia alioquin DEUS non cognosceret essentiam suam.

Dices pro Henrico: Neutrum modorum illorum esse, sed quia intellectus angelicus non potest intelligere aliquam essentiam ut singularem, sed ut abstractam à conditionibus individualibus, unde quia essentia Angeli, ut in se existens, est singularis, ut verò relucet in habitu, repræsentatur universalis, ideò talis habitus est necessarius, ut Angelus se cognoscat. Sed contra: Hinc sequeretur, quod DEUS non posset seipsum intelligere, quia est singularissimus. Nec impedit limitatio, quia tunc quidditas Angeli non esset per se ab ipso DEO intelligibilis: Nec est ibi materialitas, nec aliqua alia conditio impediens, ergò.

I Ange cogn se per essent

Dico Secundò: *Angelus immediatè seipsum cognoscit intuitivè per suam essentiam, tanquam per conprincipium objectivè motivum sui intellectûs ad efficiendam partialiter sui notitiam.* Probatur Primò Authoritate S. Augustini lib. 11. de Civit. cap. 29. ubi dicit: *Illi quippè Angeli sancti. - - - - Ipsam quoque creaturam melius ibi, hoc est, in sapientia DEI tanquam in arte, quâ facta est, quàm in ea ipsa sciunt: ac per hoc & seipsos ibi melius quàm in seipsis. Verumtamen & in seipsis, NB. Facti sunt enim, & aliud sunt, quàm ille, qui fecit. Ibi ergò tanquam in cognitione diurnâ, in seipsis autem tanquam in vespertinâ, sicut suprà jam diximus.* Et lib. 4. Genes. litt. c. 33. ubi dicit: *Continuò pòst Verbum DEI facta est lux, adhæsitq; creanti luci lux creata, videns illam & se in illa, id est, rationem, qua facta est. Vidit etiam se in se, id est, distante quod factum est ab eo, qui fecit.*

Probatur Secundò: Argumento desumpto ex D. Augustino 2. Trinit. ubi dicit cap. 2. *Ex visibili & vidente gignitur cognitio.* Ex quo sic argumentor: Omnis causa partialis actu existens activa in suo ordine, si fuerit debitè conjuncta alteri concausæ, absque alio medio producit effectum sibi commensuratum, sed essentia Angeli est in se actu intelligibilis, debitè præsens objectivè proprio intellectui, non minus, imò magis, quàm visibile videnti, ergò sicut ex istis, Augustino teste, gignitur visio, ita absque alio medio gignetur intellectio ex essentia Angeli, & ejus intellectu. Imò lib. 9. Trinit. 12. expressè docet conclusionem, ait enim: *Mens, cùm seipsam cognoscit, sola parens est notitiæ suæ, & cognitum enim, & cognitor ipsa est.*

Probatur Tertiò: Quidquid potest causari ab aliquo secundùm quid tale, potest etiam causari ab illo, quod est simpliciter tale, si utrumq; est conveniens actioni, sed essentia

Ange-

Digitized by Google

Angeli, ut in specie existens, est secundùm quid tale tantùm, & potest causare in intellectu angelico cognitionem, ergò magis ipsa essentia: major patet, & minor quoad secundam partem est Adversariorum. Probatur proindè quoad primam: Angelus in specie intelligibili habet esse diminutum non secus ac quodcunque objectum aliud, quia solummodò in similitudine & repræsentabilitate, quæ causatur in virtute objecti, ergò.

Dices: Hinc sequeretur, quòd res materiales sine specie sensibili & intelligibili possint causare cognitionem, quod tamen pro inconvenienti habetur; sequela autem probatur, quia res sensibilis in se præsens, est simpliciter talis, & in specie tantùm, secundùm quid talis, ergò. Respond. negando sequelam, cujus probationis antec. distin. est simpliciter talis & actu intelligibilis, ut talis, nego antec: ut simpliciter talis, & potentiâ tantùm intelligibilis, concedo antec: & nego conseq: quia ad hoc, ut aliquid sit intelligibile, non sufficit, quòd sit præsens in entitate simpliciter tali, sed in entitate proportionata, ens autem sensibile & materiale non est proportionatum ad intellectionem de se simpliciter, sed solummodò per speciem, ergò.

Instabis: Essentia Angeli etiam non sufficit, licèt sit actualiter præsens, ut intelligatur, ergò: Probatur antec: quia nihil est alteri ratio operandi immanenter, nisi informet aliquo modo illud, sed Angeli essentia, licèt sit præsens, non informat intellectum angeli, ergò. Respond. neg. antec. cum maj: suæ probationis, quia quòd species primò infirment aliquomodo potentiam intellectivam, per accidens est, de se enim id nullatenus requiritur, quia alioquin DEUS non posset seipsum intelligere per suam essentiam, nec beati possent immediatè absq; specie videre DEUM, quorum utrumq; falsum est. Deindè objectum est causa partialis suæ cognitionis cum intellectu, sed nulla causa partialis ex propria ratione est alterius forma, & perfectio, cùm quælibet absque alia habeat suam propriam activitatem, quòd autem species informent, est, quia accidentia sunt subjectum desiderantia.

Probatur Conclusio Tertiò: Species impressæ essentiæ Angeli potest esse ratio intelligendi ipsum intellectui alterius Angeli, ergò etiam ipsa essentia, probatur conseq: quia species est ratio cognoscendi objectum non ex se sola, sed ex virtute objecti, à quo causatur, ergò multò melius poterit objectum per se, si sit proportionatum intellectui, uti est essentia Angeli, nihil enim obstat, ut ex superioribus patet, nam, quòd per se existentia non obstet, patet: Tùm, Quia DEUS est magis per se existens quàm Angelus, & tamen intelligit seipsum, & cognoscitur à beatis: Tùm, Quia jam ante refutavi, necessariam non esse inhærentiam, cùm hoc speciebus tantùm accidat. Sed in contrarium

Opponitur Authoritas Aristotelis 3. de anima text. 8. ubi dicit: *Animam intelligere se, sicut alia à se*, ergò etiam Angelus à paritate rationis & naturæ: Subsumo, sed anima alia à se cognoscit per species, ergò etiam se, & consequenter etiam Angelus cognoscet se per speciem. Deindè eodem lib. 3. text. 71. dicit: *Oportere oculum esse extra omnem colorem, ad hoc, ut omnem colorem possit percipere*, ergò etiam essentia Angeli debet esse extra intellectum Angeli, ad hoc ut possit eam cognoscere, sicut etiam extra debet esse ratio cognoscendi, qualiter tamen non est essentia Angeli, ergò. Respondetur Primò per oppositionem alterius authoritatis, nempè Div. Augustini, qui frequenter dicit, quòd anima se semper noscat, id est, semper de se habet omnia principia in actu primo ad se cognoscendum, quamvis quoad actum secundùm impediatur. Ita lib. 14. de Trinit. c. 4. ubi dicit: *Nihil enim tàm novit mens, quàm id quod*

sibi præstò est : nec menti magis quicquam præstò est, quàm ipsa sibi. Et alia satis, quantum visum est, adhibuimus documenta, quibus hoc certissimè probaremus. Et cap. 5. *Tanta est tamen cogitationis vis, ut nec ipsa mens quodammodò se in conspectu suo ponat, nisi quando se cogitat : ac per hoc ita nihil in conspectu mentis est, nisi undè cogitatur, ut nec ipsa mens, qua cogitatur, quicquid cogitatur, aliter possit esse in conspectu suo, nisi seipsam cogitando. Quomodo autem quando se non cogitat in conspectu suo non sit, cùm sine se ipsa nunquam esse possit, quasi aliud sit ipsa, aliud conspectus ejus, invenire non possum.* Respondetur Secundò negando consequ: vel distin: antec: Anima intelligit se, sicut alia pro hoc statu, concedo antec: pro statu separationis, nego antec: & conseq: pro illo enim tam benè se cognoscit sine specie, sicut de facto dicimus de Angelo, quare autem pro isto statu non cognoscat se sine specie, est primò dependentia ejus à phantasmatibus, ita quòd de facto non moveatur, nisi ab aliquo imaginabili & sensibili. Secundò subordinatio potentiarum exteriorum ad sensitivam, & hujus ad intellectivam. Ad secundam authoritatem respondetur negando consequ: disparitas est, quia intellectus angelicus est potentia inorganica, Philosophus autem loquitur de potentia organica, hæc autem restringitur ad certum genus objecti, certamque ejus dispositionem, non sic potentia intellectiva, quæ versatur circa totum genus entis: Quare benè Philosophus dixit, oculum debere esse extra omnem colorem, quia si aliquis color in ipso esset, vitiaretur oculus, & non posset videre, nisi eo modo, quali colore infectus esset, v. g. albô, si albedinem haberet.

Arguitur ex ratione : Si Angelus se cognosceret per suam essentiam, sequeretur talem intellectionem identificari debere essentiæ, & intellectui, sed &c. ergò. Probatur sequela : Illa intellectio esset media inter essentiam & intellectum, sed si extrema identificantur sibi, magis illud, quod est medium, ergò. Respond. neg. sequelam, cujus probationis maj: distin: est media in essendo & entitate, neg. maj: in genere intelligibilium, & in ratione intentionali, conc: maj: & distin: similiter min: nego consequ: quia secundùm suum esse, & entitativè intellectio non est medium, sed extremum, quia est effectus communis utrique, ab ambobus productus.

Dices : Intellectio non habet distinctionem, nisi ab objecto & potentia, ergò, cùm utraque sit idem realiter, etiam intellectio erit eadem cum ipsis. Respond. distin: maj: habet distinctionem ab objecto & potentia intrinsecè, & à priori, neg: maj: extinsecè, & à posteriori, conc: maj: itaque intellectio Angeli distinguitur formaliter per se ipsam, sicut quicunque effectus à sua causa, extrinsecè verò per ordinem ad alia objecta.

Dico Tertiò : *Angelus potest etiam se abstractivè cognoscere per speciem, quæ de facto probabiliter in Angelo reperitur impressa à sua propria substantia.* 7. Probatur prima pars: Angelus est abstractivè cognoscibilis, & si ab alio, ergò etiam à seipso, cùm non sit major ratio de uno, ac altero; quòd si dicas, esse rationem, quia videlicet alter eum non cognoscet semper intuitivè, adeoque abstractivè potest, sed hoc nihil est dicere, quia non est necesse, quòd se semper intuitivè cognoscat, & posito, quòd se intuitivè non cognosceret, tunc posset se cognoscere abstractivè.

Dices : Intellectus Angelicus non potest cognoscere essentiam suam, quin cognoscat existentiam, ergò si seipsum cognoscit, hæc cognitio erit intuitiva & non abstractiva, quia ad rem præsentem & existentem, nempè ad essentiam Angeli terminatur. Respond. Primò : neg. antec: Quia hoc ex nullo capite probatur, non ex identificatione, nam animalitas est identificata rationalitati,

tati, & tamen, quando cognitio terminatur ad animalitatem, non propterea terminatur ad rationalitatem, ſic eſt in propoſito. Reſpond. Secundò: neg: conſequ: licèt Angelus cognoſceret naturam ſuam, ut exiſtentem, tamen poteſt illam cognoſcere, ut à ſe diſtantem, ſicut ego per phantaſma Petri abſentis video eſſentiam Petri exiſtentis, ſed non mihi præſentis, & eſt cognitio abſtractiva, ſic Angelus poteſt habere ſpeciem ſui ipſius, per quam ſe ipſum tanquam abſentem intelligat etiam exiſtentem, quia cognitio intuitiva eſt rei exiſtentis, & præſentis ut talis.

Probatur ſecunda pars primò: Subſtantia Angeli apta eſt imprimere propriam ſpeciem intellectui alterius Angeli, cùm illi fuerit debitè præſens, ergò etiam in intellectu proprio, cùm ſit ejuſdem rationis; Probatur conſequ: quia ſi reperitur propria ſpecies in intellectu alterius, non eſt ratio, cur denegetur proprio. Secundò: Activo & paſſivo naturali totaliter adæquatè approximatis, ſi nullum adſit impedimentum, neceſſariò ſequitur actio; ſed ſubſtantia Angeli eſt principium naturaliter cauſativum ſpeciei propriæ in intellectu creato cujuscunque alterius, veluti in ſubjecto idoneo naturaliter receptivo, ergò exiſtens ſic conjuncta proprio intellectui etiam imprimet ei ſui ſpeciem. Sed

Arguitur in contrarium: Sicut natura non deeſt in neceſſariis, ita non eſt diſtributrix in ſuperfluis, ſed hujusmodi ſpecies eſt ſuperflua in Angelis, cum per eſſentiam ſuam poſſit omnia cognoſcere, ergò. Reſpond. Primò, retorquendo argumentum, natura nullibi dat potentiam, quæ ſit ſuperflua, quæque non poſſit habere ſuum effectum, ſed natura dedit potentiam eſſentiæ Angeli ad producendam ſpeciem, ergò ubicunque erit, poterit eam producere, ſic etenim dicimus, quòd Angeli non debeant habere ſpecies omnium rerum infuſas, quia poſſunt naturaliter eas acquirere. Reſpond. Secundò: neg. min. Quia talis ſpecies deſervit ad habendam cognitionem abſtractivam, ſi Angelus non cognoſceret ſe intuitivè.

Inſtatur: Angelus ſemper ſe cognoſcit intuitivè, ergò nunquam eſt neceſſe ſe cognoſcere abſtractivè; quia præſente cognitione perfecta fruſtrà adeſt imperfecta. Reſpond: neg. conſequ: ad probationem dico, quamvis intuitiva ſit perfectior quàm abſtractiva, hæc tamen non eſt imperfecta, adeóque non erit gratis & ſuperflua, imò ad majorem perfectionem Angeli, quòd ſe pluribus cognitionibus diverſis poſſit cognoſcere; deindè per accidens tantùm eſſet, quòd non ſemper, aut raròexiret in actum, ſatis enim eſt, quòd exire poſſit.

Dico Quartò: *Angelus per ſuam eſſentiam nec intuitivè, nec abſtractivè, diſtinctè & propriè alia à ſe cognoſcit.* Ita Doctor 2. d. 3. qu. 10. Probatur Primò: Nulla res creata continet alia à ſe in eſſe reali, & cognito, inſtar naturæ divinæ ob ejus limitationem; ergò nihil poteſt Angelus diſtinctè & propriè, abſtractivè vel intuitivè cognoſcere per ſuam eſſentiam. VI. Non cognoſcit per ſuam eſſentiam alia.

Probatur Secundò: Propria eſſentia Angeli non eſt ratio cognoſcendi alia tanquam ſpecies impreſſa, cùm hæc ſit imago rei ab ipſa re impreſſa & producta, vel à DEO cauſata, nec etiam eſt ratio cognoſcendi, ut medium cognitum, cùm nec eſſentialiter; nec eminenter, nec virtualiter contineat entitatem & intelligibilitatem aliorum, ergò nullo modo Angelus per ſuam eſſentiam alia ſe cognoſcit. Verumtamen ſpecialiter examinandum eſt, an non DEUM ipſum per ſuam eſſentiam cognoſcat, pro quo ſit:

QUÆSTIO SECUNDA.

An Angelus cognoscat Essentiam divinam per suam substantiam, an verò per speciem?

I. Duplex est sententia. IN hac quæstione duplex est sententia, prima D. Thomæ 1. p. q. 56. ar. 3. docentis: Angelum habere cognitionem distinctam Essentiæ divinæ (de confusa non est difficultas, ut mox videbitur) non quidem per aliquam speciem intelligibilem ipsius Essentiæ aliam ab essentia Angeli, sed per suam propriam essentiam, tanquam per medium cognitum, & tanquam per rationem formalem cognoscendi, veluti speciem intelligibilem repræsentantem DEUM, cujus vicem ipsa Essentia Angeli gerit, cùm alia talis species sit impossibilis, quòd autem gerere possit hujusmodi vices essentia Angeli, est, quia ipsa est imago repræsentans distinctè. Scotus econtra hic q. 9. negat, Angelum posse habere cognitionem distinctam per essentiam Angeli, tanquam per rationem formalem cognoscendi, sed Angelum habere talem cognitionem naturalem distinctam per speciem intelligibilem, possibilem, à DEO ipsis in prima creatione infusam, quam, licet non necessariò sequatur naturam, naturalem vocat, distinguendo contra merè supernaturalia gratiæ & gloriæ, undè cognitionem illam, quæ mediante hac specie, elicitur, ait, posse dici naturalem, & ad naturalem cognitionem pertinere, quamvis etiam aliquo modo possit vocari non naturalis, naturalis quidem, in quantum species non est principium alicujus actûs gratuiti & gloriosi: Non naturalis autem, quia ad istam non pertingeret ex naturalibus, neque naturali aliqua actione.

II. Angelus est naturalis imago Dei. Notandum ulteriùs: Doctorem subtilem concedere, Angelum esse naturalem imaginem DEI, sed negare, esse rationem cognoscendi distinctè divinam Essentiam, duplex enim est imago, alia merè naturalis in essendo, medium cognoscendi cognitum; alia intentionalis per se primò & præcisè repræsentativa ratio cognoscendi non cognita, estque species ad cognoscendum DEUM distinctè, non quidem intuitivè, sed abstractivè: hinc dupliciter unum per aliud cognoscitur, primò quoad præcognitionem, *an sit?* Secundò, quoad præcognitionem *quid est?* Utroque modo potest iterum dupliciter contingere, *distinctè* & *confusè*. *Confusè* cognoscitur unum per aliud quoad *an sit?* Si cognoscens existentiam unius ducitur arguitivè ad existentiam alterius, sicut cognoscens fumum, cognoscit confusè ignem, quia fumus potest habere aliam causam sui esse, *Distinctè*, quando cognitis existentiæ certò ducit in cognitionem alterius, sic per effectum in determinata causâ certè ducimur in cognitionem illius. *Confusè* cognoscitur aliud quoad *quid est?* cùm per illud attingitur quoad prædicata communia, sic substantiæ quidditativè per sensibilia cognoscuntur. *Distinctè*, quoad prædicata propria; in præsenti quæstione non est difficultas de cognitione quoad præcognitionem *si est?* quia hoc nemo negat, sed de quidditativa, seu *quid est?*

III. Species tripliciter adæquatur suo objecto. Notandum ex eodem Doctore subtili 3. Tripliciter posse aliquam speciem adæquari suo objecto repræsentato, Primò in entitate; Secundò secundùm proportionem repræsentantis, & repræsentati absolutè, ita quòd repræsentat objectum, quantum est repræsentabile simpliciter. Tertio modo non absolutè, sed per comparationem ad actum talem, sicuti materia dicitur adæquari formæ, & forma materiæ, quæ tamen non est adæquata in entitate, utpotè cùm illa sit imperfectior formâ; nec etiam forma est adæquata ipsi secundùm capacitatem materiæ, cùm aliarum plurium sit capax, dicitur ergò ei adæquata in comparatione ad talem actum, quòd videlicet tantum perficiat

ficiat forma materiam, quantum est ipsa perfectiva, & ista perfectibilis. Hinc nulla species est adæquata, quia nihil adæquatum alteri in entitate repræsentat illud, nisi sit cognitum, ut una albedo adæquata alteri albedini non repræsentat illam, nisi ut cognita. Secundo modo datur aliqua species repræsentans adæquatè objectum, ut species albi in oculo sano, & talis species est quasi ratio comprehendendi objectum. Tertio modo datur etiam aliqua species repræsentans objectum adæquatè, non simpliciter, sed in comparatione ad talem actum, ut species albi in oculo malè affecto; illa species dicitur adæquata objectio, non simpliciter, quia non repræsentat illud, quantum est repræsentabile, sed est adæquata secundùm actum illum, quia repræsentat illud, in quantum est repræsentabile, in ordine ad talem potentiam malè affectam, & sic est ei adæquata, veluti forma appetitui materiæ, ejusque actuatio. Et sic dicit Scotus, quòd nec primo, nec secundo modo detur species repræsentans Essentiam divinam, sed benè tertio modo. Quare his prænotatis

IV. Angelus per suam essentiam cognitam potest devenire in cognitionem DEI.

Dico Primò: *Angelus per suam essentiam tanquam per medium cognitum potest devenire in cognitionem unius veri DEI, veruntamen per eandem nec à priori vel posteriori concurrentibus quibuscunque causis naturalibus cognoscere DEUM esse trinum.* Probatur prima pars: Quia per existentiam effectûs cognoscitur, saltem confusè, suæ causæ existentia, sed essentia angelica est perfectus effectus DEI, ergò Angelus ex cognitione essentiæ suæ poterit discurrendo devenire in cognitionem DEI sub confuso saltem conceptu causæ primæ, Entis optimi, perfectissimi &c. juxta illud D. Pauli ad Rom. 1. *Invisibilia DEI per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* Probatur secunda pars: Principium producendi creaturas non est aliquid proprium uni, vel alteri personæ, sed communi toti Trinitati, nimirum omnipotentiæ, ergò discurrendo à creaturis non haberet Angelus, unde cognosceret tres divinas personas.

Arguitur in contra: Essentia Angeli est imago DEI ab ipso DEO immediatè producta, sed imago repræsentat prototypon sicuti est, ergò essentia Angeli est sufficiens ratio cognoscendi distinctè Essentiam divinam. Respond. Primò: Si valeret hoc argumentum, probaret, quòd essentia unius Angeli esset ratio repræsentandi alium Angelum, cùm essentia Angeli multò plus assimiletur per omnia essentiæ alterius Angeli, quàm Essentiæ divinæ. Respond. Secundò: Quòd licèt in Angelo & anima rationali sit imago Sanctissimæ Trinitatis, non tamen sequitur, quòd ex cognitione suæ essentiæ cognoscat Angelus Trinitatem, quia licèt Angelus cognoscat naturaliter suam essentiam intuitivè secundùm esse absolutum, quod est in ea, non tamen secundùm omnem respectum, quem dicit præsertim ad personas, ejusmodi in proposito est ratio imaginis, quia est respectus ad ideatum vel prototypum, unde quamvis ego cognoscerem Abraham secundùm omne absolutum, quod est in ipso, non sequitur, quòd per hoc eum cognoscam ut Patrem Isaac, nisi cognoscam prius Isaac ab eo processisse, sic ergò Angelus, licèt cognoscat suam essentiam secundùm absolutum esse, quod est in ipso, non tamen secundùm omne relativum, nisi prius cognoscam terminum illius relationis, quare pulchrè S. Augustinus lib. 15. Trinit. cap. 24. dicit: *Qui vident suam mentem, quomodo videri potest, & in ea trinitatem istam, de qua multis modis, ut potui, disputavi, nec tamen eam credunt, vel intelligunt esse imaginem DEI: speculum quidem vident, sed usque adeò non vident per speculum eum, qui est per speculum nunc videndus, ut nec ipsum speculum, quod vident, sciant esse speculum, id est, imaginem. Quod si scirent, fortassis & eum, cujus est hoc speculum, per hoc quærendum, & per hoc utcunque interim vi-*

dendum esse sentirent, fide non ficta corda mundante, ut facie ad faciem possit videri, qui per speculum nunc videtur.

Instatur: Essentia Angeli magìs assimilatur DEO, quàm species aliqua impressa, cùm Angelus ad ipsam imaginem DEI sit factus, ergò si essentia Angeli non potest perfectè repræsentare Essentiam divinam, multò minùs species impressa. Respond. dist: anteced: in Essendo, & imitando Essentiam divinam concedo: in repræsentando, nego. Unde quamvis Angelus sit perfectior ratio cognoscendi cognita, quàm species, & per hoc, qui prius cognosceret Angelum perfectius discurrendo cognosceret DEUM, quàm ex prævia cognitione speciei, nihilominus species habet talem virtutem repræsentandi objectum absq; sui cognitione, esto non assimiletur in essendo DEO tàm perfectè ac Angelus, cujus exemplum est clarum in duobus ovis, nam certum est unum ovum album in essendo esse similius alteri quàm species ejusdem, & tamen unum ovum visum non repræsentabit mihi alterum, benè tamen species illius.

V. Angeli non cognoscunt DEUM per suam essentiam tanquam per rationem formalem.

Dico Secundò: *Angeli non cognoscunt DEUM sub propria & distincta ratione Deitatis per suam essentiam tanquam per medium & rationem formalem cognoscendi non cognitam.* Ita Scotus cum suis. Probatur Primò: Ex authoritate D. Augustini lib. 15. de Trinit. cap. paulò antè citat.

Probatur Secundò: Angeli non discurrunt secundùm Thomistas, sed si Angeli per suam essentiam cognoscerent DEUM, discurrunt, ergò non cognoscunt: Probatur min: Essentia Angeli non repræsentat DEUM, nisi ut cognita, sed quandocunque species repræsentat aliud, ut cognita repræsentat cum dicursu, per hoc enim differt ratio cognoscendi non cognita, à cognita, ergò: Probatur min: Quia si antecedenter non cognosceretur essentia Angeli, non repræsentaret DEUM.

Probatur Tertiò: Omnis discursus præsupponit notitiam simplicem illius, ad quod discurritur, ergò si per essentiam Angeli cognitam sit discursus ad cognoscendam Essentiam divinam, debebit prius habere notitiam aliquam simplicem Essentiæ divinæ, ergò: Probatur antec: quia si ego cognoscam animam meam esse imaginem DEI, quia est trina in potentiis, prius debeo habere cognitionem aliquam de DEO, quod sit trinus &c. alioquin nunquam potero pervenire ad cognitionem, quòd sit imago Trinitatis, ergò.

Dices: Essentiam Angeli non esse purè rationem cognoscendi DEUM, ut cognitam tantùm, sed etiam simùl rationem cognoscendi, sicut Essentia divina respectu omnium rerum simpliciter, adeoque non cognoscit DEUM per discursum, quòd autem Angeli essentia sit utroque modo ratio cognoscendi simùl, probatur ex perfectione & excellentia naturæ angelicæ. Sed Contra Primò implicat, quod essentia Angeli sit simùl ratio cognoscendi cognita, & non cognita, quia sunt simùl impossibiles, ergò: probatur antec: Quia quod est ratio repræsentandi absolutè, non cognoscitur à potentia cognoscente, sed tantùm objectum repræsentatum per ipsam, ut species coloris non cognoscitur à visu, sed color, species verò ut cognita præcisè repræsentat, quia cognita est, ergò implicat, quòd eadem species repræsentet ut cognita, & ut non cognita. Nec valet dicere, quòd hoc ei competat propter suam perfectionem, quia hæc repræsentatio non est in essentia Angeli eminenter, sed formaliter, adeoque se invicem compati non possunt. Et exemplum de Essentia divina non est ad propositum, quia Essentia divina continet res cognitas eminenter, undè continet omnes creaturas perfectiori modo, quàm in seipsis, at Essentia Angeli non continet hoc modo Essentiam divinam, sed ab ea continetur. Contra Secundò, Angelus

gelus debet cognoſcere prius rem alienam, ad cujus inſtar cognoſcit DEUM, antequam cognoſcat DEUM, ſed eſſentia Angeli eſt, ad cujus inſtar cognoſcit DEUM, ergò: ſubſumo, ſed illud, quod cognoſcitur prius, & ratione, cujus cognoſcitur aliud, eſt ratio cognoſcendi tantum, ut cognitum, ergò eſſentia Angeli eſt tantùm ratio cognoſcendi, ut cognita: Probatur maj: illa res eſt quid diſtinctum à DEO, & per ſe cognoſcibilis, & conſequenter nequit unâ cognitione cognoſci, quia non poteſt plures res ſimùl cognoſcere. Sed

Inſtabis: Species Scotiſtarum eſt etiam quid diſtinctum à DEO, & tamen poteſt ſimùl cognoſci uno actu, ergò. Sed Reſpond. diſtin: antec: eſt quid diſtinctum & prius per ſe cognoſcibile & ordinatum ad ſe prius cognoſcendum; nego antec: ordinatum primò, ad cognoſcendum aliud, conc: ant: & nego conſequ: itaque licèt ſpecies ſit quid aliud, eſt tamen tantùm ratio cognoſcendi, & licèt ſit etiam cognoſcibilis, quia ens eſt, attamen, ut repræſentat, non cognoſcitur, & ideò non intercedunt duo actus, ut patet de ſpecie viſibili in oculo.

Probatur Concluſio Quartò: Nullum objectum facit diſtinctam cognitionem alterius objecti, niſi illud includat in ſe, vel eſſentialiter, ſicut ſuperius ſuum inferius, vel virtualiter, ſed per eſſentiam Angeli DEUS ſecundùm Thomiſtas dicitur diſtinctè cognoſci, cùm ſit ſpecularis & nobilior confuſa, quam habemus ex aliis creaturis, ſed eſſentia Angeli non includit DEUM ullo modo ex prædictis, ergò, major patet: patet & minor quoad primam partem, probatur quoad ſecundam, quia unumquodq; ſicut ſe habet ad eſſe, ita ad cognoſci, ergò.

Dices: Angelum includere DEUM participativè, quod ſufficit. Contra Primò: Objectum non poteſt repræſentare rem, niſi eo modo, quo continet, quia nihil dat, quod non habet, ſed continere participativè, eſt continere diminutivè, & modo confuſo, ergò eſſentia Angeli per participativum ſuum non poterit diſtinctè repræſentare, nam ſic poſſemus etiam diſtinctè cognoſcere per formicam, & alias res creatas, & per omnes ſimùl, quàm per Angelum ſolum, cùm tamen Thomiſtæ velint, cognitionem Angelorum eſſe perfectiorem noſtrâ pro nunc. Contra Secundò: Continere participativè eſt continere tanquam effectus ab alio productus, ſed nullus effectus æquivocus, qualis eſt Angelus reſpectu DEI, repræſentat ſub propria & diſtincta ratione ſuam cauſam, ergò.

Probatur Quintò: Eſſentia Angeli non eſt naturalis, & formalis ſimilitudo DEI, ergò non eſt ratio cognoſcendi DEUM non cognita: Probatur antec: Tùm, Quia non eſt ad id expreſſa, & producta: Tùm, Quia aliàs etiam cœteris creaturis eſſet tribuendum, cùm non ſit potior ratio, ſed hoc aliis creaturis non conceditur, licèt enim dicatur, quòd in ipſis deprehendatur DEI veſtigium, non tamen, quòd aliqua formalis ſimilitudo, ergò.

Dices: Et licèt hoc etiam aliis creaturis competat, nemo tamen poteſt DEUM per alias ſive materiales, ſive ſpirituales, ſive etiam angelicas cognoſcere, non ex defectu repræſentabilitatis, ſed quia nulla alia ſubſtantia unita eſt intellectui, ut principium formale intellectionis. Sed Contra, Ipſa unio ſubſtantiæ ad intellectum nihil facit, quod poſſit repræſentare DEUM, ſi alioquin non poteſt, & ſi alioquin poteſt, nihil impedit, licèt non ſit unita, quia ſi eſſentia ipſa Angeli ſecundùm ſe & propriam ſuam naturam non eſt ſimilitudo, & ratio cognoſcendi non cognita per unionem non poterit acquirere: Tùm, Quia unio ipſa rationem ſimilitudinis, & ſpeciei ſupponit: Tùm, Quia non eſt tantæ virtutis & efficaciæ, ut rei, quæ alioquin non eſt ratio cognoſcendi, tribuere eam poſſit. Itaque

VI. Species impressa DEI est possibilis.

Dico Tertiò: *Possibilis est species impressa Essentiæ divinæ, quæ eam distinctè, licèt abstractivè repræsentet, per quam etiam ab initio creationis suæ DEUM cognoverunt naturaliter.* Ita Scotus supra, & Probatur Primò ex D. Augustino lib. 4. Genes. c. 22. 23. & 25. lib. 11. Civit. c. 7. & 25. & alibi sæpè, ubi dicit: Angelos habuisse ab initio creationis suæ cognitionem matutinam in Verbo, & vespertinam in proprio genere: Ex quo sic argumentor: Angeli in principio creationis suæ habuerunt cognitionem matutinam in Verbo, priusquam in seipsis vespertinam, sed illa cognitio non fuit beatifica, ergò fuit naturalis, & consequenter DEUM naturaliter cognoverũt in Verbo, id est, in specie distinctè Essentiam divinam repræsentante: Probatur min: quia illam cognitionem habuerunt, quandò per illas morulas suas erant in via, ergò non fuit beatifica, utpote quæ erat communis omnibus.

Dices: Per cognitionem matutinam D. Augustinum intelligere visionem beatificam, ut tenet ipse Scotus, & etiam sic suprà defensus fuit Div. Augustinus, ergò ex illo nihil probatur. Respondetur Scotum, & me suprà, probabiliter asserere Augustinum intellexisse visionem beatam, attamen conformius esse rationi, ut intelligatur naturalis aliqua, imò non rationi solùm conformius est, sed etiam menti S. Doctoris, nam lib. 83. qq. q. 26. & alibi docet, cognitionem matutinam omnium rerum, & etiam DEI, fuisse priorem vespertina in proprio genere, sed vespertina fuit naturalis, ergò & matutina, quia adhuc prior eâ, & beatifica est utraque posterior, utpotè quæ primò acquisita, & data fuit redeuntibus ex via in præmium, quare licèt Div. Augustinus aliquam cognitionem matutinam posuerit beatificam, tamen non ponit beatificam eam, qua contra distinguitur à vespertina in proprio genere naturali, quod ex eodem probatur; nam supra lib. 83. qq. qu. 24. dicit: *Quòd Angeli videntes res prius in Verbo, deindè in seipsis, iterum redierunt ad cognitionem illarum in Verbo, atque DEUM glorificârunt,* nam si, ett ratio ipsius, in cognitione illa sui ipsius, & creaturarum in se ipsis quievissent, & non retulissent in laudem DEI, superbiâ intumuissent, & peccassent, ut Diabolus, si autem fuisset beatifica, jam amplius non potuissent peccare, verba D. Augustini sunt hæc: *Non remanet angelica scientia eo, quod creatum est, quin hoc continuò referat ad laudem ejusdem, atque claritatem, in quo id non factum esse, sed faciendum fuisse cognoscitur, nam si vel ad seipsam natura angelica converteretur, &c. intumescens superbiâ caderet, sicut diabolus.*

Probatur Conclusio Secundò: Si species creata distinctè repræsentans Essentiam divinam, licèt abstractivè, esset impossibilis, maximè esset ideò, quia DEUS infinitus nequit adæquatè, & distinctè exprimi à creatura, sed non impedit, ergò: major est Adversariorum, probatur min: Si hoc impediret, sequeretur, quòd nec beati in patria possent DEUM distinctè videre, quia non potest ab aliqua creatura adæquatè exprimi, sed hoc est inconveniens, cùm ubique concedatur, beatos DEUM clarè visuros, maximè cùm perfectè & adæquatè satiabitur intellectus & voluntas eorum, ergò nihil obstabit infinitas, & quæso, qu... implicantia, quòd infinita res finito cognoscatur modo secundùm capacitatem potentiæ cognoscentis?

Probatur Tertiò: Major fuit beatitudo Angelorum naturalis, quàm hominis, etiam in statu innocentiæ, sed homo in statu innocentiæ potuit habere notitiam aliquam distinctam de DEO, ergò multò magis Angelus: Sed distincta cognitio DEI non potest haberi, nisi per speciem repræsentantem distinctè, ergò: major patet, quia homo etiam in statu naturæ lapsæ habuit de DEO aliquam cognitionem, licèt confusam, ergò.

Pro-

Probatur Quartò: Potest aliquis, secundùm probabilem sententiam multorum SS. Patrum, videre in hac vita Essentiam divinam ad aliquod instans, ut multi tenent de Moyse, Paulo, & Beatissima Virgine, sed talis transeunte actu potest recordari, se vidisse DEUM, ergò habebit speciem Essentiæ divinæ: Tùm, Quia alioquin non recordaretur, cùm recordatio sit specierum excitatio: Tùm, Quia aliàs nihil supplere potest vicem speciei. Dicere autem, quòd talis non recordaretur, est manifestam injuriam facere D. Paulo, qui testatur, se vidisse & audivisse arcana, quæ non licèt homini loqui. Nec valet respondere, ipsum vidisse multa arcana rerum naturalium, non tamen divinarum, quia si naturalia vidit, magis divina, cùm divina Essentia sit, & fuerit speculum omnia naturalia repræsentans, magisque seipsam, cùm illa quemcunque intellectum perfectissimè moveat. Nec valet etiam dicere, quòd viderit in confuso Essentiam divinam, quia videre in confuso, est videre sub terminis & conceptibus communibus, Paulus autem non vidit tantùm sub termino, & conceptu communi, sed sub particulari, adeoque per aliquam speciem.

Probatur Quintò: Quia in Angelis debemus ponere omnem intellectionem competentem intellectu creato sine repugnantia, quia de eo non possumus habere determinantem aliquam regulam, sed talis cognitio distincta per speciem non repugnat, ergò: Probatur min: Quia sola cognitio intuitiva naturaliter repugnat, non verò abstractiva, & licèt aliqui Theologi dicant, visionem beatam fieri per speciem, attamen hoc solùm non dicunt sufficere, sed etiam requirunt præsentiam Essentiæ divinæ sese manifestantis, hæc autem est abstractiva, & non ut præsentis Essentiæ divinæ, adeoque non implicabit. Sed in Contrarium

Arguitur Primò: Non est possibilis cognitio DEI intuitiva, connaturaliter loquendo, sed illa cognitio, quæ fieret per speciem, esset intuitiva, ergò implicat: Probatur min: Quia primò esset quidditativa, secundò esset objecti præsentis & existentis, quia existentia non est separabilis à quidditate, ergò. Respond. neg: min: Quia licèt illa cognitio esset distincta, non esset intuitiva, sed abstractiva, quia non esset cognitio DEI perfectissima, & adæquata omni modo: sed solum ad talem actum talis potentiæ, undè quando dicitur, quòd cognitio quidditativa sit intuitiva, intelligendum est de cognitione perfectissima & adæquata. Ad secundam probationem dico, verum esse quidditatem non esse distinctam ab existentia, attamen non sequitur, est quidditativa, ergò existentis ut existentis, & ut præsentis, quia DEUS omnibus rebus est quidem intimè præsens ratione immensitatis, & per respectum ad ubi, non verò est omnibus præsens in ratione objecti moventis, sed solùm iis, quibus, & quando vult. Dicere autem quòd absentia ut absentia non variat cognitionem, est tollere prima principia de cognitione intuitiva, & abstractiva in Scholis assignari solita.

Instatur: Sequeretur saltem, quòd aliquis naturaliter posset esse beatus, sed &c. ergò: probatur sequela, quia beatus est, qui habet distinctam divinæ Essentiæ notitiam & cognitionem, sicuti est, ut patet ex Joanne dicente: *Videbimus eum sicuti est:* sed talis haberet hujusmodi notitiam, ergò. Respond. neg: sequel. cum sua probatione: Quia ad beatitudinem non sufficit quæcunque notitia distincta abstractiva, sed requiritur intuitiva, clara, facialis & per præsentiam objecti, qualis non est, quæ fit per speciem repræsentantem, ut absens objectum, estque multò imperfectior, quàm sit intuitiva; quod declaro exemplo, qui videt imaginem Cæsaris, distinctè quidem cognoscit eum, sed non tàm perfectè sicut ille, qui videt ipsum Cæsarem, sic in propo-

sito, qui videt DEUM per speciem repræsentantem distinctè quoad aliquos conceptus proprios, non tamen ita perfectè & clarè, sicut qui videt ipsum in se, ergò.

Arguitur Secundò: Omnis ratio cognoscendi debet adæquatè proportionari objecto repræsentato, sed nulla species est proportionata, ergò non est possibilis, probatur min: Quia finiti ad infinitum nulla est proportio, ergò. Respond. distin: maj: debet proportionari quoad entitatem neg: majo: quoad repræsentabilitatem, conc: maj. Et hæc repræsentabilitas iterum non debet esse proportionata adæquatè & in omni ratione, sed quoad talem & talem actum, quem potentia potest elicere, ut dixi supra in notabili ultimo.

Instatur: Omnis species, etiam ad quemcunque actum proportionata, debet esse immaterialior suo objecto, sed nihil potest esse immaterialius DEO, ut de se patet, ergò: major patet ex omnibus speciebus sensibilibus & intelligibilibus, ergò. Respond: neg: maj: Quia aliàs etiam Angelus non posset cognoscere alium Angelum, aut animam, quia non posset habere speciem imaterialem ipsis, imò nec posset cognosci DEUS per essentiam Angeli, quia hæc est magis materialis quàm DEUS sit, quod tamen non vellent Adversarii. Quare probatio nihil est ad propositum, licèt enim species rerum materialium sint imaterialiores suis objectis, in speciebus tamen rerum spiritualium econtra possunt esse materialiores ipsis, non quòd ex materia constent, sed quòd in suo genere spiritualitatis non sint tàm perfectæ.

VII. Per speciem divinæ Essentiæ non cognoscũt creaturas.

Dico Quartò: *Impossibile esse per speciem divinæ Essentiæ creaturas cognosci ab Angelis distinctè in particulari, benè tamen confusè quoad prædicata communia, in quantum dirigunt actum cognoscendi per speciem divinæ Essentiæ ad creaturas existentes in proprio genere.* Ita videtur esse mens D. Augustini suprà agendo de cognitione matutina & vespertina Angelorum. Et Probatur prima pars: Quia nulla species creata distinctè repræsentat plures quidditates, quin omnes contineantur formaliter vel virtualiter in aliquo objecto adæquato illius, sed creaturæ omnes secundùm esse formale non continentur in divina Essentia, ergò &c. Probatur min: per speciem non repræsentantur objectivè præsentes in DEO in esse cognito, & volito, alioquin Angeli per illam speciem cognoscerent, quidquid DEUS cognoscit per scientiam simplicis intelligentiæ & visionis, quod tamen vix Christo conceditur; ergò. Confirmatur primò: Quia Scotus in quodl. 10. tenet, quòd per illam speciem vix cognoscant distinctè mysterium Trinitatis. Confirmatur Secundò: Quia de facto Beati non vident omnes res possibiles, sed tantum aliquas, quas DEUS eis voluerit revelare, ergò.

Probatur secunda pars: Per illam speciem tantùm DEUM, & fortè tres Personas noverunt distinctè, ergò creaturas tantùm confusè: Probatur consequ: Effectus in causis proximis determinatis vix distinctè cognoscitur in particulari; ergò in causa prima prorsus indeterminata ad omne possibile, sic cognosci nullatenus possunt, cognito enim igne tantum cognoscitur ex illo vagè alius ignis possibilis & non hic, vel ille signatè, quia effectus in suis causis tantùm habent esse virtuale, formaliter non aliquid sui.

Dices: Species subjecti est ratio cognoscendi distinctè affectionem illius, repræsentans enim hominem, distinctè etiam repræsentat risibilitatem, sed creaturæ per speciem Verbi cognoscuntur, ut proprietates divinæ omnipotentiæ, ergò cognoscuntur in Verbo distinctè, Respond. concedendo majorem secundùm esse virtuale, non verò secundùm esse actuale proprium & distinctum, nam cognoscitur quidem cognito homine risibilitas, sed non actus ridendi, sic in proposito.

Pro-

Probatur tertia pars Conclus. Quia non est talis perfectio intellectus angelici, ut intelligat sine discursu, ergò si aliter fieri nequit, satis probabile est, quòd cognitas creaturas in Verbo confusè, cognoscat eas distinctè in particulari in proprio genere, quando dirigit actum cognitionis ad illas existentes in proprio genere. Quod patet, quia nos sic videmus in speculo, dirigendo visionem ad res ipsas à tergo positas in speculo efficitur magis certa, ergò.

Dices: Cognitio creaturarum in Verbo præcedit cognitionem rerum in proprio genere; ergò malè dicitur, quòd cognitio distincta earum habeatur, dirigendo actum cognitionis ad res ipsas in proprio genere. Respond. Has duas cognitiones esse distinctæ rationis, ideò prius naturaliter ista, quàm illa poterit haberi. Sed

Instabis: Cognitio illa directa ad creaturas in proprio genere est judicativa, pertinens ad secundam mentis operationem, sed omnis talis supponit jam extrema simpliciter cognita, ergò non poterit actum dirigere, quin præcognoverit in Verbo simpliciter. Respond. minorem non esse necessariam, cùm experientia sit in oppositum in visu corporeo, experimur enim illas unico intuitu, quasi comparativè & judicativè res illas visas in speculo esse, illasmet existentes in proprio genere per directionem aspectûs ad utrumque.

QUÆSTIO TERTIA.

An Angeli egeant speciebus ad alias res creatas cognoscendas?

I. Sententiæ & opiniones de speciebus.

IN hac difficultate particularis est sententia Durandi, & post ipsum Gabrielis, Occami, Gregorii, &c. qui omnes negant in intellectu angelico dari aliquas species, unde volunt, quòd Angeli omne, quod est præsens, cognoscunt immediatè per ipsum objectum cognitum, quæ verò sunt absentia, cognoscantur per illa objecta cognita, tanquam per causas, in quibus contineri illa dicunt, & hoc modo distinguunt cognitionem abstractivam ab intuitiva. Contraria tamen sententia est communis in utraque schola realium, cum qua etiam tenebo. Interim

II. Angelus non indiget speciebus ad res creatas spirituales cognoscendas.

Dico Primò: *Angelus non indiget speciebus ad cognoscendas alias res spirituales sibi debitè approximatas.* Hæc est Scoti 2. d. 10. n. 16. Probatur: Tùm, Quia hujusmodi objecta adsunt, & sufficiunt, ut per se concurrant cum intellectu ad notitiam intuitivam: Tùm, Quia species ipsas intelligibiles cognoscit Angelus sine alia specie, nè detur processus in infinitum, ergò poterit etiam sine specie intelligere alteras res spirituales sibi satis ac debitè applicatas. Sed in contra

Arguitur Primò: Sequeretur, Angelum superiorem posse intelligere inferiorem, & econtra hunc posse intelligere illum, sed hoc nequit fieri, quia objectum natum concurrere cum potentia intellectiva ad sui cognitionem, debet esse æquè immateriale ac ipsa, sed inferior Angelus non est tàm immaterialis ac superior, ergò non potest concurrere ex se absque specie ad sui cognitionem eliciendam. Item objectum concurrens cum potentia ad intellectionem, non debet esse majoris immaterialitatis quàm potentia, sed superior Angelus est magis immaterialis quàm inferior, ergò nequit cum inferiori producere cognitionem. Respond. neg: min: cum utraque maj: utramque ejus partem probante, quia in nullo bono sensu potest capi immaterialitas, in quo omnes Angeli non sint æquè immateriales, & sicut æquè in rebus materialibus detur specifica diversitas & inæqualitas perfectionis, ita potest talis dari inter Angelos, licèt essent æquè spirituales & immateriales. Deindè sat lepidum esse videtur, speciem Angeli inferioris, quam Adversarii requirunt in Angelo supe-

riori ad hoc, ut cognoscat inferiorem esse spiritualiorem & immaterialiorem ipsomet Angelo inferiori.

Arguitur Secundò: Ut duæ causæ concurrant ad ejusdem effectûs productionẽ debent ita esse subordinatæ, ut una agente altera determinetur ad agendum, sed talis determinatio nequit esse inter duos Angelos, quia ante ipsammet determinationem nulla est inter illos subordinatio, nisi indistantiæ, hoc autem non sufficit, quia uterque est æquè indistans, ergò non est ratio, quare unus potius determinetur quàm alter. Respond. distin: majo: in causis physicis, transeat in intentionalibus, nego majo: Quia in his non requiritur alia subordinatio, quàm quòd istæ duæ naturæ sint determinatæ ad productionem effectus illius, sive naturaliter independenter à voluntate, sive dependenter à voluntate: talem autem haberent duo Angeli intimè applicati, & quidem si naturaliter sine dependentia determinarentur à voluntate, & si Angeli essent ejusdem perfectionis, alter alterum determinabit, & mutuò se intelligent: si verò unus sit perfectioris speciei fortè inferior determinabit superiorem, & non determinaretur à superiore nisi volente: Forte determinaretur etiam à superiore necessariò, quia non apparet, cur major perfectio hoc impediret, si verò determinaretur dependenter à voluntate sicut contingit in determinatione ad secreta cordis, & locutionem, tunc determinatio fieret ab eo, qui vellet, non autem ab eo, qui nollet, & si uterque vellet, fieret mutua determinatio, & uterq; loqueretur & intelligeret.

Arguitur Tertiò: Ut objectum cum intellectu causet intellectionem, debet esse unum cum ipso, & consequenter forma ipsius, sed hoc nequit fieri uni intellectui respectu alterius, ergò. Respond. neg. majo: si intelligatur de alia unitate ab ea, quam habent quæcunque causæ partiales; Imò in communi etiam Thomistarum sententia phantasmata concurrunt cum intellectu agente, licèt non faciant cum ipso unum in sensu objectionis, nec sint formæ ipsius.

Dico Secundò: *Angelus potest etiam cognoscere & intelligere objecta corporalia satis applicata sine specie.* Est Scoti cit. n. 19. ubi dicit: Angelum posse se, & quæcunque alia cognoscere intuitivè sine specie, posse etiam cum specie, scilicet abstractivè. Probatur, Quia non est recurrendum ad species, dum objectum principale adest, & sufficit, sed objectum materiale prorsus sufficit ad causandam suimet intuitionem, ergo. Min: probatur: Quia materialitas non obest, nam phantasmata materialia concurrunt ad productionem speciei impressæ intellectualis, si detur talis, si verò non detur, concurrit ad ipsasmet species expressas spirituales, ergò similiter discurrendum est de omnibus materialibus. III. Angelus potest objecta materialia cognoscere sine speciebus.

Dico Tertiò: *Ad cognoscenda objecta absentia, præterita, aliaque non existentia, aut non sufficienter præsentia distinctè & abstractivè Angelus necessariò debet habere species.* Hæc est communis Thomistarum & Scotistarum. Probatur Primò: Nulla potentia intellectiva creata potest intelligere rem aliquam, nisi sit præsens aliquo modo, sed Angeli cognoscunt res absentes in se, ergò per aliquid, ratione cujus sunt præsentes: major patet, Quia objectum potentiæ intellectivæ concurrit partialiter ad intellectionem productam in genere causæ efficientis, ut habetur ex D. Augustino 9. Trinit. c. 12. ubi ait: *Liquidò tenendum est, quòd omnis res quamcunque cognoscimus, congenerat in nobis notitiam sui, ab utroque enim notitia paritur, cognoscente & cognito*, sed certè omnis causa ut effectum congeneret, debet esse aliquo modo præsens, ergò: Probatur min: Quia hoc perfectionis est, & non debet denegari Angelis, cùm id concedatur hominibus, consequentia est proindè evidens, quia illud, ratione IV. Angeli indigent speciebus ad cognoscendas res absentes.

tione cujus sunt res præsentes, aliud non est, quàm species, ergò tales dari debent in Angelis.

Probatur Secundò: Contingere potest, ut Angelus *A* perfectè cognoscat essentiam Angeli *B*, qui se abscondat, fiatque absens Angelo *A*, imò, quem DEUS occultet vel annihilet, sed tunc Angelus *A* poterit recordari Angeli *B*, sed talis actus recordationis fieri non potest, nisi per speciem impressam, ergò illa datur in Angelis.

Dices: Angelum *A* recordari actûs præteritæ cognitionis per speciem expressam, non verò impressam, ergò hæc superfluit. Sed contra: in illo actu recordationis, quam dicitis speciem expressam, includitur objectum vel species ejus, ergò datur, quia species expressa non est nisi actualis intellectio recordationis, adeoque habere debet suam ordinariam concausam.

Arguitur: Si in intellectu angelico essent species, vel illas haberent à rebus, vel concreatas à DEO, sed neutro modo habere possunt, ergò nullo: Probatur min: quoad primam partem, quia in ipsis non est intellectus agens, sed hujus est producere species, ergò: non etiam habent à DEO, quia illæ vel essent à DEO infusæ, ut perfectiones debitæ naturæ angelicæ ab ipsa fluentes; vel indebitæ, non possunt dici indebitæ, quia aliàs Angelus posset carere illis absque violentia, sed hoc implicat, quia carendo illis careret intellectione absque violentia, qua tamen nunquam caret, ergò. Respond. Angelum habere species rerum utroque modo, & à rebus acquisitas, & à DEO infusas, acquisitas rerum particularium & singularium per intellectum agentem, quem frustra negant Angelis: Rerum verò universalium à DEO. Ad impugnationem hujus, distinguo primam disjunctivam: Essent illi naturæ ex parte sua debitæ, ita quòd sine illis non possit haberi cognitio abstractiva in ordine naturali, concedo. Essent illi debitæ, ita quòd sine illis non possit haberi cognitio ex parte causæ producentis, neg: majo: hoc enim modo non sunt debitæ simpliciter, quia Angeli ipsi possunt eas acquirere, sed solùm secundùm quid, in quantum excellentia naturæ exigere videtur, ut tot repleatur speciebus, quot eorum naturæ congruit.

QUÆSTIO QUARTA.

Unde habeant Angeli suas species, quibus mediantibus cognoscant objecta?

QUamvis tàm Thomistæ quàm Scotistæ admittant in Angelis species ad res absentes & improportionatas cognoscendas, nihilominùs differunt inter se de causa, à qua habent illas, nam Scotus hîc q. 10. ait: Quòd Angeli habeant & species infusas à DEO, & acquisitas à rebus & per utrasque intelligere res nempe per infusas rerum quidditates & naturas communes, per acquisitas singularia contenta sub communi, DEUS itaque secundùm ipsum concreavit species omnium quidditatum in Angelis, ita tamen, quòd si non essent concreatæ ipsis, possent adhuc sibi eas comparare à rebus, alioquin in eis intellectus agens esset otiosus, si non abstraheret species singularium à DEO revera non infusas, quia sub qualibet specie continentur singularia infinita possibilia, nec est credibile, has species singularium eis concreatas, cùm eorum intellectus sit valdè limitatus, & finitus. Div. Thomasècontra 1. p. q. 54. a. 4. & q. 55. a. 2. tenet, Angelos nullam à rebus acquirere cognitionem novam, nec singularium, nec universalium, & omnem cognitionem, quam habere potest, habet à principio creationis per species concreatas. Notandum autem, quòd sermo sit de cognitione abstractiva, & quando objecta non sunt actu, sed tantùm potentiâ intelligibilia. Quibus præmissis

II. Angelis in creatione fuerũt species concreatæ.

Dico Primò: *Angelis in principio creationis fuerunt concreatæ species quidditatum universalium, & etiam multarum rerum singularium.* Est etiam communis. Et Probatur Primò ex Scriptura, Ezechielis 28. ubi in Persona Regis Tyrii secundùm expositionem Patrum & Doctorum communiter de Lucifero dicitur: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientiâ & perfectus decore in deliciis Paradisi fuisti, perfectus in viis tuis in die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te*, sed plenitudo sapientiæ significat ad minus, eos habuisse species rerum universalium, ergò.

Dices: Ad plenitudinem Sapientiæ requiritur, ut habeat species etiam omnium singularium: Tùm, Quia sapientia & prudentia versatur circa singularia: Tùm, Quia aliàs fuisset in pluribus ignorans, ergò. Respond. neg. antec. Nam ut dicatur plenus sapientiâ, sufficit, quòd habeat species rerum universalium, & etiam multarum in particulari, licèt non omnium, sicut de justis etiam dicitur, quòd *DEUS repleverit eos Spiritu Sapientiæ & intellectûs*, licèt multa non noscant, non propterea tamen Angeli possunt, aut debent dici ignorantes, sufficit enim, quòd in actu primo ita sint perfecti, ut possint rerum particularium species acquirere viribus naturæ, nam ignorantia non ex qualibet carentia scientiæ dicitur, sed ex ea, quæ deberet inesse, imò nec ex hoc capite solo, sed ex tarditate & hebetudine ingenii quàm maximè ignorantia desumitur

Probatur Conclusio Secundò ex Patribus: Augustino lib. 4. Gen. ad litt. cap. 22. & 23. &c. dicente: Angelos habuisse cognitionem rerum Vespertinam in genere proprio statim à principio creationis, sed tunc non habuerunt ab ipsis rebus, utpote nondum existentibus, ergò à speciebus à DEO concreatis ipsis. D. Bernardo serm. 74. in Cantica dicente: *Quid enim hæc* (anima) *vel ille* (Angelus) *absque sapientia, nisi rudis deformisque materia est? Ea ergò ille non modò formatus, sed etiam formosus fuit, sed perdidit eam, cùm fecit suam*, id est, cùm sibi attribuit ex natura debitam, non ex gratia Creatoris, quapropter etiam dixit Augustinus suprà lib. 83. qq. quòd si boni non continuò ad gloriam DEI retulissent, superbiâ intumuissent, sicut Lucifer. Confirmatur ex authoritate Philosophi dicentis: *Omnis intelligentia plena est formis*, id est, speciebus.

Probatur Tertiò Ratione: Tùm, Quia Angelus mediat inter DEUM & homines, sed DEUS nihil intelligit per species, & homo omnia abstractivè per illas, ergò Angelus medians saltem res communes per species intelliget, nam sicut est medius in essendo, ita etiam operando. Tùm, Quia probabile est, quòd habuerint speciem Essentiæ divinæ repræsentantem distinctè naturam divinam, ergò probabilius habuisse species rerum communium, quia, sicut illa fuit necessaria ad implendum præceptum: *Diliges Dominum DEUM tuum*, ita etiam debuit habere species rerum creatarum, ut ex earum cognitione exurgeret in laudem DEI.

III. Datur in ipsis intellectus agens.

Dico Secundò: *In Angelis datur intellectus agens & patiens.* Ita Schola Scoti contra Thomistas. Probatur Conclusio quoad primam partem Primò: Potentia activa, quæ non involvit imperfectionem, sed potius perfectionem in aliqua creatura inferiori, non est neganda creaturæ superiori, sed intellectus agens in homine, est talis perfectio, ergò non est denegandus Angelo: major patet, probatur min. Est perfectio in qualibet natura habere in se principia ad acquirendam perfectionem suam, sed intellectus agens est principium, quo mediante homo potest acquirere suam perfectionem, nempè rerum cognitionem, ergò erit perfectionis in ipso, ergò etiam in Angelo, cùm per eum possit acquirere cognitionem universalium & singularium, si aliàs non haberet.

Dices:

Dices: Majorem esse veram, falsam autem minorem, quia intellectus agens non est perfectio simpliciter naturæ nostræ, sed perfectio supplens imperfectionem, quæ imperfectio, cùm in Angelis non sit, nec in ipsis admitti debet intellectus agens, quod patet exindè, quòd generatio sit in homine aliqua perfectio, non tamen poni debet in Angelis. Contra, omnis perfectio sive sit simpliciter talis, sive supplens imperfectionem, est in creatura superiori ponenda, si sine ea creatura superior esset imperfectior inferiori, sed si Angelus non posset accipere species à rebus singularibus, & proportionare sibi objecta materialia, Angelus esset imperfectior animâ rationali, ergò debet in ea poni, undè si Angelus esset perfectior generatione, & imperfectior ex carentia ejus, æquè deberet in ipso poni, verùm, quia de facto sine ea esset perfectior homine in incorruptibilitate, ob quam, in specie saltem vitanda, ponitur in homine, ideò generatio in ipso non est. Probatur min: impugnationis ponendo Angelum in suo esse naturali absque speciebus inditis, tunc natura humana posset acquirere species, Angelus non posset, ergò esset perfectior homo Angelo, quia illa est perfectior natura, quæ habet principia intrinseca ad acquirendas perfectiones sibi convenientes, & altera non habet. Contra Secundò: Quia falsa sunt principia, quibus innititur responsio, videlicet Angelum ideò carere imperfectione, quam supplet in nobis intellectus agens, primò, quòd intellectus angelicus sit semper in actu; secundò, quia habet suas perfectiones ex natura sua coævas: sunt, inquam, hæc principia falsa, nam si intellectus angelicus esset semper in actu, esset actus purus sicut Deus, quod est inconvenientissimum asserere, ergò; sequela tamen probatur: Quia intellectus tunc est in actu puro, quando non habet annexam potentiam, nec respectu objecti, nec respectu intellectionis, sed semper est in actu, sed &c. ergò, si autem dicas, intellectum angelicum non esse actum purum, quia intellectio ejus est accidens superadditum, tunc ego arguo sic: ergò est in potentia ad illam intellectionem. Nec secundum principium est, aut subsistere potest: Quia species coævæ Angelis non sunt ipsis coævæ ex extrinseca natura, nec ex altiori ratione, ob quam à tota natura non possent produci, sed ex libera DEI voluntate, liberaliter ipsis à principio creationis eorum, tales perfectiones concreantis, quas tamen si non concreâsset, adhuc natura sibi ex propriâ perfectione acquirere potuisset.

Probatur Conclusio Secundò: Illa natura rationalis, quæ habet pro objecto aliquod universale, habet intellectum agentem, sed intellectus angelicus habet pro objecto aliquod universale, ergò: probatur min: Quia nullum objectum potest esse adæquatum intellectui angelico, quod in se non continet omnia ab eo intelligibilia virtualiter vel eminenter, sed nulla res singularis creata continet sic omnia, ergò. Probatur modò major principalis argumenti: Quia universale per prædicationem extenditur ad omnia cognoscibilia tàm materialia & immaterialia, sed materialia non sunt intelligibilia, nisi in potentia, & quando fiunt intelligibilia in actu, fiunt talia per abstractionem, abstractio autem fit per intellectum agentem, ergò ab ultimo ad primum, intellectus habens objectum universale, habet intellectum agentem.

Dices: Universalitatem in Angelis non fieri per abstractionem, sed per speciem, quæ ab ejus essentia fluit, ut ordinariè solvunt post Cajetanum Thomistæ. Sed contra Primò: jam species refutatæ sunt. Contra Secundò: Non obstante, quòd fluant, hoc est ab extrinseco, ab intrinseco Angeli possunt ipsi acquirere. Contra Tertiò: Illæ species, quæ fluunt ab Angelo, vel fluunt ab intellectu ejus? vel per aliquid aliud? si primum, ergò intellectus

eas efformat, consequenter est agens; si ab aliquo alio, tunc ab essentia, ab hac iterum non? quia secundùm Thomistas substantia non est activa.

Probatur Tertiò: Quandocunque agens superius prævenit actionem inferioris, illa præventio non tollit potentiam activam inferioris, respectu suæ operationis, sed, quod DEUS infundat species rerum Angelis in creatione, solùm prævenit actionem ipsius Angeli, ergò: Probatur maj: Quia, si DEUS crearet ignem, quem semper præveniret in actione, non propterea diceretur ille ignis non habere activitatem quâ suam operationem sibi relictus producere posset, ergò etiam idem dicendum est in Angelis, quia alioquin nimium vilificaretur eorum natura, cùm tamen sit glorificanda omni eo modo, quo quælibet alia creatura, quantum imperfectionem non involvit.

Probatur Conclusio quoad alteram partem: In Angelo est potentia receptiva specierum, ergò est in eis intellectus possibilis, cum per talem aliud non intelligant Philosophi, probatur antec: Quia Angelus recipit species, quas habet, quásq; habere potest à se, vel a DEO, ergò est in eo potentia receptiva. Patet consequ: Quia in omni recipiente formam, necesse est dari, potentiam receptivam illius formæ, etiamsi recipiens non præcedat duratione, sed solùm naturâ formæ receptionem, quod patet, quia si DEUS concreâsset animæ nostræ species omnium rerum intelligibilium, adhuc tamen habuisset potentiam receptivam, sicut de facto contigit in anima Christi, quæ, licèt de facto viderit à principio omnia in Verbo, nihilominus habuit intellectum passibilem, sicut etiam nos habemus.

Dices: Intellectus agens & passibilis tantùm distinguuntur per phantasmata, sed in intellectu angelico nullum est phantasma, ergò. Respond. neg: majo: Quia inter se distinguuntur per proprias rationes formales: vel etiam extrinsecè tantùm per ordinem ad objecta, vel ad illa, in quibus objecta relucent. Nec objectum adæquatum intellectûs agentis est phantasma, sed res potentiâ intelligibilis, quæ magis latè patet. His ergò positis & propugnatis

Dico Tertiò: *Intellectus angelicus potest acquirere sibi species singularium tàm à rebus immaterialibus, quam materialibus.* Ita Doctor subtilis. IV. Angelus potest acquirere ipse species.

Probatur prima pars: Quia res spirituales habent naturalem virtutem productivam speciei sui in potentiis cognoscitivis, ergò possunt eam producere in intellectu angelico: antec: probatur: Quia res sensibilis potest sui speciem producere in potentiâ sensitiva; ergò etiam objecta spiritualia in potentia sibi proportionata, probatur etiam conseq: prima: Quia talis virtus nequit exerceri circa potentiam sensitivam, utpote incapacem formæ spiritualis, nec etiam circa intellectum humanum, quia hic naturaliter solùm potest recipere species à phantasmatibus dependentes, ergò circa intellectum angelicum, alioquin potentia & virtus productiva speciei in rebus spiritualibus esset frustranea. Confirmatur, Ideò sensibile potest producere sui speciem in potentia sensitiva, quia est sensibile in actu, ergò quia objectum spirituale est intelligibile actu, poterit etiam sui speciem producere ab omnimoda paritate.

Probatur secunda pars Primò: Ideò secundùm Adversarios non posset intellectus angelicus acquirere species à rebus materialibus, quia sunt improportionatæ ad producendam speciem spiritualem, sed hoc non obstat, ergò: Probatur min: Quia phantasma, licèt sit in materia & in organo extenso, adhuc habet proportionem ad producendam speciem cum intellectu agente, ergò idem dicendum de rebus materialibus in se.

Dices: Res materiales non movere immediatè intellectum, sed debere

bere prius mediis sensibus depurari, & spiritualizari, ut postea abstrahantur species à phantasmatibus, & sic longa est disparitas. Contra: Intellectus separatus, utpotè liberior & expeditior, majorem habet virtutem abstrahendi species, nec indiget auxilio imaginationis, ergò poterit immediatè à rebus eas abstrahere, quia sic major intellectûs activitas impedimentum majoris materialitatis compensat. Deindè phantasma quantumcunque depuratum adhuc manet ens materiale, & quidquid est in phantasmate ad causandam speciem, est in objecto materiali, ergò, si potest hoc causare speciem, poterit & illud. Denique ideò agit phantasma in intellectum, quia est repræsentativum objecti, & non ideò, quia est sine materia extrinseca, & certè si esse sic in materia, impedit hujusmodi actionem, æquè impedit in materia sive hac, sive illa, dummodo sit in materia, sed objectum materiale in se est æquè repræsentativum sui, ac phantasma, ergò æquè activum.

Probatur Secundò: Datur in Angelis intellectus agens, ergò: patet consequentia: antecedens est probatum.

Probatur utraque pars in communi Primò: Sub qualibet specie continentur singularia infinita, quia species ex se est indifferens, & determinatur tantùm extrinsecè à DEO, nunquam tamen ad tot, quin ad plura, sed est incredibile, quòd Angelis omnium singularium species fuerint à DEO infusæ in creatione, cùm intellectus eorum sit limitatus & finitus, ergò possunt omnium singularium species acquirere, sive sint materiales, sive singulares. Dicere autem, quòd omnia singularia videant per species communes eis concreatas, & refutabitur & implicat, quia nihil potest in alio distinctè videre, nisi illud alterum in se formaliter contineat, vel virtualiter, species autem communes non sic continent, nisi modo subjectivo, ergò.

Probatur Secundò utraque pars: Si Angelus crearetur à DEO sine speciebus intelligibilibus, aut posset aliquid aliud à se cum communi influentia cognoscere, vel non? Si primum? ergò Angelus poterit à rebus singularibus cognitionem accipere; Si secundum? ergò angelica natura est vilior, quàm quæcunque alia creata, cùm omnes aliæ suas perfectiones acquirere possint ex principiis intrinsecis.

Probatur Tertiò: Si aliqua esset ratio, quare Angelus non posset accipere cognitionem à rebus singularibus, maximè quia *imaginabile* est medium inter *sensibile* & *intelligibile*, hæc ratio non obstat, ergò: major est Adversar: probatur min: quia licèt imaginabile sit medium in homine, non est tamen necesse, quòd sit medium in Angelo, quia quod est medium respectu potentiæ debilioris, non statim id debet esse respectu altioris, si calor ut quatuor est medium calefaciendi in potentia, debiliq; causa, non tamen statim debet esse medium respectu causæ potentis & vehementis, ergò eodem modo dicendum in proposito. Deindè, si *imaginabile* esset medium *per se* inter sensibile & intelligibile, tunc esset tale, vel respectu rei cognitæ & objecti, vel ex parte potentiæ, neutro modo potest esse, ergò: probatur min: non primò, quia aliàs DEUS non posset intelligere saltem res materiales nisi mediante phantasmate, quia nihil intelligi potest, nisi sit prius actu intelligibile, quale fieret per imaginationem & phantasma, sed hoc est falsum, ergò. Non etiam secundò, quia imaginabile est tantùm medium respectu meæ potentiæ, non verò angelicæ. Sed in contrarium pro D. Thoma

Arguitur Primò: Sicut se habent corporales substantiæ superiores respectu inferiorum, ita se habent substantiæ spirituales superiores respectu inferiorum, sed substantiæ corporeæ, v. g. Cœli habent omnes perfectiones suas concreatas & coævas, nec eas acquirunt successivè, sed simul

simùl omnes, cùm eorum forma perfectissimè satiet, non autem formæ sublunares, ergò eodem modo Angeli habebunt omnes perfectiones concreatas possibiles, & consequenter à rebus nequeunt acquirere. Respond. dist. maj. ita se habent &c. in iis perfectiones, quæ eis connaturales sunt, & ex natura debitæ, quæque viribus & virtute propria acquiri non possunt, conc: maj: in aliis, quæ virtute propria acquiri possunt, nego maj: & concessa min: neg: consequ: Quia si cœli in principio creationis non habuissent omnem perfectionem concreatam, nequivissent postmodum acquirere eam, Angeli verò possunt ex virtute naturali acquirere, consequenter non est necesse, ut concreentur, nam DEUS sic res, quas condidit, administrat, ut eas motus proprios habere sinat, ex Div. Augustini doctrina.

Instatur: Operari sequitur esse cujuscunque naturæ, sed Angeli habent esse independenter à phantasmatibus, & à rebus corporalibus & materialibus, ergò etiam habent operari independenter ab ipsis, & sic species acquirere non potuerunt: Patet major ex omnium axiomate, minor est certa, & proindè consequentia evidens, & insuper à pari, quia ideò intellectus noster dependet in operari à phantasmatibus; quia etiam in esse à corpore dependet. Respond. neg. consequ: Quia non sequitur, non est actus corporis organici, ergò non dependet à corpore tanquam ab objecto, benè tamen tanquam à comparte, undè omnis intellectus, qui non habet in se omne intelligibile, dependet ab objecto tanquam à concausa intellectionis, angelicus autem intellectus non habet in se omne intelligibile, alioquin esset infinitus, ergò.

Arguitur Secundò: Res corporales non possunt agere propria virtute in spiritus, nec aliquid spirituale producere; sed species intelligibiles sunt spirituales, sicut & Angeli, ergò. Respond. Primò, distin. maj: res corporeæ non possunt producere aliquod spirituale, ut causa totalis, concedo, ut causa partialis minus principalis, nego maj: Meliùs Respond. Secundò, distin. maj: res corporeæ non possunt agere in spiritus, & spirituale producere actione vera reali, concedo: actione intentionali, quæ est metaphysica, nego majorem: eo ipso enim, quòd omne etiam materiale sit intelligibile, potest etiam producere sui speciem in potentia intellectiva.

Instatur: Res productæ à corpore debent esse extensæ, & quantæ, ergò etiam species, ergò non possunt produci in intellectu angelico, qui est indivisibilis & inextensus. Respond. distin: antec: si à solo corpore producantur, transeat, si à potentia spirituali, nego antec: & consequ: quia species abstractæ à rebus corporeis virtute intellectûs agentis fiunt spirituales, eo modo, quo intellectus noster agens à rebus corporeis abstrahit speciem, quæ tamen est spiritualis.

Urgetur: Angelicus intellectus non potest abstrahere speciem à rebus corporeis, nisi applicando eis suam virtutem, sed hanc applicare non potest, nisi illas præcognoscat, quia applicare eis virtutem est actus voluntatis, hic autem non fertur in Incognitum, ergò non poterit abstrahere, aut si potuerit, hæ species abstractæ non erunt rationes cognoscendi materialia, cùm illa jam prius cognovisset. Respond. conc: major & distin: mino: Applicatio libera prærequirit, ut prius præcognoscat, conc: min: naturalis, neg: min: & consequ: itaque ipsa intellectio est prima actio naturalis; quia objectum præsentatum intellectui angelico statim ipsum movet, & intellectus statim intelligit, ut etiam in nobis contingit.

QUÆ-

QUÆSTIO QUINTA.

De natura specierum intelligibilium infusarum.

I. DE natura acquisitarum egi in animasticis, de his infusis in præsenti quæstione, examinando, an eis sint connaturales? Unde habeant esse? & an sint plures? An verò secundùm perfectionem intellectûs angelici pauciores in uno, quàm in alio? Ac denique, an una, quæ posset repræsentare plures, vel infinitas quidditates? quæ expediam singulis conclusionibus, attamen sciendum, quòd, quando quæritur, an una eademque species possit repræsentare plures res, sensum non esse de rebus subordinatis, nam antecedenter jam dixi, quòd res subordinatæ per unam eandemque speciem cognosci possint, estque extra difficultatem, nam omnes gradus metaphysici superioris commensurantur per unam speciem, sed est sensus de rebus disparatis, & specificis infimis, sive postmodum sint ejusdem, sive diversorum prædicamentorum, cujusmodi sunt quidditates hominis, leonis, quantitatis, coloris &c.

II. Species est imago objecti. Notandum adhuc: Speciem esse imaginem & similitudinem objecti naturalem ex Aristotele 3. de anima dicente: *Nos nihil intelligere nisi per suum simile*, id est, per suam similitudinem.

Notandum iterum: Hanc similitudinem desumere suam unitatem ab objecto, quod est posterior, nam si naturaliter producatur, est posterior ipso, quia effectus ejus est; si verò supernaturaliter, est etiam posterior, quia est mensuratum, & objectum est mensura, mensura autem naturaliter est prior suo mensurato, unde qualis unitas est in objecto, talis etiam in specie deprehendi, & inveniri necesse est, unitas enim posterioris necessariò dependet ab unitate prioris; sicut econtra ad pluralitatem prioris sequitur pluralitas posterioris, hinc, si species est una, objectum ejus primum & formale debet esse unum, & econtra, si objecta sunt plura, species debent esse plures, & si aliqua species habet, quòd possit repræsentare aliqua plura, quòd necessariò debeat habere aliquod objectum unum, in quo illa plura contineantur.

His notatis D. Thomas 1. p. qu. 55. a. 3. putat, quòd species dentur secundùm perfectionem naturalem Angelorum, ita, quòd, quo est Angelus perfectior, eò paucioribus indigeat speciebus, &c. Sic potest per unam eandemque speciem plures quidditates cognoscere. Econtra Scotus hîc asserit, Angelum quemcunque ad rerum quidditates disparatas, singulis indigere speciebus, cui subscribunt omnes ejus Discipuli, & ego interim.

Dico Primò: *Species Angelis à DEO infusæ non sunt illis connaturales tanquam proprietates à suis essentiis fluentes.* Probatur Primò: Est impossibile, quòd species omnium possibilium fluant à natura creata, utpotè quæ est limitata, cùm res omnes sint infinitæ, sed omnium talium possunt habere Angeli species, ergò, si fluerent activè ab essentiis, deberent habere essentiam infinitam. Probatur min. non est contradictio, res omnes possibiles esse determinatè veras, ergò nec est contradictio dari species omnium. III. Species Angelis infusæ non sunt ipsis debitæ.

Probatur Secundò: Contradictio est, species infundi à DEO, & fluere ab eorum essentia, quia infusio dicit quid extrinsecum, fluere autem intrinsecum, ergò sicut si DEUS de facto omnes illas poneret, necessariò fluerent ab essentia, nec per miraculum impedibiles essent, quia propria passio nullatenus impeditur, & consequenter necessariò haberent omnium rerum species Angeli, quod nemo dicit.

Probatur Tertiò ad hominem: Ab essentia Angeli secundùm ipsos fluunt species, ergò cur non potius ab ea causatur notitia & ab intelle-

ctu, quàm ab ipsa specie, quòd tamen fieri deberet, quia non major virtus requiritur ad continendum species, quàm ad cognoscendum actus, si autem hoc diceretur, tunc sequitur, quòd essentia Angeli esset infinita sicut divina. Sed in contra

Arguitur: Species non infunduntur à DEO miraculosè Angelis, ergò sunt eorum perfectiones connaturales ab eis inseparabiles. Respond. neg. consequent: Quia miraculum plus dicit, quàm liberalem DEI infusionem aliquarum rerum, nam requirit extraordinarium agendi modum, concursum, & insolitum ex communi lege & decreto.

Instatur: Si species Angelis non sunt connaturales, erunt accidentia communia non propria, hoc dici de iis non potest, quia alioquin non possent appellari illis coævæ, ergò: Respond: neg: min: cum sua probatione, quia ut sint & dicantur illis coævæ, sufficit, quòd à DEO sint illis in initio infusæ, nec sunt illis ita coævæ, ut non possint vel potuissent eas sibi in tempore acquisivisse, ut suprà dictum est & explicatum.

IV. Species infunduntur liberè à DEO.

Dico Secundò: *Species naturarum communium & etiam aliquorum singularium, infunduntur à DEO omninò liberè Angelis, suprà omne naturæ debitum strictum, vel per actionem creativam ex nihilo, vel per actionem eductivam ex subjecto præsupposito.* Probatur prima pars: DEUS ad extra liberè agit, nihil ex naturali necessitate, agit enim ad modum illius, qui regulariter est administrator totius naturæ, tribuens perfectiones rebus, quas viribus suis acquirere non poterant cum generali suo concursu, sed Angeli possunt propria sua virtute acquirere sibi species, ergò infusio est suprà omne debitum naturæ, adeoque tota innititur liberalitati divinæ, quatenus mox ut eos creavit, voluit, quòd omnes res futuras abstractivè saltem per eorum prædicata generica & specifica cognoscerent. Quare autem hoc voluerit, congruentia est, quia creavit eos viatores, ut sibi beatitudinem promererentur. Sed incontra sic

Arguitur: Ut aliquid sit alteri connaturale, non est necesse, ut ab eo fluat activè, sed sufficit, quòd habeat hoc ex principio passivo, sed Angelus habet principium passivum ad species, ergò erunt ipsi connaturales. Respond. disting: majorem & consequ: Erunt ipsis connaturales ex parte agentis & producentis, nego: ex parte recipientis, concedo, undè species dicimus connaturales aliquo modo Angelis, quatenus scilicet propensionem naturalis capacitatis ad illas habent, quia DEUS, quando eas infundit, non agit præcisè & rigorosè ut Author gratiæ, cùm ipsis aliquomodo debeantur, ex eo, quòd possint producere, habent enim ad hoc principium intrinsecum.

Instatur: Si DEUS non agit ut Author gratiæ, ergò ut Author naturæ, ergò contra Conclusionem species non infunduntur Angelis supra omne naturæ debitum. Respond. neg. consequ: primam, quia licèt in rigore species non spectent ad ordinem gratiæ, spectant tamen in laxiori acceptione, prout sunt effectus naturæ in modo producendi indebiti.

Urgetur: Sicut materia cœli exigit sibi formam concreatam tanquam debitam, ita intellectus Angeli exigit species, sed &c. ergò. Respond. neg. majorem: Disparitas est, quia materia cœli est ens incompletum præcisè in potentia ad formam, Angelus autem licèt habeat potentiam passivam, non est tamen etiam sine potentia activa potentiæ passivæ correspondente, ut possit sibi illas species acquirere.

V. Non dantur species secundùm majorem perfectionem angelicam.

Dico Tertiò: *Non dantur species secundùm perfectionem angelicam videlicet, ut quò Angelus superior, eò paucioribus indigeat speciebus.* Hæc est directè contra Div. Thomam & suos. Probatur: Si ad commensurationem perfectionis angelicæ darentur species, sequeretur, quòd aliquis

aliquis Angelus posset omnia intelligere per suam essentiam, sed hoc implicat secundùm ipsos Thomistas, ergò: Probatur sequela, detur, quòd DEUS creaverit Angelum, qui intelligat omnia per unam speciem, hoc Angelo potest DEUS creare adhuc perfectiorem, cùm non detur status apud ipsos, tunc iste perfectior Angelus non intelligit amplius per speciem, ergò per suam essentiam, quia debet ex perfectione intelligere per pauciores una minus non est, quàm sola essentia, ergò.

Dices: Dato casu, quòd ultrà illum Angelum qui intellexit omnia per unam speciem produceretur adhuc perfectior, iste prior acciperet statim novam speciem, per quam intelligeret secundùm se perfectiorem, & sic haberet duas species, alter autem unam tantùm, ergò. Contra Primò, ille superior Angelus de novo productus continetur in aliquo genere, sed secundùm Thomistas species repræsentans naturam genericam potest etiam repræsentare omnes species sub ea contentas, etiamsi actu non existant, dummodò actu fiant, ergò Angelus prior non debebit acquirere novam speciem, & sic tantùm unam habebit. Contra Secundò, Si ad cognoscendum illum Angelum superiorem est nova species necessaria in priori, ergò in quolibet Angelo inferiori erit etiam necessaria ad cognoscendum superiorem, & sic inferiores Angeli plurimas habebunt species, & quasi innumeras.

VI. Species nulla datur infinita repræsentans.

Dico Quartò: *Non potest dari una species cognoscendi infinitas quidditates, nec tot quin plures.* Ita Scotistæ communiter: Probatur prima pars: Ubi pluralitas numeralis requirit majorem perfectionem, ibi infinita pluralitas, seu numeralis infinitas requirit infinitam perfectionem, sed esse rationem cognoscendi plures quidditates, requirit majorem perfectionem, ergò esse rationem cognoscendi infinitas quidditates, requirit infinitam perfectionem: Probatur major à simili, posse portare unum pondus, ponit in portante perfectionem, posse portare plura majorem perfectionem, & posse infinita infinitam, ergò. Probatur etiam minor: Quia species hominis, seu nata repræsentare hominem, importat aliquam perfectionem, & species repræsentans leonem, importat etiam aliquam perfectionem, ut est extra controversiam, ergò species, quæ repræsentaret hominem, leonem, bovem, majorem unaquæque diceret perfectionem utriusque, & aliquid ultra, ergò.

Dices cum Vasquetz: Unam speciem posse determinari ad quatuor, & sex repræsentanda, quæ etiam repræsentabit, ex quo tamen non sequitur, quòd infinita. Sed contra, Vasquetz admittit, DEUM posse creare speciem universaliorem in repræsentando plures naturas indeterminatè, non tot quin plures, consequenter ejus responsio non solvit argumentum.

Dices: Non constare, an dentur res infinitæ? vel an sint possibiles versùs infinitum, ergò ex eo, quòd aliqua species posset determinari ad aliquas, non sequitur ad infinitas. Contra, concesso gratis antecedente, Essentia divina, quia potest repræsentare infinita, ideò formaliter dicitur infinita, sic enim repræsentat finitas versùs finitum; tamen si essent infinita in illa parte, infinita repræsentaret, ergò etiam hìc sic esset discurrendum. Quod adhuc confirmatur ulterius ex omnipotentia DEI, quæ utique est infinita, & tamen infinita non producit, quia de se vel non sunt producibilia, vel quia se determinavit non nisi ad ista producenda, ergò etiam species esset aliquo modo infinita, licèt actu non repræsentaret infinita, dummodò nata esset repræsentare tot, quin plura, arguit enim hoc quoq; aliquam infinitatẽ. Et ex hoc probata manet quoq; secunda pars.

VII. Species universales non dantur.

Dico Quintò: *Non dantur de facto in Angelis species universales repræsentativæ plurium quidditatum disparatarum, nec etiam repræsentativæ ali-*

væ alicujus naturæ communis, & omnium individuorum sub illa contentorum, secundùm propriam rationem. Ita Scotistæ contra Thomistas. Probatur Primò ex Div. Augustino: lib. 83. qq. q. 46. ubi ait: DEUM singula singulis rationibus creâsse, ubi per *rationes* intelligit ideas divinas, quas illi dicunt rationes cognoscendi creaturas, tunc sic: Ideæ divinæ sunt perfectiores quàm angelicæ rationes & species cognoscendi, sed DEUS cognoscit omnia singulis rationibus & producit, ergò. Tùm 7. *de Trinit.* memoria & intelligentia capiunt se mutuò, & invicem æquantur, id est, intellectus cum specie intelligibili, hæc enim secundùm D. Augustinum est memoria, ut videre est in lib. 10. Confess. c. 8. q. 10. 12. 14. lib. 83. qq. q. 31. lib. 15. de Trinit. 23. intellectus, inquam, cum specie intelligibili, producit intellectionem sibi proportionatam, & actum adæquatum, undè sic argumentor: Quælibet species debet habere actum sibi adæquatum intelligendi, sed species repræsentativa plurium quidditatum non esset sic potens habere actum adæquatum, ergò: major est Div. Augustini. Probatur min: Quia si posset habere hujusmodi actum adæquatum, ille deberet ipsi adæquari intensivè & extensivè, sed neutro modo potest ei adæquari, ergò: Probatur min: Non intensivè: Quia tunc actus ille contineret perfectiones actuum intelligendi illarum plurium quidditatum, & ipse tàm esset perfectus, sicut omnes alii simùl, quod falsum est, quia nullus actus potest habere perfectiones plurium actuum alterius rationis, nisi habeat unum objectum, quod contineat objecta aliorum actuum, quia perfectio actûs, & unitas est ab objectò; nullum autem objectum tale datur, ergo. Non etiam extensivè, quia hoc deberet fieri per plures actus, & tunc simùl essent in intellectu angelico tot actus, quot sunt quidditates, quas illa species nata esset repræsentare.

Dices: Majorem primam hujus argumenti non subsistere, quia forma solis ejusque potentia non habet aliquem unum actum & effectum sibi adæquatum. Respond. neg: consequ: disparitas est, quia forma & potentia solis est causa æquivoca suorum effectuum, consequenter & iis nobilior, & etiam prior, unde una eademque manens potest esse illimitata ad plures effectus, quia pluralitas posterioris non variat pluralitatem prioris, species autem est quid posterius suo objecto, ut annotatum est suprà, & hinc, si ipsa est repræsentativa aliquorum plurium, & est una, debet habere aliquod objectum unum, in quo contineantur illa plura: Primò, Quia forma solis ejusque potentia, sicut & quæcunque alia non habet passum sibi necessariò adæquatum & dispositum, undè non potest effectum adæquatum producere; species verò habet passum adæquatum, intellectum videlicet capacem adæquatæ intellectionis, quia commensurantur speciei intelligibili, consequenter si est repræsentativa, deberet habere aliquem adæquatum sibi actum: Secundò, quia species est determinata à natura, ut determinet indifferentiam potentiæ ad hos vel illud objectum cognoscendum, non sic autem est institutus effectus, & sic potentia benè potest esse indifferens ad plures actus, quamvis non possit esse species.

Probatur Secundò Conclusio: Quidquid est ratio cognoscendi distinctè aliqua plura, habet unum objectum adæquatum, in quo perfectè continentur illa plura, sed nulla ratio creata, seu species intelligibilis potest habere objectum unum, in quo contineantur plures quidditates, quoad suam cognoscibilitatem, quia illud objectum esset quid creatum, nullum autem creatum perfectè continet quoad entitatem, adeóque neque quoad cognoscibilitatem, si enim aliquid esset, maximè aliquod superius, hoc autem non continet, quia semper in inferiori reperitur aliquid, quod non est in superiori, ergò nulla ratio cognoscendi potest

repræ-

repræsentare plures quidditates disparatas, minor patet, & sat est rationibus firmata. Probatur major Primò: Quia ideò Essentia divina repræsentat infinita objecta, quia ipsa tanquam objectum primum includit omnia objecta, & omnes quidditates adæquatè, ergò species repræsentans aliqua plura debet primò habere aliquod objectum, in quo illa plura contineantur. Secundò: Quia objectum speciei est ejus mensura, & ideò, sicut idem non potest primò duabus mensuris mensurari, ita nec una species potest plura primò repræsentare, sed si est ratio cognoscendi plura, est, quia primò est unius objecti, quod virtualiter continet illa plura. Tertiò: Quia unitas speciei pendet essentialiter ab unitate objecti in esse rei, & ex pluralitate primi objecti & adæquati sequitur necessariò pluralitas speciei, quia à pluralitate prioris sequitur necessariò pluralitas posterioris.

Dices: Sol potest plura producere, quorum tamen nullum continet alterum perfectè & adæquatè. Respond. neg: consequ: Disparitas est præter superiores, quòd forma solis & quæcunq; alia causa, vel potentia activa est causa æquivoca suorum effectuum, consequenter iis primò nobilior, deindè etiam prior, undè una eademque manens potest esse illimitata ad plures effectus, quia pluralitas posterioris non variat pluralitatem prioris, species verò est quid posterius suo objectò, ut annotatum est suprà, & hinc, si ipsa est una & repræsentativa aliquorum plurium, debet habere aliquod objectum unum, in quo contineantur illa plura.

Probatur Conclusio Tertiò: Si una species intelligibilis repræsentaret plures quidditates, sequeretur, Angelum non posse intelligere unam, quin intelligeret omnes, sequela est absurda, ergò: Probatur sequela, species est causa naturalis determinans intellectū ad cognitionem, sed causa naturalis necessariò agit, ergò & ista, ergò necessariò omnes simùl intelligeret, quia æqualiter omnes repræsentarentur. Confirmatur Conclusio, quia una eademq; res nequit simùl assimilari diversis, & disparatis objectis, sed &c. hoc patet, quia color albus non repræsentat nigrum, nec imago Cæsaris Dianam, nec *A* potest repræsentare *B*, ergò. Sed pro contraria sententia, quæ species universales propugnat,

Opponitur Authoritas D. Dionysii de Angel. Hierarch. 17. ait: *Angelos superiores habere scientiam universaliorem inferioribus.* Sed universalior scientia gignitur ex universaliore specie, cùm scientia speciei & intellectui æquetur ex dictis, ergò. Respond. D. Dionysium tantùm velle, quòd Angeli superiores habeant perspicaciorem & intensiorem scientiam, quatenus perfectius penetrant res, etiam iisdem speciebus, sicut perfectior oculus cum eadem specie elicit, & producit perfectiorem visionem, quàm oculus imperfectus & impurus.

Instatur: Aristoteles 2. de anim. tex. 31. ait: Sensitivam in intellectivâ esse, sicut trigonum in tetragono, sed trigonum in tetragono potest videri, ergò etiam in una specie potest videri aliud objectum. Respond. neg: consequ: Quia hoc tantùm sequitur ex illis præmissis, quòd sensitiva possit videri in intellectiva; quod non nego, undè dico, quòd una species & etiam una forma specifica possit repræsentare plura objecta, quæ ipsa in se continet, & sic quo magis est specifica, eò perfectius & plura repræsentat, & sic homo repræsentat animal, corpus animatum, &c. quia ista omnia continentur in homine, suntque objecta subordinata. Conclusio autem hoc negat de subjectis, & objectis non subordinatis & disparatis, ac ultimis speciebus; quæ, sicut se invicem non continent, ita etiam nulla species potest ea simùl repræsentare, & ob hoc minor argumenti est etiam vera, quia major figura semper continet minorem.

DISPUTATIO PRIMA.

DE

Locutione & Illuminatione Angelorum.

I. Angeli verè loquuntur. LOqui Angelos verè & realiter, non verò metaphoricè, res est jam extra controversiam, nam id clarè demonstratur ex Scriptura tàm veteris quàm novi Testamenti, nam Isaiæ 6. dicitur: quòd *alter ad alterum clamaverit Sanctus, Sanctus &c.* Zachariæ 2. *Angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur, & alius Angelus egrediebatur in occursum ejus, & dixit ad eum &c.* Apocalyp. 7. *Unus Angelus clamavit ad alios quatuor: Nolite nocere terræ & mari quoad usque signemus.* 1. Corinth. 13. *Si linguis hominum loquar & Angelorum &c.* qui textus clariores sunt, quàm ut retorqueantur in sensum metaphoricum, aut in præcisam rationem assumptorum corporum, si etenim in his possunt sibi & hominibus communicare conceptus, cur non etiam sine istis corporibus, cùm videantur potius esse impedimento. Deindè ad felicitatem & societatem pertinet, posse sibi invicem loqui, quo bono privarentur, si loquela eis negaretur. Accedunt Patres, nam D. Augustinus lib. de Divinat. dæm. cap. 6. ponit in illis auditum, ait enim: *Si quid ex illa DEI dispositione prænuntiant, audiunt*, audire autem non possunt, nisi loquentem. Similia habent alii, quæ ad rem properando, omitto. Sit igitur

QUÆSTIO PRIMA.

Quomodo Angeli loquantur ad se invicem?

II. Diversitas opinionum. IN hac quæstione gravissimè inter se altercantur Authores diversis diversa opinantibus, nam Durandus putat eos loqui per signa aliqua sensibilia in aëre vel cœlo ab Angelis efformata. Molina, Ariaga asserunt, eos loqui per signa aliqua spiritualia distincta à speciebus & actibus vitalibus Angelorum. Vasquetz, Amicus putant, loquelam Angelorum esse actum reflexum super actum habitum, quem alteri manifestare intendit. D. Thomas p. 1. q. 107. a. 1. Capreolus, Cajetanus dicunt, locutionem aliud non esse, quàm ordinationem conceptûs mentis ad alium, ad hoc, quòd voluntas ejus alteri innotescat, & auditionem aliud non esse, quàm intelligentiam, quæ oritur in intellectu audientis, ex ordinatione Angeli loquentis. Scotus cum suis (Pontiô exceptô) 2. d. 9. q. docet locutionem Angelorum fieri per productionem alicujus effectûs in intellectu An-

ctu Angeli audientis, quem effectum dicit esse conceptum objecti, de quo vult loqui, vel saltem speciei intelligibilis ejusdem objecti tantùm, vel per impressionem tàm conceptûs, quàm objecti simul in intellectu alterius Angeli, cui loquitur. Pro qua sententia intelligenda

III. Locutio ordinatur ad alium.

Notandum Primò: Locutionem in Angelis, sicuti & in nobis intrinsecè ordinari ad actum intelligendi, nam est actio quædam à loquente terminata ad similem conceptum in audiente producendum, porrò auditus in Angelis intellectus est, undè sicut corporalis locutio terminatur ad auditum, ita Angelorum ad intellectum, intellectus autem aliud producere natus non est, quàm intellectionem, hinc difficultas est, quænam intellectio ex iis, quas Angelus habere potest, vocetur auditio, quæque vocetur locutio? Pro quo

IV. Angelus quatuor modis intelligit.

Notandum Secundò: Angelus connaturaliter loquendo quatuor modis potest intelligere res: Primò intuendo eas in seipsis: Secundò intuendo eandem rem in intellectu alterius Angeli, per actum tamen à se productum & in se receptum: Tertiò abstractivè per speciem inditam, vel acquisitam; Et neutra ex istis dici potest auditio, quia istæ non fiunt ab aliqua expressione alicujus Angeli loquentis. Sed causantur vel ab objecto, vel specie, sicut quæcunque aliæ intellectiones, proindè nihil particulare habent, quare auditiones dici deberent: Quartò autem modò potest aliquid intelligere per hoc, quòd alter Angelus imprimat in ipso alicujus rei conceptum, ad quem ipse non habeat se activè, sed merè passivè, & hæc vocatur auditio, quare auditio differt ab aliis cognitionibus per hoc, quòd illa præcisè causetur ab intellectu exprimente loquentis Angeli, unde dato, quòd objectum auditum vel species, vel aliquid quod concurrit ad causationem locutionis, esset præsens intellectui audientis, & produceret intellectionem de se ipso, illa cognitio non esset auditio, quia non fieret per expressionem intellectûs loquentis, sed esset visio abstractiva vel intuitiva.

Notandum Tertiò: Angelum loquentem posse tribus modis in intellectu audientis operari: Primò causando in ejus intellectu intellectionem absque eo, quòd imprimat speciem impressam, hoc modo loquitur unus Angelus alteri de re ipsi jam habitualiter nota, cujus nimirum speciem impressam jam habet. Secundò, causando in intellectu audientis tàm intellectionem, quàm speciem impressam objecti, hoc modo loquitur Angelo antea non habenti nec intellectionem habitualem, nec speciem impressam ipsius objecti: Tertio modo, causando solam speciem, non causando actualem intellectionem, & hoc modo Angelus inferior loqueretur superiori de re aliqua singulari superiori nullo modo aliàs nota: in illo enim casu posset inferior imprimere intellectui superioris speciem impressam objecti, sed quia inferior non habet dominium suprà superiorem, ideò quando superior est in actuali consideratione alicujus objecti, cum qua non stat attentio ad objectum, de quò inferior loquitur, sicut non potest inferior divertere superiorem à consideratione illius objecti, ita nec causare in illo actualem intellectionem alterius objecti, sed tantùm relinquere in eo speciem, cum qua, postquam superior se divertit à consideratione priori, poterit producere in se intellectionem objecti talis speciei.

V. Angelus tantum in intellectu alterius tripliciter potest operari.

Ex his ergò tunc fit locutio, quòd unus Angelus imprimit intellectui alterius vel solam intellectionem objecti, vel solam speciem intelligibilem ejusdem, vel utrumque simul. Econtra verò tunc fit auditio, quòd alter Angelus recipit intellectionem, & per eandem vitaliter operatur, vel quando per speciem receptam producit intellectionem, cum qua vitaliter operatur. Locutio ergò spiritualis secundùm Scotum est impressio intellectionis, aut speciei intel-

intelligibilis in intellectu alterius. Auditus verò per receptionem earum. Quia autem Adversarii existimant impossibile esse, quòd unus Angelus possit producere aliquid in intellectu alterius Angeli, ideò hoc quoque ante positivam meam resolutionem, erit demonstrandum, interim dicam, quid non sit locutio Angelorum. Itaque

VI. Locutio non fit per signa materialia.

Dico Primò: *Locutio Angelorum nec fit per signa sensibilia & materialia, nec per spiritualia, quæ non essent intellectiones.* Hæc est contra Durandum, & Molinam, &c. Probatur prima pars ex Div. Damasceno 2. de fide. c. 3. dicente: Angelos esse, *non linguâ atque auribus opus habentes, verum citra sermonis adminiculum cogitationes suas, atque consilia inter se communicantes &c.* Deindè ille loquendi modus est Angelorum perfectioni omninò improportionatus: Deniq; si nulla essent corpora, Angeli inter se colloquerentur, quia hoc ad perfectam eorum beatitudinem & societatem pertineret, ergò. Non nego tamen, quòd Angeli etiam loqui possint efformatis quibusdam characteribus, & signis materialibus, maximè quando ad homines mittuntur, sed hic non est eorum connaturalis loquendi modus: hinc

Probatur secunda pars: Illa signa vel essent naturalia, vel ad placitum, neutrum dici potest, ergò: Probatur min: non ad placitum, quia ad hoc fuisset necessarium, quòd convenissent inter se de institutione horum signorum, & sic essent antè collocuti, antequam haberent illa signa, & si semel sine illis poterant loqui, poterunt semper.

Dices: DEUM infudisse illa signa Angelis in creatione, sicuti Adamo infudit notitiam linguæ hebraicæ. Sed contra: Hæc signa vel essent ejusdem rationis cum omnibus, vel diversa: si secundum, ergò unusquisque Angelus haberet proprium idioma, & ita non intelligeretur ab alio, sicut Turca Germanum non intelligit; Si verò primum dicatur, cùm hæc entia essent necessaria non libera, sequeretur, quemlibet audire alium loquentem, nec posset esse inter eos secreta locutio, quod absurdum non sequitur in hominibus, cùm possimus alteri submissè loqui pluribus etiam præsentibus, undè non est paritas de Adamo.

Dices: Esse signa naturalia. Contra, Quia tunc non posset eodem modo, sicuti ante dixi, unus alteri secretò loqui, quia naturalia omnibus Angelis sunt cognita: Tùm etiam, Quia non potest explicari, in quo fundetur naturalis significatio illorum respectu rerum, quas naturaliter repræsentant, non enim fundatur in ratione naturalis imaginis rerum, aliàs essent species impressæ; nec in connexione causæ cum effectu, vel econtrà: Quia nec sunt causæ rerum, quas significant, ut patet, nec effectus producti ab actibus intellectûs & voluntatis, quos principaliter repræsentant, quia hujusmodi actus non sunt nati producere nisi species, vel habitus.

Dico Secundò: *Locutio Angelorum non consistit in cognitione reflexiva, vel quasi reflexiva super actum, de quo fit locutio, per quam ordinaretur ad alteri manifestandum conceptum directum.* Hæc est contra tertiam sententiam. Probatur: Locutio non consistit in actione purè immanente Angeli loquentis, sed hæc cognitio reflexiva esset purè immanens, ergò: patet maj: Quia per locutionem debet aliquid causari in audiente, ratione cujus moveatur ad attendendum loquentem maximè si audiens esset distractus circa alia objecta: Probatur mino: Quia nequit aliquid transire physicè de contradictorio in contradictorium sine aliquo novo in se recepto, sed Angelus transit physicè, & per intrinsecam mutationem de non audiente, ad esse audientem, non enim fit audiens per solam denominationem extrinsecam, sicut paries dicitur visus, cùm auditio sit actus vitalis; ergò. Deindè sequeretur, quòd unus Angelus nunquam posset decipere alium, VII. Nec in cognitione reflexa.

alium, quia loquitur producendo in se cognitionem reflexam actûs prioris, ut voliti manifestari, sed nequit Angelus velle, se decipere, vel cognoscere suum actum actualiter, ac est, ut volitum manifestari alteri, ergò.

VIII. Nec in ordinatione conceptûs ad alterum. Dico Tertiò: *Neque Locutio consistit in ordinatione conceptûs mentis Angeli loquentis ad alium ad hoc, ut alteri voluntas ejus innotescat.* Hæc est contra Thomistas. Probatur Primò: Res immutata manens in se, eodem modo se habet respectu unius, ac respectu alterius, sed conceptus mentis in Angelo loquente immutatus manet ante ordinationem illam & post eandem, ergò eodem modo se habet respectu Angeli loquentis, & audientis: Sed subsumo: ante ordinationem ille unus non dicebatur loquens, & alter audiens, ergò nec post; Probatur min: Quia ordinatio illa est respectus extrinsecus, qui nullam dicit mutationem in intellectu, sed tantùm in voluntate, ergò.

Probatur Secundò: Ut Angelus unus audiat alterum loquentem, audiens debet aliquo modo excitari, sed per ordinationem illam non excitatur, ergò: Probatur mino: quia ordinatio est actus voluntatis, actus autem voluntatis excitare non potest, quia est tàm secretus Angelo audienti, ac quicunque alius actus intellectûs vel voluntatis, sed intelligere alium non potest ante, ergò nec istum &c. Confirmatur: Quia locutio est actus intellectûs, non voluntatis, sicut etiam est auditio, ergò.

Dices: Licèt actus intellectûs & voluntatis ante ordinationem non possint cognosci ab Angelo, possunt tamen pòst, quia hæc transfert ad statum naturalis cognitionis. Sed contra: Per quid transfertur hæc volitio ad statum naturalis cognitionis? Per aliam? & sic, ibis in infinitum. Contra secundò: Nihil potest aliquid ad alium statum transferre, nisi illud alterum aliqualiter mutet, sed &c. ergò.

Dices Secundò: Species infusas actuum internorum esse talis naturæ, ut posita extrinseca ordinatione loquentis statim excitent audientem. Contra Primò: Auditio est passio audientis, ergò debet ab aliquo produci, species sola non est productiva talis passionis, ergò. Contrà Secundò: Voluntas non potest movere, nisi potentias proprii suppositi, ergò ex ejus imperio non possunt species excitare audientem. Contra Tertiò: Data tali virtute excitativa specierum, quæro, quomodo Angelus per talem speciem excitatus, scit se potius ab Angelo hoc, quàm illo excitari, supposito, quòd plures simùl eum alloquantur, maximè cùm eadem species nata sit repræsentare plures cogitationes secundùm Thomistas, & tunc Angelus audiens nesciet, an potius hoc, vel aliud velit loquens ipsi dicere, recurrere autem ad novam speciem est planè voluntarium.

IX. Angelus unus potest producere conceptum in intellectu alterius. Dico Quartò: *Unus Angelus in intellectu alterius Angeli potest producere intellectionem cujuscunque objecti, cujus actualem notitiam non habet alter Angelus.* Ita Scotus cum suis supra. Hæc est præliminaris ad sequentem, de hac enim, ut dixi in notabili tertio sola est difficultas, concesso enim semel Angelum se posse producere intellectionem, non potest melior modus explicandi locutionem spiritualem assignari. Dixi autem, cujus actualem notitiam vel speciem non habet antea, quia si præhaberet hæc duo actualiter simùl, nihil tunc operabitur in eo Angelus circa idem objectum, quia in eodem intellectu de eodem objecto non possunt esse simùl duæ cognitiones, aut species ejusdem rationis saltem naturaliter.

Probatur Conclusio: Quando aliquid est sufficienter dispositum in actu primo respectu alicujus, potest illum causare in passo, seu receptivo proportionato & sufficienter applicato, & non habente antecedenter eundem effectum, sed Angelus v. g. Michaël est sufficienter in actu primo respe-

respectu intellectionis alicujus objecti, quod ignorat Uriel, & intellectus Urielis est subjectum receptivum proportionatum intellectionis objecti illius, & sufficienter, ut suppono, approximatum, ergò Michaël poterit intellectionem objecti ignorati producere in intellectu Urielis tàm benè, ac in proprio suo intellectu, si voluerit: major in omni Philosophia est certa, ut patet in aqua, & sole &c. respectu frigoris & luminis &c. minor quoque certa est, quia supponimus intellectum Michaëlis esse sufficienter dispositum in actu primo ad intellectionem producendam; & intellectus Urielis est etiam receptivus intellectionis objecti istius, ergò.

Dices: Intellectum Urielis non esse æqualiter dispositum, sicut est intellectus Michaëlis, & sic, licèt Michaël in se possit producere intellectionem, non poterit tamen in Uriele: antec: patet: Quia intellectus Michaëlis est informatus specie, vel objecto, Urielis non, ergò. Respon: neg. antec: cum sua ratione, nam species vel objectum non possunt variare ipsius passivi dispositionem, quia illud, quod est de se tantùm activum, non potest variare passivum, vel receptivum dispositum & proportionatum, sive ponatur, sive non ponatur, sed species est tantùm activa, & non passiva, ergò non potest variare intellectûs Urielis passivitatem, sive adsit, sive non adsit, consequenter nec impedire, quo minus conceptus ab alio possit in ipso produci.

Dices: Intellectum nullius Angeli esse passivum connaturaliter ab ullo agente creato, ergò vel ex hoc capite nec Michaël nec alius Angelus potest in ipso producere intellectionem. Respond. distin: antec: Non est passivus passione corruptiva, conc: perfectivâ, neg: antec: & conseq: quòd autem intellectus angelicus passivus sit, patet; quia potest recipere propriam suam intellectionem, quæ est accidens de genere qualitatis. Deindè. est etiam passivus ab alio, nam docet ipse D. Thomas. q. 107. a. 1. in respon. ad tertium; quòd sicut noster auditus excitatur per aliquod sensibile ad audiendum, ita etiam per aliquod intelligibile excitare mentem angelicam, sed ista excitatio nequit fieri sine passione, ergò, min: probatur: Quia dum excitatur, movetur, & si intelligibile aliquod creatum est, movetur ab aliquo agente naturali & creato.

Probatur Conclusio Secundò: Quia essentia unius Angeli potest in intellectu alterius Angeli producere speciem intelligibilem sui, etiam in quacunque distantia intra sphæram suæ activitatis; ut omnes docent; sed hoc non alia ratione, nisi quia essentia illa in ratione objecti est sufficienter activa, & intellectus alterius Angeli est subjectum proportionatum, ergò similiter intellectus unius Angeli in ratione potentiæ simùl cum objecto, cujus memoriam habet, potest causare, si velit, in intellectu alterius Angeli similiter proportionato, & intra sphæram suæ activitatis posito intellectionem & speciem objecti illius, ergò:

Probatur Tertiò: Si quid in proposito obstaret; esset vel insufficientia potentiæ intellectivæ in causando, vel improportio alterius intellectûs in recipiendo, vel ejusdem distantia, vel certè vitalitas ipsius actus; secundùm quam nimirum exigit, ut actus producatur à sola illa potentia, in quâ recipitur, & quæ per eam vitalitates operatur: Primum & secundum non obstat ex prioribus probationibus, nec tertium: Tùm, Quia aliqua agentia corporea de facto agunt in distans, ut patet in Physica, ergò à fortiori incorporea. Tùm etiam; Quia ipsa essentia Angeli in ratione objecti producit, vel producere potest sui speciem in intellectu alterius distantis, ergò: Quartum etiam non obstat: Quia nullus negat, DEUM de absoluta potentia posse producere intellectionem lapidis in intellectu creato, quâ mediante intelligeret lapidem;

pidem, quo casu illa intellectio erit actio & operatio vitalis, quia ad hoc sufficit, quod recipiatur in potentia vitali nata producere talem intellectionem, & per eam vitaliter percipere objectum in ipsum tendendo, ergò. Hæc omnia clarius patebunt ex solutione argumentorum, quæ tàm contra hanc, quàm contra sequentem conclusionem afferentur, hunc sic in contrarium

Arguitur: Ex Conclusione hac sequeretur, quòd etiam voluntas unius Angeli posset causare in alterius voluntate volitionem, sed hoc est falsum, ergò: patet sequela à paritate rationis, probatur min: Quia sic unus Angelus necessitaret alterum ad amandum, item facerent (dum essent in via) quod alter mereretur infundendo DEI amorem: Item quòd alter peccaret imprimendo alteri odium DEI, vel proximi. Denique Angelus beatus posset imprimere damnato visionem & fruitionem beatificam, quia in seipso producit omnes hujusmodi effectus, quæ omnia profectò non modo absurda sunt, sed & falsa, ergò. Respond. conc: majo: neg: min: hoc esse absurdum, si DEUS hoc permitteret. Ad probationem contra hoc respon. distin: eandem: necessitaretur ad hoc passivè ad recipiendum, & eosdem formaliter tenendo, concedo: effectivè simpliciter eliciendo hos actus, neg: antec: sed tunc non demereretur vel mereretur, quia ad hoc requiritur, ut actus sit in potestate illius, qui dicitur mereri vel demereri, & quòd possit eam elicere vel non. Ad illud de visione negatur, quia DEUS liberè ex parte objecti ad eam concurrit, ac proindè non potest Angelus beatus eam alicui imprimere, nisi DEUS ex hac parte velit coagere ad hoc, quo casu concedo, quòd beatus per suas potentias tanquam per principia & causas partiales possit causare istos actus in alio. Cœterum alia objecta creata concurrunt cum voluntate & intellectu Angeli naturaliter ad producendos proprios actus, & consequenter ad producendos alios similes, in quocunque alio passo proportionato.

Instatur: Saltem unus Angelus poterat in anima damnati imprimere speciem intelligibilem Deitatis, & sic anima damnata cognoscet naturaliter DEUM distinctè, cognitione saltem abstractivà. Respond. distin: consequens ultimum: Anima damnata cognosceret, id est, haberet in se principium connaturale cognitionis Deitatis, concedo: naturaliter, ita quòd ex naturalibus possit talem cognitionem habere sine aliquo supernaturali sibi infuso principio, nego conseq: Respond. Secundò: neg: sequelam, quòd nempè speciem Deitatis Angelus animæ damnatæ possit imprimere, nisi vel concurrente DEO ipso, vel concurrente ipsa specie supernaturali à DEO infusa, adeoque nunquam erit verum, quòd anima damnata cognoscet DEUM naturaliter & distinctè.

Dico Quintò: *Locutio Angelorum de facto fit per causationem & productionem conceptûs, vel alicujus alterius effectûs in intellectu Angeli audientis.* Ita Doctor subtilis sæpè citatus. Probatur Primò ex dictis & rationibus prioris Conclusionis, & quia hic modus optimè explicat locutionem spiritualem Angelorum, ut mox fusius explicabo. (Z. Locutio Angelorũ fit per productionẽ alicujus effectus in altero Angelo.)

Probatur Secundò: Omnis loquens intellectualiter alteri causaret immediatè in eo conceptum illius objecti, de quo loquitur, si posset, sed hoc potest unus Angelus respectu alterius, ergò sic de facto loquitur? major probatur: Omne agens naturale statim induceret effectum in id, quod principaliter intendit, si posset, ut patet discurrendo per singula, si enim ignis in primo instanti posset ignire stupam vel quodvis aliud passum, statim id faceret, & sic si sine prævìis signis aut nutibus externis possem in intellectu alterius hominis immediatè causare notitiam per speciem objecti, de quo loqui volo, absque eo, quòd in ejus sensu prius aliquid causem, certè libenter face-

facerem, maximè in casu; quando res & conceptus interni per verba in rudibus intellectibus difficulter explicantur, ergò cùm Angelus in proposito per locutionem aliud non intendat, quàm quòd alter habeat notitiam rei, de qua loquitur, & quam non novit alter, sequitur si possit illum causare modo dicto, quòd sic faciat.

Probatur Conclusio Secundò: Quia locutio Angelorum melius explicari non potest; ergò: Probatur antec: Quia non potest fieri per simplicem expressionem conceptûs, quem Angelus habet in seipso, tanquam in libro aperto, ut volebat Henricus, quia alioquin sequeretur, quòd loquens uni omnibus loqueretur, nam conceptus ille expressus æqualiter omnibus patet, ergò æqualiter omnibus loqueretur: Nec sufficit recurrere ad ordinationem voluntatis, quia illa ordinatio nihil causat in intellectu audientis, consequenter non magis intelligit hic quàm ille, sed æqualiter omnes. Ex quo confirmatur ratio: Quia si nihil causatur in intellectu audientis per locutionem, nulla poterit assignari ratio, quare Angelus modò audiat, & ante non audiebat.

Probatur Tertiò: Illuminatio est locutionis species, sed in illuminatione, quando DEUS illuminat Angelum, DEUS nihil causat in se ipso, sed aliquid in intellectu Angeli illuminati; ergò verisimile est, quòd etiam Angeli superiores illuminando inferiores nihil in se, sed illuminatis causent, ergò sic quoque dicendum est de aliis locutionibus. Sed in contra

Arguitur Primò: Intellectio est actio vitalis; sed de ejus ratione est, quòd sit actio immanens, ergò non poterit transire extra potentiam Angeli productivam. Respond. distin: maj: est vitalis vitalitate physica, quæ consistit in physica efficientia actûs vitalis à principio vitali, nego maj: vitalitate intentionali, quæ consistit in vitali tendentia potentiæ in objectum, conc: maj: ratio est, quia DEUS vitaliter intelligit, & tamen physicè non producit, item objectum partialiter producit intellectionem, & tamen non ideò vitaliter agit, & distin: etiam min: de ratione formali actionis vitalis grammaticaliter sumptæ, est immanenter agere, conc: min: actiones de genere actionis, neg: min: & consequ: Itaq; intellectio dicitur actio immanens non præcisè, quia subjectatur in efficiente illam, sed etiam, quia est in agente, & operante per illam, unde quia manet in audiente & intelligente Angelo per illam, licèt ab alio producatur, dicitur adhuc vitalis, & quia tendit per eam vitaliter in objectum.

Instatur: Implicat, quòd ignis *A* possit calefacere per calefactionem ab igne *B* productam, ergò etiam implicat intellectum Angeli audientis intelligere per intellectionem ab Angelo loquente productam. Respond. neg: conseq: Quia calefacere est effectivè ex se producere calorem, & per actionem quidem, quæ est de genere actionis, quæ exigit esse in fundamento suo, intelligere verò non consistit in sola efficientia, sed quàm maximè in recipientia, quia secundùm Aristotelem 3. de anima: *Intelligere est quoddam pati*, hinc parum refert, à quo producatur, dummodò postmodum potentia per illam intellectionem vitaliter in objectum tendat, unde disparitas est hæc, quòd calefactio sit de genere causæ efficientis, intellectio verò, licèt efficientiam prærequirat in uno vel altero, est tamen magis de genere causæ formalis.

Urgetur: Si unus Angelus posset in altero producere intellectionem, per quam vitaliter posset intelligere, posset etiam in homine, sed hoc est falsum, ergò: Probatur sequela, Quia in operatione intellectiva anima non utitur corpore, sed solùm virtute spirituali, ergò &c. Respond. neg: sequelam, cujus probationem distin: in operatione intellectiva anima non dependet, & utitur corpore formaliter, conc: antecedenter & prærequisitivè, neg: antec:

tec: & consequ: unde non ideò præcisè nequit de facto infundi, & imprimi intellectio nobis ab Angelo, quòd intellectio non sit materialis, sed spiritualis, sed ideò, quia pro hoc statu in anima nihil recipitur, nisi quod prius recipiatur in sensibus.

Arguitur Secundò: Ex sententia nostra sequitur idem absurdum, quod allegatum est contra Thomistas, nempè quòd pluribus Angelis præsentibus Angelus audiens nesciet, quis eorum loqueretur, ergò: Probatur sequela: Poterit contingere, quòd omnes Angeli præsentes de eadem re, de qua sermo fieret, haberent notitiam, quæ fit per speciem, vel objectum, & per intellectum tanquam per principia productiva, sed per eadem principia produceretur conceptus, seu cognitio in intellectu Angeli audientis, ergò ille tunc non sciret, quis produxisset, cùm quilibet producere potuisset, utpotè cùm quilibet esset sufficienter dispositus. Respond. neg: sequelam, cujus probationis maj: distin: potest contingere &c. tanquam per principia productiva, quorum aliqua applicarentur in actu secundo per actionem & formalem actualem tendentiam, quæ in relatione consistit, conc: maj: ita ut omnia essent formaliter sub relatione actionis & tendentiæ, nego maj: itaque licèt Angeli alii præsentes haberent eadem principia, tamen Angelus audiens videret, quis eorum se applicuisset ad actionem formalem; quemadmodum enim loquente uno vident alii, quòd loquatur, ita videt ipse audiens, quis loquatur.

Respond. Secundò neg: antec: seu sequelam, ad cujus probationem dico, quod sicut Michaël, v. g. & non Gabriel loquitur Urieli, ita & ille, & non iste causat in intellectu Urielis non solùm cognitionem objecti, de quo vult loqui, sed etiam cognitionem suæ cognitionis, ut ab ipso hìc & nunc procedentis, & hoc mediante suo intellectu tanquam causa partiali & simul ipsa cognitione tanquam objecto, ita quòd Michaël duplicem in Uriele causet cognitionem, unam objecti, de quo vult loqui, & alteram suæ cognitionis de objecto, & sic facilè dignoscit Uriel, quòd Michaël & non alius ei loquatur, in quantum cognoscit conceptum Michaëlis, & per hoc indirectè & concomitanter Michaëlem ei loquentem. Eandem difficultatem patiuntur Adversarii, quia nullum signum aut nutum profert unus Angelus, quin alius cognoscens idem objectum eadem signa facere possit, undè ergò sciet audiens, quis sibi loquatur.

Arguitur Tertiò: Iste modus loquendi non salvat, neque explicat, quomodo unus Angelus potest loqui alteri Angelo de re utrique aliàs nota, ergò; probatur antec: Quia tunc non imprimit ei ullam intellectionem, aut speciem, quia suppono jam ista habere, vel si imprimit, oportet, quòd tunc in eodem intellectu sint simùl duæ intellectiones, aut species ejusdem objecti, quod videtur absurdum, ergò. Respond. neg. antec: ad probationem dico, quòd si audiens habitualiter tantùm cognoscat objectum, tunc alterum illi imprimere cognitionem actualem objecti, vel si audiens jam habeat speciem, & actualem intellectionem objecti, tunc aut scit audientem cognoscere objectum, aut non? Si non: tunc dico, quòd poterit Angelus loquens imprimere ei cognitionem suæ cognitionis, quam alter non præcognovit: Si autem audiens præcognovit, alterum præcognoscere idem objectum, potest dici, quòd Angelus fortior causaret intellectionem in altero, & propter incompatibilitatem utriusque actûs desineret cognitio præhabita. Potest etiam dici, quòd locutio fieri possit aliquando absque actuali impressione alicujus in intellectu audientis, nimirum quando contingit audientem cognoscere objectum & conceptum loquentis, nam etiam Theologi concedunt, sacraq; Scriptura confirmat, Angelos DEO loqui, cùm tamen nihil imprimant in intel-

intellectu divino, nec per hoc frustra censenda est illa locutio, quia locutio non est ad imprimendum actualiter aliquid alteri semper, sed potissimè ad liberè communicandum aliis, quantum in se est, suos conceptus, ita quòd velit alios scire suas cogitationes, & facere quantum in se est, ut producat suos conceptus, si esset capax, vel si aliàs eos non praehaberet.

Instatur: Sequeretur ad minus Angelum inferiorem nunquam posse loqui superiori, quia superior non est in potentia ad aliquid recipiendum ab inferiori. Respond. neg: sequelam, posset enim inferior superiori loqui in casu, quo superior ignoraret aliquod objectum inferiori notum, maximè aliquid singulare, tunc inferior poterit illi imprimere tàm intellectionem, quàm speciem, quia licèt sit fortior & potentior, tamen in illa civitate DEI, quo potentior aliquis censendus etiam conniventior. Vel saltem posset solam speciem illi imprimere, si alter esset intensioribus intellectionibus occupatus, ad quam superior se convertens poterit producere intellectionem ad eum modum, quo homo distractus & improfundatus in aliqua speculatione altero loquente non percipit, nec recogitat, quid dixerit, manent tamen species in illo, quibus mediantibus cessante illa gravi speculatione, percipit & cognoscit objectum, de quo alter loquebatur.

Arguitur Quarto: Iste modus loquendi non explicat quoque, quomodo unus Angelus possit simul & semel pluribus loqui, aut quomodo unus plures loquentes de eadem re, vel de diversa audire, ergò. Respond. neg: consequ: Ad primum dico, quòd si memoria Angeli loquentis habeat virtutem productivam v. g. 10. vel 100: intellectionum de eodem simùl (non enim potest producere infinitas) tunc poterit simùl 10. vel 100. Angelis loqui de eadem re, aliàs non, nisi secundùm quod virtus ejus intellectiva se extendit. Ad secundum dico: Si plures loquantur de eadem re, tunc fortior ex loquentibus causabit intellectionem objecti, alii verò non, nisi tantùm cognitionem suorum conceptuum de eadem re, vel saltem species impressas conceptuum, nam fortè non potest Angelus simùl attendere ad omnes conceptus: Si autem plures loquantur de diversis rebus, & Angeli intellectus est adeò attentivus, ut possit simùl ad omnes attendere, tunc singuli causabunt singulas cognitiones rerum, de quibus loquuntur, & similiter audiens poterit simùl respondere omnibus per totidem actus, si autem non potest simùl attendere ad plura, tunc fortior ex loquentibus causabit intellectionem sui objecti, & distrahet illum à consideratione actuali aliorum, & sic alii producent solùm species intelligibiles rerum, de quibus loqui volunt.

XI. Potest fieri sine specie impressa.

Dico Sexto: *Inter Angelos potest interdùm fieri locutio sine impressa specie per solam causationem intellectionis inter Angelos.* Ità Doctor suprà. Probatur: Vera locutio fieri potest de re habitualiter nota audienti, uti etiam nos possumus loqui de rebus notis, estque etiam possibile inter Angelos fieri, sed in tali casu non imprimeret speciem rei, quia jam praehabetur, & duae non possunt esse simùl, ergò fieri potest locutio sine specie impressa per solam impressionem conceptùs actualis.

XII. Et aliquando ad solā speciem terminari.

Dico Septimò: *Interdum locutio Angeli in intellectu audientis ad solam speciem impressam terminatur.* Probatur cum Doctore subtili: Minor virtus non potest majorem suo effectu retrahere, ergò, si superior Angelus sit impeditus in consideratione alicujus objecti, inferior non poterit immediatè in intellectu ipsius actualem cognitionem causare; Tùm, Quia duae intellectiones intensae perfectissimae non possunt intellectui audientis inesse simùl: Tùm, Quia

(*) Aa

Quia superior Angelus posset sic occupari, ut nolit inferiorem audire, ergò tunc locutio ad solam speciem objecti terminabitur, sicut contingit in nobis distractis.

Probatur Secundò: Dato, nullum reperiri impedimentum ex parte audientis, quin valeat utrisq; loquentibus attendere, & ab iisdem speciem simùl, & actualem notitiam accipere, ex quo loquens voluntariè agit ex imperio voluntatis suæ, solam speciem non actum cognoscendi imprimere poterit.

Probatur Tertiò: Sicut homo loquens alteri per studium distracto in ejus aure speciem soni, non actualem auditum efficit, licèt postea species soni aliam in phantasiam immitteret, per quam audiens postea rediens à distractione, præsens objectum per sonum perciperet distinctè, ita non implicat locutionem Angeli per solam speciem impressam terminari.

XIII. Et aliquando an speciem & intellectionem.

Dico Octavo: *Locutio Angeli interdum terminatur & ad speciem, & ad actualem intellectionem.* Probatur cum Doctore subtili: Si Angelus non habeat notiam rei singularis, ejus intellectus erit receptivus utriusque speciei impressæ & expressæ, sed intellectus Angeli est sufficienter in actu primo effectivè producendi utramque in passo debitè applicato & approximato, ergò: minor de actu & specie expressa patet ex dictis, probatur etiam de impressa, quia una species nata est non modò cum intellectu producere expressam, sed etiam aliam impressam sibi similem, sicut species sensibilis causat sibi aliam similem in medio.

Dices: Actualis locutio non potest esse principium locutionis in Angelo secundùm Scotum hic, ergò nec una species erit principium productivum alterius speciei. Respond. neg. conseq: cum Doctore in quodl. 14. in fine, disparitas est, quia species impressa est talis naturæ, ut per se primò sit virtualiter repræsentativa subjecti, proindè potest seipsam multiplicare in quolibet intellectu proportionato, sicut multiplicatur sensibilis species in medio, sed actualis notitia non est sic virtualiter repræsentativa objecti, sed tantùm sui, objecti autem est tantùm formaliter repræsentativa & quidem intellectui præcisè, cui inest.

Dico Nonò: *Angeli etiam loquuntur DEO.* Probatur ex Zacharia 1. *Respondit Angelus Domini & dixit: Domine exercituum, usquequo tu non misereberis Jerusalem?* Item ex lib. Job & alibi: Tùm, Quia etiam homines loquuntur DEO, ergò. — XIV. Angeli loquuntur cum DEO.

Dices: Angelus loquitur producendo in audiente cognitionem ex dictis, sed talem cognitionem non potest Angelus producere in DEO, ut de se patet, ergò non potest ei loqui. Respond. distin: maj: producendo cognitionem in subjecto apto nato recipere, & pati ab agente creato, conc: maj: in ente infinito & immutabili, neg: maj: & distin: min: non potest producere ex eo, quòd non haberet principia sufficientia in actu primo, nego: ex alio capite, concedo. Itaque Angelus loquendo DEO in actu primo verè realiter & physicè agit, quia Angelus in actu primo loquitur per memoriam fœcundam ab imperio voluntatis applicatam, hæc verò sunt physicè in Angelo, ergò. in actu autem secundo locutio Angeli est solùm metaphorica & moralis, quia in ipso nihil producit, undè ad instar loquentis se tantùm habet in comparatione DEI.

Quæres: *An per locutionem in Angelo audiente causetur notitia intuitiva vel abstractiva?* Respondetur neutram, sed aliam tertiam, quæ fidei æquiparatur. — XV. Qualis notitia in Angelo audiente causetur.

Probatur prima pars: Quia notitia intuitiva fit immediatè à re in se existente, ut præsente, & ad eam sic terminatur, auditio autem immediatè causatur à memoria fœcunda loquentis, & ad ipsam rem in memoria loquentis habitualiter præsentem terminatur, ergò.

Proba-

Probatur secunda pars: Quia hæc causatur ab intellectu intelligentis & à specie impressa, notitia autem per locutionem accepta totaliter causatur à memoria loquentis, non ab existentia rei in specie, ergò locutio non est notitia rigorosè abstractiva.

Probatur tertia pars: Quia non est major certitudo, quando aliquid auditur ab aliquo, quàm sit credibilitas dicentis, sed &c. ergò.

QUÆSTIO SECUNDA.

An Angelus unus possit pluribus, & de pluribus simul loqui?

I. [illegible] plu- [illegible] loqui.

Est extra controversiam, quòd Angelus possit uni Angelo loqui & non alteri, quia loqui est ad alterum conceptum suum dirigere, quocunque fiat modo, sive alii audiant sive non, quod in sequenti resolvam quæstione; hoc enim hîc parum refert, in facultate enim loquentis est dirigere ad hunc suum conceptum, & non ad illum, sicuti si Petrus cum Joanne in præsentia multorum loqueretur, cùm eo tantùm diceretur loqui, quia ad eum sermonem dirigeret, licèt loquentem plurimi alii audirent, sic Angelus potest causare conceptum in intellectu unius Angeli, & non alterius, quia activum naturale productivum intellectionis est subjectum imperio voluntatis; & ideò pertinet ad voluntatem Angeli determinare, ut agat in hoc passum, & non illud, nempè in hunc intellectum istius Angeli, & non in illum. Sed dubium est, quot Angelos aliquis alloqui possit; & de quot rebus? Quorum dubiorum resolutiones ex diversitate prima, ratione locutionis Angelorum dependet, Scotus hîc relinquit rem insolutam, licèt moveat, ego

II. Angelus quando loquitur per productionem conceptus, non [illegible] uni.

Dico Primò: *Quando Angelus loquitur alteri Angelo per productionem conceptûs sui à memoria fœcunda in intellectu alterius, non potest simul, nisi uni loqui, de re una distinctè; de pluribus in confuso.* Hæc est satis conformis principiis Scoti, Et probatur: Nullum agens creatum potest simul & semel producere plures effectus sibi adæquatos, sed una intellectio distincta de una re est effectus adæquatus intellectûs angelici, ergò Angelus non potest producere plures, consequenter nec pluribus loqui, quia loquitur per productionem intellectionis: maj: patet, nam licèt idem pater possit successivè producere plures filios, non potest tamen eos simul; probatur etiam min: Quia intellectio una distincta, & clara de aliqua re est effectus adæquatus ipsiusmet Angeli loquentis, ita quòd in seipso simul non possit plures producere; ergò etiam erit effectus adæquatus respectu alterius Angeli.

Dices: Homo potest simul & semel loqui pluribus, ergò etiam Angelus, cùm sit multò perfectior. Respond. neg. consequ: Disparitas est, quia vox (vel species ejus) quæ gignitur ab homine, defertur eadem per aërem ad aures audientium, & sic tot possunt audire, quot sunt illi, ad quorum aures defertur; locutio autem angelica non est res materialis, quæ eadem possit per medium ad plures deferri, sed gignitur solùm per actualem actionem, & impressionem factam ab Angelo loquente in intellectu Angeli audientis, undè, cùm ipse unam possit solùm producere, uni tantùm poterit loqui.

Instatur: Scotus videtur supponere, quòd idem Angelus possit pluribus loqui, alioquin non quæreret numerum eorum, quot possit? ergò. Respond. Scotum supponere, quòd Angelus possit loqui pluribus; ita ut uni distinctè; & aliis confusè, quemadmodum docet, quòd unam intellectionem in se distinctam possit simul & semel producere, & plures confusas, quando ergò quærit, quot loqui possit; supponit de locutione distincta, non confusa; nam de hac est conclusio nostra, quòd pluribus loqui possit, tot videlicet, quot potest confusas simul producere.

III. Angelus si per speciem, potest loqui pluribus.

Dico Secundò: *Si locutio Angelorum fiat per activitatem specierum in Angelo loquentis, sic videlicet, ut illa ex imperio voluntatis producat similem speciem in alio Angelo, tunc unus Angelus potest simùl & semel pluribus loqui.* Probatur: Una eademque albedo præsens pluribus oculis, nata est causare plures species in eis, ergò etiam una eademque species angelica memoriæ fœcundæ poterit producere plures in intellectibus præsentium Angelorum, si illi attendere vellent. Verùmtamen

IV. Non est determinatus numerus.

Dico Tertiò: *Non potest pro hoc statu determinari, quot Angelis unus loqui possit, qualesque res eisdem proponere.* Probatur: Quia pro hoc statu non possumus Angelos cognoscere ex propriis principiis secundùm propria prædicata, ergò nec possumus eorum activitatem comprehendere, quot & quas intellectiones possint efficere simùl.

Probatur Secundò: Angeli distinguuntur specie, eorumque virtus activa secundùm diversitatem specificam major & minor est, intensior & remissior; sed diversitatem specificam non possumus eorum cognoscere, quia non cognoscimus eorum differentias, ergò nec eorum activitatem.

V. Potest uni loqui potiùs quàm alteri.

Dico Quartò: *Angelus potens loqui pluribus, potest etiam uni loqui potiùs, quàm alteri ex illis, licèt sint æqualiter præsentes.* Probatur: Unus Angelus loquitur alteri per imperium voluntatis, applicando eidem memoriam suam fœcundam ad producendam in intellectu audientis cognitionem, ergò pro libitu potest in uno & non in alio per locutionem causare talem cognitionem.

Probatur Secundò: Locutio non est sola manifestatio conceptûs objectiva, sed actio realis terminata ad auditum formaliter recipientem notitiam, tanquam terminum illius intrinsecum, sed illa actio non est tota naturalis, sed voluntaria, ergò potest causare in uno, & non in alio. Hinc est, quòd si unus Angelus loqueretur pluribus per productionem cognitionis, ut dicebat prima conclusio, tot essent locutiones, quot essent Angeli audientes, distinctæ vel confusæ, prout ex virtute sua Angelus natus esset eas producere, secundùm commensuratam perfectionem.

Dices: Angelus vel loqueretur publicè, vel secretò, neutro modo posset, ergò: Probatur min: non secretò, quia suprà dixi, in Angelis non esse secreta cordium: Si publicè, ergò Angelus alter audiret, consequenter non posset loqui uni, & non alteri. Respond. neg: minor: Quia utroque modo ad invicem loqui possunt, nam, licèt in Angelis non sint secreta cordium, & consequenter non possit impedire, quin alter videat, si DEUS concurreret, attamen potest alteri loqui, ut unus tantùm audiat, & non alter, magna est enim disparitas inter locutionem, & visionem, & auditionem, quòd ex superiùs dictis colligendum relinquo. Sed

Instabis: Si alii Angeli præsentes intelligant ea, quæ dicuntur ab alio, vel intelligere possint, si velint, jam illa locutio non erit secreta, sed publica. Respond: visionem semper futuram publicam, si DEUS velit concurrere, non tamen locutionem, quia hæc ex voluntate Angeli applicatur uni, & non alteri, unde semper dico, quòd alii præsentes viderent, nego autem quòd audirent, disparitatem quære ex superioribus. Verùm

Urgebis: Potest unus homo alteri loqui, quin tertius cognoscat & intelligat, ergò etiam debebit Angelo aliquid ultra concedi. Respond. negan: consequ: disparitas est, quia homo pro statu isto intelligit dependenter à sensibus, & ideò nequit locutionem alterius per vocem factam scire, quin prius illius vox ad aures pervenerit suas, undè si loquens modificet vocem suam, quin ad aures alterius perveniat, tunc

tunc etiam auditionem & intellectionem occultabit, non sic autem est in intelligentia Angelorum.

QUÆSTIO TERTIA.

An Angelus possit alteri in quacunque distantia loqui?

I. Actio in medium quæ prior quam in terminum.

SEnsus quæstionis est primò, an unus Angelus valeat alteri loqui in quacunque distantia indeterminatè accepta, saltem finitè in infinitum? Secundò, an in distantia determinata? Utroq; sensu reddit quæstionem solutu difficilem medium intercedens, quatenus in se non est capax alicujus speciei intelligibilis impressæ vel expressæ, sicut aër est medium susceptivum specierum sensibilium. Pro quo

Notandum ex Doctore subtili, quòd actio in medium non procedat naturaliter actionem in terminum, nisi duplici ex causa, aut quia est ejusdem rationis medium & terminus, & tunc prius naturaliter recipitur in medio, sicut passum propinquius naturaliter prius patitur, quàm passum remotiùs: Aut si est alterius rationis, agens habeat duas formas activas, quarum una naturaliter est prior alterâ, & secundùm illam formam, quæ est prior activâ, natum est agere in medium, & secundùm alteram in terminum: Exemplum primi est, quãdo sol illuminat partes medii: Exemplum secundi, quando sol generat mineram in visceribus terræ, vel vermem in terra, & illuminat medium interpositum, his duobus modis exceptis, dicit Scotus, quòd tunc agens non agat prius in medium, quàm in terminum, sed statim in terminum, & sic potest Angelus unus alteri loqui etiam distanti. Verùm

II. Angelus non potest loqui in quacunque distantia.

Dico Primò: *Non potest unus Angelus alteri loqui indeterminatè, scilicet, finitè in infinitum.* Probatur: Quia sphæra activitatis cujuslibet agentis creati commensuratur quantitati virtutis illius, sed Angelus habet finitam virtutem, ergò. Confirmatur, Quia soli DEO ratione infinitatis suæ competit sic agere, ergò nulli creaturæ competere potest. Sed

Arguitur in contra: Ad actionem spiritualem, merè accidentalis est præsentia localis, ergò potest fieri in quacunque distantia, cùm passum non obsistat, sed potius perfectionem illam appetat, sed locutio inter Angelos est spiritualis, ergò. Confirmatur: Corpora interjacentia non impediunt illam actionem spiritualem, quia non transit per illa corpora, ergò. Respond. distin: antec: præsentia localis est accidentalis, quando terminus actionis non dependet à passo, conc: si dependeat, neg: antec: tunc enim passum debet determinatè præsens esse intra sphæram activitatis agentis. Ad Confirm. Respond. distin: etiam antec: corpora interjacentia non impediunt actionem, ex eo capite, quòd non transeat, conc: ex alio capite, videlicet, quia passum extra sphæram activitatis agentis constituunt, neg. antec: & consequ.

Dices: Hoc videtur esse contra Scotum, quia in reportatis dicit, quòd unus Angelus possit alteri distantiori loqui, & non propinquiori, quia utitur linguâ pro non lingua, medio pro non medio, quia memoria est principium locutionis per voluntatem applicata, ergò potest per istam applicationem etiam in infinitum distanti loqui. Respond. neg: consequ: quia Scotus loquitur ibi de Angelo distante & propinquo intra sphæram activitatis loquentis, quæ magna est capiens Angelos multos, ex quibus per applicationem poterit distanti, & non propinquo loqui. Hinc

Dico Secundò: *Ut unus Angelus alteri loquatur, non requiritur ullus contactus localis.* Hæc est Doctoris subtilis 2. d. q. q. 2. §. Ad quæstionem. Et Probatur cum eo Primò: Quandocunque in actione medium non est ejusdem rationis cum termino æqualiter receptivum, & causa agens non habet duplicem for- III. Angelus ut loquatur, non requiritur contactus localis.

mam, per quam agat, quarum una prius naturaliter egrediatur, quàm altera, etiam actione diversæ rationis, tunc nullo modo præcedit actio in medium, quàm in terminum; sed sic est inter Angelos, ergò. Probatur min: Quia medium distans inter Angelos non est natum recipere actionem, quam recipere potest Angelus audiens, cùm sit corporale; & intelligere per Aristot. est actio incorporea & inorganica; nec etiam habet duplicem formam, per quarum unam prius agat, quàm per alteram, ergò.

Probatur Secundò: Potest Angelus inferior seipsum intuitivè cognoscere, ergò etiam Angelus superior sic valet eum cognoscere, quia perfectio possibilis inferiori non repugnat superiori, sed Angelus superior potest ab inferiore distare, ergò non requiritur contactus localis.

Probatur Tertiò: Si DEUS non esset, per impossibile, ubique per suam Essentiam, & esset tamen omnipotens, tunc Essentia non esset præsens visceribus, vel centro terræ, & tamen posset creare aliquid in visceribus, vel centro terræ, sed tunc ageret & produceret aliquid in extremo, absque eo, quod ageret in medium, ergò distantia localis non impedit etiam in Angelis.

Probatur Quartò: Sed de facto causat vermem, vel aliam substantiam generabilem, & corruptibilem, & tamen actione illius rationis, scilicet generationis, non agit in medium, nec actione alterius rationis, nisi quia sol habet aliam formam activam, scilicet qualitatem; per quam natus est agere prius aliquo modo, quàm per suam formam substantialem; sicut alteratio præcedit generationem.

V. A DEO est præfinita distantia. Dico Tertiò: *A solo DEO præfinita est determinata distantia, vel ab eo certò scita, in quâ unus Angelus potest alteri loqui.* Patet ex dictis suprà.

QUÆSTIO QUARTA.

Quid sit illuminatio, & quomodo à locutione differat?

Illuminatio locutionis species, de se in plrribus cùm ea convenit, sine convertentia tamen, quemadmodum fieri assolet in omnibus generibus & speciebus, undè, quæ particularia erunt in hac, & sequentibus quæstionibus, examinabo, & imprimis contra Durandum, qui licèt in modo, in re negare non audet, suppono dari illuminationem inter Angelos, quod tàm certum esse puto, ac certum est, eos loqui, undè pro prima parte tituli

Dico Primò: *Illuminatio benè definitur, quòd sit locutio de supernaturali vero, in esse secundo perfectiva.* Ita ex Doctore subtili 2. d. qu. qu. 2. Probatur: Quia constat genere & differentiâ, ergò benè definitur: Probatur antec: *Locutio* habet rationem generis; colligiturque illuminationem esse locutionem: Tùm ex D. Paulo ad Ephes. 3. dicente: *Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia, illuminare omnes, quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à seculo in DEO*, id est; mihi data est gratia annunciandi & prædicandi vobis Evangelium: Tùm ex D. Gregor. lib. 2. Moral. cap. 4. dicente: *Loquitur DEUS ad Sanctos Angelos eo ipso, quòd eorum cordibus occulta invisibilia ostendat*, quod est dicere, illuminat DEUS Angelos. Per *Verò supernaturali* ostenditur differentia præcipua illuminationis, respectu locutionis; quia hoc est semper de aliquo supernaturali, vel saltem dependente à libera DEI voluntate & dispositione. Dicitur *In esse secundo perfectiva*; non quòd locutio etiam non sit angelici intellectûs magna perfectio, nam si locutione careret; esset utique valdè imperfectus, sed comparativè, quia perficitur modo indebito, est enim illuminatio de iis, quæ DEUS liberaliter creaturis & Angelis de Thesauris suis communicat, quæque connaturaliter II. Illuminatio definitur.

ter non cognoscunt, unde magis perficit intellectum, quàm illa, quæ connaturaliter cognoscere potest. Sed in contrà

Arguitur: Diffinitio assignata non distinguit illuminationem à locutione, ergò non est bona: probatur antec: locutio etiam est perfectiva intellectûs angelici, ergò. Respond. neg: antec: cujus probationem distinguo, locutio est etiam perfectiva secundùm quid, & per accidens, conc: antec: simpliciter, & quasi per antonomasiam, ex eo, quòd faciat modo indebito naturæ, nego antec: & conseq:

Instatur: Illud objectum, quod illuminationem à locutione distinguit, est valdè obscurum & ambiguum, ergò non potest simpliciter dici perficere intellectum: Probatur antec: quia dicitur à Scoto *excellens*, & tamen, quanta sit excellentia, non explicat; si dicatur explicari per tò *intellectûs perfectiva*, est incontra, quòd, cùm Angelus secreta sui cordis alteri revelat, illum non illuminet, & tamen ejus intellectum verè perficiat: Et si dicatur iterum, illuminationem magis perficere; illud non subsistit, quia majus vel minus intra eandem speciem, eam non variat, nec facilè assignari potest, quisnam sit ille gradus magis varians. Verùm Respond. Totum hoc argumentum pompofum esse, sed nihil urgere, quia tò *intellectûs perfectiva*, est vera differentia illuminationis à locutione, & licèt revelatio cordis secreti etiam perficiat, illud secretum est tamen naturaliter intelligibile, objectum autem illuminationis non sic, unde non tantùm dicitur intellectum perficere, sed etiam purgare intellectum illuminati.

III. Illuminatio et quibus capitibus sumatur à locutione. Dico Secundò: *Differentia illuminationis à locutione potest desumi, tàm ex parte objecti materialis & formalis, quàm ex parte termini & modi producendi.* Hanc colligo ex Scoto hic: Et per tò *Ex parte objecti materialis & formalis* excluditur differentia primò à nonnullis assignata, quòd locutio indifferens sit ad verum & falsum, illuminatio autem tantùm fiat de vero, hæc enim differentia locum non habet in Angelis beatis, qui semper verum loquuntur, non tamen semper illuminant. Excluditur secundò, quòd locutio fiat de re indifferenter nota vel ignota, illuminatio verò semper de re ignota: Quia homines, dæmones, & Angeli frequenter loquuntur de rebus ignotis. Hoc prænotato

Probatur Conclus. quoad partem eandem, Angelus non illuminatur in naturaliter notis, vel noscibilibus cujuscunque sint ordinis, quia hæ res non subterfugiunt latitudinem objecti naturaliter motivi intellectûs angelici, ergò illuminatio est præcisè de rebus futuris, vel à Decretis divinæ voluntatis, vel à divina revelatione pendentibus, hinc illuminatio nunquam est de universalibus, sed semper de particularibus.

Probatur 2. Scientia per illuminationem non est evidens ex parte rei, quia de rebus evidenter nobis Angelus non indiget illuminari, ergò illuminatio benè differt à locutione per objectum materiale, ut probat prima ratio, & etiam per formale, quia objectum adæquatum illuminationis est verum revelatum, ita videlicet, ut res latens sit objectum materiale, revelatio verò formale, E. g. supposito, diem judicii esse materiam illuminationis, illuminatio nequit cum certitudine naturali hanc veritatem ostendere illuminato, cùm nec ipse cum certitudine tali cognoscat, ergò debet sub revelatione divina illam accipere.

Dices: Angeli sunt extra statum viæ non capaces assensûs fidei, sed verum sub revelatione est objectum fidei omninò obscurum, ergò non est objectum illuminationis in beatis Angelis. Respond. distin: major respectu objecti primarii, conc: respectu aliorum ab objecto primario, nego: Quia quoad secundaria obje-

objecta puto Angelum omninò esse capacem actûs fidei.

Probatur secunda pars Conclus. Quia locutio quandoque fit per solum actum & conceptum, quandoque per hunc & speciem; & quandoque per solam speciem, sed illuminatio semper fit, saltem quoad objectum complexum, per conceptum actualem, ergò. Dixi *saltem quoad objectum complexum*, quia quoad incomplexum, si esset de aliqua re habitualiter ignota, posset etiam speciem simùl acquirere.

Probatur denique, quòd etiam differat ex modo producendi: Quia locutio semper prius producitur in Angelo loquente, per illuminationem verò nihil Angelus illuminans in seipso producit, sed tantùm in alio, quem illuminat, illuminans verò recipit à DEO immediatè aliquid ab ipso in intellectu suo productum.

QUÆSTIO QUINTA.

Quomodo fiat Illuminatio in Angelis?

I. Illuminationis diversi modi.

CIRCA Illuminationem tot, tamque diversæ sunt sententiæ, ac circa locutionem, tres tamen sunt solemniores: Prima dicit illuminationem fieri per simplicem propositionem externam veritatis, de qua est illuminatio, absque eo, quòd imprimat aliquid Angelo illuminato, sicut Magister illuminat Discipulum, ex eo, quòd ipsi proponat veritatem discendam, absque eo, quòd aliquid effectivè in ipso producat. Ita Vasquetz plures pro se citans. Secunda est, illuminationem fieri per productionem alicujus luminis in intellectu illuminati, quod tamen hujus sententiæ Authores variè inter se explicant: Alii enim putant, esse aliquem radium supernaturalem: Alii, esse lumen supernaturale adjuvans intellectum: Alii, esse lumen aliquod naturale intendens: Alii, ex ea, quòd alter Angelus cum eo effectivè concurrat: Alii aliter. Tertia sententia est Doctoris subtilis, Angelum unum illuminare alterum producendo in ipso intellectionem aliquam, per quam moveatur ad cognoscendam clariùs in se illuminante, & clarissimè in Verbo, Eum sequuntur sui. Interim:

Dico Primò: *Illuminatio non fit per simplicem propositionem externam veritatis, de qua dicitur fieri illuminatio.* Probatur Primò ex D. Augustino pluribus in locis, ubi docet illuminationem fieri per productionem alicujus effectus ab illuminante in illuminato, ut concion. 18. in Psalm. 118. ubi dicit: *Potest quidam aliquid agere Angelus in mentem hominis, ut capiat lucem DEI, & per hanc intelligat, sed ita dicitur intellectum dari homini & quasi, ut ita dicamus, intellectuare hominem, quemadmodum quisque dicitur lucem dare domui, vel domum illuminare, cui facit fenestram.* Et infrà: *DEUS autem & mentem hominis rationalem atque intellectualem fecit, quæ possit capere lumen ejus, & Angelum talem fecit, qui operari possit ad aliquid, unde ad capiendum lumen DEI mens adjuvaretur humana*: Sed qui facit fenestram, non tantùm aperit viam luci, & tollit impedimenta, sed etiam magnum aliquid efficit in domo, eam fodiendo, mutando &c. ergò etiam Angelus illuminans aliquid in illuminato efficit. Similiter probat intentum altera authoritas, nam si aliquid Angelus operatur, undè ad capiendum lumen DEI mens adjuvatur, quia hæc operatio debet terminari ad aliquod productum in aliquo subjecto, tunc quæro, in quod tendat, certè non in aliud, quàm in intellectum Angeli audientis.

II. Illuminatio non fit per simplicem externam propositionem.

Probatur etiam omnibus rationibus, quibus probatum est, locutionem non fieri per simplicem perfectionem, nec exemplum de Magistro & Discipulo aliquid valet, quia Magister non illuminat Discipulum, sed accommodat objectum capacitati ejus.

III. [illegible]

III. Illuminatio nec per productionem alicujus luminis fit.

Dico Secundò: *Illuminatio non fit per productionem alicujus luminis sive naturalis, sive supernaturalis in intellectu illuminati.* Hæc est contra Thomistas. Probatur Primò: Quia illud lumen vel esset intensius lumen, vel novum; vel per concursum amborum intellectuum ad eandem intellectionem producendam; ratione cujus concursûs diceretur illuminatus confortari & roborari; sed neutrum dici potest, ergò probatur min: Non primum, quia intellectus angelicus est substantia, non susceptivus magis & minus: Nec etiam secundum; quia secundùm Thomistas Angelus non est passivus ab aliquo agente creato, recipiendo aliquam speciem vel objectum, ergò multò minus aliquod lumen: Non denique tertium, Tum, Quia una intellectio non est nata produci, nisi ab uno intellectu, & si duæ concurrant, duæ erunt intellectiones, quarum una non adjuvatur ab altera: Tùm, Quia in agentibus corporalibus unum agens non confortatur ex concursu alterius, nisi ipsum aliquid recipiat à concurrente.

Probatur Secundò Conclusio: Quòd nullum novum lumen producatur in illuminatione: Quia sicut substantia Angeli non potest suscipere aliquid luminis naturalis, ita nec intensionem per luminis superioris aggregationem, quia vel illud lumen seu virtus esset accidens intellectui, & tunc nihil juvaret, quia intellectus est potentia vitalis substantialis, non accidentalis; ergò si prius quantum ad essentiam substantialem intellectus Angeli erat improportionatus, etiam post additionem illius luminis accidentalis esset improportionatus. Vel denique substantialiter uniretur, & tunc intellectus Angeli substantialiter mutaretur, & corrumperetur, quod est absurdum; sequi tamen patet, quia, si intellectus meus ab extrinseco agente substantialiter augeretur in claritate & efficacia intelligendi, procul dubio substantialiter mutaretur.

Probatur Tertiò: Nullum agens creatum potest infundere lumen naturale, vel supernaturale alicui potentiæ, per quod confortaretur ad agendum, vel intelligendum, ergò: probatur antec: Non naturale, quia illius solius est, habitum lumen intendere, cujus est causare, ex Arist. 2. Eth. Sed intellectus Angeli creatur à DEO solo, ergò ille solus potest augere, lumen supernaturale etiam solus DEUS producit, ergò.

Dico Tertiò: *Illuminatio fit per productionem cognitionis actualis in intellectu illuminati à memoria fœcundâ illuminantis.* Ita Doctor subtilis. Probatur: Quia locutio fit sic, quod confirmatur ex illo Psalm. 41. *Eructavit cor meum, &c.* Sed illuminatio est quædam locutio, ergò. IV. Illuminatio fit per productionem cognitionis.

Probatur Secundò: Non possum dici sanus per actum Medici intelligentis morbum & disponentis de infirmitate, sed per sanitatem in me existentem & causatam, ergò nec potest dici Angelus illuminatus per actum alterius intelligentis, sed per aliquem in ipso productum.

Probatur Tertiò: Lumen dicitur perfectiùs & pressiùs notitia actualis, ergò veriùs per productionem ejus diceretur Angelus illuminari. Objectiones in contrarium desumuntur ex dictis de locutione.

QUÆSTIO SEXTA.

An Angeli superiores illuminent inferiores & econtrà?

IN hac materia Doctor subtilis in sæpè citato secundo d. 9. qu. 2. sub littera L. mihi fol. 482. coincidere primò videtur cum sententia Durandi asserentis, Angelos omnes immediatè illuminari à DEO, & in tantùm dici unum illuminari ab alio, in quantum unus alium præcedit in dignitate & perfectione. Secundò cum sententia dicentium: Angelos illuminare alios tantùm dispositivè; ait enim, superiorem posse dispositivè agere, ut videat aliquid in Verbo, nam I.

bo, nam illa auditio (per illuminationem facta) disponit, ut audiens convertat se ad intellectum loquentis, & ibi videat illud, de quo loquitur loquens, & postmodùm ad Verbum. Pro quo

II. Illuminatio est duplex.

Notandum ex eodem Doctore suprà, & in reportatis lib. 2. duplicè dari illuminationem *Dispositivam* unam & *Inchoatam*, alteram verò *completam perfectam*, per modum termini, quem habet illuminatio dispositiva: quod ab eodem declaratur, dicendo, quòd Angelus superior à DEO immediatè illuminatus, per claram visionem alicujus mysterii, producit notitiam actualem in intellectu illuminati, obscuram tamen & imperfectam per actum fidei angelicæ, proponendo tale mysterium certum, tanquam sibi immediatè revelatum, auditio ergò hæc disponit audientem, ut se convertat ad intellectum illuminantis, & ibi videat, de quo loquens & illuminans loquatur, quæ visio auditione est perfectior, secundò eadem visio & auditio disponit, ut videns tale objectum in intellectu Angeli illuminantis obscurè & imperfectè adhuc, convertat se ad id clarè videndum in Verbo, ad quam visionem agit tantùm dispositivè, quia efficit, ut Angelus se convertat ad clarè videndum in Verbo, quod obscurè vidit in Angelo illuminante, quemadmodum aliquis imperfectè videns rem in speculo imperfecto, desiderat illud videre in speculo perfectiori, undè non fit illuminatio in Angelis, eorum oculos sanando, aut removendo aliquod impedimentum, ut aliqui fingunt, sed ad tollendam vel simplicem nescientiam, vel ignorantiam aut errorem.

III. DEUS æquè primò illuminat omnes Angelos completè.

Notandum Secundò: DEUM ordinatè suas illuminationes perfectas & completas disponere, ordinatéque distribuere immediatè, immediatione causæ, mediatè verò & ordine duorum effectuum ab eadem causa procedentium, cum hoc ordine, quòd uni præsupponitur alter, in casu isto Angeli inferiores non possunt illuminari à DEO, nisi illuminatis superioribus. Si verò sermo sit de illuminationibus imperfectis & dispositivis ordine causalitatis, inferiores illuminantur immediatè à superioribus, quibus acceptis convertuntur ad accipiendas illuminationes perfectas, quamvis non negem, DEUM posse absolutè (& fortè etiam fecisse) Angelos inferiores illuminare, non illuminatis superioribus, ut mox infrà dicam, interim pro conclusione

Dico Primò: *DEUS æquè primò, & per seipsum completè, & perfectè illuminat omnes Angelos superiores & inferiores, cum ordine præsuppositionis unius effectûs ad alium.* Hæc deducitur ex Scoto suprà. Probatur: Angelus illuminatus per revelationem claram mysterii, naturaliter illi occulti, illuminat inferiorem, sicut sol partes remotas per propinquiores illuminat, ergò sicuti idem sol illuminat priorem & posteriorem, ordine se tenente tantum ex parte effectuum, quatenus ponit primò illuminationem in parte propinquiori, quàm remotiori, ita idem DEUS illuminat Angelum superiorem & inferiorem, prius tamen superiorem quàm inferiorem.

Probatur Secundò ex authoritate D. Dionysii de cœlesti Hierarch. cap. 2. & Athanasii lib. de communi essentia dicentis: *Quemadmodum discrimen ordinis in supernis potestatibus cognovimus, ita quoque stationis & scientiæ discrimina sunt; sunt Throni, sunt Cherub, atque Seraph, qui sine ullo mediatore, aut interprete à DEO condiscunt, isti enim sunt Angeli assistentes, qui in hoc distinguuntur à ministrantibus, quia primi dicunt immediatam habitudinem ad DEUM, à quo in suis arcanis illuminantur, ministrantes verò indigent ministerio aliorum Angelorum.* Hinc

IV. Angeli dispositivè primò perfectiores illuminantur.

Dico Secundò: *Ordine causalitatis imperfectè & dispositivè illuminantur regulariter Angeli inferiores per superiores.* Est communis, & colligitur ex Patribus passim Augustino suprà. D. Bernardo lib. 5. de consi-

considerat. cap. 4. ubi dicit: *Putemus Cherubim ex ipso sapientiæ fonte, ore Altissimi haurientes, & refundentes fluenta scientiæ universis civilibus suis &c.* Probatur conclus. 1. Ex ordine & subordinatione essentiali inter Angelos ad invicem spectatos, ut sunt entitativè & specificè superiores & inferiores. Secundò: Ex ordine divinæ providentiæ, quæ taliter gubernat universum, per superiores regendo & dirigendo inferiores, ergò etiam in ordinatissima republica Angelorum. Tertiò, Quia materia illuminationis sunt effectus contingentes dependentes à libera DEI voluntate & dispositione, sed nullus Angelus potest ejusmodi effectus certò & evidenter cognoscere, ergò neque alteri certò & evidenter revelare, ergò illuminabitur tantùm imperfectè & obscurè, sicut nos de rebus fidei illuminamur, cui succedit clara visio, quâ videbimus perfectissimè, quòd utique de Angelis quoque sentiendum, & expresse tradit Div. Bernardus 5. de consider. cap. 1. dicens: *Creatura cœli illa est, præstò habens, per quod potius ista intueatur. Videt Verbum & in Verbo facta per Verbum. Neque enim, ut vel ipsa noverit; ad ipsa descendit, quæ ibi illa videt; ubi longè melius sunt, quàm in seipsis.* Sed in contrarium.

Opponitur Authoritas D. Dionysii de cœlesti Hierarch: cap. 7. & 8. dicentis: *Seraphim perfectissima luce & potentissima ad se trahunt agmina Angelorum inferiorum*, ergò non tantùm dispositivè, & cap. 15. *Angelus unicam intelligentiam, quam à diviniori traditam accipit, in quædam dividit atque amplificat*, ergò. Respond. neg: consequ: Nam Angeli superiores potentissima luce trahunt ad se inferiores dispositivè, quantum ipsis possibile est, non verò simpliciter & completè, quod sola visio præstat, ex Scoto dicente suprà: *Sicut enim non omnis intellectio est simpliciter perfectio angelici intellectus, sed visio Verbi, & non visio quidditatum*, sed visionem Angelus superior producere in alio non potest, utpote, quæ una substat causalitati creatæ, ergò. Ad secundam authoritatem dico, eam non intelligendam de eodem illuminationis gradu, sed de diverso, quia Angelus superior multiplicat notitiam, eam accommodando captui inferiorum, ita ut excitentur ad convertendum se ad Verbum. Reliqua argumenta non sunt magni momenti.

Dico Tertiò: *Angelum inferiorem absolutè illuminari à DEO posse de aliquo mysterio, non illuminato tamen superiori.* Probatur Primò: Quia nulla apparet repugnantia. Secundò, A facto, quia Gabriel ad tertiam Hierarchiam pertinet secundùm mellifluum Doctorem Bernardum, qui tamen docet in hom. 1. *supra missus est*, ipsi revelatum fuisse mysterium Incarnationis, latens Angelos primæ & secundæ Hierarchiæ, imò etiam omnibus aliis Angelis occultum, & quamvis in tract. ad Hugonem de S. Victore dicat, hoc ad minus verum esse de circumstantiis quibusdam Incarnationis, hoc non obest, quia sequitur, quòd DEUS etiam illas revelaverit Gabrieli & non aliis, quod sufficit. Fateor tamen id ordinariè non contingere: Sed pro Thomistis

V. Illuminari inferior nõ illuminato superiore potest.

Arguitur: Ordinariè lex divinæ providentiæ exigit, ut non illuminentur Angeli inferiores, non illuminatis prius superioribus, ergò nequit aliter fieri: Probatur consequ: Illa lex est omninò naturalis, & secundùm rei exigentiam, ergò est omninò indispensabilis. Respond. neg: consequ: cùm sua probatione, quia leges, secundùm quas DEUS operatur ad extra, sunt omninò præfixæ à divina voluntate, & fiunt secundùm rei exigentiam, secundùm quid tantùm, non absolutè.

Instatur: Ordo conveniens substantiis spiritualibus nunquam prætermittitur à DEO, quia nequit illum naturaliter mutare, cùm sit omninò naturalis secundùm naturalem differentiam Angelorum, ergò contra illum nequit DEUS illuminare inferiorem;

riorem, non illuminato superiore. Respond. Quòd hæc sicut & prior ratio concludit de facto, non verò de possibili, regulariter, non interdum. Deindè ad probationem concedo, DEUM non posse illum ordinem mutare in actu primo, nego tamen, quòd non possit eum immutare in actu secundo.

Urgetur: Si immutaret in actu secundo, DEUS faceret injuriam Angelo, & etiam injustè operaretur. Respond. neg. sequelam: Illud enim justum secundùm Scotum in 4. d. 46. qu. 1. quod à DEO est volitum, econtra quod à DEO non est volitum injustum, juxta illud Div. Anselmi in Prosologio cap. 12. *Illud est justum, quod tu vis, injustum, quod non vis Domine.* Generaliter DEI ad creaturam non est justitia.

VI. Angelus inferior potest dispositivè illuminare superiorem.

Dico Quartò: *Angelus inferior, quantum est de se, potest dispositivè illuminare superiorem, ut de factò illuminatio perfecta de ipsa sequeretur, si Angelus superior vellet eam recipere.* Probatur: Illuminatio est species locutionis, differens objectivè tantùm & formaliter, sed Angelus inferior potest loqui superiori, ergò etiam eum illuminare.

Dices: Inferiores nequeunt docere superiores, cùm altiori modo ac universaliori intelligant superiores, quàm inferiores, ergò. Respond. neg: antec: cum assumpto, est enim contra illud D. Pauli ad Ephes. 3. *Ut innotescat Principatibus, & Potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis gratia DEI.* Ex quibus verbis S. Hieronymus & Anselmus colligunt ex sapientia Evangelica etiam Angelos profecisse, quia dum etiam Christus, vel per se, vel per Apostolos instrueret Ecclesiam, plurima secreta didicerunt Angeli, quæ ignorabant anteà, si ergò ab homine Angeli discunt, quare nequibunt ab inferioribus superiores discere? Hoc semper intelligendum extraordinariè, & de potentia DEI absoluta, regulariter enim & ordinariè oppositum contingit.

DISPUTATIO SEXTA.

DE Duratione, Loco & Motu Angelorum.

HAnc materiam aliqui ita fusè tractant, ut omnia repetant, quæ de natura loci & motûs, de multiplici divisione, spatiis, & aliis similibus dici solent, ego ex dictis in Physica part. 1. lib. 3. Disp. 1. supponam, & ea, quæ particularia erunt, explicabo. Sit igitur:

QUÆSTIO PRIMA.

Quidnam sit mensura durationis Angelorum?

I. Mensura, numerus, & pondus quid sint.

OMnipotens manus DEI *omnia in mensura & numero & pondere disposuit*, quod secundùm D. Augustinum lib. 4. de Gen. ad litt. cap. sic intelligendum est, ac si diceretur: *Omnia sic* (DEUS) *disposuisti, ut haberent & mensuram & numerum, & pondus in lapidibus tantummodò & lignis & hujusmodi molibus, & quantiscunque corporalibus vel terrestribus vel cœlestibus animadverti & cogitari potest. Est etiam mensura aliquid agendi, ne sit irrevocabilis & immoderata progressio, & est numerus & affectionum animi & virtutum, quo ab stultitiæ deformitate ad sapientiæ formam decusque colligitur, & est pondus voluntatis & amoris, ubi apparet, quanti, quidque in appetendo, fugiendo, præponendo, postponendoq; pendatur. Sed hæc animorum atque mentium mensura, aliâ mensurâ cohibetur, & numerus alio numero formatur, & pondus alio pondere rapitur.* Undè etiam docet in Epist. 49. quæ est 4. ad Deogratias. Presbyterum, non solùm tempora, sed etiam res stabiles & permanentes metiri, Pro quo

II. Duratio est triplex.

Notandum Primò: Durationem esse triplicem, nempè *Æternitatem*, *Ævum* & *Tempus*. *Æternitas* est ipsum esse existentiæ DEI, seu ut loquitur Sanctus Augustinus 2. enarr. in Psalm. 101. *Æternitas ipsa DEI substantia est, quæ nihil habet mutabile. Ibi nihil est præteritum, quasi jam non sit: nihil est futurum, quasi nondum sit, sed non est ibi nisi est, non est ibi fuit, & erit: quia & quod fuit, jam non est, & quod erit, nondum est: sed quidquid ibi est, non nisi est. Æternitas*, ait idem S. Doctor enarr. in Psal. 145. *in verbo quatuor syllabis constat, in se fine fine est, & sine principio. Ævum* est duratio cujuscunque rei permanentis, in se tamen defectibilis, unde D. Augustinus lib. 83. qq. q. 72. in illud D. Pauli ad Titum cap. 1. Ante tempora æterna dicit: *Ante tempora æterna ævum significavit, inter quod & tempus hoc distat, quod illud stabile est, tempus autem mutabile.* Et *Tempus* est duratio existentiæ successivorum.

Notandum Secundò: Quòd sicut res permanentes habent totum suum esse simùl in unico indivisibili nunc temporis, æquè perfectè ac in æternitate, ita duratio earundem est quid permanens & tota simùl, adeoque sine ulla formali successione, aut divisione partium, licèt benè virtualiter posset dici successiva & divisibilis, in quantum scilicet coëxistit tota simùl diversis partibus temporis, qualiter etiam licèt impropriè æternitas DEI posset dici successiva. Et sicut in Philosophia p. 1. Phys. lib. 7. & 8. qu. 3. Tempus proprium, intrinsecum, & particulare cujuscunque motûs non distingui à sua duratione, ita etiam duratio intrinseca rei permanentis v. g. Angeli & cujuscunque substantiæ stabilis non distinguitur ab ipso Angelo vel substantia.

Notandum Tertiò: Quòd sicut in Physica suprà cum communi sententia Philosophorum divisi tempus in *Extrinsecum*, seu *Universale*, & in *Intrinsecum*, seu *particulare*, ita etiam hic potest distingui ævum, ita quod sicut tempus extrinsecum dicitur duratio motûs corporum cœlestium, præsertim primi mobilis respectu motûs horum inferiorum, Et tempus intrinsecum dicitur duratio propria cujusque motûs in particulari, ita in proposito possumus vocare ævum extrinsecam durationem rerum illarum permanentium, quæ inter cœteras perfectiùs, & invariabiliùs durant, ut sunt Angeli, aut etiam ipsemet supremus Angelus, cujus duratio potest dici ævum extrinsecum respectu cœterarum rerum permanentium. Ævum verò intrinsecum & partiale est propria & intrinseca duratio cujusq; rei permanentis. III. Tempus aliud intrinsecum, aliud extrinsecum.

 Notan-

IV. Mensura est duplex molis & virtutis.

Notandum Quartò: Mensuram esse duplicem, nempè secundùm magnitudinem molis, & secundùm magnitudinem perfectionis & virtutis; illâ corpora quanta & multa mensurantur, hâc verò mensuratur cujuslibet rei perfectio, ita ut quò minùs, vel quò magis una res, aliâ re dicitur perfectior, eò majorem minoremvè dicitur habere magnitudinem, nempè perfectionis, hinc quia DEUS optimus maximus summè perfectus est, inter omnia entia, Ens est maximum seu maximè perfectum, ut ait D. Bernhardus lib. 3. de amore DEI c. 10. *Cogitandus est DEUS sine qualitate bonus, sine quantitate magnus, sine situ præsidens, sine habitu continens, omnia disponens.* Hinc etiam D. Augustinus 6. Trinit. 8. dixit: *In his, quæ non mole magna sunt, hoc majus est, quod perfectius est.* Et homo dicitur mensura omnium animantium, ex eo, quòd colligatur, quòd illud animal, quò magis accedit ad hominem, sit eò perfectius, & eò imperfectius, quò magis ab eo recedit, quod etiam in omnibus aliis generibus observari potest, ita quòd hinc dicatur communiter in omni genere aliquod esse, quod sit mensura cœterorum, quæ sub eodem continentur. His præmissis plura sunt hic dubia resolvenda.

V. Esse Angelorum non mensuratur tempore.

Dico Primò: *Angelorum esse non mensuratur tempore.* Ita D. Augustinus lib. 12. de Civit. DEI cap. 16. ubi ait: *Sicut ergò dicimus creatum tempus, cùm ideò semper fuisse dicatur, quia omni tempore tempus fuit, ita non est consequens, ut si semper fuerunt Angeli, ideò non sint creati, ut propterea semper fuisse dicantur, quia omni tempore fuerunt, & propterea omni tempore fuerunt, quia nullo modo sine his ipsa tempora esse potuerunt. Ubi enim nulla creatura est, cujus mutabilibus motibus tempora peragantur, tempora omninò esse non possunt. Ac per hoc & si semper fuerunt, creati sunt: nec si semper fuerunt, ideò creatori coæterni sunt. Ille enim semper fuit æternitate immutabili, isti autem facti sunt. Sed ideò semper fuisse dicuntur, quia omni tempore fuerunt, sine quibus tempora nullo modo esse potuerunt. Tempus autem, quoniam mutabilitate transcurrit, æternitati immutabili non potest esse coæternum. Ac per hoc etiamsi immortalitas Angelorum non transit in tempore, nec præterita est quasi jam non sit, nec futura quasi nondum sit.*

VI. Mensura Angeli æ[vum].

Dico Secundò: *Ævum rectè ponitur pro mensura existentiæ Angelorum, aliarumque rerum permanentium.* Ita communis cum Scoto 2. d. 2. q. 4. Probatur Primò: Quia sicut in successivis, & quantis quantitate molis assignantur certæ mensuræ durationis & quantitatis earundem, ut motus primi mobilis respectu aliorum motuum, ulna respectu panni, & sic de aliis, ita in rebus permanentibus & quantis quantitate virtutis oportet ponere unum aliquid, per quod possemus colligere quantam perfectionem habeat quævis alia res minus perfecta.

Probatur Secundò: Quia secundùm Philosophum in quolibet genere oportet, quòd sit aliquid, quòd sit metrum & mensura aliorum sub eodem genere, quomodo ipse ponit hominem esse mensuram aliarum specierum animalis, ergò similiter in genere angelico, & universaliter in genere permanentium creaturarum oportet ponere aliquid, quòd sit mensura perfectionis cœterarum.

Dices: Scotus videtur suprà contrarium docere, ait enim, in Angelo non esse necesse ponere aliquid mensurans ejus existentiam, quod sit distinctum ab ejus essentia & existentia. Respond. Scotum tantùm velle, quòd ævum intrinsecum & proprium ipsius Angeli non sit mensura existentiæ ejusdem, quia ævum intrinsecum & existentia Angeli sunt realiter idem, idem autem non mensurat seipsum, ita enim dicit: In Angeli existentia actuali non oportet quærere aliquam mensuram intrinsecam aliam à natura ipsius mensuratæ, quia nihil est aliud realiter à natura

natura rei mensuratæ, mensura autem ex natura rei est aliud à mensurato.

Dices Secundò: Mensura & mensurabilia debent esse quanta & divisibila, sed duratio Angeli non est talis, ergò non habet mensuram. Respond. dist. maj. quantitate molis vel virtutis, conc: quantitate molis tantum, nego.

VII. Angelus supremus est mensura aliorum Angelorum.

Dico Tertiò: *Licèt possint dici plura æva in Angelis secundùm quod plures Angeli excedunt in perfectione, adeòque in duratione alios Angelos inferiores, magis tamen propriè & melius duratio primi & supremi Angeli dicitur mensura & ævum extrinsecum Angelorum, aliarumque rerum permanentium.* Hæc est magis de mente Scoti & Philosophorum, itaque Scotus plures referens sententias, quarum aliquæ tot ponunt æva, quot sunt æviterna: Aliæ, esse tot æva diversæ speciei, quot sunt Angeli diversarum specierum, tamen dicit, quòd Angeli supremi existentia (dato, quòd quælibet existentia superior sit ævum respectu inferioris) est tantùm ævum respectu aliorum inferiorum, quia existentia ejus invariabiliter mensurat omnes alios: & non habet ævum aliquod isto modo, quia nullam existentiam habet superiorem se, & nullum ævum habet in se distinctum à sua propria existentia, nec in alio ex natura rei nata est certificari, quia quælibet alia est minus certa.

[illegible]

Itaque probatur Conclusio quoad primam partem: Omnis illa duratio potest esse ævum extrinsecum & mensura perfectionis respectu alterius, per quam potest cognosci, quanta sit perfectio alterius rei non adeò notæ aut perfectæ, & cujus perfectio non est adeò invariabilis & uniformis, sed duratio cujuscunque Angeli superioris ita se habet respectu inferioris, ergò qui sciret perfectionem superioris posset dignoscere, quàm perfecta sit existentia & duratio inferioris; considerando quantum accedat, vel recedat à perfectione superioris. Confirmatur: Quia quilibet motus magis notus, potest esse tempus & mensura alterius motûs minus noti.

Probatur secunda pars: Quia inter omnes res creatas substantiales, substantia intellectualis in perfectione, uniformitate, invariabilitate &c. excellit, & inter substantias spirituales Angelus, & inter Angelos unus supremus, ergò existentia & duratio primi Angeli & supremi est perfectissima, certissima, uniformissima inter omnes durationes rerum naturalium, ergò potest assumi ut mensura omnium rerum naturalium permanentium. Quod etiam confirmatur ex motu primi mobilis, qui cùm sit regulatissimus, perfectissimus, rectè assumitur pro mensura extrinseca omnium motuum & omnium temporum. Sed in contrà

Arguitur Primò: Mensura debet esse notior mensurato, sed duratio unius Angeli non est nobis notior duratione alterius Angeli, ergò: Respond. Argumentum benè concludere respectu nostri pro hoc statu, non tamen respectu illius intellectûs, qui perfectè cognosceret naturam Angeli, aliarumq; rerum permanentium.

Instatur: Qui cognosceret naturam Angeli supremi, aliorumque inferiorum, non indigeret aliquâ extrinsecâ mensurâ, cùm, ut suppono, cognoscat jam perfectè omnes Angelos, omnesque eorum perfectiones, ergò frustra ponitur talis mensura. Respond. neg. consequ: Quia non est de ratione mensuræ, ut actualiter mensuret, sed quantum est ex se, sit apta nata assumi ad mensurandum quodvis aliud, si contingeret illud ignorari, sicut ulna non desinit habere rationem mensuræ, esto actualiter non mensuret. In proposito autem duratio supremi Angeli talis est, ut sicut in entitate excedit alias res creatas, ita in cognoscibilitate, invariabilitate &c. taliter, quòd ipsam perfectè sciens, & ignorans, vel perfectè non cognoscens durationem aliarum rerum possit cognoscere per recessum, vel exces-

excessum ad ipsam, quantæ perfectionis sint aliæ res, sicut inter species animales dicimus illam post speciem humanam esse perfectiorem, quæ magis accedit ad perfectionem hominis.

Arguitur Secundò: Mensura debet esse ejusdem generis cum mensurato, sed inter res permanentes aliæ sunt spirituales, aliæ corporales, aliæ substantiales, aliæ accidentales, aliæ naturales, aliæ supernaturales, ergò respectu omnium malè ponitur unum ævum supremi Angeli tanquam mensura. Respond. neg. maj: Quia non est de ratione mensuræ, quòd ita strictè sit ejusdem generis cum mensuratis, sed sat est, quòd habeat omnes conditiones similes, & quasi ejusdem generis in ratione mensuræ: In proposito autem res omnes permanentes cujuscunque generis & ordinis habent similes conditiones universales cum Angelo supremo; nam conveniunt inprimis cum permanentia, & in eo, quòd habeant totum suum esse simul: Item in modo incipiendi & desinendi: Item in duratione quadam terminabili saltem ab extrinseco, nam ut Scotus supra citatus docet, Angelus, si foret statim annihilandus, non propter hoc non mensuraretur ævo, dum manet, quia haberet totum suum perfectum esse simul. Quamquam hæ conditiones perfectius conveniant substantiis, quàm accidentibus; spiritualibus, quàm corporalibus; &c. quia substantiæ per se existunt, seu permanent, accidentia in alio: similiter entia spiritualia ut Angeli, & animæ rationales sunt magis interminabiles seu durabiles quàm corporalia, quia hæc non solùm ab extrinseco seu ex defectu causæ extrinsecæ conservantis possunt deficere, sed etiam ab intrinseco, quia habent principium intrinsecum corruptionis, scilicet materiam primam, & sic de aliis. Non inficerer tamen, si quis vellet præter illam communem & universalem mensuram, quæ est ævum primi Angeli, assignare cuilibet ordini, seu generi rerum suum ævum intimum, quod esset mensura cœterorum omnium sub illo genere, ita ut omnes substantiæ corporeæ habeant suum ævum, & substantiæ incorruptibiles suum, similiter omnia accidentia tàm naturalia, quàm supernaturalia suum, quia hæc in modo existendi, ad quem hìc attenditur, conveniunt.

Dices: Entia supernaturalia, præsertim gratia & fruitio animæ Christi, excedunt in perfectione substantias naturales & spirituales, ergò potius duratio fruitionis animæ Christi debet assumi ut mensura universalis omnium rerum. Respond. Primò distin: antec: in ratione doni extrinseci, conc: antec: in esse rei & substantiæ, nego. Quia quælibet substantia naturalis in modo essendi & existendi excedit quodcunque accidens etiam supernaturale. Respond. Secundò: Accidentia supernaturalia & substantias naturales non posse propriè comparari ad invicem in ratione mensuræ & mensurabilis; sed se habere sicut excedens & excessum, quia substantia in modo existendi & subsistendi excedit; qualitates verò supernaturales in modo participandi divinum esse, & sic neutrum propriè potest esse mensura alterius.

Dico Quartò: *Motus Angelorum mensurantur tempore, non tamen operationes immanentes.* Hæc etiam est D. Augustini lib. 12. Civit. cap. 16. ubi dicit: *Si tempus non à cœlo, verùm & ante cœlum fuit, non quidem in horis, & diebus, & mensibus, & annis (nam istæ dimensiones temporalium spatiorum, quæ usitatè ac propriè dicuntur tempora; manifestum est, quod à motu siderum cœperint: undè & DEUS, cùm hæc institueret, dixit: Et sint in signa, & in tempora, & in dies, & in annos) sed in aliquo mutabili motu, cujus aliud anterius præterierit, aliud posterius successerit, eò, quòd simul esse non possint. Si ergò ante cœlum in angelicis motibus tale aliquid fuit, & ideò tempus jam fuit, atque Angeli, ex quo facti sunt temporaliter* VIII. Motus Angelorum mensurantur tempore.

raliter movebantur, etiam sic omni tempore fuerunt, quandoquidem cum illis facta sunt tempora. Et iterum: Tamen eorum motus, quibus tempora peraguntur, ex futuro in præteritum transeunt: & ideò creatori, in cujus motu dicendum non est vel fuisse, quòd jam non sit, vel futurum esse, quòd nondum sit, coæterni esse non possunt. Et ratio est, Quia motus Angelorum habent eundem modum essendi, ergò etiam eundem modum mensurandi.

Secunda pars est Scoti in 2. D. 2. q. 4. ubi dicit: *Angeli cognitio habet mensuram ejusdem rationis cum sua existentia, & ita mensuratur ævo sua operatio, & non tempore.* Et iterum: *Angeli actum beatificum mensurari ævo, omnes concedunt, ex Augustino de fide ad Petrum cap. 18.* ibidem V. Præterea omnes n. 5.

QUÆSTIO SECUNDA.

An Angelus sit in loco, & an per operationem?

1 NOn defuerunt olim aliqui, qui negarent, Angelos esse unquam præsentes loco corporeo, verè & propriè secundùm suam substantiam, sed tantùm abusivè, quos sequitur Hervæus, & videtur esse etiam Thomistarum, dum afferunt, Angelos tantùm esse in loco per solam operationem, quæ est difficultas, & secunda pars tituli: Sensus tamen ejus esse potest duplex: Primò, an Angelus secundùm propriam suam substantiam sit in loco corporeo, vel potius substantia Angeli non sit præsens loco corporeo, sed tantùm ejus operatio, & ratione operationis Angelus dicatur esse in loco, licèt substantia distet à loco. Secundò, supposito, quòd Angelus sit in loco corporeo secundùm substantiam, ita, quòd substantia ipsa sit præsens loco, ratio tamen fundamentalis, quare sit in loco, non sit substantia, sed operatio, ita, quòd, si circumscriberetur ab Angelo operatio, substantia Angeli non posset esse in loco? circa quam materiam diversimodè variant Authores, quomodocunque tamen explicetur ab eis, difficultatem sentiunt, ego utrumque modum improbabo cum Scoto, &

Dico Primò: *Angelus est verè propriè & realiter præsens loco corporeo per suam propriam essentiam & substantiam.* Ita Scotus 2. d. 2. qu. 5. & 6. Scotistæ, Nominales, & Neoterici. Probatur Primò ex Scripturâ, Quæ frequenter docet, Angelos aliquos esse in cœlo, alios in inferno, alios in aëre, quos etiam *Rectores tenebrarum harum* vocat, sic Christus Dominus aliquos dæmones misit in desertum. Sic Tobiæ 8. dicitur: *Tunc Raphaël Angelus apprehendit dæmonium, & relegavit illud in deserto superioris Ægypti*; sic Apoc. 20. dicit Joannes, se vidisse *Angelum descendentem de cœlo habentem clavem abyssi, & catenam magnam in manu sua, & apprehendit draconem, & serpentem antiquum, qui est Diabolus & Satanas, & ligavit eum per annos mille.* Et alibi sæpè plurima alia. II. Angeli sunt verè in loco corporeo.

Probatur Secundò ex Patribus: Div. Augustino lib. de cognit. veræ viæ c. 8. ubi ait: *Loco circumscribuntur sicut & anima humana.* Et de spiritu & anima c. 18. *Inest singulis* (Angelis) *naturalis terminus.* Div. Bernardo lib. 5. de cons. c. 5. *Adsunt Angeli & Archangeli, sed ille germanior nobis, qui non modò adest, sed inest*, videlicet anima, & subdit: *Posse inesse nobis & Angelum, non inferior, memini scriptum, & Angelus, qui loquebatur in me. Ille ut contubernalis inest animæ.* Et serm. 7. in Cantica dicit: *Credimus Angelos sanctos adstare orantibus, offerre DEO preces & vota hominum, ubi tamen sine ira & disceptatione levare puras manus perspexerint, probat hoc Angelus ita loquent ad Tobiam: quando orabas & c. puto id vobis satis & aliis scripturæ testimoniis persuasum, nam quod psallentibus quoq; dignantur admisceri sancti Angeli soleant, quid eo manifestius, quod Psalmista ait: prævenerunt principes conjuncti psallentibus.* Et alibi

 sæpè,

sæpè, ut in Psalm: 90. præsentiam Angelorum Custodum commendat. Addo pro majori confirmatione unicum textum: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis: Quantam tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam? Reverentiam pro præsentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia. Cautè ambula, ut videlicet, cui adsunt Angeli (sicut eis mandatum est:) in omnibus viis tuis, in quovis diversorio, in quovis angulo, Angelo tuo reverentiam habe. Tu ne audeas illo præsente, quod vidente me non auderes. An præsentiam dubitas, quem non vides? si fidem consulas, ea tibi angelicam probat præsentiam non deesse. Adsunt igitur, & adsunt tibi, non modò tecum, sed & pro te. Adsint, ut protegant, adsint ut prosint.* Dic amabo, quid clarius pro Angelorum præsentia dici posset, & certè si fides probat, ut mellifluus Doctor ait, irreverenter ipsius & aliorum Patrum ac Sacræ Scripturæ verba in sensum metaphoricum retorquentur.

Probatur Tertiò Conclusio: ex Magistro Sententiarum: DEUS est omnibus rebus præsens per essentiam, præsentiam, & potentiam tanquam per tres modos distinctos, ergò etiam sic Angelus potest per essentiam esse præsens: Antec: patet quoad utramque partem: Tùm, Quia si esset idem dicere, esse præsentem per essentiam, ac esse præsentem per operationem, modus per essentiam & potentiam non essent distincti, quia per potentiam operatur. Tùm, Quia Scriptura & Patres clamant, DEUM esse ubique præsentialiter per suam Essentiam, nam Jerem. 32. dicitur: *Cœlum & terram ego impleo.* Et D. Augustinus lib. 7. de Civit. cap. 30. *Hæc autem facit & agit unus & verus DEUS, sed, sicut idem DEUS, ubique totus, nullis inclusis locis, nullis vinculis alligatus, in nullas partes sectilis, ex nulla parte mutabilis, implens cœlum & terram præsente potentiâ, non absente naturâ, &c.* Jam probatur consequ: prima argumenti: Tùm, Quia si aliquid impediret, quo minus essent Angeli rebus corporeis præsentes, esset immaterialitas, sed DEUS est magis immaterialis, ergò. Tùm, Quia minus videtur de DEO dicendum, quòd operetur, ut sit præsens, quàm de Angelo, utpotè, cùm DEUS infinitæ virtutis & perfectionis, Angelus verò limitatæ; sed DEUS secundùm S. Thomam (est ad hominem) est præsens, quia operatur tanquam à posteriori, nam mobile & movens debent esse simùl, ergò, si Angelus alicubi operatur, prius debet supponi esse præsens, ergò.

Dices: DEUM esse ubique præsentem per potentiam, esse, DEUM esse in omnibus rebus immediatè immediatione virtutis, esse verò in rebus omnibus per Essentiam, esse, DEUM esse in omnibus rebus immediatione suppositi, id est, quia DEUS agit aliquid per seipsum in omnibus rebus, nullo alio mediante supposito, quod concurreret ad productionem illius rei. Ita respondit Cajetanus. Sed revera ex hac instantia patet, Cajetanum negare præsentiam substantialem Essentiæ divinæ rebus corporeis, quia immediata operatio immediatione suppositi, non conjungit essentiam causæ efficientis suo effectui, aut, si conjungit, jam erit alius modus, primum tamen est contra omnes Scholasticos, si secundum, dat nobis manum.

Dices: Adhuc, posito, quod ille modus sit distinctus, attamen operatio est fundamentum, quare DEUS sit rebus præsens. Sed contrà: DEUS potest operari, ubi non est, imò de facto ante mundi constitutionem non erat in rebus per Essentiam, & tamen operatus fuit creationem rerum, & modò extra mundum posset aliquid producere. Imò de facto dicitur esse extra mundum in probabili sententia, & tamen nihil operatur, ergò operatio non est fundamentum.

Pro-

Probatur Conclusio Quartò: Eodem modo Scriptura asserit, Angelos esse in loco, quo animam Christi asserit fuisse in inferno, sed anima Christi verè fuit secundùm substantiam in inferno juxta articulum: *Descendit ad inferos*, ergò quoque Angeli, quando in Scriptura dicuntur esse in aliquo loco, verè ibi sunt per præsentiam approximationis: Major patet, quia sicut Scriptura dicit: *Descendit ad inferos*, eadem etiam phrasi dicit Joann. 5. *Angelus autem Domini descendebat secundùm tempus in piscinam, & movebatur aqua*, ergò. Confirmatur de anima rationali, quæ verè descendit ad inferos, vel ad purgatorium, ergò eodem modo dicendum de Angelis.

Probatur Conclusio Quintò: Virtus finita differt ab infinita virtute, quia virtus infinita potest agere in quantumcunque distans, virtus verò finita requirit determinatam distantiam ad hoc, ut possit operari, sed determinata distantia est determinata approximatio, & propinquitas substantiæ operantis ad corpus, in quod operatur, ergò in omni virtute creata & finita requiritur prius præsentia debitæ approximationis substantialis, & deindè sequitur operatio, & consequenter substantia Angeli priùs est præsens corpori, in quod operatur, quàm quòd ipsa operetur in illud. Sed in contrarium

Opponitur Authoritas S. Augustini lib. 83. qq. quæst. 20. ubi ait: *DEUS non alicubi est, quod enim alicubi est, continetur loco, quod continetur loco, corpus est: DEUS autem non est corpus, non igitur alicubi est*: Sed etiam Angelus non est corpus, ergò. Et lib. 8. de Genesi ad litt. cap. 26. dicit, solam naturam corporalem moveri per locum & tempus, spiritualem verò per tempus tantùm; Undè ipse & etiam alii Patres dicunt, Angelos non esse nisi abusivè in loco. Respond. S. Augustinum aliud non velle, quàm quòd DEUS non sit in loco circumscriptivè, ità, quòd commensurarentur ei partes rei locantis, sic fateor, nec DEUM, nec Angelum esse in loco, nec conclusio hoc prædendit, sed solùm eos esse definitivè in loco.

Instatur: Omne locatum habet situm, sed situs non convenit, nisi rei quantæ, quia positio uno modo est proprietas quantitatis, ergò non convenit situs Angelo, consequenter nec locus. Respond. negando maj: & distin: min: Situs per coëxtensionem partium non convenit, nisi rei quantæ, conc: min: Situs per simplicem situationem, nego min: positio autem, quæ est proprietas quantitatis, coëxtensionem & commensurationem partium exigit, non alius.

III. Aliud est esse formaliter, aliud fundamentaliter in loco.

Pro sequenti Conclusione notâ, quod, explicando sensum quæstionis quoad alteram partem, dixerim, quæri, an operatio sit ratio, quare substantia Angeli sit in loco, ut modò probatum est. Ratio autem illa potest sumi & intelligi dupliciter, primò formaliter, ut sit proximè formalis. Secundò fundamentaliter; & utroque modo potest dici ratio formalis, primò proximè & propriè, secundo modo in largiori acceptione, E. g. Similitudo est ratio formalis proxima, quare duæ rosæ, vel lilia sint similia. Albedo verò dicitur etiam ratio formalis, quare rosæ sint sibi similes, in tantùm, quia albedo est fundamentum similitudinis, sic eodem modo ratio quare aliquid sit in loco, potest quoque sumi dupliciter, primò ratione formali propria, & sic est ratio formalis aliquis respectus rei locatæ ad rem locantem: Secundò pro ratione fundamentali, in qua videlicet respectus ille fundetur, & de hac ratione potissimum controvertitur, ego tamen quæstionem in utroque sensu resolvam. Undè

IV. Ratio formalis est ubi definitivum.

Dico Secundò: *Ratio formalis, propriè dicta, existendi Angelo in loco est ubi incircumscriptivum, seu definitivum.* Probatur: Quia præter rem locatam & locum debet admitti aliquid, per quod res formaliter dicatur in loco, sed illud est ubi, cùm verò

verò Angelus sit spiritualis, non potest habere circumscriptivum, ergò definitivum: major: patet tùm ex Physica, tùm à simili, quia ut corpus sit in loco formaliter, debet præter locum & rem locatam aliquid admitti. Tùm, Quia, ut duæ rosæ sint sibi similes propriè & proximè formaliter, præter fundamentum, quod ponamus albedinem, debet aliquid admitti, nempè relatio, ergò.

V. Ratio effectiva est ipse, vel alia causa ponens eum ad illud.

Dico Tertiò: *Ratio effectiva, quare Angelus sit in loco, est vel propria ejus virtus motiva, qua se liberè transtulit ad illum locum, vel virtus extrinseca, qua in eo productus est, vel ad eum translatus, & in eo detentus.* Probatur: Quia determinans efficienter Angelum ad existendum in aliquo loco, est id, à quo, tanquam à causa efficiente habet, quòd sit in eo, sed illæ sunt causæ efficientes hujus effectûs, in conclusione relatæ, ergò. Confirmatur: Quia illæ eædem sunt causæ, quare corpora sint in aliquo loco, ergò etiam quare Angelus, undè sicut Angelus potest se ponere ad hunc locum, ita etiam ad alium, & sicut se ponit ad locum parvum, ita etiam liberè potest se ponere ad majorem, &c.

VI. Ratio fundamentalis non est operatio.

Dico Quartò: *Angeli non sunt in loco per operationem, tanquam per rationem fundamentalem.* Ita Scotistæ contra Thomistas, & signanter Ferrar. Probatur Primò: Si Angeli essent in loco per aliquam operationem, vel essent per immanentem, vel transeuntem, per neutram possunt esse in loco, ergò, maj: patet, probatur min: non per immanentem: Tùm, Quia ipsi sic plurimi saltem concedunt: Tùm, Quia operationes immanentes æquè præscindunt à loco, sicut substantiæ ipsæ, & consequenter sicut substantia non est ratio existendi in loco, ita nec operatio immanens. Tùm, Quia non possunt esse visio & fruitio, in quibus consistit beatitudo, quia Angeli fuerunt creati in cœlo Empyreo & non in beatitudine, & mali ceciderunt de ipso cœlo Empyreo, & non de beatitudine, ergò. Nec de hoc ulterior est difficultas. Quare

Probatur minor illa, & consequenter conclusio, quod nec per transeuntem, Primò: Corpora non sunt in loco per operationem, ergò nec Angeli, probatur consequ: quia secundùm ipsos Thomistas, ideò corpus non est in loco per operationem, quia præsupponitur corpus ipsi operationi, sed Angelus etiam præsupponitur esse in loco, quàm operetur, ergò Angelus non potest esse in loco per operationem. Nec dicas, operari, & esse in loco esse idem, quia alioquin falsa esset propositio Aristotelis universaliter: *Agens & passum debent esse simùl,* quia conveniret tantùm corporibus; vel si vera universaliter, tunc esset nugax, quia significaret, in spiritualibus agens oportet agere, & passum pati, ergò etiam in ipsis aliud est, esse simùl, & aliud, agere & pati, quia sunt simùl, consequenter esse præsupponitur ad operari. Et continuando paritatem de existentia corporis in loco, & Angeli.

Probatur Secundò Conclus. Sicut se habet quantitas ad corpus, ut illud existat in loco circumscriptivè, ita se habet operatio in Angelo, ut sit in loco definitivè, sed nulla quantitas, quæ non est in subjecto, potest esse ratio formalis, ut aliquod corpus existat in loco circumscriptivè, ergò etiam nulla operatio potest esse ratio Angelo, ut sit in loco definitivè, quæ non est in ipso; subsumo: Sed operatio transiens non est in subjecto & Angelo operante, sed in passo, circa quod operatur, ergò: Major autem principalis patet, quia modus existendi Angeli in loco definitivè desumitur à modo existendi corporis in loco circumscriptivè, ergò sicut ratio existendi in loco circumscriptivè debet esse in ipso subjectivè, ita debebit etiam esse in illo, quod existit definitivè.

Dices: Angelum per unam operationem constitui in loco, & per alteram operari deinteps. Sed contra,

tra, ergò cessante operatione, per quam constituitur esse Angelus in loco, cessat etiam esse in loco, quia cessat & definit ratio formalis constituendi cum in loco, ergò. Deindè redit argumentum, ergò ratio formalis constituendi in loco debet inesse subjectivè.

Probatur Conclusio Tertiò: Si operatio transiens Angeli est ipsi ratio enssendi in loco, sequeretur, quòd Angelus frequenter nullibi erit, & nunquam in cœlo empyreo; sed hoc est &c. ergò; probatur sequela, quia Angelus potest cessare ab omni actione transeunte ad extra, & se se occupare in merè internis: Deindè in cœlo empyreo nullam potest habere actionem, quia si aliquam, tunc motum, hæc enim eorum est actio transiens, hunc autem habere nequit, quia cœlum illud est immobile. Dicere autem, esse ibi ad ornatum, est concedere, quod volumus, quia quæro, quid sit? Si est simplex præsentia & existentia ubi, ergò sine operatione, si verò præsidentia & unio, eodem modo habetur intentum. Confirmatur hæc ratio, quia alioquin sequeretur, quòd nec dæmones, nec animæ damnatæ essent in inferno, quia nullam ibi habent operationem transeuntem, cùm ipsi violenter detineantur, ergò.

Dices: Satis esse, ut dicantur in inferno, quòd ignis in ipsos agat, ipsosque cruciet. Sed contra primò, ignis ipsos non cruciat physicè, sed intentionaliter. Contra secundò, si dæmones per hoc sunt in inferno, quòd ignis agat in ipsos, ergò etiam ignis ibi erit per hoc, quòd dæmones in ipsum agant, quod tamen nemo dicet. Recurrere autem ad qualitates occultas, occultam arguit scientiam, & publicam voluntareitatem.

Probatur Quartò: Quia Angeli non motores orbium possunt descendere, & frequenter descendunt ad terram, sed tunc in mediis orbibus nihil operantur; quia eos non movent, & tamen tunc non sunt nullibi, ergò sunt in loco sine aliqua operatione. Confirmatur: Ipsimet Angeli motores moventes cœlum operantur in totam sphæram, utpotè, cùm illam totam moveant, & tamen non sunt præsentes toti sphæræ, sed uni tantùm parti, ergò. Sed in contrarium

Opponuntur Primo: Authoritates plures SS. Patrum, qui adstruere videntur, Angelos esse in loco per operationes intellectûs & voluntatis. Verùm istæ non multùm probant, quia aliud non volunt, quàm quòd à posteriori benè colligi possit Angelorum præsentia, quòd alicubi operentur. Undè

Arguitur ex ratione: Ut aliquid sit in loco, debet locum aliquo modo attingere, sed Angelus non potest locum aliter attingere, nisi mediante operatione transeunte, ergò: maj: patet, quia substantia quanta non est in loco, nisi quantitas locum attingat, nec aliquis dicitur vestitus, nisi vestem aliquo modo attingat; probatur min: quia præter contactum quantitativum & molis, alius non est, quàm virtutis, id est, operationis. Respond. distin: maj: debet aliquo modo attingere, id est, fieri præsens per unionem ad locum, conc: maj: per contactum commensurativum, neg. majo: & min: quia ipsa substantia Angeli potest sufficienter attingere illum locum, undè ad probationem majo: dico, quòd falsum sit assumptum, substantiam etiam materialem non attingere locum, nisi per quantitatem, quia non attingit locum commensurativè, nisi per quantitatem, benè tamen definitivè.

Arguitur Secundò: Si substantia Angeli esset in loco per se, sequeretur, quòd Angelus esset in solo loco indivisibili, sed hoc est absurdum, quia Angelus non potest esse in aliquo loco quanto, & divisibili, ergò. Probatur sequela, quia substantia circumscripta quantitate, est indivisibilis. Respond. neg. sequel: quia etiam anima est indivisibilis, & tamen existit in corpore quantò,

 quia

quia in substantia fundatur potentia neutra ad existendum in loco, quantitas autem & latitudo loci pendent ex virtute substantiæ, & hinc DEUS, utpotè infinitus, est ubique, Angelus verò, utpotè limitatus, est in determinato loco indeterminatè, ad quem proindè pro libitu suæ voluntatis movere & ponere potest.

VII. Angelus nec est in loco per applicationem virtutis.

Dico Quintò: *Angelus non est in loco per applicationem suæ virtutis.* Est communior contra Cajetanum. Et probatur, Quia illa applicatio virtutis ad locum, vel est actus primus Angeli, vel secundus? Neutrum dici potest, ergò: probatur min: non actus primus, quia tunc erit Angelus in loco per suam substantiam, quod tamen etiam Cajetanus negat: Non etiam actus secundus, quia ille vel est actus transiens, vel immanens, utrumque tamen improbatum est suprà.

Dices cum Cajetano: Applicationem illam nec esse actum primum, nec secundum nudum, sed ordinem actûs primi ad actum secundum transeuntem. Sed contra: Ille ordo novus in activa potentia agendi ad locum, oportet, quòd sit aliquid novi à parte rei, ergò si non est substantialis præsentia ejus in loco, necessariò erit solus effectus extra Angelum: Quià nihil esse non potest, cùm per nihil verè Angelus à parte rei in loco, in quo ante non erat, existere nequeat, ergò per applicationem necessariò intelligere debebit actus secundus, vel actus primus, & est substantialis præsentia, vel aliquis effectus extrà, cùm alius modus concipi nequeat.

Dices: Illam applicationem virtutis ad locum in actu primo fieri non per solam substantialem præsentiam, nec per solum effectum transeuntem, sed per actum voluntatis, quo Angelus circa corpus vult aliquid efficere. Contra; Illa applicatio voluntatis non sufficit primò, quia Angelum esse in loco, est aliquid reale extra Angelum, velle operari nihil ponit extra Angelum, ergò verè Angelum non constituit esse in loco. Secundò, sequeretur, quòd in infinita loca distantia posset se se simùl ponere, & omnia loca replere, quia virtus Angeli realiter identificatur substantiæ Angeli, & posset velle, ergò. Contra secundò: Si per voluntatem Angelus est in loco, sequeretur, quòd Angelus existens in rebus corporeis nullibi existeret, quia sic existens posset nullibi velle operari. Contra tertiò, sequeretur, quòd si diabolus vellet esse in cœlo, statim ibi esset. &c.

Probatur Conclusio Secundò: Virtus ipsa Angeli non potest esse ratio existendi in loco, ergò nec applicatio, probatur consequ: Tùm, Quia si quantitas non potest esse ratio existendi in loco, ergò nec applicatio, ut patet: Tùm, Quia nuda conditio non habet majorem rationem fundandi talem præsentiam, quàm ipsa virtus, ut applicatio est conditio, ergò.

VIII. Essendi in loco ratio fundamentalis est substantia Angeli.

Dico Sextò: *Ratio fundamentalis, quare Angelus sit in loco, est ejus substantia, in quantum est limitata, habens potentiam passivam neutram.* Ita Doctor subtilis 2. d. 2. q. 6. Probatur prima pars primò, à sufficiente refutatione aliarum Sententiarum. Secundò, quia per id Angelus est in loco, per quod fundat immediatè respectum ad locum, sed per suam substantiam illum fundat, ergò. Tertiò, potest Angelus se ponere, vel saltem poni à DEO in vacuo, sed tunc nullam habebit operationem circa corpus, & tamen erit præsens alicui loco, quia in illo vacuo potest se movere de una parte ad aliam, per quem motum fiet uni lateri proximior, & alteri distantior.

Probatur tertia pars: Quia Angelus non est in loco per substantiam, ut substantia est, ergò prout est substantia limitata; antec: patet, Quia alioquin deberet etiam convenire DEO, quod tamen nemo dicet, itaque, sicut DEO convenit, quòd sit ubique, quia est substantia illimitata & infinita, ita Angelo convenit, ut non sit ubique, nec in pluribus

locis

locis naturaliter, quia est substantia finita. Undè in substantia fundatur potentia neutra essendi in loco, modi verò essendi in loco sequuntur conditionem substantiæ, si ergò est infinita, est ubique, quia immensa; si finita, sed sine quantitate, est in loco definitivè, non circumscriptivè, ut Angelus: Si verò sit finita habens quantitatem, est in loco non solùm definitivè, sed etiam circumscriptivè, ut corpus.

IX. Potentia neutra passiva quæ sit. Dixi: *Habens potentiam neutram passivam*, quia Angelus non est in loco necessariò, quia DEUS potuisset creare Angelum solum absque eo, quòd creâsset corporalia, sed tunc non fuisset in aliquo loco, cùm non habuisset ultimum continens: Imò posset DEUS creatâ corporali naturâ facere Angelum extra omnem creaturam corporalem, ergò potentiam habet passivam neutram, ut sit in hoc, vel in illo loco, vel in nullo. Sed in contrarium pro Vasquetz.

Dices: Substantia nuda nequit esse fundamentum præsentiæ localis Angeli, quia præsentia localis est relatio, in substantia autem nequeunt fundari relationes, ergò. Respond. neg. antec: Quia, sicut substantia ipsa fundat relationes identitatis & diversitatis, ita etiam potest fundare relationes præsentiæ localis, undè si substantia est spiritualis, causabit respectum præsentiæ localis definitivæ, si verò fuerit corporea, duplicem præsentiam fundabit, definitivam præcisè, respectu substantiæ nudè sumptæ. & circumscriptivam, propter quantitatem, quia ut dixi in Physica, una eademque res pluribus præsentiis præsens esse potest. Sed pro eodem

VI Instabis: Si posset substantia nuda fundare hunc respectum, sequeretur, Angelum & substantiam ejus semper esse in loco eodem modo, quamdiu manerent illa corpora, quibus est præsens, nec posset se movere ab illo, & sine eo esse, quæ sunt absurda: Sequela tamen probatur, quia manente fundamento eodem, & termino manet eadem relatio, sed præsentia localis est relatio, fundamentum est substantia Angeli, terminus est corpus, ergò. Respond. neg: sequelam, cujus probationis antec: distin. 1. si est aliquid necessariò in loco, transeat; si tantùm non repugnanter per potentiam neutram, neg: antec: distin. 2. manente fundamento & termino manet relatio, intrinsecùs adveniens, conc: extrinsecùs adveniens, neg: antec: itaque præsentia localis est respectus extrinsecùs adveniens, quæ non manet semper, nisi etiam maneat actio applicata, quia ergò actio applicans Angelum ad locum, virtus nempè ejus motiva, subest imperio voluntatis, quod eandem applicat nunc ad hoc corpus, nunc ad illud, ideò non manet semper eadem relatio, & eadem præsentia.

QUÆSTIO TERTIA.

An Angelus determinatum locum requirat secundùm maximum, & minimum?

I. Aliud est esse in loco determinato, & aliud determinatè. PRo resolutione hujus quæstionis Notandum Primò: aliud esse, Angelum habere locum determinatum, & aliud, habere locum determinatè, quia primum significat, quòd Angelus sic repleat locum, ut naturaliter non possit replere majorem vel minorem; secundum verò significat, Angelum naturaliter exigere locum A. v. g. ut violenter sit in loco B. & sic corpora naturalia exigunt locum determinatè, tàm secundùm extensionem determinatum, quàm secundùm situm, sursum simpliciter, vel deorsum, Angeli autem non sic in loco existunt. Hinc dicit Scotus suprà q. 6. §. De quinto dico, quod, quando aliquid est in potentia passiva ad aliquod genus, & non est determinatè in potentia passiva ad aliquam speciem illius generis, tunc ab eodem agente potest reduci ad hanc, vel illam speciem, veluti est superficies

ficies respectu albedinis & nigredinis, sic Angelus est indeterminatus ex se, ut sit in hoc, vel in illo ubi, undè à DEO, vel à seipso potest poni nunc ad hoc, nunc ad illud.

II. Discrimen inter corpus & Angelum in ordine ad occupandum locum.

Notandum Secundò: Discrimen esse inter corpus & Angelum in ordine ad explendum locum suum adæquatum, corpus enim ita poscit extendi, ut naturaliter non possit in minori constringi, ut partes se invicem penetrent, Angelus vero indivisibilis non extenditur secundùm partes, quia non habet partes, ad partes loci extensibiles, ita ut per nullam potentiam possit aliter poni, quàm definitivè, ut sit totus in toto, & totus in qualibet parte. Discrimen secundum est, quòd corpus exigat locum determinatum ad maximum & minimum, ut naturaliter citra miraculum non possit esse in majori vel minori, suo loco adæquato, secundùm maximum & minimum, Angelus autem poscit determinatum quidem locum ad maximum, sed non ad minimum in omni rigore, quia infra locum adæquatum passivè est indifferens, tàm ad omnes partes loci, quàm ad unam etiam minimam. His notatis

III. Angelus habet determinatum locum, non determinatè.

Dico Primò: *Angelus ex virtute sua naturali nequit esse ubique, neque explere locum, quandocunque magnum, sed habet determinatum quoad maximum, non tamen determinatè.* Colligitur ex Scoto suprà, & in quarto. Probatur prima pars: Quia proprium DEI est ratione immensitatis suæ, esse ubique, sed Angelus non est, sed neque esse potest immensus, quia hæc statim infert illimitationem essentiæ, exoritur enim indè, ergò.

Probatur secunda pars Primò: Esse simùl in pluribus locis adæquatis, naturalibus infert, necessariò posse esse ubique, sed datur locus ita magnus, qui tria, quatuor, vel etiam plura adæquata contineat, sed non est major ratio, ut existat in pluribus adæquatis numero indeterminatis, quàm in infinitis, ergò. Secundò: Quantitas essentialis virtutis angelicæ æquivalet quodammodò quantitati molis corporeæ, sed corpus per quantitatem molis non constituitur in loco quocunque maximo, ergò nec Angelus. Tertiò: Anima intellectiva non est apta nata informare corpus, quantumcunque magnum: Tùm, Quia corpus humanum determinatum est, quoad maximum: Tùm, Quia ordinatur ad animandum corpus mediocris magnitudinis, ergò nec Angelus potest esse in loco quantumvis magno: paritas hæc currit, quia anima ita adæquatur corpori, sicut locatum loco, & perfectivum suo perfectibili.

Probatur tertia pars: Corpus naturale exigit locum secundùm extensionem & situm, quia naturaliter eget conservari à loco, sed nullus locus naturaliter conservativus est Angeli, ergò est naturaliter indifferens ad omnia loca. Lege primum notabile, & deprehendes modum.

Dices: Angelus potest in quodlibet corpus operari, ergò debet esse localiter præsens omni corpori naturaliter, cùm omne agens finitum sit præsens passo, circa quod operatur. Respond. dist: antec: Potest in quolibet corpore operari simùl, nego: successivè & sub disjunctione, transeat: imò nec in quolibet potest, quia si non sit Angelus motor, quid producet & operabitur in cœlo? distinguo etiam probationem ejus: finitum debet esse præsens passo, in entitate sua præcisè, nego, in sphæra activitatis & virtutis, concedo, itaque Angelus, sicut nec in omnia corpora agere simùl potest, ita nec potest simùl esse omnibus præsens.

IV. Angelus non potest esse in loco quovis minimo in infinitum.

Dico Secundò: *Angelus non potest existere in loco quovis minimo in infinitum divisibili pro libitu suæ voluntatis.* Est Doctoris 2. d. 2. q. 6. Probatur Primò: Angelus nequit esse in loco quantumcunq; magno, quia est proprium DEI, ergò nec poterit esse in loco quovis minimo in in-

in infinitum: Probatur consequ: locus, quatenus quantus, præcisè secundùm partes proportionales communicantes, est divisibilis in infinitum, sed non potest sic dividi locus quantus, quia ratio loci est realis, vel physica, non mathematica, respiciens solam considerationem, ideò nequit Angelus in minori minimo in infinitum existere, quamvis possit in minori adæquato. Eadem consequ: Prima probatur Secundò à Scoto: Quia si Angelus posset esse in loco quantumcunq; parvo, posset etiam esse in loco quantumcunque magno, hoc non admittitur, ergò. Sequelam probat ex 35. propositione Euclidis, quæ est talis: *Quidquid potest esse in uno æqualium, potest esse & in reliquo, si sibi figuratio non repugnet;* hoc stante, ponatur, quòd Angelus sit in quadrato quantumcunque parvo; tunc necessariò quoque erit in quadrangulo illi æquali, est enim quadrangulus dabilis æqualis cuicunq; quadrato (quadrangulus differt à quadrato, quòd quadratus habet latera æqualia, quadrangulus verò habeat unam partem longiorem alterâ) sed omnis quadrangulus potest in infinitum constringi, & tunc fiet longior in infinitum, si ergò illi quadrato, in quo ex supposito est Angelus, quantumcunque parvo, est dabilis quadrangulus æqualis; poterit quoque esse in hoc quadrangulo; sed hic quadrangulus potest constringi in infinitum, & ex hac constrictione fiet longus in infinitum; ergò erit Angelus in loco longo in infinitum.

Dices cum Cajetano: Propositionem Euclidis non esse ad propositum, quia loquitur expressè de modo essendi in loco commensurativè. Contrà: Hæc propositio in spiritualibus fortior est, quàm in corporibus; spiritus quippè non coextenditur loco, sicut corpus; ergò si corpus replens quadratum, poterit quoque replere quadrangulum æqualem, quantumvis habentem latera arcta, cur id similiter non posset spiritus? Sed contra Conclusionem

Dicunt alii Adversarii: Diminutionem loci usque in infinitum non provenire ex augmento virtutis, sed ex sola libertate Angeli, idcircò non sequitur esse majoris virtutis. Sed contrà: Licèt arctare præsentiam ad locum determinatæ quantitatis ex sola libertate pendeat, nihilominus illam in infinitum minori minimum restringere, arguit infinitatem virtutis; non enim ex imperfectione provenit, sed potius ex perfectione, ergò ubi illa virtute in infinitum ad constituendam illam in minori minimo, inferet necessariò perfectionem infinitam.

Dicunt Secundò: Versùs minimum non datur locus minimus indivisibilis, sed quocunque minimo dato adhuc ille est divisibilis in infinitum; ergò Angelus potest se semper facere præsentem minori & minori in infinitum. Confirmatur; Quia potest operari in loco quantumcunque minimo. Respond. negando maj: Quia locus non est divisibilis in infinitum ut locus, sed ut quantus, ut locus autem debet habere minimum, quo minor esse non possit, quia actu est, & reale quid, non per puram mathematicam considerationem, quod est in potentia; si enim actu esset in infinitum divisibilis, actu daretur infinitum. Et dato, quòd etiam esset divisibilis in infinitum, ut locus, hoc tamen repugnat Angelo ex limitatione virtutis suæ, ut ponat se in minori minimo. Ad Confirmationem dico, quòd, si in quantumcunque parvo loco esse posset, ubique posset in eo operari.

Instant: Angeli, secundùm Scotum, possunt esse in puncto, ergò à fortiori in minori minimo loco in infinitũ, quia plus est esse in solo puncto, quàm in qualibet parte quantitatis. Respond. Scotum nihil assertivè tenere, an possit esse in puncto, sed circa hoc manet problematicus, ait enim: *Si tamen posset esse in puncto, vel non: non videtur ratio ne-*

 cessa-

cessaria nec ad unam, nec ad aliam partem: licèt enim Angelus sit indivisibilis, non est tamen indivisibilitas limitata, sicut puncti, si etiam ponatur in puncto, nullum videtur sequi inconveniens, quia si aliquod sequeretur, maximè, quòd non posset se movere super spatium continuum, hoc tamen non sequitur, quia posset immediatè ex puncto movere ad continuum, cujus est terminus punctum, quod patet in corpore perfectè sphærico, quod planum tangit tantùm in puncto, & movendo non nisi in puncto tangit, cur non sic posset moveri Angelus? Ex quibus omnibus concludo, quòd Angelus possit esse quidem in puncto, sed non ut in loco, nisi impropriè, quia punctum non suscipit rationem loci, quia debet esse continuus, undè Doctor subtilis dicit: *Quòd non possit habere minorem, loquendi de loco continuo, licèt fortè possit esse in puncto.*

QUÆSTIO QUARTA.

An plures Angeli possint esse simùl in eodem loco?

I. NEgativè respondet D. Thomas, affirmativè Scotus. Potest autem quæstio intelligi, vel connaturaliter loquendo, vel de potentia absoluta; & in posteriori sensu ambigendum nullatenus est, quia, si virtute divina possunt simùl esse in eodem loco duo corpora, à fortiori sequitur, posse esse duos spiritus: pro priori autem sensu solvendo quæstionem

II. *Angeli possunt esse plures in eodem loco.* Dico: *Possunt connaturaliter duo Angeli esse simùl in eodem loco adæquato, & etiam plures, pro eodem tempore.* Ita Doctor subtilis. Probatur Primò: Possunt Angeli esse cum rebus materialibus simùl, ergò etiam ipsimet possunt esse simùl: patet antec: Quia etiam anima sic est cum corpore. Probatur consequ: Potest esse in eodem corpore, eodemque modo idem Angelus cum anima, ergò etiam plures Angeli inter se; consequ: tenet à pari: antec: probatur ex obsessis, ubi non modò unus Angelus, sed etiam plures in eodem corpore sunt, & Marci 5. Lucæ 8. legitur, integra legio fuisse in eodem homine, ergò. Si dicas, hoc factum esse DEO permittente, nihil improbas, nam postquam DEUS id permisit, Angeli naturalibus viribus, sine extraordinario DEI auxilio cum concursu generali, id exequi potuerunt, quia permissio nihil aliud operatur, quàm quòd generalem suum concursum ad hunc effectum, sicut alioquin in pluribus solet, non velit suspendere.

Probatur Secundò: Potest unus Angelus in certa parte cœli esse, quod movet, cuique assistit, & potest etiam DEUS mandare alteri Angelo, ut infra illam partem aliquid operetur, tunc posset iste directè transire ad illam partem inferiorem; ergò tunc pro aliquo instanti essent simùl, si non posset tunc directè, non posset transire, nisi alter ipsi cederet, & assistentiam suam relinqueret. Si dicas, Angelos bonos quidem posse in locis naturalibus, non tamen malos, & in voluntariis, si, inquam, hoc dicas, difficultatem non effugies, quia bonitas & malitia non tollunt ipsis naturalem activitatem, ut ex D. Dionysio suprà ostensum est. Nec etiam Angelus habet aliquem locum naturalem, quia indifferens est ad quemcunque & ad nullum, & insuper, si haberet aliquem naturalem, quamdiu non esset in illo, esset in loco violento.

Probatur Tertiò: Tota ratio, quare duo corpora non possint esse naturaliter simùl, est, quia habent quantitatem, cujus effectus est, facere latera distantia corporis ambientis, ita, quòd quando DEUS illum effectum in uno suspendit, possint esse simùl, sed Angeli non sunt quantitativi, ergò. Sed in contra

Arguitur pro D. Thoma: Angelus est in loco per operationem, quam facit in loco: sed una eademq; operatio & effectus non potest dependere à duabus causis totalibus, ergò

ergò non possunt duo, vel plures esse simùl in eodem loco. Respond: Primò neg. maj: ex dictis. Respond: Secundò: Quòd quamvis una eadémque operatio non possit esse à duobus, tamen duo Angeli possunt habere duas operationes circa corpus, & sic dato, quòd essent in loco per operationem, adhuc possent esse simùl.

Instatur: Angelus alter non potest producere aliam operationem in loco, quia locus ipse est incapax habere & suscipere simùl duas, vel plures operationes, ergò; probatur antec: Quia Angelus non potest operari nisi movendo, sed non potest suscipere duplicem motum. Respond. distin: antec: Locus non est capax habere duas operationes simùl, & motus adæquatos; conc: inadæquatos & partiales, nego. Itaque Angeli non necessariò movent illud corpus, sed liberè, ideò potest unus movere tantùm, & alter etiam tantum, & sic neuter movebit totaliter, sed uterque aliqualiter, & sic uterque erit in eodem loco, etiam in sententia ponentium, Angelum esse *in* loco per operationem. Cœteroquin arguunt adhuc Thomistæ, quòd nulla sit necessitas, ut ponantur plures Angeli esse in eodem loco, verùm, id non probant; quia potest esse necessitas, ut unus alterum adjuvet, si non sit sufficientis activitatis; vel ut non totaliter producat, aut licèt non esset tanta necessitas; potest tamen esse magna utilitas; quod jam non est superfluum, maximè in rebus liberè operantibus. Quòd autem aliqui dicunt; illa, quæ habent eundem essendi modum *In*, non possunt esse simùl, verum est, si habeant etiam dependentiam *ab*, quam si non habent, omninò simùl esse possunt.

QUÆSTIO QUINTA.

An unus Angelus possit esse simùl in pluribus locis?

SIcut in superiori, ità etiam in hac quæstione sensus tituli procedit tàm de potentiâ naturali ipsius Angeli, quàm de potentiâ absolutâ, & quidem nec hìc difficultas esse potest, DEUM absolutè posse Angelum replicare, & in duobus locis ponere simùl & semel, cùm idem de corporibus docuerim cum communi Scotistarum, in Physica, nam nulla in hoc ostendi potest contradictio & implicantia, cùm fide teneamus, Corpus Christi esse circumscriptivè in cœlo, & in terra definitivè, & sacramentaliter per totum orbem; Quid quoque mirum, quòd plures præsentiæ per DEUM possent poni in eodem Angelo, cùm sint relationes, & plures in eodem subjecto fundari possint? nam, licèt locum à locato imaginatio non separet, ratio, id tamen fieri posse, demonstrat. Nec in hoc elucidando immorandum puto.

Difficultas ergò est, an Angelus naturaliter possit se ponere in pluribus locis, & hoc iterum dupliciter intelligi potest: Primò, an possit naturaliter esse in pluribus locis adæquatis, & hoc non posse esse, probavi in quæstione secunda, quia habet determinatum locum quoad maximum; & etiam quoad minimum. Secundò, an possit esse in pluribus locis inadæquatis, discontinuis tamen; ita videlicet, ut extrema illa per intervallum aliquod sint disjuncta, v.g. an Angelus possit esse in omnibus quatuor angulis Ecclesiæ Pragensis ad B.V. ad Nives, absque eo, quòd sit in medio? si enim res plures discontinuæ inter se, ita per contiguitatem conjungantur, ut faciant unum cumulum, ut multæ arenulæ, vel aliæ etiam specie distinctæ, non est difficultas, quin Angelus possit esse omnibus præsens. In hac materia Cajetanus, Ferrar. & alii Thomistæ affirmant, & loquuntur

tur confirmiter ad sua principia, si enim per operationes sunt in loco, & possunt operari in extremis, & non in medio, poterunt esse in extremis & non in medio. Doctor subtilis 2. d. 2. quæ. 8. ait: rem esse dubiam, & non posse necessariam rationem, vel pro parte affirmante, vel pro negante, afferri, ideò cuilibet opinandi reliquit libertatem. Ego ad quæstionis resolutionem

II. Angelus non potest se ponere in pluribus locis discontinuis.

Dico: *Angelus nequit naturaliter se ponere in pluribus locis, discontinuis in se, etiam intra latitudinem loci adæquati, quoad maximum.* Ita Suarez, Vasquez, &c. Probatur Primò ex authoritate D. Damasceni lib. 2. de fide cap. 3. dicentis: *Angeli, ubi imperatum fuerit, illic spiritualiter adsunt & operantur; neque eodem tempore hic, atque illic esse, & operari possunt.*

Probatur Secundò: Nequit Angelus naturaliter existere in pluribus partibus locorum adæquatorum discontinuis, ergò nequit etiam existere in pluribus partibus loci adæquati discontinuis: probatur consequ: Quia antec: patet, quia alioquin posset esse in cœlo & in terrâ, in Oriente & Occidente, ideò nequit pluribus in partibus locorum adæquatorum existere, quia præsentia ejus adæquatè eum circumscribit, eumque veluti adæquatum locum, respicit, sed etiam hic adæquatè circumscribit eum, ergò: probatur min: Tùm, Quia etiam esse in uno inadæquato loco definit sic Angelum, ut sit hic & non alibi: Tùm, Quia Angelus sicut respicit locum adæquatum, ita etiam respicit unitatem præsentiæ, sed locus unus inadæquatus partialis eum totaliter circumscribit, ergò etiam una præsentia.

Probatur Tertiò: Anima indivisibilis nequit caput, manus, & pedes informare, nisi informet etiam partes intermedias, ergò. Nec dicas, animam esse formam corporis, consequenter nequit unam informare, quin informet alteram partem. Non dicas, inquam, Tùm, Quia sicut ab anima ad alia argumentamur ad Angelos, cur non etiam in hoc? Tùm, si Angelus assumeret corpus aliquod, quæro, an possit esse præsens capiti & pedibus, & non reliquis partibus, si sic, ergò reliquæ partes non moverentur, si non; ergò informatio non facit disparitatem, quantum ad unitatem præsentiæ. Et confirmatur ratio: Eadem anima modò informat infantem palmarem, & postmodum gigantem, quem pono esse terminum adæquatum, & tamen non potest informare plures, vel duos infantes, qui multò minores, simùl sumpti sunt quàm gigas, non ob aliam rationem, quàm quòd sint discontinui, sicut etiam non informat partes discontinuas ipsius gigantis.

Probatur Quartò: Lumen nequit derivari ad partes extremas, nisi ipsum prius transeat per medium, in quo lumen etiam manet, ergò neque poterit Angelus transire substantiam suam ab uno extremo, in quo sit, ad aliud, nisi per medium, in quo ipse quoque maneat: Confirmatur: Quia sicut non aliæ res, ita nec Angelus potest transire de extremo ad extremum, nisi per medium.

Probatur Quintò: Ex imperfectione cujuslibet rei creatæ, quæ sicut ob suam limitationem determinat sibi locum, quoad quantitatem, ita etiam quoad unitatem, & sicut naturaliter nequit esse, nisi in loco tanto, ita nec, nisi in loco uno.

Probatur Sextò: Sequeretur, quòd etiam alii Angeli possent tertium, vel animam rationalem in locis discontinuis ponere, sed hoc videtur violentare angelicam & animæ naturam, ergò. Probatur sequela, quia possunt duo Angeli accedere & unum movere, ut sit in Oriente, & alter versùs Occidentem. Nec dicas, non esse repugnantiam ex parte Angeli, vel animæ motæ, sed ex parte moventium, ex eo, quòd unus fortiùs ageret altero, quia licèt unus citiùs poneret eum ad Orientem

entem versùs, quàm alter versùs occidentem, tamen posset eum ponere, sicut materia, vel lignum esset capax duorum ignium, licèt causa efficiens una citiùs unum produceret, posset tamen altera etiam producere suum. Deindè quid fiet, si Angeli essent æqualis virtutis & perfectionis activæ?

QUÆSTIO SEXTA.

Utrum Angelus possit moveri de loco ad locum?

I. Motus Angelorũ generice convenit cum motu corporum.

Hic omnia, quæ de motu in communi in Physica dixi, suppòsita velim, motus enim Angelorum genericè convenit cum motu corporum; nam uterque pro formali importat acquisitionem Ubi, quæ etiam sive spiritualia sint, sive corporalia, in ratione communi conveniunt, consequenter ipsi motus, cùm per se ad hujusmodi terminos ordinentur, hinc, si in sano accipiatur sensu illa definitio Aristotelis, quam lib. 3. Phys. habet de motu, convenit etiam motui Angelorum, nempè, si accipiatur, (non pro *actu & potentia Physica*, ut accipit Philosophus) magis abstractè, prout ratio entis *actùs & potentiæ* convenit etiam entibus à materia separatis, tunc revera definitio illa convenit motui Angelorum, quia verè hujusmodi *motus est actus entis in potentia*, *prout in potentia* respectu *Ubi*. Neque repugnat Angelo, quòd sit in actu quodam imperfecto, respectu loci, sicut non repugnat ei, quòd media successione motùs perveniat ad locum, nam de ratione successionis est, quòd sit actus imperfectus & incompletus respectu termini. Hoc præsupposito sciendum, quòd Authores conformiter ad sua principia, quæ de loco habuerunt, progrediantur in materia de motu Angelorum, undè illi, qui dixerunt, eos non esse in loco, nisi impropriè, negant etiam eos propriè & verè moveri. Progredior & ego conformiter ad principia nostra, &

Dico Primò: *Angeli verè & propriè, & non secundùm apparentiam tantùm, moventur.* Ita Doctor subtilis 2. d. 2. qu. 9. contra Durandum, Cajet. Ferrar. &c. Probatur Primò ex Scriptura, Isaiæ 6. *Et volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus calculus.* Tobiæ 3. *Missus est Angelus Domini sanctus Raphaël, ut curaret eos ambos.* Job 1. *Circuivi & perambulavi.* Joan. 5. *Angelus autem Domini descendebat secundùm tempus in piscinam.* Lucæ 10. *Vidi Sathanam, quasi fulgur, de cœlo cadentem.* 1. Petri 5. *Adversarius vester, tanquam leo, circuit, quærens.* Apocalyp. 12. *Neque locus eorum amplius inventus est in cœlo. Projectus est Draco. Væ terræ, quia descendit diabolus ad vos.*

II. Angeli verè & propriè moventur.

Probatur Secundò ex Patribus: Aug. serm. 102. divers. c. 9. *Apparuerũt* (supple Angeli) *ut voluerunt, quando voluerunt, quibus voluerunt. Nihil difficultatis, nihil omninò tarditatis sentiunt. Sed non eos videmus currentes, non eos videmus de loco in locum migrantes, ut nossemus ab oculis hominum discedentes, quando voluerunt, pervenerunt*: ubi clarè docet, Angelos de loco ad locum moveri & pervenire; hinc licèt Genes. ad litt. lib. 8. cap. 20. dicat: *Spiritualem creaturam per tempora mutari, non per loca*, intelligendus est, quòd non mutetur per loca, sicut nos corporeè, commensurativè, moveatur tamen per tempora, quia non minùs decurrit tempora, quàm res corporeæ. Similiter D. Bernardus serm. 5. in Cantica intelligendus est, dum ait: *Non est discurrere, nec de loco ad locum transire, nisi corporum, quod frequenter Angelos facere, tam indubitata, quàm nota probat authoritas*, quia loquitur de apparitionibus factis hominibus, quas vult probare, debere fieri in assumptis corporibus, non quòd ipsi aliter non possint, sed, quòd nos eos aliter percipere non valeremus, unde ait: *Quonam ergò modo implent ministerium suum absque corpore, præsertim apud viventes in corpore?* Sed

Dices: Omnes illas authoritates tàm Scripturæ, quàm Patrum, loqui de Angelis, ut assumunt corpora, & aliquam operationem circa ea exercent, ratione quarum dicuntur moveri, undè Div. Bernardus Serm. 10. in Psalm. 90. *Vias Angelorum mysticè exponit*, ut ascensus significet contemplationem, descensus compositionem. Sed contrà Primò: Quamvis aliquæ authoritates agant de Angelis, ut assumunt corpora, aliquæ tamen etiam præscindunt ab assumptis corporibus; quod clarè probant illæ vel maximè, quæ dicunt, Angelos apparuisse in somno, ut Matth. 1. *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph.* Contrà Secundò: Licèt S. Bernardus ibi dicat, Angelos apparere in corporibus, & alibi vias eorum mysticè exponat, attamen alibi sæpissimè docet, eos esse nobis verè præsentes, verè deserere nos, & recedere à nobis. Et lib. 5. de consid. cap. 5. dicit, planè in nobis esse, non utique ratione & medio aliquo corpore, sed verâ præsentiâ. *Inest*, ait, *Angelus, suggerens bona, non ingerens, inest hortans ad bonum, non creans.* Hinc ex D. Bernardo potius probatur nostra Conclusio, sicquoque D. Augustin. in Enchirid. Laurent. cap. 59. ait: *Angelos spirituali potentiâ quasdam visiones, non oculis corporeis, sed spiritualibus, vel mentibus ingerere, sicut scriptum est in Prophetarum libro, & dixit Angelus, qui loquebatur in me, non enim ait, qui loquebatur ad me, sed in me.* Contrà Tertiò: dato, quòd etiam omnes authoritates Patrum & Scripturæ intelligendæ sint de Angelis in assumptis corporibus, ex hoc ipso clarè deducitur, quòd ipsi etiam verè & propriè moveantur; quia si movebantur cum corpore, debebat in ipsis fieri motio aliqua passiva, alia à motione passiva ipsius corporis, quia non est aliquid formaliter ipsius corporis.

Probatur Conclusio Tertiò: Anima separata à corpore veraciter movetur secundùm locum, ergò etiam Angelus: Probatur consequ: Tùm, Quia Angeli & anima habent eundem modum existendi, ergò etiam eundem modum movendi; probatur etiam antec: Quia animæ plures justorum de corporibus egressæ deducuntur, vel propriâ virtute feruntur ad locum purgantium pœnarum, persoluto reatu deducuntur ad beatitudinem & cœlum empyreum, sed certum est, quòd maxima sit distantia inter purgatorium & empyreum, ergò verè de loco in locum moventur.

Probatur Quartò per rationem Scoti: Omne receptivum plurium formarum alicujus generis, quod non est infinitum & illimitatum ex se, ita ut pòssit eas simùl habere, quodque non est determinatum ad aliquam unam in specie, potest mutari & moveri ab una ad aliam, sed Angelus est receptivus plurium *ubi*, quæ non potest simùl habere, cùm non sit immensus, sicuti DEUS, nec est determinatus ad unum *ubi*, ut non possit esse in alio, ergò potest moveri ab uno ad aliud, verè & propriè, quia tunc verè & propriè movetur, quando unum *ubi* deserit, & alterum accipit, quod antea non habebat: major patet de superficie, quæ est indifferens ad albedinem & nigredinem, & potest transire ab una ad aliam. Sed in contrarium

Opponitur Authoritas Aristotelis ex 3. Physic. ubi dicit, quòd *modus sit actus entis in potentia, prout in potentia*, id est, *motus est perfectio entis, prout est in potentia ad aliam perfectionem*, sed neque motus, neque terminus motûs est, vel esse potest perfectio Angeli, ergò: probatur minor: quia omnis perfectio videtur aliquo modo nobilior, quàm sit perfectibile, sed motus & terminus non sunt perfectiores, quàm substantia Angeli; ergò. Respond: neg: min: cum sua probatione, quia nunc, quod actu in aliquo non continetur, cujus est capax, & quod acquirere potest, est aliquo modo perfectio ipsius, licèt in se non sit tàm per-

perfectum, ac est illud, quod perfici dicitur, sic intellectio dicitur perficere hominem & Angelum, & tamen intellectio est multò imperfectior homine & Angelo. Sed

Instabis: Intellectus est ens spirituale, motus autem corporalis est, & sic benè intellectio poterit perficere Angelum, non tamen motus. Respond neg. antec: pro secunda parte, quia quamvis motus rerum corporearum sit corporalis, spiritualium tamen non est, quia motus sequitur naturam mobilis, unde si hoc corporale est, erit & motus, & econtrà si spirituale, motus est quoque spiritualis.

Urgetur: Omne, quod movetur, debet esse partim in termino à quo, & partim in termino ad quem, sed spirituale potest sic esse, ergò nec motum spiritualem habere poterit: probatur maj: quia dum mobile est totaliter in termino à quo, non movetur, sed quiescit, quando verò est totaliter in termino ad quem, jam motum est, ergò mobile debet esse partim &c. Respond distin: maj: debet esse partim in termino à quo, & partim in termino ad quem, ita, quòd partibilitas & successio ab uno termino ad alium oriatur, vel ex divisibilitate medii, vel ex divisibilitate subjecti, conc: maj: ita, quòd oriatur successio tantùm ex divisibilitate subjecti, neg: maj: & distin: min: Sed spirituale non potest sic esse, divisibilitate, quæ oriretur ex subjecto, conc: quæ oriretur ex medio, nego. Itaque quando in medio terminus à quo est distans à termino ad quem, Angelus potest partim esse in termino à quo, & partim in termino ad quem, respectu medii, quia potest ad unum magis accedere & ab alio abscedere.

III. Angelus potest activè movere, & passivè moveri.

Dico Secundò: *Angelus habet intrinsecam potentiam, ut passivè moveatur ab alio; & ut activè seipsum moveat.* Ita Doctor suprà. Probatur prima pars: Quia non repugnat, nec ex parte Angeli, nec ex parte termini, neque ex parte agentis, quia potest unus Angelus altero esse fortior, cui nequeat resistere, & transeat, quòd posset, certè DEO non resisteret: Tùm, Quia cuicunque potentiæ activæ correspondet potentia passiva, sed Angeli habent potentiam activam ad motum, ergò etiam habent potentiam passivam, maj: patet ex Physica, min: verò, quæ est altera pars Conclusionis.

Probatur Primò: Quia perfectio, quæ conceditur rebus corporeis, non est deneganda spiritualibus, si aliundè eis non implicet, sed res corporeæ habent potentiam activam ad movendum se, ergò.

Probatur Secundò: Quia DEUS ut Author naturæ, nullam produxit creaturam imperfectam, quantum ad ea, quæ ipsi ad multa erant, & sunt necessaria, sed motus Angelorum est eis ad plura necessarius, ergò. Probatur maj: quia ideò omnibus animantibus, & quæ vim appetitivam habent, concessa est potentia locomotiva, ut possint ea quærere, quæ naturæ eorum sunt proficua, & fugere, quæ nociva: probatur min: Quia Angeli non possent exequi sua ministeria, cùm non sint ubique, habentque magnum desiderium exequendi, ergò eis est motus ad multa necessarius. Confirmatur Conclusio: Quia Angeli habent virtutem movendi alia, ergò etiam habent potentiam activam ad movendos seipsos.

Dices: Potentia quælibet naturalis debet ordinari ad aliquem finem naturalem universi, sed Angeli non habent aliquem finem naturalem, nec propter sui indigentiam, nec propter indigentiam universi, cùm hæc lunaria per cœlorum motum, sufficienter adjuventur, ergò. Respond. neg: min: quia Angelo primò competit ex perfectione suæ naturæ: Secundò, ut possit ministerium suum debitè exercere: Tertiò, ut possit rerum species acquirere.

Dico Tertiò: *Motus localis Angeli est ipsa formalis acquisitio ipsius ubi.* Patet ex Physica, & probatur adhuc — IV. Motus Angeli est ipsa formalis acquisitio ubi.

adhuc

adhuc Primò: Motus quicunque est via ad suum terminum, ergò est ipsa formalis acquisitio ipsius *ubi*, quia terminus motûs localis est *ubi*.

Probatur Secundò: Mobile dicitur moveri, & aliter ac aliter se habere per ordinem ad terminum, sed terminus motûs localis est *ubi*, ergò ipse motus est formalis acquisitiò ipsius *ubi*.

Probatur Tertiò: Motus localis est formaliter transitus de uno *ubi* ad aliud, ergò est formaliter acquisitio ipsius *ubi*, ad quod Angelus movetur, qua successivè acquirit aliam & aliam existentiam in alia & alia parte spatii.

Probatur Quartò: Quia motus localis Angeli genericè convenit cum motu locali corporum, univocè in una ratione genericâ motûs localis, sed motus localis corporum est ipsa formalis delatiò & acquisitio loci, ergò etiam Angeli erit talis acquisitiò, undè motus Angeli est delatio ipsius substantiæ & personæ Angeli ab uno locò in alium, sicut motus rerum corporearum est delatio corporis ab uno loco ad alium; cum hac differentia, quòd corporum sit ad ubi circumscriptivum, Angeli ad ubi definitivum.

QUÆSTIO SEPTIMA.

Quomodo Angeli moveantur?

I. *Motus alię instantaneus, alius successivus.* Penes alias plures motûs divisiones celebrior est illa, quâ dividitur in *successivum* & *instantaneum*; primus est, quando mobile transit ab uno loco ad alium successivè transeundò partem & partem spatii interjecti inter terminum *à quo*, & terminum *ad quem*. Secundus quando mobile immediatè ab uno *ubi*, transit ad aliud *ubi*; absq; eo, quòd in interpositis *ubi* actualiter sit. Hinc modò in quæstione quæritur, an Angelus moveatur successivè & continuè tantùm, vel etiam instantaneè? Pro quo ulteriùs

Notandum Secundò: Successionem ad motum continuum requisitum provenire ex duplici causa, nempè ex divisibilitate mobilis, & ex divisibilitate spatii, ita ut utraque per se sit sufficiens ratio, præcisâ etiam alterâ, quòd motus fiat successivè, ut cuilibet examinanti patebit. Verùm II. *Successio unde proveniat.*

Notandum Tertiò: Motum dupliciter sumi posse *propriè* & *impropriè*. *Propriè* sumitur, prout contra distinguitur à mutatione, quæ fit in instanti, ut aëris illuminatiò, generatio, corruptio, in quâ acceptione motus intrinsecè dicit successionem secundùm prius & posterius; est enim quid successivum, non permanens, quod ex definitione temporis constat, quod est mensura motûs secundùm prius & posterius. *Impropriè* sumitur, prout coincidit motus cum mutatione, & moveri cùm mutari; & sic nomine motûs comprehenduntur etiam subitæ mutationes, ut illuminatiò, generatio, corruptio &c. quando ergò Scotus dicit, quòd Angelus possit moveri in instanti, non accipiunt motum propriè; sed impropriè; quòd enim mutatur de locò ad locum subitò, dicitur moveri, quia acquirit novum *ubi*. His itaque prænotatis III. *Motus dupliciter adhuc sumitur.*

Dico Primò: *Angelus potest se movere motu continuo & successivo de uno loco, ad alium.* Est communis Scoti & D. Thomæ. Probatur, Angelus potest successivè; & per partes deserere aliquem locum; & eodem modò acquirere alium sine interruptione, ergò potest moveri de loco ad locum continuè: Patet consequ: antec: probatur, quia cùm Angelus est in loco minori eo, qui sibi est adæquatus, potest paulatim & successivè; ita ut remaneat in priori; acquirere majorem locum intra latitudinem adæquati; ergò potest successivè & per partes deserere totum locum, in quo est, transferendo se eodem modo ad alium locum totalem: Probatur hæc consequentia, quia nulla est ratio, cur non IV. *Angelus potest se movere continuè & successivè.*

non possit Angelus acquirere sic locum totalem, sicut potest partialem, antec: etiam probatur, quia Angelus liberè se applicat ad majorem & minorem intra latitudinem adæquati, cùm aliàs hujusmodi libera applicatio intelligi non possit.

Probatur Secundò: Potest Angelus esse in loco extenso & divisibili, ergò potest etiam acquirere locum extensum divisibiliter & successivè, quia non minus unum quàm alterum repugnat indivisibilitati angelicæ.

Probatur Tertiò: Potest Angelus transire ab uno *ubi* ad aliud, transeundo omnia media *ubi*, ergò potest moveri continuè, quia suppono, tunc eum nullam habiturum quietem in *ubi* mediis: Probatur antec: quia corpus potest omnia illa media transire, ergò & Angelus, probatur consequ: Tùm, Quia ad motum continuum & successivum non requiritur divisibilitas mobilis, sed sufficit se solâ divisibilitas spatii, ergò. Confirmatur universaliter, ex animâ rationali, quæ sic successivè moveri potest.

Dices: Nihil, quod se habet in toto spatio indivisibiliter, movetur motu continuo, sed Angelus se habet in toto spatio indivisibiliter, ergò non potest moveri motu continuo: Probatur maj: Quod movetur motu continuo, semper transit aliam & aliam partem spatii, secundùm quas est vera successio motûs continui, sed hoc fieri nequit, nisi mobile respectu spatii habeat se divisibiliter. Respon. distin: maj: nihil, quod se habet in toto spatio indivisibiliter, id est, quod in toto spatio est indivisibile, movetur motu continuo, transeundo spatium divisibile divisibiliter, neg. maj: nihil, quod est indivisibile indivisibiliter, in quolibet spatio indivisibili existendo, movetur motu continuo, conc: maj: & distin: etiam min: Angelus habet se indivisibiliter entitativè, conc: existendo & transeundo spatium divisibile, neg: min: & consequ: itaque licèt Angelus ubique & semper sit indivisibilis, attamen indivisibiliter non transit, & existit, & posito quod existeret etiam in puncto indivisibili, posset tamen adhuc transire motu continuo spatium divisibile, non enim haberet necesse, ut in puncto tantùm tangat, sufficeret etiam sic tangere.

Dico Secundò: *Angelus non potest mo'veri motu continuo propriè dicto in instanti, benè tamen motu impropriè accepto, prout cum mutatione coincidit.* Probatur prima pars: Quia illud, quod per se ex sua essentia dicit successionem, nec per DEUM potest esse in instanti, sed motus propriè dictus ex sua ratione formali dicit successionem, ergò non potest fieri in instanti: Probatur maj: quia omne tale habet partem sibi invicem succedentem, incompossibiles simùl in actu, ergò nequeunt fieri in instanti, alioquin essent simùl, & res non esset continua & successiva. V. Motu continuo non potest moveri in instanti.

Probatur secunda pars: Tùm, Quia in hoc nulla apparet repugnantia, quòd enim de facto terminus motùs localis non habeatur statim, provenit ex imperfectione virtutis moventis, quæ non est ponenda in Angelo. Tùm, Quia si non posset, maximè ideò, quia quod quiescit toto aliquo tempore, non potest se aliter habere in ultimo instanti illius temporis, sed hæc ratio nihil probat, ergò: maj: est adversariorum: probatur min: Quia illa propositio non est vera, ergò, probatur antec: quia alioquin sequeretur, quòd substantia panis, quæ toto tempore quievit sub accidentibus, non possit mutari in ultimo instanti consecrationis prolatæ, & sic vel non esset ibi corpus Christi, vel esset simùl cum substantia panis, quorum neutrum est dicendum. Deindè aër toto tempore præcedente illuminationem quiescit sub tenebris, sed si in ultimo instanti non posset mutari, sequeretur, quòd illuminatio non fieret in instanti, vel lumen & tenebræ essent simùl, quod æqualiter absurdum est, ergò.

Dices: Propositionem illam veram esse, connaturaliter loquendo, non verò supernaturaliter, transubstantiatio autem est actio supernaturalis. Sed Contra Primò: Illuminatiò est naturalis, ergò nec in naturalibus est vera. Contra Secundò: Quia materia, quæ quiescit sub forma priori, in instanti mutatur ad aliam. Cajetanus putat, quòd exemplum de illuminatione non improbet dictam propositionem, quia illuminatio est terminus motûs localis Solis. Verùm hæc responsio penitus est nulla, nam imprimis terminus motûs localis solis non est alius, quàm *ubi*, quo fit præsens aëri nostro, illuminatio proindè nec per se primò, nec per se secundò dici potest terminus motûs localis. Deindè potest DEUS producere corpus luminosum, quod sine motu in instanti illuminabit aërem, quæ illuminatio non fiet per motum localem. Nec refert, quòd illa productio corporis luminosi esset miraculosa, res tamen, quæ producitur, naturalis esset, & naturalis ejus effectus posterior.

VI. Motûs subjectum est ipse Angelus.

Quæres: *Quodnam sit subjectum motûs localis in Angelo?* Respond. esse ipsum Angelum secundùm suam substantiam, ratio est primò, quia motus Angeli est ipsa acquisitio *ubi*, seu existentiæ Angeli in alia atque alia parte spatii, sed hujusmodi existentia est in Angelo, ut in subjecto, ergò. Secundò, idem est subjectum termini motûs localis, ut puta, existentiæ in facto esse in loco, est ipsa substantia Angeli, ergò eadem substantia est subjectum illius termini in fieri. Tertiò, si Angelus moveretur in vacuo, subjectum motûs esset ipsa substantia Angeli, ergò & aliàs, patet antec: quia ibi nihil aliud posset assignari.

VII. Motus Angeli & acquisitivus & deperditivus est.

Quæres Secundò: *An motus Angeli sit semper acquisitivus & deperditivus? vel an quandoque deperditivus tantùm, vel acquisitivus tantùm?* Ante resolutionem nota: Aristotelem illum triplicem modum movendi respectu termini assignâsse per hoc, quòd alius sit à subjecto in subjectum, à loco ad locum, à non subjecto in subjectum, à non loco ad locum; à subjecto in non subjectum, à loco ad non locum. Respond. Angelum omnibus illis modis se movere posse, nam potest imprimis moveri à cœlo in terram, & tunc deportativè & acquisitivè movebitur localiter: Deindè potest in una parte sui spatii adæquati existere, & retinendo hanc existentiam, potest moveri ad totum spatium, ergò poterit moveri à non loco ad locum. Et econtrà potest existens in loco suo adæquato ad unam partem se restringere, & tunc tantùm deperditivè movebitur, sicut antecedenter movebatur tantùm acquisitivè.

VIII. Angelus existens in corpore non movetur per accidens cum illo.

Quæres Tertiò: *An Angelus existens in aliquo corpore, moveatur per accidens ad motum ipsius corporis?* Respond. negativè. Probatur, Quia Angelus nullam habet connexionem & conjunctionem cum illo corpore, ergò non poterit moveri per accidens ad motum ejus, quia nihil movetur per accidens ad motum alterius, nisi inhæreat alteri, & accidentia substantiæ, vel contineatur ab altero, ut aqua in vase, homo in navi, vel aliqua naturali necessitate illi conjungatur, sed Angelus nihil simile habet respectu corporis, ergò. Confirmatur, quia si moveatur ad motum corporum, posset, quicunque moveret corpus, movere Angelum, quod tamen constat nunquam fieri, ergò.

QUÆSTIO OCTAVA.

An Angelus possit movere se de extremo ad extremum, non transeundo per medium?

I. Affirmat D. Thomas 2. p. qu. 53. a. 2. Negat Scotus 2. d. 2. q. 12. D. Bonaventura, Gregorius, & plurimi alii. Pro qua sententia Notandum, medium, per quod Angelus transire debet, esse duplex, unum est aliquid extremorum. & aliud

aliud nihil est extremorum; medium primo modo est illud, quod conjungit extrema ad se invicem, v. g. punctum, quod continuat duas lineas, undè illa extrema, quæ habent medium, quod est aliquid ipsorum, sunt immediata, ut patet in exemplo allegato. Medium altero modo illud est, quod non est continuativum extremorum. Hoc notato, quæstio procedit de motu successivo & instantaneo quoque, licèt sit impropriè dictus. Undè cum Scoto pono sequentes Conclusiones, &

II. Angelus non potest transire extremum, non transeundo medium.

Dico Primò: *Non potest Angelus se movere continuo motu de extremo in extremum non transeundo medium aliquid ipsorum.* Probatur: Medium aliquid extremorum est ratio continuitatis extremorum, sed continuitas motûs essentialiter dependet ex continuitate extremorum, ergò impossibile est moveri sic, non transeundo per medium. Confirmatur: Si moveatur continuè ad locum proximum, necessariò transit omnes spatii continui partes indivisibiles, & divisibiles, communicantes & non communicantes, ergò impossibile est, Angelum sic continuè motum non transire partes intermedias, quæ sunt ratio continuitatis.

III. Etiam medio nihilo extremorum.

Dico Secundò: *Nec potest Angelus ex se moveri continuè de extremo ad extremum, non pertransito etiam medio nihilo extremorum.* Probatur Primò ex Aristotele 7. Physic. dicente: *Medium est, in quod prius venit, quod mutatur.* Probatur Secundò: Si motus continuus est, ejusq; continuitas essentialiter pendet ex continuitate spatii, ergò necesse est extremum continuari extremo, sed continuatur per medium prædictum, ergò, &c. Tertiò, quia, quod movetur continuè, aliquando debet esse in termino à quo, aliquando in medio, & tandem in termino ad quem, quia in motu continuo non est simùl in termino à quo, & ad quem, ergò.

IV. Benè tamé quod est quid extremorum.

Dico Tertiò: *Potest Angelus ex se instantaneè moveri de extremo ad extremum immediatum, non pertransito medio, quod est quid extremorum.* Probatur, Tùm, Quia hoc non excedit virtutem & limitationem angelicæ potentiæ: Tùm, Quia si transiret per medium, continuè transiret, & non instantaneè, ergò. Hinc si Angelus sit in loco pedali, potest se in instanti ponere in alio loco pedali immediatè, non dimittendo primò partem primi loci successione quadam, sed simùl & instantaneè dimittendo primum locum totum, & acquirendo totum locum secundum in instanti.

V. Angelus sive instantaneè sive successivè moveatur medium tangere debet.

Dico Quartò: *Non potest naturaliter Angelus moveri de extremo ad extremum distans, prætermissis mediis, sive moveatur instantaneè, sivè successivè.* Probatur: Non potest Angelus naturaliter de cœlo in terram moveri, nisi omnes sphæras transeat, ergò: Probatur antec: à Doctore subtili, Ordo præfixus à superiore agente servandus est necessariò cuicunq; agenti inferiori, quando ejus actio versatur circa illum ordinem, sed ordo præfixus à DEO est, ut creaturæ omnes transeuntes ab uno extremo ad aliud transeant per omnia media *ubi*, ergò Angelus nequit transire de cœlo ad terram, nisi transeat per medias sphæras ignis, aëris, &c. Probatur min: primò, quia ideò Aristoteles docet 8. Metaph: quod nullum agens creatum potest immediatè facere ex vino acetum, quia necessariò mediat alia forma, & necessariò prærequiritur alteratio prævia, ergò. Secundò, quia omnibus creaturis est præfixus ordo in tempore, ita, ut nullo modo sit in uno nunc extremo, & in alio post nisi per medium, ergò etiam habebit talem præfixum ordinem Angelus respectu loci, cùm inter corpora sit æquè subordinatio & continuatio. Confirmatur conclusio: Si Angelus hoc posset, nulla distantia impediret ejus actionem, & sic existens in cœlo posset agere in centro

terræ, nullâ præmissâ actione circa media, quod nemo dicet. Sed

Dices: Hæc conclusio contradicit priori, ergò, probatur antec: quia illa affirmat, hæc negat, &, licèt prior loquatur de medio aliquid extremorum, & hæc de medio nihilo extremorum, attamen ordo præfixus est æquè necessarius inter media aliquid extremorum, ac inter medium nihilum extremorum. Respond. neg: antec: cum probatione, ad rationem dico, quòd mobile transiens ab uno loco immediatè ad alium in instanti pertransit omnia *ubi* intermedia secundùm ordinem naturæ, cùm inter illa sit ordo potentialis tantùm, undè non est necesse, quòd omnia media pertranseat secundùm ordinem durationis. Itaq; medium, quod est aliquid extremorum, seu communicans, habet tantùm ordinem potentialitatis ex parte rei, quia illa *ubi* intermedia sunt in potentia solùm infinita, sicut de continuo quantitativo pariter dicitur. Ordo verò inter extrema non communicantia, seu, quæ habent media nihila extremorum, est actualis, quia illa *ubi* in actu sunt, quæ causant distantiam localem, hinc etiam actualiter debent pertransiri, & duratione, priora verò tantùm potentialiter secundùm ordinem naturæ.

Dices Secundò: illum ordinem non esse præfixum rebus immaterialibus, sed à materia dependentibus, hinc Angeli soluti sunt à legibus distantiæ situalis, & dependentiâ in agendo à distantia loci. Sed reverà hoc inaniter assumitur, sicut enim Angeli non absolvuntur à loco, ita nec à loci distanta propter suam limitationem, ex eo enim, quòd sint immateriales, absolvuntur tantùm à loco circumscriptivo, non verò definitivo, itaque ordo ille præfixus omne creatum respicit. Verùm directè contra conclusionem pro D. Thomâ

Arguitur Primò: Transitus de extremo ad extremum est simpliciter possibilis, ergò non est Angelo denegandus; Probatur antec: Intellectus intelligit extrema non intellecto medio, & anima informat partes extremas, non informatis mediis indispositis, & Christus transit de cœlo ad altare in Eucharistia sine medio, & fortè de utero Beatissimæ Virginis sine transitu per medium, ut virginitas ejus salvetur. Respond. distin: antec: est possibilis naturaliter, nego: supernaturaliter, conc: antec: & neg: consequ: ad probationes antecedentis. Respondeo, eas nihil concludere de naturali potentiâ, vel non esse paritatem, nam, quòd intellectus intelligat extrema non intellectis mediis, non est transitus Physicus, sed intentionalis, intelligibile enim ut tale, non dependet à loco, nec intellectus suam intellectionem de uno loco ad alium transfert. Et anima sicut potest informare partes extremas, non informatis mediis, cùm extremæ sunt continuæ, ob indispositionem mediorum, ita etiam Angelus potest intra locum suum adæquatum transire de extremo in extremum non pertransito medio. Et econtrà sicut anima non potest informare partes extremas, non sui corporis, ita nec Angelus potest transire de uno extremo ad aliud, nisi prius pertranseat medium. Primum, quod dicitur de translatione Corporis Christi, est supernaturale, & fit per potentiam DEI absolutam, adeóque nil probat. Et alterum est planè fictitium, & contra communem consensum Patrum, qui docent beneficio penetrabilitatis per medium uterum Virginis pertransiisse sine læsione claustri virginalis.

Arguitur Secundò: Sol illuminat partem distantem & extremam in instanti, ergò etiam Angelus poterit se facere præsentem extremitati alicujus loci, absque eo, quòd sit præsens intermedio, cùm habeat majorem virtutem. Respond. cum Rhada, quòd non sit inconveniens, aliquam alterationem esse totam simùl & subitò, quando agens respicit

spicit totum passum, tanquam terminum proprium, & sibi ultimatè dispositum ad illam formam introducendam, undè disparitas est, quia illud extremum, quod sol in instanti illuminat, est intra sphæram adæquatæ activitatis, non sic distantia loci respectu Angeli.

DISPUTATIO SEPTIMA.

DE Gratiâ & Merito Angelorum.

Hucusque de perfectionibus naturalibus Angelorum partim fide, partim ratione cognitis, accedo nunc ad examinandas eorum perfectiones gratuitas, in quibus vel creati fuerunt, vel meruerunt, & perseverârunt, nam ut dicit S. Augustinus, Angelos bonos & malos duas constituisse societates, easque intelligi per lucem & tenebras, undè lib. 10. de Civit. cap. 32. *Etsi alia lux in isto hujus libri loco intelligenda est, ubi legimus: Dixit DEUS, fiat lux, & facta est lux: & alia tenebræ significatæ sunt in eo, quod scriptum est, Divisit DEUS inter lucem & tenebras: nos tamen has duas angelicas societates, unam fruentem DEO, alteram tumentem typho: unam, cui dicitur, Adorate eum omnes Angeli ejus, aliam cujus princeps dicit: Hæc omnia tibi dabo, si prostratus adoraveris me: unam DEI sancto amore flagrantem, alteram propriæ celsitudinis immundo amore fumantem: & quoniam, sicut scriptum est, DEUS superbis resistit, humilibus autem dat gratiam: illam in cœlis cœlorum habitantem, istam indè dejectam in hoc infimo aëreo cœlo tumultuantem. Illam luminosa pietate tranquillam: istam tenebrosis cupiditatibus turbulentam. Illam DEI nutu clementer subvenientem, justè ulciscentem: istam suo fastu subdendi & nocendi libidine exæstuantem. Illam, ut quantum vult, consulat, DEI bonitatis ministram: istam, ne quantum vult, noceat, DEI potestate frenatam. Illam huic illudentem, ut nolens prosit persecutionibus suis: hanc illi invidentem cùm peregrinos colligit suos. Nos ergò has duas societates angelicas inter se dispares atque contrarias: unam & natura bonam, & voluntate rectam:* 1. Antithesis pulchra de Angelis bonis & malis.

 aliam

aliam verò naturam bonam, sed voluntate perversam, aliis manifestioribus divinarum Scripturarum testimoniis declaratas, quod in hoc libro, cui nomen est Genesis, lucis tenebrarumq; vocabulis significatas existimavimus.

QUÆSTIO PRIMA.

An Angeli in sua creatione fuerint beati?

II. Beatitudo alia naturalis, alia supernaturalis.

PRo Resolutione Notandum: Sensum quæstionis esse duplicem, An scilicet fuerint beati beatitudine *naturali*, vel *supernaurali*. Per beatitudinem autem *naturalem* intelligo perfectionem ultimam creaturæ intellectualis ex solis viribus naturæ, cum generali concursu DEI consequendam, & talis perfectio pro materiali dicit exclusionem omnis miseriæ: pro formali adeptionem omnis boni, eo modo, quo fieri potest objectivè per notitiam perfectam abstractivam summi boni, & per amorem ejusdem super omnia naturalem & abstractivam. Per supernaturalem intelligo notitiam perfectam intuitivam & facialem, qua attingitur DEUS in propria sua existentia, & amatur ut clarè visus.

Doctor subtilis proponit in 2. d. 4. hanc quæstionem hoc modo, utrum inter creationem & beatitudinem Angeli boni fuerit aliqua mora, quam resolvit *d.5.* ubi recitat opinionem Magistri asserentis, Angelos fuisse beatos antequam ipsi id meruerint, & hoc propter bona opera postmodum fienda, scilicet per obsequia nunc electis præstita, sicut miles meretur equum benè militaturus per eum, sed in isto omnes Scholastici deserunt Magistrum.

Quare hoc præmisso Scotus 2. *d.5.q.2.* affirmat, quòd de potentia absoluta Angeli in prima sui creatione beati esse potuerint beatitudine supernaturali, negat tamen de facto. Itaque de naturali

Dico Primò: *Angeli de facto beati fuerunt in sua via, beatitudine naturali.* Probatur Primò ex Ezechiel. 28. ubi de diabolo in persona Regis Tyri dicitur: *Tu signaculum similitudinis plenus sapientiâ & perfectus decore, in deliciis Paradisi DEI fuisti*; sed hæc non fuit supernaturalis, quia ex illa nemo cadit, cùm sint jam extra statum viæ, & implicet esse sine maxima conformitate ad divinam voluntatem, quæ proindè etiam omne peccatum excludit, sicut etiam perfectissimè foras mittit timorem illa fruitio supernaturalis. III. Angeli beati fuerunt in via beatitudine naturali.

Aliud egregium argumentum sumitur ex illo Joann. 8. *Ille in veritate non stetit*, quem locum perpendens S. Augustinus lib. 11. Civit. c.13. *Attendant non dixisse Dominum, A veritate alienus fuit: Sed, In veritate non stetit, ubi à veritate lapsum intelligi voluit: in qua utique si stetisset, ejus particeps factus, beatus cum sanctis Angelis permaneret.*

Probatur Secundò ex Patribus: Augustino, qui sæpissimè asserit, sanctos Angelos fuisse beatos à principio, ut lib. 11. de Civit. cap. 11. dicit: *Quæ cùm ita sint, nullo quidem modo secundùm aliquod temporis spatium prius erant illi spiritus tenebræ, quos Angelos dicimus, sed simul ut facti sunt, lux facti sunt: non tamen ità tantùm creati, ut quoquo modo essent, & quoquo modo viverent, sed etiam illuminati ut sapienter beateq; viverent. Ab hac illuminatione aversi quidam Angeli.* Sed certum est, quòd non possit aut debeat intelligi de beatitudine supernaturali, quia ab ea non exciditur, nec aliquis se avertit, ergò. Et cap. 12. dicit: *Nec ipsos tantùm, quod attinet ad rationalem vel intellectualem creaturam, beatos nuncupandos putamus. Quis enim primos*

mos illos homines in paradiso negare audeat beatos fuisse ante peccatum: quamvis de sua beatitudine quàm diuturna vel utrum æterna esset incertos: esset autem æterna, nisi peccâssent, si ergò primi parentes essent beati in paradiso ante peccatum, multò magis id asserendum est de Angelis, unde cap. II. sic claudit: *Neque enim beatæ vitæ vocabulum ita contrahimus ad quasdam significationis angustias, ut solum DEUM dicamus beatum, qui tamen ita verè beatus est, ut major beatitudo esse non possit. In cujus comparatione, quòd Angeli beati sunt, sua quadam summa beatitudine, quanta esse in Angelis potest, quid aut quantum est?* Et cap. 13. cum dixisset Angelos beatos frui incommutabili bono, quo etiam ante lapsum boni non sunt fruiti, subdit: *Hanc habere Angelos lucis piâ fide credimus: hanc nec antequam caderent, habuisse Angelos peccatores, qui sua pravitate illa luce privati sunt, consequenti ratione colligimus habuisse tamen aliquam, etsi non præsciam beatitudinem, si vitam egerunt ante peccatum, profectò credendi sunt.* Et lib. 4. Gen. litt. c. 24. lib. 11. de Civit. c. 29. ubi agit de cognitione matutina & vespertina Angelorum dicens, quòd primò cognoverint creaturas in Verbo (specie) postea in genere proprio, quæ naturalis est, & ex ea redierunt ad cognitionem in Verbo, & ad dilectionem, alioquin peccâssent, sicut dæmones, si in dilectione illa sui perstitissent. Simili modo intelligendus est D. Bernardus serm. 7. in Cantica num. 13. Et in hunc sensum explicandi sunt omnes sancti Patres. Addo hunc unum S. Augustini textum lib. de corrept. & grat. cap. 10. ubi dicit: *Diabolus verò & Angeli ejus, etsi beati erant antequam caderent, & se in miseriam casuros esse nesciebant, erat tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent, donec istam summæ beatitudinis plenitudinem, tanquam præmium ipsius permansionis acciperent, id est, ut magna per Spiritum Sanctum data abundantia charitatis DEI, cadere ulterius omninò non possent, & hoc de se certissimè nossent. Hanc plenitudinem beatitudinis non habebant, sed quia nesciebant suam futuram miseriam, minore quidem, sed tamen beatitudine sine ullo vitio fruebantur.*

Probatur Tertiò ex Aristotele 10. Ethic. cap. 7. & 8. qui naturalem hominis beatitudinem constituit in sola speculatione substantiarum abstractarum, ergò multò plus Angeli fuerunt beati ex contemplatione & amore summæ & primæ intelligentiæ, quæ est ens infinitum in ratione veri & boni.

Probatur Quartò: Angelus quilibet in creatione sua accepit naturalia splendidissima, quæ etiamnum in malis perseverant, secundum D. Dionysium, ergò cum solo concursu generali poterant DEUM perfectè intelligere, & diligere, ergò. Sed in contra

Opponitur Authoritas D. Augustini lib. 11. Civit. c. 13. ubi dicit: *Quocirca cuivis jam non difficulter occurrit utroque conjuncto effici beatitudinem, quam recto proposito intellectualis natura desiderat, hoc est, ut bono incommutabili, quod DEUS est, sine ulla molestia perfruatur, & in eo se in æternum mansurum esse, nec ulla dubitatione cunctetur, nec ullo errore fallatur*; Ex quo hoc sumitur argumentum: De ratione beatitudinis tàm naturalis, quàm supernaturalis est securitas & perpetuitas, sed Angeli in statu viæ suæ potuerunt à cognitione & amore DEI desistere, & oppositum actum elicere, ergò. Respond: neg: maj: quia secundùm Doctorem subtilem securitas & perpetuitas sunt tantùm beatitudini extrinsecæ proprietates, nihil verò essentiale, sic etiam securitas & perpetuitas naturalis beatitudinis dependent à libertate Angelorum, cùm ad continuationem, nec ab agente extrinsecò cogebantur, nec ab aliqua intrinsecâ passione alliciebantur.

Arguitur etiam ex Ratione desumpta ex communi axiomate Theo-

Theologorum post S. Dionysium: In Angelis omnia naturalia dona manserunt integra, ergò si tàm mali quàm boni in prima creatione habuerunt beatitudinem naturalem in perfecta DEI cognitione, licèt abstractiva, & amore illi proportionato consistentem, etiamnum habebunt eandem. atqui hoc est absurdum, ergò. Respond. neg: sequelam, Quia in Angelis malis manserunt quidem naturalia, substantiam eorum concernentia integra, non tantùm gratuita dona etiam naturalia, vel supernaturalia, ut sunt species maximè Essentiæ divinæ, adeóque nec distinctam cognitionem, nisi habitualem & rememorativam DEI, habent, quam etiamsi haberent attamen hinc non forent dicendi beti beatitudine naturali, quia ad hanc non sequitur correspondens DEI amor naturalis & gaudium de tali contemplatione, sed summa miseriæ, culpæ & pœnæ, Beatitudo autem excludit omne malum, & omne bonum includit.

IV. Beatiores fuerunt in via sua hominibus.

Dico Secundò: *Angeli de facto beatiores fuerunt in via sua hominibus, tàm pro statu isto, quàm in statu innocentiæ, beatitudine naturali.* Hæc patet ex D. Augustino supra citato, qui eandem facit comparationem primorum hominum cum felicitate eorum, quibus Beatitudo concreata est, dicitque hos esse beatiores illis. Probatur: Angeli habuerunt speciem repræsentantem divinam naturam tanquam principium distinctæ cognitionis DEI, quoad prædicata propria & ex propriis, hanc non habuerunt homines pro statu innocentiæ, ergò. Et dato, quòd habuissent, Angeli tamen sunt perfectioris activitatis.

V. Potuit DEUS ab instanti creationis omnes beatos facere beatitudine supernaturali.

Dico Tertiò: *Potuit DEUS per potentiam absolutam Angelos omnes in primo instanti creationis supernaturali beatitudine beatos facere.* Probatur: Beatitudo supernaturalis activè soli creaturæ rationali, à solo DEO communicatur, Angeli pro primo instanti creationis fuerunt capaces, & divina voluntas potest pro quocunque instanti beatitudinem impendere, pro quo est capacitas, ergò. Sed

Dices: Contradictio est, idem esse prorsus connaturale & supernaturale, ergò nec per potentiam DEI absolutam potuerunt esse beati supernaturaliter, pro primo instanti, quia fuisset eis connaturale, ergò. Respond. non esse sic connaturalem beatitudinem, quando Angelis concreatur, ut sit proprietas fluens intrinsecè ex natura Angeli, neque perfectio naturaliter debita, sicuti calor igni, nec necessariò concomitans illam, sed sicuti gratia, si alicui concrearetur, sed supernaturalis, quia liberè à DEO concederetur, sic quoque beatitudo supernaturalis esset, si Angelis concrearetur. Sed

Dices: adhuc: Beatitudo consistit in operatione, sed operari præsupponit esse, ergò nec divinitùs pro primo instanti potest esse Angelus beatus. Respond. dist: min: supponit esse in tempore, neg: min: præsupponit esse pro instanti naturæ, conc: min: & neg: consequentiam.

Dico Quartò: *Angeli de facto pro primo instanti creationis suæ non fuerunt supernaturaliter beati.* Ita Doctor subtilis. Probatur Primò ex S. Augustino lib. 4. super Gen. ubi dicit: *Non prius DEUS discernebat bonos à malis, quàm essent discreti inter se*, ita ut velit, quòd semper ab initio æquales, vel in naturalibus, vel gratuitis fuerint. Item lib. 2. *Non prius est DEUS ultor, quàm aliquis sit peccator*, Ex quo sic argumentor: Mali, qui de facto tales sunt, non fuerunt pro primo instanti beati supernaturaliter, quia hæc facit beatos impeccabiles; nec etiam fuerunt miseri ex textibus allegatis; ergò fuerunt in statu aliquo medio; sed subsumo: Angeli fuerunt ab initio æquales, ergò nec boni fuerunt pro primo instanti beati. Breviter sic potest confici argumentum: Angeli non fuerunt ab initio miseri, ergò nec beati, patet antec: ex Augustino, patet

VI. Non fuerunt tamen sic beati.

patet etiam consequentia à pari, quòd fuerint æquales.

Probatur Secundò: Quia Lex divina ordinavit, quod constat ex 2. ad Timoth. 2. quòd *non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit*: quodque *Judex unicuique reddet secundùm opera sua*, Matth. 16. quod tàm de Angelis quàm hominibus verum est, ergò Angeli sine merito non habuerunt ab instanti beatitudinem, quæ datur in præmium. Confirmatur: Quia naturaliter eam propriis viribus acquirere non potuerunt, sicuti nequeunt homines, & planè docet Concilium Viennense, estque contradictio, quòd aliquid sit supernaturaliter, & naturaliter attingibile.

Probatur Tertiò: Angeli boni meruerunt beatitudinem suam priusquam eam acceperunt, ergò non fuerunt creati in ea: probatur antec: Omnis natura consequitur suam perfectionem per propriam operationem, sed perfectio & finis creaturæ rationalis est ejus beatitudo, ergò hanc consecutus est Angelus per propriam operationem cum adjutorio DEI. Nec valet dicere cum Magistro, quòd Angelus per merita & obsequia beatitudinem sequentia eam sibi meruerit: Quia contra est: Per hoc, quòd aliquis prævideatur benè usurus dono accepto, non meretur idem accipere, aliàs possent dicere, quòd homo mereatur primam gratiam, quia prævidetur à DEO benè usurus eâ, & sic gratia non esset gratia, quia esset ex meritis, licèt non positis in re, benè tamen prævisis, aut ut ponendis, consequens est contra omnes Patres, docentes primam gratiam merè gratuitò dari. Sed incontrà

Opponitur Primò: Authoritas D. Augustini, qui in lib. de Eccles. dogmat cap. 58. dicit: *Angeli verò, qui in illâ, quâ creati sunt beatitudine perseverant, non natura possident bonum, ut non mutarentur cum cæteris, sed arbitrii servantes bonam voluntatem & bonum conditionis, & fidem suo Domino servaverunt. Propter quod & meritò ab ipso Domino sancti Angeli vocantur, quod tenuerunt arbitrii sanctitatem, nec sociorum exemplo deviaverunt à bono.* Similia habet cap. 61. ubi dicit: *Tales creati sunt Angeli, ut si vellent, in beatitudinis luce persisterent, si autem vellent, etiam labi potuissent*, ergò omnes Angeli fuerunt creati in beatitudine, à qua mali ceciderunt, & in qua boni perseverârunt; boni autem habent beatitudinem supernaturalem, ergò etiam mali habuerunt. Respond. Primò: Præfatum librum non esse D. Augustini, sed Gennadii Presbyteri Massiliensis Galli, ut testatur & habet S. Thomas quodl. 12. a. 11. & in Cathen. ad 1. cap. Matth. quia habet multa in hoc libro, à quibus lector sibi cavere debet. Respond. Secundò: Hæc omnia intelligenda esse vel de beatitudine naturali, de qua suprà dictum est, vel de beatitudine inchoata viæ, quæ est gratia DEI habitualis, quæ dicitur etiam semen gloriæ, undè etiam S. Augustinus lib. 11. de Civit. DEI. cap. 12. vocat homines in gratia constitutos beatos, dicit enim: *Cùm hodiè non impudenter beatos vocemus, quos videmus justè ac piè cum spe futuræ immortalitatis hanc vitam ducere sine crimine vastante conscientiam, facilè impetrantes peccatis hujus infirmitatis divinam misericordiam.*

Instatur: Ibidem dicitur, quòd magna pars Angelorum sit ideò eò beatior, quo nunquam peregrinata, sed si essent per aliquam moram in via extra beatitudinem, aliquando peregrinarentur, quia non nisi per fidem ambularent, quod est peregrinari juxta illud 2. Corinth. 5. *Audentes igitur semper, scientes quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino, per fidem enim ambulamus, & non per speciem*, ergò. Respond. Augustinum ideò dixisse, Angelos sanctos nunquam fuisse peregrinatos, vel quia exiguo tempore fuerunt in via: vel certè quia nunquam alienati sunt à DEO per peccatum, adeoque nunquam fuerunt

exules, cum quo stat, quòd aliqua mora peregrinati fuerint in via per fidem absque beatitudine. Opponuntur adhuc plura alia loca maximè illa, quæ de cognitione matutina & vespertina docet, sed nihil concludunt, unde ex ratione

Arguitur Secundò: Creatura corporea, v. g. Cœlum, fuit creata perfecta ultima sua perfectione, ergò à fortiori natura angelica, quæ est multò nobilior. Respond. quidquid sit de antecedente, an scilicet cœlum in primo instanti creationis acceperit eam, quam nunc habet formam, nec ne? tamen nulla creatura corporea accepit in primo instanti perfectionem, ad quam per suam operationem perducitur, nam secundùm sanctum Augustinum germinatio plantarum ex terra non statim fuit in primis operibus. Idem dico de natura angelica, quòd licèt habuerit à principio perfectionem aliquam intrinsecam & connaturalem, non tamen illam supremam perfectionem, donec per propriam operationem cum DEI adjutorio eam consecutus est.

QUÆSTIO SECUNDA.

An Angeli tàm boni quàm mali fuerint creati in gratia?

I. Difficultas Quæstionis. Cùm Angeli, utporè creaturæ rationales, creati sint propter DEUM tanquam finem ultimum beatificè attingendum, & ad eum consequendum habeant solam capacitatem & proportionem naturalem, ex naturalibus verò attingentiam tantùm remotam & inchoätam, ideò hìc quæritur, an ipsi, antequam ad terminum pervenissent, eguerint gratiâ sanctificante ad meritoriè operandum, & an illam habuerint ab instanti suæ creationis, cùm media debeant commensurari fini, & hic est supernaturalis, media quoque debent esse supernaturalia. Et quantum ad primam partem dubii nulla est difficultas, quantum ad secundam, plures Scholastici cum Magistro docuerunt, Angelos primò creatos fuisse in naturalibus, postea gratiam fuisse consecutos. Magistrum sequuntur Hugo de S. Victore *lib. 1. de Sacram. part. 5. cap. 9.* Rupertus *lib. 1. in Gen. cap. 14.* S. Bonavent. *in 2. q. 5. q. 1. §. Ad inquirendum*, & pro eadem sententia citant Recentiores Scotum. Alii econtra docent, Angelos in primo instanti creatos fuisse in gratiâ sanctificante. Ita D. Thomas, Durandus, Gregorius &c. & conantur hoc ex authoritatibus Patrum confirmare. Scotus autem in hac materia est problematicus, asserens, certum esse debere omnes Angelos aliquando fuisse in gratia, non curando, an statim collata fuerit? an prius in naturalibus? notat tamen, quòd, qui ponit Angelos fuisse creatos prius in naturalibus, postea in gratia, plures in eis debeat ponere status, quod æquè admitti potest, sicq; salvari poterunt plures Patrum authoritates. Itaque censet utrumque dicendi modum probabilem, magis tamen inclinat ad partem affirmativam. Hoc fateor certum esse nullam rationem, nec authoritatem convincere, Angelos fuisse creatos in gratiâ, quia omnia loca facilè explicari possunt, quòd Angeli statim à principio, licèt post aliquam morulam, in qua creati sunt in puris naturalibus, accepisse gratiam. Sed quia ad hanc explicationem etiam non cogit aliqua necessitas, melius dicitur, Angelis statim fuisse concreatam gratiam. Quare

Dico Primò: *Angelis viatoribus ad beatitudinem supernaturalem consequendam necessaria fuit gratia sanctificans cum aliis donis & auxiliis supernaturalibus.* Probatur Primò ex Scriptura ad Rom. 6. *Gratia DEI vita æterna.* Psalm. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Undè Trident. Sess. 6. Can. 2. ait: *Si quis dixerit, ad hoc solùm divinam gratiam per JESUM Christum dari, ut facilius homo justè vivere; & vitam æternam promereri possit, quasi per liberum* II. Angelis viatoribus necessaria fuit gratia sanctificans.

berum arbitrium sine gratia utrumque, sed ægrè tamen & difficulter possit, anathema sit. Cùm ergò gratia non tantùm detur ad aufferendam difficultatem naturæ propter peccatum vulneratæ in ordine ad substantiam actûs, sed ad supplendam simpliciter impotentiam in ordine ad supernaturalitatem illius, in quantum homo est inferioris ordinis, idq; etiam Angelus accidat, idem similiter de Angelis dicendum erit.

Probatur Secundò ex Patribus: Augustino lib. 12. Civit. c. 9. ubi usurpans illud ad Rom. 6. Charitas DEI diffusa est, ait: *Cum debita laude Conditoris non ad solos homines sanctos pertinere, verùm etiam de sanctis Angelis dici posse, Charitas DEI diffusa est eis per Spiritum sanctum.* & lib. 11. c. 11. dicit: *Omnes Angelos divinam participâsse sapientiam non solùm ut viverent, verùm ut sapienter, beateq; viverent.* Et elegantissimè c. 15. ubi demonstrat Angelos malos non fuisse creatos malos, sed etiam Scriptura ostendit fuisse creatos in gratia, dicens: *Illud etiam, quod ait de diabolo Joannes: Ab initio diabolus peccat: non intelligunt, si naturale est, nullo modo esse peccatum. Sed quid respondetur propheticis testimoniis, sive quod Esaias ait sub figurata persona Principis Babyloniæ, diabolum notans. Quomodo cecidit Lucifer, qui manè oriebatur: sive quod Ezechiel: In deliciis paradisi D E I fuisti omni lapide pretioso ornatus? ubi intelligitur fuisse aliquando sine peccato. Nam expressius ei paulò pòst dicitur: Ambulâsti in diebus tuis sine vitio. Quæ si aliter convenientius intelligi nequeunt, oportet etiam illud, quod dictum est, in veritate non stetit: sic accipiamus, quòd in veritate fuerit, sed non permanserit. Et illud, quòd ab initio diabolus peccat, non ab initio, ex quo creatus est, peccare putandus est, sed ab initio peccati, quod ab ipsius superbia cœperit esse peccatum. Nec illud, quod scriptum est in libro Job, cùm de diabolo sermo esset: Hoc est initium figmenti Domini, quod fecit ad illudendum ab Angelis suis: cui consonare videtur etiam Psalmus, ubi legitur: Draco hic, quem finxisti ad illudendum ei: sic intelligendum est, ut existimemus, talem ab initio creatum, cui ab Angelis illuderetur, sed in hac pœna post peccatum ordinatum.* D. Bernardo serm. 22. in Cant. n. 6. ubi disputans Christum factum esse Angelis redemptionem, ait: *Audi breviter, qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo, nè laberetur, sic illum de captivitate eruens, sicut hunc à captivitate defendens. Et hac ratione fuit æquè utrique redemptio, solvens illum, & servans istum. Liquet ergò sanctis Angelis Dominum Christum fuisse redemptionem, sicut justitiam, sicut sapientiam, sicut sanctificationem.* Idem docet Doctor subtilis 4. d. 4. qu. 2. ubi asserit; de facto nulli dari gratiam, nisi per aliquam causam meritoriam, quæ meruerit conjunctionem ejus cum DEO, & hæc est Christus.

Probatur Tertiò Ratione: Quia finis ultimus est Angelis etiam supernaturalis secundùm attingentiam; ergò debent habere gratiam. Sed in contra

Arguitur: Actus dilectionis DEI naturalis & supernaturalis est idem actus, & tendit circa idem objectum, & eodem modo, sed naturalis dilectio non indiget gratiâ, ergò nec supernaturalis. Respond. distin: maj: est idem in genere quantitatis secundùm substantiam, conc: maj: in genere meriti & in modo, neg: maj: ut ergò sit meritorius & supernaturalis, gratia requiritur. Sed

Instatur: Ad supernaturalitatem actûs sufficit supernaturalis concursus, ergò. Respond: distin: antec: de potentia absoluta, conc: antec: hoc enim insinuat Clementina ad nostrum de Hæret: de lege communi & ordinaria, neg: antec: & consequ.

Dico Secundò: *Angelis omnibus pro primo instanti creationis suæ fuit collata gratia sanctificans.* Ità Authores secundæ sententiæ, cui primitus favet, quod Ezechiel. 28. de Lucifero in persona Regis Tyri dicitur: *Tu signaculum similitudinis* III. Gratia fuit eis collata pro instanti creationis.

plenus sapientiâ & perfectus decore, in deliciis paradisi DEI fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuum. - - - - Tu Cherub extentus, & protegens, & posui te in monte sancto DEI, in medio lapidum ignitorum ambulâsti. Perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te.

Dices: Hunc textum planè non valere, nec favere conclusioni, nam in versu 13. interseritur: *Aurum opus decoris tui: & foramina tua in die, quia conditus es, præparata sunt*, quem locum S. Gregorius lib. 32. moralium sic interpretatur: *Habuit ergò lapis iste, id est, Lucifer, foramina, id est, capacitatem ad gratiam, sed per superbiæ vitium charitatis auro non sunt repleta:* ubi videtur dicere, quòd Lucifer, idem est de reliquis Angelis, non sit creatus in gratia. Respond. neg: antec: Quia S. Gregorius tantùm vult, Luciferum non habuisse gratiam perseverantiæ, per quam fuisset confirmatus in sanctitate sine periculo cadendi.

Probatur Conclusio Primò: Ex Authoritate SS. Patrum D. Augustini lib. 12. de Civit. c. 9. ubi ait: *Bonam voluntatem in Angelis quis fecit? nisi ille, qui eos in bona voluntate cum amore casto creavit, simùl eis condens naturam, & largiens gratiam, unde sine bona voluntate, hoc est, DEI amore, nunquam sanctos Angelos fuisse credendum est;* ubi loquitur de gratia, quæ simpliciter facit bonum & DEO gratum, & consequenter de gratia sanctificante, ac deindè de malis subjicit: *Isti autem, qui cùm boni creati essent, mali sunt.* Et in exposit. in Psalm. 77. *Angelos malos, quantum pertinet ad eorum substantiam, quis alius quàm ipse fecit? sed malos ipse non fecit.* D. Bernardo serm. 5. de verbis Isaiæ num. 9. *Sanè apud Angelos justitia recta pura & firma est sublimis quidem, sed longè inferior quàm divina. Non enim innata est eis, sed à DEO collata, ut natura ipsa, quod ex se est, non modò justitiæ, sed etiam injustitiæ capax inveniatur, nunquid non est pravitas quædam, quam in Angelis suis vera justitia illa legitur invenisse.* Quem textum alius interpretatur, quòd etiam in instanti fuerit collata, ubi creati fuerunt, & satis rationabiliter, nam mali, licèt recti fuerint, non servaverunt suum principatum, & in veritate seu rectitudine non steterunt.

His addo alios SS. Patres, ut Cyrillum, qui lib. 6. de diabolo loquens dicit: *In veritate non stetit, quia lapsus est à veritate, nec voluit manere in suæ originis dignitate.* Basilius in Psalm. 32. in illud *verbo Domini cœli firmati sunt*, ubi dicit: *Angelos, ut essent, Verbum opifex condidit, sanctificationem verò simùl impendit ipsis Spiritus Sanctus, non enim in infantili statura creati. Deindè paulatim exercitati atque perfecti sic Spiritus susceptione digni sunt habiti, sed in prima constitutione, & quasi quadam conspersione suæ substantiæ simùl habuerunt insitam sanctitatem.*

Probatur Conclusio Ratione Primò: Ideò DEUS differret conferre gratiam Angelis, ut ad eam recipiendam se disponerent, sed talis dispositio ad gratiam sanctificantem non requiritur, ergò. Secundò: Quia DEUS sic condidit cœtera viventia, ut & produxerit ea perfecta in suo esse, & indiderit eis virtutes seminales, per quas sibi possint similia producere, quod est naturalissimum opus viventium, ergò etiam ex quo condidit naturas intellectuales ad vitam æternam, verisimiliter produxit eas in tali perfectione, ut haberent semen vitæ æternæ, quod est gratia sanctificans, per quam possint vitam æternam acquirere. Ex hac congruentia sequitur quoque alia probabilitas & paritas, nempè: Quòd primus homo in gratia sanctificante conditus fuerit, ergò & Angelus. Tertiò, DEUS non discernit inter bonos & malos, antequam ipsi se discernant per actus suos, ergò verisimile est, quòd usq; ad instans meriti vel demeriti omnes uniformes fuerint.

Opponitur Authoritas S. Augustini lib. 1. Gen. litt. cap. 1. ubi in illa

illa verba *Terra autem erat inanis* dicit: *An utriusque informitas*, id est, creaturæ corporalis & intellectualis, *bis etiam posterioribus verbis significatur. Corporalis quidem eo, quod dictum est: Terra erat invisibilis & incomposita: Spiritualis autem eo, quòd dictum est, Tenebræ erant super abyssum: ut translato verbo, tenebrosam abyssum intelligamus naturam vitæ informem, nisi convertatur ad creatorem, quo solo modo formari potest, ut non sit abyssus: & illuminari, ut non sit tenebrosa. Et quomodo dictum est: Tenebræ erant super abyssum: an quia non erat lux? Quæ si esset, utique superesset, & tanquam superfunderetur, quod tunc fit in creatura spiritali, cùm convertitur ad incommutabile atque incomparabile lumen, quod DEUS est.* Et alibi ait: Angelos creatos fuisse informes. Item Joannes Papa cap. Visis literis 16. qu. 2. de diabolo ait: *Dolet enim satis & erubescit charitatem, quam in cœlo nequivit habere; homines constantes ex lutea natura tenere in terris.* Ex quibus colligitur, Angelos saltem malos non fuisse creatos in gratia. Respond. negando consequ: Quia S. Augustinus dubitativè tantummodò loquitur, & per modum disputantis plures ponendo sensus, in quibus illa Scriptura possit intelligi. Deindè etiamsi ex propria mente loqueretur, non dicit de facto sic creatos fuisse Angelos, sed sic creari potuisse, ut patet ex cap. 5. ejusdem libri, ubi ait: *Creatura verò quanquam spiritalis & intellectualis vel rationalis, quæ videtur illi verbo esse propinquior, potest habere informem vitam: quia sicut non hoc est ei esse quod vivere, ita nec hoc vivere quod sapienter vivere ac beatè vivere. Aversa enim à sapientia incommutabili, stultè ac miserè vivit, quæ informitas ejus est. Formatur autem conversa ad incommutabile lumen sapientiæ, quod est Verbum DEI, à quo enim existit, ut sit, utque vivat, ad illum convertitur, ut sapienter ac beatè vivat.* Tertiò dico, S. Augustinum loqui de forma perfecta, perpetua, & consummata, quam postea in beatitudine boni acceperunt, respectu reliquæ formæ etiam spirituales dici possunt informes. Ad locum Joannis Pontificis Respond. & dico, illum ibi non loqui definitivè, sed ex propria scientia, ut eximius Doctor. Deindè in aliquibus codicibus loco *nequivit* habetur *nequit* in præsenti, undè certè invidet hominibus. Denique sensus & intentiò Pontificis est diabolum dolere, quòd in cœlo charitatem habere, seu perseveranter retinere non potuerit, nempè suâ culpâ, potuisset enim, si voluisset. Per hoc patet, quid dicendum sit ad authoritates aliorum Patrum, qui sentire videntur, quòd charitatem affectaverint, eam tamen habere non potuerint, quia loquuntur de charitate Patriæ, vel consummata, quam dolet, quòd de facto videat in vasis luteis hominum. Aut etiam fuerunt in opinione eorum, qui in Angelis posuerunt quatuor morulas. Sed

Arguitur Secundò Ratione: DEUS non sanctificat habentem usum liberi arbitrii, nisi ad illam liberè se disponat, ergò Angeli primò se debuerunt disponere in primo instanti, ut gratiam illam mererentur accipere. Respond. dist: antec: non sanctificat creaturam, quæ per peccatum per se, vel in alio amisit, nisi seipsum disponat; si sit adulta, conc: antec: nam cùm talis creatura habeat principium, per quod liberè gratiam amittit, vult DEUS, quòd etiam liberè iterùm ad se convertat: Non sanctificat ante peccatum. neg: antec: & consequ:

Instabis: Si Angeli omnes creati essent in gratia, nullus eorum cecidisset, quia omnes fuissent supernaturaliter in DEUM conversi, ergò: Probatur antec: Quia Angelorum voluntas non potest mutari à semel recto accepto. Respond. neg: antec: cum sua probatione, quia Angelorum voluntas non eligit immutabiliter.

Dico Tertiò: *Angeli mereri potuerunt de congruo, & etiam de condigno collationem gratiæ sanctificantis illis datæ in primo instanti, de facto* tamen IV. Potuerunt, non tamen meruerunt illam.

tamen neutro modo illam meruerunt. Probatur prima pars: Quia nihil impedit, quo minus Angeli in illo primo instanti, quo gratiam sanctificantem acceperunt, prius naturâ elicerent aliquem actum meritorium de condigno illius gratiæ, nec etenim hoc ex ullo capite repugnat, nisi gratis & petendo principium quis dicere vellet, gratiam sanctificantem requiri ad meritum de condigno, quod tamen probabilissimè non est, ut plures præclari sentiunt Theologi.

Probatur secunda pars: Quia in prima morula Angeli fuerunt creati uniformes in gratia, ergò non meruerunt: ant: patet ex D. Augustino suprà allegato, quia DEUS simùl condidit naturam angelicam, & infudit gratiam; probatur consequ: quia juxta Scotum 3. d. 18. q. un. Inter meritum & præmium debet intercedere aliqua prioritas durationis. Secundò: Quia in eodem instanti creationis vix possunt intelligi tot actiones, quot assignantur à Concilio Tridentino Sess. 6. de justificat. Nam primò esset ipsiusmet Angeli productio. Deindè supernaturalis motio liberi arbitrii per gratiam exercitantem. Tertiò, supernaturalis assensus illius ad veritatem revelatam recipiendam. Quartò, liber concursus voluntatis ad DEUM amandum. Quintò, infusio gratiæ ad Angelum justificandum.

Probatur Tertiò: Sequeretur Angelos malos vel nunquam fuisse in gratia, vel nunquam ab ea excidisse, sed utrumque esset falsum & perversum, ergò: probatur mini quoad primam sequelam, nempè Angelos nunquam fuisse in gratia, Quia aliàs DEUS fuisset discretor Angelorum, priusquam seipsos discrevissent; probatur etiam quoad secundam sequelam, quia ex Scoto 3. d. 18. Quia ipsemet actus, quatenus naturâ præcedit, dicitur dispositio ad gratiam & gloriam supernaturalem, quatenus autem concomitatur infusionem gratiæ, dicitur meritum de condigno, ergò etiam Angeli mali in primo instanti meruissent & gratiam & gloriam. Sed in contra

Arguitur: Perfectius est habere gratiam ex propria dispositione, quàm sine illa, ergò: Tùm etiam, Quia per gratiam contrahitur quasi spirituale matrimonium & perfectum amicitiæ vinculum cum DEO, sed ad hos & similes actus requiritur voluntatis Consensus, ergò. Respond: neg: antec: Quia aliàs Christus Dominus deberet sibi promereri gratiam collatam, quod nemo dicet. Deinde licet antec: aliquando verum sit, non tamen semper, nam verum est de gratia reconciliante, non verò de prima gratia, quæ est donum DEI speciale, non exigens post lapsum nisi dispositionem de congruo voluntariam. Ad alterum dico per gratiam habitualem contrahi vinculum amicitiæ habituale cum DEO, & matrimonium spirituale, quod postmodum per amorem actualem concomitantem, vel sequentem consummatur.

Instatur: Juxta Scotum suprà: Omnis creatura per propriam operationem consequitur perfectionem propriam, sed non minus gratia, quàm gloria est perfectio creaturæ rationalis, & consequenter Angeli illam actibus suis consequi debuerunt, ergò. Respond. negando minor: Quia beatitudo datur per modum prœmii, coronæ, & mercedis, gratia verò per modum medii, & puri doni, elevantis naturam ad posse prosequi finem suum, quem alioquin attingere non posset, cùm non habeat ad supernaturalia non nisi inchoatum principium, non tamen adæquatum.

V. Angeli in principio creationis acceperunt virtutes infusas.

Dico Quartò: *Angeli in principio creationis suæ acceperunt omnes virtutes theologicas infusas.* Est communis Theologorum, & Probatur: Quia hæ virtutes infunduntur in justificatione hominum juxta Tridentin. Sess. 6. cap. 7. ergò etiam in justificatione Angelorum. Deinde nulla est ratio, quare una ex his perfectionibus illis negaretur supposita infu-

infusione gratiæ sanctificantis. Tertiò, sine illis Angeli non elicerent actus meritorios fidei, spei, & charitatis, ob quos consecuti sunt boni beatitudinem. Quartò, de charitate specialis in nostra opinione est ratio, quia hæc non distinguitur à gratia sanctificante, aut ad minus est illi indivisè connexa, charitas autem supponit fidem & spem, ergò etiam in illis *manent tria hæc fides, spes, charitas, major autem horum est charitas.* Quintò iterum specialiter de fide, quia illi erant in via, & capaces hujus actûs, & nullus actus est magis proportionatus ad actum meritorium quàm supernaturalis fidei, ita quòd etiam in Angelis verificetur illud D. Pauli: *Accedentem ad DEUM oportet credere, quia est, & quia inquirentibus se remunerator est.* Id ipsum de fide iterum confirmatur: Quia nihil impedit, quò minùs Angeli possunt habere habitum & actum fidei, nisi fortè quòd DEUS non posset illis revelare aliquid, quin evidenter illud cognoscerent, aut quin haberent evidentiam in attestante, cum qua evidentia est impossibilis fides, sed hoc non obstat, uti fusiùs probo in tertio Sententiarum, in parte secunda. Et insuper, quia nos invicem loquimur nobis, & credimus nobis invicem, & tamen habemus evidentiam in attestante, seu notitiam eorum, qui nobis loquuntur, claram & intuitivam.

Quorum autem articulorum fidem habuerint, valdè difficile est definire, pro qua materia remitto Lectorem ad materiam quamlibet in speciali, putarem tamen eos habuisse fidem mysterii SS. Trinitatis, & Incarnationis: Primò, Quia nihil impedit. Secundò, Quia in nostra sententia Incarnatio independenter à peccato fuit decreta. Tertiò, quia Christus meruit omnem gratiam Angelis collatam, ergò & eum recognoscerent, & mererentur per actus gratitudinis & amoris erga illum elicitis omninò congruum fuit, ut illis revelaretur Incarnatio futura, & dependentia à meritis Christi. Quartò, quia ex S. Bernardo serm. 12. in Cantica, hoc fuit Lucifero motivum ad superbiendum, quia ei revelatum fuit, quòd homo debebat fieri DEUS, quod quidem eximium beneficium homini invidebat, sed sibi appetebat. Et iterum serm. 17. universaliter dicit: Dæmonem invidisse naturam humanam debere supra se elevari: *Quod dico, tale est, putásne Lucifer ille, qui manè oriebatur, sed præproperè elevabatur, antequam verteret in tenebras, generi nostro inviderit & ipse olei effusionem, ut per seipsum jam tunc indignabundus mussitaret, dicens intra se quodammodo. Ut quid perditio hæc? Hoc ego non assero dicere spiritum, sed nec contradicere dico. Nescio enim. Potuit autem contingere (si tamen incredibile non putetur) plenum sapientiâ, & perfectum decore: homines præscire potuisse futuros, etiam & profecturos in parem gloriam. Sed si præscivit, in DEI Verbo absque dubio vidit, & in livore suo invidit, & molitus est habere subjectos, socios dedignatus. Infirmiores sunt, inquit, inferioresque naturâ, non decet esse concives, nec æquales in gloria.* Et Augustin. 7. de Civit. cap. 32. dicit: *Hoc mysterium jam indè ab exordio generis humani per quædam signa & Sacramenta temporibus congrua, quibus oportuit per Angelos prædicatum est.* Rupertus lib. 8. in Joann. & in illud Joann. 8. *Ille homicida erat ab initio, dicit, hinc Angelis beatis fuisse præceptum adorandi verum DEUM in carne reipsa positum juxta illud ad Hebræos 1. Cum iterum introducit primogenitum.* Ergò & Angelis viatoribus injungendum erat, ut illum adorarent tanquam proprium glorificatorem. Et eadem ratione, quâ Angelis beatis impositum fuit præceptum adorandi Filium DEI incarnatum, ita fuit illud necessarium in via ipsum adorare ut in carne venturum, sicut & Sanctis Patribus necessaria fuit fides Christi venturi, sed voluntas nequit ferri in aliquid incognitum, ergò si debuerunt Verbum in carne positum adorare, debuerunt etiam illud ex speciali revelatione præcognoscere.

Dices I

Dices: Sanctus Bernardus, aliiq; complures Patres negant, Angelis beatis cognitionem mysterii Incarnationis, antequam fuit actu positum, ergò à potiori non habuerunt eam in via, & quàm maximè malis futuris, quibus etiam occultum fuit, cùm actu esset perfectum & completum. Respond. S. Bernardum, aliosque Patres loqui de cognitione distincta, clara & intuitiva, qua scirent, quando, à qua Matre, & quomodo deberet incarnari Verbum, non verò de cognitione abstractiva, obscura & per fidem, quâ cognoscerent, quòd aliquis aliquando futurus sit, qui esset DEUS & homo, & qui mereretur omnibus gratiam, qua beatitudinem assequi possent. Et licèt S. Bernardus in loco suprà citato dicat Angelos malos fortè in Verbo vidisse, per Verbum tamen non intelligit speculum illud voluntarium Essentiæ divinæ, sed revelationem divinam, vel speciem impressam hujus mysterii.

QUÆSTIO TERTIA.

An omnes Angeli acceperint æqualem gratiam?

I. *Ordo prædestinationis.* PRo Resolutione Notandum Primò: DEUM ab æterno ante præscientiam meritorum, Angelos & homines prædestinâsse ad gloriam sic, ut prædestinati fuerint præcisè cogniti in puris naturalibus, & in ordine intentionis divinæ hic fuit primus actus efficax & absolutus divinæ voluntatis, comparatione futurorum ad extra ex meris possibilibus, nempè volitio ad gloriam, & ad determinatum gradum, secundus collatio gratiæ, veluti, quæ est præcipuum medium ad consequendam gloriam, quod Scotus sic probat: omne ordinatè volens finem & media ordinata, prius vult finem, quàm aliquid eorum, quæ pertinent ad finem, beatitudo perfecta est ultimus finis creaturæ rationalis, gratia, fides, merita, usus bonus liberi arbitrii sunt media ad illam, ergò DEUS ordinatissimum agens prius Angelis in ordine intentionis voluit beatitudinem in determinato gradu, quàm aliquid ex mediis ad consequendam illam in effectu: hinc etiam Scotus in 4. ait, hominibus in baptismo conferri gratiam inæqualem ex vi prædestinationis, non ex vi Baptismi.

II. *Primus prædestinatorum est Christus.* Notandum Secundò: In ordine intentionis ante prædestinationem omnium Angelorum & hominum, prioritate saltem naturalis præsuppositionis, vel intelligentiæ, fuisse prædestinatum Christum, ut hæredem ad summam gloriam, gratiam, & unionem hypostaticam, & præfinita ac prævisa omnia ejus meritoria opera, passibilitatem carnis præscindentia ad promerendam aliorum prædestinationem, cum omnibus donis supernaturalibus, creaturis rationalibus necessariis ad beatitudinem consequendam in effectu; hinc secundùm Scotum Christus fuit causa meritoria omnis gratiæ, Angelis & hominibus conferendæ, obtulit siquidem ipse sua merita Sanctissimæ Trinitati pro Angelis & hominibus justificandis, & glorificandis, ut proindè in ejus oblationem inæqualitas gratiæ sit referenda, potuit enim efficacius obtulisse pro uno, quàm pro altero.

III. *Ad recipiendã gratiam primam nulla requiritur dispositio.* Notandum Tertiò: Ad recipiendam gratiam primam nullam requiri causam, dispositionemvè ex parte recipientis, præterquam in adultis convertentibus se ad DEUM, ubi necessaria est attritio saltem detestativa peccati, veluti DEI offensæ; nam sicuti isti per proprium actum se averterunt à DEO, ita congruum est, ut per proprium se convertant. His notatis

IV. *Non acceperunt æqualem gratiam.* Probatur Primò: *In primo instanti creationis Angelos omnes non æqualem accepisse gratiam, sed bonos majorem, malos minorem*. Utramque partem tenet D. Augustinus lib. 12. de Civit. cap. 9. ubi docet, Angelos malos vel minorem accepisse gratiam quàm bonos, vel si æqualem, bonos amplius fuisse adjutos, utiq; per

per gratiam, adeoque majorem acceperunt, ita enim dicit: *Isti autem*, id est, mali Angeli, *qui cùm boni creati essent, tamen mali sunt, malâ propria voluntate, quam bona natura non fecit, nisi cùm à bono spontè defecit, ut mali causa non sit bonum, sed defectus à bono: aut minorem acceperunt amoris divini gratiam, quàm illi, qui in eadem perstiterunt: aut si utrique boni æqualiter creati sunt, istis mala voluntate cadentibus, illi amplius adjuti, ad eam beatitudinis plenitudinem, unde se nunquam casuros certissimi fierent, pervenerunt.* Ex quo complures Theologi docent, Angelos quoad gratiam sanctificantem fuisse æquales, non verò quoad gratiam auxiliantem, maximè ii, qui putant, sanctificantem accepisse juxta cujuslibet dispositionem.

Probatur etiam Ratione: Non est verisimile, DEUM contulisse tantam gratiam non electis, quantam electis. Sed in contra

Opponitur Authoritas D. Basilii supra D. Damasceni, quibus similia habet D. Dionysius, qui omnes asserunt, Angelos secundum perfectionem naturæ sanctificationis gratiam accepisse. Respond. SS. Patres non loqui de Angelis sanctis per ordinem intentionis divinæ, & pro primo instanti creationis, sed prout sunt in termino. De Angelis autem malis libenter concedo totum, hi enim solùm per ordinem ad naturam habent, sancti verò per ordinem ad utrumque.

Instatur: Convenientissimum est divinæ sapientiæ, ut Angeli perfectiores in natura sint perfectiores in gratia, etiam in ordine ad perfectiorem gradum gloriæ; quia quò perfectiores in natura, eò perfectiores in activitate ad diligendum DEUM. Respond. Primò: Verum esse totum, sed non solùm, quia licèt etiam sanctis Angelis gratia sit perfectior data, secundùm naturam; non tamen secundùm solam, sed secundùm electionem. Respond. Secundò, neg: antec: quia gratia & gloria non confertur per ordinem & naturam, Lucifer enim dignior fuit in natura cunctis Angelis, nunquam tamen fuit ad gloriam electus. Et licèt perfectiores in natura potentiùs DEUM diligere possint, Angeli tamen ad dilectionem non cons[t]ruc[tu]s ex naturalitate, sed ex libertate per gratiam disponere.

Dico Secundò: *Angeli boni inter se iterum inæqualem acceperunt gratiam habitualem, similiter & mali per ordinem ad perfectionem naturæ.* Ita Theologi communiter. Probatur prima pars: Gratia sanctificans Angelis bonis data est in ordine ad gloriam consequendam tanquam finem suæ prædestinationis, media autem dantur proportionata ad finem, ergò prædestinato ad majorem gradum gloriæ, major gradus gratiæ erat dandus. Clariùs: Sancti Angeli non sunt æquales in gloria, ergò nec æquales in gratia: antec: patet ex 1. Corinth. 15. Sancti differunt sicut stella à stella in claritate. Hinc S. Dionysius à Div. Paulo edoctus, ut ipse fatetur de cœlest. Hierarch. c. 6. docet: *Primâ Hierarchiâ nullam esse diviniorem, & quæ majori studio divinis illustrationibus occupetur.* Et cap. 7. dicit: *Jure igitur ac merito cœlestium Hierarchiarum prima à summis excellentissimis naturis administratur.* S. Thomas hoc probat ab exemplo artificis, qui eo ipso, quòd aliquos lapides pulchrius adornat, ad honoratiorem ædificii partem eos adornat, ergò verisimile est; DEUM Angelos, quos in naturalibus excellentiores condidit, licèt merè gratuitè, in donis gratiæ ante cœteros collocâsse.

V. Angeli boni inter se inæqualem acceperunt gratiam.

Probatur secunda pars ex hac Ratione: Inæqualitas gratiæ in malis non potest ex inæqualitate dispositionis inter eos oriri, cùm nulla talis detur, nec ex inæqualitate gloriæ, cùm ad illam non sint prævisi, ergò ad inæqualitatem perfectionis & majoris activitatis liberi arbitrii erit refundenda. Confirmatur: Quia ad divinam providentiam spectat activiori potentiæ impertiri per-

perfectiorem elevationem per gratiam.

Arguitur in contra: Magis propinquum ad gratiam videtur esse actus humanus, seu liber, quàm ipsa natura, sed DEUS non confert gratiam juxta mensuram actuum humanorum, quia gratia non est ex operibus, Rom. 11. ergò multò minus contulit gratiam juxta mensuram naturalium. Respond. neg: majt Quia nec actus ex solis naturalibus elicitur, nec ipsa natura est dispositio ullo modo necessitans DEUM ad gratiam conferendam, nihilominus quia actus rationalis creaturæ producuntur ab ipsa, & natura ipsa est immediatè à DEO solo, hinc magis DEUS respicit naturæ dignitatem, quàm actus ipsius, ne aliàs sibi potius quàm DEO tribueret creatura, quod à solo DEO acceperat.

Instatur: Hominibus non datur gratia secundùm gradum naturalium donorum, videlicet ingenii, bonæ indolis, ergò nec Angelis. Respond. neg. consequ: sed solùm sequitur, quòd nec Angelis quasi ex obligatione aliqua, sed ex solo DEI beneplacito distribuerit dona gratiæ secundùm dona naturæ, & sicut ei ita placuit quoad Angelos, sic etiam quoad homines aliter disponere placuit, & fortè si mansisset homo in statu innocentiæ, idem ei factum esset, quod Angelis.

VI. Pro secunda morula fuit eis dicta gratia actualis adjuvans.

Dico Tertiò: *Omnibus Angelis tam bonis, quàm malis datum fuit pro secunda morula actuale auxilium gratiæ excitantis, prævenientis, adjuvantis ad promerendam de condigno beatitudinem per finalem observantiam divinorum mandatorum.* Est de fide ex Tridentino Sess. 6. Can. 3. & 4. Probatur Ratione: Omnis actus meritorius sive sit circa finem, vel circa media ad finem, dicitur actus supernaturalis, ergò ad ejus efficientiam necessaria est gratia excitans & adjuvans liberum arbitrium ad efficiendum illos secundùm regulam justitiæ infusæ, scilicet gratiæ sanctificantis.

Probatur Secundò: Quia gratia sanctificans datur propter condignitatem actûs, motio verò actualis supernaturalis propter exercitium illius.

Probatur Tertiò: Ad adimplenda divina præcepta, ad vincendas omnes tentationes finaliter, prærequiritur donum perseverantiæ, sed istud includit omnia dona interiora & exteriora, quibus divina bonitas utitur ad prædestinatum finaliter evehendum ad beatitudinem.

Arguitur incontra: Angeli in prima mora fuerunt omnes uniformes in gratia habituali, in secunda verò secundùm D. Augustin. suprà, à DEO non discreti seipsos discreverunt, ergò tunc non habuerunt actuale auxilium &c. Respond. In bonis & malis duplicem fuisse discretionem, unam in termino per finalem pœnam vel gloriam; alteram in via per meritum & demeritum, de prima locutus est Div. Augustinus, qua dicit, DEUM eos non discrevisse, antequam seipsos discernerent, secunda ex parte bonorum Angelorum est etiam à DEO principaliter per auxilium efficax, secundariò ex libero eorum arbitrio: Ex parte verò malorum discretio viæ principalius fuit ex libero arbitrio eorum, negativè solùm à DEO non tribuente eis majus auxilium; ita D. Augustin. lib. de correpti. & gratia cap. 11. videatur ibi.

Instatur: In prima mora omnes habuerunt gratiam sanctificantem, ergò pro secunda nullum aliud actuale potuit esse necessarium. Respond. neg: consequ: Quia alioquin contra Trident. suprà cap. & Can. 16. nec hominibus justificatis esset speciale auxilium, ad perseverandum in gratia necessarium.

Dico Quartò: *Auxilium illud in secunda mora datum, in bonis efficax, in malis sufficiens tantùm fuit.* Probatur prima pars: Tùm, Quia perseverârunt: Tùm, Quia D. Paulus 1. Corinth. 4. ait: *Quis est, qui te discernit? Quid enim habes, quod non acce-*

VII. In bonis fuit efficax, in malis sufficiens.

accepisti? Et si accepisti, quid gloriaris? In quibus verbis necessitas auxilii efficacis tàm in hominibus, quàm Angelis insinuatur, si enim æquale utrobique esset, possent boni gloriari, quòd propriis viribus perstitissent.

Probatur secunda pars ex Div. Augustin. lib. de corrept. & grat. c. 11. assimilante auxilium concessum Angelis malis, auxilio concesso ipsi Adæ, per quod perseverare tantùm poterat, quòd verò bonis fuit concessum, assimilat auxilio prædestinatorum finaliter perseverantium.

QUÆSTIO QUARTA.

De Merito, & Via Angelorum.

I. Nihil certi hic dici potest.

IN hac materia nihil certi adstrui potest, præterquam quòd ante hominis tentationem Angeli mali fuerint damnati, cùm eam ab invidia diaboli processisse testetur Scriptura, nec hoc primum ejus peccatum fuit, cùm jam tunc fuerit serpens, contra eos, qui dixerunt, Angelos necdum sexta die fuisse lapsos, ex eo, quòd ibidem dicatur: *Et vidit DEUS cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona*, nam hìc commendatur bonitas physica & entitativa omnium rerum. Undè alii dixerunt, eos fuisse in termino secunda die quasi per divsionem aquarum, quæ sunt super firmamentum ab iis, quæ sunt infrà, sit adumbrata explicatio divisionis Angelorum bonorum & malorum. Alii econtra putant, Angelos jam prima die fuisse in termino, quod Scripturam insinuare putant, qua dicitur, quòd DEUS divisit lucem à tenebris, quasi per lucem Angeli boni intelligantur, per tenebras Angeli mali, prout sentit S. Augustinus suprà adductus, ast certum est, quòd in his locis Scriptura agat de divisione lucis & aquarum corporalium. Undè nihil certi hìc statui potest. His præsuppositis

II. Angeli tam boni quàm mali fuerunt viatores.

Dico Primò: *Angeli tàm boni quàm mali fuerunt aliquando viatores, & per actus meritorios vel demeritorios ad suum pervenerunt terminum.* Ita Theologi communiter, & Probatur Primò authoritate S. Augustini, qui in lib. de corrept. & grat. cap. 10. suprà abundè qu. 1. citato, qui videatur ibi, adde textum ex Authore de Eccles. dogmat. qui c. 34. dicit: *Et diabolus bonus esset, si in eo, quod factus est, permaneret. Sed quia naturali excellentiâ malè usus est, & in veritate non stetit, non in contrariam substantiam transiit, sed à summo bono, cui debuit adhærere, discessit*, utique per demeritum suum proprium & liberum arbitrium, quò stare potuisset, si voluisset mereri pariter & beatitudinem cum aliis consequi. Quod confirmatur exemplo hominum, nam hos vult DEUS similiter merendo & demerendo cursum viæ consummare, ergò & Angelos. Ideò enim DEUS creaturas rationales instruxit libero arbitrio, ut ad supernaturalem, seu naturæ indebitam beatitudinem gratiæ cooperando pervenirent, aut libero arbitrio abutentes justè punirentur.

III. Angeli boni meruerunt gloriam, mali demeruerunt.

Dico Secundò: *Angeli boni meruerunt beatitudinem suam, quam mali demerito suo perdiderunt.* Hæc est contra Magistrum suprà, & Probatur authoritate S. Augustini lib. de corrept. & gratia, cap. 10. ubi dicit: *Quapropter saluberrimè confitemur, quòd rectissimè credimus, DEUM Dominumq; rerum omnium, qui creavit omnia bona valdè, & mala ex bonis exoritura esse præscivit, & scivit magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere, etiam de malis benè facere, quàm mala esse non sinere; sic ordinâsse Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium; deindè quid posset suæ gratiæ beneficium justitiæq; judicium. Denique Angeli quidam, quorum princeps est, qui dicitur diabolus, per liberum arbitrium à Domino DEO refugæ facti sunt. Refugientes tamen ejus bonitatem qua beati fuerunt, non potuerunt ejus effugere judicium, per quod miserrimi effecti sunt. Cæteri autem per ipsum liberum arbi-*

arbitrium in veritate steterunt, eamq; de suo casu nunquam futuro certissimam scire meruerunt. Vide, quomodo S. Pater docet Angelos per liberum arbitrium meruisse beatitudinem, ergò etiam illam demerito suo mali perdiderunt. Clarissimè idem docet D. Bernardus tract. de lib. arbit. & grat. cap. 4. ait: *Sicut cœlestis Angelus, aut etiam DEUS ipse permanet liberè bonus, propriâ videlicet voluntate, non aliqua extrinseca necessitate: sic profectò diabolus æquè liberè in malum corruit, & persistit: suo utique voluntario nutu, non alieno impulsu.* Confirmatur ex illo Apocalyp. 21. *Mensura hominis, quæ est Angeli*, id est, par ratio habenda est in illa beatitudine de homine ac Angelo, nam similes illis erimus, atqui homo suo merito debet ad illam pervenire, ergò & Angeli: Tùm ex omnibus dictis suprà q. 1. hujus Disputat. eò, quòd Angeli ab instanti creationis suæ non fuerunt beati, ergò illam meruerunt.

IV. Bonorum & malorum æqualis fuit via.

Dico Tertiò: *Duratio viæ Angelorum bonorum & malorum fuit æqualis.* Probatur: Quia divinæ misericordiæ convenientissimum est, quòd malis damnatis, bonis corona non differatur, de qua proinde debuissent esse anxii & solliciti, cùm DEUS sit pronior ad prœmiandum quàm puniendum: Et econtrà justitiæ divinæ congruit, quòd bonis prœmiatis, malis sententiam damnationis non differat.

V. Via illorũ fuit valdè brevis.

Dico Quartò: *Via Angelorum fuit valdè brevis.* Est communis Patrum & Doctorum, & Probatur Primò ex Scriptura, Joann. 8. *Vos ex patre diabolo estis: & desideria patris vestri vultis facere: ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit.* Et 1. Joann. 3. *Qui facit peccatum, ex diabolo est: quoniam ab initio diabolus peccat.* Ex quibus locis SS. Patres communiter deducunt, non diu post creationem diabolum à veritate recessisse & non stetisse, adeoque ab initio peccâsse, sufficiet hîc unum adducere Augustinum tùm lib. 11. Civit. c. 15. suprà: tùm alibi sæpè: tùm lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 16. ostendit idipsum dicens: *In promptu est enim omnibus hoc intuentibus, non ex invidentia superbiam nasci, sed ex superbia potius invidentiam. Nec frustra putari potest ab initio temporis diabolum superbiâ cecidisse, nec ullum fuisse antea tempus, quo cum Angelis sanctis pacatus vixerit & beatus: sed ab ipso primordio creaturæ à suo creatore apostatâsse, ut illud, quod Dominus ait: Ille homicida fuit ab initio, & in veritate non stetit: utrumque ab initio intelligamus, non solùm quòd homicida fuit, verùm etiam quia in veritate non stetit. Et homicida quidem ab illo initio, ex quo homo potuit occidi, non autem potuit occidere antequam esset, qui occideretur. Ab initio ergò homicida diabolus, quia ipse occidit hominem primum, ante quem nullus hominum fuit. In veritate autem non stetit, & hoc ab initio, ex quo ipse creatus est, qui staret, si stare voluisset.* Ubi etiam fusè refutat, ly *ab initio* non esse intelligendum ab ipsa creatione, seu ab ipso creatore conditum fuisse malum.

Probatur Secundò Rationibus: Tùm ex perfectione potentiarum angelicarum, & auxiliorum supernaturalium: Tùm ex absentia impedimentorum in Spiritibus ad operandum, qui proindè sunt expeditissimi ad suos eliciendos actus. Tùm, Quia ad prœmium cœleste non requiritur diuturnitas, sed sufficit intensio actûs, & appretiativa dilectio vehemens.

Dico Quintò: *Tota via Angelorum fuit absoluta tribus moris usque ad terminum inclusivè, in prima sunt omnes creati in gratia, in secunda meruerunt aliqui, & alii peccârunt, alii perseverârunt in bono, & alii obstinati facti, in tertia fuit consummata eorum discretio, fueruntque in termino.* Hæc est conformis ad mentem & doctrinam Scoti 2. d. 5. qu. 2. §. De tertio articulo, ubi ait: Dico ergò, quòd boni, & mali fuerunt ab invicem discreti in via: aliter non fuissent discreti finali discretione in termino. In via ergò fuerunt necessariò

VI. Hæc via fuit absoluta tribus moris.

fariò moræ duæ: prima, in qua fuerunt uniformes in gratia (si volumus dicere, quòd mali habuerunt gratiam) vel uniformes saltem in natura. Secunda mora, in qua adhuc in via existentes, fuerunt difformes: ita scilicet, quòd isti ultimatè meruerunt: & isti ultimatè demeruerunt: Tertia mora fuit distinctio finalis unius ab alio necessario. Probabile est etiam, quòd in secunda mora, in qua fuerunt difformes in via, fuerunt multæ morulæ, quia mali peccaverunt multis speciebus peccati, scilicet superbiâ, odiô, & invidiâ: & isti actus ordinatè & non in eodem instanti fuerunt eliciti, ut patet dist. 5. in principio: & est ibi authoritas Augustini.

Hoc iterum patet per illud Apocal. *Fiebat prælium magnum in cœlo*: & dicitur ibi, quòd Michaël fecit victoriam, quæ victoria cedebat in laudem bonorum: hoc non fuit, nisi quia peccatum malorum Angelorum fuit incentivum tentationis in bonis, qui istam tentationem vicerunt. Cùm igitur Angelus bonus non fuit præscius futurorum, prius fuit elicitum peccatum à malo Angelo, antequam, per ipsum esset, tentatio boni: & ideò in secunda mora fuerunt multæ morulæ elicitæ à malo.

Sed de prima mora, in qua fuerunt uniformes, potest probabiliter sustineri, quòd in primo instanti fuerunt uniformes in statu naturæ, creati sine gratia. Postea in secundo instanti erant in gratia uniformes: & postea in tertio instanti viæ mali multipliciter demeruerunt, & boni multipliciter meruerunt: & in quarto fuerunt in termino. Et hoc videtur rationabile, quia sic experti erant de omni statu, & majorem occasionem habebant intensius eliciendi actum meritorium, postea, cùm simùl habebant gratiam ex hoc, quòd experti erant, quòd ex naturalibus in primo instanti hoc non poterant. Vel potest dici, quòd primò erant uniformes creati in gratia, & in secundo instanti boni meruerunt, & mali demeruerunt ante terminum, quia DEUS non discernit eos, antequam fuissent inter se discreti. Hæc omnia Doctor subtilis, quæ fusius adducere volui, quia alibi nihil elegantius & efficacius ad propositam explicandam materiam invenire potui.

DISPUTATIO OCTAVA.

DE Lapsu Angelorum.

QUÆSTIO PRIMA.

An possit dari Angelus, qui non sit labilis in peccatum, seu naturâ impeccabilis?

SUPPONO pro nunc tanquam certum contra Manichæos, Priscillianistas, & Porphyrium, Angelos omnes etiam malos naturâ bonos esse, & per lapsum suum tantùm fuisse malos factos, ut suprà visum est, & clarè habetur in cap. *Firmiter*. de Summa Trinitate, ubi dicitur: *Diaboli & alii Spiritus quidem à DEO creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali.* Item docet Leo I. in epist. 93. cap. 6. & S. Augustinus lib. 2. de Genes. contra Manichæos dicens: *Non enim naturâ, sed peccando diabolus factus est.* Sed econtrà hìc quæritur, sicut de facto Angeli ex natura boni sunt, an etiam possint ex natura tàm boni esse, ut labi, & peccare non possint? ad quod

II. Natura rationalis dari non potest impeccabilis.

Dico: *Implicat dari creaturam rationalem ex natura impeccabilem.* Ita D. Bonaventura 2. d. 23. a. 1. q. 1. Scotus ibidem, & communis Theologorum Sensus contra Occham, & nominales docentes: DEUM posse producere creaturam rationalem, alterius speciei ab homine & Angelo & libertate carentem, adeoque impotentem peccare. Item Conclusio est contra Durandum, existimantem, posse produci creaturam rationalem liberam à natura sua incapacem peccati, circa materiam virtutis & finis naturalis, non tamen circa materiam & finem virtutis supernaturalis. Probatur Conclusio Primò ex omnibus illis Scripturæ locis, in quibus DEO soli attribuitur immortalitas, ac immutabilitas à natura. Undè S. Anselmus lib. 2. *Cur DEUS homo.* cap. 10. respondens Discipulo quærenti, cur non potuerit DEUS facere creaturam rationalem impeccabilem per naturam? ait, *quia non potuit facere ipsum DEUM.* Et Augustinus lib. 3. contra Maximinum cap. 12. dicit: *Cuicunque creaturæ naturali præstatur, ut peccare non possit, non est naturæ, sed gratiæ DEI.*

Probatur Secundò Ratione: Ut voluntas sit impeccabilis à natura, debet à natura necessariò esse conjuncta cum ultimo fine, sed nulla voluntas est ita conjuncta præter divinam, nec esse potest, ergò: Probatur minor: Quia hoc est maximè proprium DEO, quòd sit à natura & incommutabiliter beatus, & fini ultimo inseparabiliter conjunctus. Confirmatur: Implicat id, quod est in essendo defectibile, in operando esse indefectibile, sed quælibet creatura possibilis est à natura defectibilis in essendo, ergò etiam in operando. Sed in contrarium sic

Arguitur: Potest DEUS facere aliquod corpus, quod non potest deordinari à motu suo, & consequenter qui non potest labi & peccare. Respond. neg: maj: Quia revera omne corpus sicut est defectibile in esse, ita est defectibile in moveri.

Arguitur Secundò: Potest Deus facere naturam rationalem impeccabilem per gratiam, ut patet de Beatis, ergò etiam per naturam. Respond. neg: conseq: Quia facere impeccabilem per gratiam, non est facere simpliciter impeccabilem, sed tantùm secundùm quid, & supposità DEI manutenentià, facere verò impeccabilem per naturam est facere DEUM, quod implicat, ergò.

Instatur: Voluntas creata de facto vult necessariò ultimum finem, ergò non repugnat dari creaturam, quæ necessariò vellet non solùm finem, sed etiam media ad finem, & sic nunquam peccaret. Respond. Primò, neg: antec: Quia nulla voluntas necessariò necessitate quoad exercitium vult ultimum finem, nisi sola divina. Respond. Secundò, neg: consequ: Quia esto necessariò tenderet in finem, non sequitur posse dari creaturam necessariò tendentem in omne medium ordinatum ad finem.

Arguitur Tertiò: Impeccabilitas stat cum libertate, ergò non repugnat dari creaturam liberam impeccabilem: Probatur antec: Quia secundùm Anselmum *posse peccare non est libertatis, nec pars libertatis*, ergò potest stare libertas sine potentia ad peccandum. Respond. negans antec: loquendo de libertate creata & accidentali, cujus probationis antec: distinguo: Posse peccare præcisè, & ut peccatum est privatio rectitudinis debitæ, non est libertas, vel pars libertatis, conc: Posse peccare &c. id est, posse elicere actum, cui annexa esse potest deformitas, nego, quia hoc est pars libertatis creatæ. Vel dic, Anselmum ibi loqui de libertate, ut opponitur servituti peccati.

Vide dicta in primo Sententiarum tract. 3. disp. 2. q 9. ubi dixi, non esse dabilem intellectum, qui eminenter, & virtualiter lumen gloriæ contineret, nec substantiam intellectualem, cui naturaliter competeret DEI visio.

QUÆ-

QUÆSTIO SECUNDA.

An Angeli mali lapsi sint in primo instanti creationis suæ; vel saltem labi in illo potuerint?

I. SUppono cum D. Thomâ, & tota sua Schola, quòd Angelus in primo instanti sicut potuit esse beatus, ita etiam potuerit esse miser in primo instanti miseriâ pœnæ, controvertitur autem, an potuerit quoque esse miser miseriâ culpæ, seu peccati, in quâ materiâ D. Thomas 1. p. qu. 63. a. 5. Alensis 2. p. qu. 109. memb. 2. Durandus, Richardus &c. docent, implicare Angelum in primo instanti peccare. Verùm

Dico Primò: *Angeli mali de facto in primo instanti creationis non sunt lapsi in peccatum aliquod.* Probatur Primò Authoritate Scripturæ Ezechielis 28. *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientiâ & perfectus decore.* & ex Concilio Bracharensi I. cap. 7. ubi damnantur dicentes: *Diabolum non fuisse prius bonum, quàm à DEO factum.*

II. Angeli in primo instanti non peccârunt. Probatur Secundò Authoritate Patrum: Augustini lib. 11. Civit. ait: Scripturam casum diaboli distinctè tradendo, disertè etiam innuere eo in statu prius fuisse sine peccato. Lib. 11. Genes. litt. cap. 23. *Quod ergò putatur nunquam diabolus in veritate stetisse, nunquam cum Angelis beatam duxisse vitam, sed ab ipso suæ conditionis initio cecidisse, non sic accipiendum est, ut non propria voluntate depravatus, sed malus à bono DEO creatus putetur, alioquin non ab initio cecidisse diceretur. Neque enim cecidit, si talis est factus: sed factus continuò se à luce veritatis avertit, superbiâ tumidus, & propriæ potestatis delectatione corruptus: unde beatæ atque angelicæ vitæ dulcedinem non gustavit, quam non utique acceptam fastidivit, sed nolendo accipere deseruit & amisit.* Leo citatus suprà dicens: *Diabolus bonus esset, si in eo, quod factus est, permansisset*, ubi loquitur de gratia & bonitate non naturali, sed supernaturali. Origenes hom. 1. in illud Ezechielis, Tu signaculum &c. dicit: *Serpens non semper fuit.* & infrà: *Serpens hostis contrarius veritatis, non statim à principio super pectus suum & ventrem ambulavit*, sicut nec Adam nec Eva statim peccaverunt.

Probatur Tertiò Ratione: Omnes Angeli fuerunt creati in gratia sanctificante, sed gratia sanctificans est incompatibilis cum peccato, ergò nullus lapsus est, & peccavit in primo instanti.

Dices: sequeretur, quòd si fuerunt in gratia incompatibili cum peccato, de facto non potuisse peccare in primo instanti contra mox dicenda. Respond. neg. sequelam: Quia gratia de facto fuit eis donata, ex eo, quòd se determinârint non peccare prius naturâ, quàm gratia fuerit collata, undè absolutè & simpliciter debet dici, quòd potuerint peccare, licèt non potuerint peccare in sensu composito gratiæ, quia non poterant gratiam cum peccato conjungere.

Dico Secundò: *Angeli in primo instanti creationis simpliciter poterant labi, & peccare.* Est Scoti 2. dist. q. 2. Gregorius, Lichetus, Majoronius, Faber, Basolus, &c. contra Authores suprà & Vasquetz, hanc sententiam magis approbat disp. 236. III. Angeli in primo instanti potuerunt peccare.

Probatur Primò, Authoritate S. Augustini lib. 11. Civit. cap. 13. ubi ait: *Si Angeli essent mali à principio, malitia non esset attribuenda DEO, quia DEUS est causa efficiens non deficiens*, ergò talis actus primus esset à voluntate Angeli, & consequenter à principio ab ipso esset peccatum. Et lib. 11. de Gen. ad litt. cap. 16. dicens: *Nec frustrà putari potest ab initio temporis diabolum superbiâ cedisse; nec fuisse ullum antea tempus, quo cum Angelis sanctis pacatus vixerit & beatus: sed ab ipso primordio creaturæ à suo Creatore apostatâsse, ut illud, quod Dominus ait: Ille homicida fuit ab initio, & in veritate non stetit: utrumque ab initio intelligamus, non solùm, quòd homicida fuit, verùm etiam quia in veritate non stetit.*

Proba-

Probatur Secundò: Potuit Angelus in primo instanti secundùm adversarios mereri, ergò etiam demereri: probatur consequ: Quia libertas, quæ sufficit ad meritum, sufficit etiam ad demeritum: Tùm, Quia minus requiritur ad peccandùm, quàm ad merendum, nam bonum ex integra causa, malum ex quocunque defectu: Tùm, Quia libertas, quæ sufficit ad meritum, est illa, secundùm quam agens liberum potest benè vel malè operari (si enim necessariò operatur, jam non meretur) ergò in libertate, quæ sufficit ad meritum, involvitur libertas, quæ sufficit ad demeritum.

Dices: Angelum fuisse determinatum ad operandum benè, ergò non habuit sufficientem libertatem, ergò &c. Respond. distin: ant: fuit de facto determinatus idque liberè, conc: de possibili & absque libertate, nego. Nam ut dicit S. Augustinus lib. de duabus anim: peccatum nunquam est nisi in voluntate. Et lib. de vera Relig. Peccatum non est peccatum, nisi sit voluntarium, sed si esset determinatus ad bonum Angelus non esset liber saltem libertate contradictionis, ergò Angelus non habuit voluntatem, vel habuit liberam. Hinc

Probatur Tertiò: Potentia, quæ potest habere perfectam operationem, & non limitatur vel determinatur necessariò ad operandum rectè, potest habere operationem non rectam, sed talis fuit voluntas Angeli in primo instanti, ergò: Probatur min: Quia non fuit ex se magis determinata in primo instanti quàm in secundo, cùm nihil reale intrinsecum habeat in primo quàm secundo instanti, sed in secundo non fuit determinata ad operandum rectè, ergò nec in primo.

Confirmatur: De facto peccârunt Angeli in aliquo instanti, nempè in secundo, aut saltem potuerunt peccare in aliquo instanti posteriori, ergò etiam in primo: probatur consequ: quia omnia principia, quæ sufficiunt ad peccandum in secundo instanti, habuerunt in primo, v. g. libertatem voluntatis, cognitionem boni & mali, negationem gratiæ efficacis, quæ determinaret ad non peccandum, concursum DEI paratum &c. ergò.

Arguitur Primò: Ratione Div. Thomæ pulchrâ & veritatis speciem habente: Si Angelus potuisset peccare in primo instanti, idem peccatum necessariò tribueretur DEO, consequens est falsum, ergò: Probatur sequela, omnis operatio, quæ incipit cum esse rei, est effectivè à causa efficiente rem ipsam, ergò si peccatum Angeli esset in primo instanti, esset consequenter effectivè à DEO: antec: probatur exemplis: Quia descensus gravis deorsum est à gravitate, eò quòd ille motus incipiat cum esse lapidis: Item claudicatio, quia incipit cum tibia clauda, effectivè est ab eo, qui est causa efficiens tibiæ claudæ, ergò idem in proposito. Respond. negando antec: Nam hæc ratio in pluribus deficit, Primò, Quia probaret quoque, quòd nec Angelus mereri potuisset in primo instanti contra ipsum Div. Thomam, nam operatio bona & meritoria majori jure tribuenda esset soli DEO, quàm operatio mala. Secundò, Quia non magis dependet creatura à DEO in primo instanti, quàm in secundo & tertio, ergò non magis tribuenda est actio creaturæ DEO in primo instanti, quàm in quocunque alio. Tertiò, quia sequela est expressè contra D. Augustinum 11. Civit. cap. 13. Qui dicunt Angelos in principio fuisse malos, non sentiunt cum Manichæis, qui ponebant unum DEUM malum immediatè esse causam mali, verba ejus sunt: *Ab initio diabolus peccat: hoc est, ex quo creatus est, justitiam recusavit: quam nisi pia DEOq; subdita voluntas habere non possit. Huic sententiæ quisquis acquiescit, non cum illis hæreticis sapit, id est, Manichæis: & si quæ aliæ pestes ita sentiunt, quòd suam quandam propriam tanquam ex adverso quodam principio diabolus habeat naturam mali: qui tanta vanitate*

tate desipiunt, ut cùm verba ista evangelica in autoritate nobiscum habeant, non attendant, non dixisse Dominum, A veritate alienus fuit: sed in veritate non stetit, ubi à veritate lapsum intelligi voluit: in qua utique si stetisset, ejus particeps factus, beatus cum sanctis Angelis permaneret, &c. Ergò multò minus, qui dicunt, Angelos potuisse in principio peccâsse, ergò non benè infertur DEUM futurum causam peccati, si Angelus in primo instanti peccasset.

Undè Respond. Secundò: In formâ neg: sequelam, ad probationem, neg: antec: si sit operatio defectuosa, quæ qua talis non requirit causam efficientem, sed deficientem, nec exempla faciunt ad propositum; nam primò militant contra adversarios, nam non magis tribuitur causæ gravitanti grave primus descensus gravis, quàm quivis alius postea secundus: nec magis tribuitur causæ causanti tibiam claudam prima claudicatio, quàm quæcunque alia, undè dico universaliter loquendo, quòd omnis defectus soli causæ deficienti, non efficienti tribuatur, DEUS autem non est causa deficiens, ergò.

Instatur: Saltem videtur divinæ Sapientiæ consentaneum, ut non permittat in primo instanti peccare creaturas rationales, ne homines existiment ipsum esse causam peccati DEUM. Respond. neg: antec: Quia magis consentaneum est, ut DEUS permittat causas secundas motus suos agere, nec per hoc homines possunt existimare illum esse causam peccati magis, quàm quòd de facto permittat.

Arguitur Secundò: Voluntas Angeli in primo instanti non fuit, nec potuit esse libera, ergò nec peccare; probatur antec: Quia libertas est respectu futuri. Respond. Primò retorquendo argumentum, ergò nec potuit mereri. Respond. Secundò: neg: antec: cum sua probatione, nam secundùm communem libertas non solùm respicit futurum, sed etiam & maximè quidem præsens, nec ideò dicitur aliquis liber, quia potuit agere vel non agere, sed quia hîc & nunc, dum operatur, liberè operatur.

Instatur: In primo instanti Angelus non potuit deliberare, ergò nec liberè se determinare, nec consequenter peccare. Respond. Hanc instatiam solvit iterum replicatio de merito, quare Respond. aliter neg: antec: Quia ad deliberationem sufficit prioritas naturæ, in qua proponitur objectum, circa quod potest deliberare.

Arguitur Tertiò: Motus naturalis in primo instanti voluntatis Angeli fuit rectissimus, ergò etiam actus liber voluntatis fuit rectissimus, ergò in primo instanti non potuit peccare: antec: patet: Quia natura Angeli fuit condita à DEO rectissima; probatur prima consequentia, quia primus actus liberæ voluntatis sequitur actum naturalem ejusdem. Respond. neg: suppositum antecedentis, scilicet quòd voluntas Angeli habuerit aliquem actum vel motum naturalem, quia hoc repugnat naturæ voluntatis utpote essentialiter liberæ. Ad probationem dico, quòd licèt natura Angeli sit recta quoad naturalia non solùm in primo instanti, sed etiam nunc, non tamen sequitur, quòd in illo instanti habuerit aliquem motum naturalem.

QUÆSTIO TERTIA.

An Angelus malus potuerit labi, & peccare appetendo æqualitatem DEI?

PRo Resolutione hujus Quæstionis Notandum Primò: Volitionem, qua quis objectum velle potest, duplicem esse, nempè *absolutam* & *conditionatam*, seu *efficacem* & *inefficacem*. Quæ exemplo declarantur; sint duo infirmi, unus sperans sanitatem recuperabilem; alter desperans de ea, ambo tamen volunt sanitatem, diversimodè tamen, nam primus vult eam, eligendo sibi media, & providendo de iisdem I. Volitio duplex efficax & inefficax.

 dem

dem ad sanitatem consequendam, unde hæc volitio semper est ex electione: Alter verò vult quidem sanitatem, sed non providet de mediis conducentibus, sicque non eligit, & tantùm habet complacentiam de sanitate, & volitionem inefficacem: Et licèt prima non sit impossibilium, est tamen secunda, & utraque sufficit ad meritum & demeritum, quia licèt sit objectum aliquod impossibile, tamen pleno consensu potest in illud assentire, & ideò ad quæstionem

III. Lucifer potuit appetere æqualitatem DEI. Dico Primò: *Angelus potuit appetere esse DEI, seu esse æqualem DEO volitione inefficaci & complacentiæ.* Ita Doctor subtilis 2. d. 6. q. 1. quem præter suos sequitur Gabriel ibidem, Vasquetz. 1. p. Disp. 234. cap. 2. Probatur Primò ex D. Augustino lib. 83. qq. q. 30. *Quod voluntas creata potest uti fruendis, & frui utendis.* Ex quo potest argui, ergò etiam potest frui seipsa, at non potest frui nisi summo bono, ergò potest concupiscere sibi tantum bonum, quantùm requiritur, ut sit objectum fruitionis, sed hoc est summum, estque esse æquale DEO, ergò potest æqualitatem DEI appetere.

Probatur Secundò: Æqualitas DEI est aliquod bonum concupiscibile, sed omne bonum concupiscibile Angelus potest appetere, ergò æqualitatem DEI: maj: patet, probatur min: Quia voluntas secundùm actum amoris amicitiæ & concupiscentiæ habet pro objecto totum ens, ergò.

Dices: Majorem esse falsam, quia bonum concupiscibile debet esse possibile aliquod, æqualitas DEI est impossibilis, ergò non potest appeti: Sed contra Aristoteles 3. Eth. cap. 2. dicit: quòd impossibilium nulla sit electio, benè tamen voluntas & amor complacentiæ, in hoc enim distinguitur voluntas efficax & inefficax. Et constat experientiâ, nam homines multi appetunt immortalitatem, convertere ligna & lapides in aurum & argentum, quæ tamen respectu eorum potentiæ sunt impossibilia.

Instabis: Si Angeli tantùm potuerunt appetere voluntate inefficaci, sequitur eos per talem actum non potuisse peccare; probatur sequela: Quia talis volitio non est plenus consensus. Contra odium DEI, quo damnati volunt, DEUM non esse, est peccatum, & tamen illa volitio est imperfecta & inefficax, ergò ad peccandum non requiritur volitio efficax. Deindè actus, quo aliquis appetit alterius mortem, etiam defuncti est peccatum, sed talis mors est impossibilis, ergò.

Urgebis: Nec ex Aristotele, nec à pari potest demonstrari, quòd impossibile possit cadere in volitionem, quod est simpliciter tale, benè tamen, quod est secundùm quid tale, illa allegata tantùm sunt secundùm quid impossibilia, æqualitas autem DEI simpliciter est impossibilis, ergò; sic etiam damnati appetunt DEUM non esse, non per se, sed tantùm per accidens, & secundùm quid, quia appetunt pœnam non esse, & consequenter secundùm quid DEUM non esse, veluti authorem pœnæ. Contra iterum, sive damnati appetant DEUM non esse per se, sive per accidens, simpliciter impossibile est, ergò appetunt aliquod impossibile; quòd autem hoc sit peccatum, patet, quia appetens mortem inimici jam defuncti propter suum bonum, seu vanam gloriam peccati, licèt hoc per accidens petat propter aliud, peccat, ergò similiter damnati.

Probatur Quartò Ratione Scoti: Quia voluntas tàm secundùm affectum commodi, quàm justitiæ habet totum ens pro objecto adæquato, ergò sicut voluntas Angeli potuit se amare amore amicitiæ, ita potuit sibi concupiscere actu quodam complacentiæ quodcunq; bonum concupiscibile secundùm se, sed æqualitas DEI est summè concupiscibilis secundùm se, quia summè eam appetit ipse DEUS, ergò potuit

tuit Angelus eam sibi inefficaciter & inordinatè velle: probatur consequ: Quia si quid obstaret in proposito, maximè quia impossibile cognitum ut tale non potest appeti ullo modo, sed hoc non obstat, ergò, probatur min: Quia secundùm Damascenum & Philosophum 3. Ethic. voluntas potest esse impossibilium, & ratio est, quia bonum, cùm sit passio entis, abstrahit ab actuali vel possibili mihi vel tibi, ergò dummodò res appareat in se bona vel commoda, poterit à quocunque inefficaciter saltem appeti. Tùm denique, Quia damnati odiunt DEUM, ergò quantum in se est, volunt illum non esse, vel saltem justitiam ejus non esse, quæ tamen sciunt esse impossibilia, ergò impossibilitas non obstat.

III. DEI æqualitatem tripliciter potuit appetere. Itaque pro intelligentia & majori explicatione hujus rei & probabilitatis, nota tripliciter potuisse dæmonem appetere æqualitatem DEI, licèt agnosceret eam esse impossibilem. Primò *Remotè & mediatè*, quatenus vellet appetere istam æqualitatem, si foret possibilis, quod velle proximè respicit ipsam appetentiam æqualitatis, remotè autem æqualitatem. Secundo modo volendo æqualitatem immediatè, sed in ordine ad aliquid aliud, sic v. g. ut possit coli tanquam DEUS, aut ut non cogeretur alicui subesse, prout damnati inefficaciter volunt DEUM non esse, ut sic possint liberari à pœnis. Et hunc sensum clarè docent SS. Patres, Augustinus lib. 11. Gen. litt. cap. 23. ubi ait: *Ille autem continuò impius, consequenter & mente cœcus non ex eo, quod acceperat, cecinit, sed ex eo, quod acciperet, si subdi voluisset DEO, quod profectò quia noluit, & ab eo, quod accepturus erat, cecidit, & potestatem illius, sub quo esse voluit, non evasit.* Tertiò appetendo ineficaciter ipsam æqualitatem propter se si esset possibilis, nec tali objecto sub conditione possibilitatis proposito deest ratio sufficiens appetibilitatis, cùm nos subindè appetamus impossibilia sub tali conditione, sicut damnati vellent DEUM non existere, & boni vellent DEUM infinitè laudare, pœnitentes vellent nunquam peccâsse, &c.

Opponitur authoritas D. Augustini lib. 3. de lib. arbit. dicentis: *Neminem posse appetere non esse*, sed si Angelus appeteret æqualitatem DEI, appeteret sui non esse, ergò: Probatur min: Quia Angelum esse DEUM, includit Angelum non esse, quia Angelus esse nequit, nisi sit inferior DEO, ergò. Respond. Primò, opponendo aliam authoritatem, nam in alio loco ait, *si ego essem DEUS, & DEUS Augustinus, mallem te, quàm me esse DEUM.* Respond. Secundò, dist. maj: voluntate ordinata, conc: maj: deordinatâ, in quantum per sui non esse mutaretur in melius, & perfectius esse, neg: maj: vel distinguo aliter ratione sui, in quantum est bonum ipsius subjecti, conc: maj: ratione adjuncti, nego maj: patet experientiâ, quia multi se se diligunt, vellentque diu vivere, sed quia vita ipsorum deberet habere adjunctam infamiam, ideò se interimunt.

Instatur: Angelus nequit appetere æqualitatem DEI, in quam mutetur, etiam voluntate deordinatâ, nisi judicet eam esse sibi bonam, sed non potuit judicare eam esse sibi bonam sine errore, ergò non potuit appetere: subsumo, sed antequam peccavit, non est dicendum, eum errâsse; ergò non est dicendum, eum appetiisse, maximè cùm secundùm plures, superbia fuerit primum peccatum. Respond. distin: major: nequit efficaciter eam appetere, nisi judicet, quòd absolutè sit sibi bona, conc: maj: inefficaciter, neg: maj: ad hoc enim sufficit simplex apprehensio boni sine judicio, quòd si etiam requiritur judicium, sufficit, quòd judicaret eam sibi bonam, ex suppositione, quod esset possibilis, non autem absolutè & simpliciter, in hoc autem judicio nullus esset error.

Urgetur: Angeli non appetiverunt impunè æqualitatem DEI, ergò, talis actus non potuit esse inefficax, in quo ratio demeriti consisteret. Respond. talem actum fuisse plenè liberum & deliberatum, consequenter imputabilem ad pœnam, quia si aliquis defectus adesset: solummodò esset ex parte objecti voliti, non verò ex parte potentiæ volentis. Et licèt sit impossibilis, est tamen appetibilis. Denique, licèt non sit verum ens, est tamen ens in apprehensione, quod appeti potest.

Arguitur Secundò: Angelum esse æqualem DEO includit contradictionem, sed quod includit contradictionem est non ens, ergò non potest appeti, quia non ens non continetur sub ente, quod est primum objectum intellectûs & voluntatis; subsumo, sed quod non continetur sub objecto voluntatis, non est volibile, ergò æqualitas Angeli ad DEUM non est volibilis. Respond. Primò: Id, quod includit contradictionem esse quidem non ens realiter, esse tamen ens in apprehensione, & consequenter sicut potest apprehendi per modum entis, licèt impossibilis, ita potest apprehendi per modum boni volibilis, licèt impossibilis, adeoque potest appeti appetitu inefficaci. Respond. Secundò: Si argumentum valeret, quòd primò sequeretur, quod nullo modo posset appeti impossibile contra adversarios, Secundò, quòd non posset apprehendi, quia nihil potest apprehendi nisi verum, & nihil est verum, nisi quod est ens, sicut nihil potest appeti, nisi quod est bonum, nisi quod est ens.

IV. Angelum appetiisse æqualitatem aliquã probabile est.

Dico Secundò: *Quamvis incertum sit, Angelum appetiisse æqualitatem DEI secundùm naturam, probabile tamen est, illum aliquam æqualitatem appetiisse de facto.* Hæc quoad primam partem videtur esse certa, & quoad secundam Scripturæ est conformior & planior. Probatur prima pars: Quia nec ratio, nec authoritas id convincit, ut patet ex dictis.

Probatur secunda pars: Quia sic planius intelligitur illud Isaiæ 14: *Qui dicebas in corde tuo, in cœlum conscendam, super astra DEI exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis: Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Et illud Ezechielis 28. *Hæc dicit Dominus DEUS, eò, quod elevatum est cor tuum, & dixisti, DEUS sum, & in cathedra DEI sedi, in corde maris &c.* Ubi ex persona Regis Tyri repræsentatur superbia diaboli: Joannes 8. *Ille, diabolus, homicida erat ab initio.*

Probatur Secundò ex Patribus: Nazianzeno, carmine sexto:

Lucifer eximio nam quòd frueretur honore,
Sperabat regale DEI soliumq́, decusq́.

Et postea:

Dum DEUS esse cupit caligine totus obrutus est.

Gregorius lib. 4. epist. 18. & lib. 34. Moral. cap. 16. cùm dicit: Eum nulli voluisse subesse. Augustino 14. Civit c. 11. voluisse eum æquari Altissimo. Ambrosius epist. 33 & in Psalm. 38. expressè asserit: *Quòd ille sic se exaltavit, quòd vellet æquari & similis esse Altissimo.* Chrysostom. hom. 3. de verbis Isaiæ: *DEI speravit æqualitatem, quæ res eum cœlo expulit.* Hugo de S. Victore tract. 2. c. 4. *Similis esse voluit DEO, non per imitationem, sed per æqualitatem.* Pro Confirmatione potest assumi conjectura ex dæmonis superbiâ summâ, qua se nunc & de facto permittit adorari & venerari à strigis & magis ut DEUS; qui justè hanc superbiam ad nihilum redegit valdè. Divus Bernardus eleganter explicat, qualem Lucifer æqualitatem appetierit tract. de duodecim grad. humil. cap. 10. dicens: *Puto autem per aquilonem reprobandos homines fuisse designatos: per sedem, potestatem in illos. Quos utique in præscientia DEI, quantò ei vicinior, tantò cæteris perspicacior prævidens, nullo quidem sapientiæ radio coruscantes, nullo Spiritus amore ferven-*

ferventes, velut vacuum repereris locum, affectâsti super illos dominium, quos quadam tuæ astutiæ claritate perfunderes, tuæ malitiæ æstibus inflammares: ut quomodo Altissimus sua sapientia ac bonitate omnibus filiis obedientiæ præerat, ita & tu super omnes filios superbiæ rex constitutus, tua eos astuta malitia ac malitiosa astutia regeres, per quod Altissimo similis esses.

QUÆSTIO QUARTA.

Quisnam primus lapsus & peccatum Luciferi fuerit?

I. QUoniam, ut in priori conclusione visum fuit, Patres complures adstruunt, Luciferum peccâsse superbiâ, ex eo, quòd vel voluerit æquari DEO, vel voluerit habere dominium & superioritatem super omnes alios Angelos, & ipse sub nullo, quo peccato, vix credibile est, cœteros Angelos omnes peccâsse, cùm Scriptura de iis non sic loquatur, neque videntur consensisse in dominio Luciferi supra se, cùm verisimiliùs sit, eos potius voluisse DEO creatori suo subesse quàm Lucifero: Quidquid tamen sit, de omnibus quæstio examinanda.

II. *Lucifer fuit primus Angelorum.* Antequam autem ad resolutionem procedam, aliqua præsupponenda, & alia prænotanda erunt, & Primò suppono, indubitatum esse, Luciferum fuisse primum Angelorum omnium, qui ceciderunt, & probabiliter etiam omnium Angelorum creatorum supremus, nam ut dicit S. Bonaventura 2. d. 6. a. 1. sic testantur authoritates Scripturarum, & Patres de ipso intelligunt illud Job. 40. *Ipse est principium viarum Domini.* Ezech. 28. *Tu Cherub extentus & protegens.* Ubi Gregorius: *Dum cœteris agminibus Angelorum prælatus eorum claritatem transcendit, ex eorum comparatione clarior fuit.* De eodem etiam in persona Regis Tyri dicitur, Ezech. 31. *Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso DEI, abietes non adæquaverunt summitatem ejus, & platani non fuerunt æquæ frondibus illius: omne lignum paradisi DEI non est assimilatum illi, & pulchritudini ejus.* In quem locum Tertullianus ait: *Eum fuisse in donis & bonis omnibus aliis prælatum.* D. Bonaventura hac ratione confirmat: Quia Lucifer appetiit omnibus præesse, adeò ut nulli in præsidendo subesset, sed non est verisimile, quòd hoc appetivisset, nisi vidisset se in donis naturæ cunctis præcellere. Nec obstat, quòd apud Ezechielem Cherub appelletur, quia licèt Seraphinus fuerit & supremus, Cherub tamen appellatur, quia scientia, unde Cherub nomen sumpsit, plerumque inflat, & stat etiam de lege ordinaria cum peccato, charitas autem Seraphinorum *non est ambitiosa.* Hoc supposito

Notandum Primò: Angelos quoad reatum fuisse capaces omnis generis peccatorum, non verò quoad effectum, id est, Angelos potuisse contrahere malitiam cujuscunque peccati, non autem proprium actum cujuscunque peccati elicere: Ratio est, quia Angeli cùm sint purè spirituales, per se solùm possunt exercere actus spirituales, materiales autem, quales sunt fornicatio, ebrietas, quanquam per se non possunt, possunt tamen malitiam contrahere, inducendo homines ad tales actus, & sic quoad reatum, possunt committere omnia peccata, quoad effectum autem sola spiritualia, & illa omnia contra D. Thomam sola peccata superbiæ & invidiæ posse esse in Angelis, cùm tamen certum sit, eum posse odisse, desderare, infidelis esse omissiones omittere &c. ergò. III. *Angeli quoad reatum sunt capaces omnis peccati.*

Notandum Secundò: Duplicem esse actum voluntatis in genere, *velle* & *nolle*, & uterque est actus positivus, *nolle* est actus, quo voluntas fugit disconveniens; undè licèt explicetur per verbum negativum, negatio tamen non est, sed verus actus positivus fugiendi: *Velle* est actus, quo quis prosequitur aliquod objectum, tanquam sibi conveniens. Et hic est iterum duplex ex Aristotele, nempè *amicitiæ* & *concupiscentiæ:* IV. *Duplex est actus voluntatis seu affectus.*

Velle amicitiæ appellatur illud, quo quis amat suam vel alterius substantiam & essentiam; *concupiscentiæ*, quo amat & vult bona aut accidentia subjecti amati amore amicitiæ. Utriusque exemplum sic habeto: Actus, quo Titius amat se vel Mævium, est actus *velle* seu amoris *amicitiæ*: Actus, quo Titius optat & vult sibi vel Mævio sanitatem, pecuniam, gloriam &c. est actus *velle*, seu amoris concupiscentiæ. Undè patet, istos actus non esse formaliter & objectivè unicum actum, ut plures volunt Recentiores, quamvis se haberent per modum *finis cui*, & *gratia cujus*, ex hoc ipso enim magis deduceretur eorum distinctio. Patet insuper hos actus malè per hoc præcisè distingui, quòd bonum *delectabile* vel *honestum* sit objectum *velle amicitiæ*, respectu verò personæ dilectæ, vel diligentis dici concupiscentiam; quia isti duo actus taliter se habent, quòd secundus semper præsupponat primum, undè in omnibus actibus tàm ordinatis quàm inordinatis primus est actus velle amicitiæ, primò enim volo objectum, cui volo bona, secundò concupisco illi bona; & postmodum sequuntur alii actus, ut nolendi incommoda, impediendi, defendendi, &c. & hoc tàm verum est, sive sit velle ordinatum, respectu boni, sive inordinatum respectu mali. His itaque notatis

V. Peccatum primum fuit Philautia.

Dico Primò: *Primum Angeli peccatum fuit Philautia, seu inordinatus amor sui, potestque dici luxuria in sensu minus rigoroso.* Est Scoti 2. d. 6. q. 2. Probatur Primò: Ex Patribus nostris Augustino lib. 14. de Civitat. cap. ult. ubi dicit, quòd duo amores duas fecerint civitates, *Amor DEI usque ad contemptum sui fecit civitatem DEI, & amor sui usque ad contemptum DEI fecit civitatem diaboli.* Et eodem lib. cap. 13. ait: *Superbia est perversæ celsitudinis appetitus*, sed, ut perversè aliquis aliquid appetat in celsitudine, prius inordinatè debet amare se, ergò Angelus si superbus fuit, primò nimirum sibi in se complacuit. Et lib. quæst. vet. & nov. Testam. qu. 113. *Cùm causa* (supple prima) *miseriæ Angelorum quæritur, ea meritò occurrit, quòd ab illo, qui summè est* (amabilis) *ad seipsos conversi sint*, sed certum est, quod à nullo bono aliquis se avertat & convertat ad se, vel ad aliud, nisi sibi in illo alio complaceat, ergò. Item epist. ad Dioscorum circa medium dicit: *Primum autem peccatum, hoc est, primum voluntarium defectum esse, gaudere ad propriam potestatem.* Audi eum amplius lib. 12. Civit. cap. 1. *Alii sua potestate potius delectati, veluti bonum suum ipsi essent, à superiori communi omnium beatifico bono defluxerunt, & habentes elationis fastum* (complacentiam) *pro excellentissima æternitate, studia partium pro individua charitate, superbi, fallaces, invidi effecti sunt.* Ubi clarè ait, primò illos peccâsse in seipsis delectatos, & ex hinc superbos, fallaces, & invidos effectos esse. Similia habet 11. Gen. litt. cap. 23. Hinc patet, quòd idem sanctus Doctor ibidem videatur tenere, superbiam esse primum peccatum, ut frequenter in contrarium citatur, intelligi debeat de superbia terminativè ex eo, quòd amor inordinatus sui ipsius sit causa superbiæ, ex eo superbimus, qui in nobis indebitè, vel in nostris complacemus. Imò ipse amor inordinatus sui ipsius potest dici superbia, in quantum est ultra debitum gradum, quod idem S. Doctor lib. 11. Genes. cap. 14. elegantissimè declarat, dicens: *Amando enim quisque excellentiam suam, vel paribus invidet, quòd ei coæquantur: vel inferioribus, nè sibi coæquentur: vel superioribus, quòd eis non coæquetur.* moxque subdit cap. 15. *Proindè perversus sui amor privat sancta societate turgidum spiritum, eumq; coarctat miseria jam per iniquitatem satiari cupientem.*

Probatur Secundò ex D. Bernardo serm. 3. verbis Isaiæ, ubi sic ait: *Quid lucere festinas? Nondum illud advenit tempus, in quo fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum.*

rum. Interim perniciosus est iste appetitus lucendi, fervere enim multò melius. Denique, si tamen vehementer splendorem desideras, quod videri vis NB. esse curato, & primùm quidem quære fervorem, nec dubium, quin & splendor adjiciatur tibi; alioquin in cassum laboras. Qui sedere præsumpsit, in seipso voluit esse contentus (complacendo sibi) *undè solam quoque hodiè malitiam esurit, quia solam habet hanc à semetipso.*

Probatur Tertiò Ratione Primò: Quia primum peccatum Angeli non fuit omissionis, ut communiter tenent omnes contra Durandum; cùm non possit assignari, quòdnam illud fuerit, ergò fuit commissionis contra aliquod præceptum negativum, sed inter peccata commissionis non est prima aliqua nolitio, sed volitio (ideò enim ordinariè nolumus aliquid, quia volumus oppositum ejus) atqui inter volitiones primus est amor amicitiæ; & non concupiscentiæ, quia hic illum semper præsupponit, ergò primò peccavit peccato inordinati amoris sui ipsius, probatur hæc consequ: Quia hic amor non fuit circa DEUM, nam DEUS non potest nimium amari, nec circa alias creaturas, cùm angelica natura sit cæteris perfectior, ergò fuit amor sui ipsius.

Dices: Amorem concupiscentiæ & amicitiæ non distingui, & consequenter eo ipso, quo amavit seipsum, concupivit excellentiam super alios. Contra Aristoteles 2. de anima docet, actus distingui per objecta, sed hi amores habent diversa objecta, actus enim amicitiæ tendit in substantiam; concupiscentiæ in accidens, scilicet in excellentiam, ergò illi actus distinguuntur.

Instabis: Posito etiam, hos actus distingui, adhuc tamen non sequitur actum amicitiæ esse peccatum, quia deberet illud facere intensio, sed hæc non facit, quia intensio non addit aliquam malitiam actui. Respond. neg. antec: cum probationis min: & altera prob: Quia actus amandi proximum intensius DEO, est peccatum; ergò intensio tribuit & addit malitiam actui. Deindè omnis actus difformis rectæ rationi & regulæ est peccatum, sed intensissimus amor sui est contra rectam rationem & regulam, quæ dictat DEUM esse diligendum super omnia, ergò.

Probatur Ratione Secundò: Primum peccatum Angeli non fuit superbia; ergò fuit inordinatus amor sui ipsius; probatur antec: Tùm; Quia superbia est immoderatus amor excellentiæ; amor amicitiæ est immoderatus amor sui; hic autem præcedit priorem, ergò. Tùm, Quia inordinatus amor proximi non est superbia formaliter, sed inordinatus amor sui & proximi sunt ejusdem rationis, ergò si inordinatus amor proximi non est formaliter superbia, nec erit sui ipsius.

Probatur Tertiò Ratione: Nemo potest appetere excellentiam propriam super alios (qui est actus superbiæ) nisi prius inordinatè amet seipsum, in se, antequam comparet se ad alios, ergò: Probatur antec: Quia superbia propria respicit alios juxta illud D. Augustini 19. Civit. c. 12. *Superbia perversè imitatur DEUM, odit namque cum sociis æqualitatem sub illo; sed imponere vult sociis denominationem sub illo*, sed prius est, quòd aliquis habeat actum circa seipsum, quàm per ordinem ad alios, si non quæratur ab aliquo, quare vis dives esse, dominus esse, &c. profectò respondebit, quia amat seipsum, & licèt non responderet, tamen dominandi potestas affectata oritur ex sui complacentia & amore.

Opponitur contra Conclusionem Primò: Farrago Authoritatem Scripturæ & Patrum, qui omnes clamare videntur, primum peccatum Angeli fuisse superbiam, ut Tobiæ 4. Ecclesiast. 10. *Initium omnis peccati superbia*, & alibi sæpè, ergò sic tenendum. Respond. Primò SS. Patres velle, quòd Angeli peccaverint peccat superbia, sed non primò. Respond. Secundò: eos intelligendos esse de superbia radicali, quæ est amor

amor sui ipsius sic Petrus Chrysologus serm. 4. Invidiam vocat primam labem, quæ Angelum dejecit de cœlo, ubi loquitur de invidia in radice considerata, quæ est superbia. Sic etiam dicitur avaritia radix omnium malorum juxta illud 1. Tim. ultim: *Radix enim omnium malorum est cupiditas.* Tertiò: Intelligi possunt, superbiam dæmonum esse initium peccatorum omnium hominum. Respond. Quartò: Patres loqui de superbia, quæ convenit omni peccato, estque conversio ad creaturam & aversio à DEO, ut patet ex D. Augustino suprà pro Conclusione relato, undè etiam de tali aversione lib. 17. Civit. cap. 6. ait: *Hoc vitium quid potuit esse, nisi superbia.* Tandem primum peccatum Angelorum potest dici terminativè superbia.

Arguitur ex ratione: In amore amicitiæ non potest esse aliqua malitia, ergò non potest esse primum peccatum. Probatur antec: Quia amare se, valdè connaturale est, & rationi rectæ conforme, estque objectum amabile & bonum, ergò. Respond. distin: antec: in amore amicitiæ ordinato, conc: antec: inordinato neg: antec: hic enim non est conformis rectæ rationi, ut dixi suprà, maximè si fiat cum tanta intensione & complacentia, ut in se ipso stare vellet, & quiescere, cùm tamen esset ordinatus ad altius objectum, nempè divinum, quod sibi virtualiter in isto actu amoris concupivit.

Instatur: Nemo peccat eliciendo actum quantumcunque intensum, si ex genere suo sit bonus & non vitiatus ex circumstantia, ergò nec per intensionem amoris amicitiæ. Respond. neg: ant: primò si intensio sit prohibita aliqua lex sicut naturali est prohibitum diligere se plus quàm DEUM. Secundò, si intensio sit impedimentum majoris boni, vel adimplendi præcepti.

Urgetur: Si Angelus se plus amavit quàm DEUM, & sic DEUM contempsit, vel de sua excellentia præsumpsit, & eam sibi arrogavit, quod etiam peccatum superbiæ est, quia præsumptio est prima species, ergò primum pecatum non fuit amor sui ipsius, sed superbia. Respond. Amorem illum inordinatum intensum, radicaliter, vel virtualiter, vel concomitanter, vel efficienter posse dici superbiam & præsumptionem, quatenus præsumens vult bonum suum esse magnum in se, bonis etiam aliorum præferendum.

Dico Secundò: *Ille inordinatus amor sui propriè potest dici luxuria spiritualis.* Ita Scotus 2. d. 6. q. 2. art. 2. §. quantum ad primum. Probatur Primò: Malitia ejusdem rationis videtur esse inordinatè amare se, vel alium amore amicitiæ, sed amando alium immoderatè nullus dicitur superbus vel præsumptuosus, ergò nec se inordinatè amando dicitur superbus sed luxuriosus, nam secundùm Div. Thomam omne peccatum per excessum potest dici luxuria. VI. Amor inordinatus hic est luxuria spiritualis.

Probatur Secundò: Sicut inordinata dilectio carnis & corporis dicitur luxuria carnalis, ita inordinata delectatio spiritûs potest dici luxuria spiritualis, nam juxta gloss. in cap. 5. ad Gal. quælibet superfluitas est luxuria, ergò nimius excessus amoris propriæ excellentiæ optimè potest dici luxuria spiritualis. Confirmatur: Quia si quis immoderatè delectaretur in speculatione alicujus conclusionis geometricæ, vel astronomicæ &c. luxuriaretur, undè similia ingenia inventiosa, luxuriantia à Pontificibus appellantur, ergò etiam Angelus delectando se in semetipso luxuriatus est. Sed in contra sic

Arguitur: Appetitus rei delectabilis non est aliquod speciale peccatum, sed reducitur ad illam speciem, ad quam reducitur objectum ejus, v. g. delectatio in venereis dicitur luxuria; in cibo & potu gula; in laude, inanis gloria; in divitiis, avaritia: ergò similiter inordinata delectatio propriæ excellentiæ reduci potius debet ad superbiam, quàm luxuriam. Respond. distin: conseq:

consequ: si sit delectatio propriæ excellentiæ respectivè ad alios, conc: sin minus, nego consequ: nisi impropriè, quia sicut delectatio venerea & carnalis peculiari modo dicitur voluptas, & si sit inordinata, dicitur luxuria, quia circa delectabile proprium carnis, ita appetitus propriæ magnitudinis seu excellentiæ, quæ peculiari modo est bonum delectabile spiritûs, dicitur delectatio, & si sit inordinata, propriè potest dici luxuria spiritualis, porrò in veritate rei, videtur esse quæstio de nomine, nam utraque sententia admittit primum ejus peccatum fuisse inordinatam complacentiam ipsius, seu propriæ excellentiæ, disputent postmodum, ad quod vitium propriè pertineat, de quo non est multum curandum, dummodò sciatur, quinam fuerit primus lapsus & peccatum Luciferi.

QUÆSTIO QUINTA.

De aliis peccatis, in quæ Angeli lapsi sunt.

I. HAbito & fortè invento omnium malorum principio & radice, breviter videndum est, quænam peccata ex illo inordinato amore profluxerint, in quæ Angeli miserè lapsi fuerunt, certum enim est apud omnes non uno solo peccato fuisse insordidatos, sed pluribus, ex uno enim absurdo plura ordinariè subsequuntur. Itaque

II. *Dæmon peccavit peccato superbiæ.* Dico Primò: *De facto dæmon peccavit etiam peccato superbiæ.* Est Scoti d. 5. q. 2. n. 16. & dist. 6. qu. 2. num. 13. cum Theologis & Patribus communiter. Probatur Primò Isaiæ 14. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo: In cœlum conscendam, super astra DEI exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis.* Ezechiel. 28. *Et elevatum est cor tuum in decore tuo: perdidisti sapientiam tuam in decore tuo, in terram projecite.* Job 41. de Behemot, qui est figura diaboli, dicitur: *Omne sublime videt, ipse est rex super universos filios superbiæ.* 1. ad Timoth. 3. *Non neophytum, nè in superbiam elatus in judicium incidat diaboli*, id est, ut explicat noster Sasbuoth, in condemnationem, in quam devenit diabolus ob suam superbiam.

Probatur Secundò: Ex D. Augustino lib. 11. Genes. litt. cap. 14. *Nonnulli enim dicunt ipsum ei fuisse casum à supernis sedibus, quòd inviderit homini facto ad imaginem DEI. Porrò hæc invidia sequitur superbiam, non præcedit: non enim causa superbiendi est invidentia, sed causa invidendi superbia. Cùm igitur superbia sit amor excellentiæ propriæ, invidia verò sit odium felicitatis alienæ, quid undè nascatur satis in promptu est.* Et lib. 14. Civit. cap. 1. *Superbus ille Angelus, ac per hoc invidus, per eandem superbiam à DEO ad semetipsum conversus, & quodam quasi tyrannico fastu gaudere subditis, quàm esse subditus eligens, de spiritali paradiso cecidit: de cujus lapsu sociorumq; ejus, qui ex Angelis DEI Angeli ejus effecti sunt, in libris undecimo & duodecimo hujus operis satis, quantum potui, disputavi: malesuada versutia in hominis sensum serpere affectans; cui utique stanti, quoniam ipse ceciderat, invidebat, colubrum in paradiso corporali, ubi cum duobus illis hominibus masculo & fœmina, animalia etiam terrestria cœtera subdita & innoxia versabantur, animal scilicet lubricum & tortuosis anfractibus mobile, operi suo congruum, per quem loqueretur, elegit.* Et Divo Bernardo serm. 1. de adventu: *Quid superbis terra & cinis? Si superbientibus Angelis DEUS non pepercit: quanto magis tibi putredo & vermis? Nihil ille fecit, nihil operatus est, tantùm cogitavit superbiam, & in momento, in ictu oculi, irreparabiliter præcipitatus est: quia juxta Evangelistam, in veritate non stetit. Fugite superbiam, Fratres mei (quæso) multùm fugite. Initium omnis peccati superbia: quæ tàm velociter ipsum quoque sideribus*

cunctis clarius micantem æterna caligine obtenebravit Luciferum, quæ non modò Angelum, sed Angelorum primum in diabolum commutavit. Item serm. 11. in Psalm. 90. *Considerato viarum ipsius principia, si non manifestè in immanissimam prosiliit statim præsumptionem dicens, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, similis ero Altissimo, quàm temerariâ quâlinque horrendâ præsumptio?* Atqui præsumptio est superbiæ filia, ergò. Undè ipse Div. Bernardus, & alii Patres frequenter docent, eum nemini voluisse subesse, & aliis præesse, quæ sunt peccata furti & tyrannidis contra justitiam.

III. Dæmon peccavit peccato concupiscentiæ beatitudinis supernaturalis.

Dico Secundò: *Dæmon quoquè peccavit amore concupiscentiæ, nimis inordinatè appetendo beatitudinem supernaturalem.* Ita Doctor subtilis suprà. Probatur Primò ex S. Bernardo supra serm. 3. de Verbis Isaiæ, ubi clarè loquitur, eum beatitudinem nimis inordinatè appetiisse. Et Anselmus lib. de casu diaboli cap. 4. *Appetiit, inquit, dæmon, ad quod pervenisset, si stetisset.*

Probatur Secundò Ratione: Primus amor concupiscentiæ Angeli non fuit circa aliquod honestum & utile, ergò circa delectabile, patet antec: Quia peccavit, appetitus autem honesti semper honestus est, conformatur enim semper rectæ rationi; nec etiam fuit utile, hoc enim semper ordinatur ad aliud, Angeli autem non appetierunt primò media, sed finem, ergò aliquod maximè delectabile, sed maximè delectabile est beatitudo supernaturalis, ergò illam maximè appetierunt, quod probatur, quia appetentes non appetierunt secundùm affectionem justitiæ, alioquin non peccâssent, sed secundùm affectionem commodi, quandocunque autem appetitur secundùm affectum inordinatum commodi, appetitur primò & principalissimè, quod maximè est commodum, quia appetitus inordinatus fertur secundùm suam totam potentiam, nam talis appetitus inordinatus magis tendit in delectabile, quàm appetitus sensualis.

Dices: Angelus non potuit peccare appetendo beatitudinem, cùm ad eam fuerit ordinatus, ergò. Respond. neg: antec: Quia juxta Doctorem subtilem tripliciter id fieri potuit; primò appetendo eam sibi magis inesse, quàm DEO, & in quantum est bonum sibi; non in quantum est bonum in se. Secundò, appetendo eam citiùs, quàm DEUS voluerit dare. Tertiò, appetendo eam sine meritis, sed ex propriis viribus naturalibus; ut propter hoc non videretur obligatus DEO, à cujus obedientia se subtrahere voluit, quem modum appetendi, de quo Authores variant, Doctor subtilis magis approbat, & confirmat ex S. Gregorio q. 84. ubi de dæmone inquit: *Relicto, qui verè sibi sufficere poterat, se sibi sufficere putabat*, id est, putabat se suis viribus posse assequi beatitudinem.

Dico Tertiò: *Angelus etiam peccavit, concupiscendo unionem hypostaticam, eamque invidendo naturæ humanæ, sicut etiam beatitudinem hominibus invidit.* Ita Alensis, Catharinus in opusculo de gloria bonorum Angelorum, & est plausibilis in scholis, & favet Scriptura, Sapient. 2. *Invidiâ diaboli peccatum intravit in orbem terrarum.* Probatur Primò ex D. Bernardo serm. 17. in Cant. dicente: *Potuit autem contingere (si tamen incredibile non putetur) plenum sapientiâ & decore, homines præscire futuros potuisse, etiam & profecturos in parem gloriam, sed si præscivit in Dei Verbo* specie vel revelatione, *absque dubiò vidit & invidit & molitus est habere subjectos, socios dedignatus. Infirmiores sunt, inquit, inferiorésque naturâ non decet esse concives, &c.* Et serm. 1. de adventu: *Unde & protinus invidens homini, quam conceperat in semetipso, in eo peperit iniquitatem; suadens ut lignum vetitum gustans fieret sicut DEUS, sciens bonum & malum.*

IV. Dæmon peccavit peccato invidiæ.

Rupertus 8. in Joann. cap. 8. super illud: Ille homicida erat ab initio,

rio, dicit: Ex quo diabolus vidit mysterium Incarnationis, odio prosecutus est Christum, & indè mortem illi machinatum fuisse.

Probatur Secundò: Ratione desumptâ ex Bernardo: Angelus invidet homini excellentiam Incarnationis, ergò verisimile est, eam sibi inordinatè appetivisse: patet consequ: Quia ut plurimum videmus, quòd illud appetamus nobis, quod aliis invidemus, si simus æquè capaces. Tùm, Quia Scriptura clarè attestatur, Angelum voluisse esse similem DEO in natura, saltem quantùm est possibile creaturæ; sed per nihil aliud magis potest DEO assimilari in natura, quàm per unionem hypostaticam, per quam natura creata quodammodò deificatur; ergò: Tùm denique, non ignorabat Angelus unionem hypostaticam esse summè bonam, quòd possit creaturæ communicari, ergò verisimile est, quòd ejus inordinatus appetitus in illam ferebatur.

V. Dæmon peccavit peccatô scandali.

Dico Quartò: *Lucifer etiam peccavit peccatò scandali, quatenus suum affectum aliis manifestando, eos ad similem effectum alliciendo non necessitando induxit.* Ità Div. Bernardus serm. 2. de verbis Isaiæ, ubi ait: *Fuit quippè in eis, qui diceret, ponam sedem meam ad Aquilonem, & populum, qui sibi crederet, habuit, miser ille, qui sine DEO esse maluit, quàm sub DEO, illi, qui videntes furem, cucurrerunt cum eo.* Similiter docent alii Scholastici & Patres mox citandi.

Probatur Primò ex S. Scripturâ Ezech. 28. Apocal. 12. *Draco magnus & rufus, & cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum.*

Probatur Secundò ex Patribus: Bernardo suprà, & tract. de gradibus humilit. Ambrosius cap. 33. Gregorius lib. 3. moral. cap. 18. Chrysost. in Psalm. 14. Cyrillus Hierosol. Catechesi 2. Nazianzen. carm. 2. de substantiis ratione præditis. Origen. 1. Periarchon. Cæsarius Dialogo 1. Tertull. Prosper.

Probatur Tertiò Ratione: Quià omnes Angeli Lucifero subduntur, & illis dominatur juxta illud Job 41. *Ipse est rex super omnis mali filios superbiæ*, ergò signum est, quòd omnes illius suggestioni consenserint, adeoque scandalum aliis præbuit. Probatur consequ: Quià justitiæ divinæ convenit, ut qui alicujus voluntati consentit in culpa, subjiciatur ejusdem potestati, juxta illud 2. Petri 2. *A quò quis superatus est, hujus & est servus.* Deinde potuit eos adducere, ad peccandum tùm malo exemplo, tùm proponendo motiva illa, quibus ipsemet flectebatur ad peccatum, quæ sicut apud ipsum prævaluerunt, ita etiam alios potuerunt convincere. Sed in contra sic

Arguitur: Si alii ex instinctu Luciferi peccârunt, ergò peccârunt vel illi consentiendo ut ipse ut non Deus præesset illis, vel appetendo sibi tantam excellentiam, quantam Lucifer simul, sed neutrum potest dici, ergò: Probatur min: Non primum, quia non est verisimile, quòd magis Lucifero vellent servire, quàm DEO, quem sciverunt esse Lucifero longè excellentiorem: nec etiam secundum, Quia tunc non Lucifero consentirent, sed quilibet sibi istam gloriam arrogaret; ergò: Respond. malos Angelos peccâsse consentiendo Lucifero, non quidem petendo directè ejus prædominium, sed approbando ejus appetentiam, undè quilibet appetebat excellentiam propriam, ut nemini subjiceretur; & insuper appetebant beatitudinem supernaturalem ex suis naturalibus sicut Lucifer, & cùm viderent, se non posse ad tantum fastigium pervenire, nisi prius sublevaretur Lucifer, quem in naturalibus videbant excellere, hinc appetiverunt etiam Lucifero istam sublimitatem & prælaturam, & sic ejus consenserunt superbiæ. Quòd autem postmodum elegerint magis Lucifero quàm DEO, in hoc ostenditur eorum inordinatus affectus, & rebellio, sicut hodie videmus rebelles quosdam magis eli-

gere subesse suo convasallo, quàm proprio, legitimo, & coronato Regi.

Instatur: Omnes Angeli simùl peccârunt, ergò peccatum Luciferi non potuit aliis esse occasio peccandi. Respond. neg: antec: vel potius distin: simùl tempore, conc: naturâ, neg. antec.

VI. Luciferi peccatum est aliorum multò gravius.

Dico Quintò: *Peccatum Luciferi multò gravius fuit quàm reliquorum Angelorum lapsorum.* Ita communis sensus Patrum & Theologorum, & Probatur breviter tùm ratione excellentiæ ejus præ aliis: Tùm ratione exempli & scandali dati: Tùm denique, Quia præcessit, sicut cœteris paribus peccata prælatorum sunt multò graviora peccatis subditorum.

Quæres: An plures Angeli lapsi sint, quàm permanserint? Respond. Plures omninò remansisse, quàm lapsi fuerint: Tùm, Quia ex Scriptura non constat, nisi solam tertiam partem caudâ draconis de cœlo tractam fuisse: Tùm, Quia de bonis Angelis intelligitur illud Elisæi 4. Reg. 6. *Plures nobiscum sunt, quàm cum illis.* Et licèt aliqui Patres dicant infinitam multitudinem cecidisse, intelligendi tamen sunt de infinitate rhetorica, & magna multitudine, cum quo tamen benè stat, quòd multò plures remanserint.

QUÆSTIO SEXTA.

De obstinatione dæmonum in malo, ad non operandum benè, & causa hujus obstinationis.

I. Species concreatæ manserunt aliquæ in Angelis.

Suppono Primò ex D. Dionysio lib. de divin. nom. cap. 4. p. 4. naturalia omnia in ipsis mansisse integra, omnia tamen dona alia, sive per se, sive per accidens infusa, sublata esse; species eis concreatæ rerum naturalium etiam in ipsis probabiliter manserunt, utpotè cùm sint connaturales quoad capacitatem, cùm res perfectè de facto cognoscant. Eas tamen, quas operâ intellectûs agentis acquisierunt, quibus in statu damnationis multas alias adjunxerunt, certum est mansisse, ratione quarum adjunctâ perfectione naturalis potentiæ intellectivæ acutissimè judicarè possunt de veritatibus naturalibus, tàm speculativis, quàm practicis, item multa de rebus supernaturalibus per scientiam naturalem, quam acquisierunt vel ex signis, vel ex collocutione cum bonis, aut malis.

Suppono Secundò: DEUM absolutè potuisse dare Angelis lapsis gratiam pœnitentiæ, sicut dedit hominibus, per quam redirent, de facto tamen non dedisse, nec Angelum lapsum viribus naturæ conteri, & ad DEUM converti sine speciali DEI auxilio; quibus præsuppositis.

Notandum est: Obstinationem esse duplicem, *Positivum* scilicet & *Negativum*: *Positiva* consistit in continuatione actualis odii DEI, seu aliorum inordinatorum affectuum, & pravarum operationum. *Negativa* seu *Privativa* consistit in impœnitentia seu carentia perpetua salutaris pœnitentiæ, & ab hac voluntas Angelorum dicitur obstinata in malo suo, seu peccato habituali, quatenus illud per conversionem ad DEUM nunquam tolletur, adeoque perpetuò manebit in statu peccati, cùm jam sint in termino, & illud non meruerint in via. II. Obstinatio duplex est.

Dico Primo: *Dæmones sunt obstinati in malo, ut de facto nunquam sint reversuri ad DEI gratiam*: Est communis mens & sensus omnium Theologorum. Probatur Primò ex Scripturâ Psalm. 73. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Eccles. 11. *Ubi ceciderit lignum, ibi erit.* III. Dæmones sunt in malo obstinati.

Probatur Secundò ex Patribus: Augustino de fide ad Petrum: *Sic creavit DEUS Angelos, ut qui vellent, perpetuò boni essent, & qui nollent, nunquam eos divina gratia recuperaret.* D. Bernardus serm. 11. in Psalm. 90. dicens: *Propter præsumptionem stare non potuerunt, propter obstina-*

obstinationem, qui cecidit, non adjiciet, ut resurgat, Damascenus lib. 2. Orthodoxæ Fidei cap. 18. *Hoc, inquit, est Angelis casus, quod hominibus mors,* sed homo post mortem manet obstinatus in peccato, in quo mortuus est, ergò etiam Angelus post suum casum mansit obstinatus. Sed incontra sic

Arguitur: Voluntas dæmonum potest rectificari, ergò non est obstinata in malo: Probat: antec: Ad rectificationem voluntatis sufficit ex parte DEI condonatio, & ex parte Angeli pœnitentia, sed utrumque est possibile, ergò: maj: patet, probatur min: Quia imprimis misericordia DEI est infinita, & ejusmodi condonatio decet infinitam bonitatem, ergò ex parte DEI non repugnat, sed nec ex parte diaboli seu Angeli mali repugnat pœnitentia, quia ille censetur sibi pœnitere, qui sentit sibi adesse, quod odit, & abesse, quod diligit, dolet & tristatur, sed Angelus malus sentit se ex parte sua amisisse beatitudinem, & acquivisse pœnas æternas, ergò de facto dolet de suo peccato. Respond. hoc argumentum solùm probare, quod ex parte DEI, & potentia absoluta non repugnet DEUM condonare peccata, non verò de lege ordinaria, & posito justo, de non condonando peccato, decreto, quia non decet DEUM in decretis suis esse mutabilem, aut mentiri, & hinc etiam ex parte dæmonis repugnat pœnitentia fructuosa, & meritoria, quæ sine gratia haberi nequit, licèt ipsum de facto pœniteat juxta illud *pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritûs gementes,* non quia dolent, se DEUM offendisse, sed quia se vident in his pœnis.

Instatur: Commendaret maximè DEI bonitatem, si ipse etiam dæmones ab his miseriis ad gloriam reduceret. Respond. ita debet commendari misericordia DEI & bonitas, ut tamen non lædatur justitia & veritas, manifestavit quidem DEUS misericordiam suam etiam dæmonibus, cùm eos ex gratia sua misericorditer creavit, gloriam daturus misericorditer, si in gratia perstitissent, & cum hoc pœnam justè inflicturus, si apostatarent, manifestavit summè misericordiam homini infirmioris naturæ, & longius spatium pœnitendi præbens, Unigenito suo non parcens, undè oportuit, ut etiam justitia locum suum haberet in punitione malorum, qui misericordiam spernentes, justitiam in se provocârunt.

Urgetur: Non est potior ratio, quare homini spatium veræ pœnitentiæ concesserit DEUS, & non dæmoni, ergò convenit etiam illud concedere ipsis. Respond. neg: antec: Nam Patres plures assignant congruentias; præcipua autem hæc est, quia dæmon, præsertim Lucifer nemine suggerente peccavit, homo autem alio nempè dæmone instigante, undè D. Gregorius lib. 4. moral. dicit: *Nunquam lumen pristini status accepit, quia non persuasus amisit.* Secunda congruentia est, quia homo secundùm totam speciem cecidit, non sic Angelus; sed tantùm quoad aliqua individua ex probabili sententia, undè D. Augustinus in Enchirid. ait: *Placuit universitatis Conditori, ut quoniam non tota multitudò Angelorum DEUM deserendo perierat, ut ea, quæ perierat, in æterna damnatione permaneret.* Tertia denique ratio, eaque à priori est voluntas divina, quæ tàm Angelis quàm hominibus certum tempus meriti & demeriti in via præfixit, prout voluit homini longius, nec alia ratio perquirenda est, quia judicia DEI abyssus multa, & quis ejus fuit Consiliarius?

IV. Obstinationis diabolicæ causæ.

Dico Secundò: *Causa obstinationis angelicæ positiva est per se peccatum ipsius Angeli durans, negativa verò est divina voluntas subtrahens & non concedens auxilia divinæ gratiæ, per quam posset converti.* Ita Doctor subtil. 2. d. 7. q. 2. n. 20. & Scotistæ communiter. Hoc pulchrè probat & docet S. Augustinus Enarr. in Psalm. 77. ubi dicit: *Hanc enim iniquissimam & malignissimam obstinationem*

tionem DEUS cum facere dicitur, non instigando & inspirando, sed deserendo facit, ut illi operentur in filiis diffidentiæ, quod DEUS debitè justeque permittit. Probatur ratione: Quia sicut DEUS misericordiæ statuit finaliter perseverantibus dare auxilia superabundantiora, per quæ firmentur, & in gratia confirmentur, ita justè statuit persistentibus in malo præfigere terminum eis æternaliter subtrahendo auxilia suæ divinæ gratiæ.

Dices: Potius assignandam esse causam ipsam Angeli naturam, cujus voluntas est hujus proprietatis, ut quod semel plenè eligeret, ei immobiliter adhæreat. Sed contra: Tùm, Quia de facto Angeli boni mutârunt suos affectus, quos in primo instanti habuerunt in bonos & meliores: Tùm, Quia natura liberi arbitrii hæc est, quòd mutare se posset quando & qualiter vult.

Dices Secundò: Obstinationis causam esse habitum ipsis infusum, vel aliam aliquam qualitatem ipsis superadditam. Verùm contra hoc quoque est, quòd non possit assignari aliqua qualitas, quæ superaddita induceret Angelos ad perseverandum in malo, cùm non sit gratia, quæ illis totaliter est subtracta, in qua subtractione salvatur benè obstinatio eorum, adeoque gratis confingitur aliqua alia qualitas.

V. Angeli mali moraliter benè possunt operari.

Dico Tertiò: *Angeli mali possunt operari benè moraliter.* Ita Scotus citatus *d. 7. q. 1. num. 4. §. quantum ergò ad.* D. Bonaventura ibidem contra D. Thomam & alios. Probatur Primò: Quia opus moraliter bonum non excedit virtutem naturalem Angeli, sed naturalia manserunt omnia in ipsis integra, ergò: min: patet ex Div. Dionysio suprà citato cap. 4. Probatur maj: Inclinatio Angeli mali naturaliter est naturæ suæ bona, sed ubi est inclinatio naturaliter bona & ad bonum, est etiam potentia ad illud eliciendum, ergò opus bonum potentiale non excedit virtutem Angeli. Confirmatur inter dona naturalia, non est tantùm inclinatio virium naturalium, sed etiam executio & operatio naturalis, ergò si naturalia in Angelis manserunt integra, debet etiam mansisse potentia operativa, ergò. Deindè ad opus moraliter bonum non requiritur auxilium gratiæ divinæ, benè tamen ad opus moraliter bonum & meritorium.

Probatur Secundò: Angeli mali habent remorsum conscientiæ de peccato commisso, sed hic est aliqua displicentia de peccato, quæ non est actus malus, ergò: Probatur min: Quia est actus conformis inclinationi naturæ, inclinatio autem naturæ est bona. Deindè dæmon non necessariò apponit circumstantiam vitiantem, quia voluntas ejus est essentialiter libera, quæ non est essentialiter mutata per peccatum, quod est accidens, ergò manet libera, consequenter non cogitur ad apponendum circumstantiam vitiantem.

Probatur Tertiò: Quia sicut potest amare naturam suam, non malè operatur, sic potest odisse contrarium ei scilicet pœnam, in quantum est læsiva naturæ, sed hic actus est moraliter bonus, ergò: probatur min: Quia est circa objectum conveniens, & circa debitum finem, ergò; prima pars anteci probatur: Quia quilibet tenetur diligere suam naturam; adeoq; odisse contrarium illius. Probatur etiam secunda pars: Quia nolle pœnam contrariam suæ naturæ, ut sit libera ab illa afflictione est finis moraliter bonus. Nec requiritur ad actum moralem bonum explicita appetitio ultimi finis, aliàs omnia opera moralia gentilium essent peccata, quia non habent bonam circumstantiam ultimi finis, cùm circa illum errent, sed hoc est falsum.

Opponitur authoritas Div. Augustini de fide ad Petrum, ubi dicit: *Dæmones nunquam posse carere voluntate malâ*, undè de illis verum est illud Eccles. 9. *Neque ratio, neque opus, neque sapientia, neque scientia erit apud inferos.* Respond. D. Augustinum loqui de potentia morali, non

Digitized by Google

non verò physica, quia moraliter loquendo propter eorum obstinationem & desperationem non possunt desistere à malo, cùm quo stat, quòd habeant physicam potentiam ad desistendum. Et illud Eccles. intelligit de operibus bonis & meritoriis; & de sapientia & scientia; prout sunt dona Spiritûs Sancti cum habitu charitatis conjuncta.

Instatur: Angeli sancti nequeunt cessare unquam ab amore DEI, ergò nec Angeli mali ab odio. Respond. neg: consequ: Disparitas est; quòd DEUS speciali influxu & manutenentia sua detineat Sanctos in actu visionis & fruitionis beatæ positivè; non sic autem positivè damnatos; sed solùm negativè denegando eis auxilia, sine quibus non possunt ad DEUM per veram pœnitentiam converti; undè licèt per hanc subtractionem reddantur impotentes ad conversionem & contritionem, non tamen non necessitantur ad hærendum immobiliter in odio, aut in alio quocunque malo actu.

VI. Angelus malus de facto nullum ... bonum elicit. Dico Quartò: *De facto probabiliter nullum actum bonum elicit Angelus malus.* Hæc clarè colligitur ex vehementi malitia Angeli, quæ per modum ponderis inclinat naturalem potentiam semper ad actus oppositos; ità quòd in actibus suis malis radicati & firmati; justè in pœnam in illis detineantur, undè non solùm bonos non eliciunt, sed etiam multos malos; eò quòd videntes se in tantis pœnis erumpunt in DEI odium, blasphemiam, & plurima etiam mala hominibus facerent, si permitterentur.

Opponitur authoritas Scripturæ, Jacobi 2. *Dæmones credunt & contremiscunt*; sed credere est actus bonus. Lucæ 16. Dives Epulò optavit, ut fratres sui monerentur, nè ad hunc locum tormentorum venirent; quòd desiderium absque dubio ex charitate fraterna procedens; bonum est moraliter. Item de damnatis dicitur: *Pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritûs gementes.* Respond. neg: consequ: Quia licèt hi & similes actus in damnatis reperiantur, semper tamen aliquo pravo fine vitiantur, undè licèt credant DEUM esse; tamen vellent eum non esse. Nec dives epulo propter bonum fratrum suorum adoptavit, ut rectè viverent; sed nè ipse in eis magis puniretur; quia scilicet ipse quandoque fuit eis occasio peccandi. Denique quod ultimo loco adducitur; dico, damnatos non agere veram & fructuosam de peccatis pœnitentiam, sed tantùm dolent de pœnis inflictis, & de felicitate infeliciter amissa.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Pœnis Angelorum malorum.

Principalissima difficultas est in hac quæstione; quomodò Angeli, utpotè spirituales, possint cruciari ab igne materiali, quem tanquam certum suppono esse in inferno, ut ex pluribus S. Scripturæ locis patet, ut Matth. 3. 13. & 28. qui etiam dicitur *paratus diabolo & angelis ejus*; quæ frustrà ab Hæreticis retorquentur in sensum metaphoricum; cùm Scripturæ verborum proprietas semper teneri debeat; ubi non est aliqua inconvenientia. Itaque I.

Notandum Primò: Duplicem esse pœnam creaturæ rationalis; nempè *dolorem* & *tristitiam*; *Dolor* est passio consequens apprehensionem sensitivam in appetitu sensitivo residens, generata in anima ex offensione carnis; & hæc pœna in Angelis non est, nec etiam in animabus damnatis; est enim passio totius compositi. *Tristitia* verò est passio proveniens ex aliquibus rebus, quæ nobis nolentibus accidunt, residens in intellectu & voluntate, & hæc reperitur in dæmonibus, undè, ut dicatur aliquid causare tristitiam in eis; debet semper ab eis esse nolitum, & hinc violenta detentio nolita in Angelis, & nolita consideratio intensa ignis materialis maximè poterit affligere dæmones.

II. Pœna damnatorum duplex.

Notan-

Notandum Secundò: In dæmonibus duplicem reperiri pœnam, nempè *damni* & *sensûs*. Prima dicitur ea, quæ consistit in perpetua carentia visionis & fruitionis DEI, tanquam objecti infinitè beatifici, inflicta eis propter culpam, ad quam pœnam reducuntur illa omnia, quæ Angeli per peccatum suum amiserunt. Pœna *sensûs* illa est, quæ oritur ex afflictione mali positivi præsentis & disconvenientis, nempè ab igne: Diciturque pœna *sensûs* non formaliter & intrinsecè, desumptâ denominatione à sensu, sed objectivè, vel denominatione extrinsecâ, ex parte objecti sensibilis disconvenientis, quodcunque illud etiam, sive ignis, glacies, grando, nix, &c. in quibus violenter detinentur.

III. Dæmones in igne dupliciter possunt detineri.

Notandum Tertiò: Dæmones posse dupliciter in igne materiali detineri: *Effectivè, & Formaliter*. *Formaliter* tunc detinetur in eo, sicut & in quovis loco, quando ipse locus quodammodò circumstat, & circumscribit rem locatam, & sic Angeli possunt esse, & detineri in igne, quia in ipso sunt, & esse possunt definitivè, per hanc tamen detentionem non affliguntur, aut cruciantur, quia non est magis inconveniens ipsis, quòd sint in igne definitivè, vel in aëre. *Effectivè* verò tunc dicitur aliquid detineri in loco, quando ab aliquo alio in eo ponitur, prohibetq; nè se moveat ex isto ad alium locum, & sic dæmones DEUS effectivè in loco detinet, & in igne, qui eos illuc determinat, prohibetque, ne se ex eo moveant, & sicut eos determinat ad essendum in hoc loco, ita etiam determinat eos ad perpetuam considerationem ignis infernalis.

His notatis sciendum, maximam esse inter Authores controversiam, quomodo ignis infernalis possit cruciare dæmones; Aliqui enim dicunt, eos pati ab igne, recipiendo ab eis calorem, undè dicunt illis communicari aliquam virtutem, ratione cujus fiant capaces caloris. Ita Henriquez Quodl. 8. qu. 8. Alii dicunt, illos torqueri ab igne per DEUM elevato, tanquam per instrumentum divinæ justitiæ, ita Dominicus à Soto. Alii iterum asserunt, eos torqueri per aliquam qualitatem spiritualem in eis productam, & ineffabiliter eos defœdantem, ita Suarez, quæ sententiæ licèt probabiles sint, attamen principiis Doctoris subtilis inhærebo, breviter hanc difficultatem hic expediam, cùm de eadem materia fusiùs tractaverim in quarto Sententiarum, agendo de Purgatorio & Inferno. Itaque

IV. Dæmones non cruciantur ab igne per qualitatem aliquam impressam.

Dico Primò: *Angeli non cruciantur ab igne infernali, per hoc, quòd ipsis propter demeritum detur aliqua qualitas supernaturalis, ratione cujus ignis in ipsos possit agere.* Ita Doctor 4. d. 45. q. 2. Probatur cum eodem, quia ille habitus aut illa qualitas, vel esset spiritualis, vel corporea, neutrum dici potest, ergò: Probatur min: non quòd sit spiritualis, quia talis est tàm improportionata actioni ignis materialis, quàm ipsi Angeli, cùm utrobique sint spirituales, & nullum corporeum in spiritum agere possit: Nec potest etiam dici, quòd sit materialis, quia secundùm ipsos adversarios, DEUS non potest facere Angelos albos, vel nigros, sicut nec lapidem sapientem, ergò.

V. Dæmones non cruciantur ab igne per apprehensionem.

Dico Secundò: *Angeli non cruciantur ab igne materiali per hoc solùm, quòd ipsum apprehendant sub ratione disconvenientis.* Ita Doctor suprà. Et Probatur ab eodem sic: Quia Angeli mali apprehendunt ignem sibi disconvenientem, vel apprehensione verâ, vel falsâ, neutra dici potest esse afflictiva Angeli, ergò: probatur min: non quòd verâ: Tùm, Quia ignis ille, ut objectum intellectûs & voluntatis non habet rationem disconvenientiæ, cùm nullum objectum sit corruptivum, cujus est objectum, ut patet de omnibus per enumerationem, imò ut objectum semper est conveniens: Tùm, Quia non assignatur modus, per quem fiat disconveniens, ergò non affliguntur ab igne verâ apprehensione consi-

Digitized by Google

consideratο. Probatur etiam min: quòd neque falsâ: Tùm, Quia sic non affligerentur verè ab igne, sed à falsa sua apprehensione, quod asserere planè est inconveniens, nam sicut nemo falsa apprehensione beatus est, ita etiam nemo falsa apprehensione miser est: Tùm, Quia illa apprehensio, vel esset à DEO, vel ab ipsis Angelis, non primum, quia sic DEUS esset immediata causa deceptionis; nec etiam ab ipsis Angelis, quia ad naturales cognitiones producendas manserunt in ipsis naturalia splendida, seu integra.

VI. Dæmones cruciantur ab igne per violentam detentionē & considerationem.

Dico Tertiò: *Angeli mali cruciantur ab igne infernali violenta detentione per sententiam Judicis justi, qua condemnantur ad perpetuò habitandum in eo, & quâ determinatione ad intensè considerandum ipsum, ut signum iræ, & justitiæ divinæ vindicativæ.* Probatur Primò Authoritate D. Augustini 21. Civit. cap. 10. ubi hæc habet: *Si spiritus hominum profectò incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari*; ergò sic etiam possunt dæmones alligari insolubiliter ad habitandum in ignè; undè D. Gregorius 4. Dialog. 30. dicit: *Si viventis hominis spiritus incorporeus tenetur in corpore, cur non post mortem incorporeus spiritus corporeo ignè non detineatur?* Eadem autem est ratio de Angelis malis, nam ut idem Sanctus lib. 9. Moral. cap. 50. ait: *Quamvis hominum & Angelorum natura sit longè dissimilis, una tamen pœna implicat, quos unus in crimine reatus ligat.* Quòd autem hæc detentio sit afflictiva, patet, quia homines superbi molestissimè ferunt, quando violenter detinentur in carcere; ergò etiam dæmones, qui sunt superbissimi. Undè concludit D. Augustinus suprà, postquam dixisset dæmones cruciandos, *quamvis miris, veris tamen modis, sic: Adhærebunt ergo spiritus dæmones corporeis ignibus cruciandi, accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam.*

Doctor subtilis sic probat & explicat Conclusionem: Formaliter, dico, quòd ille ignis sit objectum sic disconveniens dupliciter, primò ut detinens spiritum definitivè, secundò, ut immutans eum objectivè, undè angelus malus habet nolle detineri ab igne, & specialiter sub hac ratione, ex sententia divina sic determinante, ad quod nolle inclinat affectio commodi, secundùm quam appetit liberum usum suæ potentiæ, ut, sicut naturâ indifferens est, ad quodcunque corpus, sic possit se facere præsentem cuicunque corpori; promovet superbia, propter quam appetit uti propria potestate; consummat invidia, propter quam nunquam vellet se determinare, ibi esse per sententiam, istud autem nolle præcedit detentio, & detentionis apprehensio, & tandem tristitia, ac nolitio hujus detentionis violentæ; detentio autem illa violenta ad intensam considerationem ignis, ut sibi nocivi contra voluntatem Angeli, à DEO principaliter, & ab igne instrumentaliter provenit. Hæc Doctor, per quæ clarè & fusè explicat modum, quo dæmones ab igne puniantur, nempè, quòd DEUS eos contra suas voluntates violenter in ignè detineat, & quia hoc est contra voluntatem, ideò nolunt hanc detentionem, quæ detentio, cùm sit nolita, jam potest in ipsis causare tristitiam; & sic pariter nolunt considerare illum ignem, ut signum iræ divinæ & justitiæ vindicativæ, cùm secundùm affectionem vellet uti potius sua libertate in considerandis aliis objectis, à quibus tamen impeditur, ne illa considerare possit. Sed in contra

Opponitur Authoritas D. Augustini lib. 20. Civit. cap. 16. ubi ait: *Nequaquam negandum est, ipsum æternum ignem aliis leviorem, aliis futurum esse graviorem, sive ipsius ardor pro pœna cujuscunque varietur, sive æqualiter ipse ardeat; sed non æquali molestia sentiatur*; ubi non allegat detentionem solam, sed etiam ardorem, & insuper asserit, aliis pœ-

nam futuram leviorem, aliis graviorem, quòd si autem esset sola detentio, æqualiter punirentur, cùm æqualiter omnes detineantur, ergò. Respond. S. Augustinum non negare ibi, detentionem esse pœnam Angelorum, licèt enim alleget etiam ardorem, non dicit tamen, eam esse aliquem materialem, vel physicum, qualem utique ignis ille in Angelis producere nequit; Ardor itaque, qui ibi erit, erit intentionalis, verus tamen & realis, nam quando Angeli considerabunt illum ignem intensè, semper timebunt, nè ab ipso adurantur & comburantur, & sic ignis habens virtutem producendi calorem in corporibus, intentionaliter immutabit eos, & intentionaliter comburet, quæ combustio major est, quàm materialis, quia etiam in corporibus non est tristitia aliqua, nisi adsit immutatio intentionalis. Per hoc patet solutio etiam ad aliam instantiam, nempè quòd non sit potior ratio, quare magis in igne, quàm aëre, aut aquâ crucientur, quia aqua non habet virtutem adurendi, consequenter non sic eos intentionaliter immutaret. Et licèt D. Augustinus dicat, pœnam non futuram æqualem, id etiam ego non nego, & insuper quamvis sit æqualis detentio, ex hoc non potest statim inferri, ergò æqualis pœna, quia non erit æqualis in omnibus nolitio, quæ majorem minoremvè in ipsis causabit pœnam & tristitiam.

Instatur contrà principalem solutionem: Actio intentionalis non est nata afferre tristitiam, ergò per eam dæmones non poterunt cruciari; Probatur: Quia illa actio est naturæ angelicæ, & eorum intellectui conveniens, ergò. Respond. dist: antec: actio intentionalis non est nata afferre tristitiam ex se præcisè, transeat, nolita, neg: antec: & licèt prima intellectio sit prior nolitione naturâ, sunt tamen simul tempore, & sic, quia nolitio posterior est vehementior quàm delectatio, quam habere posset ex prima & simplici objecti apprehensione, ideò excludet delectationem illam, & causabit in eis summam tristitiam.

Urgetur: Nolitio illa posterior est in potestate Angelorum, ergò non necessariò illam habebunt, & sic, quando eam non habebunt, objectum non poterit in eis causare tristitiam sed delectationem, imò, quia postmodum eam liberè habebunt, liberè poterunt uti, vel non uti. Respond. neg. antec: Quia causa prima semper concurret cum eis ad actum nolitionis, sic nunquam poterunt ipsum non exercere, sicut cum bonis semper concurrit ad actum amoris, ita quòd nunquam habebunt tristitiam, ita cum malis, quòd nunquam habebunt gaudium.

Dico Quartò: *Non omnes dæmones de facto actualiter in inferno continentur, quamvis in principio illuc trusi fuerint, sed plurimi existunt in aëre caliginoso.* Ita resolvit D. Bonavent. 2. d. 6. a. 7. q. 1. respondens dicendo: Quod sicut patet ex Scripturis, locum dæmonum post lapsum usque ad diem judicii, non est locus subterraneus, quem vocamus infernum, sed aër caliginosus, in quo generaliter multitudo dæmonum inhabitat, utrum autem aliqui detrusi sint in infernum, hoc ego nescio, nec invenio à Sanctis Patribus determinatum, hoc autem benè credo, quòd aliqui descendunt ad torquendas animas, secundùm quod habent deputata maledictionis officia. Ratio autem, quare in hoc aëre sint, est propter humanum exercitium, sicut enim dicit D. Augustinus 2. de Civit. cap. 18. *Nunquam Deus, quos præsciebat futuros malos, eos fecisset, nisi pariter posset, quibus bonorum usibus eos accommodaret.* Undè divina dispositio hoc exigit, ut etiam de prævaricantibus Angelis obsequium quodammodò electorum eliciat, scit enim benè uti malorum voluntatibus pravis; & ideò eos non trusit in infernum, sed locum dedit aptum, tùm quantum ad statum peccati, tùm quantum ad statum exexercitii sive belli, aër enim caliginosus propter caliginem convenit

VII. Dæmones omnes de facto non sunt in inferno.

tene-

tenebricositati culpæ, & propter mobilitatem & subtilitatem convenit angelicæ velocitati, undè sicut quibusdam Viris sanctis ostensum est, volitant circa nos ut muscæ. Hæc S. Bonaventura, cujus rationibus probata manet quidem conclusio. Nihilominus ulterius

Probatur Secundò ex Scriptura, nam ad Ephes. 2. vocatur diabolus princeps potestatis aëris hujus. Et 6. vocantur *Mundi rectores tenebrarum harum, & spiritualia nequitiæ in cœlestibus.*

Probatur Tertiò ex SS. Patribus, nam D. Augustinus lib. de natur. boni cap. 33. *Hinc Petrus ostendit, adhuc eis ultimi judicii pœnam deberi, de qua Dominus dicit: Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus. Quamvis jam pœnaliter hunc infernum, hoc est, inferiorem caliginosum aërem tanquam carcerem acceperint, qui tamen aër quandoque & cœlum dicitur, non illud, in quo sunt sidera, sed hoc inferius, cujus caligine nubila conglobantur, & ubi aves volitant, nam & cœlum nubilum dicitur, & volatil a cœli appellantur. Secundum hoc Apostolus Paulus eosdem iniquos angelos, contra quos nobis invidos, piè vivendo pugnamus, spiritalia nequitiæ in cœlestibus nominavit. Quod nè de illis superioribus cœlis intelligatur, apertè alibi dicit: Secundùm Principem potestatis aëris hujus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ. Inferior caliginosus aër quandoque & cœlum dicitur, non illud, in quo sunt sidera, sed hoc inferius, cujus caligine nubila conglobantur, & ubi aves volitant, nam & cœlum nubilum dicitur, & volatilia cœli appellantur, in quo sunt etiam dæmones usque ad ultimum judicium.* D. Bernardus serm. 54. in Cant. ubi versiculum istum: *Iste venit saliens in montibus, transiliens colles*, ait: *Colles dicit aëreas potestates, quæ inter montes quidem* (Angelos) *jam minimè numerantur, pro eo, quòd a virtutum celsitudine defluxerunt per superbiam, nec tamen usque ad humilia vallium, sive ad valles humilium per pœnitentiam detumescunt. A nubibus & infrà dæmonum est habitatio in aëre istó infimo & caliginoso &c.*

Addidi autem: *In principio illuc trusos fuisse*, nam Apocal. 20. legitur: Quòd *Angelus apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus & satbanas, & ligavit eum per annos mille, & misit eum in abyssum, & clausit, & signavit super illum, ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni: & post hæc oportet illum solvi modico tempore*, id est, tempore Antichristi. Sed in contra

Arguitur: Tantò casus est profundior, quantò gradus & lapsus est altior, sed Angeli ceciderunt de loco altissimo, nempè cœlo empyreo, ergò detrusi sunt in locum infimum nempè infernum. Respond. Primò cum Bonavent. dist: major: & consequ: post finale judicium & completam retributionem demeritorum, conc: antea, nego; DEUS enim sicut respectu hominum reservavit aliquas pœnas in judicio addendas, nimirum cruciatum corporum, ita respectu dæmonum judicandorum reservavit pœnam ignis adjiciendam reliquis pœnis in die judicii. Respond. Secundò, dist: consequ: detrusi sunt in infernum statim à principio lapsûs sine absolutâ omnium ibidem detentione, conced: detinendo omnes ibidem, nego:

Instatur: Animæ immediatè detruduntur ad infernum, Job. 21. *In puncto ad infernum descenderunt*, ergò idem dicendum est de dæmonibus. Respond. neg: consequ: Disparitas est, quia animæ non sunt deputatæ ad ministrandum sicut Angeli, ac proindè in exercendis hominibus non utitur DEUS ministerio animæ separatæ, sed dæmonum, quibus quasi ex officio hoc convenit, & sic non congruit, quòd animæ separatæ in aëre maneant sicut dæmones.

VIII. Dæmones in aëre ignem secum non circumferunt.

Dico Quintò: *Probabile est, dæmones in aëre existentes ignem infernalem secum non circumferre.* Ita D. Bona-

Digitized by Google

Bonavent. suprà a. 2. p. 2. ubi postquam recitavit duos modos dicendi, unum affirmativum, alterum negativum, de hoc secundo modo ita loquitur : Ideò aliorum positio est, quòd dæmonibus differtur pœna ignis usque post judicium, tùm ut eorum exercitium non omittatur, tùm ut divina misericordia ostendatur, quæ sustinet vasa iræ apta in interitum in multa patientia usque in diem, quo retribuet omnibus secundùm fructum adinventionum suarum, quæ harum positionum sit verior, nescio, hæc tamen quæ ultimò data est, videtur probabilior. Hæc Bonavent.

Probatur Conclusio Primò : Ex Scriptura, Matth. 8. ubi dæmones *clamârunt dicentes : Quid nobis & tibi, JESU Fili DEI? venisti huc ante tempus torquere nos?* Item Matth. 25. *Tunc dicet & his, qui à sinistris erunt : discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus.* Ubi ly *præparatus* indicat ignem infernalem nondum usque ad diem judicii esse locum inhabitationis dæmonum, ergò.

Probatur Secundò ex D. Gregorio lib. 4. Moral. cap. 10. ubi dicit: *Antiquus hostis nequitiæ suæ vinculis adstrictus, aliud est, quod nunc patitur, aliud, quod in fine patietur. Quia enim à lucis intimæ ordine cecidit, nunc semetipsum intrinsecus erroris caligine confundit, sed post hoc amaritudine involvitur, qui ex merito spontaneæ caliginis æterno gehennæ tormento cruciatur, dum videlicet carcere gehennali æternaliter simul erit constringendus.* Et infrà : *Quæ eis pœna*, perfecta scilicet & completa, *tunc initium accipit, cùm districtus ad extremum judicium Judex venit.*

Probatur Tertiò Rationibus : Tùm, Quia esset perpetuum miraculum, quòd dæmones ignem secum circumferentes domos & villas, in quibus morantur diuq; habitant, non succenderent : Tùm & quàm maximè, Quia corpora possessorum & obsessorum debent inflammare & exsiccare, aut iterum recurrendum est ad miraculum, ponere autem perpetuum miraculum sine ratione vel authoritate, à ratione videtur alienum.

Opponitur in contrà, Glossa super illud Jacobi 4. *Inflammata à gehenna* dicit : *Gehenna est diabolus, propter quem facta est*, sicut gehenna semper ardet, sic diabolus ubicunq; sit vel in aëre, vel sub terra semper fert secum tormenta flammarum. Respond. cum S. Bonavent. si aspiciantur sequentia, quod Glossa non intelligitur de flamma materiali, sed de flammis vitiorum iræ, vindictæ, blasphemiæ &c. de flammis pœnarum damni.

Instatur : Angeli boni, non obstante eorum ministerio, habent beatam visionem & fruitionem DEI, & totum essentiale præmium, ergò & mali totam suam pœnam ; & consequenter non solùm pœnam damni, sed etiam pœnam ignis. Respond. Etiam Angelos beatos, licèt habeant præmium suum essentiale consistens in visione & fruitione DEI, non habere tamen totum suum accidentale præmium propter ministerium hominibus fideliter exhibitum, idem ergò dicendum de malis, qui habent suam essentialem pœnam & potissimam vindictam, tamen completam nondum habent. Hinc si quæras, quibus ergò pœnis angeli mali crucientur, respondeo &

Dico Sextò : *Angelos malos in aëre existentes cruciari primò, propter timorem & horrorem infernalis ignis : secundò, invidiâ & rancore, quòd videant homines liberari ; & se perpetuò damnandos, & gratiâ DEI excludendos : tertiò, non secum ignem circumferendo, sed eum considerando sibi tanquam debitum, in quo mox sunt futuri.* De ipsis D. Bernardus serm. 54. in Cantica sic discurrit : *In pœnam siquidem suam locum in aëre isto medium sortitus est, ut videat & invideat, ipsâque invidiâ torqueatur, Scripturâ dicente : Peccator videbit & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet. Quàm miser cùm suspicit cœlos, in quibus innumeros montes intuetur* IX. Dæmones in aëre quomodo cruciantur.

tur

tur divina claritate fulgentes, divinis laudibus resultantes, sublimes in gloria, abundantes in gratia. Quàm miser cùm respicit terram, montes nihilominus quàm plurimos de populò acquisitionis habentem, fide sólidos, spe excelsos, charitate spatiosos, cultos virtutibus, bonorum operum fructibus refertos; de rore cœli, tanquam de saltu sponsi quotidianam capientes benedictionem; quam etiamnum benignissimus JESUS Dominus & Salvator noster copiosè infundere dignetur; ut liberati à pœnis malorum; ad bonorum consortium & felicitatem pervenire valeamus.

§§§

DISPUTATIO NONA.

DE Missione & Custodia Angelorum.

QUÆSTIO PRIMA.

Quinam Angeli mittantur; & à quo?

1. SUpponendum cum Alensi, & communi Theologorum; Angelos inter se servare ordinem & præcedentiam, non solùm in esse naturæ; sed etiam; quia perfectioribus ornatur donis gratiæ. Notandum, primam hic esse difficultatem, utrum ex quolibet ordine & Hierarchia Angeli mittantur ad nos; an solùm ex inferioribus ordinibus; quâ in re Magister 2. d. 10. recitat varios modos dicendi: Alii enim dicunt superiores Angelos nunquam ad nos mitti; sed tantùm inferiores; quos sequitur D. Thomas 1. p. qu. 112. art. 2. Alii distinguunt hic duplicem missionem: Unam *ad extra*; & ad nos propter aliquod ministerium exhibendum: Aliam *ad intra*; sed propter nos; & loquendo de missione primo modo, dicunt solos inferiores Angelos mitti ad nos extra, loquendo autem de missione ad intra; dicunt omnes Angelos sic mitti cum tali ordine, ut scilicet supremi mittantur ad medios, eos illuminando, & medii ad infimos; & hi ad nos. Hoc præmisso

II. Omnes Angeli aliquando mittuntur. Dico Primò: *Angeli tàm superioris quàm inferioris ordinis aliquando mittuntur à DEO.* Ita Doctor subtilis contra D. Thomam. Probatur Primò ex Scriptura: Exodi 23. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te; & custodiat in via, & introducat in locum, quem paravi.* D. Paulo ad Hebræos 1. *Nonne omnes sunt administratorii Spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis?* Isaiæ 6. *Seraphim* missus est ad purganda labia Isaiæ Prophetæ; Ezechielis 10. ubi leguntur Cherubini cùm rotis ad terram juxta fluvium Chobar descendisse; & rursum à terrâ se elevâsse; ergò etiam Cherubini ad repræsentanda mysteria in imaginibus animalium. Item Lucæ 1. dicitur: *Gabriel missus ad Virginem desponsatam viro*, qui tamen secundùm mellifluum Doctorem lib. 5. de consid. est unus ex præcipuis Angelis. Similiter ad Tobiam missus est Raphaël; qui unus est ex septem Spiritibus; qui adstant ante faciem DEI. Denique ipse Michaël; qui est Princeps militiæ cœlestis; legitur missus; ergò.

Dices: Ista omnia & similia loca intelligenda de illuminatione superiorum; facta inferioribus; qui proindè officium injunctum explent in assumptis corporibus; vel alio modo; undè sicut Papa dicitur aliquem absolvere; quia alteri facultatem absolvendi impertitur, ita Angeli superiores dicuntur mitti, vel

 aliquid

Digitized by Google

aliquid facere, quia alios illuminant, qui exequuntur. Sed Contra: Non derogat dignitati Angelorum superiorum, quòd aliquando mittantur, ergò, cùm Scriptura expresè id asserat, gratìs hoc retorquetur in sensum alium, patet antec: Quia est contra perfectionem, quòd mittantur ad perfectiores se, in gradibus gratiæ & donorum supernaturalium, ut fuerunt Beata Virgo & Christus Dominus.

Probatur Conclusio Secundò: ex D. Augustino lib. 7. de Civit. c. 31. *Agit autem multa etiam per Angelos: sed non nisi ex seipso beatificat Angelos, Ita quamvis propter aliquas causas hominibus Angelos mittat: non tamen ex Angelis homines, sed ex seipso, sicut Angelos beatificat. Ab hoc uno & vero DEO vitam speramus æternam.* D. Bernardo serm. 1. in fest. S. Michaëlis, ubi postquam adduxisset textum D. Pauli ad Hebr. 1. suprà hæc habet: *Neque id cuiquam incredibile videatur, quandoquidem ipse quoque Creator, & Rex Angelorum venit non ministrari, sed ministrare, & animam suam dare pro multis. Ut quid ergò ministerium illud Angelorum quisquam dedignetur, in quo præcedit eos, cui in excelsis tota cum aviditate & felicitate ministrant.* Et idem clarissimè asserit lib. 5. de consid. cap. 4. ubi ait: *Ad Dominationes referri tanquam ad Dominos regimina Principatuum, tutamina potestatum, operationes virtutum, revelationes Arch-Angelorum, curam & providentiam Angelorum*, & has omnibus præesse ac alibi frequenter supponit. Undè ex Authoritate D. Bernardi sic argumentor ex ratione: Non est contra dignitatem Verbi, ejusque perfectionem, ut mittatur, ergò nec contra perfectionem Angelorum, patet consequentia, Quia si non est contra perfectionem dignioris in natura absolutissimè perfecta, minus erit contra dignitatem naturæ respectivè multò imperfectioris.

Dices: Providentia divina non sinit perverti ordinem sine necessitate, sed nulla est necessitas, quòd mittantur Angeli superiores, ergò. Respond. Providentiam divinam non invertere ordinem sine necessitate, vel utilitate, aut decentiâ, undè licèt necesse non sit, ut mittantur Angeli superiores, est tamen congruum secundùm illud D. Bernardi homil. 1. super missus est. *DEI quippè virtutem Christum, quem melius nunciare decebat, quàm hunc, quem simile nomen honorat.* Et D. Gregorii hom. 34. in Evang. *Ad hoc quippè ministerium, summum Angelum venire, dignum fuerat, qui summum omnium nuntiabat.*

Probatur Tertiò Ratione: Quia congruit recto ordini rerum, quem divina lex in suis operibus exequitur & conservat, ut inferiora gubernet per superiora, in quo suam bonitatem & potentiam ostendat, quod cùm per se sufficiat ad omnia gubernanda, uti & producenda, assumat tamen ad gubernationem causas secundas, sicut etiam assumit ad multorum productionem, quæ tamen potuisset se solo producere, undè non solum propter ministerium nostrum, sed & ministerium DEI ad utilitatem nostram quodammodò mittuntur. Confirmatur: Quia Angeli sunt medii in natura inter nos & DEUM, ergò congruit, ut tanquam mediatores mittantur ad nos, ut DEO referant nostras petitiones, & desideria, & vicissim ad nos reportent divinas revelationes, quod est proprium nuntiorum seu Angelorum.

Dices: Cui nulla potest violentia inferri, nullâ indiget custodiâ, sed liberum arbitrium hominis non potest cogi vel violentari, ergò non indiget custodiâ. Respond. neg: maj: & admisâ min: negò consequ: Quia licèt arbitrium nequeat violentari, potest tamen sic induci ad malum, ut difficulter sine adjutorio possit resistere, & hinc indiget ad resistendum primò gratiâ DEI, deindè custodiâ Angelorum.

Dico Secundò: *Angeli mali mittuntur etiam à DEO.* Ita Alensis. Probatur ex S. Scripturâ, 3. Regum: ubi III. Etiam Angeli mali mittuntur à DEO.

ubi habetur Angelum malum missum fuisse ad decipiendum Achab, ut constat ex illo verbo: *Egredere.* Item Psalm. 77. *Immissiones per Angelos malos*, quod explicando Glossa dicit: *Malos angelos etiam mitti.* Et Matth. 7. *Mitte nos in porcos*, qui sunt luxuriosi; ut mali, secundum Glossam.

IV. Etiam unus Angelus mittitur ab alio.

Dico Tertiò: *Unus Angelus etiam mittitur ab alio.* Probatur Primò ex illo Zachariæ 2. *Alius Angelus egrediebatur in occursum ejus, & dixit ad eum, loquere ad puerum istum.* Item Daniel. 8. *Et audivit vocem viri* (Michaël dicitur fuisse mittens Gabrielem, teste Hieronymo) *inter Ulai, & clamavit & ait; Gabriel fac intelligere istam visionem.*

Probatur Secundò: Ex D. Bernardo hom. 1. super Missus est, ubi dicit: *Non arbitror, hunc Angelum (Gabrielem) de minoribus esse, qui qualibet ex causa crebrò soleant ad terras fungi legatione, quod ex ejus nomine palam intelligi datur, quod interpretatum fortitudo DEI dicitur, & quia non ab alio aliquo fortè excellentiore se (ut assolet) Spiritu, sed ab ipso DEO mitti perhibetur.* Item tract. de Ordine vitæ cap. 5. hæc habet: *Si enim Angelus Angelo imperat, & inter jubentem & obedientem summa maneat concordia, videat ille quam graviter peccet; &c.* Et ratio etiam est, quia si unus alterum illuminat, cur unus alterum etiam non mitteret. Sed

Dices: Scriptura insinuat frequenter, soli DEO competere, mittere Angelos; nam Psalm. 103. dicitur: *Qui facit Angelos tuos Spiritus:* & Psalm. 102. *Benedicite Domino ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.* Respond. Præfatos textus intelligendos, DEUM solum ex authoritate suprema & directa mittere; non verò quòd alii ex authoritate delegata non possint etiam mittere, sicut patet de Regibus terrenis, & eorum Principibus, qui suos quoque nuntios mittunt, aliâ tamen, & aliâ ratione.

V. Ministeria eorum respiciunt mundum hunc corporalem.

Dico Quartò: *Ministeria Angelorum, ad quæ mittuntur, respiciunt hunc mundum corporalem, non solum propter motum orbium cœlestium, sed etiam quatenus peculiaribus rebus peculiares Angeli sunt deputati, ut hæc inferiora in ordine debito à divina providentia intento, conserventur.* Ita D. Augustinus, Bernardus, Div. Thomas, & ante ipsos Origenes. Probatur Primò ex Scriptura; Daniel. 10. ubi alius Angelus præpositus Regno Persarum dicitur, & alius Judææ. Apocal. 14. dicitur unus Angelus habere potestatem super ignem. 17. super aquas. Idemque de aliis elementis & speciebus mixtorum; & à fortiori animalium saltem perfectorum probabiliter censendum.

Probatur Secundò ex nostris SS. Doctoribus Augustino lib. 83. qq. q. 79. ubi dicit: *Unaquæque res visibilis in hoc mundo habet angelicam potestatem sibi propositam.* D. Bernardo lib. 5. de Consid. cap. 4. ubi ait: *Virtutes esse, quarum nutu vel opere, signa & prodigia in elementis, sive ex elementis facta, apparent. Potestates, quarum virtute coërcetur malignitas aëris hujus. Principatus, quorum moderamine & sapientiâ omnis in terrâ principatus constituitur, regitur, limitatur, transfertur, mutilatur, & mutatur.* Addo his Div. Damascenum lib. 2. de fide cap. 3. ubi ait: Angelos esse destinatos, *ut certas quique terræ partes custodiant, Gentésque & Regiones custodiant.* Licèt D. Hieronym. in cap. 1. Habacuc videatur sensisse oppositum.

Probatur Tertiò: Quia hæc præsidentia potest inservire primò, ut elementa non noceant juxta illud Apocalyps. 7. *Vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos, nè flarent.* Secundò, ut aliquandò noceant; & sic obtemperent divinæ voluntati ad finem à DEI providentiâ intentum. Tertiò, ut Angeli compescant dæmones, nè iis rebus abutantur, & nimis noceant.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO SECUNDA.

An Apparitiones divinæ in veteri Testamento factæ sint per Angelos ad repræsentandum DEUM missos?

I. Apparitiones frequentes in antiquo testamento.

Nihil frequentiùs in sacra pagina legitur, quàm DEUM apparuisse hominibus, nam Genes. 17. *Apparuit Dominus Abraham.* Genes. 26. *Apparuit Dominus Isaac.* Exodi 3. *Apparuit Moysi Dominus in flamma Rubi.* 3. Reg. 3. *Apparuit autem Dominus Salomoni*, & aliàs sæpè, quæritur itaque, an istæ & similes omnes apparitiones sensibiles factæ sint per Angelos, ita quòd personaliter fuerint Angeli, repræsentativè verò & authoritativè DEUS, cujus personam repræsentabant, in qua materia plurimi Patres antiqui fuerunt hujus opinionis, quòd DEUS immediatè in corpore assumpto, & quidem Filius apparuerit in veteri Testamento. Pro quo

II. Apparitiones variè fieri possunt.

Notandum: Apparitiones tribus modis fieri posse: Primò, secundùm imaginationem, ut cùm phantasiæ variæ immittuntur impressiones & species rerum apparentium, ut contingit in somnis. Secundò, quoad visum externum per immutationem quandam in ipso oculo, nullo existente exterius objecto, ut in præstigiis plerumque accidit. Tertiò, contingunt apparitiones in oculo vel in imaginatione, existente re ipsa exterius aliquâ figurâ talis qualitatis vel naturæ. Et de hac ultima est quæstio. Pro quo

III. Apparitiones in antiquo testamento non fuerint duæ personæ.

Dico Primò: *Apparitiones Dei in veteri Testamento non fuerunt propriè secundæ personæ.* Hæc est communis, & Probatur: Quia Scriptura ubique refert has apparitiones nomine Domini DEI, qui est Jehova, & similibus nominibus essentialibus seu communibus tribus personis, nec aliundè constat fuisse factas propriè in persona Filii divina, Probatur idipsum clarissimè ex D. Augustino lib. 16. de Civit. cap. 29. ubi dicit: *Item DEUS apparuit Abrahæ ad quercum Mambræ in tribus viris, quos, dubitandum non est, Angelos fuisse: quamvis quidam existiment unum in eis fuisse Dominum Christum, asserentes, eum etiam ante indumentum carnis fuisse visibilem. Est quidem divinæ potestatis & invisibilis, incorporalis, incommutabilisque naturæ sine ulla sui mutatione etiam mortalibus aspectibus apparere: non per id, quod est, sed per aliquid, quod sibi subditum est. Quid autem illi non est subditum.* Et post præclaram refutationem subjungit: *Angelos autem fuisse, Scriptura testatur, nec solùm in hoc Genesis libro, ubi hæc gesta narrantur, verum etiam in epistolâ ad Hebræos, ubi cùm hospitalitas laudaretur: Per hanc, inquit, etiam quidam nescientes hospitio receperunt Angelos.*

Opponitur authoritas Evangelii Joann. 8. dicitur: *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum: vidit & gavisus est*, atqui Abraham diem Christi non potuit aliter vidisse, nisi in apparitionibus, quæ referuntur in Genesi. Item illud, quod Isaiæ 6. dicit: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum*, intelligendum est de Filio juxta illud Joannis 12. *Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus, & locutus est de eo.* Denique is, qui locutus est in Prophetis, dicitur postea incarnatus, Baruch 3. *Post hæc in terris visus est*, & Jesaiæ 52. *Ego ipse, qui loquebar ecce adsum*, ergò. Respond. neg: min: & consequ: nam ex primâ authoritate nil probatur, cùm Abraham vidit diem Christi per internam fidei revelationem, qua novit illum ex semine suo nasciturum: Isaias quoque vidit quidem Filium DEI, sed non solum, ast ut DEUM unum & trinum apparenter imaginariè, qui ob unitatem Dominus, ob Trinitatem ter Sanctus proclamatur: Similiter verum quidem est, quòd Filius sit locutus in Prophetis, sed non solus, at ut DEUS trinus & unus, qui postea in persona Filii carnem assumens in terris visus est. Nolo tamen negare per quandam appropria-

propriationem posse dici in quibusdam apparitionibus imaginariis fuisse repræsentatas certas personas, v.g. DEUM Patrem per illum antiquum dierum, Daniel. 7. DEUM Filium per Filium hominis, qui pervenit usque ad antiquum dierum. Imò figuratè totam Trinitatem repræsentatam fuisse per tres Angelos, qui Abraham apparuerunt, prout Patres docent, & Ecclesia canit: *Tres vidit, & unum adoravit.*

IV. Apparitiones sensibiles fuerunt factæ per Angelos.

Dico Secundò: *Apparitiones sensibiles in Veteri Testamento omnes factæ sunt per Angelos in corporibus ab ipsis assumptis, qui personaliter erant Angeli, sed repræsentativè & authoritativè DEUS, cujus personam sustinebant & repræsentabant.* Est communis Theologorum, & Patrum. Probatur Primò ex Scriptura, quæ plerumque, dum enarrat, DEUM apparuisse, ibidem vel alibi explicat, id contigisse per Angelos, sic Genes. 16. & 21. qui apparuit Agar, dicitur Angelus, & tamen ex adjunctis constat, fuisse apparitiones divinas, nam versu 18. subjungitur: *Surge, tolle puerum, & tene manum illius: quia in gentem magnam faciam eum.* Gen. 18. Viri, qui apparuerunt Abrahæ, vocantur Dominus, & tamen cap. sequenti appellantur tàm Dominus quàm Angeli. Undè Apostolus ad Hebræ. cap. 13. indicat Angelos ab Abraham fuisse hospitio susceptos: *Et hospitalitatem nolite oblivisci, per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hospitio receptis.* Tertiò, Genesis 28. & 31. Vir ille, qui luctabatur cum Jacob, attamen solum fuit Angelus, ut patet ex illo Oseæ 12. *In utero supplantavit fratrem suum: & in fortitudine sua directus est cum Angelo. Et invaluit ad Angelum & confortatus est.* Et alibi sæpè, ut pro tertia probatione adferam.

Dices: Nabuchodonosor Daniel. 3. *respondit & ait: Ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similis Filio DEI*, utique in corpore assumpto, ergò. Respond. neg: consequ: Quia revera fuit Angelus iste quartus, nam antecedenter præmisit Scriptura dicens: *Angelus autem Domini descendit cum Azaria, & sociis ejus in fornacem: & excussit flammam ignis de fornace.* Porrò esse similem Filio DEI idem est ac esse similem Angelo, ut explicant Septuaginta. Vel ut alii viri illustri, & præ aliis specioso, sicuti Gen. 6. Viri præclari dicuntur filii DEI, & montes alti montes DEI. Potuit tamen illi Angelus præfiguràsse Christum & figuratè repræsentàsse; quod Ecclesia sentit cum Christo specialiter attribuit liberationem trium puerorum, dum canit: *Surrexit Christus, qui liberavit tres pueros de camino ignis ardentis.*

Probatur Secundò ex Patribus: D. Augustino 3. de Trinit. 11. ubi docet, DEUM semper apparuisse ministerio Angelorum, neque ipsum in persona, dicens: *Quapropter substantia, vel si melius dicitur essentia DEI, ubi pro modulo nostro ex quantulacunque particula intelligimus Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, quandoquidem nullo modo mutabilis est, nullo modo potest ipsa per semetipsam esse visibilis. Proindè illa omnia, quæ Patribus visa sunt, cùm DEUS illis secundùm suam dispensationem temporibus congruam præsentaretur, per creaturam facta esse manifestum est. Et si nos latet, quomodò ea ministris Angelis fecerit, per Angelos tamen esse facta, non ex nostro sensu dicimus, nè cuiquam videamus plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapiamus ad temperantiam, sicut DEUS nobis partitus est mensuram fidei, sed credimus, propter quod & loquimur. Extat enim authoritas divinarum Scripturarum, undè mens nostra deviare non debet, nec relicto solidamento divini eloquii, per suspicionum suarum abrupta præcipitari, ubi nec sensus corporis regit, nec perspicua ratio veritatis elucet.* Et hoc ex Scripturis jam supra allatis eleganter deducit. Idem docet Hieronymus, Gregorius & alii Patres. Similiter Div: Bernar-

dus idem clarè adstruit serm. 54. in Cant. his verbis : *Adde quòd aliqui eorum* (Angelorum) *personam ejus gerebant, ita ut loqueretur quisque eorum, non tanquam Angelus, sed tanquam Dominus. v. g. Ille Angelus, qui cum Moyse loquebatur, dicebat non ego Domini, sed ego Dominus, atque id frequentius iterabat. Saliebat ergò in montibus, id est, in Angelis loquebatur, & suam hominibus exhibebat præsentiam.*

Et potest probari Tertiò Ratione hac : Si DEUS aliquando apparuisset hominibus in propria persona, & non in Angelis, maximè Exodi 3. & 19. in Monte Sinai, sed in his locis non apparuerit in propria persona, ergò major patet. Probatur min: ex illo Actor. 7. ubi Stephanus referens historiam illam ait : *Expletis annis quadraginta apparuit in deserto in monte Sinai Angelus, in igne flammæ rubi, & facta est ad eum vox Domini : Ego sum D E U S Patrum tuorum.* ubi Stephanus clarè docet, illum, qui in Sina apparuit, fuisse Angelum, ergò. Fundamentalissima autem ratio est, quia hoc modo servatur optimè ordo à DEO constitutus juxta Dionysium & Augustinum, ut DEUS res medias administret per suprema, & infimas per medias.

V. Apparitiones complures novi Testamenti etiam per Angelos factæ sunt.

Dico Tertiò : *Apparitiones divinæ in novo Testamento, exceptis aliquibus, sed etiam ordinariè factæ per Angelos in persona D E I.* Probatur: Quia non est fundamentum dicendi illas potius esse factas immediatè per DEUM, quàm apparitiones veteris Testamenti : Et ratio pro illis allegata etiam hîc militat, scilicet ut DEUS faciat per causas secundas, quod congruè per eas fieri potest.

Dixi autem in Conclusione, *exceptis aliquibus*, Primò per Incarnationem Verbi divini, per quam immediatè secunda persona, seu Filius DEI in terras missus est, & nobiscum conversatus, de quo ait S. Bernardus suprà citatus : *Per se descendit ad terras, qui alios delegare solebat.* Secundò post resurrectionem in forma hortulani & peregrini, & sæpius aliàs. Tertiò post ascensionem credibile est, illum apparuisse aliquoties Beatissimæ Virgini M A R I Æ. Quartò S. Paulo, nam ille met 1. Corinth. 15. testatur, sic apparuisse sibi, sicut aliis Apostolis dicens : *Deindè visus est Jacobo, deindè Apostolis omnibus. Novissimè autem omnium tanquam abortivo, visus est & mihi.* Atqui aliis Apostolis verè & corporaliter Christus apparuit, ergò & D. Paulo, aliàs non posset se, prout facit, allegare pro oculato teste. Quartò tenent complures Recentiores Christum sæpè personaliter in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento apparuisse. Quintò censeo quoq; piè tenendum, Christum quoque in figura Seraphini personaliter apparuisse S. Patri nostro Francisco, quando illi sacra Stigmata impressit, undè canit Ecclesia in Officio divino : *Signasti Domine servum tuum Franciscum signis Redemptionis nostræ.* Et ipse Seraphicus Vir post obitum suum cuidam Fratri revelavit his verbis : *Christus sicut sua vulnera in carne suscepit, ita manibus suis benedictis in corpore meo impressit.*

Pro Coronide notandum : Apparitiones novi Testamenti, vel esse proprias certæ personæ, vel omnium personarum quatenus inter se distinctarum, ut videlicet in novo Testamento distinctior ingereretur notitia SSS. Trinitatis, sic in humanitate propriè apparuit secunda persona : In Baptismo Christi apparuit Pater in voce, Filius in humanitate, Spiritus Sanctus in specie columbæ. In transfiguratione apparuit Pater & Filius, Spiritus Sanctus autem in nube. Spiritus Sanctus propriè apparuit in flatu, quando Christus Joann. 20. insufflavit in Discipulos dicens : *Accipite Spiritum Sanctum.* Idem apparuit in Pentecoste in linguis igneis, in sono seu Spiritu vehementi, quæ omnia apparitionis signa licèt mediante ministerio Angelorum fierent à tribus personis, utpotè, quæ sunt operationes ad extra, poterant tamen

pro-

Digitized by Google

propriè repræsentare aliquam personam distinctam ex institutione divina, qua ad talem vel aliam personam repræsentandam exhibebantur.

QUÆSTIO TERTIA.

An Angeli apparentes verè assumant corpora, & quomodo?

I. QUia Angelorum ministeria, ad quæ mittuntur, mundum hunc, & homines in terra degentes, respiciunt, quorum operationes à phantasmatibus dependent, ut per se directè spiritus nullatenus percipere possint, ideò frequenter debent corpora assumere, & in illis apparere, nam, ut ait Div. Bernardus serm. 5. in Cant. *Quoniam ergò modo implent ministerium suum absque corpore, præsertim apud viventes in corpore?* Veruntamen nonnulli olim dixerunt, reverà Angelos in corporibus assumptis non apparere, sed in sola nostra imaginatione, sicut de Lamiis Concilium Ancyranum in Decreto Generali factum dicit, & præcipit prædicare Sacerdotes his verbis ex Miranda:

II. Lamiarum illusio.

Quòd sceleratæ quædam mulieres dæmonum illusione seductæ, nocturnis horis cum Diana Paganorum Dea, & innumera multitudine mulierum, credunt se equitare super quasdam bestias, & multa terrarum spatia pertransire, quæ falsâ opinione deceptæ, hæc vera esse credunt, & credendo à rectâ via deviant. Ideò Sacerdotes per Ecclesias sibi commissas populo prædicare debent, hæc omnia esse falsa & à maligno spiritu mentibus fidelium irrogari. Et cum solus Spiritus hoc patitur, infidelis mens hæc non in animo, sed in corpore opinatur evenire. Quod licèt verum sit quandoq; malignum spiritum lamias & sagas sic deludere, nihilominus historica veritas, & processus forenses probant, reverà etiam corporaliter sagas transferri, & dæmones in veris corporibus apparere. Undè

Tò verè quomodò accipiatur.

Notandum, *Tò verè* in titulo quæstionis excludere tantùm apparentiam phantasticam, significatque tàm veritatem assumptionis, quàm realitatem corporis assumpti, citra informationem & unionem hypostaticam, ut mox dicam, ut sit in se realis physicus effectus potentiæ motricis Angelorum, tàm formaliter quoad suam relativam essentiam, quàm terminativè respectu corporis in se visibilis, tangibilis. Hinc

III. Angeli verè & realiter corpora assumunt, & verè in eis non imaginariè apparent.

Dico Primò: *Angeli verè & realiter corpora physica assumunt, in eisq; verè & non imaginariè apparent.* Ita communis consensus Catholicorum & Patrum, Bonavent. 2. d. 8. p. 1. a. 2. q. 1. Scotus q. 1. Durandus, Richardus, &c. Probatur Primò ex Scriptura, Gen. 18. ubi tres Angeli apparuisse Abrahæ, eorum pedes lavisse, comedisse, referuntur, & cap. 19. in Sodomam veluti peregrini ivisse; & in libro Tobiæ per totum legitur Raphaël per multos dies, & per varia itinera cum juniore peregrinatus, eum deducendo & reducendo.

Dices: Hæc omnia contigisse Patribus in visione phantastica & imaginaria, non verò reali corporum assumptione. Verùm contrà Primò, Genesis 32. Iter facienti, obviam facti sunt Angeli, quos cùm vidit, ait: *Castra DEI sunt hæc*, exindè unus illorum in forma viri *luctatus est cum eo usque manè, vidensque illum superare non posse, percussit nervum femoris ejus*, sed quomodo potuisset luctari, illumque percutere, si verum corpus, densum, durum, & sensibile non habuit? Contra Secundò: In statu innocentiæ non poterat homo per illusionem decipi, sive per apparentem visionem, sive per solam internam imaginationem, & tamen in illo statu in forma sensibili serpentis apparuit Evæ & Adæ, Gen. 3. quod à fortiori urget de Christo Domino, ad quem dæmon visibiliter accessit, Matth. 4. cujus tamen sensus sic illudere non potuit, ergò dicendum, quòd in similibus apparitionibus

Digitized by Google

vera corpora assumpserint, maximè cùm modus loquendi Scripturæ clarè insinuet. Contra Tertiò: Quòd imaginaria visione, ut benè notavit D. Thomas, videtur, est in sola imaginatione videntis, nec videtur indifferenter ab omnibus, sed S. Scriptura sic introducit Angelos apparentes, ut communiter ab omnibus viderentur, sicut Angeli apparentes Abrahæ visi sunt à tota familia, & à civitatibus Sodomorum. Item qui apparuit Tobiæ à Gabelo, Sara, &c. sine ulla perturbatione sensûs conspectus fuit cum eis conversens, ergò signum est, quod verè & realiter in corporibus verè assumptis apparuerint.

Probatur Secundò ex Patribus nostris, Augustino serm. 16. Divers. cap. 9. dicente: *Quosdam Angelos humanis oculis apparuisse, Scriptura commemorat, sed ubique potestati eorum corpoream creaturam ita Dominus illis subdidit, ut illis eam pro voluntate coaptaret. Undè & illi quamvis non nati ex fœmina, verum tamen corpus* (assumptum) *habuerunt, quod ex qualibet specie in quamlibet speciem, pro sui ministerii atque officii ratione convertêre, ex vera tamen in veram.* Et lib. 15. Civit. cap. 23. ait: *Apparuisse hominibus Angelos in talibus corporibus, ut non solùm videri, sed etiam tangi possent, eadem verissima Scriptura testatur.* D. Bernardo serm. 5. in Cant. dicente: *Quod frequenter Angelos facere* (assumere corpora & se in eis movere) *tàm indubitata, quàm nota probat authoritas; Hinc est, quod & visi sunt Patribus, & ad eos intraverunt, & manducaverunt, & pedes laverunt.*

Probatur Tertiò Ratione: Quia non implicat, nec repugnat, ergò; probatur antec: nam ex parte Angeli est vera virtus motiva, ut assumat corpus, illud moveat; & ex parte corporis est vera subjectio ad voluntatem angelicam ex D. Augustino supra, & ex eo, quia est ordinis inferioris, ut proindè ad nutum Angeli obediat, undè etiam velocissimè in fine mundi omnia corpora congregabunt, & comportabunt pulveres & materiam primam.

IV. Non informant physicè, nec hypostaticè uniunt.

Dico Secundò: *Angeli non assumunt corpus illud informando physicè, vel hypostaticè uniendo.* Hæc est etiam communis. Probatur prima pars: Quia Angelus est substantia completa; ergò non potest informare subjectum, id enim est contra naturam substantiæ completæ. Probatur secunda pas: Quia ex suprà dictis subsistentia creata consistit in duplici negatione, & consequenter non potest terminare dependentiam alterius naturæ creatæ, quia non potest tollere subsistentiam alterius, cùm per negationem nunquam tollatur negatio. Et dato, quòd etiam subsistentia esset quid positivum, attamen hypostaticè uniri alteri opus solus DEI est, ad quod gratis recurritur, cùm possimus modum connaturalem intra sphæram virtutis angelicæ habere, ergò.

Dices contra primam partem: Non est contra naturam substantiæ completæ informare subjectum, cum quo non faceret unum per se, albedo enim est ens completum, & tamen informat subjectum, cum quo non facit unum per se, sed per accidens, ergo idem dici poterit de Angelo. Respond. neg: antec: cum consequ: prob: Quia licèt non sit contra naturam entis completi accidentalis, est tamen contra naturam entis completi substantialis; per quod patet disparitas magna.

V. Per hoc assumit, quòd internè assistat.

Dico Tertiò: *Angelus assumit corpus per hoc, quod in illo internè existat præsens, sicut motor ad mobile totus in toto corpore assumpto, & totus in qualibet parte.* Probatur Primò: Quia assumptio corporum ab Angelis non potest melius explicari, ergò. Probatur Secundò: Quia per hoc distinguitur sufficienter assumptio corporum, tàm à præsentia locali simplici, quàm ab informatione & unione hypostatica, ergò: probatur ant: Quia per præsentiam localem Angelus est tantùm præsens ultimæ superficiei, rationem loci positivi

ſtivi naturaliter, ex Ariſtotele, conſtituentis, per aſſumptionem verò Angelus eſt ſecundùm ſubſtantiam ſuam realiter intrinſecè præſens omnibus partibus corporis aſſumpti, penes quandam metaphyſicâ penetrationem totius in toto ac in qualibet parte, ad cauſandum quemlibet particularem motum in ſingulis partibus corporis aſſumpti. Diſtinguitur etiam à motore externo, ſicut nauta movet navim, & Angelus orbem, quia in tali motu extrinſecè tantùm adeſt, per aſſumptionem verò intrinſecè. Differt autem ab informatione, quia non eſt inter ea, quæ ſe habent per modum per ſe potentiæ, & per ſe actûs. Tandem differt ab unione hypoſtatica, quia hic non terminat aliquam naturam ſupplendo ejus hypoſtaſim, quod dixi tantummodò per DEI potentiam fieri poſſe, ridiculum autem eſt, recurrere in aſſumptione corporum ad miracula Omnipotentiæ divinæ. Sed in contrarium

Opponitur authoritas Tertulliani lib. de carne Chriſti opinantis Angelos Abrahæ & Loth apparentes, & cum Jacob luctantem corpora aſſumpſiſſe humana per hypoſtaticam unionem, quod etiam alii dixerunt de Joanne Baptiſta, Malachia, Aggæo, Prophetis, Angelos fuiſſe in carne aſſumpta, cùm id non repugnet ex parte Angeli. Reſpond. Fabuloſa hæc eſſe, contra mentem Patrum omnium, & ipſius Sacræ Scripturæ, quæ clarè aſſerit & docet, eos homines fuiſſe, ut patet de Joannis Baptiſtæ conceptione, nativitate & vita; Nec fundamentum eorum de poſſibilitate aliquid probat, quia hæc poſſibilitas eſt tantùm potentia obedientialis paſſiva, reſpectu Omnipotentiæ divinæ, ad quam in aſſumptione corporum non eſt recurrendum.

Arguitur ex ratione: Verbum aſſumpſit naturam humanam, & tamen in illa definitivè non eſt, ergò etiam, quando Angelus aſſumit corpus, non debet in illo eſſe definitivè, ut ſit totus in toto, & totus in qualibet parte: probatur conſequ: Quia videtur nimis limitari natura angelica, ergò: probatur antec: videtur enim inconveniens, quòd Angelus Raphaël Tobiam comitatus, per totum illud tempus operatus non fuiſſet aliquid extra illud corpus, maximè cùm illi, qui diverterant ad Loth, in corporibus exiſtentes etiam extra fuerint, populum cœcitate percutientes. Reſpond. Primò negando conſequ: Quia Verbum Divinum, cùm ſit illimitatum, nequit intra ſpatium cujuſcunque corporis etiam maximi contineri. Reſpond. Secundò, conc: totum: Quia licet Angelus ſit in corpore aſſumpto, per hoc tamen non debet limitari ad præciſam hanc præſentiam, cùm ſit illi inadæquata, quando ergò dicitur Angelus præſens totus in toto corpore, & totus in qualibet parte, ſolùm excluditur præſentia per operationem, vel per circumſcriptionem.

Inſtatur: Si aſſumptio corporum conſiſtit in eo, quòd Angelus ſit intrinſecè præſens, ut motor mobili, ſequetur, dæmones energumenorum corpora aſſumere, quod nullus dicet, ergò: probatur ſequela, Quia ſunt intrinſecè præſentes ipſis, eoſque movent, & torquent. Reſpond. Primò, neg: ſequelam cum ſua probatione, quia aſſumptio ultra motionem corporis requirit, ut corpus ſit formatum, vel aſſumptum ab Angelo, ad repræſentandum eo modo, quo poteſt, ſimilitudinem corporis veri, ad exercendas operationes ei convenientes, tanquam ſuas & ſui corporis, quod non contingit in energumenis. Reſpond. Secundò, neg: ſequ: cujus prob. diſtinguo, ſunt præſentes toti in toto, & in qualibet parte, etiam animata, nego: in aliqua tantùm, vel in ſolis humoribus, conc: & patet, quia de una parte frequenter vagantur ad aliam.

Inſtatur: Sequeretur, cœlos ſaltem debere dici aſſumptos ab Angelis, quia iiſdem conſtanter aſſiſtunt, ut motores ad mobile, arqui hoc non

Digitized by

non potest dici, ergò. Respond. neg: sequ: Quia ut dicatur aliquid assumi ab Angelo, non sufficit quæcunque assistentia motoris ad mobile, sed debet esse tanquam motoris repræsentati per corpus mobile, in quo operatur & manifestatur ad eum ferè modum, prout exemplificat S. Bonaventura, quo homo assumit vestes.

VI. Describitur assumptio illa. Ex dictis colligo: Assumptionem esse unionem intrinsecam motoris ad mobile, unionem hanc non esse substantialem, nisi abusivè, sed accidentalem, relativam, extrinsecus advenientem, non simplicem & unicam, sed divisibilem in tot, in quot est divisibile corpus assumptum. Patet primum, quia non est informatio, nec hypostatica unio. Patet secundum, quia assumptio non est quid fictitium, sed reale, non tamen absolutum, cùm præter extrema nil absoluti ibi concipiatur, & tota assumptio consideretur per modum habitudinis unius ad aliud. Patet tertium, quia non est ex natura extremorum, sine nova actione angelicæ virtutis motivæ assumentis corpus. Patet denique quartum ex aliis unionibus, & ex divisibilitate corporis.

QUÆSTIO QUARTA.

Cujus naturæ sint corpora per Angelos assumpta?

I. Angeli quis explicet, ait S. Augustinus in Enchirid. ad Laurent. cap. 59. cum qualibus corporibus apparuerint hominibus, *ut non solùm cernerentur, verùm etiam tangerentur, & rursus non solidâ corpulentia, sed spiritali potentia quasdam visiones, non oculis corporeis, sed spiritalibus vel mentibus ingerant, vel dicant aliquid non ad aurem forinsecus, sed intus in animo hominis, etiam ibidem ipsi constituti: sicut scriptum est in Prophetarum libro, Et dixit mihi Angelus, qui loquebatur in me: non enim ait, qui loquebatur ad me, sed in me. Vel appareant & in somnis, & colloquantur more somniorum. Habemus quippè in Evangelio: Ecce Angelus Domini apparuit illi in somnis dicens. His enim modis velut indicant se Angeli contrectabilia corpora non habere. Faciuntq; difficillimam quæstionem, quomodo Patres eis pedes laverint, quomodo Jacob cum Angelo tàm solidâ contrectatione luctatus sit. Cùm ista quæruntur, & ea sicut potest, quisque conjectat, non inutiliter exercentur ingenia, si adhibeatur disceptatio moderata, & absit error opinantium se scire quod nesciunt. Quid enim opus est, ut hæc atque hujusmodi affirmentur vel negentur, vel definiantur cum discrimine, quando sine crimine nesciuntur?*

Pro Resolutione hujus quæstionis Notandum Primò: Angelum absolutè loquendo quodlibet posse assumere corpus, dummodò non improportionaliter excedat motricem ejus virtutem, sicut enim omne tale corpus ad nutum ejus obedit in ordine ad motum localem, ita etiam est illi subditum, in ordine ad assumptionem, quales solùm assumptiones tàm bonis quàm malis Angelis à DEO permittuntur, sinendo eos uti virtute naturali cum suo concursu generali, ut hominibus appareant, eos vel erudiendo in divinis mysteriis & faciunt boni; vel ad illudendum, terrendum, decipiendum, & præstant hoc mali, undè ordinariè assumunt, vel desiderant assumere talia corpora, in quibus possint humanas operationes exteriores exercere, quales sunt videre, audire, loqui, quamvis nonnunquam etiam alia assumant corpora &c. II. Absolutè loquendo quodlibet potest assumere.

Notandum Secundò: Corpora, quæ assumunt Angeli, vel esse perfecta, vel imperfecta. Perfectum tunc dicitur assumere, quando est tale, quod antecedenter jam prius fuit generatum, non ab ipso Angelo, qui generationis incapax est, ut quando assumit cadaver hominis vel equi &c. Imperfectum assumere dicitur, quando tale est, quod completa apparitione disparet, & resolvitur, ut contigit in Raphaële; Hoc cor- III. Corpora assumpta vel sunt perfecta, vel imperfecta.

Digitized by Google

corpus imperfectum ideò dicitur, quia est imperfectè mixtum, quia mixtum perfectum ex generatione naturali non posset tàm citò formari, quia non est natum naturaliter generari, nisi secundùm determinatum naturæ processum, Angelus autem non potest statim inducere formam perfectè mixti, cùm non possit elementa activa passivis, convenienter simùl uniendo, applicare, & in convenienti situ corporibus cœlestibus approximare, ut educatur talis forma particularis mixti, qualis nata est à talibus agentibus educi, undè illa corpora imperfecta mixta assimilantur impressionibus, ex eo, quòd, sicut impressione resoluta nihil ejus maneat, ita etiam nihil manet corporis assumpti, quando resolvitur, econtra quando resolvitur corpus perfectè mixtum, semper aliquid manet, quia in viventibus non fit resolutio usque ad materiam primam, in viventibus semper manet materia, eaque nunquam sine forma.

IV. Corpora imperfectè mixta sunt vera corpora.

Notandum Tertiò: Corpora imperfectè mixta, adhuc tamen vera esse corpora, habentia veram figuram & veros colores, ac alias qualitates, vera corpora consequentes, contra Vasquem asserentem, etiam in nostra sententia, id admitti debere, si enim se habent veluti impressiones, & Angeli sunt, qui in assumptis corporibus agenti resistunt, non verò aliqua durities ipsius corporis, sequitur illa corpora non habere qualitates vera corpora subsequentes. Sed gratis laborat, quia etiam grandini, fulguri, nubi veram tribuimus, in nostra sententia, duritiem, & alias qualitates secundas, quæ ex compositione vaporum & exhalationum resultant, & de se patet, sunt ergò corpora assumpta vera corpora, sed non tam perfecta, sicut ea, quæ per generationem fiunt, undè homines aliqui, qui sese in venereis cum dæmonibus commiscuerunt, fassi sunt, illos non percepisse eam delectationem, quam senserunt cum mulieribus veris accumbentes; quia talia corpora solent apparere, ut plurimùm, nimis frigida, & ad modum lanæ mollis, tactui & sensui non grata. Et Cajet. 2. 2. qu. 95. Alphonsus lib. de justa Hæret. punit. ac alii dicunt, à fide dignis percepisse, ipsum dæmonem, cùm redargutus fuisset, quòd ejus caro esset quasi glacialis, & tactui ingrata, fassum fuisse, se melius corpus facere non potuisse.

V. Quæ corpora Angeli boni non possint assumere.

Dico Primò: *Angeli boni ad se manifestandos hominibus nequeunt assumere corpora cœlestia, neque pura elementaria, neque mixta inanimata, neque sensibilia quæcunque, in quibus non possunt formare voces humanas.* Ita Doctor subtil. 2. Report. d. 8. art. 2. Probatur prima pars: Quia neq; corpus cœleste, neque purus aër, absque admixtione alterius elementi, suscipere possunt accidentia, ad assumptionem spectantia, sicut nequeunt colorari variis coloribus, albus enim color fit ex condensatione corporis perspicui, niger ex condensatione corporis opaci, hinc stellæ albæ, terra est nigra, & dum admiscetur corpus opacum perspicuo, fiunt colores medii, juxta majorem, vel minorem eorundem corporum admixtionem.

Probatur secunda pars: Quia insensibilia & etiam aliqua sensibilia sunt apta, ut possint in eis exercere operationes humanas &c. Sed

Dices: Matth. 4. & 17. legitur, Angelus assumpsisse aërem, in quo locutus fuit: *Hic est Filius meus dilectus:* Quod Scotus etiam affirmat de cadavere, ergò malè dicitur, quòd non possit assumere corpus inanimatum. Respond. Angelum quidem posse absolutè assumere quodlibet corpus sive mixtum sive simplex, sed ad manifestandum se hominibus non posse de facto assumere corpora, nisi in quibus potest exercere, quasi actiones humanas, unde, quando in aëre locutus fuit, non assumpserat eum, sed in eo sua agilitate & dexteritate formavit vocem. Quod Scotus autem dicit, posse assumere cadaver, libenter concedo, quia

quia illud est corpus alicujus animati. Hinc

VI. Etiam Angelus malus potest assumere corpus defuncti.

Dico Secundò: *Supposita providentia divina potest quilibet Angelus, etiam malus assumere verum corpus humanum alicujus mortui, à natura formatum, nondum in cadaver vel cineres versum.* Probatur ex non repugnantia, & ex suppositione permissionis divinæ: undè Scotus dicit, à dæmone fuisse assumptum aliquod corpus cujusdam Regis, quod per integrum annum portavit, & fuit semper Rex creditus. Similiter legitur de Doctore Fausto, cujus Scholaris ex occasione librorum suorum lectorum, dum nescivisset imperare dæmoni, præfocatus, ejus corpus assumi jussus est, quod notabili portavit tempore, usque dum duello ficto occisus à parentibus fuit creditus. Dixi autem in conclusione *nondum corruptum*, quia tale per virtutem angelicam restaurari non potest, neque idem numero redire, ut prius. Et si objiciatur de Samuele 1. Reg. 28. ubi virtute dæmonis rediit ad incantationem Phytonissæ; Respondeo tunc non apparuisse corpus Samuelis jam putrefactum, sed assumptum fuisse à dæmone corpus illi simile ab eodem subitò efformatum, ita expresse docet D. Augustinus lib. 2. ad Simpl. q. 3 ubi ait: *Quanquam in hoc facto potest esse alius facilior intellectus, & expeditior exitus, ut non verè spiritum Samuelis excitatum à requie sua credamus, sed aliquod phantasma in similitudine Samuelis.* Verùm

Dices: Corpus etiam non corruptum naturaliter tendit ad corruptionem, ergò nequibit Angelus illud assumendo per notabile tempus à corruptione præservare. Respond. virtute angelica quidem non posse corpus à totali corruptione præservari, sed divinâ fieri debere, attamen ad aliquod tempus omninò angelicæ virtuti non repugnat, sicut etiam ante, & aromatibus condita conservantur.

VII. Angelus potest sibi ipsi formare verum corpus.

Dico Tertiò: *Potest Angelus corpus verum, imperfectè tamen mixtum, propria virtute formare, & in illo seipsum repræsentare.* Probatur: Angelus habet perfectam scientiam rerum naturalium, ut queat pro suo libitu elementa, secundùm partem saltem, localiter movere, eaque sic unire, & applicare corporibus cœlestibus, ut formetur mixtum saltem imperfectum, ergò: Patet antec: Quia illud non excedit ejus perfectionem. Quòd autem illud sit imperfectè mixtum, indè liquet, quia tota natura creata nequit facere, ut mixtum perfectum statim & imperceptibiliter desinat esse, sicut desinit esse illud corpus, quod quandoque ab Angelo assumitur, cum necesse sit processum naturæ tàm informatione quàm resolutione servari.

Dices: Corpora assumpta ab Angelis, qui apparuerunt Abrahæ, erant prorsus similia cum iisdem accidentibus, & trina dimensione, quod expertus est ipse Abraham lavando eorum pedes, ergò non tantùm corpora imperfectè mixta possunt assumere. Respond. negando consequ: Nam illa corpora erant quidem similitudinario modo, & metaphorico talia, qualia nostra sunt, non tamen perfecta similitudine propria, quia sic tantùm apparebant, & quia apparitione peracta statim iterum in elementa fuerunt resoluta, ut nihil ipsorum manserit.

QUÆSTIO QUINTA.

An Angeli in assumptis corporibus operationes vitæ exerceant?

I. Volitiones & intellectiones veras exercent.

NOn est difficultas de operationibus potentiæ intellectivæ & volitivæ; nam sicut anima nostra illas in corpore exercere potest, ita etiam Angeli, cùm minus à corpore dependeant, quàm anima. Nec etiam est difficultas de potentia locomotiva, sed de operationibus potentiæ vegetativæ, & sensitivæ, undè Notandum, differentiam præter alias, magis communes, inter potentias vegetativam, sensitivam,

Digitized by Google

tivam, & intellectivam, ac inter locomotivam, quòd illæ sint operativæ per actus verè vitales; de genere qualitatis, motiva verò tantùm secundùm locum, & subjectivè, quatenus aliis potentiis semper conjungitur, illisque famulatur ad proprium objectum attingendum, quare etiam dicitur potentia factiva, non operativa, nata est enim causare motum localem, non tanquam formam informantem, nisi materialiter. His præmissis

II. Non exercent veram operationem sensitivam.

Dico Primò: *Angeli in assumptis corporibus nullam possunt exercere veram operationem sensitivam.* Est Scoti 2. Probatur Primò ex 2. de anima. Quia omnis talis operatio est per se primò composita ex anima & corpore, Sed &c. Ergò. Tùm ex Divo Augustino lib. 11. de Civit. cap. 22. in loco citato dicit, Angelos verè manducâsse: *Neque enim in phantasmate Angelos edisse credendum est, quando eos homines hospitio susceperunt: quamvis utrum Angeli essent, ignorantibus, consimili nobis indigentia vesci viderentur. Undè est, quod ait Angelus in libro Tobiæ: Videbatis me manducare, sed visu vestro videbatis, id est, necessitate reficiendi corporis, sicut vos facitis, ne cibum sumere putabatis. Sed si fortè de Angelis aliud credibilius disputari potest.*

Probatur Secundò: Omnes operationes sensitivæ, excepto motu locali, sunt secundùm substantiam, vitales, elicitæ à principio vitali; tanquam actiones de genere qualitatis productæ per veram actionem, undè vitaliter operari præsupponit primò principium productivum, & receptivum talis operationis, sed tale nullum principium reperitur in assumpto corpore Angeli, ergò: Probatur min: Quia Angelus secundum se non continet virtualiter potentias sentientes, nec illas exercere potest, sicut continet anima rationalis. Deindè ex parte corporis assumpti etiam non potest, quia separata anima à tali corpore non retinet debitam temperiem organorum, requisitam ad sensationem, ergò. Denique nec per solam intrinsecam assistentiam Angeli animatur, ergò. Undè si corpus illud est tantùm imperfectè mixtum, multò minùs aptum est ad sensationes producendas.

Dices: In 2. de anima, motus localis numeratur inter operationes sensitivas, sed Angelus movet se localiter, ergò. Respond. distin: min: Angelus movet se localiter, & etiam corpus vitaliter per principium intrinsecum, nego. movet se localiter, inorganicè, & corpus assumptum similitudinario modo, conc: min: & neg: consequ: & idem dicendum; quando Angeli afferuntur audire, loqui, videre, quia tantùm hoc fit similitudinario modo, juxta illud: *Videbar quidem vobiscum manducare.* Tobiæ 12. Hinc

Dico Secundò: *Angeli in assumptis corporibus nequeunt quoque ullatenus exercere operationes proprias animæ vegetativæ.* Probatur: Quia etiam istæ aptæ natæ sunt esse compositi animati vel mixti perfecti, quorum nullum est ibi, & ex Scoto suprà, hujusmodi actus videntur etiam esse vitales, secundùm substantiam; cùm habeant terminum intrinsecum formaliter animatum; ergò sunt primò per se totius animati principaliter per animam informantem. Sed

III. Nec operationes animæ vegetativæ.

Dices: Angeli possunt, applicando activa passivis, effectus naturales producere, ergò & actiones animæ vegetativæ, id est, nutritionem, augmentationem, & generationem. Respond. neg: consequ: quia etiam Angeli non possunt quoscunque effectus naturales producere, sed tantùm aliquos, & indirectè; scilicet illos, qui possunt univocè & æquivocè produci. Ulterius

IV. Benè tamen operationes similitudinarias.

Dico Tertiò: *Mediante motu locali possunt Angeli in assumptis corporibus exercere operationes similitudinarias & apparentes potentiæ vegetantis, & sensitivæ animæ.* Probatur: Angelus verè intelligit, & vult, ergò tales operationes, non secus, ac nos,

Digitized by Google

potest per actus externos manifestare, movendo localiter linguam, labia, & voces formando similitudinarias, undè sic per motum localem potest exercere actum generationis, deferendo semen ab alio viro decisum, in locum aptum generationis: Sic etiam fingit actum nutritionis, sumendo cibum, trajiciendo in ventrem, ut ibi resolvatur per exhalationem in humores & elementa, undè etiam potest apparere crassior, obesior, non per intussusceptionem, sed per juxtapositionem. Sed incontra

Arguitur Primò: Actus loquendi v. g. ultra motum localem, qualitatem absolutam involvit, item vident, audiunt, olfaciunt, &c. quæ sunt opera vitæ, alioquin non esset necesse, formare hæc organa, ergò, si Angeli loqui, videre, & audire possunt, id verè facient, & non similitudinariè. Respond. neg: antec: quia locutio est præcisè motus localis maxillarum, dentium, & labiorum, quia locutio est sonus quidam verborum, ad placitum significantium animi conceptum, ideò Angelus potest illum formare, tàm in aëre, quàm in corpore, etiam sine instrumentis aptis, ut patet de asina Balaam. Nec propter hoc frustra dicuntur ab illis formari organa, quia Angelus non assumit corpus solùm propter operandum, sed etiam ut signum conveniens ad se ostendendum, cujusmodi non est corpus carens organis & membris, undè cognitio, quam habet Angelus de particularibus factis, non fit mediantibus organis corporeis, sed immediatè per suum intellectum.

Arguitur Secundò: Angeli verè comederunt, ut patet Genes. 18. sed comestio est operatio vitalis propria & non similitudinaria, ergò. Respond. dist: major: comederunt comestione, quæ fit per masticationem cibi & trajectionem in ventrem, concedo; quæ significat sumptionem cibi in substantiam comedentis convertendi, nego. Hæc autem sola est vitalis.

Instatur: Si comestio qualitercunque facta non est vitalis, ergò non valet argumentum ad probandam Christi resurrectionem, eò, quòd comederit cum Discipulis. Respond. neg: Quia Christus resurrectionem suam non per solam comestionem manifestavit & probavit, sed simùl per alia argumenta efficaciora in Evangelio invenienda. Respond. Secundò, neg: 2. consequ: quia comestio Christi fuit facta à vero principio vitali, ordinato ex se ad nutritionem faciendam, tale autem principium vitale non habet Angelus, & sic non debet dici vitaliter comedere & bibere; hinc D. Augustinus lib. 22. Civ. cap. 19. de Christo ait: *Cibum & potum sumpsit, non alimentorum indigentiâ, sed eâ, quâ poterat, potestate.* Et universaliter de omnibus corporibus gloriosis lib. 13. Civit. cap. 22. sic loquitur: *Non potestas, sed egestas edendi talibus corporibus aufertur.* Undè Doctor subtilis non habet pro inconvenienti, quòd corpus gloriosum nutriretur, posset enim DEUS facere corpus gloriosum in minima quantitate, & illud se posset per nutritionem augere, sine aliqua nutriti, & aucti corruptione, quod de facto Christo accidisset, si ab initio suæ generationis fuisset nedum quoad animam, sed etiam quoad corpus gloriosus.

Arguitur Tertiò: Generare est operatio vitalis, sed dæmones in assumptis corporibus generant, ergò. Probatur minor: Tùm, Quia Josephus lib. de antiq. & multi alii hoc colligunt ex illo Genes. 6. *Postquam ingressi Filii DEI, &c.* Tùm, Quia de Merlino & multis aliis legitur, eos fuisse à dæmone genitos. Respond. neg: min: Nam in actu generationis duo inveniuntur: Primum est formatio & constitutio ipsius seminis per conversionem alimenti in formam seminis virtute caloris naturalis & potentiæ generativæ: Secundum est, seminis sic formati transfusio & susceptio, primum convenit soli viventi habenti potentiam vitalem

tem propagativam; secundum verò potest dæmonibus succubis & incubis competere, nam aliquando succumbunt viris in specie mulieris, & ab eis semen pollutionis suscipiunt, quod sagacitate quadam & dexteritate in suo vigore & virtute conservant, & postea, DEO permittente, fiunt incubi, & semen in vasa mulierum transfundunt, & sic sequitur generatio, & hoc modo intelligunt aliqui illud Genes. 6. quamvis verior interpretatio sit de filiis Seth ingressis ad filias descendentes de stirpe Cain. Ex quo patet, quòd illi, qui sic generantur, non filii dæmonum, sed hominum sunt dicendi, nimirum illorum, quorum semen est acceptum & decisum, undè si illud Genes. 6. intelligeretur de Angelis malis, non esset mirandum, si ex tàm fœdo & monstroso coitu monstrosæ magnitudinis procrearentur homines, DEO utique, & ipsâ naturâ abhorrentibus tàm fœdam & turpem contra naturam commixtionem. Videatur de hac re Div. Augustinus lib. 15. Civit. cap. 23. ubi de hac re loquens nihil audet definire dicens: *Quoniam creberrima fama est, multiq; se expertos, vel ab eis, qui experti essent, de quorum fide dubitandum non est, audisse confirmant, Sylvanos, Panes, & Faunos, quos vulgò incubos vocant, improbos sæpè extitisse mulieribus, & earum appetisse ac peregisse concubitum: & quosdam dæmones, quos Drusios Galli nuncupant, hanc assiduè immunditiam & tentare, & efficere plures talesq; asseverant, ut hoc negare impudentiæ videatur, non hic aliquid audeo temerè definire: utrum aliqui spiritus elemento aëreo corporati (nam hoc elementum etiam cùm agitatur flabello, sensu corporis, attuque sentitur) possunt etiam hanc pati libidinem, ut quomodo possint, sentientibus feminis misceantur? DEI tamen Angelos sanctos nullo modo illo tempore sic labi potuisse crediderim.*

QUÆSTIO SEXTA.

De Custodiâ Angelorum.

Dari Angelos Custodes, prò comperto habent DD. Augustinus, & Bernardus, ac subtilissimus Scotus, nam D. Augustinus in Gloss. super illud Matth. 18. Angeli eorum &c. ait: *Non esse contemnendos homines, ad quorum custodiam Angeli mittuntur.* Et mellifluus Doctor sæpissimè, ut mox infrà ostendam, generaliter de custodia Angelorum agit serm. 77. in Cant. & serm. 4. de dedicat. templi, ubi ait: *Benignus es Domine, nec nostrorum hac fragili protectione murorum potes esse contentus, sed ipsis hominum prælatis hominibus angelicam quoque custodiam superponis, ut muros defensent, & eos, qui murorum ambitu continentur. Ita Pater, quoniam sic placitum est ante te, sic necessarium nobis. Insufficiens enim est ministratio nostra, nisi & nobiscum, & pro nobis administratorios Spiritus in ministerium mittas, ut hæreditatem capiamus salutis. Quid enim, si non videmus obsequium, cùm experiamur auxilium? Quid si non meremur aspectum, cùm sentiamus effectum?* Undè cum Scoto & mellifluo Doctore rationem, quare nobis dentur Angeli custodes, esse dico Primò, ut hæreditatem capiamus salutis. Secundò, Divinum beneplacitum ex eo, quod omnes velit salvos fieri. Tertiò, Propter insufficientiam nostram, ut defendamur à malignis spiritibus, & ut instruamur in necessariis, & erudiamur in mysteriis fidei. Et quamvis generatim loquendo sit de fide, dari Angelos Custodes, est tamen quæstio, an singulis hominibus unus assignetur, quando incipiat & finiatur? &c. quæ brevibus expediam. Undè. I. Dantur Angeli Custodes.

Dico Primò: *Omnibus hominibus, quantumcunque sanctis, etiam B. Virgini Mariæ, non tamen ejus Filio Christo Domino, & etiam quantumcunque malis assignatus est unus Angelus in custodiam.* Hæc est communissima Catholicorum. Probatur II. Omnibus hominibus datur Angelus Custos.

Digitized by

Primò ex Scriptura, Psalm. 90. *Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Matth. 18. *Dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* Undè D. Hieronymus lib. 3. Comment. in Matth. dicit : *Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum. Undè legimus in Apocalypsi Joannis : Angelo Ephesi, & reliquarum Ecclesiarum scribe hæc. Apostolus quoque præcipit velari capita in Ecclesiis feminarum propter Angelos.* Similes textus de Angelis Custodibus habentur Gen. 14. & 48. Et Glossa super illud Isaiæ 62. *Super muros tuos Jerusalem constitui custodes*, dicit, *muri sunt Apostoli, Custodes sunt Angeli.*

Probatur Secundò ex Patribus : Augustino tùm suprà, qui in plurali loquitur : tùm lib. 83. qq. q. 79. Probat, *unamquamque rem visibilem in hoc mundo, angelicam potestatem sibi habere præpositam.* Et serm. 7. de tempore. *Putamus quàm dulce est, quando vota nostra talia qualia dixi, Angeli, qui custodes vitæ nostræ sunt, ante conspectum divinæ Majestatis obtulerint.* D. Bernardo, qui sæpissimè astruit & probat, pro singulis hominibus Angelum custodem esse deputatum, signanter tamen serm. 12. in Psalm. 90. per totum, paucula excerpo, *parum est*, ait ibidem, *enim, quòd facis Angelos tuos Spiritus, facis & Angelos parvulorum, illos utique tàm felices, & tuos ad nos, & nostros ad te Angelos facis*, ubi omnibus parvulis Angelos custodes datos esse palàm adstruit. Deindè dicit : *Super muros tuos Jerusalem constitui Custodes. Nempè etiam ipsi, qui videntur muri*, magni, *aut in muro ipso columnæ*, Sancti, *his custodibus egent & quàm maximè.* Hic pro majoribus & sanctioribus etiam Angelos esse custodes demandatos asserit. Et universaliter monet omnes : *In quovis diversorio, in quovis angulo, Angelo tuo reverentiam habe; Tu nè audeas illo præsente, quòd me vidente non auderes.* Et tandem claudit : *Habetote familiares Angelos, fratres mei, frequentate eos sedulâ cogitatione, devotâ oratione, qui semper vobis adsunt ad custodiam ad consolationem.* Et nè multis fusior sim lib. 5. Consid. 4. dicit : *Putemus Angelos dici (nisi tu convenientiùs aliquid considerâsti) qui singuli singulis hominibus dati creduntur.* Quid clariùs ?

De Beata Virgine MARIA id clarè docet tract. ad Hugonem cap. 5. ubi etiam non quemcunque Angelum simplicem eidem præpositum fuisse, sed Archangelum, ait enim : *Sed & ipsam Virginem rogo, undè probabitur ex nomine vel facie ante cognitam Angelis, quod ipsa videlicet esset, quam DEUS elegerit in matrem sibi, excepto duntaxat Archangelo, cui & servanda ab initio tradita fuisse credenda est.* Ex quo deducitur, Pontifices, Imperatores, Reges, & sumos Principes solemniores Angelos in sui custodiam deputatos habere, quod insinuat & suadet illa Majestas occulta, quâ etiam audacissimi ad conspectum eorum perterrentur, & facundissimi obmutescunt.

Probatur Conclusio Secundò ex Ratione : Tùm, Quia id exigit ordo universi, ut omne malum habeat sibi bonum oppositum, ergò sicut dantur mali spiritus, DEO permittente, insidiantes saluti nostræ, sic congruit dari bonos, salutem nostram promoventes : Tùm, Quia lex pietatis exigit, ut indigens & debilis sustentetur à potente, ergò congruit, ut homo fragilis & indigens sustentatione contra aëreas potestates confortetur, & insuper, ut in multis dubiis illustretur, in tepore & pusillanimitate excitetur, & consequenter cuilibet homini particularis Angelus custos assignari debet : Probatur consequ: Quia unus non sufficeret pro omnibus, quia Angelus ob suam limitationem ubique esse non sufficit, nec etiam potest dici, quòd pro una civitate unus sufficias, quia, si ab illa exiret per-

defer-

Digitized by Google

desertum, aut alia devia, quis eum tunc custodiret? Deindè Angelorum numerus est tantus, ut cuilibet homini unus assignari possit, ad minus, illis omnibus, qui simul vivunt: Imò Justinus Martyr lib. qq. à Christ. propositarum quæst. 3. ait: Angelum meum consummatâ custodiâ unius hominis, si moriatur, ad custodiam alterius non deputari.

III. Christus Dominus non habuit Angelum Custodem. Probatur Conclusio quoad partem de Christo Domino: Quia hic ab instanti suæ conceptionis fuit perfectè beatus, ultimo fini conjunctus, à quo nullatenus poterat dimoveri per tentationem: Nec erat in ipso necessarius ad intellectûs illuminationem, neque ob bonæ voluntatis præparationem, excitando eam ad benè operandum; neque nè incederet per *viam desertam & inaquosam*, hoc est, tentationibus plenam, quia secundùm Joannem cap. 1. *Vidimus gloriam ejus, quasi Unigeniti à Patre*, secundùm potentiam *plenam gratiæ*, secundùm voluntatem, *& veritatis*, secundùm intellectum. Sed in contrarium

Arguitur Primò: Angelus nequit hominem in suis actibus regulare & regere, ergò gratis dicitur, quòd cuilibet sit assignatus aliquis in custodiam: Probatur antec: Tùm, Quia nequit in partem rationalem hominis agere: Tùm, Quia nequit scire statum hominis, an sit odio vel amore dignus: Tùm denique, quia non novit secreta cordis humani. Respond. neg: antec: cum suis probationibus, nam imprimis potest Angelus hominem efficaciùs docere, quàm alius homo per signa sensibilia, immutando directè ejus phantasiam, vel coagendo cum intellectu agente ipsius hominis, ut causa partialis, ad imprimendam speciem in intellectum possibilem: Ad secundam dico, quòd parum referat, satis enim est, scire quemlibet hominem esse creatum & ordinatum ad vitam æternam, satis etiam est, scire sic divinam providentiam disposuisse, & sibi demandatum, ut custodiat hominem in omnibus viis suis.

Instatur: DEUS solus sufficit ad custodiendos homines, ut patet ex illo Psalm. 120. *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israël. Dominus custodit te, Dominus protectio tua, super manum dexteram tuam*; ergò frustrà ponuntur Angeli custodes. Respond. dist: antec: Si immediatè agere vellet, conc: si vellet, ut de facto vult administrare per superiora inferiores creaturas, neg: antec: & consequ: DEUS itaque de facto custodit omnia mediantibus Angelis. Respond. Secundò, Triplicem esse custodem hominum, universalem DEUM ipsum, juxta illud Jobi 6. *Quid tibi faciam ô custos hominum.* Provincialem, & hic est Michaël Arch-Angelus pro Ecclesia tota, & alii pro quolibet regno & Provincia; suntque ex Div. Bernardo in Consid. suprà de ordine Principatuum. Et hoc colligitur quoque ex illo Danielis 10. *Princeps regni Persarum restitit mihi viginti & uno diebus*, id est, Angelus Princeps custodiens regnum Persarum, *& ecce Michaël*, Protector Judæorum & Synagogæ, *venit in adjutorium mihi.* Tertius est Angelus Custos particularis ex ultimo ordine, *qui singuli singulis hominibus dati creduntur*, ut ait D. Bernardus 5. Consider. 4.

Urgetur: Isti non sunt necessarii, sufficiunt enim Provinciales, ergò: Probatur antec: Unus homo potest esse custos multorum; ergò etiam unus Angelus ex Principatibus: Respond. Primò, neg: antec: quoad utramque partem, licèt enim unus Angelus Princeps sufficiat pro uno regno, non sufficit tamen pro omnibus hominibus, quia ille tantummodò exercet suam functionem in ordine, ut debito modo regatur, disponatur, conservetur, transferatur &c. undè ad hoc sufficit, non tamen ut quemlibet hominem inspirationibus adjuvet, à tentationibus dæmonum hominem liberet, & hoc propter regni magnitudinem, & suam limitationem, atque ob homi-

Digitized by Google

num multitudinem. Respond. Secundò, negando consequ: nam ex triplici capite possunt, & sunt nobis assignati custodes, Primò, ad majorem DEI providentiam; Secundò, ob necessitatem, & ad ordinis universi dignitatem majorem: Tertiò, ad majus solatium Angelorum, lætantur enim, quòd DEO cooperari possint ad nostram salutem. Audi D. Bernardum serm. 1. de festiv. S. Michaëlis, ubi aliam similem, & quasi eandem triplicem rationem sic allegat: *Hic est, dilectissimi, funiculus triplex, quo de excelso cœlorum habitaculo ad consolandos, ad visitandos, ad adjuvandos nos attrahitur supereminens charitas Angelorum, propter DEUM, propter nos, propter semetipsos. Propter DEUM utique, cujus tanta erga nos misericordiæ viscera, ipsi quoque (ut dignum est) imitamur: Propter nos, in quibus nimirum propriam similitudinem* (genericam) *miserantur. Propter seipsos, quorum ordines instaurandos ex nobis toto desiderio præstolantur.*

Dices: Videmus quotidiè tot perire, & damnari, ubi ergò manet Angelorum custodia, quæ utique superfluit, maximè in iis, quos certò vident, damnandos. Respond. non obstante, quòd multi pereant, adhuc custodia Angelorum non superfluit, primò enim non est certum, an sciant finaliter eos perituros, & posito, quòd ex circumstantiis, & cognitione secretorum cordis id scirent, adhuc non superfluit, quia DEUS scit perfectissimè, quid de Petro sit futurum, hoc non obstante, ei non denegat auxilia sufficientia. Deindè, quòd multi quotidiè pereant, non provenit ex defectu custodiæ Angelorum, sed quia ipsi ex propria malitia sanctis eorum inspirationibus obedire noluerint, juxta illud: *Curavimus Babylonem, & non est sanata.* Undè infideles, quia videntur extra statum salutis, & revera pro præsenti injustitia, quæ inest, sunt, adhuc tamen excitantur ab Angelis Custodibus, nec tamen per hoc tristantur ipsi Angeli, quia se perfectè confirmant divinæ voluntati. Sed pro CHRISTO DOMINO

Opponitur authoritas Scripturæ, Primò: Psalm. 90. *Angelis suis DEUS mandavit de te*, quod Glossa interpretatur de Christo Domino. Secundò, Lucæ 22. *Ecce apparuit autem Angelus de cœlo confortans eum.* Matth. 4. *Et ecce accesserunt Angeli, & ministrârunt ei.* Sed confortare & ministrare est actus custodiæ angelicæ, ergò. Respond. Hæc Scripturæ testimonia exponi de Christo ratione membrorum, quæ sumus nos. Deindè ministrare significat potius eorum obligationem, & non Christi necessitatem, undè dicuntur ministrâsse, non ex exigentiâ, sed reverentiâ.

Dico Secundò: *Custodia Angelorum incipit ab instanti animationis hominis.* Ita Doctor subtilis in Reportatis. Deduco ipsam imprimis ex D. Bernardo serm. 1. de Annunt. B. V. ubi ait: *Videri mihi videor, dilectissimi, quatuor virtutibus his* (Misericordiâ, Veritate, Justitiâ, Pace) *amictum primum hominem ab ipso suæ creationis instanti. Acceperat ergo homo misericordiam, Custodem scilicet, atque pedissequam, ut ipse perveniret, & ipsa sequeretur eum, ipsaque protegeret, & conservaret ubique*, sed de facto DEUS custodit per Angelos, & etiam tunc, ergò. Undè ipse Mellifluus Doctor serm. 12. in Psalm. 90. ait: *Confiteantur Domino misericordiæ ejus. Mira dignatio, & verè magna dilectio charitatis. Quis enim, quibus, de quo quid mandavit? &c. Nempè Angelis suis &c.* IV. Custodia incipit ab instanti animationis.

Probatur Secundò ex Ratione Scoti: Quia dæmon ab instanti animationis insidiatur homini, ut eum necet, nè ad baptismum perveniat, ergò etiam debet habere aliquem Angelum Custodem ab initio, quia alioquin vita parvuli esset minus tuta, maximè cùm sit suppositaliter distinctus infans à matre, ita ut non tàm benè custodiretur per matris custodem. Div. Hieronymus, qui contrarium videtur sentire, ait enim, quòd

quòd incipiat à Nativitate, seu ab utero matris, benè explicatur ab & in utero matris. Eodem modo, licèt D. Paulus dicat, eos verùm missos in ministerium, propter eos, qui capiunt hæreditatem salutis, ex quo alii deduxerunt, Angelorum custodiam incipere post baptismum, quia tunc primò incipimus capere salutem, cùm baptismus sit janua ad salutem, sed nec hæc obstat, quia statim ab initio conceptionis potentialiter acquirimus hæreditatem salutis, quatenus sumus creaturæ rationales, propter finem supernaturalem à DEO creatæ, in baptismo verò magis proxima & formaliter in jure, & quasi in actu secundo.

V. Custodia Angelorū durat toto vitæ tempore. Dico Tertiò: *Custodia Angelorum durat toto tempore vitæ, nec deserit hominem, quantumcunque malum, quamvis multum de sua protectione remittat apud obstinatos.* Probatur prima pars, Exodi 23. *Observa eum, & audi vocem ejus, nec contemnendum putes: quia non dimittet, cùm peccaveris, & est nomen meum in illo.* Et ratio est, quia toto vitæ tempore durant causæ talis custodiæ, ergò.

Probatur secunda pars ex illo Jeremiæ 51. *Curavimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus eam, & eamus unusquisque in terram suam: quoniam pervenit usque ad cœlos judicium ejus.* Ubi Glossa dicit: *Medici sunt Angeli, quos à nobis repellimus, dum eorum consilio non acquiescimus.* Probatur Secundò eadem pars ex Patribus, Basilio hom. in Psalm. 33. ad illa verba, *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium*, ait: *Omni in Christum credenti Angelus assistit, nisi illum à nobis per improbas actiones profligaverimus, veluti enim fumus apes fugat, & fœdus odor columbas expellit, sic Angelum vitæ nostræ custodem abigit, multâ lacrymarum aspersione dignum, & grave olens peccatum.* Et D. Damascenus dicit, Antichristum cariturum omni præsidio angelico, eò, quòd illum non conservabit in bono, nec ad illud singulariter & efficaciter excitabit, sic pariter proportione servatâ est discurrendùm de obstinatione & gravibus peccatoribus. Verùm, quia de nemine desperandum est, quamdiu est in via, nec DEUS ullum peccatorem ex toto deserit, quin eum non solùm in vita conservet, sed etiam quoad animam conetur eum retrahere nunc terroribus, nunc pœnis, nunc exhortationibus, variisque aliis modis, ita credi potest, Angelum custodem nullum clientem quantùmvis obstinatum ex toto deserere, non solùm quoad corpus, non permittendo eum à dæmone opprimi, vel occidi, nisi quando aliter exigit divina justitia, sed etiam quoad animam retrahendo, nè labatur in pejus, & ab adversario eum defendendo. Et ratio est evidens, quia paratior est bonus Angelus ad conservandum in bono, quàm malus præcipitando in malum, sed malus nunquam desistit, quantum in se est, à præcipitando in malum, dum in una via sumus, nam ut habet Glossa in illud Tobiæ 6. *Apprehende branchiam ejus, diabolus*, inquit, *usquè ad crucem secutus est Christum*, ergò multò minùs desistet bonus ad retrahendum à malo & conservandum in bono.

Dico Quartò: *Custodiæ angelicæ duodecim sunt effectus.* Ita D. Bonaventura 2. dist. 11. a. 2. q. 1. ubi dicit, credendum est, quòd multis modis Angeli nos custodiant, & studeant promovere ad bonum, & retrahere à malo, quamvis hoc non præcipiat hebetudo spiritûs nostri, propter quod multi superbiunt, multi ingrati, & frequenter sibi attribuunt, quod est ex beneficio angelico, & ex hoc efficiuntur minus digni, ut ab Angelis adjuventur; Et propter hoc perutile est, effectus angelicæ custodiæ nosse, qui 12. assignantur: Primus est, propter delicta increpare, ita Judicum 2. legitur: *Ascenditque Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium, & ait: Eduxi vos de Ægypto, & introduxi in terram, pro qua juravi patribus vestris: - - - - ita duntaxat, ut non feriretis fœdus cum habi-* VI. Custodiæ angelicæ duodecim effectus.

habitatoribus Terræ hujus, sed aras eorum subverteretis: & noluistis audire vocem meam: cur hoc fecistis? Secundus est, à vinculis peccatorum absolvere, Actor. 12. *Angelus astitit*, &c. *& ceciderunt catenæ de manibus ejus.* Tertius, impedientia à bono auferre, Exodi 12. ubi Angelus percussit primogenita Ægypti. Quartus est, dæmones arcere, Tobiæ ultimo, ubi Angelus dæmonium ab uxore Tobiæ fugavit. Quintus est, docere, Daniel. 9. *Nunc egressus sum, ut docerem te.* Sextus est, secreta revelare, Gen. 19. Mysterium Trinitatis expresserunt, & ibidem dicitur: *Num celare potero Abraham.* Septimus est, consolari, Tobiæ 6. *Forti animo esto, in proximo est, ut juveris à Domino.* Octavus est, confortare in via Domini, 4. Regum 13. *Surge & comede, grandis tibi restat via.* Nonus est, in via ducere & deducere, Tobiæ 5. *Ego ducam & reducam eum.* Decimus est, hostes dejicere, Isaiæ 37. *Egressus Angelus Domini, percussit de castris Assyriorum.* Undecimus est, tentationes mitigare, Genes. 33. ubi Jacob luctatus est cum Angelo, & benedictione acceptâ confortatus est post luctum. Duodecimus est, orare, & orationes deferre, Tobiæ ultimo: *Quando orabas cum lacrymis, ego obtuli. &c.* Hæc S. Bonaventura.

VII. De Custodia bona gaudentes Angeli.

Dico Quintò: *Custodes Angeli gaudent accidentali gaudio ex felici custodiæ successu custoditorum, non tamen tristantur ex infelici successu, si clientes illorum salutem perdant æternam.* Probatur prima pars ex Lucæ 15. *Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis DEI super uno peccatore pœnitentiam agente*, atqui certum est, quòd illud gaudium non sequetur prœmium essentiale beatitudinis angelicæ, in quo sunt perfectissimè beati, ergò saltem quantum ad accidentale gaudium, nam Angeli administrando aliis bona opera faciunt, in quibus accidentale prœmium merentur, & concives suos ad beatitudinem perducunt, de quibus valdè gaudent, quia in hoc impletur eorum desiderium, cùm ex hoc magna DEI gloria resultet. Probatur hoc ipsum ex S. Bernardo, qui serm. 30. in Cant. de lacrym. pœniten. ait: *Hoc certè vinum lætificat cor hominis, hoc constat & Angelos bibere cum lætitia. Denique gaudent in conversione, & pœnitentiâ peccatorum, salutem hominum sitientes. Lacrymæ pœnitentium vinum eorum, quod in illis vitæ odor, sapor gratiæ sit, indulgentiæ gustus, reconciliationis jucunditas, sanitas redeuntis innocentiæ, serenatæ suavitas conscientiæ.*

Probatur secunda pars: Tùm, Quia sunt in statu beatitudinis, à quo longè est fletus & gemitus: Tum etiam, Quia illi fidelissimè ministerium suum impleverunt, quantum est ex se, & exequuntur, etiamsi homo propriâ suâ culpâ in præcipitium ruat, ac proindè nec de prœmio accidentali mercedem suam perdent, & licèt propter conformitatem ad divinam voluntatem super statum damnatorum nec particulariter turbabuntur, nec consolabuntur, consolabuntur tamen de bonis operibus, & obsequiis illis præstitis, & etiam quod, quando unus cadit, alter prœmium recipiat.

Dices: Isaiæ 33. dicitur: *Angeli pacis amarè flebunt*, ergò habebunt tristitiam. Respond. negand: consequ: Quia textus allegatus ad litteram intelligendus est de nunciis Ezechiæ, quasi diceret, insignes legati mittentur ad Senacherib seu Assyrios, sed redibunt tristes, dientes, non esse ullam spem pacis aut salutis, ut patet ex cap. 36. ita noster Sasbuoth. Deindè patet ille textus allegoricè intelligi de Apostolis & Prædicatoribus, qui *euntes ibant & flebant mittentes semina sua.* Psalm. 125. Denique etiam si intelligeretur de Angelis beatis, id esset anagogicè eodem modo, sicut Genes. 6. dicitur *DEUS tactus dolore cordis intrinsecus*, quia scilicet Angeli ita cordi habent custodiam nostri, ut si fieri posset, dolerent de nostro malo, quia non repugnant illis affectus miseri-

misericordiæ condolentis sine propria miseria.

VIII. Discordia sine vitio est aliquando inter Angelos.

Dico Sextò: *Inter diversos Angelos hominum, & regnorum custodes frequenter intercedit discordia & pugna.* Probatur ex Danielis cap. 10. sæpius recensito & explicato. Sed

Dices: Job 25. dicitur de DEO: *Qui facit concordiam in sublimioribus spiritibus*, ergò. Respond. Job intelligi debere de concordia in iis, quæ honorem & gloriam DEI tanquam ultimi finis concernunt, non verò de mediis, in his frequenter discordant, non verò in fine, quia frequenter judicant diversimodè de mediis, quando eis per divinam revelationem non innotescunt. Sic etiam non discordant in præcedentiis & dignitatibus suis ob maximam charitatem ad divinam voluntatem.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De oppugnatione & infestatione malorum Angelorum.

I. Sicut bonorum officium Angelorum est custodire, & bona in nobis operari; ita malorum est nos impugnare, & infestare, nam Joann. 8. dicitur, quòd *homicida fit ab initio*, quia videlicet seducendo spiritualiter occidit Evam, & per eam Adamum cum posteritate, Joann. 8. dicitur diabolus misisse in cor, ut traderet eum Judas, & Div. Petrus epist. 1. cap. 5. admonet fideles: *Sobrii estote, & vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret*, hinc etiam Christus permisit se tentari ab illo, Matth. 5. *Justum quippe erat*, ait S. Gregorius hom. 16. in Evang. *ut sic tentationes nostras suis tentationibus vinceret: sicut mortem nostram venerat suâ morte superare.* Viso priori in antecedenti quæstione, nunc alterum quoque est examinandum. Itaque

II. Tentatio duplex.

Notandum Primò ex D. Augustin: lib. 2. de Consen. Evangelist. cap. 30. & q. 58. in Exod. & epist. 146. Duplicem in Scriptura referri tentationem, unam bonam, alteram malam, dicens: *Vocabulum tentationis diversas intelligentias habet, eò quòd alia sit tentatio deceptionis, alia tentatio probationis: secundùm illam non intelligitur qui tentat, nisi diabolus, secundùm hanc verò tentat DEUS.* Prima est, quâ quis probat quid boni vel mali, quid scientiæ vel ignorantiæ, quid vitii vel virtutis lateat in homine, & hoc modo DEUS tentavit Abraham, non quòd ille ignoraret, quid lateret in homine, sed ut Abraham monstraret etiam aliis suam obedientiam. Altera tentatio est seductionis ad decipiendum vel subvertendum hominem ad malum, & hoc modo est proprium tentare dæmonum, & ex ejus incitatione hominum perditorum; nec obstat, quòd Jacobus cap. 1. dicat: *Unusquisque tentatur à concupiscentia sua*; quia concupiscentia tantùm materialiter, non formaliter inducit ad peccatum.

III. Tentatio mala tum à dæmone, à DEO tantùm permittitur.

Notandum Secundò: Tentationem seductionis fieri à dæmone ut authore, à DEO autem ut permissore, ritè ordinante, qui novit etiam malis optimè uti, ex quo oritur discrimen inter ministerium Angelorum bonorum, & malorum; Bonis enim positivè commisit DEUS, ut custodiant te in omnibus, quæ custodia sicut in se est bona, ita etiam dirigitur ad bonum finem, nempè ad gloriam DEI, & ad salutem clientum, ministerium autem malorum directè intendit malum, quod DEUS tantùm permittit, non verò jubet, aut mandat, quare si quandoque invenirentur Sancti Patres, qui dicerent, dæmones accipere potestatem tentandi hominem, non sunt intelligendi de positiva licentia, consilio, vel mandato illis dato, sed partim, quòd DEUS dederit illis physicam potestatem, quæ per peccatum non est destructa, quâ perversè abutuntur; partim, quia DEUS perversum illum usum non impedit justis de causis, quas bonas & optimas esse ex summa ejus bonitate & sapientia comprobatur.

Digitized by Google

Notandum Tertiò: Plures à Patribus allegari causas hujus divinæ permissionis: Primò, ut in nostra infirmitate eluceat magis vis divinæ gratiæ. Secundò, ut in hominibus crescat occasio merendi. Tertiò, ut sit major cautela. Quartò, ut habeatur agnitio propriæ infirmitatis, & necessitatis auxilii divini. Quintò, ut sit frequentior recursus ad DEUM auxiliantem. Sextò denique, ut eluceat in præservatione unius misericordia DEI, & in casu alterius judicium, quod est abyssus multa. His prænotatis

IV. Homines etiam habent Angelum tentatorem sui.

Dico Primò: *Singulis hominibus probabiliter à die nativitatis permissus est unus malus angelus sui tentator.* Ita Scholastici communiter cum Magistro, D. Thoma post Originem lib. 3. Periarchon cap. 6. & Nissenum lib. de vita Moysis contra errorem Gentilium, qui cuilibet homini duplicem assignabant spiritum, bonum & malum, quos tanquam Deos colerent, ut videri potest apud Tyrræum S. J. lib. 3. de apparit. n. 107. & eos appellabant Lares, credentes eos domibus præesse, nos verò eos dicimus Angelos, conservos nostros, & ministros DEI.

Probatur Conclusio Primò ex Scriptura, 2. Corinth. 12. *Datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet*, ergò, si numerus sufficiens Angelorum malorum in aëre caliginoso mansit ad hunc finem, videtur sic rationabiliter sentiendum, subsumo, atqui mansisse videtur, quia Lucæ 8. dicitur, una legio fuisse in uno corpore obsesso, ergò facilius defenditur pro quolibet homine unum mansisse ad exercitium illius à DEO permissum, & à Lucifero destinatum.

Probatur Secundò Authoritate S. Bernardi serm. 12. in Psal. 90. *Quis verò istas bonas* (inspirationes, liberationes &c.) *per bonos non credat fieri, cùm certum sit, quòd è contrariò malæ utique fiant immissiones per angelos malos*, quod etiam suprà satis insinuavit serm. 3. 4. 5. 6. & 7. ubi ostendit, non unum, sed plures etiam dæmones insidiari cuilibet homini, maximè religiosis, undè cuidam eremicolæ ostensum fuit, unum dormitâsse supra portas civitatis, & plurimos sedulos fuisse ad decipiendum Anachoretam unum.

Probatur Tertiò Ratione: Tùm, Quia hoc consonat pravæ voluntati Luciferi, qui partim contra nos, partim contra DEUM militat: Tùm, Quia ipse imitatur in omnibus actiones divinas, undè probabile est, quòd sicut DEUS submittit cuilibet homini unum Angelum ad custodiam, ita Lucifer mittat unum ad deceptionem, hinc præclarè idem mellifluus Doctor parabola 2. de pugna spirituali ait: *Inter Babylonem & Jerusalem nulla pax est, sed guerra continua: Habet unaquæque Civitas Regem suum. Rex Jerusalem Christus Dominus est, Rex Babylonis diabolus. Et cùm alterum in justitia, alterum in malitia regnare delectet, Rex Babylonis, quos potest de civibus Jerusalem per ministros suos, scilicet spiritus immundos seducere, ut servire eos faciat iniquitati ad iniquitatem in Babylonem trahit.* Clarè etiam veritatem hanc expresse habet serm. 70. de diversis: *Spectaculum facti sumus mundo & Angelis & hominibus, ita planè & malis & bonis pariter, illi quidem defectum nostrum, isti profectum desiderantes: Illos enim sollicitat invidia passio, istos compassio misericordia, ut in nos incessanter intendant.*

Arguitur: Misera sors hominis est, si illi datus vel permissus est angelus malus ad tentandum, quod divinæ bonitati non videtur consentaneum, nam ut dicit Paulus 1. Corinth. 10. *Fidelis DEUS, qui non permittit vos tentari super id, quod potestis*, ergò: Probatur antec: Quia tentatio dæmonis excedit vires nostras, nam ex natura potentior, astutior, subtilior, & nequitior est, ergò misera sors hominis. Respond. neg: antec: ejus probationem distin: tentatio dæmonis excedit vires nostras, considerando naturam lapsam, & particularibus gratiis divinis destitutam, conc: considerando naturam inte-

Digitized by Google

integram, vel etiam lapsam; & divinâ gratiâ munitam; neg: antec: & consequ: Itaque homo in naturâ integra tot erat præsidiis munitus, & hostis potentia restricta & ligata, ut facilè illum superare potuisset: Homini autem lapso misericorditer DEUS, licet in solis generalibus auxiliis posset illum relinquere, abundantissimis gratiæ remediis providit, & insuper in custodiam addidit Angelum bonum, æquè & magis fortem ac potentem, qui clientem suum instruat, illuminet, & confortet, nec permittat malum totam exercere potentiam, sed DEUS juxta suavem suæ providentiæ modum continet, quantum opus est, undè licèt sit inæqualitas in natura, non tamen in pugna, ut satis colligitur ex Scripturâ: *Sufficit tibi gratia mea*, & ex Patribus, hinc S. Gregorius 33. Moral. cap. 14. in illud Job. 40. *Nunquid pones circulum in naribus ejus?* ait: *Circulus ei in naribus ponitur, dum circumducta protectionis supernæ fortitudine, ejus sagacitas retinetur, ne contra infirmitatem hominum tantum prævaleat, quantum perditionis argumenta latenter explorat.*

V. Peccata omnia sunt radicaliter ex tentatione dæmonum.

Dico Secundò: *Omnia peccata hominum radicaliter & mediatè, non tamen formaliter & immmediatè sunt ex tentatione dæmonum.* Est certa & prima pars patet, quia ex tentatione dæmonis natum est peccatum Evæ, & indè Adæ, ergò est radix cœterorum. Probatur secunda pars Primò ex Scriptura Eccles. 15. *DEUS appofuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Ergò libertas sufficit ad causandum peccatum.

Probatur Secundò ex Patribus D. Augustino lib. de Eccles. dogm. cap. 81. *Non omnes malæ cogitationes nostræ semper diaboli instinctu excitantur.* Basilio in regula nu. 75. dicente: *Etiam mala ex nobis ipsis nasci*, quod manifestè ostendit Dominus: *Ex corde exeunt cogitationes malæ.* Chrysost. hom. 54. *Multi absque diabolo pereunt, profectò non omnia ipse effecit, sed multa etiam fiunt à nostra ignavia, si autem alicubi ipse est author, nos initium adhibemus.*

Probatur Tertiò: Angelus malus non peccavit ex naturæ corruptione, nec ex alterius suggestione, nec ex ignorantia, cùm secundùm Ezechielem cap. 28. sit creatus *signaculum similitudinis DEI, plenus sapientiâ & perfectus decore*, ergò etiam homo potest peccare absque alterius suggestione ex solâ sua libertate, quam plenè habere Scriptura docet: Tùm etiam, Quia ad peccandum sufficit sola naturæ corruptio, ut docet D. Gregorius lib. 11. Moral. cap. 25. super illud Job 13. *Qui quasi putredo consumendus sum* dicens: *Homo quasi putredo consumitur, dum carnis suæ corruptione conteritur; cui immunda tentatio non aliundè, sed à semetipsò nascitur, quapropter homo in se ipsò habet, undè tentatur.*

Dices: Omnia bona hominis procedunt ex bona Angeli Custodis suggestione, ergò etiam omnia peccata ex suggestione dæmonis. Respond. Primò antec: non esse tam certum; quod tamen transeat, quare Respond. Secundò; neg: consequ: Quia bona solis naturæ viribus nequeunt fieri sine speciali DEI auxilio, benè tamen peccata.

Dico Tertiò: *Dæmon tentator semel victus, non sic recedit, quin sive alium; sive eundem hominem in quovis genere vitii denuò tentare possit, si tamen sæpius victus fuerit, credendus est ex suavissima DEI providentia ad longius tempus recedere.* Est communior Theologorum. Probatur Primò ex Scriptura, Job. 1. & 2. ubi dæmon sæpius institit ad tentandum Jobum: *Pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima sua*; ad quem tentandum sæpius rediit; nam ad particulares casus, specialis permissio requiritur, nec generalis sufficit, Matth. 12. *Tunc dicit: revertar in domum meam, undè exivi. Et veniens inveniet eam vacantem scopis mundatam & ornatam.* Lucæ 4. *Et consummata omni tentatione, diabolus*

VI. Dæmon tentans semel victus iterum redit.

bolus recessit ab illo usque ad tempus, ergò diabolus semel victus frequenter ad tentandum redit.

Probatur Secundò ex Patribus: S. Gregorio 3. Moralium cap. 8. *Antiquus hostis quo valentius vincitur, eò adhuc ad insidias ardentius instigatur*. Cypriano epist. 6. *Fortiorem magis aggreditur, & acrior factus hoc ipso, quod victus est, superantem superare conatur*. Addidi tamen eum sæpius in eodem genere victum, aut etiam in pluribus generibus ad longius tempus recedere, nam Jacobi 4. dicitur: *Subditi ergò estote DEO: resistite autem diabolo, & fugiet à vobis*. D. Ambros. lib. 4. in Lucam dicit: *Instare formidat, quia refugit frequentius triumphari*, pudet enim illum vinci, timet cum tentatione fieri proventum bonorum fructuum ex parte tentati, & dolet spe sua frustrari.

VII. Dæmon non potest causare directè in voluntate malam affectionem. Dico Quartò: *Dæmon non potest naturaliter, & de lege ordinaria in intellectu humano causare directè, & immediatè ut causa totalis ullam cogitationem, aut speciem intelligibilem, & multò minus in voluntate actum, vel affectionem malam*. Ita Scotus 2. d. 11. q. 1. §. ad quæst. D. Bonavent. d. 8. art. 1. q. 3. Probatur quoad intellectum ratione Scoti: Quia licèt dæmon & quicunque Angelus, est enim eadem ratio tàm de malis, quàm de bonis, sit sufficienter in actu primo constitutus, ut possit in quocunque alio Angelo, vel anima producere intellectionem, vel speciem intelligibilem objecti sibi noti, ut patet ex dictis de locutione Angelorum, tamen intellectus noster pro hoc statu non potest immutari ab aliquo agente immediatè, nisi à phantasmate, quia phantasmata pro hoc statu se habent ad intellectum nostrum, sicut sensibilia ad sensum, undè sicut sensus non potest immutari naturaliter nisi à sensibili, ita nec intellectus noster pro hoc statu natus est immutari, prima sui immutabilitate, nisi à phantasmate, quia nimirum sic exigit ordo potentiarum, qui quidem ordo ut rectè notavit Scotus, non provenit præcisè ex natura hominis, aliàs non esset alius ordo in beatitudine, sed vel provenit à culpa, vel ex statu isto, propter aliquid pertinens ad culpam, cujus causa generatur, ergò.

Probatur etiam quoad voluntatem: Tùm ex eodem argumento, & à fortiori: Tùm, Quia voluntas est potentia libera ad operandum: Tùm, Quia major est ordo & connexio inter voluntatem & intellectum, quàm inter hunc & phantasma, ergò sicut intellectus non mutatur pro hoc statu, nisi à phantasmate, ita nec voluntas ab ullo alio dependet in operando, nisi ab intellectu proponente objecta illi, & consequenter nec dæmon, nec Angelus alius potest immediatè aliquem actum operari, aut causare malam aliquam affectionem.

Opponitur Authoritas Scripturæ, Osee 7. *Omnes adulterantes quasi clibanus succensus à coquente*; ubi glossa per clibanum intelligit fornicatorem, per coquentem diabolum. Joann. 14. *Cùm diabolus misisset in cor, ut eum traderet Judas*, undè Gregorius in moralibus ait: *Maligni Spiritus in corde malignorum cogitationes immittere non desistunt*, ergò dæmones directè possunt in intellectu humano producere cogitationes & species intelligibiles ad tentandum. Respond. dist: consequ: immediatè & directè producendo aliquid in intellectu humano, neg: consequ: Itaque Scriptura & Patres non volunt, quòd dæmon directè & propriè in corde humano aliquid causet, aut causare possit, sicut nec inducere necessariò ad pravum consensum, licèt id sæpè contingat propter nostram negligentiam, & torporem in resistendo, undè

Dico Quintò: *Dæmon de facto tentando causat aliquid indirectè & mediatè in intellectu humano & voluntate ad incitandum hominem ad malum*. Hæc sequitur & Probatur Primò authoritatibus in objectione allegatis: Tùm etiam, Quia certum est, & experientiâ compertum, dæmonem VIII. Tentando indirectè causat dæmon aliquid in intellectu & voluntate humana.

monem sæpè immutare sensus hominum tàm internos, quàm externos, sive id fiat producendo simùl cum objectis species sensibiles, & phantasmata diversarum rerum, eáque sensibus imprimendo, sive excitando in illis species præhabitas, & spiritus animales; ex quorum commotione causantur in hominibus variæ apparitiones, & imaginationes, ut patet in febricitantibus, utroque enim modo potest Angelus & dæmon in phantasiam nostram agere, & ex hoc propter naturalem sympathiam, intellectus ad phantasmata movetur; intellectus agens ad agendum, & simùl cum illo phantasmate producit speciem intelligibilem ipsius objecti, ad quod etiam secundum Scotum potest juvare intellectus agens ipsius Angeli tanquam causa partialis: Et quia voluntas nata est condelectari appetitui circa delectabile sibi per dæmonem vel angelum malum quidem mediatè, per intellectum verò agentem & possibilem immediatè propositum, quodammodò excitatur, &, ut loquitur S. Bonaventura, incenditur ad similes affectus, undè idem ait, hoc modo dæmonem incendere malas affectiones, sicut in corporalibus incendere non est propriè ignem producere, sed potius igni pabulum subministrare, sic in spiritualibus incendere ad malum affectum, est fœdas imagines, & carnales repræsentationes, quæ sunt pabulum concupiscentiæ ignis, applicare phantasiæ, & hac mediante intellectui; quas nisi ignis divini amoris superet, vel aqua lacrymarum extinguat, periculum est, ne totus homo ardeat & comburatur. Per oppositum discurrendum est de Angelis bonis in excitando, & incendendo ad bonum, de quo videri potest S. Bonaventura 2. d. 8. q. 4. & 5.

IX. Illusio dæmonis tripliciter fit. Dico Sextò: *Triplici modo illudere solet dæmon sensibus nostris ad producenda phantasmata excitantia ad malum, primò ostendendo præsens esse, quod non est, secundò ostendendo aliter quàm est, & tertiò abscondendo illud, quod præsens est.* Ita D. Bonav. suprà citatus art. 1. q. 3. Declaratur cum eodem Sancto: Primo modò potest illudere offerendo fortiter species phantasiæ, & fumos aliquos ei immittendo, spiritus animales variando, & demum faciendo imaginativam potentiam ita intensè species phantasticas intueri, ut putet rem ipsam verè & realiter esse præsentem, cujus speciem tantùm & imaginem intuetur, sicut exemplificat S. Augustinus lib. de Trinit. quod quidam tanta conversione & intensione recogitabat cujusdam mulieris imaginem, quòd ei carnaliter commisceri videbatur, etiam vigilando. Et si quæratur, an hoc faciat dæmon, novas species phantasiæ immittendo, an verò species præhabitas excitando? verisimilius puto cum S. Bonaventura, quod hoc secundo modo id faciat, cujus rei indicium est, quòd nunquam dæmon faciat aliquem sentire de novo aliquid, cujus speciem non præhabuit in sensu interno, nunquam enim cœcos facit somniare, aut imaginari colores, vel surdum sonos.

Secundo modo potest illudere ostendendo aliter rem quàm est, sive variando organum, ut cum humor sanguineus vel vapor igneus descendit ad oculum, & tunc res ad extra apparet rubere: sive causando variationem aliquam ex parte objecti; ut contingit ex propositione candelæ factæ de serpentis pinguedine, & dispositione palearum, tunc enim paleæ videntur esse serpentes; & hoc naturaliter; ut docet S. Bonaventura, & similem virtutem habent quarundam rerum mineralia, cum ergò dæmon optimè noscat illos modos, facilè potest illudere sensus nostros uno vel altero modo.

Tertio modo potest dæmon illudere abscondendo objectum ab oculis nostris, vel ab alio sensu, & hoc impediendo, nè sensus perveniat ad sensibile, ut circa illud operetur, aut certè impediendo, ne species objecti quantumvis præsentis perveniat ad sensum; utroque enim

Digitized by Google

enim modo potest impedire sensum.

Ex hoc facilè est intelligere, quomodo causentur variæ illusiones, aut præstigia à dæmone, facit enim, quòd eadem res diversimodè appareat, aliis sicut est, aliis aliter ac est, impediendo nè species rerum perveniant ad sensum, aut nè sensus feratur ad speciem; & ex altera parte loco illius speciei offerendo eis speciem alicujus alterius in phantasia latentem, & sic facit eos intensè circa illam speciem ferri, ut putent ipsum objectum esse præsens, hoc modo in vita Patrum legitur, quòd quidam adduxerunt puellam ad sanctum Virum, quam ipsi putaverunt esse equam, ille verò Sanctus deprehendens esse puellam, dimisit eam manifestam, & omnibus ostensam; & sic discurrendum est de pluribus aliis similibus illusionibus.

X. Dæmon potest inhabitare corpora humana.

Dico Septimò: *Dæmon potest etiam inhabitare corpora humana.* Hæc patet ex variis Scripturæ locis, Matth. 8. *Vespere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes: & ejiciebat spiritus verbo: & omnes malè habentes curavit.* Cap. 9. *Egressis autem illis ecce obtulerunt ei hominem mutum dæmonium habentem.* Lucæ 4. *Et in Synagoga erat homo habens dæmonium immundum.* Et alibi sæpè, ubi plures referuntur ab iis obsessi, possessi, & liberati, quod non esset verum, nisi dæmones inhabitarent corpora illa, ergò. Probatur Secundò Ratione: Quia dæmones cùm sint spiritus, nullum eis corpus resistere potest, quin statim idem penetrare & vexare valeant, si velint, & DEUS permitteret; ex altera parte DEUS id sæpè permittit, sive ad gloriæ suæ ostensionem, quandò postmodum virtute nominis sui ejiciuntur; sive ad peccati punitionem, ut spiritus salvus fiat; sive ad aliorum exemplum, correctionē & eruditionem, ut mirabilia Dei opera glorificent, & se à peccatis abstineant.

Dices: Glossa super illud Habacuc 2. D*OMINUS in templo sancto suo &c.* dicit: *Simulacbris assidere potest immundus spiritus, intrinsecus esse non potest*, ergò multò minus corporibus insidere, & minus inhabitare potest. Respond. neg: consequ: Quia Glossa tantùm vult, quòd dæmon nec corporibus humanis, nec simulachris assidere possit intrinsecus ea informando, & perficiendo illa, non verò quòd non assideat tanquam continens in contento, ut aqua in vase.

Dico Octavò: *Quando dæmon inhabitat corpora humana, & etiam alias graves pœnas infligit hominibus, ut Jobo, id non fieri ex generali DEI permissione tentandi, sed ad hoc requiri specialem DEI permissionem.* Hæc colligitur ex Jobi capite primo & secundo supra relatis, & ex Matth. 8. *Dæmones autem rogabant eum dicentes: Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum.* Viden' quomodo non audebant nocere Gerasenis, nec eorum pecora invadere, nisi prius habita Christi licentia, nam sequitur: *Et ait illis: Ite.*

XI. Permissio specialis est, quando dæmon extraordinariè affligit homines.

Probatur Secundò ex S. Augustino Enarratione 3. in Psalm. 103. dicens: *Job Sanctus ante diabolum erat, & tamen longè ab illo erat; aspectu ante illum erat, potestate remotus ab illo. Quando auderet tentare vel carnem, vel facultates ejus, quas possidebat, nisi acciperet potestatem? Quarè autem datur potestas? aut ad damnandos impios, aut ad probandos pios. Justè hoc totum Dominus agit, & in neminem diabolus habet potestatem, vel in aliquid ejus, nisi ille concedat, cui est potestas summa & sublimis. Sic diabolo, sic homini nulla est potestas in hominem, nisi desuper detur.* Hinc nequit pro libitu homines occidere, corpora obsidere, rebus naturalibus pro suo arbitrio uti, & per illas nocere, DEUS enim nunquam fecit illi generalem potestatem, sed ligavit naturalem ejus potentiam, nè per se pro suo libitu noceat, cùm id exigat bonum generis humani, & Ecclesiæ, quas nec per strigas id generaliter potest, si hæ non adhibeant res naturaliter nocivas, licèt tunc DEUS probabiliter concedat specia-

Digitized by Google

ſpecialem permiſſionem ob aliqualem hominis, qui intervenit, cooperationem; at quando ſtrigæ ipſæ adhibent cauſas naturaliter noxias & venenoſas, licèt illud à dæmone didicerint, earum efficacia naturali poſſunt nocere pro libitu, niſi Deus per ſe vel per bonos Angelos ſpecialiter impediat, nam DEUS in hac vita reliquit hominibus liberam poteſtatem utendi rebus naturalibus; ſive benè, ſive malè.

XII. Dæmon non habet poteſtatem transmutandi corpora in beſtias.

Dico Nono: *Dæmon non habet poteſtatem corpora humana transmutandi in lupos, aſinos, tauros, &c.* Hæc Probatur *ex cap. Epiſcopi. cauſâ 26. qu. 5.* ubi ex Concilio Anquirenſi refertur & damnatur, quòd quædam ſceleratæ mulieres retrò poſt ſathanam converſæ dæmonum illuſionibus & phantaſmatibus ſeductæ credunt, & profitentur, ſe nocturnis horis cum Diana paganorum Dea, vel cum Herodiade & innumera multitudine mulierum equitare ſuper quaſdam beſtias, & multarum terrarum ſpatia intempeſtæ noctis ſilentio pertranſire; ejusque juſſionibus veluti Dominæ obedire, & certis noctibus ad ejus ſervitium evocare. Itaque Licanthropos non habet verè formam lupi, ſed eam ſe habere imaginatur, & facere ea, quæ vel per ipſum dæmones faciunt, vel ipſe ſe facere imaginatur, v. gr. cùm putat ſe vorare, vel ſapere corpus humanum. *Diabolus ejusque ſatellites*, ait S. Bernardus ſerm. 5. in Cant. *cùm ſit ſemper eorum maligna intentio, nocère quidem ſemper cupiunt, ſed bonis æmulatoribus, quibus dicitur:* Quis vobis nocere poterit, ſi boni æmulatores fueritis? *abſit ut poſſint: magis autem proſunt & nolentes, cooperanturque in bonum bonis.* Quod faciat Angelorum malorum Devictor ac Triumphator, bonorum verò hominumque ſimùl Redemptor JESUS CHRISTUS.

AMEN!

TRA-

TRACTATUS III.

DE
SECUNDA CREATURA
INTELLECTUALI,
SEU, DE
ADAMO ET EVA,
In Statu Innocentiæ.

PROOEMIUM.

Eccles. 15. Eccles. 7. AB initio, & à principio *DEUS constituit hominem*, fecit illum *rectum*, *& ipse se infinitis immiscuit quæstionibus*; Rectum profectò, nam quoad corpus, forma est præ cœteris animantibus venustior, status erectus & celsus, ut neque enormis proceritas sit, neque vilis & abjecta pusillitas, tota corporis habitudo suavis & grata: Quoad animam verò rectum fecit illum, quia (Genes. 1.) ad imaginem & similitudinem suam. Tanta est conditionis humanæ dignitas ait Ambrosius (Lib. de dignit. hom. cap. 2.), ut non solo jubentis imperio, sicut alia sex dierum opera, sed consilio Sanctæ Trinitatis, & opere Majestatis divinæ creatus sit homo, ut ex primæ conditionis honore intelligeret, quantum deberet suo Conditori, & tantò amaret ardentiùs Creatorem, quantò mirabilius se ab eo esse conditum intelligeret. Nec ob hoc solùm, sed etiam quòd ad imaginem & similitudinem suam ipse Creator omnium eum creavit, quod nulli alii ex creaturis donavit. Cognita ergò an-

Digitized by Google

gelica natura, quæ facta fuit à principio, etiam hominis ab initio facti natura perpendenda est, & primò quidem quoad statum suæ creationis, & Innocentiæ, cùm rectus esset, & nondum curvatus, sauciatus, vel vulneratus. Sit igitur

DISPUTATIO PRIMA.

DE Creatione primi hominis ADAMI.

QUÆSTIO PRIMA.

Quando, & ubi fuerit Adam primus homo creatus?

I. Angeli non fuerunt cooperatores DEI in Adamo creando.

PHilo Judæus in lib. de Opificio sex dierum, ad illud Gen. 1. *Faciamus hominem*, dicit, fuisse à DEO assumptos Angelos tanquam *Cooperatores, ut irreprehensibiles tàm voluntates, quàm actiones hominis rectè se gerentis acceptæ referantur DEO Authori omnium, contrariæ verò aliis ipsis subditis, oportebat enim Patrem non esse causam malorum suis filiis.* Quibus verbis insinuat primum hominem partim à DEO, partim ab Angelis cooperatoribus fuisse conditum, sumpsitque suum errorem ex Platone in Timæo, ubi inducit DEUM summum cum minoribus super creatione animantium loquentem. Quod etiam ex Christianis Basilides, & Cerintus hæretici senserunt, quos S. Chrysostomus hom. 8. in Genesim, & Theodoretus qu. 19. egregiè redarguunt. Itaque

II. DEUS solus plasmavit primum hominem.

Dico Primò: *Adam primus homo à DEO solo summo & bono factus & sextâ die creatus est.* Ita fides, & Probatur Primò ex Scriptura, Gen. 1. *Et creavit DEUS hominem ad imaginem suam: ad imaginem DEI creavit illum, masculum & fœminam creavit eos.* Et Gen. 2. *Formavit igitur Dominus DEUS hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem*, qui textus tàm clari sunt, ut nemo ambigere possit, nam quæ noster Pater Franciscus Georgius Venetus, & Eugubinus de suo addiderunt, non sunt opiniones Christianæ, sed Platonicæ imaginationes, & sæpè errores, de materia tamen proxima dubitari potest, quia Scriptura Sacra duplicem illi assignat, nam cap. 2. dicit, quòd formaverit *eum de limo terræ.* Ecce materia est limus: Et cap. 3. Terram aridam, & planè pulverem assignat: *Donec revertaris in terram, de quâ sumptus es: quia pulvis es, & in pulverem reverteris*, quos textus ut Authores concilient, dicunt hominem ex utroque elemento factum esse, nempè ex terra, & aqua, nam limus est terra aquâ imbuta, & commixta, ita Suarez, Salianus. Veruntamen de hac re infra, &c.

Adduco adhuc alias Scripturas, Sapient. 7. *Sum quidem & ego moralis homo, similis omnibus, & ex genere terreni illius, qui prior factus est, in ventre matris figuratus sum caro.* Et Job. 10. *Manus tuæ Domine fecerunt me, & plasmaverunt me totum*, ubi licèt manus DEI metaphoricè sumatur, reliqua tamen litteraliter sumi potest ex contextu, nam sequitur: *Memento, quòd sicut lutum feceris me*, homo enim est ex luto: *Nonne sicut lac mulsisti me*, in generatione enim hominis semen deciditur ex lumbis viri sicut lac, & in utero feminæ coagulatur sicut caseus: *Pelle & carnibus vestisti me, ossibus & nervis compegisti me.* Tamen de hac re infra.

Digitized by Google

Probatur Conclusio Secundò ex Authoritate SS. Patrum: Augustini ferm. 20. de Tempore dicens: *Primus enim homo quo cadente omnes cecidimus, cujus ruina est mortalitas nostra, non est natus, sed factus, patre nullo, matre nulla, sed DEO operante. Hæc hominis prima conditio, Adam de terra.* Tertulliani, attestantis à DEO solo factum hominem, *Bonitas tua operata est non imperiali verbo, sed familiari manu, etiam verbo blandiente præmisso, Faciamus hominem*, ait Hieronymus.

III. Anima Adami non est producta ab Angelis.

Probatur Tertiò Ratione: Quia certum est hominem quoad animam à DEO solo productum, ut colligunt Patres ex illo Gen. 2. *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*, atqui anima est principium vitæ in homine, & actus corporis organici, ergò. Deindè probo etiam quoad corpus similiter ab ipso factum, Quia corpus hominis est organicum, id est, habens plures partes suæ materiæ pluribus formis instructas, alia enim est caro, alia sanguis, alia ossa, alia nervi, pellis, &c. Sed hæc non possunt fieri ab Angelo, ergò nec corpus hominis major est certa, & patet ex Philosophia, ubi egi de formis partialibus &c. Probatur min: ex priori tractatu, Quia Angeli circa corpus externum nihil possunt, nisi motum localem, atqui organizatio est longè aliud à motu locali, qui esse potest sine organizatione, & hæc sine motu locali; Et licèt per motum localem possint aliquas formas substantiales reales producere, non tamen vitales, quæ non fiunt nisi per complexum sexuum, & decisionem seminum. Et confirmatur: Quia actiones sensitivæ & rationales humanæ non possunt produci nisi à vivente & animato, quia audire, tangere, loqui, videre, non competunt nisi animatis, ergò neq; potest aliquid producere actiones vegetativas, nisi sit vegetabile & animatum illa anima vegetativa, sed Angeli non sunt hujusmodi animantia & viventia vegetativa, ut de se patet, ergò.

Probatur eadem min: principalis Secundò: Si Angeli possent corpus hominis organizare, possent & hominem producere, sed hoc est falsum, ergò. Probatur sequela: Tùm, Quia anima hominis statim sequitur organa & dispositiones ad ipsam, sicut aliæ animæ quoque. Tùm, Quia de facto ideò Petrus dicitur Pater Pauli, quia dispositiones ad animam Pauli produxit, animam enim non produxit, ergò si Angelus posset producere organizationem & totam dispositionem, posset & hominem: Tùm denique, Quia certum est, quod dentur partus septimestres, octimestres, & decimestres, cujus ratio alia non potest assignari, nisi quia dispositiones ad animam in uno casu citius habentur, quàm in alio, ergò si Angelus statim posset producere dispositiones, statim posset producere hominem, eo modo, quo homo à causa secunda potest produci. Per hoc tamen non nego, quin Angelus illam molem corporis Adami, & figuram, quæ in corpus & Adamum transiit, potuisset per motum localem apponendo & demendo de massa lutea, figurando illam secundùm situm & ubi formare potuerit, adducere, & alia præstare.

Probatur Quartò: Tùm, Quia juxta SS. Patres antiquiores Ecclesiæ, quos etiam multi Recentes Interpretum sequuntur ex tenore hujus historiæ in Genesi colligitur pluralitas personarum in DEO, non colligeretur autem, si loquens & operans interim fuisset Angelus, ergò. Tùm, Quia sine dubio Moyses de eodem DEO loquitur in contextu illius historiæ, nec æquivocat, quod foret fallere lectores, sed in principio illius per tò DEUS non intellexit Angelum, ut nec potuit, quia Angelus primum illud non potuit præstare, scilicet creare cœlum & terram, ergò. Sed & sequentia multa superant virtutem Angeli.

Dico Secundò: *Adamus de terra factus est, tanquam ex materia, ex qua, quamvis aqua veluti ligamentum* IV. Adamus de terra factus est.

Digitized by Google

tum accesserit. Probatur Primò ex illo Gen. 3. *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Ubi Hebræus textus habet antecedenter: *Donec revertaris in pulverem,* ubi Latinus habet, *in terram.* Et paraphrasis Chaldaica sic legit: *Donec revertaris in terram, de qua creatus es, quia pulvis es tu &c.* Et I. Corinth. 15. *Primus homo de terra terrenus*, ubi in Græco habetur, *Pulvereus.*

Probatur Secundò ex Ratione: Quia licèt aqua intervenerit in productione hominis, non tamen ex aqua productus dici potest homo, quia aqua non intervenit ut pars, sed ut ligamentum partium, eò, quòd sine ipsa non sibi cohærerent pulveres, quia si isti fierent ex aqua & terra, deberent destrui ablata aqua, sed hoc non fit, seu non destruuntur, ergò: probatur min: à pari: Quia vasa testea fiunt ex limo, id est, ex terra aquâ subacta, atqui vasa testea non destruũtur ablatâ aquâ, imò quando igne coquuntur, terra magis solidatur, & aqua tota evaporat, ergò non destruuntur, atqui subsumo, plasmatio hominis comparatur figmento figuli, & vasorum, Isaiæ 64. *Et nunc Domine Pater noster es tu, nos verò lutum: & fictor noster tu, & opera manuum tuarum omnes nos,* quam similitudinem D. Paulus repetit in epistola ad Romanos cap. 9. *Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Hinc solvitur objectio, quæ fit ex altero textu opposito, Gen. 2. *Formavit Deus hominem de limo terræ*, quia pulvis solus non est limus, nec vice versâ, ergò. Quia sic conciliatur cum altero, non enim dicit tantùm *formavit DEUS hominem de limo*, sed addit *terræ*, quasi diceret, fecit illum de limo, quà terra est, sive de terrâ, quam habet limus in se. Quod ulterius declaratur, quia limus est pulvis, seu gleba aquâ macerata, quod ergò fit ex limo, ex terra fit, quia in definitione limi terra ponitur in rectò, aqua in obliquo. Denique non rectè diceretur homo factus ex aqua terræ immixta, ergò signum est in limo aliter terram, aliter aquam concurrisse ad hominis productionem.

Ex quibus duo infero corollaria ad nostram eruditionem: Primò est hominem factum esse ex tenuissima terra, sive ex partibus magis subtilibus ejus, nam talis est pulvis, quod evincit recta statura hominis, & excellentia tactûs in ipso: quo enim delicatior caro, eò aptior est ad percipienda objecta tactus: undè pueri & feminæ teneræ statim offenduntur objectis tangibilibus, rustici autem, qui habent cutem callosam, tardè, & parùm. Deindè cùm pulvis facilè in aëre levetur, facilè significat exigi à suo mixto, sive à compositis ex ipso elevationem & rectitudinem statûs, quæ ambo faciunt ad honorem hominis.

Infero Secundò: Hanc productionem hominis ex pulvere valere ad deprimendam ejus superbiam, nihil enim est vilius limo, vel fimo, aut luto, quæ sunt materiæ hominis, omnes illa abominantur, scopis vertunt, nec possunt sine offendiculo videre. Duo elementa, quibus compinguntur, sunt vilissima omnium, magis materialia, aut fœculenta aqua & terra, & cùm parum valeant illa pura, minus valent mixta: Si quis aquam velit turbidam & maculosam, debet aspergere ei pulverem; qui pulverem volet sordidum & viscosum, superest tantùm, ut ei aquam infundat. Sed redeamus ad historiam, & addere duas quæstiunculas curiosas. Undè

V. Adam continet nomine quatuor partes terræ.

Quæres Primò: An illa terra, ex quâ factus fuit Adam, sumpta fuerit ex quatuor partibus terræ? Respondent Authores complures affirmativè; eò, quòd litteræ, ex quibus nomen ADAM compositum est, sint initiales illarum partium, non quidem illarum partium, quæ de facto dicuntur *Asia, Africa, Europa & America,* nam litteræ nominis Adam non incipiunt illas quatuor partes, quoniam in illis Alpha

 sive

sive A bis, imò tertiò ponitur, D. & M. nec semel quidem, sed ideò, quia incipiunt quatuor cardines orbis, qui dicuntur partes mundi, & etiam in cœlo designantur, scilicet Oriens, Occidens, Aquilo & Meridies, ut pulchrè docet S. Augustinus Exposit. in Evang. Joannis tract. 9. *Demonstratum est in Adam, qui est forma futuri. Quis autem nesciat, quòd de illo exortæ sunt omnes gentes: & in ejus vocabulo quatuor litteris, quatuor orbis terrarum partes per Græcas appellationes demonstrantur? Si enim Græcè dicantur, oriens, occidens, aquilo, meridies, sicut eas plerisque locis sancta Scriptura commemorat, in capitibus verborum invenis Adam: dicuntur enim Græcè quatuor memoratæ mundi partes,* Ἀνατολὴ, Δύσις, Ἄρκτος, Μεσημβρία. *Ista quatuor nomina si tanquam versus quatuor subinvicem scribas, in eorum capitibus Adam legitur.* Et tract. 10. *Si enim facies ista quatuor nomina Græca,* Ἀνατολὴ, *quod est Oriens:* Δύσις, *quod est Occidens:* Ἄρκτος, *quod est Septentrio:* Μεσημβρία, *quod est Meridies: Anatole, Dysis, Arctos, Mesembria: capita verborum Adam habent.* Deindè America nuper cœpit distingui tanquam quarta pars ab aliis, itaque ut corpus Adæ compingeretur ex terra quatuor mundi partium, non erat necesse Dominum DEUM aut Angelum, qui fortè ejus personam gerebat in agendo magnis itineribus ad tot partes properare ad sumendum indè lutum, sed sufficiebat humi duas lineas decussare ad angulos rectos, illæ enim sic se secantes crucem redderent, cujus quatuor apices respicerent quatuor illos cardines Mundi, Orientem, Occidentem, Septentrionem, & Meridiem.

VI. Adam ex terra russa factus est.

Quæres Secundò: An terra illa, ex qua Adam fuit efformatus, russa fuerit? Et Respondetur affirmativè. Probatur: Quia Adam significat rubrum, aut russum, juxta Josephum, lib. 1. Antiquit. cap. 1. *Finxit DEUS hominem humo telluris sumpta, immisitque in eum spiritum & animam: homo autem hic vocatus est Adam, significat autem hoc Hebræorum lingua russum, quandoquidem ex russa humo fermentata &c.* cui credendum est de vocabulo suæ linguæ atque ejus interpretatione, quam etiam Pagninus in thesauro habet, & inter alias etymologias nominum hebræorum in Bibliis Xystinis circumfertur.

Probatur: Quia credibile est, hoc nomen non temerè ei inditum, cùm nomina filiorum & uxoris suæ ipse Adam & uxor pro re nata, id est, præbito fundamento ab iis, quæ tunc occurrerunt, indiderunt. Primogenitum suum Eva vocavit Cain dicens: *Possedi hominem per DEUM.* Cain enim in Hebræo idem est, quod apud nos possessio. Eadem secundogenitum in illa linea (nam aliàs est tertiogenitus) vocavit Seth, id est, *positus*, ait enim: *Posuit mihi Dominus aliud semen pro Abel.* Ipsa autem Eva sic vocata est ab Adamo, eò, quòd mater esset cunctorum viventium, nam vox Eva Hebraicè idem est, quod apud nos vivens sive vita &c. ergò etiam nomen Adam sive russus debuit habere in re ipsa fundamentum, non videtur autem aliud posse assignari ex tunc gestis, nisi materia, de qua sumptus est, quòd fuerit rubra, ergò: quod vel ideò amplius censendum est, quoniam hoc nomen Adam indidit Dominus DEUS, cœtera illa homines.

Itaque existimo revera aliquid tale fuisse imprimis ob hanc Scripturæ etymologiam ab Hebræis receptam. Deindè ob nostram experientiam, qui videmus terram aliquid tale habere, id est, coloris, neque plenè albi, neque penitus nigri, sed quid medium inclinans in rubedinem, quod patet in lateribus coctis, & in tegulis, quæ plerumque rubescunt, cùm tamen nihil sint nisi terra. Atque ut sunt diversæ naturæ terrarum, ita fieri potuit, ut illa humus campi Damasceni nonnihil præ aliis rubesceret. Quo posito meritò assumpta est à Domino DEO in materiam hominis, idque quasi studio

studio præmisso, ut patet in illo: *Faciamus hominem*, tanquam cogeret concilium plurium, quia nimirum illa paulò aptior fuit carni humanæ, quæ cruda est, & rubedinem præfert.

VII. Adam non fuit statura gigantea.

Dico Tertiò: *Adam primus homo non fuit staturæ giganteæ.* Probatur Primò: Quia in Scriptura nulla est mentio, vel vestigium de gigantea Adæ statura, sed longè post circa tempus diluvii agit de ortu Gigantum, post peccatorum multiplicationem, & adulterinos concubitus, undè etiam semper Scriptura de iis loquens in malam interpretatur partem, ergò non decebat Adamum perfectissimum, & in gratia conditum simili staturâ fuisse formatum. Prob. Secundò: Quia tàm vasta moles potius ad monstrositatē, quàm ad perfectionem naturæ spectat, adeoque nec fuit à Christo assumpta, ergò nec est credibile, DEUM, qui est perfectissimus in suis operibus, produxisse hominem in statura gigantea. Sed in contra

Opponitur authoritas Josue 14. ubi dicitur *Nomen Hebron ante vocabatur Cariath Arbe: Adam* (primus homo secundùm S. Hieronym. in cap. 27. Matth.) *maximus ibi inter Enacim situs est*, sed Enacim fuerunt præ cœteris famosi gigantes, ergò etiam Adam maximus fuit talis; Prob: min: Tùm, Quia *Enac* interpretatur Gigas, & *Enacim* Gigantes: Tùm, Quia Deuteron. 2. refert, Enacim fuisse maximos homines & Gigantes: *Emim primi fuerunt habitatores ejus, populus magnus & validus, & tàm excelsus, ut de Enacim stirpe, quasi Gigantes crederentur, & essent similes filiorum Enacim. Denique Moabitæ appellant eos Emim:* ergò. Respond. negando consequ: Quia ly Adam ibi non est nomen proprium, sed commune, significans hominem, ut sensus sit, Oppidum Hebron ante vocabatur *Cariath*, quod significat Oppidum & Civitatem, undè *Cariathiarim* dicitur civitas sylvarum: & Cariath-Sepher Civitas litterarum, adeoque *Cariath-Arbe*, id est, Oppidum seu Civitas Arbe, qui erat homo maximus inter Enacim, id est, Gigantes, imò ut habetur cap. 15. Arbe erat pater *Enac*, à quo dicti sunt Enacim: *Caleb verò filio Jephone dedit partem in medio filiorum Juda, sicut præceperat ei Dominus: Cariath-Arbe patris Enac, ipsa est Hebron.* Respond. Secundò: dist: maj: vel potius explicando Scripturam, Adamum fuisse maximum in sapientia, origine, & principio, quia ab ipso incepit omne genus hominum, etiam Gigantum, qui sepultus fuit in Hebron, ubi postmodum fuerunt Enacim, seu Gigantes, ex quo tamen non sequitur, etiam illum fuisse talem. Denique Lyranus dicit, esse nonnullos Doctores, arbitrantes, per Adamum ibi intelligi Abrahamum, qui fuit maximus in virtute, fide, operibus, & inter Patriarchas excellentissimus, & in Hebron sepultus, ut patet ex Genes. 23. & 25.

VIII. Adam fuit conditus in pulchritudine perfecta.

Dico Quartò: *Adam primus homo conditus fuit in statura & pulchritudine perfecta, in ea corporis conditione, quam perfecta viri ætas quoad vires mentis & corporis exigebat.* Hanc conclusionem pulchrè insinuat Augustinus lib. 6. Genes. litt. cap. 13. ubi quærit: *Quomodo fecit eum, Adamum, DEUS de limo terræ, utrum repente in ætate perfecta, hoc virili atque juvenili, an sicut nunc usque format in uteris matrum? neque enim alius hæc facit, quàm ille, qui dixit; Priusquam te formarem in utero, novi te: ut illud tantùm proprium habuerit Adam, quòd non ex parentibus natus est, sed factus ex terra: eo tamen modo, ut in hoc perficiendo, & per ætates augendo hi temporum numeri complerentur, quos naturæ humani generis attributos videmus. An potius hoc non est requirendum? Utrumlibet enim fecerit, hoc fecit, quod DEUM & omnipotentem & sapientem posse ac facere congruebat. Ita enim certas temporum leges generibus qualitatibusq; rerum in manifestum ex abdito producendis attribuit, ut ejus voluntas sit super omnia. Potentia quippè*

sua numeros creaturæ dedit, non ipsam potentiam eisdem numeris alligavit. Nam Spiritus ejus ita faciendo mundo superferebatur, ut & facto superferatur, non corporalibus locis, sed excellentia potestatis. Probatur: Tùm, Quia id decebat perfectissimum Artificem, qui *vidit cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona*, quod principalissimè propter hominem est dictum, cùm universaliter DEI opera sint perfecta: Tùm, Quia hoc decebat statum Innocentiæ, ad cujus similitudinem reformabimur post resurrectionem, sed tunc in perfecta statura & pulchritudine Christi resurgemus, juxta illud ad Ephes. 4. *Donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii DEI, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, ergò etiam in statu Innocentiæ primus parens talem perfectionem habuit. Aliqui putant ætatem, quæ nunc putatur perfecta anno 33. vel circiter in principio mundi non fuisse proportionatè perfectam ante annum 60. vel 70. ob ampliorem vitæ longitudinem, veruntamen hoc fundamentum nulli innititur fundatæ rationi, vel authoritati, nam si perfecta ætas eò serior est, quo vita est longior & diuturnior, tunc sequitur nec 60. vel 70. annos suffecisse pro statura, & statu perfecto, quia hi anni non sunt 10. vel duodecima pars vitæ Adami. Deindè nec videtur rationabile, nec credibile, homines tunc ad proportionem vitæ reliquæ mansisse in statu pueritiæ, nec refert, quòd tardè inceperint vacare conjugio, id enim referri debet ad continentiam illorum priscorum Patrum.

IX. Adam extra Paradisum formatus est. Dico Quintò: *Adam fuit formatus extra Paradisum terrestrem.* Est communior Patrum, & Theologorum, & colligitur ex Gen. 2. *Plantaverat autem Dominus DEUS Paradisum voluptatis à principio: in quo posuit hominem, quem formaverat.* Et congruentia est, ut homo intelligeret Paradisum sibi non deberi ex naturali constitutione, sed ex gratuito DEI beneficio, ut intelligeret, quantus DEO Creatori suo sit debitor, ut ex hac præstita benevolentia alliceret & excitaret eum ad fidele suum servitium. Deindè fecit DEUS hoc, ut amœnitas exterioris habitaculi corresponderet deliciis interioribus, quales anima primi hominis tanquam templum DEI habebat ex abundantia gratiarum cœlestium, ut habet S. Bonaventura d. 17. in exposit. text. dubio 2.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quomodo, & ubi Eva fuerit producta?

Franciscus Georgius Venetus in tom. 1. problemat. ita hunc locum *Masculum & fœminam fecit eos*, explanat, ut asserat, hominem à principio creatum fuisse androgynum, hoc est, hominem, in quo duo corpora, maris scilicet ac feminæ, circa dorsum jungerentur, sic enim scribit Problemate 29. *Homo à principio geminus, id est, masculus simul & fœmina creatus fuit: fueruntque, ut Plato docet, in eo conjuncti masculus & fœmina per dorsum, & postea secti, ut è regione conjungerentur ad prolem procreandam. & in hoc Plato edoctus fuit ab integerrimo Philosopho Moyse, quod etiam Scriptura docet, ubi habetur, quod secto latere vel costa Protoplasti, formata fuit mulier, zela enim utrumque significat, costam videlicet & latus. Factâ igitur sectione mulier fuit adjutorium viri, videlicet tanquam coram consistens, sicut habet veritas hebraica, pro quo communis editio habet simile sibi*: idem tenet Augustinus Eugubinus, qui sibi imaginatur, quòd Eva simul cum Adamo fuerit ex eodem luto producta, ita tamen, ut illa haberet tergum suum obversum tergo Adami conjunctum & unitum, sic ut facies eorum ac pectora cum sequacibus membris usque ad pedes prostarent aperta, terga autem sibi invicem continuarentur. Idem refert Rhodiginus, & fuit communis Judæorum fabula. 1. Homo androgynus quis sit.

Notan-

Notandum ex Philoſophis & Medicis: Coſtas in homine, ſicut & ferè in quovis animante viginti quatuor reperiri, ab utroque ſcilicet latere duodecim, ſeptem priores longiores dicuntur veræ & legitimæ, reliquæ inferiores breviores, & ad pectus non pertingentes ſpuriæ appellantur.

II. Eva non fuit cum Adamo formata ad dorſum ejus.

Dico Primò: *Error eſt in fide dicere Evam fuiſſe ſimùl cum Adamo formatã, eidem ad dorſum adhærendo.* Hæc eſt contra Authores ſuprà citatos. Et facilè Probatur Primò ex Scriptura Geneſ. 2. *Immiſit ergò Dominus DEUS ſoporem in Adam: cumque obdormiſſet, tulit unam de coſtis ejus, & replevit carnem pro ea. Et ædificavit Dominus DEUS coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam.* Quod certè non metaphoricè ſed hiſtoricè eſt accipiendum, alioquin nec Origenes eſſet redarguendus, quòd Paradiſum allegoricè & tropicè ſumpſerit, certè coſta non eſt limus & terra, deindè ſi ſimùl fuerunt producti, quomodo DEUS immiſit in Adamum ſoporem, ut ex latere dormientis formaret Evam. Denique Adamo dicicitur fuiſſe ſolus, Gen. 2. *Dixit quoque Dominus DEUS: Non eſt bonum eſſe hominem ſolum: faciamus ei adjutorium ſimile ſibi*, ſed ſi illi fuit conjuncta, non poteſt dici illum fuiſſe ſolum, nec DEUS habuiſſet neceſſe quærere ei remedium ſolitudinis. Confirmatur iterum ex illo cap. 2. *Formatis enim de humo cunctis animantibus adduxit ea ad Adam - - - Adæ verò non inveniebatur adjutor ſimilis ejus*, quod non tantùm probat Adamum ſolum productum, ſed etiam longè prius.

Probatur Secundò ex Novo Teſtamento, quod clarè adſtruit Evam ex Adamo fuiſſe productam, Act. 12. *Fecit ex uno omne genus hominum habitare ſuper terram*, ſi omnes, ergò etiam fœminam primam. 1. Corinth. 11. *Nam ſicut mulier de viro, &c. omnia autem ex DEO.* Si autem ex eodem limo & luto, non fuiſſet ex viro facta, 1. Timoth. 2. *Adam enim primus formatus eſt, deindè Heva.* Ubi cathegoricè reſolvit Doctor Gentium omnem difficultatem; clarè adſtruens primitus Adam; deindè Evam formatam; ergò non ſimùl.

Probatur Tertiò ex Patribus: Auguſtino lib. 3. Geneſ. cap. 22. ubi ait: *Ne quiſquam arbitraretur ita factum, ut in homine ſingulari uterque ſexus exprimeretur, ſicut interdum naſcuntur, quos androgynos vocant, oſtendit ſe ſingularem numerum propter conjunctionis unitatem poſuiſſe. Et quod de viro mulier facta eſt, ſicut poſtea manifeſtabitur, cùm id, quod hic breviter dictum eſt, diligentiùs cœperit explicari: & ideò pluralem numerum continuò ſubjecit, dicens: fecit eos, & benedixit eos.*

Probatur Quartò Ratione: Quia hoc modo plurima ſequerentur incommoda & inconvenientiæ ratione multiplicationis generis humani, nam ad generandum hominem ſemper duo paria deberent concurrere, ſi vir ad mulierem accederet, ille ab altero viro vix non opprimeretur, & multa alia abſurda, de quibus ait Auguſtinus lib. 14. Civit. cap. 23. *Volentibus diligentiùs diſputare, verecundia reſiſtit, & compellit veniam honore præfato à pudicis auribus poſcere.*

Opponunt Adverſarii authoritatem Scripturæ, Gen. 5. *Maſculum & fœminam creavit eos &. vocavit nomen eorum Adam*; ergò ſimùl creati ſunt mas & mulier. Deindè niſi ſimùl creati fuerint. non habebitur, undè dicatur, mulier eſſe ad imaginem DEI. Denique illud *Creſcite & multiplicamini* manifeſtè arguit, utrumque ſimùl creatum, iſta enim referuntur dicta ante relatam productionem Evæ, ergò. Reſpond. neg: conſequ: & dico illud &, eſſe copulam perſonarum non temporum, & multò minùs unionem, aut identitatem eorum: imò retorqueri poteſt argumentum, ſi enim utriusque caput capiti, latus lateri, crus cruri, pes pedi continuata erant, non erant illi abſolutè plures, nec pote-

tant

rant numerari seorsim, cùm seorsim non essent, sed hoc est falsum, quod accuratè vindicat ipse textus historiæ sacræ, si quis advertat, ait enim: *Creavit DEUS hominem ad imaginem suam, ad imaginem DEI creavit illum.* Hucusque de uno aliquo procedit textus: quando autem venitur ad sexus explicandos, assumitur pluralis numerus, *Masculum & fœminam creavit eos*, revera enim cùm de imagine agitur, solius viri fit mentio. Ad secundum Respond. quòd mulier sit quoque ad imaginem DEI, quia facta est similis viro: quæcunq; enim sunt sibi similia, sunt etiam cuilibet tertio, sic autem esse in proposito, patet ex illo Domini DEI: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi*, quod fecit producendo Evam. Ad illud *Crescite & multiplicamini*, dico, quod Scriptura intelligenda sit jam duntaxat de anticipata relatione gestorum.

Instatur: Si fœmina producta non est priusquam id Moyses referat, non constat datum esse Evæ præceptum abstinendi ab esu arboris scientiæ, quod tamen manifestum non solùm, quia serpens id asseruit, & Eva supposuit factum, ut patet ex cap. 3. vers. 1. & 2. Sed etiam, quia DEUS latâ sententiâ inflixit mulieri pœnam inobedientiæ, quæ contingere non potuit, nisi præcessisset præceptum: Probatur sequel: maj: quia præceptum datum est soli viro: *Tulit ergò DEUS hominem, & posuit eum in Paradiso voluptatis, præcepitque ei dicens: Ex omni ligno Paradisi comede, de ligno scientiæ boni & mali non comedas*, ubi sermo est ad unum, & quidem marem, nam si legitima sit narratio Moysis, pœna intentata est soli Adamo, ut ergò utrumque comprehenderet, quod revera fecit, necesse est, asserere productionem Evæ non fuisse eò usque dilatam. Respond. Hæc omnia probare in hac historia quorundam gestorum ordinem esse inversum, & Scriptura usam anticipatione, sicut etiam in historia Machabæorum lib. 2. cap. 8. Judas Machabæus inducitur feliciter pugnans, cùm tamen lib. 1. c. 9. referatur occisus, sic S. Marcus scribit, quòd Dominus in ultima cœna *accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes, & ait illis: hic est Sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur*, cùm tamen certissimè prius pronunciaverit formam Sacramenti, quàm illi bibissent sanguinem.

Arguitur Secundò: Si Eva ex costa viri facta est, aut costa illa Adamo detracta, aut fuit ei connaturalis, aut non, sed supererogatoria & ultra numerum: Si non connaturalis, tunc ablatâ illâ corpus Adæ remansit mancum, defuit enim ei deinceps aliquid ad naturæ integritatem requisitum: Si autem superflua & ultra numerum, tunc corpus Adæ fuit monstrosum & informe, quam diu illam habuit, unum latus ejus erat longius altero, neque respondebant sibi costæ hinc indè sicut in nobis fit. Respond. Primò cum D. Thoma, quem secutus est Abulensis, illam costam fuisse partim naturalem, partim supererogativam & ultra numerum, naturalis fuit & necessaria Adamo, quatenus ipse Adam fuit, vel debuit esse principium ex quo Evæ, eo modo, quo semen est naturale & necessarium patri ad generationem prolis: Supererogativa autem & superflua fuit, quia præter ipsam Adam jam habebat omnia, quæ individuum humanæ speciei exigebat. Respond. Secundò: Quòd costa illa fuerit naturalis Adamo, & pars individualis integrans ipsum. Et hoc colligitur ex tenore historiæ, dicit enim: *Cùmque obdormisset* (Adam) *tulit* (DEUS) *unam de costis ejus, & replevit carnem pro ea, & ædificavit Dominus DEUS costam, quam tulerat de Adam, in mulierem*; si enim illa costa non fuit aliquid Adam, aut integrans ipsum, vel requisitum ad vitam ejus, quorsum aliquid daretur in locum & vicem ejus? datum est autem aliquid, data est caro: *replevit enim carnem pro ea*, adeoque

adeoque si fuerit superflua, melius foret eam abesse, neque oportuit adhibere supplementum, nisi velimus datâ operâ intendere deformitatem Adami. Quod confirmari potest exemplo S. Aquinatis, si enim semen, si saliva excernatur ab homine, non est opus, ut Author naturæ statim substituat illis aliud, quia neque ipsa erant necessariò adhibenda illi individuo, ergò.

Hîc oritur gratiosa difficultas, quomodo corpus Evæ, quod in justa statura fuit formatum, ex una costa potuerit effingi, cùm in ejus corpore plures inveniantur costæ, & multa alia membra, ut caput, collum, pectus, dorsum, femora, crura, pedes, &c. quibus vix sexaginta sufficerent costæ: In qua re satis Authores desudant, ut solvant, ideoq; multa invenerunt media, quidam enim ad rarefactionem recurrunt, alii volunt id factum per multiplicationem ejusdem materiæ ad similitudinem & eum modum, quo Christus Dominus de quinque panibus cœlesti benedictione multiplicatis, quinque millia hominum saturavit, & ita sentit Magister. Alii denique, in quo etiam quiescunt, putant corpus Evæ fuisse factum partim ex illa costa, partim ex circumstante materia. Verumtamen.

III. Costa Adami, ex qua Eva potuit rarefieri.

Dico Secundò: *Potuit costa illa Adæ rarefieri in tantam molem, quanta est illa fœminei corporis, loquendo de fœmina adulta & procera, non tamen in corpus talis fœminæ.* Probatur prima pars: Quia rarefactio est attenuatio corporis, sed costa adulti hominis sine dubio potest usque adeò attenuari, imò centuplo plus, cùm omne continuum sit divisibile in infinitum ferè, quia non habet finem partium.

Dices: Hoc non fieri per divisionem. Respond. verum est, rarefactum non proindè dividi sive discontinuari, tamen extenditur interim, & una pars jam magis distat à se quàm antea, ut apparet in lacte calefacto, & aquâ bulliente.

Probatur secunda pars: Quia rarefactum eo ipso debilitatur, nam virtus, quæ antea fuit unita, est dispersa: omne autem finitum, quo pluribus impenditur, eò minuitur magis, ac debilitatur, undè una costa extensa in molem humani corporis esset flaccida ac evanida, nullo modo sufficiens partibus solidis, puta carnibus, ossibus, nervis, unguibus &c. Deindè non sufficeret operationibus validis, ut nec stipulæ, aut aristæ ad pugnandum, vel secanda corpora. Adeoque

IV. Eva non est facta de sola costa Adami.

Dico Tertiò: *Eva non est facta de sola costæ substantia per divinam potentiam in seipsa multiplicata.* Hæc est contra Magistrum, qui proindè refutatur, & refutatione conclusio probatur: Nam ad declarandum aliquid non clarum, adhibet aliud obscurum: Supponit Magister, quòd probandum ei fuit, aut certè potuit negari, & ille debuit timere negandum, scilicet satietatem illam quinque millium factam esse per multiplicationem illorum panum in seipsis, non enim id est certum, saltem non clarum, imò vix credibile. Probatur Secundò: Quia idem manens idem semper reddit id ipsum, non plus, tametsi centies multiplicaretur, & ita tota illa fœmina non plus virium aut roboris haberet, quàm una costa, sicut in Physica dixi, quòd quamvis homo quispiam eò usque multiplicaretur, ut redderet exercitum, non tamen haberet plus virium totus ille exercitus, quàm unus miles, & qui unum ex tot millibus occideret, omnes illos tot millia totum exercitum enecaret. Deindè in conservatione illius fœminæ esset perpetuum miraculum. Denique illa non posset generare proles sibi similes, quia non posset multiplicare unam partem materiæ in illis sicut DEUS. Verumtamen iste modus Magistri non est planè contemnendus.

V. Eva non fuit facta ex costa & aëre ambiente.

Dico Quartò: *Corpus Evæ non fuit factum ex costa Adami, nec ex aëre ambiente, vel alia circumstante materia.* Probatur: Quia si ad perficien-

dum corpus mulieris Dominus DEUS extrinsecam materiam in augmentum addidisset, additamentum illud majus esset, quàm ipsa costa; adeoque fœmina illa deberet dici facta potius de illo additamento, quàm de costa, quia nimirum plures partes materiæ suæ indè accepisset.

Dices: Verum quidem esse, quòd plus mulieris factum sit ex externa illa materia, quàm ex costa, adhuc tamen mulierem dici debere ex costa factam, non ex additamento, quia costa fuit materia fundamentalis, non æternum illud. Sed Contra: hoc arbitrariè dicitur, neq; enim in re fundamentum habet, cur enim illud parum erit fundamentalis materia, & illud multum non erit? an non videtur hoc ineptè nedum arbitrariè dici? volo uni præparare pallium trium ulnarum longum, & habeo tantùm unam ulnam panni, clarum est, quòd debeam adhuc acquirere duas, si quis hoc fecerit, profectò non erit ratio, cur prior ulna dicatur materia fundamentalis huic pallio, & non dicentur illæ aliæ duæ? Sic est in proposito. Adeoq;

VI. Eva non fuit facta ex costa & materia de novo producta.

Dico Quintò: *Corpus Evæ non est factum ex costa, & materia de novo à DEO creata.* Probatur: Quia tunc deberet fœmina dici producta ex materia nova potius, quàm ex veteri illa costa. Deindè DEUS cessavit à creatione propriè dicta statim à principio, deinceps enim nihil ex nihilo, omnia ex materia produxit. Denique, si Dominus DEUS produxit de novo materiam, quæ mulieri proceræ sufficeret, quæro ubi invenit locum illi materiæ? novum non creavit, vetera omnia repleta erant quantitatibus suis, ac materiis, ergò.

VII. Evæ corpus fuit factum ex costa & materia prius in costam transeunte.

Dico Sextò: *Corpus Evæ sic factum ex costa Adami, & adjecta materia, ut prius transierit in costam, quàm transiret in mulierem.* Probatur: Quia DEUS non fecit Evam partim ex costa, partim ex adjecta materia, v. g. aëre vel terra, sed totam ex costa, quia immediatè indidit materiam costæ, & auxit eam, tunc autem ex costa aucta fœminam formavit, sic Matth. 14. & Joann. 6. dicuntur quinque millia satiata ex quinq; panibus, quia quamvis non sufficerent pauci panes tantorum satietati, sed adjecta fuerit alia materia, tamen materia illa prius transivit in panes, quàm in alimentum (nec enim illi homines manducaverunt terram, aut aërem ambientem) proindè verè dicuntur panibus saturati, quia panes comederunt, jam tunc externâ materiâ auctos; ita in præsenti.

Dico Septimò: *Eva fuit formata sextâ die creationis mundi.* Ita D. Bonaventura 2. d. 18. a. 1. q. 1. ad primum, & Expositores Scripturæ concorditer contra nonnullos existimantes Evam septima die productam, & Probatur: Quia inter cætera opera sextæ diei referuntur Genes. 1. *Masculum & fœminam creavit eos*, utique Adamum & Evam, deindè subditur: *Benedixitque illis DEUS, & ait: Crescite & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam:* & post alia in plurali numero relata ambos alloquitur: *Ecce dedi vobis omnem herbam - - - ut sint vobis in escam*, & tandem concluditur: *Et factum est vespere & mane dies sextus*, quæ omnia apertè indicant Evam die sextâ fuisse productam. Idem docet S. Augustinus lib. 6. Genes. cap. 2. *Neque enim sexto die factus est masculus, & accessu temporis facta est fœmina, sed fecit eum, inquit Moyses, masculum & fœminam*, ergò eodem die facti sunt, licèt non simùl, sed Adam manè, & vesperi Eva, nam notabile tempus interfluxit in bestiarum adductione, nominum impositione, dormitione, &c. undè in hoc Adam excellit Evam, quòd ejus sanguis diutius perstiterit in naturali suo honore, & puritate à peccato. VIII. Eva fuit formata sextâ die.

Dices: Scriptura Genes. 2. refert Evæ formationem post sextam diem, ergò. Respond. neg: conseq: Quia sicut Scriptura aliquando loquitur, & refert aliqua per anticipationem,

tionem, ita aliquando prius facta, & in generalibus terminis prolata, magis explicitè repetit per recapitulationem, ut addat, quod ante omiserat. Itaque cap. 1. Genes. summariè Scriptura inter opera sextæ diei retulerat formationem Adæ & Evæ, modum autem creationis tàm Evæ quàm Adæ in capite sequenti expressit.

IX. Eva fuit formata in Paradiso. Dico Octavò: *Eva à solo DEO fuit formata in Paradiso.* Hæc est communior Patrum opinio, & Probatur prima pars ex D. August. lib. 9. Gen. cap. 15. *Aliter ergò quæritur, quemadmodum sit soporatus Adam, costaque ejus sine ullo doloris sensu à corporis compage detracta sit. Hæc enim fortasse dicantur potuisse per Angelos fieri: formare autem vel ædificare costam: ut mulier esset, usque adeò non potuit nisi DEUS, à quo universa natura subsistit, ut nè illud quidem carnis supplementum in corpore viri, quod in illius costæ successit locum, ab Angelis factum esse crediderim: sicut nec ipsum hominem de terræ pulvere: non quod nulla sit Angelorum opera, ut aliquid creetur, sed non ideò creatores sunt: quia nec agricolas creatores segetum atque arborum dicimus. Non enim qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, DEUS. Ad hoc incrementum pertinet etiam in corpore humano, quod osse desumpto, locus carne sepultus est: illo scilicet opere DEI, quo naturas substituit ut sint, quò ipsos quoque Angelos creavit.* Hoc ulterius patet, Quia hoc indicat contextus Scripturæ, Genes. 2. ubi statim à formatione Adæ refertur is in paradisum introductum, deinde ad illum omnia animantia adducta, & immissus in illum sopor, ergò. Pro majori elucidatione libet hic subjungere aliquas curiosas quæstiunculas, quare

X. Eva cur ex viro educta? Quæres Primò: Quare DEUS voluerit Evam ex viro educere, & non magis utrumque simùl sicut geminos efformare? Respond. DEUM per hoc voluisse indicare, ut generis humani capita & origines mutuo amore sibi connecterentur, & ob unitatis principium unitatem amarent, quando enim plurasunt principia, subsequuntur divisiones rerum & animorū, unum autem est indivisibile, divisione illa, qua unum est.

Quæres Secundò: Cur Eva ex latere Adami educta fuit? Respond. Primò cum S. Bonavent. suprà: *Ideò fœminam factam de costa viri, quia vir mulieri confert robur, & mulier per viri consortium vigoratur, vir autem per consortium mulieris emollitur, & ideò dicitur caro repleta pro costa, quia vir dat fortitudinem, & suscipit infirmitatem.* Respond. Secundò: Ideò factum, ut Eva (& consequenter omnes aliæ fœminæ) non arbitrarentur se esse superiorem marito, cùm non prodierit ex capite, nec maritus deprimeret eam servitute tanquam inferiorem, cum non exierit ex crure aut calce, & uterque & singuli crederent se æquales, eò, quòd costa sit in medio animalis, & latera sint corporis meditullia. Respond. Tertiò: Hoc factum esse, ut significaretur allegoricè conjunctio Christi & Ecclesiæ. XI. Eva cur ex latere?

Quæres Tertiò: Quare Eva ex latere dormientis Adami fuerit educta? Respond. litteraliter accipiendo Scripturam, ideò hoc factum, ut ostenderet omnipotentiam DEI delicatè laborâsse, quæ potuit costam solidam & internam homini tàm dextrè extrahere, ut non modò non doleret illi, sed nec eum à somno excitaret. Allegoricè autem factum est, *in Christo & Ecclesiâ*; nam sicut Eva ex latere dormientis Adami educta est, ita Ecclesiæ Sanctitas ex latere CHRISTI morte soporati, quando ex illo lanceâ aperto *sanguis & aqua*, hoc est, Baptismus & Eucharistia summa Ecclesiæ Sacramenta profluxerunt. Ita præclarè S. Augustinus enarr. in Psalm. 103. ubi ait: *Erat autem Adam quædam forma futuri? hæc Apostolus dicit: Qui est forma futuri. Præfiguratum est, quod futurum erat, facta est Ecclesia de latere Domini dormientis in cruce. Nam de latere crucifixi percusso, Sacramenta Ecclesiæ profluxerunt.* XII. Eva cur ex latere dormientis.

XIII. Somnus Adami qualis fuerit.

Quæres Quartò : Qualis fuerit ille somnus Adæ immissus? Respon. fuisse Extaticum, quod probari potest primò ex 70. interpretatione, qui pro somno vertunt *Extasim*. Deindè D. Augustinus lib. 8. Genes. cap. 19. causam pulchram allegat dicens : *Per hoc etiam illa ecstasis, quam DEUS immisit in Adam, ut soporatus obdormiret, rectè intelligitur ad hoc immissa, ut & ipsius mens per ecstasim particeps fieret tanquam angelicæ curiæ, & intrans in sanctuarium DEI intelligeret novissima. Denique evigilans tanquam prophetiæ plenus, cùm ad se adductam (costam) mulierem suam videret, eructavit continuò, quod magnum Sacramentum commendat Apostolus, hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Hæc vocabitur mulier, quoniam de viro sumpta est : & propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Quæ verba cùm primi hominis fuisse Scriptura ipsa testetur, Dominus tamen in Evangelio DEUM dixisse declaravit.* Denique fuisse somnum illum exstasim, indè colligitur, quia fuit à DEO immissus, ut futura per prophetiam disceret, undè in eo vidit, quid circa illum ageretur, & quid præfiguraret, quare post evigilationem prorupit in hæc verba : *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, quæ vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.*

XIV. Eva habuit nobiliorem Adamo originem.

Quæres Quintò : An Eva habeat nobiliorem ortum & originem quàm Adam? Respond. Affirmativè, quod potest multipliciter probari : Primò, Quia Eva in nobiliori loco est formata, nempè in Paradiso, Adam verò extra, undè S. Bernardus non veretur dicere, Annuntiationem S. Baptistæ nobiliorem esse, quàm Christi Domini, licet hic mille Baptistis præstet, ex eo, quòd annuntiatio Christi tantùm facta fuerit in camera B. Virginis, Baptistæ verò in templo, nam S. Lucas cap. 1. ait : *Factum est autem, cùm Sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante DEUM - - - - Apparuit illi Angelus Domini stans à dextris altaris incensi.* Secundò, quia Eva ex digniori & nobiliori materiâ est facta, quàm Adam, adeoque in se nobilior, antec: probatur : Quia illa facta est ex homine Adamo scilicet, hic autem ex luto, sed certum est, hominem quid nobilius esse luto, quod est quoddam compositum ex duobus elementis, quæ conjungi non possunt, nisi singula inficiantur, terra aquam, & hæc terram maculet : Et licet dici possit, Evam non esse factam ex homine, sed ex costa, nihil obstat, quia etiam os est nobilius compositum, quàm lutum, cùm os sit solidum & candens, hoc lubricum & fuscum, quod nemo potest attrectare, nisi ut sordescat, qui illud attingit, sed certum est eò nobiliùs aliquid esse, ex quo nobiliori materia componitur, hinc homines delicati maximè attendunt, quibus rebus vescantur aves, & animantia sylvestria, & quo nobilius deprehenduntur habere pabulum, eò nobiliores censentur esse carnes. Tertia prærogativa est, quòd nobilius nomen sortita sit quàm Adam, nam Adam idem est quod terrenus, seu ruffus, Eva autem *vivens* & *vita*, undè ipse fatetur, nam Genes. 3. dicitur : *Et vocavit Adam nomen uxoris suæ Heva : eò quòd mater esset cunctorum viventium.*

Dices : Tò *Adam* significat hominem, ut testatur Scriptura & S. Augustinus lib. 15. Civit. cap. 17. dicens : *Nam sic de illo scriptum est : Masculum & fœminam fecit eos, & benedixit illos, & cognominavit nomen eorum Adam. Undè non ambigitur, sic appellatam fuisse fœminam Evam proprio nomine, ut tamen Adam, quod interpretatur homo, nomen esset amborum*, ergò nihil ex homine habet nobilius. Respond. neg: conseq: nam licèt vocetur Adam homo, hinc tamen nullam specialem fortitur prærogativam, quia etiam Eva vocatur *Adam* adeoque homo, nam cap. 5. Gen. dicitur : *Masculum & fœminam creavit eos, & benedixit illis,*

illis, & vocavit nomen eorum Adàm, in die, quo creati sunt. Hæc quamvis probabiliter dicantur, & benè, ex aliis tamen principiis & rationibus longè nobilior est Adam, quàm Eva, nam *à muliere initium peccati, & per illam omnes morimur*; ait Ecclesiast. cap. 25.

QUÆSTIO TERTIA.

De Anima Hominis.

1. Spiraculũ Adamo inspiratum quale sit, variæ opiniones.

NOn intendo hìc animæ humanæ naturam per totum investigare, nam materia hæc in immensum excresceret tractatum, quem cùm in Philosophia mea copiosum tradiderim, hìc non nisi eas difficultates examinabo, quæ oriuntur ex illo Gen. 2. *Formavit igitur Dominus DEUS hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem.* In quo loco fit mentio tàm animæ, quàm corporis humani, Corporis quidem ibi: *Formavit DEUS hominem de limo* (nec enim aliud hominis de limo factum est quàm corpus) animæ autem ibi: *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*, nam anima est vita, & illius est vivificare, quod etiam sequitur in textu: *Et factus est homo in animam viventem.* Est enim idem ac asserere, quòd proindè homo evaserit animal vivens, non est Synecdoche, & phrasis hebraica, aliàs enim homo non evasit anima, sed benè animal; tunc sic, sed suprà ostendi formationem corporis à DEO factam esse, cum interim ageret figulum aut plastem, ergò similiter censendum est ad litteram & physicè referri, ac verificandum esse, quòd idem animam formaverit spirando seu sufflando, atque ita anima est flatus, Dominus DEUS enim flando communicavit animam & vitam homini, flando autem sine dubio communicavit flatum.

Porrò, qualis flatus ille sit, & fuerit, controvertitur, nam Philosophi nonnulli animam hominis animalem, & quadam contagione infectam corporum docuerunt, imò etiam assignârunt corpus, quod esset illa, ita ut diceret Zeno esse ignem: Anaxagoras & Anaximenes aërem, quos secutus Varro definivit, quòd anima sit aër conceptus ore, defervefactus in pulmone, tepefactus in corde, diffusus in corpus: Hippasus & Parmenides animam igneam fecerunt: Empedocles sanguinem: Absolutè autem loquendo corpoream eam judicârut, Cleantes, Chrysippus, & Stoici ferè omnes. Ex Christianis quoque Tertullianus, quo Magistro gloriatur Martyr eloquentissimus Cyprianus, Aurelius Augustinus lib. 2. de Gen. ad litt. in quantum tradit Angelos tàm bonos quàm depravatos habere corpora, quæ ipse declarat, esse aërea, cui sensui insistens epist. 115. scribit Angelos esse animantia aërea. Et lib. 3. de Trin. ait: illos spiritale corpus habere. Et lib. 15. de Civit. ait: eos habere talia corpora, quibus possint fœminis misceri, & alibi sæpè idem repetit, imitatus Philonem lib. de opificio sex dierum. Origenem lib. 1. Periarchon, Hilarium, Basilium, & omnes ferè, qui ipsius tempore scripserunt. Subscribit Joann. Cassian. lib. 7. Collation. Joan. Damasc. lib. 2. Theolog. Et quod plurimò plus refert Synodus Nicæna II. in cujus IV. act. approbantur verba Joann. Thessalon. in hunc modum scribentis: *De Angelis & Archangelis, & eorum Potestatibus, quibus & nostra anima adjungitur, ipsa Catholica Ecclesia sic sentit esse quidem intelligibiles, sed non omninò corporis expertes, verum tenui præditos, & aëreo*, quod etiam persuadere conatur ille, Psal. 103. v. 4. *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros ejus ignem urentem*, & addit: *Sic autem multos SS. Patrum sensisse cognovimus*, sed de hac materia sufficienter actum est in priori tractatu. Verùm quoad præsentem econtra Philosophi aliqui, quos secuti sunt Manichæi, dixerunt, animam hominis esse partem divinæ substantiæ, de qua Horatius lib. 2. serm. Satyr. 2.

- - - - Animam quoque prægravat una
Atque affligit humi divinæ particulam auræ.

Sancti reprobârunt hoc commentum, arguendo ex isto loco & facto DEI, quia (inquiunt) flatus non est aliquid flantis, quo dicto quisque videt eos judicâsse, quòd anima aliquis sit flatus sive aliquid à DEO inspiratum corpori primi hominis, aliqui non rectè probâssent animam Adami non fuisse partem DEI.

II. Spiraculū illud non est aliqua divinæ naturæ particula.

Dico Primò: *Spiraculum illud, quod DEUS inspiravit in faciem, seu vultum, aut nares hominis primi, non est aliqua divinæ mentis, vel Essentiæ particula de DEO inspirata.* Ita Patres omnes, & contra oppositum errorem graviſſimè arguit Div. Augustinus serm. 191. de temp. *Animas à DEO dari credimus, quas ab ipso factas dicimus anathematizantes eos, qui animam quasi partem DEI, divinæ dicunt esse substantiæ.* Undè lib. contra Mend. ad Consent. 5. ait: *Priscillianista dicit, quòd anima sit pars DEI, & ejusdem, cujus est ille, naturæ ac substantiæ, magna hæc est, & detestanda blasphemia: Sequitur enim ut DEI natura captivetur, decipiatur, fallatur, conturbetur atque turbetur, damnetur, atque crucietur.* Et Disp. 1. contra Fort. *Si anima substantia DEI est, substantia DEI errat, substantia DEI corrumpitur, substantia DEI violatur, substantia DEI decipitur, quod nefas est dicere.* Epist. 28. ad Hieronym. dicit: *Non est pars DEI anima, si enim hoc esset, omninò incommutabilis, atque incorruptibilis esset. Quod si esset, non deficeret in deterius, nec proficeret in melius, nec aliquid in semetipsa inciperet habere, quod non habebat, vel defineret habere, quod habebat. &c.* Deduci potest quoque ex D. Bernardo serm. 80. in Cant. concedens, animam esse ad imaginem factam, non esse tamen imaginem, sed ad similitudinem dicens: *In quo similis sit quæris? Audi de imagine prius, Verbum est veritas, est sapientia, est justitia, & hæc imago cujus? Justitiæ, Sapientiæ, & Veritatis, est enim imago hæc justitia de justitia, sapientia de sapientia, veritas de veritate, quasi de lumine lumen, de DEO DEUS, horum nihil est anima, quia non est imago, est tamen earundem capax appetens, & indè fortaſſis ad imaginem.* Sed si anima esset particula divinæ naturæ, esset Sapientia, de Sapientia, veritas de veritate, &c. *Credendum itaque est,* claudit D. Augustinus lib. 7. litt. cap. 1. *Et intelligendum, neque ullo modo dubitandum, quod recta fides habet, animam sic esse à DEO, tanquam rem, quam fecerit, non tanquàm de natura, cujus est ipse, sive genuerit, sive quoquo modo protulerit.* Rationes proindè adducere non est necesse, continentur enim sufficienter in allegatis authoritatibus.

Dico Secundò: *Spiraculum illud non est accidens aliquod supernaturale à DEO inspiratum, sed est ipsa anima rationalis, substantia purè spiritualis.* Prima pars est contra Philastrium & Cyrillum Alexandrinum. Probatur prima pars: Quia anima est vita corporis, pars principalis hominis, operationum intellectualium, & ipsiusmet beatitudinis & visionis DEI capax, sed hæc non competunt accidenti, ergò: major patet ex D. Augustino quæ. 88. in illum locum: *Qui percusserit omnem animam hominis,* Levit. 25. ait: *Scriptura appellat animam ipsam vitam corporis, quæ fit per animam, & hinc voluit ostendere homicidium, quod hominis animam percutiat, id est, percutiendo vitâ hominem privet.* Et lib. 1. locut. Gen. in illud Gen. 37. *Non feriamus eum in anima, ait: Hoc loco nomine animæ vitam corporis animati significat per efficientem id, quod efficitur.* Et Tr. 27. in Joann. *Anima tua non vivificat nisi membra, quæ sunt in carne tua.* Similiter definit animam D. Bernardus, quòd sit vita corporis, undè serm. 81. in Cant. id clarè sic explicat: *Vita anima est vivens quidem, sed non aliundè quàm seipsa, ac per hoc non tàm vivens quàm vita, ut propriè de ea loquamur. Indè est, quod infusa corpori vivificat illud, ut sit*

III. Spiraculū illud non est aliquod accidens, sed anima substantia spiritualis.

corpus

corpus de vitæ præsentiâ non vita, sed vivens.

Probatur secunda pars Primò: Ex Scriptura, Lucæ 23. *In manus tuas Domine commendo spiritum meum.* Ecclesiast. ultimo: *Revertatur pulvis ad terram suam unde erat, & spiritus redeat ad DEUM, qui dedit illum.* Quos textus omnes Patres intelligunt de spiritu, prout corpori opponitur, non de aëre, vel igne. Confirmatur ex Concil. Lateran. sub Innocentio III. *cap. Firmiter. de Summa Trinit.* ubi dicit: Naturam humanam constitui ex spiritu, & corpore.

Probatur Secundò ex authoritate SS. Patrum; Augustini lib 12. Genes. litt. cap. 33. ubi dicit: *Animam verò non esse corpoream, nec me putare, sed plane scire audeo profiteri.* Lib. 4. de an. & ejus orig. cap. 23. dicit: *Quocirca si & illa, quæ de anima incorporea disputata sunt, capis & sapis, non est unde tibi displiceam, quòd eam dixi me scire non corpus esse, sed spiritum, quia & corpus esse non monstratur; & generali nomine spiritus vocatur.* Lib. 6. Trinit. cap. 6. *Creatura spiritualis sicut est anima, est quidem in corporis comparatione simplicior;* Composita tamen est metaphysicè, & proprietates formaliter distinctas habet, *quæ non mole diffunditur per spatium loci, sed in quolibet corpore, & in toto tota est, & in qualibet parte ejus tota est. Et ideò, cùm fit aliquid in quavis exigua particula corporis quod sentiat anima; quamvis non fiat in toto corpore; illa tamen tota sentit, quia totum non latet.* Similia habet contra epist. fund. 16. lib. de quant. animæ cap. 34. lib. de immort. animæ cap. ult. &c. Deinde S. Bernardi tract. de vita solit. ad fratres de monte DEI cap. 15. ubi animam sic describit: *Anima est res incorporea rationis capax vivificando corpori accommodata.* Et serm. 5. in Cantica universaliter dicit: *Habet ergò necessarium corpus spiritualis creatura, quæ nos sumus.* Ubi totum hominem spiritualem dicit à parte principaliori. Item serm. 27. ait; *Nam etsi anima minimè, cùm sit spiritus, quantitatem corpoream recipit, tamen confert illi gratiam, quod negatum est à natura. Crescit quidem & extenditur, sed spiritualiter;* nempè per charitatem, ut ibidem fusè prosequitur. Et quamvis in mea Philosophia complures adduxerim rationes; nihilominus hic etiam aliquas paucas subjungo ibi omissas.

Probatur Primò eadem secunda pars tertiò Ratione: Si anima hominis esset materialis, aut ex materia educta non posset subsistere extra corpus sive ab illo separari; potest autem, & de facto subsistit, ergò non est in substantia materialis: major indè patet, quia educere ex materia est fieri ac conservari dependenter ab ipsa, quæ ergò educitur, dependet, & quæ non dependet, non educitur.

Probatur Secundò: Quia formæ destruuntur præcisè per separationem earum à materia, ergò signum est; quòd non possint esse absque ipsa, intelligo eductas: antec: est apertum vel modicè philosophanti, nam agens naturale non intendit, nisi inducere formam suam in subjectum; non verò destructionem formæ præcedentis in illa; nec enim natura est noverca rebus, sed mater; sicut nec Dominus DEUS, cui verissimè Sapient. 11. v. 25. *Diligis* (inquit Sapiens) *omnia, & nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Si ergò desinunt esse per separationem à subjecto, signum est; quòd essentialiter requirunt subjectum ad suum esse; certum est autem, quòd anima rationalis, non requirit, imò melius esse habet separata quàm conjuncta, ergò. Min: principalis est de fide, imò tota Biblia videntur propter ipsum facta; ergò: Omitto plures rationes alias, & remitto ad Philosophiam. Sed contra primam partem

Opponitur authoritas Philastrii, Episcopi Brixinensis cap. 99. sui Catalogi, ubi inter hæreses numerat assertionem dicentem, per spiraculum intelligendam esse animam, cui con-

consentit D. Cyrillus Alexandrinus, qui hunc locum elucidans ait: *Cùm dicitur in Genesi, quòd inspiravit DEUS in faciem hominis spiraculum vitæ, ut fieret homo in animam viventem, ipsum spiramen non dicimus animam: sic enim anima esset inconvertibilis, & non peccaret, quia de essentia esset divina. Sed Sancti Spiritus effusionem in ipso principio suppositam animæ humanæ dixit Moyses*, ergò. Respond. negando consequ: nam Div. Augustinus in præfatione lib. de hæres. ad Quodvult Deum, scribit, Philastrium multas assertiones inter hæreses annumerâsse, quæ hæreses non sunt, de quarum numero crediderim esse hanc unam, in quam imprudens ipse lapsus est, dum veram & piam Chrysostomi, atque omnium Catholicorum Interpretum damnat sententiam. Idem quoque in 15. de Civit. DEI cap. 24. deridet eos, qui credunt spiraculum, quod spiravit DEUS in faciem Adæ, esse quandam gratiam animæ Adæ collatam, & non potius ipsam animam. Sed quoad Cyrillum attinet, Respond. cum D. Thoma in libro, quem adversus Græcorum errores conscripsit cap. 27. *Quòd Cyrilli expositio est contra expositionem Augustini, qui animam humanam per illud spiramen ponit, & ostendit, quòd non propter hoc sequitur, ut sit de substantia divina, est enim tropica locutio, ut dicatur inspirâsse non corporaliter, sed quia spiritum, id est, animam fecit ex nihilo, & quod est amplius, videtur esse repugnans dictis Apostoli, qui 1. Corinth. 15. dicit: Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem: sed non prius, quod spirituale est, sed quod animale: ubi expressè illam vitam animæ dicit esse aliam à vita, quæ est per Spiritum Sanctum. Undè illa inspiratio, per quam dicitur homo factus in animam viventem, non potest de gratiâ Spiritûs Sancti intelligi, undè dicendum est, quòd expositio Cyrilli non potest esse litteralis, sed solùm allegorica.*

IV. Anima Adæ cæc

Dico Tertiò: *Tunc creavit Deus animam Adami, quando inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ.* Hæc est communis Ecclesiæ & Patrum sensus, & doctrina omnium Theologorum contra Platonem, & Origenem, & ex RR. Franciscum Georgium, virum alioquin doctissimum, qui tom. 1. emblem. in illud: *Formavit Deus hominem*, detorquet hoc ad opinionem citatorum, qui arbitrantur animam tantùm esse hominem, corpus autem vestem animi, ipsamque animam longè ante corpus in cœlo creatam, sic enim scribit problem. 26. *Formavit DEUS hominem pulverem de terra, id est, induit eum vestem terream, corpus videlicet terrenum, primò enim DEUS decrevit hominem facere, postea creavit eum in cœlo, tertiò formavit corpus ejus veluti vestem.* Atque idipsum confirmat problem. 27. ubi ait: *Hominem corporea veste fuisse à DEO circumamictum.* Et problem. 159. ejusdem tomi, dum, inquit, *Hominem fuisse vestitum pulvere in campo Damasceno.* Hæc partim alludere videntur ad Origenis dogma de animabus ante corpus conditis, partim ad placitum eorum, qui negant, animam esse corporis formam. Utrumque autem in Concilio Viennensi à Clemente V. damnatum fuisse, testis est titulus de summa Trinitate, in principio Clementinarum. Deus creavit, quando inspiravit spiraculum vitæ.

Probatur Conclusio Primò ex D. Augustino lib. 11. Civit. cap. 25. Epist. 28. ubi errorem Platonis refutat, & miratur, quomodo Origenes in illum cadere potuerit, vir de sacris literis benè meritus, si enim antè corpora creatæ sunt, & conversantes in cœlo peccare potuerunt, ob quod ad corpora detruderentur, solliciti esse deberemus, nè sanctè defunctus in sinu Abrahæ peccans in flammas illius divitis dejiciatur? *Cur enim non & post hoc corpus peccare possit, si & ante potuit?* Et serm. 7. de verbis Apost. cap. 5. eundem pulchrè refutat probans geminos Rebeccæ antequam nati essent, non fuisse; ob elegantiam sententiarum eam refutationem fusiùs hic pono, prout sequitur: *Aliqui dixerunt, quòd animæ*

Digitized by Google

animæ sursum in cœlo peccant, & secundùm sua peccata ad corpora pro meritis diriguntur, & dignis ibi quasi carceribus includuntur. Ierunt post cogitationes suas volentes disputare de DEI profundo, mersi sunt in profundum. Occurrit enim eis Apostolus volens gratiam recommendare, & elegit eos geminos in utero Rebeccæ, & dicit: Nondum enim natis, nec qui aliquid egerint boni aut mali. Vide quemadmodum tulit vanis hominibus phantasias conversationis animarum ante corpus in cœlo. Si enim jam ibi conversatæ sunt, jam aliquid boni egerunt & mali, & pro meritis suis ad corpora terrena detrusæ sunt. Si placet contradicamus Apostolo, qui dicit nondum natis, nec qui aliquid egerint boni aut mali. Hoc autem, quia propter evidentem sententiam Apostoli respuit Catholica fides, quòd animæ in cœlis prius vivant & illic recipiendorum corporum merita assumant modi isti novelli non audent dicere.

QUÆSTIO QUARTA.

De Imagine DEI in homine.

1. DEUS non est imago hominis.

Dixit DEUS: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, Gen. 1. *Et creavit DEUS hominem ad imaginem suam: ad imaginem DEI creavit illum, masculum & fœminam creavit eos.* Est ergò indubitata fides, hominem esse imaginem, & ad similitudinem DEI factum, non quòd ipse DEUS imago sit propriè, licèt impropriè respectu hominis tanquam exemplar & prototypon, ad cujus instar ipse hominem effinxit, qui proinde vera est DEI imago & similitudo DEI propriè dicta, quatenus ipse DEUM propriè & particulariter DEUM Authorem suum repræsentat, quasi dixisset *Faciamus hominem*, ita ut sit imago nostra, seu ut Hebræi legunt: *Faciamus hominem in imaginem* scilicet *nostri*, undè non DEUS est imago hominis, sed homo DEI, quapropter D. Paulus 1. Corinth. 11. *Vir quidem non debet velare caput suum: quoniam imago & gloria DEI est.* Et Sapient. 2. juxta græcam lectionem omissâ propositione *Ad* dicitur, *DEUS fecisse hominem imaginem propriæ similitudinis*, nam ut omnes Patres docent, ideò hominem conditum, ut expressam in sua natura gereret imaginem sui Authoris, aliter quàm creaturæ irrationales, quæ tantùm sunt quoddam vestigium sui Conditoris, quatenus generali tantùm modo nobis DEUM repræsentant, tanquam effectus causam, homo verò propriè & peculiari modo divinam in se exprimit & repræsentat excellentiam. Videatur S. Bonavent. in Breviloquio part. 2. c. 12.

II. Imaginem DEI putant aliqui esse in corpore.

Porrò, ut priori Disputatione visum est, Primus Adam, & omnis homo ex corpore & anima constat, videndum igitur est, in quo ista imaginis ratio, an in anima, quæ spiritus est, an in corpore subsistat? in qua materia ingens est opinionum diversitas, & insignis difficultas, videre in nobis imaginem DEI, cùm sit difficile retinere faciem & vultum nativitatis nostræ, ut dicit Jacobus, nam Meliton Asianus Episcopus Sardiensis, ut refert Sixtus Senensis, in lib. de DEO corpore induto, tractans illum locum Genesis: *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam*, videtur asserere, quòd imago DEI, ad quam conditus est homo, corporea sit, quemadmodum & DEUS ipse corporeus est, humanam formam, figuram, & membra habens, quam sententiam Epiphanius inter Hæreses Audianorum, qui & Antropomorphitæ dicti sunt, recenset, sic enim de Melitone scribit Theodoretus in Gen. quæst. 20. *Est autem, ut antea dixi, prius discutiendum, ubi consistat illud Ad imaginem, in corpore, an in anima? Et imprimis videamus, quibus utantur; qui prius asseruerunt, è quorum numero est Meliton, qui scripta reliquit, quibus asserit DEUM corporeum esse, membra enim DEI appellamus, inquiunt, cùm reperimus oculos DEI respicientes terram, & aures ejus intentas ad preces eorum, & olfecit DEUS odorem suavita-*

Digitized by Google

vitatis, & os Domini locutum est, & brachium DEI, & manus, & pedes, & digitos, è quibus statim inferunt, hæc nihil aliud docere, quàm formam DEI. Hæc Theodoretus juxta latinam Joannis Pici Galli translationem de Melitone refert. Sed cùm idem Theodoretus in quarto hæreticarum fabularum libro adversùs Audianos hujus insaniæ assertores disputans, nihil tale Melitoni adscribat, nullusque etiam sit ex probatis Scriptoribus, qui ipsum hujusmodi erroris insimulet: nunquam ausim credere, quòd vir sanctitate & eruditione maximus, quem Tertullianus ut Prophetam à Christianis habitum asseverat, in talem amentiam deciderit, & maximè cum præmissa Theodoreti verba longè secus habeant in græcis exemplaribus, quàm in latina translatione.

Sancti Patres Basilius & Nissenus imaginem hujusmodi reponunt in Dominio, quod homo accepit in alia animantia: Et videntur id ex Scriptura depromere, nam DEUS apud Moysen Gen. 1. v. 26. cùm dixisset: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, statim subdidit: *Et præsit piscibus maris & volatilibus cœli.* Origenes, Ambrosius, & idem Nissenus ac alii eam reponunt in similitudine divinarum virtutum. Tertiò à quibusdam consistere in modo existendi in rebus puta ut totus sit in toto, & totus in qualibet parte loci. Alii in arbitrii libertate, ita SS. Damascen. & Bernard. Quidam in comprehensibilitate ita Nissen. item & Ambros. Quidam in immortalitate & immaterialitate animæ. Alii alia assignant, quibus longum esset immorari. Magis communis modus hodiè est, ut sita sit in esse volitivi & intellectivi, ita Recentiores plerumque.

III. Imago debet posse repræsentare.

Notandum Primò: Ad imaginem non requiri, ut habeat similitudinem in natura, sed solùm in repræsentatione, nam omnis nostra cognitio est accidens, & tamen aliqua est imago substantiæ, species impressæ objectorum sensibilium, sunt imagines qualitatum physicarum, & tamen ipsæ non sunt nisi intentionales, undè imago describitur communiter, quòd *sit similitudo repræsentativa totius secundùm imitationem*, undè similitudo latiùs patet, hæc enim reperitur etiam in vestigio, & in duobus ovis, undè D. Augustinus lib. 83. qq. quæst. 74. dicit: *Quantumcunque duo ova sint similia, unum non est imago alterius, quia non est natum imitari ipsum.*

Notandum Secundò: Non esse necesse ad imaginem, ut qui eam producit, intendat repræsentationem sui, nam omnis filius est imago sui patris, quod etiam Scriptura testatur de Seth respectu Adami, & omnes alii homines ad suos parentes, sed in hominibus alius quotus est, qui intendit, aut etiam intelligit hanc sui repræsentationem, sed magis intendunt vel successionem in bonis, vel voluptatem propriam, frequenter enim odiunt hanc repræsentationem, & vellent non sequi filium, maximè in amoribus adulterinis, impediunt frequenter fœcunditatem, nè prodantur, verumtamen non ob id omnis intentio est negando ad imaginem requiri, nam in similibus casibus intervenit intentio naturæ, licèt non intentio suppositi, & personæ generantis. IV. Repræsentatio in imagine non est necesse intendi.

Notandum Tertiò: Non esse anxiè laborandum ad distinguendum tò *Imaginem*, & tò *ad imaginem*, nam licèt explicari possint diversis descriptionibus, finaliter tamen in idem reincidunt, quia quod factum est ad imaginem alicujus, est factum ad ipsum, id est, quod repræsentat imaginem, repræsentat imaginatum, quia imago imaginis, est imago imaginati, sicut causa causæ est causa causati, Cæsarem repræsentat non solùm imago picta à suo Apelle, sed etiam quæcunque alia imago ex illa Apellis decopiata. His prænotatis priùs refutabo quorundam dicendi modos, antequam meum aperiam sensum. Ita

Dico Primò: *Imago non consistit in similitudine divinarum virtutum.* IV. Imago hominis non consistit in

Pro-

similitudine divinarum virtutum.

Probatur Primò: Quia negotium imaginis pertinet ad naturam (ubique enim in Scriptura homo dicitur factus aut creatus ad imaginem DEI) sed virtutes pertinent ad esse gratiæ, ergò hic non continet rationem imaginis. Secundò, quia in nobis sic contingit, quòd scilicet, qui vult describere imaginem alicujus, attendat ad physicum esse, & nullatenus ad sanctitatem autographi sui, ad colores, femetriam, lineamenta, ut de virtutibus & vitiis nihil sollicitus sit. Tertiò, quia ipsa S. Scriptura sic nobis imaginem describit, ut scilicet contineat speciem externam, quam quis præfert. S. Jacobus eam vocat *vultum nativitatis*, id est, vultum sive faciem, quam quis à natura sive nascendo accepit: *Similis est*, inquit, *homini consideranti vultum nativitatis suæ in speculo*, id est, imaginem. David similiter: *Signatum est super nos lumen vultus tui*, id est, imago. Denique si imago DEI consisteret in virtutibus, perderetur per vitia, quod est hæresis, id sequi patet, quia sine dubio virtutes perduntur per ipsa.

VI. Imago non consistit in dominio.

Dico Secundò: *Imago neque consistere in dominio, quod habet homo super omnia animantia.* Probatur, Quia dominium est quid morale, consistens in hominum opinione & assensu, imago autem non, sed est quid physicum. Deindè dominium perdi potest, imago non potest, homo potest alienare à se dominium omnium, quæ possidet, absque eo, quòd quidquam sui perdat, imaginem non potest; ergò aliud est dominium, & aliud imago. Adhuc id ipsum dominium universi hujus traditum est omnibus hominibus conjunctim, imago autem divisim, non voluit DEUS, ut ullus unus ex hominibus esset Mundi totius DOMINUS, & multiplicata humanitate alii nihil haberent; sed voluit ut singuli aliquid; omnes totum haberent; at verò imaginem suam voluit in singulis esse, ac non tantùm semel in omnibus, ergò.

VII. Imago non consistit in libertate arbitrii.

Dico Tertiò: *Imago non consistit in libertate arbitrii.* Probatur: Quoniam libertas divina est longè diversa ab humana, & omni creatâ, ergò hæc non potest esse imago illius, nisi velis dissimilia similia esse, antec: probatur, quia libertas humana est ad oppositos actus, libertas divina non, sed tantùm ad opposita objecta. Libertas divina exercetur sine ullâ mutatione volentis DEI; *apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Humana per novam formam, aut acquisitam, aut ablatam, adeoque per mutationem subjecti sui, ergò.

VIII. Imago non consistit in modo in rebus existendi.

Dico Quartò: *Nec imago consistit in modo existendi in rebus.* Probatur, Quia neque anima est in rebus, sed in uno solo, puta in corpore conjuncta, aut in spatio separata, neq; Dominus DEUS necessariò est in rebus, sed contingenter, cùm res ipsæ contingentes sint: similitudo autem non attenditur penes externa & contingentia, sed penes naturalia: Tametsi simia sedeat instar hominis, non proindè definit esse dissimilis homini. Denique non desunt, qui aliorum viventium; non quidem omnium, sed aliquorum, puta animalium perfectorum; animas putent esse indivisibiliter in corporibus, adeoque si hæc in existentia talis sufficiat ratioñ imaginis; jam bruta erunt imagines DEI, quod apertè contrarium est Scripturæ Geneseos, illa enim hoc discrimen assignat inter hominem & jumenta.

IX. Imago hominis non consistit in corpore solo.

Dico Quintò: *Imago* DEI *etiam non consistit in corpore solo, quamvis hoc tamen habet magnam divinæ imaginis attestationem.* Prima pars est contra Antropomorphitas, & Probatur ex ipsa causali Genes. 1. *Et præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis, universæque terræ, omniq; reptili, quod movetur in terra*, sed homo non potest præesse, & dominari bestiis terræ quoad corpus, cùm ille sit longè debilior illis, sed tantùm beneficio mentis, ut notat D. Augustinus lib. 2. de Genes. contra Manichæos cap. 17. ubi dicit: *Et quod homo*

Digitized by Google

homo ad imaginem DEI factus dicitur, secundùm interiorem hominem dici, ubi est ratio & intellectus: unde etiam habet potestatem piscium maris, & volatilium cœli & omnium pecorum & ferarum, & omnium repentium, quæ repunt super terram. Cùm enim dixisset, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: addidit continuò, Et habeat potestatem piscium maris, & volatilium cœli & cœtera: ut intelligeremus non propter corpus dici hominem factum ad imaginem DEI, sed propter eam potestatem, qua omnia pecora superat. Omnia enim animalia cœtera subjecta sunt homini non propter corpus, sed propter intellectum, quem nos habemus, & illa non habent, quamvis etiam corpus nostrum sic fabricatum sit, ut indicet nos meliores esse quàm bestias, & propterea DEO similes, NB. Omnium enim animalium corpora, sive quæ in aquis, sive quæ in terra vivunt, sive quæ in aëre volitant, inclinata sunt ad terram, & non sunt erecta sicut hominis corpus. Quo significatur etiam animum nostrum in superna, id est, in æterna spiritalia erectum esse debere. Ita intelligitur per animum maximè, attestante etiam erecta corporis forma, homo factus ad imaginem & similitudinem DEI. Ubi eleganter secundam partem Conclusionis adstruit, scilicet formam corporis attestari imaginem DEI. Et lib. 6. de Genes. litt. cap. 12. *Si enim & hominem de terra, & bestias de terra ipse formavit, quid habet homo excellentius in hac re, nisi quòd ipse ad imaginem DEI creatus est? Nec tamen hoc secundùm corpus, sed secundùm intellectum mentis, de quo pòst loquemur. Quamquam & in ipso corpore habeat quandam proprietatem, quæ hoc indicet, quod erectâ staturâ factus est, ut hoc ipso admoneretur, non sibi terrena esse sectanda velut pecora, quorum voluptas omnis ex terra est, unde in alvum cuncta pecora prona atque prostrata sunt. Congruit ergò & corpus ejusdem animæ rationali non secundùm lineamenta figuræq; membrorum, sed potius secundùm id, quod in cœlum creatum est ad intuenda, quæ in corpore ipsius mundi superna sunt: sicut anima rationalis in ea debet erigi.*

Probatur secunda pars: Quià homo est creatus vultu in cœlum erecto, quo admoneretur ipse homo sibi non terrena sectanda instar aliorum animalium, quæ prona terram spectant, sed superna & divina, quorum ipse est capax, ut advertit Div. Augustinus lib. 6. de Genes. ad litteram cap. 12. quod etiam olim cecinit Ovidius lib. 1. Metamorp.

Pronaque cùm spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cœlumq; tueri,
Jussit & erectos ad sidera tollere vultus.

Dico Sextò: *Imago DEI simpliciter etiam non est quærenda in anima sola.* Probatur Primò ex Scriptura, Genes. 2. dicitur: *Formavit DEUS hominem de limo terræ*, ubi vocat corpus hominem, anima enim non est facta de limo, sed de cœlo, de qua postmodum subjungit: *Inspiravit in faciem spiraculum vitæ*, quod non appellat hominem; ergò nec hoc spiraculum solum est imago DEI. Genes. 9. *Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius, ad imaginem quippè DEI factus est homo*, in quo loco exaggeratur gravitas homicidii, eò, quòd nimirum illata sit imagini DEI, injuria autem illata dicitur sanguini, sive homini, quâ constat sanguine, adeòque sanguis ille & caro, quæ in effusione sanguinis læditur, continet imaginem DEI, sive partialiter, sive totaliter, ergò anima sola non est imago DEI simpliciter loquendo. X. Imago non est sola anima.

Probatur Secundò: Quia non omnia prædicata animæ resultant in hominem, ergò quantumvis imago DEI inveniatur in anima, non sufficit id, ut proinde homo statim dicatur imago ejus; antec: constat in communi Philosophia, quia anima est spiritus, homo non, sed corpus, cùm sit animal, quod essentialiter sit vivens, adeoq; corpus organicum.

Dices:

Dices : Prædicata aliqua animæ in totum hominem redundare, ideò enim homo eſt rationalis, quia anima eſt talis, nam corpus certum eſt, quod non ſit tale, homo eſt diſcurſivus, eſt liber in agendo, &c. eò, quòd anima ejus habeat hæc prædicata, ergò etiam homo poteſt dici imago DEI, ſi anima hominis ſit. Reſpond. illa prædicata animæ redundare in totum, ad quæ altera pars, puta corpus ; & ita totum ipſum concurrit, homo eſt vivens ratione animæ, at non ſolius, quia ad ejus vitam etiam corpus concurrit, nam ad augmentationem & nutritionem, quæ eſt vita vegetativa, corpus concurrit, & multò magis clarè ad ſenſitivam v. g. viſionem, palpationem, quia hîc organa illorum ſenſuum agunt evidenter, undè ad illud de rationali tenendum eſt ; quòd ſi organum corporis concurrat ad ratiocinationem, ſive intellectionem, tunc homo ſit verè rationalis, non ratione derivata à ſola anima ; ſed à toto, ſive ab utrâque parte : ſi verò non concurrat, negandum eſt, hominem eſſe rationalem, ſed talis eſt anima ſola.

XL. Imago Dei eſt totus homo, ut continet omne genus entis.

Dico Septimò : *Imago perfecta DEI ſecundùm ſe, in quantum perfecta eſſe poteſt, conſiſtit in toto homine, in quantum homo, continet in ſe omne genus Entis.* Hæc mihi videtur certiſſima, quamvis à Patribus ſic non ſit propoſita, qui imaginem ex potiori parte quærant ; non DEI ſimpliciter ſecundùm ſuam ſubſtantiam, ſed ut trinum & unum, ut mox in ſequenti concluſione dicam. Probatur Primò ex duobus Sanctis Gregoriis Magnis, & Primò ex Romano Summo Pontifice hom. 29. in Evang. ubi dicit : *Omnis autem creaturæ aliquid habet homo. habet namque commune eſſe cum lapidibus ; vivere cum arboribus, ſentire cum animalibus, intelligere cum Angelis : Si ergò commune habet aliquid cum omni creaturâ homo, juxta aliquid omnis creatura eſt homo.* Et Gregorio Magno, altero S. Baſilii fratre, qui dicit : *Perfectè ſe bonum oſtendit, cùm hominem de nihilo conderet, omniq; bonorum copiâ inſtrueret, quæ cùm adeò multa ſunt numero, ut recenſeri ſingula commemorando difficulter poſſint, idcircò breviter univerſa his verbis comprehenduntur, quibus homo ad imaginem Dei factus eſſe dicitur, valent enim illa tantundem, ac ſi diceretur, naturam humanam à DEO in omnium bonorum ſocietatem vocatam eſſe ; nam ſi natura DEI perfecta quædam copia eſt bonorum omnium, homo autem ejus imago, hoc dubiè ſimulachrum ; hoc DEI princeps exemplum, ita refert ; ut & ipſum bonis omnibus abundet.*

Ex quibus authoritatibus ſic argumentor : Imago præ cœteris debet exprimere faciem & vultum ſui imaginati, ſeu quod eſt illi quàm maximè proprium & diſtinctivum ab omnibus aliis, ſed DEO in ſe conſiderato ſummè proprium eſt, eſſe Ens univerſale continens in ſe formaliter, vel eminenter omne ens, omnemque perfectionem, ergò etiam imago perfectior erit, quò magis ſecundùm hanc univerſalitatem repræſentaverit : major patet, nam pictores effigientes imagines, non attendunt ad manus, pedes, brachia, quæ ſunt omnibus communia, ſed ſimpliciter ad vultum & faciem : Probatur min: Quia definitio DEI eſt *eſſe Ens.* Nam Exodi 3. dicitur : *Ego ſum qui ſum*, quaſi *Ego ſum eſſens*, vel *Ens*, vel *exiſtens.* Et iterum : *Qui eſt, miſit me ad vos*, ergò etiam homo imago ejus erit ſecundùm illud, quod complectitur omne Ens ; nam eſt vegetativus ; ſeu vegetatus ; eſt ſenſitivus ; eſt & intellectivus ; ergò.

Dices : Tali ratione Mundus totus poſſet magis dici DEI imago, quia ipſe plura continet ; ſed hoc eſt falſum, ergò. Reſpond: negando ſequel. Quia non continet plura genera quàm homo ; qui continet omnia ; adeòque nihil eſt, quod ab ipſo non contineatur ; mundus enim non eſt vegetativus, nec ſenſitivus, multò minùs rationalis ; quare mundus non continet illa omnia aliter quàm vas, non ſic homo ; qui hæc conti-

net ita, ut etiam sit omnia, sicut DEUS est omne Ens, adeoque homo DEI est perfectissima imago. Sed in contra

Arguitur Primò: Si imago Domini DEI in homine consistat in illa continentia, aut coëssentia omnis entis, frustra dictum est ab ipso DEO, *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, consequ. sine dubio est falsum, esset enim accusare DEUM vaniloquii etiam insipientiæ, sed Probatur sequi, quia omnia illa entia sunt naturalia homini & necessaria ipsi, & Dominus DEUS juxta communem intellectum Patrum hic deliberavit de productione hominis tali modo: Sed ineptum est deliberare de necessariis ac naturalibus, deliberatio enim est de iis, quæ adhiberi possunt & omitti, naturalia autem & necessaria rei non possunt omitti in ea, adeoque frustra deliberavit DEUS de homine faciendo, & de ipsius imagine illi imprimenda, si non potuit sine istis produci, & imago consistat in ipsis. Respond. dupliciter, Primò enim dici potest deliberationem non fuisse de homine producendo tali modo, quia alio non potuit, ut benè deducit argumentum, sed fuisse de absoluta productione ejus, id est, num vellet producere eum, an non: quasi dicerem, deliberationem fuisse de existentia, non de essentia hominis, hæc enim est immutabilis, illa autem contingens. Secundò, non malè diceretur sensus illius sententiæ: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, esse, faciamus aliquod animal nobis simile, jam enim produxerat DEUS jumenta, volatilia, &c. quæ cùm materialia nimis, & rudia admodum essent, expectabant aliquod multò illis perfectiùs, quod clariùs præferret Authorem, adeoque DEUS statuit adhuc unum omnibus perfectius producere, quod propiùs se, imò proximè accederet, undè addidit: ad *imaginem & similitudinem nostram.*

Arguitur Secundò: Homo licèt sit ens & vivens, non tamen est spiritus, sed corpus, adeoque non est omne ens. Respond. etiam huic dupliciter imprimis posse disponi prædicamentum substantiæ, sic ut homo, qui hodiè dicitur corpus, dicatur spiritus, cur enim homo, quià habet duas partes sui, debet censeri juxta unam partem, & quidem deteriorem sui, non verò secundùm aliam præstantiorem. Respond. Secundò, hominem esse spiritualem, quia est intellectivus & amativus, hoc autem sufficit, ut sit ens spirituale, quod cum aliis reddet eum omne ens. Sed contra adhuc

Arguitur Tertiò: Hoc modo etiam bestiæ erunt imagines Domini DEI, etsi non plenæ, habent enim multa genera entis, imò omnia, quæ homo, excepto uno, scilicet intellectivo, & spirituali. Respond. proindè dicendæ sunt umbræ sive umbratiles imagines; stylo Magistri ac suorum, vestigia Domini DEI, quia illis deest non modò unum, sed optimum entis genus, & pars imaginis, hinc & ob hanc causam sunt nonnulli, qui cum Theodoreto & Chrysostomo censent, etiam esse excludendos Angelos ab hac similitudine DEI vel imagine, quia Angeli non habent in se nisi unum genus entis, quod est spirituale, corporale autem non habent, vegetativum non habent, sensitivum non habent, nè virtualiter quidem aut eminenter; qualiter DEUS hos gradus habet, nam Angeli non possunt producere corpora, multò minus viventia, v. g. animalia, & omnium minimè animas, aut spiritus, homo autem habet omnia hæc etiam formaliter, adeoque & certè si verum foret, Angelum esse præstantiorem imaginem DEI, quàm sit homo, non appareret, cur idem Dominus DEUS tàm sollicitus esset de habendo aliquo vivente ad imaginem suam, jam enim multa millia talium habebat, nam suppono Angelos factos esse ante hominem.

Dico Octavò: *Imago* DEI *ut unius, & trini consistit in homine in parte intellectiva accipiendo intelle-* XII. Imago DEI ut Trini consistit in parte intellectiva.

ctivam

ctivam pro ea, quæ transcendit sensitivum. Ita SS. Patres communiter. Probatur Primò authoritate S. Augustini lib. 15. Trinit. cap. 7. dicentis: *Quod excellit in anima, mens vocatur.* Et pòst: *Homo non secundùm omnia, quæ ad naturam ejus pertinent, sed secundùm solam mentem imago dicitur.* & lib. 14. cap. 8. *Imago ibi invenienda in nobis est, quo etiam natura nostra nihil habet melius.* Quomodo autem in intellectiva parte sit imago SSS. Trinitatis, ostendit duplici modo:

Primò lib. 9. de Trinit. cap. 4. ait: *Igitur ipsa mens & amor & notitia ejus, tria quædem sunt, & hæc tria unum sunt: & cùm perfecta sunt, æqualia sunt.* Et lib. 10. cap. 10. *Hæc igitur tria, memoria, intelligentia, voluntas, quoniam non sunt tres vitæ, sed una vita, nec tres mentes, sed una mens: consequenter utique nec tres substantiæ sunt, sed una substantia. Memoria quippè, quæ vita & mens & substantia dicitur, ad seipsam dicitur. Quod verò memoria dicitur, ad aliquid relativè dicitur. Hoc de intelligentia quoque, & de voluntate dixerim. Et intelligentia quippè & voluntas ad aliquid dicuntur. Vita est autem unaquæque ad seipsam, & mens & essentia. Quocircà tria hæc eò sunt unum, quò una vita, una mens, una essentia.* In primo habet hæc tria: *Mens, Notitia & Amor*, in secundo loco adducit illa tria, nempè, *Memoria, Intelligentia, & Voluntas.* Lib. autem 15. cap. 3. dicit, quòd illa, quæ posita est in decimo libro, quòd sit evidentior, quod etiam approbat Doctor subtilis, ast dicit, tunc memoriam accipiendam esse pro tota anima, ut includat utramque fœcunditatem intelligendi & volendi, & de priori modo sic loquitur: Dico igitur, quòd per mentem possumus intelligere actum primum perfectum respectu utriusque actûs secundi, scilicet fœcunditatem ad gignendum & spirandum, & hoc modo mens habet rationem perfectè parentis, quia includit perfectè utramque fœcunditatem, & tunc alia duo, scilicet amor & notitia sunt duo producta ab anima, licèt ordine quodam, & tunc non erit quaternitas, quia in parente habente perfectam rationem parentis, concurrit actus primus duplex, & isto modo est in divinis, quia in Patre non solùm est fœcunditas ad generandum, sed etiam ad spirandum. Si autem *mens* accipiatur præcisè ut actus primus, habens solummodò fœcunditatem respectu notitiæ genitæ, hoc modo imperfectè assignatur imago, quia hoc modo *Mens* non habet rationem Parentis perfectè. Qui plura de imagine Trinitatis requirit, legat meum primum Sententiarum tract. 6. disp. 1. q. 3.

XIII. Imago DEI non deletur per peccatum.

Dico Nonò: *Imago DEI non deletur in homine per peccatum aliquod.* Probatur Primò Authoritate S. Augustini lib. de Spir. & litt. ad Marcell. cap. 28. ubi dicit: *Verumtamen, quia non usque adeò in anima humana imago DEI terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, undè meritò dici possit etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis vel sapere: si hoc est, quod dictum est, quia Gentes, quæ legem non habent, hoc est, legem DEI, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt, & quia hujusmodi homines ipsi sibi sunt lex, & scriptum opus legis habent in cordibus suis, id est, non omninò deletum est, quod ibi per imaginem DEI, cùm crearentur, impressum est.* Undè etiam in lib. Retract. cap. 24. retractat ea, quæ scripserat in oppositum: *Quod dixi Adam imaginem DEI, secundùm quam factus est, perdidisse peccato: non sic accipiendum est, tanquam in eo nulla remanserit, sed quod tam deformis, ut reformatione opus haberet.*

Undè, quando etiam alii SS. Patres dicunt, imaginem DEI deleri & extingui per peccatum, intelligendi sunt de imagine & similitudine DEI supernaturali per gratiam & sanctificationem, per quam divinæ naturæ participes & Filii DEI efficimur, in qua aliqui eorum ponunt rationem imaginis, & de hac etiam loquitur D. Paulus 1. Corinth. 15. & 2. Corinth.

Digitized by Google

rinth. 3. ad Coloss. 3. *Et induentes novum, eum, qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus, qui creavit illum.* Et ad Ephes. 4. *Renovamini autem spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundùm DEUM creatus est in justitia & sanctitate veritatis.*

Probatur Secundò Ratione: Quia imago hominis est naturalis, in ipsa substantia animæ fundata, quæ autem sunt naturalia non solùm in Angelis, teste Dionysio, sed etiam in homine manserunt integra, undè D. Bernardus serm. 1. de Annuntiatione ait: *An fortè quæris & tunicam inconsutilem, quæ non dividitur, sed sorte provenit? Ego divinam arbitror esse imaginem, quæ nimirum non assuta, sed insita atque ipsi impressa naturæ dividi, scindique non potest. Ad imaginem nempè & similitudinem Dei factus est homo, in imagine arbitrii libertatem, virtutes habens in similitudine. Et similitudo quidem periit, veruntamen in imagine pertransit homo. Imago siquidem in gehenna ipsa uri poterit, non exuri, ardere, sed non deleri. Hæc ergò non scinditur, sed forte provenit. Et quocunque perveniat anima, simùl & ipsa erit. Nam similitudo non sic, sed aut manet in bono, aut si peccaverit anima, mutatur miserabiliter, jumentis insipientibus similata.* Ubi Mellifluus cum aliis Patribus etiam inter imaginem & similitudinem distinguit, hanc in gratia constituens, illam in natura, verum Scriptura hic utrumque confundit, & promiscuè pro eodem accipit.

XIV. Fœmina est etiam imago DEI. Quæres: An fœmina sit etiam imago DEI? Respond. Affirmativè, non tamen æquè Scriptura attestatur ac de viro. Ita D. Augustin. lib. 11. de Trinit. cap. 7. ubi ait: *Quomodo ergò per Apostolum audivimus virum esse imaginem DEI, undè caput velare prohibetur, mulierem autem non, & ideò ipsa hoc facere jubetur? nisi credo illud esse, quod jam dixi, cùm de naturâ humanæ mentis agerem, mulierem cum viro suo esse imaginem DEI, ut una imago sit tota illa substantia? Cùm autem ad adjutorium distribuitur, quod ad eam ipsam attinet, imago DEI est, tàm plena atque integra, quàm in unum conjuncta muliere. Sicut de natura humanæ mentis diximus, quia & si tota contempletur veritatem, imago DEI est: & cùm ex ea distribuitur aliquid, & quadam intentione derivatur ad actionem rerum temporalium, nihilominus ex qua parte conspectam consulit veritatem, imago DEI est: ex qua verò intenditur in agenda inferiora, non est imago DEI.*

Probatur itaque prima pars: Quia mulier est ejusdem essentiæ cum viro, solo sexûs discrimine, imò neque hoc ipso per omnia, ut nôrunt anatomici, & experientiis aliquot patuit, si ergò vir per essentiam sit imago Domini DEI, vel alterius etiam fœmina erit.

Probatur secunda pars: Quia negotium hoc imaginis DEI in homine ex Scriptura sola didicimus: Cùm enim nemo nostrum viderit unquam DEUM, neque possit à nobis ullâ ratione sciri, cujusmodi sit ille in substantia; proindè neque deprehendi à nobis potest, quæ sit ejus imago, quis sit similis aut dissimilis ei, sed S. Scriptura (si quis advertat) ubicunque hanc imaginem adscribit homini semper loquitur de viro, quod probatur referendo ipsa loca & incipienda à præsente opere, Gen. 1. cùm retulisset historicus consilium Domini DEI de communicanda hac imagine homini, ait: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram:* subdens factum scribit: *Et creavit DEUS hominem ad imaginem suam, ad imaginem DEI fecit illum.* Vides apertè marem. sequent. cap. 5. ejusdem operis: *Hic est liber generationis Adam in die, quo creavit DEUS hominem, ad similitudinem DEI fecit illum,* vides eundem iterum adhuc tertiò ejusdem cap. 9. *Quicunque effuderit sanguinem humanum, effundetur sanguis illius, ad imaginem quippè DEI factus est homo,* ecce imaginem in virili sexu. Sap. 2. *DEUS creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitu-*

Digitized by Google

militudinis suæ fecit illum. Quæ eadem verba ferè repetit alius Sap. Eccles. 17. ut videas grammaticam illam & sexum semper servari penes imaginem DOMINI DEI à Scriptura.

In Novo Testamento idipsum recurrit, Paulus enim ad Coloss. 2. *Expoliantes vos veterem hominem, - - - - & induentes novum, eum, qui renovatur in agnitione secundùm imaginem ejus, qui creavit illum.* Imò 1. Corinth. 11. videtur ille expresse negare imaginem DEI mulieri: *Vir non debet velare caput suum, quoniam imago & gloria DEI est: mulier autem gloria viri*, & sine dubio imago ejusdem, ut patet ex tenore & intento Apostoli ibi, unde etiam confici potest ratio sic. Causa, cùr vir non debeat velare caput suum, est, quia vir est imago DEI, at verò idem Apostolus ibidem vult velari caput mulieris, igitur censet eam non esse imaginem DEI, sicut vir est, alioquin permisisset ei caput invelatum sicut viro.

DISPUTATIO SECUNDA. DE PARADISO.

PLantaverat autem Dominus DEUS Paradisum voluptatis à principio: in quo posuit hominem, quem formaverat, ait Moyses cap. 2. Gen. quare considerata hominis natura, ejus proinde domicilium primum est perlustrandum, ad quod accuratius præstandum invitant ejus delitiæ, quibus abundat; Venite, & festinemus ingredi illum mente & cogitatione, ut post exilium diutinum reverti mereamur in veritate, & beata fruitione. Sit igitur;

QUÆSTIO PRIMA.

De Paradiso secundum se.

1. Paradisus non fuit conditus ante cœlum & terram.

TRes potissimum reales difficultates hîc resolvendæ sunt: Prima est, Quando Paradisus creatus sit? Secunda, ubi sit positus? & Tertia, an adhuc de facto extet? Circa quas propositiones in diversas abiverunt opiniones. Et quidem quoad primum D. Hieronymus in principio ferè Hebraicarum traditionum hoc annotans rejicit septuaginta Interpretes, qui pro eo, quod Moyses dixit *Mikedem*, & nostra vulgata editio habet *A principio*, verterunt *ad Orientem*: & sequens versionem Aquilæ, Symmachi & Theodotionis, quorum primus transtulit *Ab Exordio*: Secundus *A principio*: Tertius *In primis*: infert ex horum consensu hujusmodi conclusionem: *Ex quo manifestissimè comprobatur, quod priusquam cœlum & terram DEUS faceret, Paradisum antè condiderat: sicut & legitur in Hebræo: Plantaverat autem DEUS Paradisum in Eden à principio.* Hanc illationem Augustinus Chisamensis Episcopus, in annotationibus Geneseos improbans, ait: Hieronymus ex hac dictione *Mikedem*, falsò deduxisse, quod ante cœlum & terram factus sit Paradisus: quia *Mikedem* hac in parte non tempus, sed locum significat; sicut con-

Digitized by Google

convincitur ex alia simili sententia infra cap. 3. ubi habetur : *Et posuit à parte Orientali horti Eden Cherubinos*, non arbitror Hieronymum usque adeò fuisse stupidum, ut crediderit, Paradisum conditum ante omnem cœli & terræ creationem, hoc enim humana ratio sentire non potest, ut Paradisus localis & terrenus locus, imò terræ ornatus ante terram fuerit, sed puto eum suis verbis significare voluisse, quòd antequam DEUS cœlum & terram distinguendo & ornando perficeret, Paradisum tertia die conseverit. Albinus tamen in libro quæst. super Genesin censet, Hieronymi sententiam ita esse intelligendam, ut ejus verba sonant, quin & Eucherius Lugdunensis Episcopus eandem assertionem iisdem Hieronymi verbis posuit in primo libro Commentariorum in Genesim cap. 2. Quoad secundam difficultatem Ven. Beda Presbyter, cùm locum hunc explanandum assumeret, dixit: Paradisum esse locum in editiori terræ parte situm, & à terræ planitie usq; adeò elatum, ut lunarem globum contingat. Hujus opinionem sequens Magister Historiæ Scholasticæ lib. primo cap. 13. *Paradisus*, inquit, *locus est amœnissimus, longo terræ & maris tractu à nostra habitabili zona secretus, adeò elevatus, ut usque ad lunarem globum attingat. Unde & aquæ diluvii illuc non pervenerunt.* D. Thomas in prima parte summæ theologicæ quæst. 102. ar. 1. ad. 1. existimat, hanc sententiam esse falsam, si de loci sublimitate intelligatur, quæ humanæ naturæ omninò est inhabitabilis, veram autem esse, si secundùm similitudinem virtutis intelligamus ibi esse perpetuam, qualis est temperies in illa regione Lunari ab omni hujus caliginosi aëris intemperie semota. Imò Methodius & Epiphanius in lib. Anchorat. attribuunt errorem Origeni, quasi Paradisus non esset in terra, sed tertium cœlum, in quod raptus est Paulus, & per arbores allegoricè intelligi Angelos & Spiritus cœlestes, hanc opinionem renovavit Franciscus Georg. lib. 1. problem.

De Tertio putat Augustinus Episcopus Chisimensis in annotationibus Pentateuchi post expulsum Adamum ex paradiso, illum paulatim aboleri cœpisse, ornatumque perdidisse, & tandem per diluvium totaliter dissipatum, & inundatione aquarum subversum fuisse. Verumtamen

Dico Primò : *Paradisus probabiliter factus est tertia die creationis Mundi.* Hæc est communior contra aliquos, qui putant esse primâ creatum, eò, quòd dicatur : *Plantaverat autem DEUS paradisum voluptatis à principio.* Probatur Conclusio Primò ex Scriptura hac allegata; Paradisus fuit plantatus à principio, sed hoc principium non fuit illud idem, quo creavit DEUS cœlum & terram, ergò aliquod aliud; nullum convenientius nisi tertia dies, quando DEUS ornavit terram arboribus & floribus, cùm paradisus sit locus amœnissimus floribus & fructibus consitus, nam Gen. 2. ad textum illum, quô homo dicitur positus in Paradiso, subjungitur : *Produxitque Dominus DEUS de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave: lignum etiam vitæ in medio Paradisi, lignumque scientiæ boni & mali.* Nec potest dici, quòd à principio, sumatur pro initio, sicut dicitur homo factus à principio, ab Eccles. cap. 17. eò, quòd illud, quod maturè fit, à principio fieri potest dici, quia Paradisus narratur factus ante Adami productionem, nam illo producto jam erat Paradisus, in quem DEUS Adamum posuit, adeoque aliquot diebus ante. Secundò, Paradisus autem creatus est à principio, quando DEUS creavit cœlum & terram autem non? Si non sequitur paradisum tunc non fuisse aliquid terræ, & consequenter non illa prima die productum, quia paradisus non est cœlum, nisi allegoricè : Nec potest dici tunc jam fuisse productum, quia Scriptura dicit : *Terra autem erat inanis & vacua.* Paradisus autem est locus plenus arboribus & floribus, adeoq; terra non fuisset inanis & vacua: Nec obstat,

II. Paradisus factus est tertia die.

obstat, quod alia versio habet invisibilis, nam hoc non dicitur propter carentiam lucis, sed propter immersionem, & inundantiam aquarum.

Ex quo Tertiò probo Conclusionem: In principio fuit terra obruta aquis universis, ille est enim situs naturalis utriusque elementi; sed tunc non potuit talis paradisus fieri, nam in humo undique aquis obruta plantari arbores cum fructibus nequeunt, qui essent suaves ad mandendum, maximè cùm aquæ in tàm immani altitudine superfluebant superficiem convexam terræ.

III. Paradisus est locus in terra situatus. Dico Secundò: *Paradisus est locus amœnissimus in terra situatus.* Hæc etiam est communis Patrum sensus & opinio contra Philonem, qui allegoricè explicationibus intentus, spiritualiter vult esse intelligenda ea, quæ Scriptura de Paradiso refert, quem secutus est Origenes supra, verumtamen, Probatur conclusio Primò ex contextu Scripturæ, Quia Paradisus assignatur homini tanquam locus habitationis, adeoq; debet esse corporalis, nam alioquin etiam homo non nisi spiritualiter in illo habitâsset, ab illo expulsus fuisset, manducâsset, quæ omnia repugnant simplicitati historiæ & narrationis, quam Moyses rudi populo nihil de allegoriis intelligenti tunc descripsit, undè Josephus, omnesq; ante Hebræi semper litteraliter illa dicta & scripta de Paradiso acceperunt.

Probatur Secundò ex Patribus: Sophronio Patriarcha Constantinopolitano in epist. quæ fuit recitata in VI. Synodo act. 11. & approbata, & act. 13. reprehendit Origenistas, quod rejicerent apostolicam traditionem de plantatione paradisi; similiter alii Patres in Origenem invehuntur tanquam simplicitatis S. Scripturæ corruptorem, audiatur Augustinus lib. 8. de Gen. ad litt. cap. 1. *Quemadmodum ipse Adam, etsi aliquid aliud significat secundum id, quod eum formam futuri dixit esse Apostolus, homo tamen in natura propria expressus accipitur, qui vixit certo numero annorum, & propagatâ numerosâ prole mortuus est, sicut moriuntur cœteri homines, & si non sicut cœteri ex parentibus natus, sed sicut primitùs oportebat ex terra factus est: ita & paradisus, in quo eum collocavit DEUS, nihil aliud quàm locus quidam intelligatur, terra scilicet, ubi habitaret homo terrenus. Narratio quippè in his libris non generis locutionis figuratarum rerum est, sicut in Cantico Canticorum, sed omninò gestarum est, sicut in Regnorum libris & hujuscemodi cœteris. Sed quia illic ea dicuntur, quæ vitæ humanæ usus notissimus habet, non difficilè imò promptissimè primitùs accipiuntur ad litteram, ut deinde ex illis, quid etiam futurorum res ipsæ gestæ significaverint, exculpatur.*

Opponitur Primò Authoritas negativa Scripturæ: Tùm, Quia non invenitur in sacris Litteris hortum illum fuisse plantatum in terra: Tùm, Quia aliàs Moyses frustra diceret hortum illum fuisse constitutum materialibus plantis post sextam diem, cùm dicat tertia die fuisse arbores productas; ergò paradisus non est aliquis locus corporeus, sed spiritualis. Respond: neg. consequ: Ad primum dico falsissimum esse, Moyses enim clarissimè prodit, paradisum à DEO constitum in regione terræ Orientalis, quæ dicitur *Heden*: *Heden* autem esse proprium locinomen, apparet ex quarto cap. Genes. ubi legimus Cain habitâsse ad Orientalem plagam *Heden*. Et Ezechiel: cap. 27. habetur, *Heden* fuisse propè Charan Mesopotamiæ regionem. Ad Secundum Respond: Illud, quod Moyses scribit, hortum deliciarum post sextum diem à DEO constitum, minimè repugnat ei, quod prius retulit, plantas videlicet omnes tertiâ die editas: fieri enim potest, quemadmodum Augustinus censet, ut plantæ, quæ tertia die secundùm quasdam rationes seminales productæ fuerant, iterùm post opera sex dierum actu productæ & absolutæ sint. Vel juxta Basilii & Chrysostomi sententiam dici potest, omnes plan-

tas unà cùm paradisi plantis tertia die simul conditas : Moysen verò post opera sex dierum, iterum per epilogationem meminisse productionis plantarum Paradisi.

IV. Hieronym. affirmat paradisum terrestrem.

Opponitur Secundò Authoritas Hieronymi tùm in principio quæstionis adducti: Tùm in epistola ad Sabinum, ubi hæc scribens ait: *Lecto Hexaemero, utrum paradisum subtraxerim, requirendum putasti, & quam de eo haberem sententiam, significandum, idque velle te studiosè cognoscere: ego autem jamdudum de eo scripsi nondum veternus Sacerdos: sententias autem de eo diversas esse plurimorum comperi, nam Josephus utpotè historiographus, locum terræ dicit arboribus refertum, virgultisq; plurimis, irrigari etiam flumine, qui dividatur in quatuor fluvios: alii alias: omnes tamen congruunt in paradiso & lignum vitæ radicatum, & lignum scientiæ, quæ discernat bonum & malum: cætera quoque ligna, plena vigoris, plena vivificationis spirantia & rationabilia: ex quibus colligitur paradisum ipsum non terrenum videri posse, non in solo aliquo, sed in nostro principali, quod animatur & vivificatur animæ virtutibus & infusione Spiritûs DEI.* Hæc Hieronymus. Respond. Verum esse quidem, sed dico clarè, patere, eum loqui in sensu aliorum, non ex sentimine proprio, nam attamen adduci non possum, ut credam, ipsum aut Philoni, aut Origeni, in hac parte assensisse, præsertim cùm in expositione sexti cap. primæ ad Corinth. constanter asseveret, geminum esse paradisum: alterum terrestrem, in quo Adam sit positus: alterum cœlestem, in quo Paulus fuerit raptus, sunt enim ejus eo in loco hæc verba: *Est & Hierusalem inferior, est & superior, quam Matrem nostram vocat Apostolus: est & inferior paradisus, in quo homo positus, mandatum, & ut operaretur ibi, & ut custodiret eum, accepit: est & ille cœlestis, in quo raptus Apostolus, audivit verba arcana.*

Arguitur Tertiò: Si Paradisus esset locus aliquis corporalis & amœnus, frustra esset creatus & productus, si Adam non debuit ibi manere, nec ab aliquo mortalium coli & inhabitari, sed DEUS nihil frustrà facit, ergò. Respond. neg: sequelam, nam licet paradisus à nullo post peccatum excoleretur, eum tamen superfluum esse, nemo sanæ mentis dixerit, sicut enim, Augustino teste, dicendum non est, immortalitatem corporis homini frustra datam, quam ipse conservaturus non erat: ita nec Paradisum illum existimare oportet frustra conditum esse, quia humana habitatio post peccatum ibi non sit, nam etsi locus ille homini ad habitandum non serviat, ei tamen prodest ad eruditionem, ut agnoscat, se indè culpâ primi Parentis ejectum, & ut per ea, quæ corporaliter in eo esse scribuntur ad spiritualia & invisibilia cœlestis Paradisi mysteria animum attollat.

V. Paradisus situatus fuit ad Orientem.

Dico Tertiò: *Probabile est, Paradisum fuisse situatum ad Orientem respectu Palestinæ.* Hæc est communior antiquorum Patrum, & Probatur ex cap. 2. Genes. ubi noster Interpres vertit: *Plantaverat autem DEUS paradisum voluptatis à principio*, ibi Septuaginta duo Interpretes verterunt *ad Orientem*, cum ergò illi fuerint Sapientissimi & hebræi idiomatis scientissimi, judicandum omninò est, Paradisum fuisse ad Orientem situatum: Quia tamen versio Septuaginta non est absolutè approbata, ut est nostra vulgata, ideoque non est æquè certum, quòd paradisus fuerit ad Orientem, ac est illud, quòd *fuerit à principio*, nihilominus Patres Græci communiter & ipsemet D. Augustinus tenent, Paradisum fuisse ad Orientem.

Dices: Patres id asseruisse inductos versione 70. Interpretum, si ergò illa non subsistit, neque Patrum ei innitentium assertio. Respond. consequ: non esse æquè legitimam ac apparet, contingit enim frequenter conclusionem aliquam esse veram, tametsi aliqua ex præmissis, quibus probatur, vel etiam utraque sit falsa, quia nimirum conclusio re

ipsa

Digitized by Google

ipsa innititur alteri fundamento: Ecclesia subindè definit aliqua ob fundamenta, quæ non sunt nimis certa, cùm tamen definitio sit certissima, tale quid contigit in VII. Synodo, ubi definitur Angelos posse depingi, & additur causalis ratio, quia sunt corporei, primum certissimum est, attamen causalis est omninò vel falsa, vel planè incerta, similiter contingeret, si Pontifex referret quendam in Beatorum numerum ob probatas heroicas virtutes, & ob cōplura miracula, quorum tamen aliquod postea deprehensum est non subsistere, & tamen beatitudo ejus subsistit certissimè. Ita similiter

Probatur etiam Ratione, Paradisum esse ad Orientem, quia domicilio summè æstimato absque dubio congruit optimus & dignissimus locus, tale domicilium est Paradisus, talis locus est Oriens, quia Oriens est in cœlo sicut dextera manus aut pars corporis in animali, quæ censetur dignior ac valentior. Ille est principium diurnæ lucis, ac motus primi mobilis & moderatoris omnium cœlestium corporum, atque omnis generationis in his inferioribus, ipsi enim experimur auram ac lucem Orientis esse jucundissimam, est enim instar veris, nam succedit nocti sicut ver hyemi.

VI. Paradisus situatus est in terra Eden in Mesopotamia. Dico Quartò: *Paradisus situatus fuit in terra Eden im Mesopotamia, vel Chaldæa.* Hæc Probatur ex originali Hebræo Exemplari, quod habet *Eden* pro *voluptatis*, nam significat voluptatem & delicias, undè in illa propositione *Paradisum voluptatis*, tò *voluptas* non debet accipi pro appellativo commendante substantivum *paradisum*, sed est etiam nomen proprium, hebraicè dictum *Eden*, & latinè voluptas, undè Div. Augustinus lib. 8. cap. 7. dicit: *Exibat ergò flumen de Eden, id est, de loco deliciarum, & irrigabat paradisum, id est, ligna omnia pulchra atque fructuosa, quæ omnem terram regionis illius opacabant.* Et Div. Ambrosius lib. de Paradiso cap. 1. act. *Hic ergò paradisus est. Locus autem ejus, in quo est plantatus, dicitur Eden, hoc est, voluptas, undè & S. David ait: Et torrente voluptatis tuæ potabis eos. Legistis enim, Quia fons procedit ex Eden, qui rigat paradisum.*

Confirmatur ex Scripturâ ibidem, cap. 2. *Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, qui indè dividitur in quatuor capita.* Si ergò fluvius egrediebatur de loco voluptatis, consequenter dicendum, locum voluptatis alium esse à Paradiso, alioquin dicendum foret: *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum illum*; vel egrediebatur de paradiso ad ipsum irrigandum, cùm ergò dixerit, fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum manifestè apparet, ista esse aliud & aliud hinc inde. Itaque ambo sunt sicut majus & minus, nam Paradisus est in Eden, sicut Praga in Bohemia.

Probatur Secundò ex Patribus: Ambrosio lib. de Paradis. cap. 1. dicente: *Locus autem, in quo* (Paradisus) *est plantatus, dicitur Eden*; undè noster Interpres ly *Eden* vertit in latinum dicendo *paradisum voluptatis*, id est, paradisum in Eden; seu Edeni, sicut si quis diceret, Libussa condidit Pragam Bohemiæ. Verùm hoc notandum est, quòd si quis hanc versionem amplecti vellet, quæ est valdè accurata, tunc ly *voluptatis*, tanquam nomen proprium majuscula deberet scribi, non verò minuscula, ut fit in vulgata editione, cujus sensus etiam bonus est, & communiter acceptus, quem ego quoque lubens amplector, licèt alterum speculativè etiam probabilem teneam.

Probatur Tertiò: Ratione desumpta ex Scriptura: Adam propè Paradisum habitavit, ibique *genuit filios & filias*; ibidem degebant nepotes eorum, uti enim isti succedebant parentibus, quisque suo in domiciliis & prædiis, adeoque pars illa terræ, in qua degebant, erat contigua Paradiso: maj: hujus constat ex Scriptura, Gen. 4. *Egressusq; Cain à facie Domini, habitavit profugus in terrâ*

Digitized by Google

terra ad orientalem plagam Eden, quæ apertè refert, quòd Dominus DEUS Adamum ejecit paradiso in terram communem his verbis, cap. 3. *Et emisit eum Dominus DEUS de Paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus est.* Atqui legitimus & vulgatus sensus horum verborum est, ut quasi per ostium aut aditum communem Adamo tunc explicatum, comitante Domino DEO exiverit ille hospes in exteriorem planitiem illius ejusdem fundi, ergò.

Probatur Quartò: Quia Scriptura dicit, quòd ex paradiso emisso indè Adamo: *Dominus DEUS collocavit ante paradisum voluptatis Cherub, & flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ*, ergò si opus erat custodiâ, excubitore milite, atque armato ad impediendum ingressum illius loci, signum est, quòd externi possent tentare ingressum, nam si illa aggressio aut tentamentum fuerit impossibilis extra degentibus, frustrà impenderetur ille custos, ille ignis, & armatura ad resistendum illis, quorum nemo, non dico, auderet, sed nec sciret accedere. A Diluvio tamen difficilis evasit loci scitus, cùm enim longè alio loco homines ingressi sint Arcam & aliò exiverint, jam prior locus evasit quasi innoscibilis egressis Arcam ingressi videntur in Syria aut Palæstina, ibi enim erant Sodomitæ, ut constat ex lacu Asphaltide, & Pentapoli, ibi absorpta, sed cessante diluvio Arca requievit in montibus Armeniæ, tamen hoc ipsum videtur potuisse aliquid luminis hominibus ut devenirent ad priorem provinciam.

VII. Paradisus situatus est in infima aëris regione.

Dico Quintò: *Paradisus non fuit situatus in concavo lunæ, neque in suprema, vel media regione aëris, sed in hac infima, elevatiori tamen præ cæteris loco.* Hæc est D. Thomæ, Bonaventuræ & Scoti 2. *d.* 17. *q.* 2. §. *Si ista ratio*, ubi dicit: Paradisus non potest esse supra aërem in sphæra ignis propter nimium calorem. Nec in superiori parte aëris, quia illa inflammatur propter propinquitatem ignis: Nec etiam potest attingere usque ad medium interstitium aëris, quia locus ille est frigidissimus perpetuò secundùm Philosophum, nisi ponatur locus ille accidentaliter temperatus, sicut sunt loca sub Polo Arctico, secundùm Martianum in Mundi descriptione, contra Bedam. Et Probatur prima pars Primò: Quia concavum Orbis ultimi cœlorum seu lunæ est sphæra ignis, ergò si paradisus ibi fuerit, debuit statim arsisse, resolvi in fumum & flammas, quod est falsum, & propè heresim, tum enim non posset introduci eo, nec degere ibi Adam, non ibi fructus aliqui expectari edibiles, non ligna aut trunci arborum, quia statim corriperentur igne. Deindè Gen. 2. dicitur, *DEUS in paradiso ambulavit ad auram*, sed in tali clibano ignis non posset esse aura, nam aura est ventulus delicatus ac frigidus, aptus ad temperandum calorem, undè & textus ipse habet, *DEUM ambulasse ad auram in meridie.* Tertiò contra eos, qui dicunt, elementum ignis non dari, neque habere propriam sedem sicut alia tria, quia tanta altitudo tametsi foret ad secundam tantùm regionem aëris, est inepta vitæ animalium, quæ eget aëre nonnihil denso, ibi autem aër est rarissimus, nam nullæ nubes, nec alia meteora turbant, alterant, aut condensant eum, quæ veritas patet, non solùm ex Physica, Meteorologia speculativè, sed & practicè ab experimentis, cùm enim homines ascendunt eminentes montes, secum deferunt aquam, & spongias eâ imbutas, ut spirent densiorem aërem, cœteroquin morituri. Unde noster subtilis 2. d. 18. q. 2. dicit: quòd Philosophi volentes inquirere de astris, ascendebant altissimos montes, portantes secum spongias plenas aquâ ad condensandum aërem, sive ad hauriendum aërem grossum: undè nec ros, nec pluvia ibi ascendunt, sicut dicit de monte Olympi Solon, & verissimè quòd ille ait, confirmatur historiis & exemplis. Athos mons Thraciæ adeò altus est, ut umbram projiciat ad trecenta stadia, teste Stephano. Pom-

Digitized by Google

hò. Pomponius Mela tradit hujus cacumen altius, quàm undè descenduntimbres, cujus rei conjecturam ex eo colligit, quod de aris, quas in vertice sustinet, non abluitur cinis, sed quo relinquitur aggere manet. Quartò: Quia si paradisus tàm altè extaret, vel esset continuus reliquæ terræ, vel non esset, sed abscissus ab ea, si continuus evidenter contraveniretur tàm Scripturis quàm experientiis: Scripturis, quia illæ indicant paradisum esse invisibilem saltem inaccessibilem hominibus, sed si foret adeò elevata regio illa provincia vel urbs Paradisi non esset talis; sed notissima omnibus, nam *non potest civitas abscondi supra montem posita*. Præterea; cùm ille locus aut hortus habuerit competentem extensionem; nemo enim ei assignat minorem latitudinem quàm quadraginta Leucarum; aliqui ultra centum, tunc inquam basis hujus loci in terra residens occuparet quasi tertiam partem totius terræ; certæ autem illius horizontis, aut hemisphærii, ut patebit calculanti, nam ille augeretur continuo incremento, usque ad planum nostræ humi. Denique, si talis esset, auferret magnæ parti mundi beneficium Solis, impediret enim, nè radii ejus in terram impingerent; atque hæ rationes procedunt non solùm contra ponentes paradisum in suprema regione, sed etiam in media aëris, propter quod supersedeo pluribus acervandis. Dicere autem; quòd paradisus fuerit pendulus inter cœlum & terram, ac libratus in aëre; plusquam horti pensiles Syri Regis est paradoxum, dignum risu, indignum impugnatione.

Probatur secunda pars: Quia hunc situm requirit puritas auræ; quæ ad commoditatem, atq; etiam ad longævitatem illorum hominum adhuc innocentium adhibenda fuit; scimus enim auram esse magis defœcatam, quò est magis elevata & in imo degentes esse ut plurimùm magis obnoxios morbis ac morti.

Dico Sextò: *Paradisus non fuit situatus infra Æquatorem sub zonà torrida; sed ad Orientem sub zonà temperata.* Probatur: Quia sol perpetuò & quasi ad perpendiculum ferit zonam illam; atqui intensio & remissio caloris solaris provenit à modo incidentiæ radii solaris, nam radius rectus est calidior; obliquus autem tepidus: de frigore extremarum zonarum res est evidens ob perpetuam absentiam solis; undè simul probo utramque partem, quià licèt aliqui degant sub æquinoctiali, non tamen nisi magnâ patientiâ, ardore & sudore, & proindè Christophorus Clavius in commento Sacrobosci coactus est statim subdere; quòd Hispani & Lusitani tandem assueverunt ferre intemperiem illam: adeoq; locus de se est intemperans; nec nisi patientiâ vincendus: idque ut egregiè Lucan. lib. 9. Pharf. VIII. Paradisus non est sub Æquatorē.

Hic quia nil obstat Phœbo, cum cardine summo
stat librata dies, truncum vix protegit arbor.
tàm brevis in medium radiis compellitur umbram.

Ast dicere quod felicitas primorum hominum, id est, aureæ ætatis consistebat in patientia infelicitatis, est ridiculum & stoica beatitudo; quæ haberi potest etiam in tormentis.

Dices: Idem Lucanus, qui suprà posita carmina fecit; refert progressum Catonis in Lybiam, quæ sita est sub æquinoctiali, adeoque æquinoctialis tractus; & zona ei supposita est habitabilis; alioquin quas Gentes Cato ibi esset subjugaturus? Respond: Lucanum eo loco non describere iter Catonis ad æquinoctialem; nec asserere; quòd Cato eò appulerit; sed ad templum Jovis Amonii; quod illo existimabat propè Tropicum Cancri esse situm, non verò ad æquatorem: Ita Christoph: licèt Joann. quem commentatur; aliud senserit. Et verò cùm utriusque sensu stat; quod plaga Zonæ torridæ habitari possit etsi ægrè, quod sic suaderi posset, quia nimirum intensio caloris, quæ ibi ferenda est ob re-ctitu-

Digitized by Google

ltitudinem radii perpendicularis compensatur per moderatam moram solis ibidem: nam cùm ibi sit perpetuum æquinoctium, sol non adest horizonti per diem, nisi quantum abest per noctem, & ibi redit, quod Christus Dominus quæsivit, & quærendo affirmavit: *nonne duodecim sunt horæ diei*, licèt alio sensu.

IX. Paradisus adhuc extat. Dico Septimò: *Paradisus adhuc una cum sua amœnitate persistit, durabitque usque ad diem judicii.* Ita Patres communiter, Augustinus, Ambrosius, Beda, Justinus &c. Probatur Primò ex Scriptura, Eccles. 44. *Henoch placuit DEO, & translatus est in paradisum, ut det gentibus pœnitentiam.* Et Gen. 3. dicitur, DEUS posuisse Cherubinum ad custodiendum illum, quod manifestum est signum, DEUM voluisse illum conservatum. Probatur Secundò ex S. August. lib. 2. de peccato origin. c. 23. ubi dicit: *Longè aliter se habent quæstiones istæ, quas esse præter fidem arbitratur, quàm sunt illæ, in quibus salvâ fide, quâ Christiani sumus, aut ignoratur quid verum sit, & sententia definitiva suspenditur, aut aliter quàm est, humana & infirma suspicione conjicitur, veluti cùm quæritur, qualis vel ubi sit paradisus, ubi constituit DEUS hominem, quem formavit ex pulvere, cùm tamen illum esse paradisum fides Christiana non dubitet.*

Probatur Tertiò Congruentiâ: Quia convenit divinæ bonitati locum illum deliciosum relinquere, ut illi, qui de terra ablati, & nondum cœlum assumpti beatitudine fruuntur, quales fuerunt Enoch & Elias commorationis locum habeant & tranquillæ quietis. Et fortè etiam corpora Sanctorum, quæ cum Christo resurrexerunt, in illo per quadraginta dierum tempus, quo Dominus JESUS post resurrectionem cum Discipulis conversatus fuit, ibi expectârunt ascensionem: Tùm, Quia nihil obstat dicere, Non ex eo, quòd paradisus sit omnibus ignotus, & à nemine inventus, quia etiam de Moyse legitur, Deuteron. 34. quòd *sepultus fuerit in valle Terræ Moab contra Phogor: & non cognovit homo sepulchrum ejus usque in præsentem diem.* Nec etiam quòd aquæ diluvii inundaverant universam terram, prout legitur Gen. 7. *Et aquæ prævaluerunt nimis super terram: opertique sunt omnes montes excelsi sub universo cœlo:* quia ly *omnes montes* debet accipi in sensu accommodo, scilicet illos montes terræ inhabitatæ à peccatoribus, non verò alios, sicut etiam ibidem dicitur: *Remansit autem solus Noë, & qui cum eo erant in arca*, cùm tamen remanserit etiam Enoch, qui ante translatus fuerat in paradisum, in quo ille permansit.

Dices: Si paradisus fuit tempore diluvii, potuisset Noë cum filiis & animantibus illuc poni, sicut fuerant ante, adeoque liberari à tanto labore. Respond. Potuisse quidem hoc DEUM fecisse, sed quare non fecerit, videtur ratio esse, quia paradisus est locus ordinatus pro Innocentibus, & in magna felicitate viventibus, non verò pro peccatoribus, hinc Adam & Eva prævaricatione admissa ejecti sunt, & nemo amplius ex peccatoribus admittetur.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Ligno Scientiæ boni & mali, Ligno vitæ & fluviis Paradisi.

Produxitque Dominus DEUS de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave: lignum etiam vitæ in medio paradisi, lignumque scientiæ boni & mali, sic continuat Moyses Paradisi describere delicias, cap. 2. ex qua descriptione tres oriuntur quæstiones: An illæ arbores fuerint veræ arbores, nam Plato cùm legisset Moysen dixit, hominem ipsum esse arborem Scientiæ boni & mali. Secundò, undè sit dicta, *Scientiæ boni & mali?* Et an Arbor vitæ habuerit vim naturalem conferendi immortalitatem, Adamo, ac ejus filiis & posteris? Tandem etiam de quatuor ejus fluminibus. Itaque

Dico

II. Arbor Scientiæ boni & mali realis fuit arbor.

Dico Primò: *Arbor Scientiæ boni & mali fuit vera arbor substantialis, non sic dicta quasi haberet virtutem acuendi ingenium, sed ab experimento, & eventu secuturo, si indè manducarent primi homines.* Hæc est communis Theologorum contra Josephum. Probatur ex D. Augustino lib. 8. de Gen. ad litt. cap. 8. dicente: *Prorsus & hoc lignum erat visibile ac corporale, sicut arbores cæteræ. Quòd ergò lignum esset non est dubitandum: sed cur hoc nomen acceperit, requirendum. Mihi autem etiam atque etiam consideranti dici non potest, quantum placeat illa sententia, non fuisse illam arborem cibo noxiam: neque enim, qui fecerat omnia bona valdè, in paradiso institueret aliquid mali: sed malum fuisse homini transgressionem præcepti. Oportebat autem ut homo sub Domino DEO positus alicundè prohiberetur, ut ei promerendi Dominum suum virtus esset ipsa obedientia, quam possum verissimè dicere solam esse virtutem omni creaturæ rationali agenti sub DEI potestate, primumque esse & maximum vitium tumoris, ad ruinam sua potestate velle uti, cujus vitii nomen est inobedientia. Non esset ergò, undè se homo Dominum habere cogitaret atque sentiret, nisi aliquid ei juberetur. Arbor itaque illa non erat mala, sed appellata est scientiæ dignoscendi bonum & malum, quia si post prohibitionem homo ex illâ ederet, in illa erat præcepti futura transgressio, in quâ homo per experimentum pœnæ disceret, quid interesset inter obedientiæ bonum, & inobedientiæ malum. Proindè & hoc non in figura dictum, sed quoddam verè lignum accipiendum est, cui non de fructu vel pomo, quod indè nasceretur, sed ex ipsa re nomen impositum est, quæ illo contra vetitum tacto fuerat secutura.* Et Enarrat. in Psalm. 70. *Ideò arbor illa appellata est scientia dignoscendi boni & mali, non quia indè talia quasi poma pendebant: sed quicquid esset arbor illa cujuslibet pomi, cujuslibet fructus esset, ideò sic vocata est, quia homo, qui nollet bonum à malo discernere per præceptum, discreturus erat per experimentum, ut tangendo vetitum, inveniret supplicium.* Vide, quomodo S. Doctor clarè docet illam arborem sic dictam, eò, quòd experientia didicerunt, quantum bonum perdiderint, & in quantum malum inciderint per transgressionem præcepti de non comedendo ex illo, undè in posteriori loco expressè docet, arborem illam non fuisse, ad probandam obedientiam eorum prohibitam, *bona est arbor, sed obedientia melior est.*

III. Lignum vitæ fuit verà realis arbor.

Dico Secundò: *Lignum vitæ fuit quoque vera arbor, idque in medio paradisi situata, ut medium habeat rationem loci.* Prima pars est communis Patrum August. lib. 8. de Genes. cap. 4. ubi dicit: *Illud planè, quod sequitur: Et lignum vitæ in medio paradisi, & lignum scientiæ dignoscendi bonum & malum: diligentius considerandum est, nè cogat in allegoriam, ut non ista ligna fuerint, sed aliud aliquid nomine ligni significent. Dictum enim de sapientia, lignum vitæ est omnibus amplectentibus eam. Verumtamen cùm sit Hierusalem æterna in cœlis, etiam in terra civitas, quâ illa significaretur, condita est: & Sara & Agar quamvis duo testamenta significarent, erant tamen etiam quædam mulieres duæ, & cùm Christus per ligni passionem fluento spiritali nos irriget, erat tamen & petra, quæ aquam sitienti populo ligno percussa manavit, de qua diceretur, petra autem erat Christus: aliud quàm erant illa omnia significaverunt, sed tamen etiam ipsa corporaliter fuerunt.*

Secunda pars est contra del Rio, qui Origeni impingit, quasi secundùm hebraismum in medio dicatur illud, quod est quid eximium. Verum probatur à pari: Joann. Evang. dicitur: *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis.* & Act. 1. *Stans Petrus in medio fratrum*, sed hîc significatur locus verus & non aliqua eximia excellentia, ergò etiam ibi: Tùm etiam, Quia locus medius est dignissimus, decebat ergò ut excellentissima arbor situationem haberet præclaram, undè etiam Virgilius lib. 6. Ænei-

Digitized by Google

Æneidos hoc ponit Elysium carmen:

In medio ramos, annósque brachia tendens
Ulmus opaca ingens.

IV. Arbor & lignum vitæ non habet naturalem virtutem conferendi immortalitatem.

Dico Tertiò: *Quòd primi homines, atque eorum nepotes, tametsi durâssent in prima innocentia & Paradiso, non tamen proindè per esum ligni illius potuisse aut senium aut mortem vitare, nisi aliud Domini DEI miraculum interveniret: atque adeò lignum vitæ collaturum illis fortassis fuisse diuturnitatem vitæ, æternitatem ejus nequaquam, intellige, sua naturali virtute.* Hæc est solemnis doctrina Doctoris subtilis, digna suo Authore, quem sui sequuntur, & ex Thomistis Cajetanus. Probatur imprimis theologicè, sive ratione in Scripturis fundata, nam ex historia Gen. habemus duas arbores singulares fuisse in illo arboreto Paradisi, unam dictam lignum vitæ, alteram lignum scientiæ, & quantum ad textum historiæ nullum discrimen fuisse inter ambas in ordine ad effectus & fructus suos, atque ita lignum vitæ sic causârat vitam hominum, quomodo lignum scientiæ scientiam, sed certum est, & experientiâ est probatum, lignum scientiæ sive esum fructûs ejus, non habuisse innatam sibi virtutem generandi in sumentibus scientiam, ergò certum esse debet, licèt non sit simili experientia probatum, quòd nec lignum vitæ habuerit innatam sibi vim conferendi vitam, aut continuam, æternamque sanitatem sumenti, præmissæ sunt Biblia, consequentia Logica, adeoque consequens verè videtur certum.

Probatur Secundò Authoritate SS. Patrum, quorum aliqui diu meditati de hoc ligno, denique dixerunt, illud fuisse Sacramentum. Scimus autem Sacramenta non operari virtute sua naturali, sed supernaturali divinitus illis annexa, ergò jam effectus ille ligni vitæ, scilicet immortalitas vel quæcunque longævitas non fuit natura arboris, sed gratia Domini DEI, assumptum est Augustini lib. 8. de Gen. ad litt. cap. 4. *Nec sine mysteriis spiritualium rerum voluit DEUS hominem in paradiso vivere. Erat in cœteris lignis alimentum, in isto Sacramentum*, quod ex eo descripsit Beda in Comment. Gen. lib. 13. de Civitat. cap. 20. ubi de primis parentibus loquens dicit: *Qui licèt morituri non essent, nisi peccâssent, alimentis tamen ut homines utebantur, nondum spiritualia, sed adhuc animalia corpora terrena gestantes. Quæ licèt senio non veterascerent, ut necessitate perducerentur ad mortem, (qui status eis de ligno vitæ, quod in medio paradisi cum arbore vetita simul erat, mirabili DEI gratia præstabatur) tamen & alios sumebant cibos, præter unam arborem, quæ fuerat interdicta, non quia ipsa erat malum, sed propter commendandum puræ & simplicis obedientiæ bonum, quæ magna virtus est rationalis creaturæ sub Creatore DOMINO constitutæ.* ubi gratiæ DEI adscribit illum mirabilem effectum, & paulò pòst iterum subdit: *tanquam cœtera essent alimento, hoc Sacramento.* Theodoret. qu. 26. in eadem: *Ita*, inquit, *aqua vivens appellatur baptismus, non quia baptismatis aqua aliam & diversam à cœteris aquis naturam habet, sed quod DEI gratiam per illam, æternam vitam largiatur; Haud dissimili modo lignum vitæ appellatum est ob divinam definitionem, atque præscriptum, continuandi scilicet vitam edentis de fructu illius arboris.*

Probatur Tertiò Ratione nostri Doctoris: Lignum quodcunque & quicunque fructus, dum manducantur & transeunt in substantiam animalis, luctantur cum virtute conversiva aliti, & virtus conversiva cum ipso, quoniam verum est, & quod omne agens in agendo repatitur, ac debilitatur, omne autem finitum, quod singulis actionibus debilitatur, repetitis illis extinguitur, virtus conversiva Adami fuit finita, ergò tametsi sumeret de ligno vitæ, & quidem solo, denique longo temporis processu extingueretur: cùm autem extinguitur in animali vis

vis conversiva alimenti, ipsum animal moritur, adeoque ipse Adam denique erat moriturus, quantumvis aleretur omni & solo illo, vel quocunque alio, aut fructu ejus in paradiso.

Dices: Ita hoc negotium intelligendum, ut cùm Adamus vesceretur aliis fructibus, & per ipsos debilitaretur, tunc inquam sumeret de ligno vitæ, per quod vires ei reparentur, & ipse ad quandam juventutem rediret. Sed contra; quia & mox ostendam natura debilitata frequenti & continua actione & repassione nutritionis non posset confortari ligno vitæ, nisi convertendo fructus ejus in suam substantiam, atqui sic non posset id præstari, quia illud conversum non esset nobilius quàm convertens, adeoque lignum illud sive fructus ejus est, ut relinqueret naturam tàm debilem quàm invenit, atque ita per esum ligni non posset corpus hominis ad priorem statum redire. Imò convertendo in se fructus ejus magis debilitaretur propter repassionem, quàm ab illo non minus, quàm ab aliis fructibus experiretur. Hoc loco Adversarii laborant in remigando, quamvis etiam aliqui contemptim absolvant responsum. Summa solutionis est: Scotum cogitâsse illam arborem sive fructum ejus ut alimentum, non ut medicamentum; quod facere debuit, quia illud tale fuit habens virtutem confortandi calorem naturalem. Unde

Dices Secundò: Fructus ligni vitæ non fuisse tantùm alimentum, ut Scotus videtur sentire, sed etiam medicamentum, quod habuit virtutem & efficaciam confortandi calorem naturalem. Sed Contra vellem scire, ubi Bibliorum legatur lignum illud fuisse medicamentum, fuisse pharmacum? debuerunt RR. habuisse alios codices quàm cæteri habent, ego enim in meis hoc non invenio. Et verò videntur hic RR. secum atque etiam Augustino pugnare, quorsum enim medicamentum, ubi non erat morbus? sed nullus morbus, nulla infelicitas in Paradiso fuit, ut ipsi ex Augustino describunt; sed fuerit, sic legatur hoc in Bibliis passim, & paginatim; per hoc non evadunt; nam etiam medicamenta operantur per repassum, neque ullum est, quod non luctetur cum qualitatibus passi, quando sunt diversæ à suis; adeoque etiam medicamenta debilitant sumentem.

Instabis: Fructum illum potuisse illa confortare naturalem calorem absque conversione; sed contra hoc enim allegatur falsò; poterunt quidem illa calefacere stomachum pro interim, sed calorem naturalem, sive jam digestivum tribuere non possunt, nisi per sui conversionem; decepti enim sunt sic respondentes, credendo, quòd calor naturalis sit accidens, puta qualitas quædam, est enim vis substantialis, quæ non potest comparari nisi substantialiter.

Dices Tertiò: Si argumentum Scoti quid valeret, probaret hominem nunquam posse convalescere ex gravi morbo, & majores vires accipere, quod apertè falsum est, & quotidianæ experientiæ pugnant, sequela autem patet, quia cibus & medicina non possunt à natura converti in meliorem substantiam, quàm ipsa tunc sit: Sed Respond. non sequi absurdum nisi in uno casu, in illo autem probat intentum Scoti, est enim solius senii casus, quando extincta est vis substantialis digestiva, & conversiva alimenti, tunc enim tametsi adhiberes mille medicamenta, non restitues hominem in pristinum, sicut nec suscitabis mortuum: in aliis casibus non est extincta vis naturalis, sed impedita, nec per medicamenta confertur, sed expeditur & liberatur ab incommodis, quæ vinctam eam tenebant.

Probatur Conclusio Quartò: Quia lignum illud & quicunque fructus ejus fuit mortale, etiam moriturum, quomodo ergò conferret altari immortalitatem, adeoque nec poterat dare, quod non habuit? patet assumptum, quia etiam illud alebatur, & intrò sumebat alimentum

per radices, illudque in frondes ac fructus dispensabat, ut proinde provisi sunt paradiso fontes, ac fluvii, ergò.

Dices: Per hæc probari, quòd lignum illud non fuerit formaliter immortale, benè tamen poterit virtualiter esse tale. Respond. ego dico, non potuisse, contingit quidem continentias istas separari, intelligo formalem & virtualem, sed tunc tantùm, quando virtualiter contentum est imperfectius continente, nihil enim potest virtualiter continere aliquid se ipso melius: sed vita animalis & immortalitas ejus erat quid melius, & majus quàm ullum prædicatum, quod contineri poterat in illo ligno, cùm fuerit tantum vivens vegetativum, ergò. Sed contra Conclusionem

V. Adam ironicè factus est unus ex divinis personis. Opponitur Primò Authoritas Scripturæ, Genes. 3. *Nunc ergò nè fortè mittat manum, & sumat de ligno vitæ, & vivat in æternum.* Quo loco indicari videtur, quòd si Adam sumpsisset vel semel de ligno vitæ, victurus esset in æternum, ergò: imò videtur, quòd vis illa immortalitatis conferendæ non solùm fuerit habitualis & intrinseca arbori, sed etiam naturalis, quia nimirum hæc dicta sunt à DEO post peccatum Adami, si autem virtus illa foret supernaturalis, non esset timendum, nè Adam peccator sumeret de ligno vitæ, quia licèt sumeret, non proindè acciperet effectum supernaturalem, quia peccato impediretur, sicut hodiè Evcharistia, licèt apta sit conferre vitam spiritualem, tamen si sumatur in peccato, non eam conferret, sed augebit mortem sumentis, ergò. Respond. neg. antec: Quia sententia illa est irrisoria, quæ prohibet se intelligi, ut sonat, & vult oppositum capitulum, hoc autem si probetur, clarum erit non modò non esse factum, quod adversarii expectant, sed contrarium evenisse, hæc enim est natura Ironiæ, ut constat ex authore thesauri, & Ambrosio producente pro se Virgil. &c. atqui dictam sententiam esse ironicam, atque eo modo à DEO prolatam etiam simplices probabunt, si contingat illos seriem historiæ & textum ipsius sententiæ audire, est enim iste: *Fecit quoque DEUS Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas* (cum jam erubuissent nuditatem suam peccatores) *& ait: Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est sciens bonum & malum: nunc ergò nè fortè sumat de ligno vitæ, & vivat in æternum.* Atqui manifestè falsum est, quod dicitur in prima parte sententiæ de eo: quòd Adam evaserit instar unius personæ divinæ vel etiam Angeli (si contendas de illis esse sermonem) si falsum est, illum per peccatum suum argumentum scientiæ accepisse, atque ita hæc non poterant à Domino DEO nisi ironicè & irrisoriè dici, ergò similiter falsum est, quod victurus esset in æternum, si contingeret eum sumere de ligno vitæ, omnia enim hæc contexta sunt & in eadem sententia includuntur, ut evidens est, adeoque nemo nisi insipienter Ironiam DEI & irrisum Adami negabit, nam agnoscunt penè omnes interpretes ironiam DEI ad verba serpentis, quibus similitudinem divinam promittebat alludentis, certè autem ita scribunt Theodoretus, Eucher. Chrysost. Lyranus &c. ex quibus allego solùm Lyppoman. in catena: *An*, inquit, *in eadem perseverat DEUS ironia, Adam deridendo & subsannando, optimè sciens, nequaquam eum posse ulterius immortalem fieri, quamvis de ligno comederet vitæ, cùm jam moriendi necessitatem invenisset.* Idipsum alii passim.

Opponitur Secundò: Illud, quod legitur eodem Genes. capite vers. 24. *Ejecitque DEUS Adam, & collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium & versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ:* ergò si lignum illud non habebat vim naturalem de se ad conferendam vitam sumenti, sed solùm ex beneplacito Domini DEI, non fuisset necessaria tanta cautela hujus ad impediendum Adamum, nè ad illud pertingeret & fieret immortalis, cùm

Digitized by Google

cùm abundè sufficeret ipsius DEI voluntas, vel rectiùs noluntas, revocantis primum illud decretum. Quod confirmatur à simili, nam si DEUS nollet hodie homines justificare per baptismum, non esset opus inhibere ipsis aquam, qua abluerentur, sed sufficeret revocare decretum, quo statuit justificare homines per ipsam. Respondeo tamen, quod ideò Dominus DEUS disposuit eo loco Cherubim, scilicet ad ostium paradisi, quia totum locum, totum, inquam, hortum illum & pomarium volebat occlusum Adamo; quòd autem dicitur Cherubim positus ad custodiendam viam ligni vitæ, causa est, quia lignum vitæ non solùm erat summè desiderabile Adamo, sed & in medio loci, ita ut porta paradisi rectè duceret ad ipsum, sicut etiam in aliis pratis & hortis, principalis porta respondet medio; ista ergò porta erat totius paradisi, via tamen ab ipso ducebat rectè ad lignum vitæ, & propterea dicitur esse collocatus Spiritus ille ad custodiendam viam ligni vitæ.

VI. Fluviorum quatuor nomina.

Quoad ultimum dubium Prænotandum ex Scriptura, Genes. 2. & ex D. Augustino lib. 8. de Gen. litt. cap. 7. *Flumen exiisse de Eden, quod irrigabat paradisum, & indè divisum est in quatuor partes. Ex his uni nomen Phison: hoc est, quod circumit totam terram Evilath, ubi est aurum, aurum autem terræ illius bonum, & ibi est carbunculus, & lapis Prasinus. Et nomen flumini secundo Geon: hoc est, quod circumit totam terram Æthiopiæ. Flumen autem tertium tigris hoc quod fluit contra Assyrios. Flumen autem quartum Euphrates.*

VII. Fluvii illi sunt veri & reales.

Notandum Secundò ex eodem S. Doctore, quòd illi nominati fluvii *vera sint flumina, nec figuratè dicta, quæ non sint, quasi tantummodò aliquid nomina ipsa significent, cùm & regionibus, per quas fluunt, notissima sint, & omnibus ferè gentibus diffamata? Quinimò ex his, quoniam constat ea prorsus esse: nam duobus eorum nomina vetustas mutavit, sicut Tiberis dicitur fluvius, qui prius Albula vocabatur: Geon quippè est, qui nunc dicitur Nilus, Phison autem ille dicebatur, quem nunc Gangen appellant: duo verò cætera Tigris & Euphrates antiqua etiam nomina tenuevunt.* His prænotatis quæritur: An per fluvios illos quis posset devenire ad notitiam, & situm paradisi? ad quod Respond. &

VIII. Fluviorum paradisi per investigationem nemo ad ejus notitiam potest pervenire.

Dico Quartò: *Per investigationem originis fluminum illorum nequit quisquam devenire proximè ad notitiam & situationem Paradisi.* Probatur Conclusio Primò: Quia falluntur plerumque Authores in hoc negotio, nec videtur morosè attendisse ad tenorem Scripturæ Mosaicæ, non enim ait Moyses, quòd flumina illa egrediebantur, aut exeant de Paradiso, sed de *Eden*, quæ non sunt synonyma, Ecce ipsum: *Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis*, aliàs *Eden*, hoc enim vocabulum est significativum voluptatis, ut suprà ostendi: Ast *Eden* non est idem quod paradisus, sed latiùs patet, unum est continens, aliud est contentum, unum est nomen horti sive pomarii, alterum provinciæ; planè ac si hîc interim meminissem Pragæ, quæ urbs est in Bohemiâ, certè enim si quo flumine torrente, v. g. Albi devenirem in Bohemiam, non proindè statim essem Pragæ, ergò. Non tamen est omninò irrita eorum diligentia, qui fluminibus duci volunt ad situm Paradisi; quia per illos duci possunt in *Eden*, at verò paradisus est in *Eden* planè, quemadmodum non multas terras peragraret, ut deveniret Pragam ille, qui jam per Albim aut aliò appulit in Bohemiam, propter quod dixi, non posse per illos fluvios devenire rigidè & proximè ad paradisum, benè tamen è vicino.

Probatur Secundò tam longâ annorum serie mutata est regionum facies, neque fluviorum cursus hodiè est idem, qui olim fuit. Euphratis alveus non semel desorptus est, ac per illuvies & colliquias aliò derivatus, ut ex Herodoto & Plinio discimus, adeò ut vix habuerit unum ali-

Digitized by Google

quod proprium ostium, per quod in mare prorumperet: Tertiò adhuc, quia secundùm multos Topographos, & maximè secundùm S. Augustinum, Gehon ille est Nilus, sed origo Nili est inscibilis, nec permittit se prodi: Et totum adeò verum est Authorum confessione, atque aliorum experimento, ut jam in proverbium transierit pro rè prorsus desperanda, *Nili originem deprehendere.*

IX. Agricultura qualis in paradiso.

Quæres Primò: An in Paradiso fuisset agricultura? Respond. Affirmativè, nam Genes. 2. *Tulit ergò Dominus DEUS hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur, & custodiret illum.* Undè D. Augustinus suprà citatus cap. 8. dicit: *Quidquid ergò delitiarum habet agricultura, tunc utique longè amplius erat, quando nihil accidebat adversi, vel terrâ vel cœlo. Non enim erat laboris afflictio, sed exhilaratio voluntatis, cùm ea, quæ DEUS creaverat, humani operis adjutorio lætius feraciusque provenirent, undè creator ipse uberius laudaretur, quæ animæ in corpore animali constitutæ rationem dedisset operandi, ac facultatem, quantum animo volenti satis esset, non quantum invitum indigentia corporis cogeret. Quod enim majus mirabiliusque spectaculum est, aut ubi magis cum rerum natura humana ratio quodammodo loqui potest, quàm cum positis seminibus, plantatis surculis, translatis arbusculis, insitis malleolis tanquam interrogatur quæque vis radicis & germinis quid possit, quidve non possit: undè possit, undè non possit: quid in ea valeat humorum invisibilis interiorque potentia, quid extrinsecus adhibita diligentia: inque ipsâ consideratione perspicere, quia neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat DEUS: quia & illud operis, quod accedit extrinsecus, per illum accedit, quem nihilominus creavit, & quem regit atque ordinat invisibiliter DEUS.*

X. Custodire paradisum quid sit.

Quæres Secundò: Quid sit custodire paradisum? Respond. cum Div. Augustino, hoc custodire variè accipi posse, optimè tamen ait: *Positus quippè est homo in paradiso, ut operaretur eundem paradisum, sicut suprà disputatum est, per agriculturam non laboriosam, sed delitiosam, & mentem prudentis magna atque utilia commonentem: custodiret autem eundem paradisum ipsi sibi, nè aliquid admitteret, quare indè mereretur expelli. Denique accepit & præceptum, ut sit, per quod sibi custodiat paradisum, id est, quo conservato non indè projiciatur. Rectè enim quisque dicitur non custodisse rem suam, qui sic egit, ut amitteret eam, etiamsi alteri salva sit, qui eam vel invenit, vel accipere meruit.*

XI. Cherubin ante paradisum qualis.

Quæres Tertiò: Quid sit Cherub collocatus ante Paradisum voluptatis, de quo Gen. 3. dicitur: *Ejecitque Adam, & collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ.* Theodoretus Cyrensis Episcopus lib. qq. in Gen. qu. 40. dicit: Cherubinum ante Paradisum collocatum, non esse spiritualem, aut invisibilem aliquam substantiam vel creaturam, sed esse vel terribiles aliquas formas animalium terrentes Adamum; Vel nec quidem animalia, sed omne illud, quod magnâ præditum est potentiâ, undè in Psalm. 79. *Qui sedes super Cherubim*, id est, qui potenter regis. & Psalm. 17. *Ascendit super Cherubim & volavit*, id est, magna virtute & potentiâ ascendit, idem Theodor. Heracleæ Episcopus antea docuit & post ipsos Procopius Gazeus: Jacobus Chyus Græcus putat per Cherubinos intelligi geniorum & puerorum formas, quales Moyses etiam super arcam collocaverat, simulachrum aliquod virile, sicut rustici faciunt ex faccis & pannis laceris ad aves depellendas, ita etiam fecit DEUS. Verumtamen.

XII. Cherubim non sunt spectra, sed Angeli.

Dico Quintò: *Cherubim non sunt spectra aliqua, vel geniorum formæ, sed cœlestes spiritus coram DEO assistentes, eumque semper laudantes.*

Ita

Digitized by Google

ita SS. Patres contra errores paulò recensitos, quorum authoritate, Probatur, & imprimis Dionysii Areopagitæ, qui cap. 7. Cœlestis Hierarch. Cherubinos enumerat statim post Seraphinos in secundo ordine primæ, ac supremæ Hierarchiæ cœlestium Spirituum: atque his juxta Hebraici nominis interpretationem adscribit excellentissimam eximiæ scientiæ plenitudinem ex fonte divinæ Sapientiæ haustam, cui consentiens Athanasius in serm. super illud: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*, inquit, *Cherubim esse amplissima animantia, quibus nihil DEO propinquius, quæ DEI Majestatem labiis nunquam cessantibus extollunt.* Chrysost. in 3. de incomprehensibili DEI natura sermone, Cherubinos esse dicit virtutes Seraphicis Spiritibus superiores, DEOque propinquiores: quarum nuncupatio plenam accumulatamque naturam significat. Idemque in Liturgia sua DEUM his verbis alloquitur: *Tibi quidem assistunt millia Arch-Angelorum, & multa millia Angelorum Cherubim, atque Seraphim senis alis, pluribus oculis, sublimia, pennata, victorialem hymnum canentia, vociferantia, clamantia & dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS Sabaoth.* Sed & ipse Theodoretus, fortè erroris sui pœnitens, in libro divinorum Decretorum, Cherubinos ex divinæ Scripturæ testimonio inter Angelos collocavit sic in cap. 7. scribens: *Angelorum ministerium est DEI laudatio & hymnorum decantatio, de Seraphinis enim dixit Beatus Isaias, quòd clamant dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS Sabaoth. De Cherubinis autem dixit divinus Ezechiel, quòd audivit ab eis: Benedicta gloria Domini ex loco ejus.* Denique in secundo Concilio Nicæno act. 4. approbatur sententia Athanasii exponentis dictum illud ex Psalm. *Qui sedes super Cherubim*, his verbis: *Cherubini omnibus hominibus natura ignoti, Spiritus & ignis sunt ab omni corporum figuratione & naturâ alieni, & quæ de ipsis à Propheta tanquam corporalibus dicuntur, symbolicum sensum habent.*

Probatur secunda pars etiam ex Patribus tàm Græcis & Latinis, unum refero utrinque ex omnibus Augustin. lib. 11. Genes. cap. 40. ubi dicit: *Et ordinavit Cherubim, & flammeam rompheam, quæ vertitur custodire viam ligni vitæ. Hoc per cœlestes utique potestates etiam in paradiso visibili factum esse credendum est, ut per angelicum ministerium esset illic ignea quædam custodia: non tamen frustrà factum esse, nisi quia significat aliquid etiam de paradiso spirituali, non est utique dubitandum.* Ex Græcis sit Chrysostom. qui hunc locum exponens id apertè fatetur, inquiens: *Præcepit DEUS ut virtutes illæ Cherubim custodirent viam.* & in serm. de Ascens. hoc ipsum clarius explicans ait: *Angeli & Archangeli nostris dolebant suppliciis, & quandò puniebamur, ipsi quoque nimiâ tristitiâ tenebantur. Et Cherubim licèt Paradisum custodiebant, tamen nostris suppliciis tristabantur, & sicut conservus bonus cùm à Domino custodiendum conservum susceperit: satisfacit quidem Dominicæ jussioni: sed tamen pœna conservi nimio dolore conteritur, sic & Cherubim meruerunt quidem custodire Paradisum, sed dolebant honorem custodiæ.*

DISPUTATIO TERTIA.

DE

Statu Innocentiæ primi Hominis.

Lib. 14. Civit. cap. 26.

Vivebat homo in Paradiso sicut volebat, ait S. Augustinus, *quamdiu hoc volebat, quod DEUS jusserat: vivebat fruens DEO, ex quo bono erat bonus: vivebat sine ulla egestate, ita semper vivere habens in potestate. Cibus aderat, nè esuriret: potus, nè sitiret: lignum vitæ, nè illum senecta dissolveret: nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore ullas molestias ullis ejus sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus: Summa in carne sanitas, in anima tota tranquillitas. Sicut in paradiso nullus æstus aut frigus, sic in ejus habitatore nulla ex cupiditate vel timore accedebat bonæ voluntatis offensio. Nihil omninò triste, nihil erat inaniter lætum: gaudium verum perpetuabatur ex DEO, in quem flagrabat charitas ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta: atque inter se conjugum fida ex honesto amore societas, concors mentis corporisque vigilia, & mandati sine labore custodia. Non lassitudo fatigabat otiosum, non somnus premebat invitum.* Magna & incomparabilis bonorum abundantia. Ex quibus Theologi tria potissimum colligunt hujus Innocentiæ statûs fuisse beneficia: Primò, Immunitas ab errore & omnimoda perfectio intellectûs cum habitibus sibi competentibus. Secundò, Incompossibilitas cum peccato mortali in voluntate licèt fortè cum veniali. Tertiò, quoad corpus Immortalitas & Impassibilitas, ut non solùm non moreretur, sed nec mortis vestigia, ut dolores, tristitias, & infirmitates persentiret, de quibus omnibus in hac disputatione. Quare sit

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO PRIMA.

De donis collatis in Statu Innocentiæ Adamo & Evæ quoad intellectum.

I. Bona paradisi alia naturalia, alia supernaturalia.

IN duplici differentia sunt dona, quæ Adam in statu isto habere potuit, naturalia scilicet & supernaturalia: Illa sunt scientia rerum naturalium, perfectio intellectûs, modus intelligendi &c. Hæc sunt gratia & fides supernaturalis animæ & intellectui infusæ; de utroque agetur in hac quæstione, loquar autem semper in singulari de Adamo; quia sub masculino comprehenditur etiam fœmininum, & Eva quoque Adam vocatur. Unde

II. Adam in paradiso habuit fidem Trinitatis & Incarnationis.

Dico Primò: *Adam in Paradiso habuit veram fidem DEI ut unius & trini, nec non mysterii Incarnationis.* Hæc est communis Patrum sensus & doctrina. Et quidem de mysterio SS. Trinitatis probatur ex D. Epiphanio in Præfatione totius operis Panarii adversus. 80. Hæreses dicit: *Adam protoplastus formatus est, non circumcisus; sed carnie præputium habens, non autem erat idololatra, & novit Patrem DEUM, & Filium, & Spiritum Sanctum, Propheta enim erat;* - - - *Quia quod Pater dixit Filio; faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, ipse nobis manifestavit. Similiter D. Augustinus Gen. litt. cap. 19. vocat Adamum Prophetam, & prophetiæ dono plenum; adeòque indubitatum est, eum veram de DEO trino & uno habuisse fidem, unde lib. 14. de Civit. cap. 26. ait: in Adamo *gaudium perpetuabatur verum ex DEO, in quem flagrabat charitas ex corde puro, conscientia bona & fide non ficta.* Denique non est ratio, cur hoc principale mysterium eidem non fuisset revelatum.

Secundam partem deducunt Patres, & Doctores communiter ex illo Gen. 2. *Hoc nunc os ex ossibus meis - - - quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una,* quem textum ipse Doctor Gentium ad Ephes. 5. applicat Christo: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesiâ.* Et etiam est expressa mens S. Augustini lib. 18. de Civit. DEI cap, 47. dicentis: *Quod nemini concessum fuisse credendum est, nisi cui divinitùs revelatus est unus mediator DEI & hominum homo Christus JESUS, qui venturus in carne sic antiquis Sanctis prænunciabatur, quemadmodum nobis venisse nuntiatus est, ut una eademque fides, per ipsum omnes in DEI Civitatem, in Domum DEI, in DEI templum prædestinatos perducat ad DEUM.*

Probatur Secundò Congruentia: Quia verisimile est, quod Adam propter Christum omnes gratias; quibus donatus fuit, præsertim conducentes ad vitam æternam, acceperit, maximè cùm probabilius sit, Christum venturum, licèt Adam non peccâsset. Et posito, quòd ex casu non veniret, & consequenter omnes gratiæ concessæ Adamo ante prævisionem lapsus non dependerent à Christo; adhuc verisimile est; quòd hoc mysterium ei revelaretur; licèt enim ante lapsum non fuerit fortè conveniens, ut significaretur ipsi lapsus suus proprius; propter quem erat ejiciendus ex paradiso, quia illa cognitio multùm diminueret de felicitate & tranquillitate animæ; quem ille status exigebat; quia tamen facilè poterat conjicere ex posteris suis aliquos peccaturos; quia sciebat potuisse se peccare, & illos non minus futuros obnoxios peccato; quàm ipsemet; fat congruum fuit, ut revelaretur Christus venturus, satisfaceret pro peccatis illorum; cùm per nullum alium vellet DEUS placari. Imò poterit ipsi Adamo CHRISTUS revelari venturus sub conditione, si peccâret, ut ipsemet Adamus haberet tantò fortiorem rationem retrahentem illum ad non peccandum; nè esset occasio Filio DEI, & suo Creatori ad sustinendam tàm opprobriosam mortem.

III. Adam in sua creatione accepit scientiam naturalium rerum.

Dico Secundò: *Adam in prima sui creatione accepit scientiam rerum naturalium, à DEO per accidens infusam.* Ita Div. Thomas, Div. Bonavent. &c. secuti Magistrum Sentent. in 2. dist. 23. & Probatur Primò ex Scriptura, Gen. 2. *Formatis igitur, Dominus DEUS, de humo cunctis animantibus terræ, & universis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, ut videret, quid vocaret ea, omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus.* Ex quo loco evidentissimè infertur, Adamum vel habuisse scientiam rerum naturalium infusam, vel intellectum ejus non dependisse à phantasmatibus, nam ad omnia imponenda, quæ naturam exprimant & ostendant, requiritur magna notitia, & intima rerum penetratio. Eccles. 17. *Creavit ex ipso adjutorium simile sibi: consilium, & linguam, & oculos, & aures, & cor dedit illis excogitandi: & disciplina intellectûs replevit illos. Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, & mala & bona ostendit illis:* in quo textu, si singula benè perpendantur, manifestè exigunt scientiam infusam, per acquisitam enim salvari non possunt, nam si Adam ipse laboravit in ea procuranda, non erit verum, quòd DEUS, seu alius *replevit illum*, neque *quòd creavit illi scientiam*, aut *implevit sensu cor*, ergò necessariò dicendum DEUM in principio creationis illis infudisse. Nec obstat, quòd aliqua in illo textu sint, quæ naturalia denotant, ut *cor excogitans, disciplina, ostendere magnalia*, quia hîc tàm naturalia dona, quàm gratuita recensentur, tàm ea, quæ acquisivit per infusionem, quàm quæ per disciplinam & instructionem acquirere potuit.

IV. Secundùm se dupliciter accipitur à Patribus.

Ubi duo Notanda sunt, Primò: Ly *secundùm se* dupliciter à Patribus & Interpretibus accipi posse, Primò referendo ad DEUM, ut sensus sit, DEUS ad similitudinem sui vestivit, seu ornavit hominem virtute, scientiâ, & donis aliis, gratuitò illi eas communicando, & etiam virtutem naturalem illi elargiendo, ut sibi ipsi acquirere possit, Secundò referri potest ad hominem, ut *secundùm se*, scilicet DEUM ornâsse hominem, variis gratiis & scientiis, prout naturæ humanæ conveniebat, utpotè, quæ est rationalis, & maximè, quia primus homo magnâ egebat vivacitate intellectûs propter functiones, quas postmodùm exercuit.

Notandum Secundò: Quamvis præfatus textus loquatur tàm de Adam & Eva, prout etiam sonat nostra conclusio, nihilominus credibile esse, Evam non accepisse tantam scientiam sicut Adamum, quia in illa non fuit tanta necessitas, sicut in illo, in quo specialiter militabat ratio Rectoris & Capitis omnium, sicut enim Adam creatus plenè instructus ad generandum alios, sic congruebat illum plenè instructum ad instruendum, & gubernandum alios, quorum omnium caput creabatur: Tum etiam, Quia nec Angeli omnes æqualem gratiam æqualesque scientiarum species acceperunt: Tùm, Quia videtur idcircò diabolum confidentiùs Evam fuisse aggressum, quoniam vidit, non fuisse tantis prædıtam donis.

V. Eva non habuit tàm magnam scientiam ac Adam.

Probatur ex Scriptura Tertiò: Nam Sapient. 7. Salomon de seipso loquendo dicit: *Ipse DEUS dedit mihi horum, quæ sunt, scientiam veram: ut sciam dispositionem orbis terrarum, & virtutem elementorum, initium, & consummationem, & medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, & commutationes temporum, anni cursus & stellarum dispositiones, naturas animalium, & iras bestiarum, vim ventorum & cogitationes hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum, & quæcunque sunt absconsa & improvisa, didici: omnium enim artifex docuit me sapientia*, si ergò Salomon tàm amplam accepit scientiam in statu naturæ corruptæ, quantò ampliorem habuisse Adamum credendum est, qui utique in omnibus perfectionibus fuit *plus quàm Salomon*, prout noster Nicolaus de Lyra habet in

3. Reg.

Digitized by Google

3. Reg. 3. ubi in illum versum *in tantum, ut nullus ante te similis fuerit*, dicit, hoc esse intelligendum respectu Regum, qui fuerunt ante eum & post, de aliis autem hominibus plures fuerunt sapientiores, sicut Adam, qui fuit creatus in plenitudine scientiæ, prout dictum fuit Gen. 3.

Probatur Conclusio Quartò: Quia licèt ex se Adam posset scientiam rerum naturalium acquirere, si applicarentur objecta & animum ad eandem, valdè tamen difficile est, applicare omnia ad hoc necessaria, & pro secundo valdè congruum videtur fuisse, ut crearetur cum omnibus illis scientiis, ut & posteris posset communicare, & ipse tantò amplius obligaretur ad amandum DEUM suum Creatorem & Benefactorem, à quo tanta recepisset dona. Denique etiam ex parte DEI congruebat, quia tùm omnes alias res produxerit in statu perfecto, arbores cum fructibus animalia in debita magnitudine, credendum quoque est, hominem tum suis perfectionibus fuisse creatum, quoniam summa perfectio hominis est scientia. Nihilominus

VI. Adam in statu innocentiæ potuisset habere assensum falsum.

Dico Tertiò: *Adam in statu Innocentiæ potuit habere assensum falsum, & erroneum.* Est communis Theologorum, & Probatur Primò ex Scriptura, 1. Timoth. 2. *Mulier seducta est in prævaricatione*, seduci autem non est aliud, quàm habere assensum falsum, ergò non modò potuit seduci, sed etiam est seducta.

Dices: Evam fuisse seductam; sed non ante transgressionem, sed postquam jam alia commisit peccata, propter quæ merebatur permitti ad lapsum, nam fuit præsumptuosa, incredula, de veritate DEI dubia, & dæmoni nimis citò assentiens, quando illi dixit: *Nequaquam moriemini.* Sed contra; hoc frustra dicitur, nam ex S. Scriptura quidquid dicant Theologi aliqui, & Interpretes, tota felicitas illius status potissimum in duobus consistit, quæ sunt immortalitas, & impudentia nuditatis. Primum legitur Gen. 2. *Ne comedas, in quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris*, ex quo sequitur apertè, quòd aliàs non esset moriturus, & ecce primum privilegium illius statûs: Alterum etiam ibidem: *Erant autem uterque nudus, & non erubescebant*, ecce carentiam pudendæ concupiscentiæ, sed utrumque hoc erat alligatum illi præcepto de non comedendo ex ligno scientiæ, quod probo imprimis Scripturâ, deindè etiam experimento, nam in primo loco suprà dicitur: *De ligno Scientiæ boni & mali ne comedas, in quacunque enim die comederis &c.* ubi vides mortem alligatam arbori scientiæ & esui fructûs ejus. Deindè quoad alterum subest non minus aperta Scriptura, & vox ipsius DEI; cùm enim Adam respondisset DEO: *Vocem tuam audivi & abscondi me, eò, quòd nudus essem*, subdidit DEUS: *Quis enim indicavit tibi, quòd nudus esses, nisi quia de ligno, de quo præceperam tibi nè comederes, comedisti*, ubi pariter vides immunitatem à pudore nuditatis annexam esui arboris, atque ita licèt primi homines alia peccata patrâssent, non proindè incurrerent mortem, nec laborarent fomite & pudore ejus, nisi peccâssent inobedientiâ contra illud præceptum.

Quòd etiam experimentis confirmatur, nam Adam antequam comedisset, certissimè voluit comedere ex vetito ligno, atqui hoc velle sine dubio erat peccatum, & quidem grave, neque tamen proindè amisit felicitatem illam, nam incurrit mortem aut pudorem nuditatis nisi postquam re ipsa manducavit, Genes. 2. *Tulit mulier de fructu illius & comedit: deditque viro suo, qui comedit, & aperti sunt oculi amborum*, nempè post esum: Eva infidelitate peccavit, credidit serpenti, non credidit Domino DEO, in quo inexcusabilis fuit, & gravissimè peccavit: Peccavit item colloquendo serpenti, & patiendo se circumveniri ab eo: Peccavit appetendo similitudinem DEI aut Deorum, neque tamen ap←

ruit oculos, hoc est, scivit se esse nudam, nisi post comestionem. Itaque frustra recurritur ad aliud peccatum Evæ aut etiam Adami, antequam deciperentur, nam licèt multa haberent, non incurrerent ignorantiam aut deceptionem indecentem illi statui, nisi comedissent de vetito fructu.

Probatur Conclusio Secundò: Rationibus D. Bonaventuræ, qui ad quæstionem 2. d. 23. art. & qu. 2. *An in statu innocentiæ aliquando decipi potuissent primi Parentes*, subdit: Quòd sic videtur in Gen. *dixit mulier: serpens seduxit me*, sed constat, quòd mulier non consensit, nisi quia æstimavit esse verum, quod serpens dixit, sed ante consensum non peccavit, ergò antequam peccaret decepta fuit.

Probatur Tertiò ex D. Augustino super Gen. ad litt. & habetur supra dist. 22. Credidit Adam utrumque fieri posse, ut & uxori morem gereret, & quod per pœnitentiam veniam haberet, sed constat, quòd illud fuit falsum, & hoc credidit antequam peccaret, quia aliter non peccâsset, ergò. Item Magister Sententiarum supra, dist. 21. loquens de muliere & serpente dicit, quòd mulier non horruit serpentem, quia cùm noverit esse creatum, etiam officium loquendi accepisse putavit à DEO, sed constat hoc falsum fuisse, quod putavit, ergò.

Probatur Quartò: Si Adam stetisset, dormivisset utique & habuisset alias operationes naturales, ergò cùm somnium sit ex naturali motu fumositatum & phantasmatum circa organum phantasiæ, Adam somniâsset, sed in somnio similitudo rei accipitur pro veritate, & ubicunq; hoc est, ibi est deceptio, ergò.

Item naturale est, quòd quidquid videtur, videatur sub angulo, & quantò à re remotiori aliquid videtur, tantò minorem generat speciem, & videtur sub angulo acutiori, ergò ita parvus videretur sol ipsi Adæ sicut & nobis, ergò sicut decipitur sensus noster in judicando de quantitate solis, ita videtur, quod deciperetur sensus Adæ.

Item ponatur, quòd aliquis homo peccâsset Adam ignorante & assereret ei falsum, aut Adam sciret ipsum dicere falsum aut non? si sic, tunc sciret occulta cordis alterius, pone enim, quòd ipse loquatur ei de secretis cordis sui, quæ nosse in alio est proprium solius DEI, si nesciret esse mendacem, ergò crederet ipsum veracem esse, crederet ipsum dicere verum, ergò necessariò deciperetur. Ita ille accuratè quibus tamen ipse non subscribit, sed conatur adhibere solutiones, utique in gratiam M. S. P. Augustini, à quo non vult avelli, cum quo etiam

Dico Quartò: *Adamum in Statu Innocentiæ de facto non fuisse DEI particulari beneficio in rebus naturalibus cognoscendis deceptum.* Hanc ob solam Div. Augustini authoritatem complures amplectuntur Theologi, cum quo proindè probatur ex lib. 3. lib. arbitr. cap. 13. ubi dicit: *Sunt revera omni peccanti animæ duo ista pœnalia, ignorantia & difficultas. Ex ignorantia dehonestat error, ex difficultate cruciatus affligit. Sed approbare falsa pro veris, ut erret invitus, & resistente atque torquente dolore carnalis vinculi, non posse à libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.* Idem repetit lib. 1. Retract. cap. 9. Ex qua authoritate hæc desumitur ratio: In foro æqui justique judicis non debet præcedere pœna culpam, atqui ignorantia pravæ dispositionis & deceptio est pœna, ergò non debuit prior esse culpâ in Adamo, alioquin judicia DEI non essent justa. Dico tamen ignorantia pravæ dispositionis, quia simplex nescientia non est pœna, & hæc in Adamo esse potuisset, sicut fuit, quia nescivit, se peccaturum, & sicut etiam in multis Beatis, qui non omnia sciunt, & Angeli superiores illuminant inferiores de rebus ante ignoratis, undè dicit D. Augustinus in Enchirid. cap. 17. *Non est tamen consequens, ut continuò erret quisquis aliquid nescit, sed* quis-

VII. Adam in statu innocentiæ de facto non fuit deceptus in rebus naturalibus.

quisquis se existimat scire, quod nescit, pro vero quippe approbat falsum, quod est erroris proprium.

Undè ibidem ex sequentibus capitibus demonstrat errare etiam in levissimis ad hujus vitæ miseriam spectare dicens: *Sed diligentius considerat â veritate, cùm nihil sit aliud errare, quàm verum putare, quod falsum est, falsumq; quod verum est: vel certum habere pro incerto, incertumq; pro certo, sive falsum, sive sit verum: idque tàm sit in animo deforme atque indecens, quàm pulchrum ac decorum esse sentimus, vel in loquendo vel in assentiendo est est, non non: profectò & ob hoc ipsum est vita ista misera, quâ vivimus*, atqui in statu Innocentiæ non fuit vita primorum Parentum misera, sed felix & beata, undè idem S. Pater lib. 14. Civit. cap. 10. exclamat: *Quàm igitur felices erant primi homines, & nullis agitabantur perturbationibus animorum, nullis corporum lædebantur incommodis: tàm felix universa esset Societas humana, si nec illi malum, quod etiam in posteros trajicerent, nec quisquam eorum stirpe iniquitatem committeret, quæ damnationem reciperet.*

Hæc Conclusio probabitur ratione efficacissimâ per subsequentem: Quia intellectus indepèdens à phantasmatibus, & liber ad sua objecta non potest errare, sed intellectus Adami erat talis, ergò: maj: patebit & confirmari potest Primò: Quia omnes deceptiones & intelligendi difficultates in nobis obveniunt ex conjunctione intellectûs ad sensum, & in dependentia illius ab isto, ob quod non potest intellectus noster se extendere ad substantias & multò minus ad Spiritus. Confirmatur Secundò: Quia intellectus noster independens à sensibus & phantasmatibus est veluti speculum perfectissimè tersum & rectum, quod res exhibet prout in se sunt, nec fallit nec fallitur, sed intellectus Adami non dependebat à sensibus, ergò nec fallere nec falli potuit, & ob hoc Angeli boni & mali tàm perfectè noscunt naturas rerum corporalium, ut in iis non decipiantur, ergò. Hoc est conclusio sequens, quâ

Dico Quintò: *Sat probabile est, intellectum Adami in statu Innocentiæ non dependisse in cognoscendis rebus naturalibus à phantasmatibus.* Hæc plurimos Scotistas habet adversarios. Scotus tamen in hac materia est problematico, nam in 1.d.3.q.3.dicit: *Stabilitum est illis legibus Sapientiæ, quòd intellectus noster non intelligat pro statu isto, nisi illa, quorum species relucent in phantasmate, & hoc sive propter pœnam originalis peccati, sive propter naturalem concordiam potentiarum animæ in operando.* Et paulò pòst dicit: *Ista tamen concordia, quæ est de facto pro statu isto, non est ex natura nostri intellectûs, undè intellectus est, nec etiam undè in corpore est. Tunc enim corpore glorioso necessariò haberet similem concordiam, quod falsum est. Utcunque igitur sit iste status, sive ex mera voluntate DEI, sive ex mera justitia punitiva, sive ex infirmitate, quam causam Augustinus innuit* 15. de Trinit. cap. ult. *Quæ causa*, inquit, *cur ipsam lucem acie fixâ videre non possis, nisi utique infirmitas? & quis eam tibi fecit, nisi utiquè iniquitas?* Ex Scotistis Recentioribus Conclusionem meam quoquè tenet noster P. Bernardus Sannig, olim Familiæ Cismontanæ Vicarius Generalis tom. 2. tract. 2. dist. qu. 2. Itaque — VIII. Adami intellectus non dependebat à phantasmatibus.

Probatur Conclusio Primò: Ex Scriptura Gen. 2. Ubi Dominus DEUS adduxit cuncta animantia ad Adam, *ut videret, quid vocaret ea; omne enim, quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus.* In quo loco duo sunt notatu digna: unum est sapientia magna Adami, alterum significantia emphatica linguæ Hebrææ; nam ad nomina rectè imponenda opus est insigni peritiâ, & quidem intimâ rerum, quas voles nominare; & præterea ut lingua, quâ uteris, respondeat ipsis rebus sono ac significatione, quod de hebræa adeò verum est, ut Cabalistæ aliqui contenderint miracula tàm stupenda Christi Redemptoris nostri, ab eo

patrata fuisse per energiam nominum Hebræorum. Iem Gen. 3. *Vidit igitur mulier quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulcrum oculis, aspectuque delectabile: & tulit de fructu illius & comedit, deditque viro suo, qui comedit.* Ubi notandum est, Evam vidisse *bonum esse ad vescendum*, potuit equidem illa nosse absq; independentia à phantasmate, quòd fructus ille esset pulcher visu, sed quòd fuerit ad vescendum suavis, sive dulcis saporis absq; experimento non potuit nosse, nisi intelligendo independenter à phantasmate, quod accipiendum erat ab objecto per sensum gustûs, hic autem nihil erat, quod eam docere potuit, priusquam gustâsset.

Dices: Evam cognovisse, fructum illum esse suavem ad vescendum per scientiam infusam. Sed contra est: Quia scientia infusa repræsentat res abstractivè tantùm, ut benè subtilis citatus, Eva autem non tantùm abstractivè, sed intuitivè id novit, *vidit* enim *mulier*, ecce visionem & cognitionem intuitivam, non sensualem sive ocularem, quia per oculum non potest sciri sapor, adeoque intellectualem, quod fuit probandum & intentum, scilicet cognitio intellectualis sine sensatione.

Probatur Secundò ex Patribus: Augustino lib. 14. de Civit. cap. 11. *Vivebat itaque homo secundùm Deum in paradiso, & corporali & spirituali, neque enim erat paradisus corporalis propter corporis bona, & propter mentis, non erat spiritalis. Aut verò erat spiritalis, quo per interiores, & non erat corporalis, quo per exteriores sensus homo frueretur? Erat planè utrumque propter utrumque.* Hinc S. Bonaventura ait 2. d. 23. q. 3. *juxta Sanctos communiter Adam non solùm constitutus fuit in paradiso corporali, verùm etiam in paradiso spirituali quoad delitias mentis*, atque ita quanto Paradisus ille plantatus ab ipso Domino DEO excedit terram hanc communem & maledictam, tantò cognitiones, quæ sunt deliciæ mentis illius statûs excedunt illas præsentis. S. & Angelicus Doctor cùm negâsset Adamo visionem claram DEI quasi mitigans quod dixit, addit: *Cognoscebat tamen DEUM quadam altiori cognitione, quàm nos cognoscamus: Et sic quodammodò ejus cognitio media erat inter cognitionem præsentis statûs, & cognitionem patriæ.*

Probatur Ratione, Primò: Quia non repugnat, quòd homo intelligat sine phantasmatibus, intelligo sine conversione ad illa, sive per species acceptas ab objectis sensibilibus, quia omnes in gloria ita intelligemus, aliàs nunquam possemus videre DEUM intuitivè, quod est hæresis, & negat beatitudinem hominum, quæ consistit in ejusmodi visione. Confirmatur argumentum ex 1. Corinth. 13. *Nunc cognosco ex parte*, id est, imperfectè, *tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum*, atqui certum est, quòd DEUS non cognoscat nos utendo phantasmatibus, ergò nec nos illum in gloria, de hac enim & hujusmodi cognitione loquitur Apostolus ibi.

Probatur Ratione, Secundò: Quia status Innocentiæ fuit medius inter alios duos homines, scilicet inter illum hujus vitæ, & alium gloriæ, quia neque laborabat miseriis nostri statûs, neque attingebat felicitatem alterius; atque ita (ut quidam ait) erat instar Horizontis cujusdam, qui dividit utrumque hemisphærium, undè quidquid perfectionis illi attribui potest, quod non pertingat ad excellentiam statûs ultimi & beatifici, illud ei liberè assignandum est. Sed independentia à phantasmatibus non est aliquid tale, sive aliquid statûs beatifici, adeoque concedenda est homini pro illo statu, sicut neganda est pro præsenti. Maj: non eget ulteriori probatione, min: autem probatur, quia Angelus etiam malus intelligit sine phantasmatibus (nam nulla habet) anima ipsa hominis separata intelligit absque phantasmatibus, & tamen neuter est in statu beatitudinis.

Pro-

Digitized by Google

Probatur Tertiò ex natura rei sive hominis ipsius secundùm se in puris naturalibus homo habet concupiscibilem & irrascibilem reluctantes rationi, tamen in statu innocentiæ eas subditas & accommodatas ei, ergò etiam dicendum, quòd quamvis homo ex natura sua postularet intelligere dependenter à phantasmate & sensibus, tamen in statu innocentiæ non dependebat ab illo inter intelligendum, paritas enim patet, nec scio, quomodò labefactari possit.

Probatur Quartò: Quia constat Adamum multò doctiorem fuisse, cùm adhuc innocens esset, quàm post peccatum, iste autem excessus Sapientiæ non potest aliundè provenire, quàm ex eo, quòd in primo statu fuit intellectus liber & immunis à phantasmate, in secundo autem fuerit obnoxius illis & ineptus ad intelligendum aliter, quàm utendo illis, adeoque debet esse certum, quòd hæc illi evenerunt in diversis statibus, Probatur maj: ex illis, quæ de gestis Adami referuntur, in Genes. enim illius cap. 2. afferit facer textus, quòd *vocaverit* Adam *nominibus suis cuncta animantia*: item paulò antè: *Omne, quod vocavit* Adam *animæ viventis, ipsum est nomen ejus*, atque ita ille sono & syllabis linguâ, quâ utebatur, expressit naturas animalium, quæ nominavit ad instar aliquid DEI, *qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat*: postquam autem peccavit contumax in Dominum & expressam legem ejus, quando tentavit imponere nomina, toto cœlo erravit, nam post latam in ipsum, uxorem, & posteros ejus sententiam mortis, *creavit nomen uxoris suæ* Evam, *eò, quòd Mater esset cunctorum viventium*, cùm tamen facta esset mater cunctorum morientium, Adam deindè genuit geminos, alterum primipilum justorum, alium, qui posteris signum nequitiæ prætulit, ipse autem Adam secundum, *Abel*, id est, *vanitatem*, vocavit: priorem illum Cain, sive à DEO *possessum*, cùm ex adverso, ille à DEO possessus, & alter perditissimus fuerit. Sed incontra

Arguitur Primò: Si Adam antè peccatum fuit independens à sensibus in intelligendo, & post peccatum dependens debuit in statu peccati infundi ei scientia nova objectorum, atqui hoc dici nequit, quia scientia infusa est privilegium, quod non convenit peccatori: Probatur antec: quia post peccatum non potuit ille uti priori illâ scientiâ, vel speciebus ejus, eò, quòd intellectus illius tunc fuerit quasi cancellis quibusdam inclusus, & arctatus ad sensibilia, species autem illæ priores non, undè non poterant esse usui tali intellectui, ergò. Respond. Primò: Retorquendo argumentum, & quærendo de anima humana, quomodo intelligit, postquam separata est à sua carne? cum essentialiter dependeant à phantasmate, debuit ergò ei infundi nova scientia omnium rerum, quas ante novit, sed multæ animæ, quæ separantur, sunt reprobæ ac damnatæ, quibus non expedit infundere habitus, qui faciunt ad ornatum & utilitatem. Quid ergò dicemus ad ista? Respond. Secundò, neg: antec: Nam quando agitur de mutatione in melius, sive ad magis expeditum esse, abolentur priores species, & incipiunt novæ, undè anima separata perdit priores species, & acquirit novas; quibus intelligit independenter à sensu; quando autem mutatio est in deterius, ut cùm homo ex intelligente independenter fit intelligens dependenter à sensu; non est necesse acquiri novas (licèt pereant præcedentes saltem quoad usum, quia homo non potest per illas intelligere) eò, quòd etiam in priori statu potuerunt acquiri, & operari illæ, quia nimirum existimo, quòd etiam in statu innocentiæ & intellectionis independentis acquirerentur species aptæ ad intelligendum dependenter, undè homo tunc dupliciter intelligeret, sive per duplicis generis species, puta dependentes & independentes à sensu, ad eum

Digitized by Google

eum modum, quo Theologi ponunt in Christo Domino tot genera scientiarum infusam, acquisitam, beatam, &c.

Arguitur Secundò: Naturalia non perierunt per peccatum, aut propter ipsum, Tunc sic: Aut est connaturale homini intelligere independenter à phantasmatibus, aut dependenter à phantasmatibus? Si intelligere independenter à phantasmatibus, tunc etiam hodiè debet sic intelligere, quod est falsum. Si intelligere dependenter, tunc etiam in statu innocentiæ sic intelligebat homo, ergò falsa est conclusio, scilicet hominem pro illo statu intellexisse independenter. Respond. Primò, totum hunc processum impetere communem doctrinam de fræno fomitis in statu innocentiæ, & tamen constat, eum tunc fuisse frænatum, ergo cùm argumentum ibi procedat, neque hic nimis prosperè procedet. Respond. Secundò: Et dico, intelligere naturale homini esse illud dependens à sensu, & tùm ad illationem sequentem nego ei sequelam, non quòd factum sit interim aliquid contra naturam, benè autem aliquid supra naturam. Intelligebat ergò homo tunc independenter à speciebus sensibilibus ad sensatis, non quòd variata sit natura, sed quòd addita fuerit gratia ad eum modum, quo spiritus agebat sua liberè tunc absque repugnantia carnis, non per destructionem naturæ, sed per donum gratuitum justitiæ originalis. Idemque est de immortalitate ejusdem primi hominis.

Arguitur Tertiò: Si Adam & Eva seu primi homines habuerunt intellectus expeditos, & independentes à sensibus, non erat, cur diabolus induceret serpentem, ad hoc, ut Evam alloqueretur, poterat enim id agere manens in propria specie, quoniam Eva intelligeret ipsum etiam spiritualiter loquentem, cùm & ipsa potuerit & modo loqui & audiri. Similiter si Eva habuit intellectum liberum, & potuit uti eo immediatè, potuit etiam videre diabolum intra serpentem, & consequenter scire, quòd ipse movet organa serpentis ad loquendum, id autem non vidit, nam si vidisset, horreret dæmonium, & fugeret ab eo. Confirmatur: nam si sciret esse dæmonium, deberet judicare, quòd non suaderet ei salutaria, sed perniciosa, undè non sineret se falli ab eo, ut fecit. Respond. Utique potuisse diabolum id egisse, sed judicâsse hoc alterum opportunius. Pro quo persuadendo hic annotandum, primos homines, licèt fuerint liberi à sensibus in intelligendo, potuisse tamen intelligere concurrentibus ipsis, quo posito argumentum non nimis premit, quia cùm ageretur de re sensibili & objecto proprio alicujus sensûs, scilicet gustûs, prudenter egit diabolus, quòd voluerit negotium cibi sensibiliter tractare, hoc enim modo ille prodest ac placet, & trahet in amorem sui videntes, quod fecit cùm Eva Genes. 3. *Vidit enim mulier lignum, quòd esset pulchrum visu, & ad vescendum suave.* Per idem Respondeo ad alteram instantiam de Eva factam, & dico, causam totius esse, cur scilicet Eva non horruerit dæmonium, quia non erat ei exploratum per omnia, quòd fuerit dæmon, sciebat esse spiritum, nesciebat num sanctus, an pravus? nam quoad naturalia ambò sunt pares: quod ita verum est, ut pravi sæpè imponant hominibus credentibus, quòd ipsi sint boni, *Sathanas transfigurat se in Angelum lucis.* Sed dices: sciebat Eva, quòd serpens conabatur persuadere ei, quid illicitum ac peccaminosum, sed bonus Angelus non poterat suadere peccaminosa, quod etiam probè sciebat Eva, ergò. Respond. Proindè verum est, quòd Apostolus 1. Timoth. 2. ait: Evam *in prævaricationem fuisse seductam*, quod etiam ipsa Eva attulit in excusationem sui.

Arguitur Quartò: Si Adam & Eva, seu primi homines, habuerunt tàm liberos & expeditos intellectus, qui non dependebant à phantasmatibus in sciendo, non erat opus, ut DEUS

Digitized by Google

DEUS in principio induceret formam corpoream acturus & locuturus cum ipsis, ut habet D. Augustinus lib. 8. de Genes. litt. cap. 18. dicens: *Non existimo primo homini sic, id est, per inspirationem in mentem ejus, locutum DEUM, talia quippè Scriptura narrat, ut potius credamus sic esse DEUM locutum homini in paradiso, sicut etiam postea locutus fuit Patribus, sicut Abrahæ, sicut Moysi, id est, in aliquâ specie corporali. Hic est enim, quod audierunt ejus vocem ambulantis in paradiso ad vesperam, & absconderunt se*, ergò. Respond. neg: antec: Quia licèt haberent liberrimos intellectus, tamen DEUM non possent videre, quia non est sub objecto naturalis attingentiæ intellectûs creati.

Instatur: DEUS omnes istas operationes & apparitiones non fecit per se, sed per Angelos, ut communis tenet Patrum opinio; ergò. Si Adam & Eva habuerunt liberos intellectus, potuerunt illos videre; quia Spiritus absque alio auxilio supernaturali Spiritum videt; ergò. Respond. concedendo totum id fieri potuisse, quamvis factum non fuerit, quia DEUS etiam in Angelo majestatem voluit occultatam, ut non viderent Spiritum illum; sed per corporalia illis apparuit, quia sic judicabat eis expedire, imò ipsum opus plasmationis, in quo se habuit ad instar figuli organa requirebat; qualia non habet spiritus purus.

QUÆSTIO QUARTA.

De donis collatis Adamo & Evæ quoad voluntatem.

EXoticam censeo esse eorum opinionem, qui Adamo & scientias & virtutes morales per accidens infusas negant, hoc solo motivo ducti, eò, quòd Adam illas sibimet acquirere potuerit- eò, quòd intellectus ejus independens esset à phantasmatibus, nullamque ex parte voluntatis operandi sentiret difficultatem; cùm Angeli non minus sint independentes, nemo tamen negat species in prima creatione illis fuisse infusas, & profectò ad cognoscendum DEUM talis species, vel quid æquivalens absolutè concedi debet. Itaque

II. Adam in sui productione accepit virtutes infusas.

Dico Primò: *Adam in prima sui creatione accepit quoque virtutes tàm supernaturales in substantia, quàm morales per accidens infusas.* Hæc est communior inter Theologos. Prima pars patet ex dictis suprà. Secunda ergò pars probatur Primò ex Scriptura, Eccles. 7. & Ecclesiastici 17. *DEUS fecit hominem rectum.* Item *DEUS fecit de terra hominem, & secundùm se vestivit illum in virtute*, utrumque enim horum est aliquid homini superadditum, nam & vestimentum semper est quid distinctum ab illo, qui eo utitur, & rectitudo illa necessariò erat quid distinctum ab hominis substantia; alioquin frustra adhiberetur, & à Scriptura referretur separatim, ac moneretur Lector, quòd DEUS illam homini contulit, nam non potuit non contulisse, cùm sit aliquid ipsius.

Probatur Secundò ex Patribus: Augustino lib. 14. Civit. cap. 10. ubi dicit: *Quid autem timere vel dolere poterant illi homines in tantorum tanta affluentia bonorum; ubi nec mors metuebatur; nec ulla corporis mala valetudo: nec aberat quicquam, quod bona voluntas adipisceretur; nec intrat, quod carnem animumvè hominis feliciter viventis offenderet? Amor erat imperturbatus in DEUM, atque inter se conjugum fida & sincerâ societate viventium, & ex hoc amore grande gaudium.*

Probatur Tertiò ex Rationibus: Quia aliæ creaturæ etiam viventes, ac corporales productæ sunt cum perfectionibus sibi convenientibus; neque Dominus DEUS expectavit naturalem periodum temporis, ut illæ interim per se eas sibi acquirerent, v. g. produxit arbores cum fructibus, fructus ipsos cum maturitate &c. ergò dicendum quoque,

Digitized by Google

quòd idem DEUS nobilissimum vivens, nempè hominem produxerit cum perfectione sibi convenientε, neque expectavit maturitatem illius, aut moram temporis, ut homo ipse suis actibus acquireret habitus, sed potius acciperet liberaliter datos absque labore suo, quæ est doctrina adversariorum & opposita nostra.

Probatur Quartò: Quia non minus his perfectionibus decebat Adamum ornari, quàm aliis scientiis, & actibus intellectûs, ergò.

Dices: Primi Parentes non habuerunt difficultatem operandi benè in ordine ad se, sed tantùm in ordine ad aliud, ergò non indigebant habitibus virtutum spectantium ad se, ut temperantiæ. Respond. neg: conseq: Tùm, Quia tàm facilè erat ipsis pro illo statu exercere actus temperantiæ, quàm justitiæ, charitatis ac libertatis, &c. & illa ipsa facilitas, quam habuerunt ad benè operandum tàm in ordine ad se, quàm in ordine ad alios, oriebatur partim ex ipsismet habitibus virtutum, undè si habuerunt illam facilitatem, debuerunt habere virtutes illas, à quibus proveniret.

Dices: Illa facilitas provenit ex subjectione appetitûs sensitivi ad rationem, ergò non ex virtutibus. Respond. distin: ant: partim, conc: totaliter, nego, nam sicut in Angelis non habentibus rebellionem appetitûs sensitivi est aliqua difficultas superanda per habitus, ut est in anima separata, ita in Adamo non obstante, quòd habuerit appetitum sensitivum penitus subjectum, erat difficultas aliqua tollenda per habitum. Addo, ipsammet subjectionem appetitûs magna ex parte provenisse ex habitibus virtutum, undè negari posset consequ: Sed dubitatur, an fuerit subjectio, quæ hic supponitur, appetitûs ad rationem, hoc est, habentis, quod nunquam esset aliquis motus in illo circa objectum aliquod prohibitum, præveniens dictamen rationis, & impediens voluntatem à prosecutione boni honesti, aut eam terminans ad prosecutionem boni delectabilis inhonesti, quales motus sentimus in nobis etiam inviti pro hoc statu. Ad hoc dubium sit.

III. Adam habuit appetitum subjectum rationi.

Dico Secundò: *In Adamo fuit perfecta subjectio appetitûs ad rationem.* Probatur Gen. 2. ubi habetur, quòd ante peccatum non adverterunt se nudos primi parentes, nec erubescebant consequenter de nuditate sua, sicut fecerunt statim post peccatum, undè voluerunt se cooperire, & DEUS ipse exprobraverat propterea illis: *Quis enim indicavit tibi, quòd nudus esses, nisi quod ex pomo, de quo præceperam tibi, ne comederes, comedisti*, at si non fuisset ante peccatum illa subjectio tàm deberent sentire motus illos partis sensitivæ, quos senserunt commisso peccato, & ob quos præ pudore voluerunt se cooperire, antè peccatum commissum, quàm post peccatum, ergò erat talis subjectio ante. Et si diceret quis consequen: non valere: quia possent quidem excitari tales motus antè tàm benè quàm pòst, sed casu accidisse, quòd antè non fuerint excitati. Contra est, quia hoc non esset necessarium, quòd ob commissum peccatum indicata esset ipsis nuditas illorum. Confirmatur ex Trid. Sess. 5. c. 5. de Peccat. Orig. ubi concupiscentiam seu fomitem peccati, quæ est ipsamet rebellio partis sensitivæ, de qua loquimur, vocat peccatum, quia de peccato est, & ad peccatum inclinat, sed non esset ex peccato, si fuisset, etsi non esset commissum peccatum.

IV. Adam habuit passiones non molestas.

Dico Tertiò: *Verisimile est, Adamum habuisse passiones, quæ conducerent actu ad faciliùs ac intensiùs eliciendos actus virtutum, non verò alias ullas, quæ redderent illos difficiliores, aut essent molestiæ fine actuali utilitate.* Prima pars patet: Quia illæ cederent in majorem perfectionem ipsorum; quis enim dubitet, quin valdè adjuvare-

tur

tur ad amandum DEUM & gratias ipsi agendas, qui haberet passionem illam, quæ vocari solet amor, & ratione cujus voluntas propendet ad amandum objectum, ex quo proposito solet sequi illa commotio. Secunda pars patet ex iis principiis; ex quibus colligitur, quòd non habuerint rebellionem partis sensitivæ, nam istæ passiones sunt rebelliones quædam, quatenus attraherent voluntatem ab exercitio virtutum. Verùm de hac subjectione appetitûs ad rationem plura dicam infrà, cùm de Justitia originali egero; pro nunc sit:

QUÆSTIO TERTIA.

De Donis collatis Adamo & Evæ, quoad immortalitatem & impassibilitatem.

I. Mortalitas est maxima afflictio & passio.

POst examinatas partes ad totum explicandum moveo calamum, nam inter omnes affectiones, afflictionesque principalis passio est corruptio hominis; sicut enim generatio est principalis motus, quia terminatur ad esse simpliciter, ita corruptio, seu dissolutio est principalis jactura & amissio, quare in hac quæstione agam tàm de totali dissolutione & corruptione, quæ fit per mortem; quàm de partialibus mutationibus; quæ fiunt per alterationem, augmentationem, diminutionem &c. In qua materia S. Isidorus lib. de summo bono, quem alii vocant de Trinitate dicit: *Quòd si homo in paradiso innocentèr vivëret, nec ignis eum ureret, nec absentia aëris suffocaret; nec omnia; quæ nocent mortalibus, impedirent.* Et S. Bonaventura 2. d. 19. ar. 2. q. 1. docet; *Quòd alio modo se habent contraria in compositione corporis secundùm statum naturæ lapsæ; aliter secundùm statum naturæ institutæ; secundùm statum naturæ lapsæ non solùm agunt in aliquod extrinsecum, sed etiam ad se invicem agunt mutuò, & patiuntur. In statu autem innocentiæ taliter commixta fuerunt & proportionata in prima compositione, & ad tantam concordiam redacta, ut illo statu manente mutuo non pugnarent, & ideò propter illam compositionem illud corpus dissolvi necesse non erat.* Hæc illi.

Quantum ad mortalitatem aut mortem est controversia inter Angelicum & Subtilem Doctorem, licèt enim in doctrina fidei, quoad Scripturas, Concilia, & Canones de hac re tractantes conveniant, differunt tamen in metaphysica veritate, & grammatica loquendi proprietate; nam D. Thomas vult hominem in statu innocentiæ fore immortalem; Scotus autem non, sed tantummodò non moriturum: Ille tenet, quòd primus homo habuerit *non posse mori*: iste quòd tantum *posse non mori*; apud D. Thomam cadit negatio supra potentiam, apud Scotum suprà actum. Deindè etiam differunt in modo sustinendi conclusiones suas; nam D. Thomas tenet illam suam immortalitatem homini præstandam fuisse per internam qualitatem animæ supernaturaliter concessam, per quam poterat illa corpus suum servare liberum ab omni corruptione: Scotus nequaquam, sed vult illam qualemcunque immortalitatem ab extrinseco proventuram, nempè à providentia DEI, à custodia Angelorum; ut mirum sit, Scotistas aliquot tàm veteres; quàm recentes credidisse vix esse litem inter Div. Thomam & Scotum; sed tantùm cum S. Bonaventura, ita olim sensit Lychetus, & nunc Pontius. Verùm præmittendo ea; quæ sunt faciliora;

Dico Primò: *Mors de facto provenit ex peccato primi parentis Adami.* Ita intelligitur illud Genes. 2. *In quacunque die comederis ex eo, morte morieris.* Ad Rom. 5. *Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Cap. 8. *Corpus mortuum est propter peccatum.* 1. Corinth. 15. Quæ loca sicuti Patres tàm singuli ut Augustinus;

II. Mors de facto provenit ex peccato Adæ.

nus, Fulgentius, Prosper, quàm in Synodis conjuncti, perpetuò docuerunt mortem corporis peccato deberi, hocque illius causam esse, ita Concilia antiqua tametsi non Oecumenica, ut Millevitanum, Arausicanum, & nupernum Tridentinum, quod licèt Oecumenicum sit, tamen definitiones hujus ex Millevitano desumpsit. Super quo

III. Peccatum non est sola causa mortis Adami.

Dico Secundò: *Peccatum non est sola, & tota causa nostræ mortis, aut mortalitatis nostræ, nec fuisse mortis Adami.* Probatur Primò, ad homines, quia axioma Theologorum in hoc negotio est, quòd natura non sit immutata per peccatum, at verò vehemens immutatio est ex immortali fieri mortalem, & re ipsa mori, ergò nec mortalitas, nec mors inducta sunt præcisè per peccatum. Secundò, quia præter peccata inveniuntur adæquatæ causæ mortis & mortalitatis in homine, adeoque peccatum non est numerandum pro sola causa: antec: patet, quia sufficit ad mortem actio reciproca calidi naturalis in humidum radicale, & repassio utriusque, hæc autem habetur nunc, & haberetur in statu innocentiæ; ergò. Tertiò: Quia si homo fuisset conditus in pura natura, non esset mortalis, etiam moriturus, & tamen in purâ naturâ non esset peccatum, alioquin natura non esset pura, dicitur enim pura natura illa, quæ nec gratiam nec peccatum habet. Major hujus est omnium, adeoque nec oportet me laborare in probatione. Minor autem est ipsa hypothesis, ergò. Quartò: Quia bestiæ, & alia omnia viventia moriuntur, idque ob easdem causas, ob quas moritur de facto homo, ut patet tùm lucidissimâ experientiâ, tùm divinâ authoritate: *Idcircò unus est interitus hominis & jumentorum, & æqua utriusque conditio, sic moritur homo, sic & illa moriuntur*, & tamen in bestiis patet, non posse esse peccatum, ergò. Itaque sententiæ illæ Scripturæ & Sanctorum sunt moraliter veræ, quia peccatum moraliter intulit mortem, nempè demeritoriè, quod acutè innuit Apostolus cit. ad Rom. 6. *Stipendium peccati mors*, id est, merces, sive quid respondens per modum pœnæ: est ergò peccatum quoddam removens, prohibens, quasi tabulatum quoddam, aut agger in cataractis coërcens impetum aquæ, ne agros inundet, quo sublato sicut illæ, ita & mors, *qua data porta ruit*, quod quidem communiter hoc loco audiri solet, sed nescio, an rectè intelligi, nam hoc ipsum, quod est esse removens, prohibens, peccatum habet, & facit moraliter tantùm, non verò physicè, quia actus ille pro materiali est bonus, non verò demeritorius se solo, sed tantùm quatenus habet annexam malitiam inobedientiæ, vel aliam pravitatem.

IV. Adam in statu Innocentiæ erat immortalis, id est, non moriturus.

Dico Tertiò: *Hominem in statu Innocentiæ non fuisse immortalem, sed duntaxat non moriturum, neque habuisse hoc, quod est*, non posse mori; *sed tantùm* posse non mori, *ita ut negatio sive impotentia tolleret non potentiam, sed actum, sive ut voles, non actum primum, sed tantùm actum secundum moriendi.* Ita Scotus & Scotistæ passim, quos olim præcessit Moyses Barcepha in proprio opusculo, qui & alios refert, Methodius quoque ex professo hanc conclusionem probat contra Origenem, volens primos homines ante peccatum fuisse mortales. Probatur conclusio Primò ex Scriptura, Genes. 2. *In quacunque die comederis ex eo, morte morieris.* Ecce mori & non tantum moribundum esse, vel mortalem: Sic Sap. 2. *Invidiâ diaboli mors intravit in mundum.* Ecclef. 5. *Per illam* (mulierem) *omnes morimur.* Audis actum, ac non tantùm potentiam, aut viam ad illum. In novo etiam testamento, Rom. 5. *Stipendium peccati mors*, non verò mortalitas, 1. Corinth. 15. *In Adam omnes moriuntur &c.* Nec requiritur longior series Sententiarum, quæ id ipsum dicunt.

Dices: Primum textum nihil pro nobis probare ex Gen. 2. nam in illo loco non potest esse sensus, qui nobis

Digitized by Google

nobis favet, alioquin ſententia eſſet falſa, non enim Adam mortuus eſt illo, quocunque die comedit, cùm deindè vixerit nongentis annis & amplius, genuerit filios ac filias, quod non faciunt mortui, ergò per mortem ibi intelligenda eſt mortalitas, ex quo ſtatim ſequitur, quòd antea fuerit immortalis, quæ eſt doctrina D. Thomæ, ergò. Verùm Respond. In eo loco ſenſum eſſe, qui nobis favet, non enim volumus nos, quòd Adam à peccato ſtatim expiraverit, hoc eſt, abſolverit mortem, ſed quòd inceperit eam, ſicut verè dicimus de eo, qui eſt in agone, quòd moriatur, licèt nondum expiraverit, & poſſit agon ille aliquot horas, imò etiam dies durare, ita enim Adamus ab eſu vetiti cibi ſtatim cœpit repaſſum à cõtrariis, cœpit imminui vis naturalis ejus, & humidum radicale conſumi, undè Symachus opportunè ſic locum vertit, *mortalis eris*, proindè laudatus à S. Hieronymo; quanquam ipſe Sanctus non ſit ſecutus eum in ſua verſione, cùm textus habeat *moriendo morieris*; quod pro nobis facit, nam Adam exindè moriendo moriebatur, id eſt; lentam mortem ſubivit, quam deindè poſt annos aliquot abſolvit, ut etiam præclarè docet S. Auguſt. lib. 11. Civit. cap. 23. ubi ſic habet: *DEUS dixerat: Quâ die ederitis ex ligno, morte moriemini: non ideò debet abſurdum videri, quia non eo prorſus die à corpore ſunt ſoluti, quo cibum interdictum mortiferumque ſumpſerunt: Eo quippè die mutata in deterius eſt vitiataque natura, atque à ligno vitæ ſeparatione juſtiſſima, mortis in eis etiam corporalis neceſſitas facta eſt, cum qua nos neceſſitate nati ſumus.*

Probatur Concluſio Secundò: Authoritate Div. Auguſtini lib. 6. de Geneſ. ad litt. cap. 25. ubi dicit: *Denique non ait Apoſtolus, corpus quidem mortale, ſed corpus mortale propter peccatum. Illud quidem ante peccatum, & mortale ſecundùm aliam, & immortale ſecundùm aliam cauſam dici poterat: id eſt, mortale, quia poterat mori, immortale, quia poterat non mori. Aliud eſt enim non poſſe mori, ſicut quaſdam naturas immortales creavit DEUS: aliud eſt autem poſſe non mori, ſecundùm quem modum primus creatus eſt homo immortalis: quod ei præſtabatur de ligno vitæ, non de conſtitutione naturæ: quo ligno ſeparatus eſt, cùm peccâſſet, ut poſſet mori, qui niſi peccâſſet, poſſet non mori. Mortalis ergò erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio Conditoris. Si enim corpus animale; utiq; mortale: quia & mori poterat, quamvis & immortale, ideò, quia & non mori poterat. Neque enim immortale, quod mori omninò non poſſit, erit niſi ſpiritale, quod nobis futurum in reſurrectione promittitur: ac per hoc illud animale, & ob hoc mortale, quod propter juſtitiam ſpiritale fieret, & ob hoc mortale omni modò factum eſt propter peccatum, non mortale, quod & antea erat, ſed mortuum, quod poſſet non fieri, ſi homo non peccâſſet*; quid magis ad mentem Scoti; non enim Auguſtinus præponit negationem potentiæ, ſed actui, *Neque enim* (ſubdit) *immortale, quod omninò mori non poſſet niſi corpus ſpirituale; quod nobis in reſurrectione promittitur.* Idem per omnia Nemeſius &c. ex quibus intelliges, quid ſibi voluerit Concilium Milevitanum cap. 1. cùm anathema dixit ei; qui aſſeret: *Adam primum hominem mortalem factum*, id eſt, conditum à Domino DEO cum mortalitate; exponit enim ſe ad methodum Scoti dicens: *Ita ut ſive peccaret, ſive non peccaret; de corpore exiret*; adhuc tamen paulò magis confirmat eandem Tridentinum definiens: *Adamum peccando incurriſſe mortem, quam antea illi comminatus fuerat DEUS*; aſt peccando non ſtatim obivit mortem; ſed incepit; adeòque illa comminatio Domini DEI; *morte morieris*; facit ſenſum, *mortalis fies*, incipies deficere, fatiſces, ac ſimilia, & hæc eſt mors, quam illi comminatus fuit DEUS.

Probatur Tertiò Rationibus: Quia nimirum in Adamo currunt rationes omnes, quæ de nobis procedunt, nos autem morimur ex duplici capite; primum eſt internum ex actio-

actione caloris naturalis in humidum radicale, quâ fit, ut utriusque vires imminuantur: nam & calor humidum absumit suâ actione, & ipse in agendo repatitur, totum autem hoc in Adamo videbatur, ipse enim egebat & utebatur alimento, quod proindè providit ei DEUS in paradiso abundè, ut patet ex illis Domini DEI ad ipsum verbis: *Ex omni ligno paradisi comedes*, uti etiam aliis illis Evæ ad serpentem: *De fructu lignorum, quæ sunt in paradiso, vescimur*, sed comestio & digestio sunt conversio alimenti in substantiam aliti, nec potest fieri sine ista actione & repassione, ergò. Alterum caput sive causa nostræ mortis est externum, perimus enim violenter per instrumenta ut ferrum, per elementa ut ignem, aquam, usti, suffocati &c. Sed Adamus etiam spectatâ conditione ejus tunc poterat omnia ista pati, quid ergò defuit ei ad mortalitatem?

Dices pro Thomistis ad primam partem rationis: id quidem verum esse in nobis, atque etiam in Adamo ex natura rei, non tamen de facto, sive pro illo statu, atque ejus felicitate, quia nimirum lignum vitæ repararet vires tàm caloris quàm humidi radicalis, ne in agendo repaterentur, indè enim nomen accepit, eò, quòd arceret hanc mortem, nam si nihil tale præstaret, non differret ab aliis cibis, quod constat esse falsum, quia præstaret edenti vitam sine corruptione ac dissolutione perpetuam, ut patet ex illa cautela Domini DEI: *Videte, ne sumat* (Adam) *de ligno vitæ, & vivat in æternum.* Respond. Adversarios non debere nimis jactare illum locum. Ratio est, Quia nimirum non constat id seriò dictum à Domino DEO, imò oppositum potius constat, quòd scilicet sit jocò dictum & Ironiâ, per quam irrisit Adamum. Tenor historiæ & sententiæ est iste: Peccavit Adam, inflixit ei pœnam DEUS indutâ pellibus, & ad circumstantes ait: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est sciens bonum & malum, nunc ergò videte, ne fortè mittat manum suam, & sumat de ligno vitæ, & vivat in æternum.* Primam partem hujus sententiæ constat apud omnes jocò ac ludibrio dictam, & nihil planè in re evenisse, ergò etiam secunda sic dicta est, & tàm verum erit, eum evasisse immortalem per esum ligni vitæ, quàm erat verum, eum evasisse DEUM omniscientem per esum ligni scientiæ, nam utrumque in eadem sententia continuè & hærenter dicitur: nec erat dignum DEO unam partem seriò, alteram joco protulisse, id enim esset æquivocare, & auditores in fraudem pellicere. Deindè in illo statu homines haberent incrementa & excrementa corporum humanorum pro illo statu, nam si perseverâsset, non talia haberent corpora filii Adam, qui nascerentur, quale ipse cùm conditus est, nam filii ejus crescerent, non enim nascerentur proceri, quæ certè significant aliquid corruptionis, & difficultatis in vita propagandâ, nam in augmentatione deberet calor naturalis laborare, ut aggregaret sibi novam materiam majorem quantitatem, & in excrementis manifestè cernitur impuritas ac corruptio in deterius. Sed in contra

Opponitur Authoritas S. Augustini ex lib. qq. Nov. & Vet. Test: *DEUS hominem fecit, qui quamdiu non peccaret, immortalitate vigeret, ut ipse sibi author esset, aut ad vitam, aut ad mortem.* Ecce enim hominem immortalem, & impotentem mori secundùm Augustinum, propter quod Thom. Cajetanus insultat Scoto, tanquam non intellexerit aut neglexerit Augustinum. Sed Respond. me in genuinis Operibus hunc locum Augustini, adhibitâ etiam debitâ diligentiâ non invenisse, reperi quidem eundem locum in q. 19. in appendice ad tom. quartum, ubi tamen in proœmio demonstratur, valdè mirari citâsse pro istis Augustinum, aut judicâsse ejus esse illud opus, ex quo ipse ista transcripsit; nam tantum abest partus Augustini, illius ingenii, ut potius sit abortus cujusdam imperiti,

riti, nec ſat ſcio an benè Chriſtiani, tot quaſi hæreſes habet, nedum errores, quæſt. 13. dicit, parvulos, qui unà cum parentibus perierunt in ſubverſione Sodomæ, liberos eſſe à gehenna, ac per hoc ait Cardinalis Bellarmin. negat peccatum Origenis, ſed malè, nam peccatum Origenis non infert gehennam. Sed quidquid ſit de hoc, an verum ſit, certum eſt, quòd ſit Auguſtini, hic enim damnat ad gehennam etiam fidelium Chriſtianorum filios, quotquot ſine Baptiſmo decedunt, quæſt. 109. dicit Melchiſedech eſſe Spiritum Sanctum & eſſe Sacerdotem, ſed non Summum, ut in oblatione (inquit) præſumunt Antiſtites, quo loco videtur carpere Canonem Miſſæ, ubi talis dicitur Melchiſedech; atque alia aliaque, quæ apud S. Hieronym. Videatur proœmium in Appendicem.

Arguitur Secundò: In ſtatu Innocentiæ homines forent ad minus ſicut hodie ſunt Enoch & Elias, ſed iſti pro nunc non poſſunt mori, ergò nec homines in primo illo ſtatu. Reſpond. Si ita ſit, tunc homines in primo illo ſtatu fuiſſe verè mortales, tales enim ſunt hodie Enoch & Elias, nam circumferunt eam carnem, quam hìc habuerunt, & iterum huc referent eandem, in qua etiam re ipſa ſunt morituri, & quidem violenta morte, ut colligitur ex Apocalypſ. Itaque parum adferri poteſt pro illa doctrina, quod premat.

V. Adamq innocens nullam paſſionem læſivam percepiſſet.

Dico Quartò: *Adam in ſtatu innocentiæ nullam paſſionem læſivam, & corruptivam percepiſſet.* Ita D. Auguſtinus lib. 14. de Civit. cap. 26. dicens: *Vivebat itaque homo in paradiſo ſicut volebat, quamdiu hoc volebat, quod DEUS juſſerat: vivebat fruens DEO, ex quo bono erat bonus: vivebat ſine ulla egeſtate, ita ſemper vivere habens in poteſtate. Cibus aderat, nè eſuriret: potus, nè ſitiret: lignum vitæ, nè illum ſenecta diſſolveret: nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore ullas moleſtias ullis ejus ſenſibus ingerebat. Nullus intrinſecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinſecus. Summa in carne ſanitas, in anima tota tranquillitas. Sicut in paradiſo nullus æſtus aut frigus, ſic in ejus habitatore nulla ex cupiditate vel timore accedebat bonæ voluntatis offenſio. Nihil omninò triſte, nihil erat inaniter lætum: gaudium verum perpetuabatur ex DEO, in quem flagrabat charitas ex corde puro & conſcientia bona, & fide non ficta: atque inter ſe conjugum fida ex honeſto amore ſocietas, concors mentis corporiſque vigilia, & mandati ſine labore cuſtodia. Non laſſitudo fatigabat otioſum, non ſomnus premebat invitum.* Vide quantis in delitiis fuerit conſtitutus.

Probatur Secundò Congruentiis: Quia Adam habuit optimum aëris & corporis temperamentum, nutrimentum perfectum conſervativum eum. Intellexitque perfectè omnia nociva, à quibus poterat abſtinere, præcavere, declinare &c. Deindè habuiſſet divinam protectionem & aſſiſtentiam, atque angelicam cuſtodiam, quæ omnia perturbantia & lædentia arcerent. Tertiò: Quia poſt peccatum primò fuit Evæ in pœnam injunctus dolor: *In dolore paries filios tuos &c.* Et Adamo ſudor: *In ſudore vultûs tui veſceris pane tuo.* Ex quibus

Infero Primò: Non fuiſſe in ſtatu innocentiæ morbos, dolores, famem, ſitim &c. quia hæc omnia à Patribus inter pœnalitates numerantur, per peccatum originale inflictas. VI. Moleſtias in paradiſo non fuiſſe.

Infero Secundò: Adamum non habiturum ſomnum, qui proveniret ex cauſis pœnalibus, ſed tantùm ſomnum provenientem ex cauſa naturali, qui ſopor dici poteſt, quique intellectûs operationes, ac mentis elevationem ad DEUM non impedit, & lecta repetit, futura prænuntiat, aliquam corporis quietem requirit ipſa animalis ratio, & divinæ inſtitutionis ordo, nam propter quietem diſtinxit lucem & tenebras, diem & noctem, hanc quieti, illam operationibus aſſignandi. Hinc

Infero

Digitized by Google

Infero Tertiò: In Adam & posteris abfuisset post soporem omnis molestia, sensuumque languor, nec soporem causâsset ægritudo, labor, & defatigatio, sed suavis quædam elevatio fumositatum naturalium evaporatio ad cerebrum; & indè ad sensus, & sic placidus fuisset subsecutus sopor, undè etiam Adam non habuisset illusiones phantasticas, quibus nunc nos sæpè affligimur.

VII. Morbi & senium propriè dictum nò fuissent in paradiso.

Dico Quintò: *Adam in paradiso nec incurrisset morbos, nec senium propriè dictum.* Probatur: Quia DEUS promisit Adamo longam vitam & sanam, si non comederet de ligno scientiæ boni & mali per illud: *In quacunque die comederis ex eo, morte morieris,* hinc enim habetur, quòd non mereretur mortem ante diem vetitæ comestionis, si autem non moreretur, certè nec infirmaretur, sive non ægrotaret, quia morbus est mors incepta, quæ tunc absolvitur, quando quis expirat. Sicut in ludo, qui producendus est ad duodecim aleæ jactus feliciter tentatos, ultimus dat victoriam, non tamen solus, quia ultimus est quidem duodecimus, non tamen est duodecim, sed unus; Cœpit ergò victoria in ipso primo. Deindè certum est, quòd morbus pugnat cum felicitate ob molestias ac dolores, ibi autem erat felicitas naturalis, adeoque nec morbus. Denique illud de senio ex hoc ipso capite patet, nam senium provenit ex reciproca pugna humidi & caloris in animali, ista enim consumunt se mutuò, & proindè senes sunt frigidi & sicci, sicci, quia absumpserunt humorem illum frigidi, quia perdiderunt calorem.: at certum est, datum fuisse Adamo in paradiso & statu innocentiæ horum remedium, undè hîc valet axioma commune, *non est senex, qui non sentit onera senectutis.* Tandem hoc colligitur clarè ex vita Enoch & Eliæ, qui in paradiso tot annis existunt, & non senescunt.

VIII. Adam & posteri innocentes

Dico Sextò: *Adam & posteri ejus in statu innocentiæ fuissent tamen passibiles, & etiam in naturalibus actionibus recipiendis, & reagendo passi.* fuissent passibiles. Probatur Primò: Quia contraria in quocunque corpore existunt, contra se invicem agunt, ergò etiam in Adamo, cùm hoc sit connaturale corpori, & qualitatibus contrariis. Probatur consequ: Si enim in corpore Adami contraria non pugnarent sibi mutuò, tunc calor naturalis non ageret in humidum radicale, nec depasceretur illud, hoc autem est certè absudum, alioquin Adam non nutriretur in paradiso, non uteretur aut vesceretur cibis, nec isti in substantiam ejus transirent &c. quæ omnia falsa sunt, partim contra Scripturam, partim contra philosophicam veritatem. Primum quidem, quia Genes. 2. refertur præceptum Domini DEI Adamo impositum de edendo, & de non edendo, & (quod magis urget) ejusdem confessio Evæ: *De fructu lignorum, quæ sunt in paradiso, vescimur:* sequela autem probatur, Quia si agit calor in humidum, certè humidum reagit in calorem, nam agens in agendo repatitur, & ecce mutuam actionem contrariorum. Deindè ex illo 2. Genes. *Adam positus est in paradiso, ut operaretur & custodiret illum*, ergò debuit Adam agere agricolam & laborare, quo aliquamdiu facto, incredibile est, quin denique fatigaretur, & ecce aliam pugnam utique oppositorum, nam spiritus vitales ac animales consumerentur per violentiam actionis laboriosæ, indè enim provenit fatigatio. Deindè si Adam saltaret, aliquamdiu esset ipsi molestum, quod proindè eveniret., quoniam gravitas corporis resisteret levitati, & revocaret corpus in imum, quæ est tertia pugna contrariorum, ergò.

Probatur Secundò: Quia potuit Adamus excedere in victu, & opprimere calorem naturalem, eo autem facto statim incurritur morbus ac debilitas, item mali humores ob cruditatem cibi, qui non est concoctus sufficienter à calore naturali, atque ideò degenerat in noxia, ut in sputa, reumata &c. Item potuis

potuit excedere hauſtu, qui cùm tunc fuerit aquaticus, facilè gigneret pravum ſanguinem &c. nec enim deſunt offendicula.

Dices: Quòd hæc quidem ab Adamo phyſicè fieri potuerint, ſed non ad propoſitum noſtrum, cùm enim Adamus ille gulâ peccaret, jam non ageret ille in ſtatu innocentiæ, quia jam amiſerat eum ſuo peccato. Sed Reſpond. me jam dudum dixiſſe, quòd innocentia Adami in ordine ad conſervandam felicitatem illam, fuit obedientia præcepti de non comedendo ex ligno ſcientiæ, cœtera peccata auferrent quidem ei internam innocentiam, ac ſanctitatem, non tamen illam felicitatem, quæ ab hac altera & quidem ſola pendebat.

Probatur Tertiò: Quia diuturnus eſus crudorum fructuum, olerum, ac leguminum, hauſtus frigidæ & crudæ aquæ pluribus annis productus labefactaret conſtitutionem humani corporis. Certum autem videtur, quòd homines in ſtatu innocentiæ ſive in paradiſo diutiſſimè viverent, cùm etiam poſt peccatum ejecti paradiſo & exules in terra, cui maledixit Dominus, homines ferè omnes & ſinguli centurias annorum numerarent, Malaleel octingentos nonaginta, Jared nongentos ſexaginta, Noë nongentos quinquaginta, ipſe Adam nongentos triginta, quæ autem vis ventriculi poterat tot annis tantæ cruditati obſiſtere?

Dices: Fructus illius temporis ac loci fuiſſe vegetos ac ſolidos pro noſtris, atque etiam conditionem naturæ jam tunc Adoleſcentis magis robuſtum. Reſpond. Nihilominus quamvis ita ſit, tamen aqua erat frigida, & fructus crudi, quarum qualitates ſtomachus in ſe ſumebat, poterant cauſare varias alterationes.

IX. Impaſſibilitatis Adami innocet. cauſa. Dico Septimò: *Ratio impaſſibilitatis, quam de facto Adam habuit in paradiſo, & habuiſſet, ſi perſeveraſſet, non provenit ab aliqua qualitate divinitus animæ ipſius indita, ſed magis per extrinſecam DEI aſſiſtentiam, Angelorum cuſtodiam, & propriam ſuam cautelam.* Ita Doctor ſubtilis 2. d. 19. Durandus, Gabriel, & alii. Probatur Primò ex Apoſtolo 1. Corinth 15. *Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale.* Item ibidem: *Factus eſt primus homo in animam viventem.* Si vivens, ergò & animale (eſt enim hæc converſio ejus) cui deindè opponit *ſpiritum vivificantem*, ſive vitam ſpiritualem: & omnibus ſubdit: *Sed non prius quod ſpirituale eſt, ſed quod animale, deindè ſpirituale.* Ex quibus conficitur, quòd Adam habuerit in ſui formatione corpus animale, quale alia animalia habent, clarum eſt autem, quod iſta non ſint formaliter impaſſibilia, ergò.

Probatur id ipſum ratione Secundò: Quia impaſſibilitas ab intrinſeco eſt propria corporum beatorum, certum eſt autem, quòd Adam non habuit illam beatorum, ergò nec illam ab intrinſeco: Probatur major: Quia non poteſt dari major, & ipſa eſt quaſi reſervata ſpiritibus, undè ejuſmodi corpora Apoſtolus 1. Corinth. 15. vocat ſpiritualia.

Probatur Tertiò: Quia ſi corpus primi hominis eſſet affectum qualitate, quæ reſiſteret omni externo invadenti v. g. igni, aëri, ferro, ſolis calori, & ſimilibus, idem corpus vi ejuſdem qualitatis reſiſteret etiam interno invadenti, & per eam haberet, nè una pars ejus ab alia pateretur, nè calor naturalis ageret in humidum radicale: hoc autem certiſſimè non faceret, quia ſic impediretur nutritio, & homo non poſſet comedere; quod falſum eſt de Adamo, & contra fidem, patet paritas: cur enim corpus per illam qualitatem eſſet impaſſibile ab uno calore, non eſſet impaſſibile ab alio, ſi autem foret impaſſibile ab utroque, eo ipſo Adam deſineret vivere.

Probatur Quartò: Quia qualitas illa ſine dubio eſſet materialis: Tùm, Quia reſideret in corpore Adami ſecundùm eos, qui eam ponunt: Tùm, Quia deberet opponi aliis qualitatibus noxiis vitæ humanæ,

 ſed

sed qualitas materialis non potest esse, quæ una opponatur multis, & quidem sibi oppositis mutuò, v. g. gravitati & levitati, ergò impossibilis est una qualitas, quæ excludat omnia contraria: probatur min: non potest dari qualitas materialis, quæ una præstet gravitare & levitare formaliter, ergò nec una, quæ opponatur gravitati & levitati formaliter: conseq: patet, quia ideò implicat prior illa, quoniam in se contineret rationes formaliter, diversas & oppositas, sed etiam secunda contineret, nam oppositio formalis ad unum contrariorum, & oppositio formalis ad aliud, sine dubio sunt rationes formaliter diversæ, ergò sicut repugnat una qualitas, quæ sit calor & frigus, gravitas & levitas &c. ita repugnat una, quæ se ipsa opponatur calori & frigori, gravitati & levitati. Quorum omnium ratio adhuc alia à priori assignatur, Quia repugnat in terminis unum opponi sibi, idem sibi esse contrarium, & tendere ad destructionem sui, natura enim id non patitur, cùm ex naturæ instinctu quodlibet procuret conservationem sui, unde nec divinitus dari potest tale quid, quia repugnat primis principiis, & primis finibus naturæ, per quam fit, ut quodlibet amet se, ergò.

Dices: Hoc non debere videri tàm monstruosum, quia Spiritus v. g. Angelus excludit æquè calorem ac frigus, quæ sunt mutuò contraria. Respond. negando ant: ad probationem dico, quòd sit aliud incapacitas, aliud oppositio formalis in genere qualitatis, spiritus non opponitur calori neque frigori formaliter, licèt utrumque excludat. Illa oppositio est in genere subjecti, hæc altera in genere formæ, ad secundam hanc præsumenda est prima, prius ergò debet esse capacitas in subjecto antequam comparentur ad ipsum formæ tanquam contrariæ. Undè quod adfert Replica, nihil habet novi nedum monstruosi, quia etiam in corporibus contingit, nam cœlum est incapax qualitatum sublunarium omnium, quarum tamen multæ sunt mutuò oppositæ. In causa autem Adami totum contrarium eveniret, nam subjectum erat capax utriusque oppositi æquè, & incapacitas debuit oriri à forma, puta à qualitate illa, id enim non potuisse contingere, jam est demonstratum.

QUÆSTIO QUARTA.

DE

Dominio Primi Hominis.

TRia dominia communiter assignant Authores ad propositum hujus materiæ, Primum est Domini DEI super hominem, quod colligitur ex præcepto Adamo dato, dominorum enim proprium est præcipere. Secundum est Dominium hominis super seipsum, & de hoc agitur, cùm de Justitia originali tractatur, per quam omnes sensus Spiritui obediebant. Tertium est Dominium Adami super omnes bestias & universam terram: Et hunc finem ac intentionem DEI hominem creantis fuisse, ut ille creatus haberet dominium omnium rerum sublunarium, patet ex illo Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: & præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis universæque terræ omnique reptili, quod movetur in terra*, quam intentionem non est dubium in opus illum redegisse, undè statim benedictionem suam homini, scilicet duobus illis, impertivit, ut constat, quod etiam quoad substantiam repetitur, deindè cap. 9. quamvis verà re primus ille locus non cogat ad dominium rerum concedendum, nam hoc, quod est præesse, non necessariò trahit secum illud, præsunt enim magistratus urbibus, præsunt Rectores hominibus, quarum tamen omnium non sunt domini. Sed quoniam alia loca id expressiùs sonant, & omnia sic intelliguntur à Patribus & Interpretibus communiter, cum quibus etiam

I. Dominium triplex hominis innocentis.

Dico

11\. *Dominium omnium rerum terrestrium competit homini à natura vero jure, sed non puro.*

Dico Primò: *Dominium animantium omnium tàm terrestrium, quàm aquatilium, item vegetantium, ut arborum ac herbarum, aliorum etiam mixtorum & elementorum, ut sunt metalla, aqua, terra &c. competere homini à natura verò jure, sed non primo & puro.* Prima pars est in confesso apud omnes. Et ratio est, quia hæc videntur à naturâ condita propter hominem, & humana natura exigit usum eorum, undè non potuit creari homo, & negari illi usus istorum, vidit vim hujus Aristoteles, qui cùm dixisset, naturam omnia in gratiam hominis fecisse, subdit proindè venationem & piscationem esse licita. *Quapropter & bellica, secundùm naturam quodammodò & acquisitiva erit, nam & venatoria pars illius est.* (*Lib. 1. Pol. c. 5.*) Idem à priori sic potest ostendi, Quia dominium est potestas utendi aliqua re sine injuria alterius, sed homo potest his uti sine injuria alterius, cùm enim utitur, nulli injuriam facit, quod probo discurrendo per omnes, non enim ipsis rebus, quia non sunt capaces juris, v.g. arbores: Non Angelis, non enim Angelis DEUS subjecit orbem. Non DEO, quia ille retinet dominium suum in res, sive homo utatur illis, sive non. Deindè etsi non retineat, tamen non fit ei injuria ab homine utente illis, quia ipse cessit suo juri, estque volens, volenti autem non fit injuria.

Nonnemo ingenio luxurians, & in verbis ludens, intendit probare, hominem habere plus dominii in corporalia, quàm DEUS: secundùm Juristas *dominium est potestas utendi re aliquâ sine injuria alterius, personæ scilicet, non rei*, atqui DEUS non habet potestatem hanc, nam non potest uti rebus temporalibus, uti enim re aliqua, est applicare eam ad finem, ad quem utilis est, uti cultro, est scindere, uti malleo tundere, &c. Sed DEUS non est capax hujusmodi usus ex rebus corporalibus, non potest v. g. uti cibis: *Nunquid carnes taurorum manducabo*, quia non potest comedere: Non potu, quia non haurire: Non potest uti vehiculo, quia nec vehi de loco ad locum &c. homo autem omnia hæc potest, ergò, non habenti autem potestatem utendi aliquâ re, non facit injuriam aliis eâ utens. Sed hoc est ludere in verbis, nam *uti* in definitione Dominii non accipitur sic grammaticaliter, sed prout significat quamlibet de re dispositionem, aut potestatem disponendi de re aliqua sine alterius injuria, hoc enim convenit DEO respectu omnium omninò, & optimè explicat authoritatem Domini, plus enim exercet illius, qui disponit de re, quàm qui utitur eâ: Feudatarius & Ususfructuarius, Conductor & mutuator possunt & solent uti rebus acceptis v. g. feudo, fundo, instrumentis absque ullius injuriâ, non tamen possunt disponere de illis, non possunt donare ea alteri, non possunt ea destruere igne, ferro, &c. adeoque Author ille luxurians jure reprobatur.

Addidi autem in Conclusione, *sed non primò, & puro*, quia quæ sunt primò & purè de jure naturæ, nulli subsunt, præcepta propria naturæ nulli subsunt, à nullo dispensabilia, ast jus hominis in corporalia subsidia potest illi impediri & eripi omninò à DEO, utique DEUS potest nolle, nè homo utatur tali re, potest auferre ipsi jus acquisitum in talem rem, quod re ipsa aliquando fecit, nam & Ægyptiorum vasa aurea donavit Hebræis, & terram Chanaan eripuit septem gentibus conferendam uni Hebrææ.

Nunc oritur difficultas alia, An videlicet Adam in statu naturæ integræ majus haberet dominium in feras, quàm nunc sit in natura lapsa. Et communis Authorum opinio est affirmativa, Quia (inquiunt) omnia animantia tunc per se ipsa homini obedivissent, sicut nunc quædem domestica ei obediunt, sicut ergò ex parte animalium tunc major esset subjectio, ita ex parte hominis major esset potestas & felicitas dominandi. Quod autem tunc animalia pecu-

Digitized by Google

peculiari modo & instinctu perfectè obedirent homini, indicatum est Genes. 2. quando Dominus DEUS adduxit omnia animalia ad Adam, ut singulis nomina imponeret, quasi tradens illi possessionem, ipsisque animantibus præbens quodammodò peculiarem Domini sui cognitionem, cui ad nutum obedirent. Lambertus Danæus contendit, quòd Adam imposuerit ea nomina animantibus terrenis præsertim, & cœlestibus, id est, aëreis, quæ DEUS ipse coram Adamo stiterat, ut eum illa velut dominium suum agnoscerent, & ex nomine sibi ab Adamo posito postea citata adessent, seque coram eo per se sisterent, id est, non vinculis constricta, non vi coacta, vel operâ hominum adducta, sed ipsa sponte suâ, sicque unumquodque animal voci Adami & posterorum ejus veluti Domini legitimi, & à DEO sibi constituti jussui parerent & obsequerentur. Verumtamen, quia suprà docui, animantia sylvestria & ferocia in statu naturæ integræ fuisse ejusdem ferocitatis, & inclinationis, ideò

III. Animantia ferocia in statu innocentiæ non statim se sisterent vocata.

Dico Secundò: *Adam in statu innocentiæ habuisset perfectam scientiam cicurandi animalia, & multos modos id præstandi, quos non hodie ignoramus, non tamen aliquod specialius dominium, & potestatem jubendi, ut vocata se statim sisterent.* Hæc quoad primam partem videtur esse extra controversiam. Secunda verò magis recedit à communi Authorum opinione, quæ tamen Probatur Primò eâdem Scripturâ, quâ ipsi probant suam opinionem, nam Gen. 2. *Adduxit ea ad Adam, ut videret, quid vocaret ea*, hoc est, contemplaretur ea, sive ut nominaret vel alio fine; sed ex hoc loco nihil probatur, ergò. Probatur min. Dominium illud amplius & latius hominis in statu naturæ integræ non remansit ei in statu naturæ lapsæ, alioquin non foret proprium illius status, sed accessus animalium ad hominem contigit in statu naturæ lapsæ, ergò. Probatur min: Cùm DEUS statuisset delere diluvio omnia, præter pauca aliquot à Noë in arcam recepta, animalia illa longo ordine & secundùm sortes suas ingressa sunt Arcam, ut refertur Gen. 7. *In articulo diei illius ingressus est Noë & Sem & Cham, & Japhet filii ejus, uxor ejus & tres uxores filiorum ejus, cum eis in arcam, ipsi & omne animal secundùm genus suum, universaque jumenta in genere suo, & omne, quod movetur super terram in genere suo, cunctumque volatile secundùm genus suum, universæque aves, omnes volucres ingressæ sunt ad Noë in arcam bina & bina ex omni carne, in qua erat spiritus vitæ.* Quæ tàm magna prosopopœia non adhibetur Gen. 2. ubi refertur animalia adducta ad Adamum, id enim quàm maximè dicitur de animantibus formatis ex humo.

Probatur Secundò: Nam quæ à Scriptura dicuntur in hac materia hominis & animalium, vel potius referuntur à DEO dicta pleraque fierent eo tacente, non enim sunt alia, quàm quæ naturæ ipsorum conveniunt, & ab illa expectari, ac præstari possunt, v. g. Genes. 9. dixit ad Noë & filios ejus egressos Arcâ: *Terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cœli*, sed per hæc nihil contulit novi vel superadditum, aut hominibus aut animalibus, sed asseruit, sive indixit, quod futurum vel potius præsens erat. Similiter ibidem: *Crescite & multiplicamini*, quæ eadem verba præcesserant Genes. 2. ut manifestè appareat hoc loco fieri repetitionem ejusdem. Item, quod magis mirandum, pœnæ referuntur ab eo inflictæ, non adferunt aliquid novi, sed subindè qualitates aut affectiones aliquas, quæ naturæ talium conveniunt. E. g. Sententia ejus in serpentem, Gen. 3. *Quia fecisti hoc, supra pectus tuum gradieris: terram comedes, inimicitias ponam inter te & mulierem:* Nihil horum est, quod non fieret, tametsi serpens non induxisset primum hominem ad peccandum, nam nullius natura mutata est per peccatum, ut constans est doctrina

Digitized by Google

ctrina Adversariorum, adeoque illud: *Præsit piscibus maris & volatilibus cœli, & bestiis terræ.* Item: *Dominamini piscibus &c.* non involvit securitatem aliquam hominis à piscibus vel feris. Hinc patet omnimoda paritas.

Probatur Tertiò: Quia quòd hic cogitant Adversarii, non est aliud, quàm infundere justitiam originalem bestiis, quod non est rationabile, nam esset *sumere panem filiorum, & dare canibus, projicere margaritam ante*, imò intra *porcos*, laboramus & sudamus adhuc hodie, ut possimus eam in uno vel altero homine defendere, & inter tot obices volumus eam bestiis assignare, feris, vilibus, indignis, insciis ac proindè ingratis tàm pretioso dono. Probatur tamen sequela, quia illa obedientia tàm exacta, illa mutatio tàm singularis brutorum, ut contra naturam suam vellent alienæ prodesse & placere, non posset præstare sine ingenti eorum mutatione, quando domanda & alternanda erat ferocitas leonum, rabies tygridum, luporum voracitas, stupiditas asinorum. Confirmatur: Tùm, Quia ingens miraculum fuit, quod S. Erasmus habuit sibi obsequentem leonem, ponere autem tot miracula, quot non solùm species sed individua bestiarum erant, non est sani cerebri & sapientis: Tùm, Quia irascibilis in homine pro tunc coërcita est per habitum & formam immanentem, quam vocamus justitiam originalem, ergò & in bestiis, nam hinc indè ira & concupiscentia sunt ejusdem speciei: Tùm, Quia tàm diu duravit talis vita in homine, quamdiu in aliis animantibus, ergò, si modus ille vivendi in homine constituit statum, etiam in bestiis constituit, adeoque utrobique censendum est per formam inhærentem & stabilem, non autem per aliquid externum & transiens: anteced: hujus patet cuilibet attendenti, nam obedientia bestiarum fuit erga hominem innocentem, adeoque illa tamdiu durant in bestiis, quamdiu innocentia in homine, quod etiam omnes fatentur.

Dices contra ultimam Rationem, ob hanc causam, istam obedientiam bestiarum erga Sanctos in præsenti statu esse miraculum, in illo non fuisse. Respond. hoc esse petere rotundè principium, de hoc quæritur: ille asserit, ego nego. Neque ille alio probat quàm asserendo, undè ego adhuc ulterius probo: Si bruta habuissent inditam sibi à DEO illam agnitionem & reverentiam Adami, ut ad nutum obedirent ei, non fuisset necesse, ut DEUS, sive imperio suo, sive ministerio Angelorum adduceret ea ad Adam, ad hoc, ut hic *videret, quid vocaret ea*, id enim ipse Adam sua authoritate præstare posset, & quidem suaviter, sic enim nos cogimus servos accedere, quando obediunt nobis; at verò oppositum contingit, & *DEUS adduxit ea ad Adam; ut videret, quid vocaret ea*, ergò.

Arguitur Primò: Nisi bestiæ & alia animantia habuissent inditam sibi reverentiam hominis, atque etiam ipse homo sciret, ea non posse sibi nocere, tunc Eva horruisset aspectum & viciniam serpentis in paradiso, ast tantùm abest, quod id fecerit, ut potius miscuerit cum eo dialogos familiariter colloquendo, hoc autem non fecisset, si probè sciret, serpentem velle sibi nocere, atque ita serpens tunc erat innocuus homini, & quasi conciliatus depositâ inimicitiâ, saltem suspensâ, ergò. Respond. negotium serpentis & circumstantia ipsum in principio Gen: est ex summè arduis & difficillimis creditu Bibliorum, expertus est id olim Procopius Gasæus, & nuper Thomas Cajetanus, qui historiam in tropos recuderunt; neque tamen evaserunt difficultatem adversarii per suam doctrinam, quia natura hominis semper fert secum horrorem serpentis, ut quamvis eum videat ferro cancellatum, vitro obductum, tamen retroagatur eo aspectu, atque ita nihil juvat illos sua justitia vel subjectio originalis. Sed adhuc respondere debent, cur Eva non sit admirata loquentem articu-

 latè,

latè, quem sciebat naturaliter nihil nisi sibilos edere posse, suppono enim ex suprà dictis & aliorum confessione inditam fuisse ei omnium naturalium scientiam. Respond. Secundò: Quòd non sit exploratum, quin Eva horruerit serpentem, non enim licet id inferre ex eo, quòd Scriptura non afferat eam horruisse, est enim argumentum negativum., ac proindè invalidum. Potest ergò fieri, quòd à principio horruerit, deindè autem audiens eum prudenter loquentem, suadentem placita, & promittentem mirabilia exhiberit se illi familiarem. Tertiò Respondeeri potest ex iis suprà positis de eo, quòd Adam & Eva fuerint independentes à Phantasmatibus in intelligendo, quod quidem Eva viderit oculis serpentem, sed simul intellectu spiritum angelicum intro, à quo sciebat illas voces ac rationes prodire, cumque spiritus sit objectum delectabile valdè, deposuit horrorem, quem ad externam speciem serpentis concepit.

Arguitur Secundò: Felicitas illius status, quæ exigere videtur, nè quid timere possit adversi, ac non tantùm, nè quid pati possit, nam *timor pœnam habet*, cùm ergò primus homo pœnam nullam habuerit ante culpam; sequitur, quòd nec timorem: haberet autem eum, nisi cœtera animalia ei fuissent subjecta atque obedientia, ergò. Respond. conc: omnia assumpta, & negando ultimum hoc subsumptum: non enim proindè adstruenda est justitia originalis aut obedientia illa civica bestiarum, satis enim foret bestias has bestialiter cohiberi, hoc est vi, quod factum esse creditur custodiâ Angelorum, deindè etiam securitate paradisi, quia hortus deliciarum erat, neque quidquam ibi nisi voluptas habitabat. Confirmatur: Quia si DEUS contra Adamum & uxorem ejus disposuit Cherubim & flammeum gladium ad impediendam viam paradisi, nè eò rediret homo, quantò magis credendus est adhibuisse aliquem imò centum tales ad muniendam viam, nè eò immanes bestiæ ingrederentur.

DISPUTATIO QUARTA.

DE Multiplicatione & Regimine Posterorum ADÆ.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrum in Statu Innocentiæ generandi essent homines modo nunc ordinario?

1. Innocentię in statu homines fuissent multiplicati.

SUPPONO tanquam certum de fide, homines durante statu Innocentiæ multiplicandos fore, prout ex illo *Crescite & multiplicamini* benè deducit S. Augustinus lib. 14. de Civit. Cap. 21. dicens: *Illa verò benedictio per crescite & multiplicamini, Nuptiarum, ut conjugati crescerent, & multiplicarentur, & implerent terram, quamvis & in delinquentibus manserit: tamen antequam delinquerent, data est, ut cognosceretur per procreationem filiorum ad gloriam connubii, non ad pœnam pertinere peccati. Sed nunc homines profectò illius, quæ fuit in paradiso felicitatis ignari, nisi per hoc, quod experti sunt, id est, per libidinem, de qua videmus ipsam etiam honestatem erubescere nuptiarum, non potuisse gigni filios opinantur.* Verùm fuit difficultas quorundam,

dam, quomodo id factum fuisset, an cum tali libidine & concupiscentiâ, an sine illa? Deindè etiam quæritur, an factum fuisset conservata virginitate? & Tertiò, an hæc in illo statu melior fuisset matrimonio? & respondendo ad singula.

II. Homines in statu Innocentiæ multiplicarentur eodem modo ut nunc.

Dico Primò: *In Paradiso fuissent homines multiplicati eodem modo, quo nunc generantur & procurantur.* Ita D. Thomas q. 98. & omnes Scholastici cum Magistro & aliis apud Suarium contra Nissenum lib. de Opificio Mundi hom. 7. Chrysost. hom. 18. in Gen. & alios quosdam Patres. Probatur Primò ex Scriptura Gen. 1. *Crescite & multiplicamini*, undè Div. Augustinus cit. cap. 22. ait: *Nos autem nullo modo dubitamus secundùm benedictionem DEI crescere & multiplicari & implere terram, donum esse nuptiarum, quas DEUS ante peccatum hominis ab initio constituit, creando masculum & fœminam: qui sexus evidens utique in carne est. Huic quippe operi DEI etiam benedictio ipsa subjuncta est. Nam cùm Scriptura dixisset masculum & fœminam fecit eos: continuò subdidit & benedixit eos DEUS dicens: Crescite & multiplicamini, & implete terram, & dominamini eis.* Ac tandem concludit: *Cui sententiæ tàm evidenti magnæ absurditatis est reluctari.* Quare gratìs dicit Damascenus illam multiplicationem proventuram à DEO, quia tunc DEUS non debuisset Protoplastis imperare, sed sibi, dicendo. Ego vos multiplicabo.

Probatur Secundò ex eadem Gen. 2. *Non est bonum esse hominem solum*, ideò enim non dedit illi socium alium virum, sed fœminam, quia intendebat propagationem generis humani per illos. Item ex verbis Adami Gen. 2. *Hoc nunc os ex ossibus meis & caro de carne mea: quam ob rem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*, ergò Adamus nihil de peccato cogitans, de matrimonio tamen & copula cogitavit, ergò non erat tunc illis illicita.

Probatur Tertiò ex D. Augustino lib. 14. de Civit. cap. 23. ubi postquam refutâsset dicentes: Homines tunc non fuisse coituros, subjungit: *Et ideò illæ nuptiæ dignæ felicitate paradisi, si peccatum non fuisset, & diligendam prolem gignerent, & pudendam libidinem non haberent. Sed quomodo id fieri posset, nunc non est, quo demonstretur exemplo. Nec ideò tamen incredibile debet videri, etiam illud unum sine ista libidine voluntati potuisse servire, cui tot membra nunc serviunt. An verò manus & pedes movemus, cùm volumus ad ea, quæ his membris agenda sunt, sine ullo renisu tanta facilitate, quanta & in nobis & in aliis videmus, maximè in artificibus quorumcunque operum corporalium: ubi ad exercendam infirmiorem tardioremque naturam agilior accessit industria: & non credimus ad opus generationis filiorum, si libido non fuisset, quæ peccato inobedientiæ retributa est, obedienter hominibus ad voluntatis nutum similiter ut cœtera potuisse membra servire.*

Probatur etiam Ratione congruentiæ: Quia ea multiplicatio seu vis generativa non oritur ex peccato, ergò independenter ab illo est homini connaturalis, ad quid enim deberemus recurrere in eo statu ad tot ac tanta miracula, ut semper DEUS homines miraculosè crearet. Deindè nos omnes eramus contenti in Adamo, & ut ab eo procreandi, peccavimus in illo, ergò ante peccatum jam ille erat constitutus, ut futurus Pater filiorum, quibus communicaret suam justitiam originalem, si non peccaret, si peccaret transfunderet peccatum. Sed in contra

Arguitur Primò: Copula carnalis indigna fuit eo statu, ille enim futurus erat, sicut hominum post resurrectionem, qui neque nubent, neque nubentur, ergò. Respond. neg: antec: nam copula carnalis tunc foret sine appetitûs commotione, & turbatione saltem illicita, cùm fuisset ordinata ab ipsis ad DEI laudem, & propagationem generis humani; nego etiam comparationem inter homines

mines in cœlo & in paradiso quoad punctum præsens, quia in cœlo non amplius multiplicantur, est enim status termini & prœmii, non sic verò in paradiso.

Arguitur Secundò: Per filios & conjuges valdè ab amore DEI impedirentur homines in illo statu, ergò tales non habuissent. Respond neg: antec: tunc enim occupationes externæ impediunt, ne homo vacet DEO, quando in ipsum non ordinantur, alioquin nec nos concionibus, lectionibus & aliis id genus attendere deberemus.

Arguitur Tertiò: Adam de facto non cognovit uxorem suam, nisi extra Paradisum, ergò intra hoc ipsi non licebat, & consequenter usus matrimonii non fuit licitus in illo statu. Respond. Adamum ideò non cognovisse uxorem, quia tempus breve fuit, & fortè DEUS specialiter impedivit præsciens per scientiam conditionatam Adamum lapsurum, nè illi, qui ante peccatum fuissent concepti, tanquam in justitia originali nati & concepti alios in peccato post Adami lapsum conceptos & natos contemnerent, essetque magna inter utrosque dissensionum occasio, imò confusio.

III. Virginitas in statu Innocentiæ per generationem fuisset violata.

Dico Secundò: *In statu Innocentiæ per generationem mentis & carnis virginitas fuisset violata.* Prima pars est D. Thomæ in 2. d. 20. & aliorum, quos citat, & sequitur Suarius. Probatur: Quia integritas corporis non erit tunc mansura, ut patet, quia proles tunc generarentur modo ordinario, ut patet ex conclusione præcedenti, ergò nec virginitas carnis, quæ in illa integritate consistit, & hinc

Probatur secunda pars, quæ est D. Bonaventuræ & aliorum, quos refert idem Suarius, quia virginitas mentis amittitur per consensum in copulam, sive licitam, sive illicitam.

Opponitur contra primam partem Authoritas D. Augustini lib. 14. de Civit. DEI cap. 26. ubi dicit: *In tanta facilitate rerum, & felicitate hominum, absit, ut suspicemur non potuisse prolem seri sine libidinis morbo: sed eo voluntatis nutu moverentur membra illa, quo cœtera, & sine ardoris illecebroso stimulo cum tranquillitate animi & corporis nulla corruptione integritatis infunderetur gremio maritus uxoris. Neque enim, quia experientiâ probari non potest, ideò credendum non est: quando illas corporis partes non ageret turbidus calor, sed spontanea potestas, sicut opus esset, adhiberet: ita tunc potuisse utero conjugis salva integritate feminei genitalis virile semen immitti: sicut nunc potest eadem integritate salvâ ex utero virginis fluxus menstrui cruoris emitti, eâdem quippe viâ po[?]t illud injici, qua hoc potest ejici. Ut enim ad pariendum non doloris gemitus, sed maturitatis impulsus feminea viscera relaxaret: sic ad fœtandum & concipiendum non libidinis appetitus, sed voluntarius usus naturam utramque conjungeret.* Ubi expressè docet, quòd ad recipiendum semen virile non erat aperiendum claustrum virginale in eo statu, ergò virginitas carnis fuit servanda, nam probat ibidem, quod sicut sanguis menstruus potest exire sine violatione claustri, ita posse intrare semen. Respond. neg: consequ: Quia S. Augustinus loquitur de potentia absoluta, non de facto, nec ego ambigere possum, DEUM id absolutè facere potuisse, factum tamen contrarium constat ex Scriptura. Deindè dico differentiam inter sanguinem menstruum & semen, nam sanguis prodit ex venis, quæ terminantur in orificio, & ex se emittunt sanguinem. Semen autem per illas intrare non potest, sed necessariò debet habere viam apertam. Deindè in partu necessaria fuit apertio, ergò sicut ibi conceditur, poterit & in receptione seminis concedi. Aliqui volunt in fœminis tunc claustrum virginale non mansurum permanenter apertum, sed post copulam iterum claudendum, unde putant, virginitatem non amittendam. Verùm hæc doctrina displicet Primò: Quia illud mira-

miraculum ponitur sine necessitate. Secundò: Quia per illud non salvatur virginitas, hæc enim per unicam aperturam violatur, undè dixit Hieron. in Epist. ad Eustochium: Cùm DEUS omnia possit, virginitatem lapsam reparare non potest.

IV. Virginitas in statu innocentiæ fuisset licita.

Dico Tertiò: *In statu Innocentiæ virginitas fuisset licita.* Hæc est contra D. Thomam 1. p. q. 98. & magis probabilis. Probatur, Quia non constat nec ratione, nec authoritate, quòd fuisset præceptum universale de matrimonio in statu innocentiæ, ergò virginitas fuisset licita, quia non potuit reddi illicita, nisi per præceptum de opposito.

Dices: Fuisse tunc præceptum de matrimonio, ergò nostra probatio nulla est: Probatur antec: Quia potuit DEUS habere causas justas, ob quas illud imponeret, & forè quodammodò videtur insinuatum in his verbis: *Crescite & multiplicamini*, si enim non esset obligatio matrimonii, ergò omnes possent tunc servare virginitatem, & quia non haberent ullum planè appetitûs motum ad libidinem, facillimè, imò cum delectatione abstinerent, sicque non multiplicarentur contra intentum DEI, ergò debuit tunc matrimonium esse sub præcepto, & quidem universaliter, quia non est major ratio de uno, quàm de alio. Respond. Hunc discursum reddere alteram sententiam satis probabilem, absolutè tamen loquendo illa minus probabilis est, quàm nostra, quia illud præceptum, licèt à DEO potuerit poni, non tamen ex natura rei est annexum illi statui, ergò non possumus nos dicere de facto illud fuisse positum, nisi ex revelatione nobis constet, atqui nulla revelatio est pro tali præcepto, imò potius multi SS. Patres, qui Scripturam optimè noverant, judicârunt, non futurum licitum matrimonium, & licèt in hoc excesserunt, (ut dixi) certè tamen ostenditur, per hoc de tali præcepto omnibus communiter non constare. Quòd verò DEUS dixerit *Crescite & multiplicamini*, non denotatur præceptum, sed licentia & approbatio matrimonii, illud autem inconveniens, quod timebatur, facillimè vitabitur, nam licèt non haberent motus appetitûs, cognitâ tamen necessitate generationis, & quod in copula nulla esset indecentia, nec aliundè ulla in matrimonio difficultas, sanè vel multi vel omnes illud subirent, & licèt appetitus antecedenter non insurgerent, tamen, quia etiam noverant in copula suam esse delectationem, poterat id saltem esse causa, ut eam non horreant, licèt illam non quærerent, illud enim fortè repugnaret perfectioni illius status.

V. Matrimonium in statu Innocentiæ fuisset nobilius virginitate.

Dico Quartò: *Perfectius futurum matrimonium virginitate pro isto statu.* Est communis, contra Arriagam hic. Probatur: Quia mediante matrimonio uteretur quis instrumentis à natura datis ad multiplicationem generis humani, ex qua multiplicatione, præsertim cùm omnes generandi essent justi, & electi ad gloriam, sequeretur magnus honor DEI, nec haberet annexa inconvenientia illa, ob quæ defacto est minus perfectum, quàm virginitas, ergò pro illo statu esset perfectius.

Dices cum Arriaga: Integritatem esse magis perfectam, quàm carentiam ejus, & propterea etiam miraculosè illam fuisse conservatam in partu Divinæ Virginis, ergò virginitas, quæ conservatur, est major perfectio, quàm matrimonium, quod perditur. Respond. distin: antec: quando integritas esset simùl cum partu, conc: quando non esset, nego antec: & similiter distin: consequ: si illa virginitas simùl haberet partum, ut habuit in Beata Virgine, conc: quando non, nego consequ.

Dices Secundò: Haberetur major voluptas ex copula, quàm ex carentia ejus, ergò melius esset abstinere à copula. Respond. neg: consequ: Quia perfectio illa ornata ex negata sibi voluptate non æquivalet perfectioni, quæ sequeretur ex propagatione generis humani.

QUÆSTIO SECUNDA.

An si Adam non peccasset, soli electi nascerentur in statu Innocentiæ?

I. Electi nascendi dupliciter cōsiderari possunt.

DIvulgata est, & quasi ab omnibus recepta maxima D. Gregorii lib. 4. Moralium cap. 36. dicentis: *Si primum Parentem nulla peccati rubigo corrupisset, nequaquam ex se filios gehennæ generaret*; quam sententiam etiam noster Subtilis complectitur, cùm aliundè per Scripturam aut revelationem non constet oppositum; adeò authoritati tanti Pontificis censuit esse deferendum in re contingente, & à libera DEI voluntate totaliter dependente; Potest autem sententia D. Gregorii dupliciter intelligi: Primò, ut soli illi tunc nascerentur, qui jam sunt electi, qui autem jam sunt reprobi, non nascerentur. Secundò, ut nascerentur quidem tunc etiam, qui nunc sunt reprobi, ipsi tamen tunc non reprobarentur, sed forent & essent etiam ipsi electi. Ad quam difficultatem.

II. Electi soli in statu innocentiæ nascerentur.

Dico Primò: *Si status Innocentiæ perseverâsset, soli electi nascerentur.* Ita Gregorius suprà, Scotus 2. dist. 2. q. 2. Probatur Conclusio Primò ex Scriptura, Gen. 3. v. 16. ubi in pœnis, quas DEUS latâ sententiâ intulit mulieri post, & propter peccatum, una est conceptio plurium: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos*, ergò videtur evidens veritas credenti, quæ ibi referuntur, quod fœmina ob peccatum suum aliquos concepit, quos non erat conceptura, si non peccâsset, certum est autem, quòd peccatum non fuerit ei causa concipiendi electos, ergò post peccatum & propter ipsum concepit reprobos.

Probatur Secundò ex Patribus: D. Gregorio suprà, & D. Augustino lib. 14. de Civit. cap. 23. ubi dicit: *Illud potius est credendum, quòd Sanctorum numerus quantus complendæ illi sufficit beatissimæ civitati, tantus existeret, & si nemo peccâsset, quantus nunc per DEI gratiam de multitudine colligitur peccatorum, quousque filii hujus seculi generant, & generantur.*

Probatur Tertiò: Quia si Adam non peccâsset, ipse & ejus posteri habitâssent in paradiso, hunc enim illi innocenti præparavit DEUS in domicilium; sed si omnes, quotquot nunc nascuntur, etiam tunc fuissent, impossibile erat omnes paradiso excipi; fuit enim ille unus hortus, & benè moderatus, neque excedebat millesimam partem terræ habitabilis. Confirmatur ratio prædicta factâ comparatione duorum hinc indè hominum & locorum, numerus electorum est minor & spatium paradisi minus; numerus reproborum est major, & spatium mundi extrà paradisum est majus, ergò ratio dictat, & lector expectaret, ut electi essent in paradiso, reprobi autem in hoc majori mundo, atqui omnes in paradiso habitarent, quotquot gignerentur ab Adamo innocente, ergò omnes, qui gignerentur ab Adamo innocente erant electi.

Probatur Quartò: Prædestinatio electorum facta est ante prævisum aut peccatum, aut perseverantiam Adæ, imò antequam cogitaretur de statu nocentiæ aut innocentiæ, ex quo sequitur, quòd non potuerit illa per peccatum aut perseverantiam ejus mutari, (nec enim prius potest mutari per posterius) atque ita falsum est, quòd essent alii, & quidem plures prædestinati in statu innocentiæ, quàm in statu lapsûs Adami. Consequentiæ omnes tenent, & patent tenere, antec: autem probat Scotus illustri illo principio toties per ipsum applicato, *ordinatè volens post volitionem finis immediatè vult, quod est immediatius & proximius fini.*

Ubi tamen pro mox dicendis Notandum, quòd hoc principium Scoti, licèt ipse & tota ejus Schola plurimum æstimet, nihilominus Doctor subtilis lib. 1. sentent. dist. 41. quæst.

quæst. 1. dat optionem lectori, ut teneat prædestinationem electorum ad gloriam factam esse ante prævisa eorum merita, aut post ipsa, qui ergò tenet eam factam post & propter prævisionem meritorum adhuc est Scotista, undè qui id tenet, non premitur hoc principio, quod *ordinatè volens prius vult finem, & deindè propiora fini*, adeoque gloriam ante gratiam, principium enim non currit nisi de propioribus mediis, quæ sunt in potestate volentis. Nam de illis, quæ sunt in aliena, non est ipsius disponere, si ergò demus merita esse media (ut revera sunt in illa sententia, quam Scotus suis permittit) ille processus non est rectè dispositus: neque DEUS post semetipsum, qui est finis, statim vult bonum ultimatum, id est, gloriam creaturæ rationalis, sed expectat, ut videat, an illa sit meritura hoc bonum, nec ne? Confirmatur doctrina data, Quia Scotus ibidem quæst. 1. num. 4. expresse scribit: *Dico, quòd reprobi non fuissent nati, quia omnes nati servâssent justitiam.* Ecce dispositionem electorum & reproborum aliam & aliam posito peccato & disposito peccato Adæ.

Ille Mundus an tantus esset, si Adam non peccâsset.

Arguitur: Si pro statu Innocentiæ soli electi fuissent nati, vel mundus hic sensibilis fuisset tantæ molis, quantæ nunc est, aut tot mundi ætates, quot transituræ sunt usque ad finem mundi, vel non? Si secundum, oportet dicere, tunc fore alium mundum sensibilem, & sic DEUM de facto mutâsse suam primam delineationem, & primum decretum de mundi fabricatione, si verò dicatur primum, tunc sequitur alterum inconveniens, nam cùm paucissimi sint electi comparati ad reprobos, tunc minima terræ portio eis sufficeret ad inhabitandum & se multiplicandum, & consequenter ad nihil deservirent reliqua vastissima spatia. Similiter si status viæ & ætates mundi essent tàm diuturnus, quàm nunc est; & tunc iterum quæro, an tales electi statim & continuò meruissent usque ad terminum, vel non? Si primum dicatur, tunc sequitur, illos habituros majorem cumulum meritorum, quàm nunc electi habeant, cùm tamen quantitas meritorum sit prædefinita ante Adæ peccatum. Si secundum, sequitur, illis futurum injuriosum, si consummato cursu & termino meritorum prolongaretur eis incolatus supernæ Civitatis. Respond. Primò negativè ad quæsitum, nam nihil dicitur contra DEI omnipotentiam, vel immutabilitatem sui decreti, quia nec potentia ejus, nec sapientia minus reluceret in fabricatione illius minoris molis usui hominum proportionatæ, quàm nunc relucet in tàm vasta mundi machina: nec etiam contra immutabilitatem decreti aliquid sequeretur, quia nescimus, quid DEUS statuerit ante prævisum Adæ peccatum de mundi quantitate, donec prius determinâsset, quid inhabitatores essent facturi, si illuc collocarentur. Deindè Respond. Secundò positivè, nihil exindè inconvenientis sequi, si dicatur mundum tunc tantæ molis futurum, ac nunc est, quia DEUS potuit alios præter hominum inhabitationem fines fuisse. Secundò potuit fieri, ut electi soli tanta varietate & vastitate uterentur, omnia enim illis cooperantur in bonum. Tertiò, Quia nec superfluè nec improvidè erigitur fabrica plurium, quàm qui in ea sunt habitaturi, dummodò fabricator sciat & provideat posse contingere, quòd plures sint inhabitaturi. De diuturnitate statûs viæ judico electos non protrahendos ultra periodum consummationis meritorum. Et credo, quòd singuli citiùs cursum suum consummâssent, quàm nunc faciunt, sicut terra bona & fœcunda citiùs & copiosiùs generat, quàm sterilis & sicca, & sic non est opus fore tot mundi ætates, quot nunc sunt.

Arguitur Secundò: Si electi ad certum numerum sunt prædestinati ante prævisum peccatum, vel etiam omnes sunt præordinati ad certum gradum gloriæ, vel non? hoc poste-

rius dici nequit, ne multiplicemus signa prædestinationis: Si primum dicatur, oritur gravissima difficultas de parvulis nunc salvandis sine propriis meritis (hi enim non accipiunt gloriam per modum coronæ, sed tantùm gratiæ) qui tamen, si mansisset status innocentiæ, ad adultam pervenissent ætatem, nam tunc non fuisset mors præmatura, ideoque in corpore proprio aliquid boni egissent, quo acquirerent sibi jus gloriæ, vel aliquem gradum, qui gratiæ sanctificanti per se debetur, & hic gradus per modum coronæ fuisset debitus; Jam sic: Vel ergò quoad hos parvulos ante prævisum lapsum Adami, non prætaxavit DEUS determinatum gradum gloriæ sub determinato respectu coronæ, aut meræ gratiæ, vel decretum DEI super hoc fuit mutatum, cùm de facto non recipiant gloriam, nisi in gradu infimo, merè gratuitò sine ullis propriis meritis. Respond. Hoc argumentum esse pomposum, & ingredi potentias Domini, quis enim consiliarius ejus fuit, quomodocunque ille tunc præordinâsset & prætaxâsset, hoc cum Patribus verum censeo, quòd in statu innocentiæ reprobi non fuissent, quia omnes nati fuissent electi, sive postmodum eadem fuissent prædestinationis signa, sive alia. Respond. Secundò, omnes quidem electos homines fuisse prædestinatos ad gloriam in certo gradu ante prævisum Adæ peccatum, sed etiam quoad modum conferendi illam, præsertim singulis, sicut nos Scotistæ dicimus Christum esse prædestinatum hominem ante Adæ peccatum prævisum, sed ut sit mortalis & in carne passibili, non nisi post peccatum, quia non est necesse, ut determinato effectu quoad substantiam, omnem ejus modum determinare, maximè si sit extrinsecus & accidentalis, sed accidit gloriæ quoad substantiam, quod detur per modum coronæ aut gratiæ. Undè si detur, hos parvulos stante innocentiæ statu eundem gradum gloriæ essentialis recepturos, quem nunc accipiunt, cùm tamen hæc differentia, quòd illa gloria tunc esset corona justitiæ, nunc autem sit mera gratia.

Instatur: Sequeretur, parvulos nihil amisisse per lapsum Adami. Respond. negando sequelam, tunc enim nunquam peccâsset etiam in alio, nunquam fuisset captivus dæmonis, non fuisset mortuus & gloriam accepisset ut miles emeritus, ex quibus omnibus illis magna gloria accidentalis accessisset, quæ tunc ante prævisum peccatum non fuisset in determinato gradu prætaxata.

Urgetur: Tunc parvuli habuissent meritum proprium, ergò tunc debuissent habere correspondentem gradum gloriæ essentialis. Respond. neg: conseq: Quia meritum illorum proprium tunc tantùm operaretur ut gloria, quam nunc habet ex gratia, fuisset illi data ex justitia per modum præmii. Quæ omnia melius intelligentur ex mox dicendis, ubi aliquæ fiunt modificationes, quare

Dico Secundò: *Si prædestinatio facta est ante prævisa merita eosdem fore prædestinatos, & in statu innocentiæ nascendos, qui in statu naturæ lapsæ, id est, qui de facto sunt electi & salvandi.* Hæc determinat eos electos, qui sint nascendi, nam in priori Conclusione generaliter determinavi, electos solos esse nascendos, non verò specificavi, quales illi forent, quia potuissent esse absolutè etiam aliqui nunc reprobi, tunc electi. Conclusio est Scoti 2. d. 20. q. 2. ubi ait: *Dico: quòd soli nunc electi fuissent in statu innocentiæ nati.* Quo loco notandum est, quòd non dicat Doctor, solos electos nascituros in illo statu, sed addit *solos nunc electos*, quæ phrasis exigit, nè alii fuerint gignendi electi in illo statu, si durâsset, ab illis, qui nunc gignuntur & sunt electi, & quidem ille hanc absolutam sententiam profert de electis tunc gignendis. Sed quamvis conditionatam tantùm proferret, tamen conclusio esset ipsius, eò quòd ipse omninò teneat conditionem positam, scilicet prædestinationem electorum factam esse ante prævisa merita ipsorum, ut patet apud ipsum 1. dist.

IV. Electi iidem, qui nunc sunt tales forent nati, si prædestinatio facta est ante merita prævisa.

1. dist. 41. q. 1. Probatur Conclusio: Quia talis prædestinatio est verè præ, hoc est, prior ac prævia ad utrumque, & omnem statum naturæ humanæ, atque adeò independens ab illis & quocunque ipsorum, est efficax & inevertibilis, adeoque non potest impediri ab ullo ipsorum, aut alio, quo minus sortiatur effectum, atque ita electi tunc debent nasci, sive produci, & existere, tàm in illo, quàm in isto statu; si genus humanum propagaretur per aliquem ipsorum, ut certissimè fieret secundùm communem Theologiam. Confirmatur ex communi sensu omnium ferè Theologorum, qui hujusmodi prædestinationem impugnant, inferunt enim ex tàm potenti destinatione, atque ex tàm prævia, quòd teneatur DEUS illos ad gloriam assumere, sive habeant, sive non habeant merita, eò, quòd facta sit antecedenter, adeoque independenter à meritis. Similis est in mea consequ: nam sicut illi tales erant antecedentes, & per consequens independentes à meritis, ita erant antecedentes, & per consequens independentes ab innocentia vel lapsu, si ergò rectè inferunt eos fore glorificandos, sive adferrent, sive non adferrent merita, ita mihi negari non potest consequ: quòd nascerentur illi electi, sive staret sive caderet Adam.

Dices Primò: Quòd licèt sint prædestinati ad gloriam, tamen non assumerentur ad gloriam sine meritis, eò, quòd deindè subdiderit DEUS aliud decretum priori, fuitque istud, ut scilicet illi sic prædestinati haberent merita. Ita enim cogitari potest, quòd idem DEUS post eorum validissimam destinationem ad gloriam statuerit eos fore, vel non fore, in hoc vel illo statu &c. Respond. neg: antec: quoad secundam partem, quia non est paritas hinc indè, nam poterunt duo illa decreta subsistere apud DEUM in illa materia, eò, quòd non sibi opponantur, saltem directè, quia nimirum unum est de substantia, aliud de modo ejus, ast hoc utrumque decretum est de ipsa substantia electorum quoad esse, vel non esse. Cùm ergò nemo possit velle idem esse & non esse, quamvis possit velle esse absolutè, & non velle tali vel tali modo, sequitur conclusionem solidam esse, quamvis patiatur plura decreta.

Dices Secundò: Quòd quamvis prædestinatio sit facta ante merita & eorum visionem, atque etiam ante prævisum peccatum Adæ, quia tamen in eodem DEO fuit scientia media de ipso peccato, sicut & ipsis meritis potuisse esse in Domino DEO aliam & aliam voluntatem circa illos homines sic, vel sic eligendos, adeoque ex prædestinatione facta ante visa merita, & ante visum peccatum Adam non potest colligi certò eosdem illos futuros. Respond. neg: consequ: Quia hoc certò certius colligitur, & potenter quidem, nam licèt sint centum scientiæ tàm peccatorum quàm meritorum, si voluntas prædestinans fuit antecedens illas & absoluta, necessariò & infallibiliter sortietur effectum, nam oppositum implicat quasi in adjecto. Si enim voluntas sit absoluta & volens omnipotens, perrumpet omnes difficultates: *Voluntati enim ejus quis resistet?* ubi notandum est, non dixisse Doctorem Gentium, voluntati ejus quis præjudicabit? aut quis obstabit? vel quis impedimentum ponet, sed *quis resistet?* quasi adversarius ejus non modò vincere non possit, sed nec pugnare, si sit antecedens illas, non poterit ab illis deponi aut præveniri. Sed contra

Instabis: Hoc esse ligare manus DEO, ne possit omittere unum ex prædestinatis in statu innocentiæ, neque vel unum addere, quantumcunque benè se gerat talis: id autem videtur indignum DEO, cùm ipsi homines relinquant sibi locum disponendi de rebus aliter, dispensandi in legibus suis. Respond. distin: antec: ligari manus DEO ab alio esset absurdum, conc: ab ipso Domino DEO, neg: quanquam nec ligarentur in eo casu, nam non est defectus poten-

potentiæ, quæ impediret novitatem illam, sed defectus mutabilitatis & volubilitatis, qui non est defectus, sed affectus & perfectum attributum illius.

Dices Tertiò: Qui hodiè sunt reprobi, continebantur in Adamo tunc, aliàs non inficerentur per ejus transgressionem ut factum est, adeoque erant re ipsa futuri, nam Adam non infecit homines merè possibiles, aut imaginarios, sed realiter in ipso contentos, & proindè aliquando extituros, ergò jam illi in eo rerum statu fuissent sive extitissent aliquando, sed non sunt nec forent ex illis, qui hodiè sunt electi, adeoque non soli tunc nascerentur illi, qui hodiè sunt electi. Confirmatur: Quia aut continebantur illi in Adamo innocente tunc, aut non? Si continebantur, necessariò debebant existere, ut deduxi jam, sed non existerent tanquam pars electorum, quia jam tales sunt, necessariò enim debebant esse extra hunc numerum, nam hic absque ipsis est plenus. Si autem non continebantur, adhuc pejus est, quia tunc cadet in DEUM nota injustitiæ & particularitatis; & reprobi poterunt improperare sic: cùm videres Adamum perseveraturum & geniturum electos, non inclusisti nos in ipso, ut salvaremur, cùm autem vidisses eum casurum, inclusisti utique ut damnaremur. Respond. Quòd ex inclusione aliquorum in Adamo casuro, non statim sequatur voluntas damnandi tales, nam etiam illi, qui salvantur, fuerunt inclusi in Adamo peccaturo. DEUS enim tunc non habuit absolutam & efficacem intentionem eos damnandi, sed propositum dandi illis in utroque Adamo medium, quo, si benè uterentur, salvarentur, si malè damnarentur.

V. Prædestinatio si facta est post prævisa merita non est certum, qui electi nascerentur.

Dico Tertiò: *Si prædestinatio electorum ad gloriam facta sit post prævisa merita, non est certum, quòd iisdem forent electi in statu innocentiæ, qui hodiè sunt in statu nostræ naturæ lapsæ.* Hæc etiam est Scotistica abundè, quia nimirum discrimen ejus à præcedenti provenit ex diverso modo statuendi prædestinationem scilicet ante vel post prævisa merita. Cùm ergò Scotus utrumque modum prædestinandi velit esse suum, ut ostendi in notabili, sequitur &c. Probatur breviter conclusio: Quia hac viâ aliter incedendum est, & diverso modo statuendi de electis & electione. Prior illa incipiebat ab arbitrio Principis, imò tota ab eo oriebatur, altera ista non, sed incipit ab actionibus subditi, propterea enim DEUS hunc vult sibi, & volitio præparat gloriam, quia videt cùm illâ dignum aut esse, aut (quod eodem redit) fore; alibi è contrario incipit & pergit negotium à liberrimo arbitrio Principis, cujus voluntas est ratio, cujus illa quæstio Matth. 20. *An non licet mihi facere quod volo.*

QUÆSTIO TERTIA.

De Regimine posterorum, si status Innocentiæ perseverâsset.

1. Oeconomia in paradiso foret.

OECONOMIAM ibi futuram non est dubium, nec unam tantùm, sed plurimas, nempè tot quot familias, quæ tunc in numerum ingentem multiplicarentur propter fœcunditatem hominum ex eorum sanitate provenientem, atque etiam ex divina benedictione, quam constat generi humano impensam à principio, imò etiam illam jumentorum, undè licèt filii minorennes eandem patrisfamiliam integrarent, tamen adulti, & (ut sic dicam) emancipati ipsi novam inciperent & similiter eorum nepotes, cùm eadem sit ratio, ut patet. Quæstio ergò est de publico & communi regimine, quod in Monarchiam, Democratiam, & Aristocratiam dividitur, an ulla ex his methodis gubernandi in paradiso vigeret & exerceretur, Authores plures communiter affirmant, licèt communiter non descendant ad explicandam speciem regiminis, quænam scilicet ex tribus his esset? Quare

Dico

11. Regimina politica moderna in paradiso non fuissent.

Dico Primò: *In paradiso nullum fuisset regimen ex his tribus assignatis gubernii speciebus.* Probatur Primò: Quia quodlibet regimen ex istis exigit, aut urbes, aut oppida, aut pagos, ut supponunt Authores omnes omninò in præsenti; sed tunc non forent pagi, & multò minus oppida aut urbes, malè enim ageretur cum hominibus illis, si in tanta felicitate cogerentur domos condere, conditas circumdare sepibus vel muris &c. agerent enim opifices non modò viles, sed sordidos & laboriosos, puta lapicidas, cœmentarios, fossores &c. in sudore vultûs habitarent, qui cùm sit pœna peccati, non posset prævenire ipsum: ergò.

Dices: Eos habituros tecta frondia sub dio, atque ita habituros divisionem necessariam domorum. Respond. Hoc quidem dici posse & possibile fuisse, sed ajo, minus probabile esse, quia nimirum eo concesso, paulatim irreperet omnis labor ille, qui hodiè opifices vexat, si enim ex virgultis domos fabricarent, deberent cultris, securibus, &c. uti, & ultra hanc molestiam & mechanicismum, quis istos cultros? quis istas secures fabrifecit? utique fabri & ferrarii quidem; quasi quidam Vulcani; quibus proindè tundendæ essent incudes, vibrandi mallei, &c. omnia indignè illo statu, quem ex libero redderet servilem, ex beato pœnalem, & homines quasi ad metalla damnatos.

Probatur Secundò: Ex natura libertatis, quæ est tàm chara cuique & tàm digna charitate, cùm in humanis nihil sit illa pretiosius, quæque mutata in servitutem, mutat hominem in jumentum, sed libertas ista perderetur in tali politia, nam cœteri omnes deberent uni obedire, ille posset omnes cogere, ille ab illis timeretur & consequenter auferret ipsis perfectam lætitiam, quia *timor pœnam habet*, atque alia & alia, quæ omninò imminuerent illam felicitatem.

Dices: Ipse Adam esset laboraturus in paradiso, quantò magis filii ejus? antec: constat ex Gen. 2. & decreto Domini DEI, qui posuit eum in paradiso, ut *operaretur & custodiret illum.* Respond. non esse levem difficultatem super opere illo & labore Adami in paradiso; quod & quale esset; de quo me remitto ad Augustinum suprà citatum. Verùm ut difficultatem hanc aliqui evaderent, dixerunt; opus, de quo ibi, non fore Adami, sed DEI, ut sensus sit, quòd DEUS voluerit operari, id est, perficere Adamum: verùm hoc est quid violentum, & Hebræi contendunt etiam falsum esse, quia contra textum, de quo infrà. Interim Respond. Adamum operaturum in paradiso, sed opus ingenuo dignum, non autem sordidum ac vile; quale foret plantare rosas, flores: non servile & mechanicum, ut faciunt in incudibus fabri &c. quæ tamen necessaria forent ad ejusmodi Respublicas & pagos.

Dices Secundò: Apocal. 12. dicitur *Michaël & Angeli ejus*, ex quo patet, alios Angelos fuisse subjectos Michaëli, sicut & dæmones aliquos diabolo; undè & dicuntur *Angeli ejus*, ergò magis inter homines danda fuit hæc hierarchia: Responderi potest ad secundam instantiam, concedi posse omnia mala dæmoni & suis, ipsum enim decent; sed non sufficit sic respondere, quia tunc ille adhuc fuit in sua felicitate, sicut Adam necdum damnatus, ut hodiè est; undè dicendum est ad ipsum idem, quod ad Michaëlem, scilicet Angelos fuisse ejus, cum illo pugnabant; non autem sub eo, sicut si Princeps aliquis externus vellet juvare regem contra hostes, & accederet suisque viris & sumptibus militaret; non proindè diceretur subditus Regi, sed quia sacræ litteræ & Ecclesiastica traditio significant S. Michaëlem fuisse quasi Ducem Angelici illius exercitus, dici rectius poterit; reliquos Angelos subordinatos fuisse illi quoad vim directam, non quoad coactivam, in quo

qua sola est servitus, & præjudicium libertatis.

Dices Tertiò : In statu innocentiæ posteri Adæ potuerunt peccare, sed demus aliquos peccâsse, illi sine dubio castigandi erant, adeoque debebant habere judices, qui sententiam ferrent, & alios, qui eam exequerentur, hoc autem est quoddam tribunal, adeoque in eo statu foret regimen politicum & superioritas unius ad multos. Respond. negando suppositum, aliquos peccaturos, quamvis potuissent, adeoque traditam Scoti doctrinam, quam approbavit in S. Anselmo, valdè opportunam esse, in ea enim non haberet locum tota difficultas, quia non contingeret ullius peccatum, tametsi Scoti sensus non æquè evacuet eam, ille enim non tenet filios Adæ fore omnes omninò impeccabiles, sed tantùm post victam primam tentationem, sed quis scit, num omnes omninò vincerent primam tentationem? Ipse Adam victus est in prima, quantò magis filii? itaque omnibus solvenda est difficultas, ad quam Respond. Secundò, distin: casum propositum : aut enim ille filius Adæ peccaret contra præceptum ipsi Adamo datum de non sumendo fructu ligni scientiæ, aut non? Sed contra aliud naturale, v. g. odio proximi, invidia, vel simili? si peccâsset contra ultima ista, non esset à quopiam judicandus, nisi à DEO, quia non sunt fori externi illa.

Dices : Potuisse illos peccare aliis peccatis externis contra homines, ut homicidio, vulnere, &c. quid tunc fieret? Respond. potuisse quidem eos istis peccare, sed non fuisse peccaturos, quia cùm hæc cederent in pœnam aliorum, DEUS ex sua providentia, sicut efficeret, nè homines tunc læderentur à jumentis, à fulgure, fulmine &c. sic procuraret, nè talia admitterentur. Jam verò redeundo ad distinctionem meam suprà, si peccâssent illi contra præceptum de abstinendo à ligno scientiæ, tollerent iterum casum, & efficerent, nè forent judices in paradiso, quia ipsi statim à peccato excluderentur paradiso, nam & ipse Adam sic exclusus est, quod accipe ut probabile. Hinc

Dico Secundò : *In statu Innocentiæ unus homo in illo statu non serviret alteri.* Probatur : Quia aliàs status non foret, qui esse deberet respectu servientis, iste enim optimam partem felicitatis amisit, scilicet libertatem, quæ ab omnibus animantibus optatur & captatur, undè videmus feras nolle cryptis includi, sed vagari per sylvas, aves odisse caveas, nec nisi arte intercipi, ut ibi degant, licèt melius ibi pastæ quàm in sylvis. Imò inanimata saltem insensitiva produnt utcunque hunc pruritum libertatis, quoniam notantur unum fugere viciniam alterius, à quo noceri possit. Et deniq; libertas est quædam nobilitas, & vel ideò amabilis propter se, neque solùm in statu innocentiæ competebat hominibus, sed in illo naturæ puræ, imò etiam in nostro lapsæ omnes ex se nascuntur liberi, servitus autem, sicut & mors introducta est per peccatum, undè in divinis litteris non habetur mentio servitutis, nisi postquam Cham ob suam impudentiam, & contumeliam Patri factam, ab illo maledictus est & damnatus servituti Gen. 9. *Maledictus Chanaan: servus servorum erit fratribus suis.* Quia enim ille obsequium filiale negavit patri, damnatus est ad obsequia servilia ipsis fratribus exhibenda, justissima talione, egit contra jus naturæ contemnendo patrem, & proindè privatus est libertate, quæ à natura cuique competit, ut quisque laborem ac industriam suam in propriam utilitatem convertat, servi enim veluti jumenta, ut equi & muli in unius heri sui utilitatem sudant.

III. Homo unus in paradiso non serviret alteri.

Dico Tertiò : *In statu innocentiæ non foret divisio dominorum, ita ut quispiam haberet proprium, sed omnia essent communia.* Probatur : Quia proprietas ista destrueret perfectionem illius statûs sollicitudine acquirendi, timore perdendi, destrueret pacem,

IV. Dominiorum divisio in paradiso non fieret.

pacem; summum bonum omnis societatis, nostra enim bella, nostras rixas, seditiones, rebelliones, omnia nobis parit proprietas, quâ quisque sibi plura vendicare cupit: *Meum & tuum frigidum illud verbum, & quidquid est malorum, in vitam nostram invehens, innumeraque gignens bella*, ait egregiè Chrysostomus tom. 3. orat. de S. Philog. & nos experimur nimis.

Probatur Secundò: Quià proprietas inter perfectos in hoc ipso statu naturæ lapsæ censetur vitium, saltem imperfectio, & quotquot ad perfectionem aspirant, renuntiant peculiis, neque quidquam habent singuli proprium, Act. 4. Cum fideles Spiritu Sancto ducerentur sanguine Christi recenter fuso; quasi musto quodam ebrii: *Nemo eorum, quæ possidebant, aliquid suum esse dicebat, neque quisquam egens erat inter illos.*

Probatur Tertiò: Quià natura reliquit omnibus omnia communia, adeoque quisquis quidquam uni appropriat, facit contra jus naturæ, nisi contingat illud dispensari, metu majoris mali, certum autem esse debet, quòd quæ ex se bona sunt, meliora sunt iis, quæ per accidens talia sunt, omnium autem maximè iis, quæ occasione malorum, & fugâ illorum sunt introducta, ista enim & ejusmodi videntur (ut quidam ait) mala necessaria.

Dices: Si tunc quispiam sereret partem agri, haberet jus in fructus ejus: qui colligeret fructus arboris ad comedendum, eo ipsò acquireret peculiare jus in illos. Respond. neg: antec: nullus enim jus sive titulum justitiæ acquireret in illa, neque tamen quidquam ei periret, quia alter paratus esset cedere, sicut & ei ipsi præberet petenti; & quid mirantur hoc Recentes in tàm beato statu innocentiæ, si hodie in statu tàm corrupto & Religionibus professis Evangelicam paupertatem, licèt unusquispiam laboret, v. g. in horto monasterii, vel extra ipsum apud sæculum stipendium laboris, æquè pertinet ad alium, qui non laborat, ac ad ipsum, & vicissim alterius in alio labore occupati, æquè ad hortulanum ac ad ipsum laborantem.

Quæres Primò: Quamdiu duraverit status innocentiæ? Respond. incertum esse, quantò tempore duraverit incolatus Adæ in paradiso, aliqui enim ad sex circiter horas, vel ad unum diem restringunt. Alii probabilius paulò amplius, nempè ad triduum, aut etiam sextiduum, cui opinioni sicut aliqui Patres favent, ita etiam Scripturæ videtur conformior; tot enim & tanta referuntur acta, quæ brevi tempore fieri non potuissent, nam credendum non est, quòd primus cibus Protoplastarum fuerit pomum vetitum, nam Eva expressè dicit serpenti: *De fructu lignorum, quæ sunt in paradisò, vescimur*, quod usum continuatum significat; meâ opinione videtur, post octiduum suæ creationis ejectum esse è paradisò, quæ fuit feriâ sextâ, in quâ secundus Adam Christus Dominus pro transgressione primi & terreni Adami, atque pro peccatis totius mundi passus & crucifixus fuit. V. Paradisus quamdiu duraverit incertum.

Quæres Secundò: An primi Parentes egerint pœnitentiam & fuerint salvati? Respond. Affirmativè, cùm SS. Patribus, Irenæo, Epiphanio, Leone, Anselmo, ut penè de fide credendum est contra VI. Adam & Eva sunt salvati.

Tatium, & Tatianos, qui, ut loquitur S. Augustinus: *Salati primi hominis contradicunt*, contra quos ex eodem S. Augustino per traditionem Ecclesiæ probo, is enim epist. 99. ad Evodium de Evangelio mortuis prædicato dicit: *De illo primo homine patre generis humani, quòd eum ibidem solverit, Ecclesia ferè tota consentit: quod eam non inaniter credidisse credendum est, undecunque hoc traditum sit, etiamsi Canonicarum Scripturarum hinc expressa non proferatur authoritas: quanquam illud, quod in libro Sapientiæ scriptum est: Hæc illum, qui primus factus est patrem orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodivit, & eduxit illum à delicto suo, & dedit ei virtutem continendi omnia: magis pro hac sententia, quàm pro ullo alio intellecta facere videatur*, ubi eleganter & traditionem Ecclesiæ, & authoritatem Scripturæ pro hac opinione adducit, & serm. 104. de tempore dicit: *Denique quia interroganti Domino confessus est peccatum, quod commisit, veniæ redditus est*, & ad paradisum cœlestem restitutus, qui sit omnium laborum nostrorum finis. *Nam beatam vitam paradisi nomine significatam existimo, in qua ipsam DEI substantiam Verbumq; DEUM, per quod facta sunt omnia in Charitate Spiritûs Sancti ineffabiliter valeat videre & audire: non incongruenter arbitramur, & illuc esse Apostolum raptum, & ibi fortassis esse paradisum omnibus meliorem, & si dici oportet paradisum paradisorum.*

AMEN.

TRA-

TRACTATUS IV.

DE

JUSTITIA ORIGINALI & SANCTIFICANTE ADAMI,

AC

Posterorum ejus, tàm in Statu Innocentiæ, quàm naturæ lapsæ.

PROOEMIUM.

EUS creavit hominem, & secundùm imaginem suam fecit illum, & vestivit illum virtute; ait Sapiens, per quod complures Patres, gratias, & dona Adamo collata intelligunt, inter qualia fuit specialis gratia illa, quæ Justitia Originalis dicitur, hæc quidem in Scriptura hoc nomine non reperitur expressa, insinuatur tamen, declaratur, & significatur tum per illud Genes. 2. *Erat autem uterque nudus, Adam scilicet & uxor ejus: & non erubescebant.* Tùm per alterum locum Genes. 3. *Et aperti sunt oculi amborum: cumque cognovissent, se esse nudos, consuerunt folia ficûs, & fecerunt sibi perizomata.* Undè per Justitiam Originalem acceperunt primi Parentes gratiam & beneficium singularissimum, quòd in illo statu nihil fuerit in genitalibus membris pudendum, quodque in illis partibus non fuissent obscoeni motus, & appetitus sensitivus totus voluntati primorum Parentum subjectus, quod difficile est conceptu, difficiliusque explicatu, quomodo motus naturalis membrorum & potentiarum in paradiso, ubi homines adhuc erant corpore graves, in potentiis Eccles. 17.

animales, causæ naturales motuum, naturaliter & necessariò operantes, voluntati subjecti fuerint. Quare quo major in his difficultas, tantò ampliorem fuisse collatam gratiam credendum est. Itaque accedo ad explicationem ejus. Sit igitur

DISPUTATIONIS PRIMÆ

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit, & in quo consistat Justitia Originalis Adami & Evæ?

I. Primis Parentibus fuit collata Justitia Originalis.

SUPPONO cum Ecclesia Catholica & communi Patrum sententia, primis Parentibus in Statu Innocentiæ fuisse à DEO collatam illam perfectionem, quam Justitiam originalem nomine proprio appellamus: Justitiam quidem, quia suum unicuique tribuit, nempè rationi imperium, sensui obedientiam, toti homini pacem, quod patet ex Ecclesiast. 7. *Inveni, quòd DEUS fecerit hominem rectum, & ipse se immiscuit infinitis quæstionibus.* Rectitudo enim est justitia illa, de qua proximè, rectum quippè est, quòd in nullam partem obliquatur, ut fit homini per concupiscentiam: *Unusquisque* enim in epist. sua ait S. Jacobus juxta edit. vulg. *tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus* vides obliquitatem in unam partem per concupiscentiam. Deindè Rom. 7. *Mente servio legi DEI, carne autem legi peccati*, scilicet concupiscentiæ, *Caro enim* est, quæ *concupiscit adversus spiritum*, atque ita concupiscentia ex peccato est. Quòd si verum sit, necessariò verum erit, quòd absq; peccato non foret illa, atque ita Adam ante peccatum non habuit concupiscentiam rebellem, sed magis justitiam. Tertiò, quia idem Apostolus conquestus de importunis motibus suæ carnis: *Infelix ego homo*, inquit, *quis me liberabit de corpore mortis hujus.* Hinc enim statim sequitur, quòd in alio corpore nondum morti adjudicato non erant, non forent illæ importunitates concupiscentiæ contra spiritum. Denique Ecclesiæ Patres, quos non est opus sigillatim citare, cùm plures simùl possim producere, omnes scilicet Concilii Tridentini Sess. V. Can. item V. definit: *Concupiscentiam in Scripturis dici peccatum, non quòd propriè tale sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.* Ubi primò dicit concupiscentiam ex peccato esse, quod si ita est, tunc priusquam fuisset peccatum, illa non erat. Deindè iterum docet, quòd ad peccatum inclinat, adeoque aufert rectitudinem illam, in qua DEUS hominem fecit, & infert obliquitatem, inclinat enim in unam partem præ alia, id est, in pravam præ pia. Quia ergò non est dubium, quin aliquid naturæ addendum sit, quo ista componantur, hoc loco quæritur, quid illud sit, num positivum, an privativum? Secunda, utrum extrinsecum, an quid intimum & inhærens nobis? Deindè ex intrinsecis (si tale sit) resolvendum est, cujus generis sit? habitus, an actus? &c. in quo iterum Authores variant, nam Aliqui dicunt, id factum fuisse per actum, inter quos doleo numerari posse nostrum Subtilem. Alii per habitum, qui à quibusdam naturalis ponitur, ab aliis supernaturalis, quod ita verum est, ut apud quosdam sit ipsa gratia sanctificans, apud alios non ipsa, sed quid radicatum

tum in ea, in quod inclinat S. Aquinas, & eum secuti. Denique Neoterici moderni, ne carpi possint ut alii, neve quid desit eorum doctrinæ, dicunt, justitiam originalem includere omnes habitus virtutum moralium, auxilia Domini DEI externa &c. Et ad pleniorem scitum negotii, licèt locus iste postulet tantùm dici de uno statu, resolvam de compensanda concupiscentia hominis in illo Innocentiæ, nam in præsenti statu experimur, eam non compesci. Pro majori elucidatione hujus

II. Adamo plura dona fuerunt concessa in sui creatione.

Notandum: Adamo plura dona concessa esse in sui creatione, propter quæ Dominus DEUS præparavit ei Paradisum tot delitiis dulcem, tanquam locum tanto hospite, tamque ornato dignum. Habuit dona supernaturalia, habuit virtutes theologicas sibi infusas, habuit morales, accepit ornamenta corporis, accepit illa animæ. Ex his autem si velimus, ut debemus pressè ac propriè loqui, justitia originalis fuit id, quod in Adamo concupiscentiam coërcebat, non alia ulla perfectio, quod sic probatur primò, Quia justitia originalis apud Authores est illud donum, quod circumscribitur à Scriptura dicente: quòd Adam & ejus uxor erant nudi, nec erubescebant, quòd oculi eorum non erant aperti, hoc est, quòd tàm familiariter ac innocenter genitalia sua hinc indè aspiciebant, ac si non aspicerent, sed hoc est donum, quod concupiscentiam coërcebat, indè fiebat, ut membra illa non fuerint, ut nobis hodiè sunt & dicuntur pudenda, talia enim sunt propter insidentem illis concupiscentiam. Secundò sic: Quia justitia originalis intelligitur illud donum Adamo collatum, quod à posteris ejus non potest recuperari, hoc autem est illud dominium concupiscentiæ, non aliud, nam cætera omnia recuperari possunt & solent, etiam majora ac meliora, quàm fuerit justitia originalis, recuperant enim fidem, spem, & charitatem, gratiam sanctificantem, &c. dominium concupiscentiæ nemo, nam & in sanctissimis viget & urget importunè, ergò. Tertiò, & est affine præcedenti, atque ex Veterum Theologia depromptum, quia secundùm illos peccatum originale consistit in privatione justitiæ originalis, consistit autem in concupiscentia secundùm eosdem, ergò jam concupiscentia est privatio illius justitiæ, & justitia conversim, privatio & extinctio concupiscentiæ; cùm autem dicam justitiam originalem fuisse frœnum fomitis sive concupiscibilis, volo intelligi etiam de irascibili, cujus impetum similiter refrænabat, quia nimirum ista sunt paralella hinc indè, concarnea & consanguinea, quasi duæ mammæ ejusdem matris, prima tamen est paulò notior, quia expressius posita in Scripturis, quibus præmissis

III. Justitia originalis non fuit quid negativum.

Dico Primò: *Justitiam originalem, sive id, quo compescebatur concupiscibilis & irascibilis ejus, non fuisse negativum quid, puta suspensionem divini concursûs cum concupiscentia, neque positivum, externum puta actionem fortiorem, per quam illa contineretur ab exercitio.* Probatur Conclusio Primò quoad primam partem ex Trident. citato, ubi definit, quòd Adam mandatum DEI transgressus amiserit justitiam & sanctitatem, in qua constitutus fuerat, quo loco Concilium seorsim ponit justitiam & sanctitatem, nam enumerat illa ut duo, si enim esset unum, faceret propositionem quasi identicam, ac si diceret, quod quispiam haberet ensem & gladium, cùm ergò constet per tò *sanctitatem* intelligi gratiam justificantem, jam per tò *justitiam* non intelligitur justificatio, sed aliud donum, utique hujus justitiæ originalis, & in illa definitur fuisse Adam, quod ineptè diceretur, si illa nihil esset, id enim foret dicere, quod fuerit conditus in nullo statu, ergò denique erit aliquid. Confirmatur: Quia si esset nihil, non posset auferri, saltem nonnisi substituendo ei positivum, quo privat, tunc autem donum consisteret in positivo, non verò in negatione illa.

Probatur Secundò Ratione: Quia non est dignum DEO negare causis secundis suas activitates, sed potius permittere & cooperare illis: ergò non negavit concursum suum illi virtuti vegetativæ, in ipsa enim residet concupiscentia, neque irascibili similiter, sed magis utramque adjuvit: quorsum enim crearet illas activas, si nollet eas agere? Secundò: Quia indignum divinâ Sapientiâ atque etiam potentia est, non posse mederi uni malo, nisi inferendo aliud, non posse sua reddere Petro, nisi eripiendo aliquid Paulo, ergò malè dicetur, quòd DEUS compescuit vitium aliquod Adamo, negando alicui, quod ei debitum fuit, cuique autem creaturæ ad agendum sicut necessarius, ita debitus est concursus primæ causæ, ergò non fuit dignum DEO illum ulli negare.

IV. Nec positivum externum.

Probatur secunda pars: Quia in Adamo domita est concupiscentia tranquillè & sine strepitu ac lucta, sed si DEUS externa actione valenti quasi vinceret concupiscentiam, patet non fore pacem, sed bellum, nec tranquillitatem, sed strepitum & luctam, ergò. Probatur hoc ipsum Secundò: Aut concupiscentia resiliret contra rationem in Adamo, aut non resiliret: si non resiliret, non esset opus actione DEI ad eam reprimendam; si resiliret, jam non erat domita. Tertiò: Quia si DEUS repugnaret concupiscentiæ repugnanti, tolleretur hypothesis, quòd scilicet concupiscentia esset domita & ablata, nam non potest pugnare, nisi sit, si ergò pugnet, patet, quòd sit, si autem sit & pugnet, patet non esse pacem aut tranquillitatem, cujus oppositum est principium quoddam in hac materia ex Augustino desumptum.

V. Justitia originalis non consistit in aliquo actu plenè.

Dico Secundò: *Justitia Originalis non consistit in aliquo actu plenè, tametsi aliquis valdè conduceret ad eum finem.* Conclusio videtur pro & contra Scotum, ipse enim vehementer extollit actum aliquem, neque tamen in eo absolvit negotium. Probatur igitur utraque pars incipiendo ab ultima, nam vehemens affectus in unum aliquod remittit, & aliquando extinguit alium in minora objecta, adeoq; magnus amor in DEUM posset efficere, nè amor carnalis interim esset alicui molestus. Sed proindè prima pars verior est, quia justitia originalis fuit quid permanens & continuum, nullus autem actus talis fuit in Adamo. Secundò, Quia intensus affectus in unum minuit quidem sensum alterius, sed non tollit ipsum, sed justitia originalis non solùm tollebat experientiam vel molestiam concupiscentiæ, sed ipsam, ergò. Explicatur maj: argumenti, qui enim correpti sunt Lethargo, & qui extases patiuntur, non sentiunt interim puncturas, nè ipsum quidem ignem sibi admoveri, nihilo tamen minus puncturæ interim fiunt, & ignis realiter urit, at verò justitia originalis efficiebat, nè rebellio concupiscentiæ contingeret, nè caro repugnaret, ac non tantùm nè pugna sentiretur, ergò. Tertiò, Quia ad curandam plagam unius partis non rectè adhibetur medicina alteri, ut si caput habeat ulcus, stultè adhibebis cataplasma pedi. Amor DEI in voluntate & superiori parte animæ est, concupiscentia in inferiori & in ipsa carne, nam caro concupiscit, adeoque remedium concupiscentiæ ipsi carni & inferiori parti hominis applicandum fuit, non verò voluntati.

Dices: Animam hominis non habere partes, atque ita frustrà hæc adferri. Respond. Primò: Licèt anima non habeat, tamen corpus habere, & concupiscentiam esse in parte determinatâ corporis, sicut etiam ira est, ergò. Respond. Secundò: Animam hominis non habere partes realiter, benè tamen formaliter & virtualiter distinctas, quod sufficit ad hoc, ut debeant ei applicari diversæ formæ, intellectus est idem realiter voluntati, & tamen defectus intellectus non corrigitur per illam formam, per quam corrigitur ille voluntatis, intellectui adhibendæ sunt scientiæ, voluntati virtutes, atque

atque ita licèt concupiscentia & voluntas in hominis anima sint realiter idem, tamen ad perficiendum unum opus est forma distincta ab illa, qua perficitur altera.

VI. Justitia originalis non fuit gratia sanctificãs.

Dico Tertiò : *Justitia originalis non fuit gratia sanctificans.* Hæc videtur evidens, quia nos in baptismò & per alia Sacramenta recipimus gratiam sanctificantem, non recipimus autem justitiam originalem, atque adeò justitia illa necessariò est aliud à gratia. Secundò probabiliter suadetur (nam prior illa persuasio est quasi demonstrativa, quia prima præmissa ejus sit fides, secunda experimentum, quibus nihil certius?) Adam enim fuit conditus in justitia originali secundùm omnes plerumque, non fuit autem conditus in gratia secundùm multos, ergò jam Theologicè probabile est, & assensu dignum, quòd aliud sit gratia, & aliud justitia originalis, aliter enim non possent separari, quod tamen est factum. Tertiò huc redit illud ex Tridentino allatum Sess. V. definiente, quòd Adam mandatum DEI transgressus amiserit justitiam & sanctitatem, in qua constitutus fuerat, cum enim Concilium seorsim ponat justitiam & sanctitatem, quia enumerat illa tanquam plura, & per sanctitatem constat intelligi gratiam sanctificantem, per tò *justitiam* non intelligit eandem, sed aliud donum utique hujus justitiæ originalis, ergò.

Præterea huc facit Scriptura illa & sententia Apostoli ad Rom. 6. *Gratia DEI vita æterna*, hinc enim habetur, quòd effectus proprius & formalis gratiæ sit dare jus ad gloriam sive vitam æternam, at verò effectus justitiæ originalis non, ergò aliud est hæc, & aliud illa. Confirmatur: Quia justitia originalis non durat in gloria, jus in ipsam durat, ergò forma præstans hoc erat aliud ab illa: Probatur maj: Quia dona illius statûs erant infra dona beati ac gloriosi statûs, & omnia propria illius competebant corpori mortali ac animali.

Dices contra primariam probationem : Effectus gratiæ primarius erat illud jus vel simile, potuit tamen illa alium secundarium habere, qui sit iste: Sed Contra, Quia totum frustra erit, nam nos hodie habemus gratiam (& multi Sancti sine dubio habuerunt majorem quàm Adam) adeoq; habem9 omnes effectus ejus tàm primarium quàm secundarium, nam gratia omnes illos naturaliter causat (nec enim liberè) & tamen non habemus effectum illum justitiæ originalis, scilicet impedire concupiscentiam & verecundiam nuditatis, adeoque ille non erat effectus gratiæ neque primus neque secundus.

Confirmatur Conclusio : Quia Scriptura Sacra significat effectum justitiæ originalis fuisse impedimentum erubescentiæ, Genes. 3. *Quis enim indicavit tibi, quòd nudus esses, nisi quia de ligno, de quo præceperam tibi, nè comederes, comedisti*, si enim esset effectus secundarius talis formæ, non rectè videretur assignandus ei absolutè ille, sed potius primarius, qui esset eo loco dignus, sed si illud impedimentum esset effectus gratiæ, sine dubio esset effectus secundarius ejus, ergò. Deindè gratia & ejusmodi justitia differũt subjecto, ergò non sunt idem, nam nulla una forma potest esse in diversis subjectis. Antec: probatur : Quia gratia est in essentia animæ, aut saltem in voluntate, justitia originalis in corpore & in anima, quia sensitiva est & inclinata ad objecta delectabilia. Tertiò, gratia est supernaturalis in substantia, justitia illa naturalis, cùm sit etiam corporalis, ut vidimus, & nihil corporeum posset esse supernaturale. Denique potest quis habere unum horum, non habendo alterum, ergò non sunt idem, nec enim quis potest simul habere id ipsum. Antec: quod est de possibili tantùm ostendo de facto, quia Eva retinuit justitiam originalem aliquamdiu, cùm interim non retineret gratiam sanctificantem, amisit gratiam sine dubio, quando manducavit

ducavit de fructu ligni, quia esus ille secundùm Theologos communiter fuit grave peccatum, certè autem fuit fons omnium aliorum peccatorum orbis, non tamen amisit justitiam originalem, nisi postquam Adam comedit, tunc enim, ut asserit Scriptura ibidem *aperti sunt oculi amborum*, imò argumentum etiam currit de ipso Adamo, ipse enim sine dubio peccavit volendo comedere, priusquam comedit, neque tamen amisit justitiam, nisi postquam comedit, ut jam ostendi ex Scriptura, ergò. Sed in contra

Arguit quispiam: Justitia facit justum, ut de se patet, sed nulla forma justificat sive facit justum, nisi gratia, ergò justitia illa fuit gratia. Respond. Grammaticaliter benè argumentari, verumtamen sciendum appellationem justitiæ non esse primò inditam gratiæ habituali, quam Authores latinæ linguæ planè ignorârunt, sed primò imposita est illa ad significandam virtutem cardinalem, quæ suum cuique tribuit, hinc autem translatum est vocabulum ad aliam formam significandam, illam scilicet habitualem sanctificantem. Si ergò principale analogum non debet sanctificare, quis mirabitur aliud posterius & minus principale, puta originalem nostram retinere nomen justitiæ, nec tamen justificare, intelligo theologicè loquendo, nam ethicè loquendo illa justitiam administrat tribuendo suum cuique in hac materia DEO obedientiam animæ, ipsi animæ obedientiam corporis. &c.

VII. Justitia originalis non fuit aliquid radicatum in gratia sanctificante.

Dico Quartò: *Justitia originalis non fuit aliquid radicatum in gratia sanctificante.* Probatur: Quia omne illud, quod radicatur in gratia & emanat naturaliter ab illa, invenitur ubique cum ipsa, non autem invenitur justitia originalis cum ea ubique, nam nostrum aliqui habent gratiam; nullus autem justitiam originalem. Confirmatur ex doctrina Adversariorum: Dicunt illi charitatem & alias virtutes theologicas emanare à gratia, & radicari in ipsa, ac proindè ubicunque est gratia, ibi esse illas virtutes, ergò si justitia originalis similiter radicatur in gratia, tunc gratia non poterit separari ab ipsa, separatur autem, ergò non radicatur. Quæ tota doctrina indè confirmatur ulterius, quia si hujusmodi justitia emanat & naturaliter à gratia & comitatur eam, non potest nisi miraculosè separari ab ea, quale autem miraculum? & quàm dignum DEO auferre homini, quæ ei debentur, impedire profectum ejus spiritalem, & adjicere incentiva peccandi, fomitem concupiscentiæ & iræ.

Dices: Gratiam non dari nobis ab origine, & proindè nec justitiam originalem. Respond. Perperam hoc fingi, quia formæ non mutant naturas suas cum tempore, quo dantur vel durant, justitia originalis eosdem effectus confert, sive citò sive tardè detur. Præterea ex antiquis Hieremias Propheta, ex nostris S. Joannes Baptista, à fortiori B. V. MARIA, & certissimè omninò CHRISTUS DOMINUS habuerunt gratiam non solùm in origine seu nativitate, sed priusquam orirentur, in uteris ante ortus Sancti, neque tamen ullus eorum habuit justitiam originalem, ergò.

Dico Quintò: *Justitia originalis non est temperamentum naturale humorum suave ac placidum.* Probatur: Quia plurimi sunt, qui tale habent, cùm tamen nullus habeat justitiam originalem: Tùm, Quia temperamentum humorum ADAMI mansit ei etiam post peccatum, non enim natura ejus aut illius immutata est per peccatum, & tamen justitia originalis non mansit ei, sed erepta est, ergò. Valdè cavendæ sunt istæ novitates, quia aperiunt viam ad negandas Scripturas, & dicendum, quòd justitia originalis non fuerit donum DEI, neque quidpiam supernaturale, aut excedens vires naturæ, clarum est enim, quòd complexio suavis & moderata humorum multis obveniat à natura. VIII. Justitia originalis non est temperamentum naturale humorum.

Dico

IX. Justitia originalis non fuit externus influxus DEI ex toto.

Dico Sextò: *Justitia originalis nec fuit externus influxus DEI ex toto.* Probatur: Quia non est dignum DEO, ut assistat concupiscentiæ hominis, & reprimat motus ejus, id enim esset agere pædagogum, & quasi ferulâ quâdam retundere petulantiam pueri, magis dedecet DEUM, tale quid sæpè agere quàm semel. At verò si velimus petulantiam carnis repressam esse per habitum aut formam inhærentem, sufficit, id DEUM semel egisse, deinde enim ipsa forma id faciet, si autem per influxus ejus efficientes, tunc illi debebunt repeti toties quoties. Denique: Non potest quis repugnare nisi repugnanti (ista enim sunt mutua) adeoque quando DEUS repugnat, & reprimit pravos motus concupiscentiæ, jam illa resiluit in hominem, atque ita homo non est liberatus ab importunitate concupiscentiæ, neq; habet pacem, sed bellum, quod est contra communem sensum Theologorum, & felicitatem illius status.

X. Justitia originalis fuit forma interna per modum habitus.

Dico Septimò: *In statu naturæ conditæ de facto sive alio nomine naturæ integræ, & innocentiæ justitia originalis: atque id, quo voluntas fuit reædificata ad promptè inhærendum DEO, & quo repressus est fomes concupiscentiæ in primis hominibus fuisse formam illis internam per modum habitus sive unius magis principalis, & plurium minus principalium, qui tamen non sint acquisiti per actus, sed infusi.* Hanc puto esse de mente Scoti, & facillimè explicare totam difficultatem, nam Doctor in 2. d. 29. qu. un. §. *Quòd si dicatur*, ubi ait: Quòd si ipsa potentia &c. tunc oporteret ponere in singulis potentiis appetitivis inferioribus, singula dona, ita, quòd quælibet per suum donum delectabiliter moveretur à voluntate, & ipsa voluntas per donum suum delectabiliter moveret se ad potentias inferiores, & si essent plura talia dona, potissimum tamen fuit justitia originalis, quæ fuit in voluntate.

Probatur Conclusio ex refutatione aliarum sententiarum: Tùm, Quia regula Scripturæ & Patrum Theologorum etiam est, quòd DEUS duo illa observat, ut scilicet fortiter ac suaviter omnia disponat, ut attingat à fine in finem, sed sine violentia, in quo ad miraculum elucet potentia & sapientia ejus: sed præstare aliquid internum per externa non est suave, neque consentaneum naturæ rerum, ergò jam ille omne tale facit per aliquid internum subjecto. Sed, subsumo, certum est, quòd tranquillitas potentiarum hominis sit aliquid internum, ergò judicandum est, quòd DEUS voluerit eam præstari per aliquid immanens ipsi homini, non verò per externum. Confirmatur: Quia contrariorum eadem est doctrina, sed ipsa concupiscentia & motus ejus sunt aliquid internum, ergò & quies ab illis, nam ex duobus istis, quæ sunt motus ac quies, secundùm hoc scilicet quies, est magis internum subjecto, ergò etiam similiter pax magis tali subjecto, & tranquillitas magis quàm tumultus.

Probatur Secundò: Quia quæ constituunt statum aliquem ex natura sua sunt permanentia, at verò trãquillitas illa & immunitas à vexatione concupiscentiæ constituebant statum, qui fuit primus naturæ conditæ, adeoque debuerunt esse permanentia. Patet maj: ex terminis, alioquin enim status ille non esset stabilis. Et Confirmatur: Quia alii status sic constituuntur, præsens per suam mortalitatem & miserias, ille beatificus per æternitatem & stabilitatem gloriæ &c. ergò. Sed in contra

Arguitur Primò: Videtur falsè supponi, quòd in tàm perfecto statu defuerit concupiscentia, cùm faciat ad felicitatem hominis, quod adeò verum est, ut quidam non contenti naturali impulsu ejus procurent majorem adhibitis fomentis. Respond. vim generativam & delectamentum somni, ut loquitur sapiens cap. 7. sine dubio facere ad felicitatem hominis, sed impotentiam illam & impetum concupiscentiæ, qui quasi imperat rationi, dum deberet pa- XI. Impetus concupiscentiæ est misera servitus.

rere esse miseram servitutem, Primum ergò adfuit innocentiæ, secundum abfuit. Undè Scotus citatus dicit: Voluntas quibusdam etiam delectabilibus licitis, quandoque habendis, quandoque avertisset: sicut ab illa delectatione, quæ non erat habenda, nisi pro tempore, & quodcunque istorum sive prævenire, sive benè uti habitis, sive avertere ab habendis delectabilibus, voluntas delectabiliter faceret, per donum illud supernaturale, quo delectabilius fuit sibi fini ultimo inhærere, & omnibus ordinatis ad illum, quàm ab illo separari inhærendo alicui delectabili, non ordinato ad istum finem.

XII. Differentia inter oblectamentum appetitûs in statu innocentiæ & peccati.

Instatur: Quò acrior est appetitus, eò amplius est oblectamentum, ergò si defuit aliquid appetitui, defuit & felicitati. Respond. totum esse verum, & proindè tenendum omninò esse, quòd in statu innocentiæ homines pari lubentiâ congrederentur atque modo in statu peccati, sed interest, quòd lubentiam illius statûs homo ipse procuret arbitrio suo, istam autem præsentis non item: ibi voluntas & ratio imperarent, hic coguntur parere; esset ergò utrobique idem, sed aliter, imò superiùs notavi, quòd in illo statu congressus esset magis placitus propter rationem, quam Div. Thomas allegat 1. p. q. 98. art. 2. eò *quòd in statu innocentiæ non esset minor delectatio secundùm sensum imò fuisset tantò major delectatio sensibilis, quantò esset purior natura.* Et deniq; videtur simile quod Christo evenit, ille enim imperabat passionibus, quæ proindè accuratè à D. Hieronymo alio nomine Propassiones vocantur, inter quas & nostras *hoc interest, quòd passio reputatur in vitium, propassio non tenetur in crimine.* Itaque Dominus ab illis tantum patiebatur, quantum volebat, quod indicavit in Evangelio eleganter S. Matth. 26. & Marcus 14. qui volens referre angores & tristitias ejus in agone mortis, jam tum imminentis scribit: quòd cœpit *pavere & tædere, ac mœstus esse.* Ille ergò cœpit, non verò incipit passio, puta pavor aut tristitia, sed ille ipse quasi ruptis cataractis aperuit aditum illis fluctibus tristitiæ.

XIII. Axioma S. Augustini: Sic DEUS sinit causas proprios motus agere, explicatur.

Arguitur Secundò: *Sic DEUS,* inquit S. Augustinus, *administrat ea, quæ condidit, ut ea proprios motus agere sinat*, sed motus concupiscentiæ sunt naturales, ergò non decuit DEUM impedire ipsos, ergò non impedivit, absit enim, ut aliquid indecens faciat. Respond. Si argumentum vinceret, probaret, quòd etiam in gloria deberent permitti, atque ibi fieri generationes & nativitates. Itaque dicendum est, quòd nemo conqueri possit de beneficio collato, neque fit illi injuria, quando conditio ejus mutatur in melius, imperium in concupiscentiam, sine dubio est beneficium, neque quisquam debet conqueri, si ipsi sit collatum. Axioma ergò Augustini accipiendum est cœteris paribus, id est, si natura non juvetur interim, vel inferatur ei vis, & auferatur aliquid debitum. & est casus: Si quis nascatur hydropicus vel leprosus, non fit ei injuria, si aqua illa interiùs auferatur, nam concupiscentia, ut hodiè militat in membris, est morbus.

Arguitur Tertiò: Si justitia originalis est habitus & qualitas posita in appetitu Adami, vel alterius hominis, tunc concupiscentia & vis generativa hominis non habebunt exercitium sui, nam qualitas illa compescet illos motus non solùm ante rationem exurgentes, sed etiam post ipsam, neque enim illa qualitas novit distinguere tempora. Id autem si verum foret, impediret generationem in statu illo, quod non est factum, neque fieret. Respond. Hoc negotium intelligendum esse, prout superius insinuavi, ut scilicet non auferretur appetitus ille, sed differretur, ut subesset rationi & accederet ac prorumperet in actum concedente aut imperante illa, ad modum, quo Christus Dominus utebatur naturæ nostræ passionibus, tristitiâ, timore &c. quæ non dominabatur ei, sed parebant, *cœpit enim tristari* ipse

XIV. Appetitus generandi subfuisset rationi.

ipse scilicet, non verò tristitia cœpit, ut jam suprà. Credo tamen, quòd nullus plenè noverit explicare justitiam originalem nisi Adam, aut alius, qui eam accepit; nos scimus quid ille perdiderit, ipse solus quid accepit; ille solus comedit de ligno scientiæ boni & mali, nos solius mali scientiam habemus.

Instatur: Proverb. 30. *Ignis nunquam dicit sufficit*, sed concupiscentia est ignis, ergò nunquam dicit sufficit, sive nunquam saturatur. unùm etiam dicitur ignis esse ex insaturabilibus. Respond. Sententiam Salomonis ipso dignam & verissimam esse, sed non contra solutionem datam, quia ille loquitur, ut par erat, de vero igne & elementari, conclusio de typico & similitudinario: Tùm verò causa discriminis inter utrumque, sive ratio cur unus, id est, verus & elementaris nunquam dicit sufficit, est ista, quia ille nunquam est idem, sed semper novus, alitur enim novâ materiâ, quâ deficiente extinguitur, non est mirum, quòd ille non facit finem, non satietur, quia nulla satietas sufficit, eò, quòd non sit unus ignis, licèt esse appareat, sed plures. At verò concupiscentia unius hominis una est, nec multiplicatur numerò, sed est constans & unum individuum, ergò.

XV. *Christus & B. Virgo erubuissent, non Adam & Eva, & cur?*

Arguitur Quartò: Licèt justitia originalis sic salvari possit per compressionem concupiscentiæ & potentiæ generativæ, non tamen comprimeret pudorem, sed erubescentia videtur esse principalis pars justitiæ originalis, ut patet ex illo Gen. 2. *Et erubescebant.* Probatur maj: Quia Christus Dominus & Beatissima ejus Mater caruerunt fomite concupiscentiæ, & tamen certum est, quòd erubuerint, & erubescerent, si contingeret nudari, ergò. Respond. neg: maj: ad cujus probationem dico, Beatissimam Virginem caruisse quidem fomite non tanquam absente, sed tanquam suspenso, undè benè illa ex nuditate erubesceret, sicut etiam Christus Dominus, non propter se, sed propter alios adstantes, & videntes, qui non carebant. In Adamo autem fuit fomes absens, & non erubuit oculos Evæ adstantis & videntis, quia etiam Eva fuit immunis à fomite, idemque est de Eva ipsâ in ordine ad Adamum.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Justitia sanctificante Adami.

Nihil communius est in Scriptura Sacra & SS. Patribus, gratiam divinam; quâ homines sanctificantur, vocari Justitiam, ad Rom. 8. ait: *Quos vocavit, hos & justificavit*, 1. Corinth. 6. *Hæc quidem fuistis, sed sanctificati, sed justificati estis.* & Matth. 1. *Joseph vir ejus cùm esset justus.* D. Augustinus lib. de Spiritu & litt. cap. 17. ubi dicit: *Mandatum legis veteris extra hominem scribi, ut eum forinsecus terrificet, donum autem charitatis Christi* (gratiæ) *sanctificantis in ipso homine, ut eum intrinsecè justificet.* Tract. 26. in Joannem: *Quid est hoc justitia DEI & justitia hominis? Justitia DEI hic dicitur, quâ justus est DEUS, sed quam dat homini DEUS, ut justus fiat homo per DEUM.* & lib. superiori cap. 9. *Justitia DEI non quâ DEUS justus est, sed quâ induit hominem, cùm justificat impium*, quod utique fit per gratiam Spiritus Sancti, quæ diffusa est in cordibus nostris, ut filii DEI nominemur & simus. Quo præmisso

Dico: *Adam in prima sua creatione accepit gratiam sanctificantem, & consequenter fidem, spem, & charitatem in primo instanti creationis.* Hæc est conformis communiori sententiæ, quæ asserit, gratiam illis collatam esse in primo creationis instanti, nam eatenus hoc dicunt, quatenus supponunt illos in illo instanti habuisse usum rationis. Probatur Conclus. prima pars ex Tridentino Sess. 5. can. 1. *Si quis non confitetur primum hominem Adam, cùm mandatum DEI in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem & justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, incurris-* I. *Adam in primo instanti creationis accepit gratiam sanctificantem, fidem, spem & charitatem,*

currisseque per offensam prævaricationis hujusmodi iram, & indignationem DEI, atque ideò mortem, anathema sit.

Probatur Secundò ex D. Augustino lib. 14. de Civit. cap. 12. ubi dicit: quòd Adam beatior fuerit in paradiso, quàm quilibet justus in hac mortali vita, atqui carere habitu fidei supernaturalis, non potest ulla beatitudo vocari, cùm justus ex fide vivat, ergò. Deindè in Enchirid. ad Laurent. cap. 3. docet: *Fide, spe, charitate colendum DEUM*, atqui Adam in statu innocentiæ fuit obligatus ad colendum DEUM, ergò. Denique sine fide nemo justificatur, & est radix justificationis, & in justificatione hæc tria infusa accipit homo, fidem, spem, & charitatem, ergò.

Probatur secunda pars ex Scriptura, Ecclef. 7. ubi dicitur: *Quòd fecerit DEUS hominem rectum*, in Scriptura autem designatur per rectitudinem gratia & sanctitas, fides & reliqui habitus. Undè de Job dicitur, quod erat *vir simplex & rectus*. & Psal. 7. rogat DEUM David: *Salvos fac rectos corde*. Deindè Ecclef. 17. dicitur: *DEUS de terra creavit hominem - - - & secundùm se vestivit illum virtute.*

Probatur Secundò, Tùm ex Tridentino suprà: Tùm ex Arausicano cap. 19. docente: Naturam humanam fuisse conditam *in integritate*, ubi Tridentinum habet *in sanctitate & justitia.*

Probatur Tertiò ex Patribus: quorum complures illud Gen. 2. Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, explicant de inspiratione & infusione divinæ gratiæ, quod licet symbolicum sit, in sensu tamen allegorico non ineptè statum gratiæ indicat, & declarat. Expressè autem habet D. Basilius in Hexameron homil. 10. & D. Augustinus lib. 14. de Civit. cap. 11. ubi dicit: *Fecit itaque DEUS, sicut scriptum est, hominem rectum, ac per hoc voluntatis bonæ, non enim rectus esset, bonam non habens voluntatem. Bona igitur voluntas opus est DEI: cum ea quippè ab illo factus est homo.* & cap. 17. *Cognoverunt ergò, quia nudi erant: nudati scilicet eâ gratiâ, quâ fiebat, ut nuditas corporis nulla eos lege peccati menti eorum repugnante confunderet.*

Probatur Quartò Ratione: Quia cùm constet, sanctitatem eis fuisse collatam ante lapsum convenientissimè dicitur, gratiam illam statim fuisse collatam in creatione, cùm nulla fuerit ratio differendi, & ipsi posteri Adæ, si non peccâsset, fuissent creati in gratiâ sanctificante.

QUÆSTIO TERTIA.

An si Adam non peccâsset, omnes posteri ejus confirmarentur in justitia originali, & gratia sanctificante?

DIv. Anselmus lib. 1. *Cur Deus homo* dicit: Primi Parentes *si vicissent, ita confirmarentur cum sua tota propagine, quòd ultra peccare non possent.* Pro quo Notandum, quando Tridentina Synodus & Doctor subtilis in hac materia de sanctitate & justitiâ loquuntur, congruè accipi posse de justitia originali, quâ scilicet præditus fuit Adamus, & in naturali felicitate ac rectitudine constitutus. Verùm hìc ego agam tàm de justitia originali, quàm de justitia, quæ hominem formaliter justificat seu de gratia sanctificante. Quo prænotato:

Prima difficultas: An illa justitia originalis transfunderetur ab Adamo in posteros, sicut peccatum originale ipsius transfusum est in ipsos; & certum est, non transfundendam fuisse physicè, quia nulla virtus physica erat in Adamo, quâ produceret in anima filii sui gratiam sanctificantem, aut virtutes morales, aut immortalitatem, ut est evidens, sed gratia illa & virtutes spectant ad justititiam originalem, ergò. Undè difficultas solùm procedit de transfusione

fusione morali seu meritoriâ simili illi transfusioni, quâ transfunditur in posteros peccatum originale, quæ transfusio consistit in hoc, quod ipse eo ipso, quo obediret DEO non comedendo de fructu vetito mereretur, ut DEUS posteris ipsius concederet illam justitiam, vel in hoc, quòd ipsimet posteri, sicut peccaverunt in ipso, quando ipse peccavit, & propterea nascuntur in peccato originali, ita mererentur in ipso, dum ipse mereretur, & propterea nascerentur in justitia originali.

I. Si Adamus primam tentationem vicisset, posteri fuissent in justitia originali & gratia confirmati.

Dico Primò: *Si Adamus primam illam tentationem vicisset, eum & suos filios ac nepotes confirmatum iri in gratiâ sive justitia originali.* Ita Doctor subtilis 2. d. 20. ex D. Anselmo suprà. Probatur Conclusio Primò: Ex Trident. Sess. V. Can. II. ubi definit ipsam justitiam & sanctitatem sibi & posteris perdidisse, ergò posteri justitiam aliquam habuissent. Et Can. V. docet, fomitem concupiscentiæ oriri ex peccato. Sess. 6. cap. 7. ait: Adamum suâ inobedientiâ sibi & nobis perdidisse illam, quam à DEO acceperat, ergò cùm Adam fuerit constitutus caput posteritatis totius, ita fuit constitutus tàm ad transfundendam gratiam, quàm ad peccatum originale. Arausicanum Can. 19. supponit secluso peccato naturam humanam fuisse permansuram in illâ integritate, in qua erat condita.

Probatur Secundò ex Patribus: Quia contra Pelagium docent in statu innocentiæ non futuram mortem, passibilitatem & cœteras naturas nunc corruptæ molestias &c. & D. Anselmus suprà citatus non solùm hoc afferit, sed etiam ibidem præclaram subdit rationem: *Quia nemo dicet, plus valere injustitiam ad alligandum in servitutem hominem, in prima persuasione sibi consentientem, quàm valeat justitia ad consummandum in libertatem sibi in eadem libertate adhærentem.* Sed injustitia valuit ad omnes condemnandos in servitutem, ergò etiam justitia ad omnes in eadem gratia conservandos, ex quo statim hoc formatur argumentum, quo

Probatur Conclusio Tertiò: Omnes homines sic continebantur in Adamo, ut eo perdente perderent & ipsi, nam sic modo factum est, ergò etiam sic omnes continebantur in eo, ut eo lucrante lucrarentur. Probatur consequ. Quia si non sic includerentur in favore & privilegio gratiæ, sicut in damno & periculo, esset contra jus contractuum.

II. Quo sensu Scotus tenent posteros debuisse vincere primam tentationem, ut in gratia confirmarentur

Dices: Scotus videtur aliud sentire, nempè quòd filii Adæ ipsimet primam tentationem vincerent, ut in gratia confirmarentur, ergò. Respond. neg: consequ: Nam ideò censet Scotus opus fuisse filiis Adæ vincere primam tentationem, ut confirmarentur in gratia, ne essent melioris conditionis quàm pater, cùm Adam debuerit unam vincere, atqui hoc illi fecissent, quia vicissent unam tentationem, vicissentque primam, quia patris victoria esset ipsorum victoria, & ipsi in illo vicissent. Confirmatur: Quia ad hoc, ut filii perderent in æternum illam justitiam, idque irreparabiliter non fuit opus, ut ullus ipsorum in se tentaretur aut vinceretur, sed tantùm omnes in Parente, ergò similiter ad hoc, ut hæreditate possiderent hoc beneficium, non fuit opus, ut vincerent ipsi, aut ut pugnarent in se, sed tantùm in Parente, alloquin non staret justitia pacti, sed fieret fraus & injuria. Sed directè in contra

Arguitur: Si quis filiorum Adæ comederet de ligno scientiæ boni & mali post primam perseverantiam Adami, ille non perderet justitiam originalem, ac proindè adhuc remaneret immortalis, consequens autem videtur absurdum: Tùm, quia omnibus dictum est: *In quacunque die, comederis ex eo, morte morieris:* Tùm, Quia videtur secundùm regulas justitiæ potius attendendum esse ad propriam cujusque dispositionem, quàm ad externam parentum, intellige pro ferenda sententia mortis in quemquam, ergò. Respond. videri

mihi concedendam consequ: & ad absurditates illas cavendas concedo omnibus dictum esse, *in quacunque die comederis, morieris*, ac proindè omnes nos esse mortuos, quia omnes comedimus in uno scilicet Adamo. nego autem id singulis dictum esse sive ulli in propria persona, nam illa observantia sicut & transgressio fuit totius speciei simul, non autem individuorum seorsim. ex quo patet ad alterum: id enim verum est de aliis legibus, in quibus *filius non portat iniquitatem patris, sed anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* Et denique habendum præ oculis est hanc fuisse heteroclitam legem, quæ in principio rerum primis hominibus lata, *nec primam similem visa est, nec habere sequentem.*

III. Nec Adam, nec posteri fuissent cōfirmati in justitia originali, nisi victa tentatione de esu ex fructu ligni vetiti.

Dico Secundò: *Licèt Adam alias tentationes vicisset, nec ipsum nec posteros confirmandos fore in justitia originali, nisi vicissent tentationem de esu ex fructu ligni scientiæ.* Probatur, Quia negotium fuit allegatum huic præcepto & hujus observantiæ, non aliis, adeoque illa frustra adferuntur huc. Consequ: est evidens, probatur antec: Quia duo illa immania privilegia, in quibus potissimum consistebat justitia originalis, scilicet immortalitas, & impudentia nuditatis ab hac pendebant, ut videre est Gen. 2. & 3. Primò quidem, quia ibi DEUS edixit peremptoriè Adamo. *Ne comedas*, intellige de ligno scientiæ, *in quacunque enim die comederis, morte morieris.* Ecce immortalitatem annexam abstinentiæ ab esu illius ligni. iterum ibidem cap. 3. *Quis indicavit tibi, quòd nudus esses, nisi quia ex ligno, de quo præceperam tibi, nè comederes, comedisti.* Ecce honestatem & impudentiam nuditatis dependentem ab illo esu, sed justitia originalis in his vel solis vel quàm maximè consistebat, adeoque pependit ab observantia solius illius præcepti, nisi nos velimus Moysen corrigere, & Scripturam divinam augere inferendo illi nostras opiniones, itaque cœtera præcepta erant parerga, & impertinentia ad illius justitiæ retentionem.

Probatur Secundò à praxi: Quia secundùm omnes ferè Adamus alio peccato imò pluribus & gravibus peccavit ante peccatum esûs, peccavit superbiâ, peccavit incredulitate, peccavit nimiâ indulgentiâ in uxorem &c. idque ante omnem esum ligni, & tamen non amisit justitiam originalem, nisi postquam edit, ergò jam signum est justitiam illam pependisse à solo illo esu, non verò ab aliis. Confirmatur: Quia quantum ad gravitatem culpæ & reatum majoris pœnæ alia peccata erant majora, quàm peccatum esûs, ergò, denique judicandum est, quòd non ex natura rei, sed ex facto & pacto provenerit, quòd justitia illa fuerit alligata esui, aut abstinentiæ ejus, atque hinc

Probatur Tertiò ex D. Paulo: ad Rom. 5. ℣. 15. & 16. ibi enim ille comparat inter se duos, quasi patres generis humani, Adamum & Christum Dominum, quem præfert priori, eò quòd plus nobis profuerit, quàm obfuerit alter: *Sed non sicut delictum, ita & donum: Si enim unius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia DEI & donum in gratia unius hominis JESU CHRISTI in plures abundavit. Et non sicut per unum peccatum, ita & donum: nam judicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem.* Ubi vides Adamum uno peccato sive delicto (ut voles) obfuisse generi humano, si autem uno, jam non multis: at verò si transmitteret omnia sua peccata in posteros, sicut transmisit inobedientiam esûs, haud dubiè obfuisset multis peccatis, quod non est factum, quia *judicium ex uno in condemnationem.* Undè secundùm alios illos perderet omninò vim, etiam veritatem illa tàm emphatica antithesis Apostoli: Tùm enim judicium non esset ex uno: Tùm non differret Christus ab Adamo, quod *gratia* ejus esset *ex multis delictis in justificationem*, nam etiam damnum ab Adamo illatum & judicium esset *ex multis delictis in condemnationem.*

Dico

IV. Posteri Adæ in statu innocentiæ nascerentur in gratia sanctificante, sed non confirmati in illa.

Dico Tertiò: *Posteri Adæ in statu innocentiæ nascerentur quidem cum gratia sanctificante, non tamen in illa confirmati.* Probatur Conclusio quoad primam partem, quia gratia sanctificans pertinet principaliter ad justitiam originalem tanquam quid ex partibus integrantibus, & maximè decebat posteros Adæ habere eandem. Pro hac parte maximè faciunt omnia loca pro prima conclusione citata ex Conciliis. Probatur secunda pars: Quia posteri Adæ non fuissent melioris conditionis, quàm in quâ primi parentes fuerunt conditi, sed primi parentes non fuerunt in illa confirmati: undè D. Augustinus lib. 14. Civit. cap. 10. ait: *Quàm felices erant primi homines, tàm felix esset universa societas humana, si nec illi malum, nè quisquam ex eorum stirpe iniquitatem committeret, quæ damnationem reciperet,* ergò supponit potuisse illos peccâsse, & iniquitatem aliquam committere, quare videtur omnibus dictum esse illud Genes. 2. *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris.* Confirmatur: Quia hoc magis congruit libertati viatorum seu statui viæ ac meriti, sicut patet à pari de Angelis, qui creati non statim fuerunt in gratia confirmati. Non nego, quin DEUS absolutè loquendo etiam salva libertate ad bonum & malum potuisset singulos confirmare per auxilia efficacia in bono, imò etiam sublatâ potestate ad malum ac demeritum, potuisset relinquere perfectam indifferentiam ad meritum in bonis eligendis. Sed in contrarium

V. Patres in oppositum citati explicantur.

Opponitur Primò: Authoritas Damasceni suprà, & D. Gregorii infrà citandi, qui docent, eos statim confirmandos in gratia, si Adam non peccâsset. Respond. Patres intelligendos esse, posteros in gratia confirmandos, si ipsi primam quoque tentationem superâssent, non enim debuerunt esse melioris conditionis, quàm primi parentes. Deindè S. Gregorius dicit, tantùm Adamum, si perseverâsset, nunquam ex se filios gehennæ generaret, id est, quòd solùm electos generaret, aliud autem est, electum esse, aliud in gratia confirmatum, potuissent enim omnes esse electi, & tamen nonnulli aut etiam multi peccare, quorum tamen nullus in peccato persisteret libero arbitrio gratiæ cooperante.

VI. Quò sensu bonum sit potentius malo.

Arguitur Secundò: Bonum est potentius malo, sed malum Adæ fuit causa, ut nascerentur filii ejus peccatores, ergò bonum ipsius si perseverâsset, fuisset etiam causa, ut nascerentur justi & confirmati in gratia. Respond. Primò distin: maj: Bonum est potentius malo, quatenus una conversio bona est majoris virtutis ad reconciliandos nos DEO, quàm plurima mala antecedentia ad impediendam reconciliationem, conc: maj: quatenus bonum possit magis deservire ad bonum aliorum, quàm malum ad nocendum ipsis, nego maj: & concessa min: neg: conseq: Respond. Secundò, neg: consequ: pro secundâ parte de confirmatione, quia sicut malum Adæ non erat causa, ut filii nascerentur confirmati in malo, sed tantùm ut nascerentur mali, ita bonum ipsius non debet esse causa, ut nascerentur confirmati in bono, sed sufficit, quòd sit causa, ut nascantur boni. Respond. Tertiò, dist: Bonum aliquod potest esse potentius quocunque malo, conc: sic meritum Christi erat potentius quàm malum ullum in ordine ad hoc. Bonum quodcunq; in ordine ad merendum est potentius malo ad demerendum aliquid sibi vel aliis à DEO, nego: aliàs sicut per malum ordinis naturalis factum nostris propriis viribus demeremur gratiam, amicitiam DEI, ita per bonum quodcunque naturalis ordinis nostris viribus possemus mereri gratiam ejus, contra omnes.

Arguitur Tertiò: Si unum oppositum est causa alicujus effectûs sibi similis, alterum oppositum erit similiter causa alterius effectûs sibi similis, & oppositi effectûs alterius oppositi, sed injustitia Adæ est causa,

tur

cur filii nascantur injusti, ergò justitia illius, si adfuisset, esset causa, cur nascerentur justi. Respond. neg: maj: si intelligatur ad propositum, quia quando unum oppositum non est natum produci à causa æquivoca, licèt alterum oppositum possit producere effectum sibi similem, non sequitur, quòd illud oppositum, quod peteret produci à causa æquivoca, posset producere effectum sibi similem, nec produci ab aliquo sibi simili, sic peccato intemperantiæ potest quis perdere cœlum, indè tamen non sequitur, quòd actu temperantiæ possit quis lucrari cœlum absque aliis adjutoriis. Imò si concederetur totum, indè tamen non sequeretur, quòd nascerentur confirmati.

DISPUTATIO SECUNDA.

DE Justitiâ & Gratiâ Justificationis nostræ.

Lib. 6. Genes. litt. cap. 27. IN *hoc renovamur*, ait Augustinus, *secundùm id, quod amisit Adam, id est, secundùm spiritum mentis nostræ. Secundùm autem corpus, quod seminatur animale, & resurget spirituale, in melius renovabimur, quod nondum fuit in Adam. Dicit item Apostolus, Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, induite novum, qui renovatur in agnitione DEI secundùm imaginem ejus, qui creavit eum. Hanc imaginem in spiritu mentis impressam perdidit Adam per peccatum, quam recipimus per gratiam justitiæ.* Quare visa gratia originali, quam nobis Adam perdidit, erit examinanda gratia justitiæ, quâ in spiritu mentis nostræ renovamur, porrò naturam humanam justificationis capacem esse ex D. Ambrosio ostenditur his verbis: Lib. 2. contra Julian. cap. 1. *Ipse enim*, ait Ambrosius, *naturam demonstravit humanam etiam istam, quæ sub peccato nascitur, & cujus ortus in vitio est, esse justificationis capacem; sed hanc per gratiam, quod inimicum est vobis, eidem gratiæ crudelibus inimicis*, id est, Pelagianis, quorum asseclæ in quibusdam punctis sunt moderni nostri sectarii. Porrò justificationis gratia dicitur etiam gratia sanctificans, gratia gratum faciens, & etiam gratia habitualis, undè Doctores passim hoc, passim illo utuntur termino, ego sub titulo gratiæ justificantis, seu justificationis, totam hanc doctrinam proponam, Sit igitur

QUÆ-

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit justificatio, & an fieri possit absque forma intrinseca intrinsecè receptâ in Justificato?

I. Justificationis denominatio.

SICUT à calefactione fieri quis calidus tanquam per actionem applicantem sibi calorem, & sicut quis dicitur sanari per actionem applicantem remedia sanativa, ita dicitur homo justificari per actionem applicantem virtutem, qualitatem & dona illa habentia vim justificandi, sanctificandi, & ex peccatoribus faciendi justos & sanctos; hinc antequam ad ipsam formam explicandam gressus faciam, de ipsa hac actione præmitto quæstionem, pro qua

II. Justificatio diversimodè accipitur. Notandum: In Sacra Scriptura Justificationem Primò accipi pro ipsis legibus, quas homini DEUS dedit, ut Num. 9. *Facient Phase Domino juxta cæremonias & justificationes ejus.* Sic Psal. 104. *Ut custodiant justificationes ejus, & legem ejus requirant.* & sæpissimè Psal. 118.

Secundò accipitur pro pronuntiatione seu declaratione justitiæ de aliquo facta, idque dupliciter, semel si à judice quis accusatus declaretur justus sive verè, ut Psalm. 81. *Humilem & pauperem justificate.* Sive falsè, ut Proverb. 17. *Qui justificat impium, & condemnat justum, uterque abominabilis est apud DEUM,* & hæc dicitur justitia forensis. Aliter intelligitur de quolibet privato, qui vel se venditat pro justo, ut Lucæ 10. *Ille autem volens seipsum justificare.*

Tertiò sumitur pro donatione veræ justitiæ, idque vel activè, ut ad Rom. 4. v. 5. *Credenti autem in eum, qui justificat impium.* & cap. 8. *Quos vocavit, hos & justificavit.* vel passivè idque dupliciter, vel pro acquisitione vel pro adeptione justitiæ à DEO, ut 1. Corinth. 6. *Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis.* ubi intelligitur de iis, qui ex impiis fiunt justi, & vocatur justificatio passiva; aliter sumitur pro acquisitione augmenti justitiæ, ut dum aliquis habens justitiam, accipit majorem, sic Eccles. 18. dicitur: *Ne verearis usque ad mortem justificari.* & Apocalyps. 22. *Qui justus est, justificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc.* Acatholici hanc tertiam justificationem negant, ut infrà patebit.

Denique Justificatio ut ad præsentem Tractatum spectat, sumitur potissimum pro mutatione, quâ quis ex non justo fit justus, seu ita gratus & acceptus DEO, ut si in eo statu è vita discedat, æterna sit felicitate donandus, quo sensu dari justificationem ipsi hæretici concedunt, & tàm manifestè patet in S. Scriptura, quàm in hac vitâ esse aliquos DEI amicos & justos, quibus parata sit beatitudo cœlestis. Juxta hanc igitur acceptionem.

Dico Primò: *Justificatio rectè describitur, mutatio seu transitus naturæ rationalis à negatione justitiæ ad justitiam seu gratiam.* Hæc patet, quia soli & omni justificationi competit sine superfluitate & obscuritate, ut patebit ex singularum partium explicatione. Dicitur primò *Transitus*, in quo convenit cum quavis alia mutatione: Dicitur *Naturæ rationalis*, ut designetur subjectum capax justificationis; adduntur reliqua, ut designentur termini per se à quo & ad quem justificationis, qui sunt negatio gratiæ sanctificātis sive intrinsecè sive extrinsecè justificato, à quâ positivè vel negativè receditur, ipsaque gratia, ad quam acceditur, nam licèt peccatum etiam sit terminus à quo justificationis, non tamen nisi ordinariè & per accidens, eo modo, quo forma, quæ corrumpitur, est terminus à quo generationis, vel alterationis. Undè quemadmodum generatio subsistit, quando in materiam non ante informatam inducitur nova forma, ita & justificatio subsistit, quando in animam, peccati licèt expertem, inducitur gratia, ut contigit in Angelis; III. Justificatio describitur.

primis parentibus, & DEIpara, qui in eodem instanti temporis conditi & justificati sunt, & de facto contingit, quoties jam justificatus incrementum suscipit justitiæ, nam sic etiam tunc justificari dicitur, ut patet ex illo Apocal. 22. *Qui justus est, justificetur adhuc.* Cœterùm, an ejusmodi transitus, quem justificatio importat, formaliter in ente rationis reali, aut negatione consistat, parum interest nostrâ, & unusquisque secundùm principia hanc rem resolvere potest, tantùm consequenter loquatur. Ex his patet, descriptionem justificationis traditam à Trident. Sess. 6. cap. 4. quòd *nempè sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ in statum gratiæ & adoptionis filiorum DEI, per secundum Adam JESUM Christum Salvatorem nostrum*, non esse descriptionem justificationis ut sic, sed solùm primæ justificationis, quâ ab originali peccato ad statum gratiæ transitur.

IV. Justificatio posset contingere abique mutatione reali intrinseca.

Dico Secundò: *De potentia absoluta contingere posset justificatio sine ulla mutatione reali intrinseca justificati.* Est Scoti 1. d. 17. q. 5. n. 29. & in 2. d. 28. quem præter suos sequuntur Nominales & Suarez lib. 7. de gratia cap. 22. contra D. Thom. 3. p. q. 580. a. 2. & prima secundæ q. 113. Vasquem Disp. 207. Sotum in 4. disp. 15. & Thomistas communiter, ac Bellarm. l. 2. de justificatione cap. 16. ubi licèt fateatur posse remitti peccatum sine mutatione peccatoris, & hunc ordinari ad gloriam, docet tamen non posse animam renovari aut ornari sine gratia intrinsecè recepta. Probatur Primò: Quia ad justificationem nil requiritur ex necessitate, quod non requiritur, ut quis ex non justo aut peccatore evadat justus, hoc est, expers peccati, DEI amicus, & dignus vitâ æternâ, sed ut quis ex peccatore aut non justo evadat justus, non necessariò requiritur ulla forma vel entitas realis nova ipsi intrinseca, & per consequens nulla ejus mutatio realis, ergò. Probatur min: Quia sufficit, ut DEUS velit ipsi peccatum, si quod habet, remittere, ipsumque adoptare in amicum, filium & hæredem vitæ æternæ, quemadmodum in humanis Paulus sola acceptatione extrinseca Petri fit ex ejus inimico amicus, filius adoptivus, & dignus hæreditate, quam omnibus adoptatis voluit esse communem. Et sanè gratissimè diceretur, non posse DEUM habere talem volitionem, quin velit hic & nunc aliquid reale novum producere.

Probatur Secundò: Non magis ex natura rei repugnat fieri aliquem solâ acceptatione extrinsecâ DEI ex non justo justum, quàm ex non domino dominum, ex non rege regem, aut fieri ex non Sacramento Sacramentum, sed hæc fieri non repugnat, nam de facto filii Israël solâ ordinatione DEI, quâ nihil reale productum fuit, facti sunt Domini vasorum, quæ ab Ægyptiis mutuata fuerunt, & Saul Rex populi Israël. Res & actiones quædam sensibiles, Sacramenta practicè causativè gratiæ.

Probatur Tertiò: Si ad justificationem necessaria sit aliqua entitas intrinseca justificato, vel requiritur tanquam causa formaliter justificans, & hoc non, ut convincunt rationes jam adductæ, vel tanquam dispositio ad illam prærequisita, & hoc non, quia in parvulo etiam de facto nulla requiritur dispositio, & in adulto, licèt de lege positâ requiritur, non tamen de absoluta potentia, id enim gratissimè fingeretur.

Arguitur Primò: Justificari ex prima Conclusione est transire à negatione gratiæ ad gratiam, sed implicat ullum sic transire nisi recipiat gratiam, quam aliàs non habebat, ergò & nisi intrinsecè mutetur realiter. Respond. dist: min: nisi recipiat realiter vel moraliter, conc: nisi realiter & intrinsecè, neg: min: & sub simili distinctione consequ. Itaque sicut sufficit, ut quis transeat ex non cognito in cognitum, quod terminet jam cognitionem, quam non antea, ita ut jam transeat à non gratia ad gratiam, quâ DEO fiat gratus,

tus, satis est, quòd nunc velit ipsi DEUS peccatum remittere, & dare beatitudinem, si in eo statu perseveret, hoc enim volendo sicut verum est, quòd DEUS magnam gratiam faciat, ita & quòd ille magnam recipiat.

Arguitur Secundò: Repugnat, quòd homo unus remittat alteri culpam, ipsumque adoptet in filium sine eo, quòd vel ipse, vel is, qui remittit, vel quem adoptat realiter & intrinsecè mutetur, ergò & quòd DEUS homini peccatum remittat, ipsumque in amicum, aut filium adoptet, nisi vel ipse vel homo realiter & intrinsecè mutetur. Respond. neg: consequ: Quia antecedens ideò verum est, quòd nequeat homo aliquid de novo velle, nisi producendo in se volitionem, quam aliàs non haberet, DEUS autem absque ullâ volitione novâ aut etiam realiter à se distincta vult quæcunque vult, ut pro nunc supponendum est ex materia de voluntate DEI.

Instatur: Repugnat denominatio realis, qualis est denominatio justi per se & realiter annexa justificationi, quam non comitetur mutatio realis, vel illius, quod denominatur, vel saltem alicujus alterius, sed non est necessarium ad justificationem, quòd DEUS aut aliud quidpiam à Petro v. g. realiter mutetur, ergò quòd ipse Petrus. Respond. neg: maj: si per denominationem realem intelligatur, ut hîc debet intelligi denominatio non ficta, DEUS enim habet denominationem nolentis producere alium, quem posset producere mundum, quam nulla DEI vel alterius mutatio comitatur: aut quod plus est, nunquam sequetur, sic sine nullâ comitanti mutatione potest unum Regem constituere, aspersionem v. g. aquæ benedictæ elevare ad rationem Sacramenti. Respond. Secundò, dist: maj: quam non comitetur mutatio realis, id est, quæ fiat accessu vel interventu realis entitatis, quæ aliàs non esset, nego. mutatio realis, id est, non ficta, seu quæ fiat per novam sic terminantiam entium realem, quæ aliàs non esset, conc: maj: & in hoc sensu etiam conseq.

Arguitur Tertiò: Non potest peccatum remitti sine physicâ mutatione peccatoris, ergò nec sine tali potest fieri justificatio saltem impii, quæ necessariò involvit remissionem peccati. Antec: patet primò: Quia peccatū, quamdiu est voluntarium, non potest remitti, sed est voluntarium quousque remittatur per aliquem actum. Secundò: Cum malitia peccati consistat in privatione habitus gratiæ, ut volunt Thomistæ, vel rectitudinis debitæ in esse, ut volunt Scotistæ, non potest auferri, nisi introducatur positivum, quo privat. Tertiò: Quia si per aliquid extrinsecum peccatori remitti posset, maximè per aliquem actum divinæ voluntatis, sed nequit explicari, vel ostendi ille actus, ergò. Respond. neg: antec: ad probam 1. distin: maj: quamdiu voluntarium, id est, actualiter & directè volitum, quâ est DEI offensa, conc: sed nego in hoc sensu minorem, volitum, id est, indirectè & permissivè, quatenus ultrò quis deberet procurare peccati jam commissi remissionem, quo sensu tantùm vera est minor, neg: maj: & consequ: Ad secundam dico falsum esse, quòd consistat in privatione gratiæ, & quidem si consisteret, repugnaret illud expelli, nisi introducto habitu gratiæ, vel sublato à peccatore debito habendi gratiam. Quare supponendo pro nunc peccatum consistere in negatione rectitudinis seu conformitatis pro illo instanti vel tempore, quo quis peccavit, dico, ut remittatur peccatum, eam rectitudinem non deberi, imò nec posse unquam sine vel cum infusione gratiæ reduci, & nec fieri, ut peccatum pro eo tempore, quo commissum est, non sit commissum, sed sufficit, & requiritur, quod moralis macula, seu indignitas ex libera posita non conformitate ad legem derelicta auferatur, quod fieri potest extrinsecâ condonatione DEI non minus, quàm deformitas injuriæ in te præ-

V. Actus qualis sit, quo DEUS non imputat peccatori culpam.

te præcisè commissæ, tollitur tuâ ipsius condonatione; juxta hoc ergò in forma negari potest assumptum, vel sic distingui: non potest auferri, quamdiu physicè, seu in se manet, nisi introducatur positivum, quo privat, conc: Si manet tantùm moraliter, in quantum scilicet ob ejus voluntariam positionem remanet homo DEI favore & amicitiâ indignus, ac dignus odio & pœnâ proportionatâ, quo solo sensu manet peccatum habituale, nego.

Ad tertiam probationem, quæ fortè difficilior est, petitque assignari, quali actu condonare posset DEUS peccatum. Respond. Primò, quòd tali, qualem de facto habet, dum per gratiæ infusionem remittit peccatum: quemadmodum quali actu aufert à subjecto calorem, introducto frigore, auferre etiam posset eundem, licèt nullum frigus aut formam oppositam introduceret, undè ille actus est adversariis perindè ac nobis explicandus. Respond. Secundò: Directius, actum, quo DEUS condonaret peccatum, non esse primò volitionem, quâ ordinaret peccatorem ad gloriam: Primò, quia posset remittere peccatum ejus, quem ordinare nollet ad gloriam. Secundò, quia ad gloriam ordinavit omnes prædestinatos, & tamen horum multis, utpotè adhuc impœnitentibus, non remisit peccata. Tertiò, quia sicut de absolutâ DEI potentiâ peccatum consistere potest cum gratia habituali, perfectâ dilectione DEI, unione item hypostaticâ, ita etiam fortassis cum gloria, & multò magis cum quavis ordinatione ad gloriam. Secundò: Nec est nolitio ordinandi ipsum ad pœnam æternam: Tùm, Quia de facto remittit peccata reprobis, quos tamen ad eam pœnam ordinavit: Tùm, Quia non repugnat peccatum nunquam remissum, nunquam puniri, sicut enim DEUS liberè constituit pœnam peccatis, ita posset nullam statuere, & statutam ex sua bonitate non infligere, licèt nollet peccatorem ad suam amicitiam admittere, vel peccatum ejus remittere. Nec est voluntas non puniendi illud ipsum peccatum pœnâ, quia etiam punit DEUS, quæ tamen non remittit, secundùm omnes Theologos peccata commissa in inferno. Nec est voluntas eodem modo se gerendi cum peccatore, ac si non peccâsset, quia ab iis, quibus in Sacramento peccata remittit, exigit satisfactionem, vel in hac, vel in futura vita, & consequenter non eodem modo se gerit in illis, quo si non peccâssent. Est ergò volitio non prosequendi ipsum odio ob peccatum, ex quâ volitione saltem ordinariè sequitur, quòd illud vel nullâ pœnâ puniat, vel nòn, nisi incomparabiliter leviori vel mitiori. Ex his habetur, quòd peccatum hominis in statu naturæ puræ conditi, & divinam legem transgressi, posset DEUS sine ullâ formâ intrinsecâ remittere, quod etiam concedunt plerique ex Adversariis, seu ex illis, qui negant justificari posse sine forma intrinseca.

Arguitur Quartò: Nequit quis verè dici mundus, ornatus, pulcher, sanctus, renovatus, dignus à DEO amari vi solius extrinsecæ acceptionis divinæ, ergò nec fieri justificatio, in quâ necessariò annectuntur hujusmodi denominationes. Antec: patet: Tùm, quia illæ sunt denominationes reales intrinsecæ: Tùm, Quia ex illis collegerunt Concilia generalia justificationem fieri de facto per formam realem intrinsecè acceptam. Respond. neg: antec: ad cujus probationem dico, quòd sint denominationes reales, id est, veræ, non fictæ, vel tantùm apparentes, sunt item extrinsecæ provenientes quidem, ut à conditione extrinsecâ, ab acceptatione DEI ut causâ formali, aut morali dignitate, quæ vi istius acceptationis consurgit in animâ, estque ens rationis, seu potius morale, eo modo, quo ratio Sacramenti dici potest munditia, ornatus, pulchritudo, sanctitas, renovatio, & eo modo, quo peccatum habituale est moralis quædam indignitas, macula, turpitudo, iniquitas &c. sic mo-

VI. Justificatio quomodo possit dici extrinseca denominatio.

sic moneta verè dicitur intrinsecè pretiosa, chara, valere, quod antea non valuit, digna, quæ jam magis quàm antè concupiscatur, denominatione desumpta tanquam à conditione extrinsecâ, ab institutione Reipublicæ aut Principis, tanquam à causa formali, à morali dignitate, æstimatione, seu valore vitalis institutionis derelicto. Sic ablutio baptismalis verè & intrinsecè dicitur causativa gratiæ à morali efficacia, quam sine ullâ physicâ mutatione recepit vi institutionis Christi: sic filius ob moralem dignitatem derivatam à meritis suorum Majorum, dicitur nobilis, amabilis, honorabilis. Secundò dici posset, quòd illæ denominationes proveniant moraliter loquendo à formâ exteriori, dicuntur tamen & apparent denominationes extrinsecæ, eò, quòd earum denominata ut talia vix à nobis possint concipi, nisi ad instar habentium aliqua extrinseca, à quibus sic denominentur. Deindè fatendum est, non tàm propriè & plenè verificari ejusmodi prædicationes in casu justificationis peractæ sine ullo dono intrinseco, quod non est contra Conclusionem. Ad secundam partem anteced: ejusdem nego assumptum, sed potius ex illis & aliis simùl sumptis præcipuè Majorum traditione. Deindè concedi potest juxta immediatè præcedentem responsionem & negari consequentia.

QUÆSTIO SECUNDA.

An de facto Justificatio fiat per aliquod reale intrinsecum justo, tanquam per causam formalem?

Quos DEUS vocavit, hos & justificavit, ait Apostolus Paulus, utique *per Spiritum Sanctum diffusum in cordibus nostris*, nempè per donum aliquod, quod S. Petrus maximum & pretiosissimum appellat, quoniam nos *divinæ naturæ consortes* & comparticipes efficit, & quod S. Joannes semen DEI in nobis manens vocat, & alibi pignus hæreditatis dicitur, & adoptio filiorum. Circa quam materiam jam olim gravissimè & etiamnum errârunt hæretici, nam Armeni ex[is]timârunt hominem non justificari per aliquod donum intrinsecus homini collatum. Lutherus in Comment. ad cap. 2. Galat. vult, Christum per fidem apprehensum esse causam formalem nostræ justificationis: Osiander putat, justitiam DEI increatam esse formalē causam. Melanchthon, Illyricus &c. existimant, creatam Christi justitiam esse nostræ justificationis formalem causam, sic tamen, ut misericordia DEI appropriàns & imputans nobis justitiam, sit causa efficiens principalis, actus autem fidei, quo credimus, eum nobis prodesse, sit in adulto dispositio, vel conditio quædam, tanquam apertâ manu justitiam apprehendens. In his omnibus convenit Calvinus cum illis, præterquam quòd neget dari justificationem aliam, quàm remissionem seu non imputationem peccatorum. Verùm contra hos omnes errores — I. Errores circa hominis justificationem.

Dico Primò: *Justificatio impii non fit per solam non imputationem peccatorum, sed per veram remissionem peccatorum; sicut nec acceptatio in amicum DEI fit per extrinsecum favorem, aut per imputationem gratiæ Christi.* Ita Catholici omnes contra hæresiarchas suprà, & Probatur Primò ex Concilio Tridentino Sess. V. Can. V. *Si quis per JESU CHRISTI Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantùm radi, aut non imputari, anathema sit.* Et Sess. 6. Can. II. *Si quis dixerit, homines justificari vel solâ imputatione justitiæ Christi, vel solâ peccatorum remissione exclusâ gratiâ & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atq; illis inhæreat; aut etiam gratiam, quâ justificamur, esse tantùm favorem DEI, anathema sit.* Sed hæc clariùs patebunt. — II. Justificatio non fit per extrinsecū favorem, aut gratiæ Christi imputationem.

III. Justificatio de facto fit per aliquod intrinsecum.

Dico Secundò: *Justificatio de facto fit per aliquod intrinsecum, nobis inhærens, tanquam per causam formalem.* Hæc est veritas fidei nostræ, & Probatur ex Tridentino Sess. VI. cap. 7. *Unica formalis causa*, hoc est, justificationis, *est justitia DEI, non quâ ipse justus est, sed quâ nos justos facit, quâ videlicet ab eo donati, renovamur Spiritu mentis nostræ, & non modò reputamur, sed verè justi nominamur, & sumus.* Et paulò infrà: *Id tamen in hâc impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimæ passionis merito per Spiritum Sanctum Charitas DEI diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhæret, undè in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simùl infusa accipit homo.* Item Can. 10. *Si quis dixerit, hominem sine Christi justitia, per quam nobis meruit, justificari, aut per eam ipsam formaliter justum esse, anathema sit.* In quibus patet, non tantùm prædictos errores damnari, verùm etiam nostram conclusionem definiri, nam si non fiat justificatio formaliter per justitiam DEI, quâ ipse justus est, aut per justitiam Christi, quâ nobis justificationem meruit, vel per solam imputationem justitiæ Christi, vel solam peccatorum remissionem, vel secundùm favorem extrinsecum DEI, neque unquam justificatio contingat sine infusione fidei, spei, & charitatis, quæ singula Concilium definit, & debeat per aliquid ut causam formalem fieri, ut etiam definit Concilium, relinquitur tanquam manifestum, quod fiat per aliquid reale receptum intrinsecè in ipso justificato. Addo, quòd Concilium suprà cap. 7. his verbis liquidè afferat, *quæ* (supple justificatio) *non est sola peccatorum remissio, sed sanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum.*

Probatur Secundò ex Sacra Scriptura ad Rom. 2. *Charitas DEI diffusa in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Ad Ephes. 4. *Renovamini spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundùm DEUM creatus est in justitia & sanctitate veritatis.* Ad Ephes. 5. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Ad Titum 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritûs Sancti, quem effudit in nos abundè per JESUM Christum Salvatorem nostrum, & justificati gratiâ ipsius hæredes simus secundùm spem vitæ æternæ.* 2. Petri 1. *Maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut divinæ efficiamur consortes naturæ.* 1. Joannis 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii DEI nominemur & simus.* Omitto plura alia loca, quæ fusè à Doctoribus citantur, ex quibus illa potissimum concludunt, in quibus gratia dicitur vestis nuptialis, aqua saliens in vitam æternam, pignus Spiritûs, semen, unctio, sigillum, imago cœlestis hominis, & per eam homines lavari, mundari, renovari, regenerari, hæc enim omnia cum non nisi impropriissimè verificari possint de ulla forma extrinseca aut intrinseca morali, debent accipi pro aliquo reali intrinseco, cùm soli illa propriè & sine absurdo attribui possint.

Probatur Tertiò: Authoritate Patrum Augustini de Spir. & lit. cap. 9. *Justitia DEI, non quâ justus est, sed quâ induit hominem, & justificat impium.* lib. 15. de Trinit. c. 8. *qua naturam cum suo Conditore justificat.* & lib. de peccatorum meritis & remiss. cap. 10. *Legimus justificari in Christo, qui credit in eum propter occultam communicationem & inspirationem gratiæ spiritualis.* Tract. 26. in Joan. *Quid est justitia DEI & justitia hominis? justitia DEI dicitur, non quâ DEUS justus est, sed quam dat homini DEUS, ut justus sit homo per DEUM*, & in Psalm. 98. *Quis in nobis fecit justitiam, nisi qui nos justificavit? nos ergò impii, ille justificator, quando & ipsam justitiam ipse in nobis fecit, quâ illi placeamus.* Cyrillus Alexandrinus: *DEUS Spiritus est, qui simùl & charitatem in nobis diffuderit, & igne ejus mentes nostras inflamma-*

mave-

manserit. Aliæ Patrum authoritates videri possunt apud Bellarminum lib. 2. cap. 8.

Probatur Quartò Ratione: Non implicat supernaturale donum, quo intrinsecè recepto anima redderetur munda, pulchra, ornata, & speciali in eam DEI amori proportionata; sed ex eo, quòd hoc non implicet, debet censeri, quod tale donum conferatur cuivis justificatio: Tùm, Quia hoc magis commendat divinam bonitatem & indubiè magis proficuum est homini: Tùm; Quia quemadmodum cœteris creaturis, quibus finem naturalem præstitit DEUS, concessit dona & virtutes naturales eo fini consequendo proportionatas, ita par erat, ut homini elevato ad finem supernaturalem conferret dona, & media proportionata tali fini adipiscendo.

Probatur Quintò: Justi non tantùm extrinsecè sunt grati DEO, quatenus scilicet terminant præcisè dilectionem specialem DEI volentis illis remissionem peccatorum, suam amicitiam, beatitudinem, verum etiam intrinsecè in quantum specialem aliquam bonitatem, quâ digni fiant eâ dilectione, licèt non necessariò, conferat, sed illa bonitas non est aliqua naturalis: quia non ob hujusmodi DEUS remittit peccata, aut dat beatitudinem; aliàs per opera naturæ salvaremur, ut voluit Pelagius, ergò supernaturalis aliqua bonitas à DEO infusa, & prior eâ dilectione. Probatur maj: Tùm, Quia S. Scriptura & Patres passim docent, justos esse dignos DEI favore, amicitiâ, beatitudine, & in iis præcedere aliquid, ob quod specialiùs à DEO diligantur, ut patet ex illo Psal. 44: *Concupiscet Rex decorem tuum.* & illo Augustin. in Psalm. 103. *Gratia est nitor animæ sanctum concilians amorem.* Tùm, Quia aliàs de facto justificatio consisteret in solâ remissione peccatorum, quod damnatum est per Tridentinum in sensu Calvini, qui nusquam exclusit à justificatione acceptationem aut promissionem DEI de conferenda justificato beatitudine, si talis in finem perseveraret, sed solam internam renovationem & sanctificationem per aliquod donum DEI intrinsecè receptum.

Nec hæc probatio contraria est doctrinæ præcedentis quæstionis, in quâ dictum est, posse hominem justificari per extrinsecam DEI adoptionem, nam simul consistunt posse quem fieri justum & DEO gratum, sicut DEUS ex suâ liberalitate illi remittat peccata, & statuat conferre beatitudinem, eique velut amico benefacere, quod solùm contendi præcedenti quæstione, & non posse sine intrinseco dono facere justum, sic ut sit dignus independenter ab ipsa DEI dilectione, quin hujusmodi favores & dilectio præstentur, quod hìc contendo.

Opponitur Primò: Apostolus 1. ad Corinth. 1. loquens de Christo ait: *Qui factus est nobis Sapientia & justitia, sanctificatio & redemptio*, ergò justificamur justitiâ Christi, vel ipso Christo. Respond. neg: conseq: Christus enim dicitur nostra justitia & sanctificatio, non quòd ipso vel ejus justitiâ formaliter sanctificemur, sed quòd ipse sit nobis meritus id, quo formaliter sanctificamur, sicut dicitur *Sapientia nostra*, non quòd ipso ejusque sapientiâ formaliter sapiamus, sed quòd illius merito sapientiam nobis intrinsecam obtinuerimus. IV. Christus quâ ratione nostra sanctificatio.

Arguitur Secundò: Justitia, quâ homines justi sunt coram DEO, debet esse pura & munda, sed sola justitia DEI increata, vel saltem creata Christi est talis, ergò. Probatur min: primò ex illo Job 9. *Scio, quòd non justificabitur homo compositus DEO.* & 25. *Nunquid justificari potest homo comparatus DEO, aut apparere mundus natus de muliere.* Psalm 102. *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Isaiæ 64. *Facti sumus ut immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.* Probatur secundo, nullius hominis alterius à Christo justitia est exacta correspondentia, seu adæquatio cum lege DEI, nam *in multis offendimus*, & qui

& qui dicit, se esse sine peccato, mendax est, & seipsum seducit, sed sola illa justitia est munda & perfecta, quæ est exacta correspondentia, & adæquatio cum lege DEI, nam ut dicitur ad Galat. 2. *Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea.* Respond. neg: min: ad primam ejus probam dico illis tribus prioribus & similibus S. Scripturæ & Patrum locis nunc significari, nullum esse hominem, quantumcunque justum de lege ordinariâ immunem ab omni prorsus culpâ, nunc verò justitiam hominis collatam justitiæ & sanctitati DEI nullam esse eo sensu, quo esse creaturæ comparatum ad esse DEI dicitur non esse, undè D. Gregorius 4. Moralium. c. 28. *Humana justitia divinæ justitiæ comparata injustitia est, quia lucerna in tenebris lucere cernitur, sed in solis radio posita tenebratur.* Locus etiam Isaiæ intelligitur ab Hieron. de Cærem. & Sacrif. Judæorum, quæ immunda erant, quia non ex fine virtutis, & DEI intuitu exercebantur ab illis. Ad secundam probam min: Respon. concessis maj: & min: si intelligantur de justitia operum consistente in observantia legis & adimpletione divinæ voluntatis, quæ de communi lege in nullo est viatore sine intermixtis aliquibus culpis vel defectibus, negando autem si intelligantur de justitiâ & sanctitate, quâ quis est formaliter justus.

Arguitur Tertiò: *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per unius obeditionem justi constituuntur multi.* ad Rom. 5. Sed eatenus multi constituti sunt peccatores per inobedientiam unius hominis, quatenus inobedientia seu peccatum Adami moraliter imputatur posteris in eo tanquam in capite contentis: ergò eatenus unius obedientiâ multi justificantur, quatenus obedientia Christi iis imputatur, aliàs inepta antithesi usus fuisset Apostolus. Respond. dissimulatâ min: quam multi negant, neg: consequ: & ejus probationem. Illam quidem, quia nulla ratio vel authoritas suadet, quidquam physicum esse vel posse esse in posteris Adæ, in quo consisteret ratio peccati originalis ipsorum. Multæ verò tùm rationes, tùm authoritates convincunt, posse & debere esse aliquid physicum, in quo consistat eorum justitia & sanctitas. Probationem autem nego, quia ut sermo Apostoli sit verus & aptus, sat est, ut tàm verum sit ex obedientiâ Christi secutam fuisse justificationem multorum, quàm ex inobedientia Adami ipsorum originale peccatum, & vulgare est, non requiri ad similitudinem, quòd currat quatuor pedibus, aliàs in proposito, quemadmodum quilibet eorum, qui in Adamo ceciderunt, nascuntur peccatores, ita quilibet ipsorum, qui in Christo justificantur, nasci deberent justi.

Instatur: Justitia Christi posset sufficere pro causa non solùm meritoria, verùm etiam formali nos justificante: ergò dicendum de facto, quòd eâ formaliter justificemur, etiamsi dentur in nobis quotiescunque justificamur, dona supernaturalia intrinsece, quandoquidem inter hæc omnia illa incomparabiliter excellat. Probatur consequ: Quia aliàs fieret injuria Christo, negando ejus justitiam habere omnem vim sanctificandi, quam posset habere. Respond. neg: consequ: & ejus probationem, quia si potest justitia Christi sufficere ad nos formaliter justificandos, potest etiam sufficere ad impetrandum nobis aliquod intrinsecum donum, quo formaliter & adæquatè justificemur, cùm præstantius sit, sufficere ad hoc secundum, quàm ad primum, qui illud dicit, & hoc negat, deprimit potiùs, quàm extollit justitiam Christi. Respond. Secundò, distin: antec: posset sufficere pro causa formaliter nos justificante tali justificatione, quâ absque intrinsecâ dignificatione nostri consequeremur veniam peccatorum, & beatitudinem, conc: quâ ipsi intrinsecè dignificati verè & propriè diceremur DEI charitatem, semen, pignus, unctionem,

ctionem, imaginem adepti, quomodò de facto nos juſtificari clamant S. Scriptura & Patres, neg: antec: & conſequ.

Urgetur: Ergò juſtitia Chriſti ſaltem de facto eſt cauſa formalis juſtificationis, quatenus hæc importat remiſſionem peccatorum. Reſpond. neg: conſequ: Quia licèt remiſſio peccatorum abſolutè poſſet provenire à juſtitia Chriſti, ut cauſa formali, non tamen quando daretur, ut de facto datur intrinſecè in ipſo juſtificato forma, à quâ ſufficienter proveniret tanquam à cauſa formali: ſic licèt denominatio producti provenire poſſet à ſola productione activâ, de facto tamen à ſola paſſiva provenit, ſi hæc detur. Item albedo dicitur ſimilis ob ſolam ſimilitudinem, quam fundat, & tamen eſſet extrinſecè ſimilis ſolâ ſimilitudine, quam terminat, ſi ſola daretur. Item expulſio frigoris haberetur à ſola ſubtractione influxûs conſervati, caſu, quo in ejus ſubjectum nullus calor introduceretur, & tamen ſi ad inductum calorem pereat, ſolus calor erit cauſa formalis illius expulſionis.

V. Increata ſanctitas phyſicè unitur humanitati.

Arguitur Quartò: Increata juſtitia ſeu ſanctitas Verbi eſt forma intrinſecè ſanctificans humanitatem Chriſti, ergò & reliquos juſtos, quia eſt infinitè accepta DEO, & intrinſeca cuivis juſtificatio. Confirmatur: Quia ſola ſua bonitas infinita poteſt movere DEUM ad benefaciendum homini, ergò ſola eſt, quâ homo juſtificatur formaliter, nam eo, quo juſtificatur formaliter, movetur DEUS ad remittenda illi peccata, ad conferendam beatitudinem &c. Reſpond. quidquid de anteced: ſit, neg: conſequ: Quia ſanctitas increata unitur phyſicè humanitati Chriſti, quæ cum ea coaleſcit in unam perſonam, aliis autem non unitur phyſicè, aliàs eſſent DEUS, nec ſufficit, quòd in illis ſit vel per intimam præſentiam, quia etiam ſic ineſt impiis, vel per præparationem concurſûs ad actus ſupernaturales: quia ſic etiam aſſiſtit peccatoribus, nec ullâ aliâ ratione ſpeciali poteſt eſſe in illis, niſi ratione donorum, quæ communicat, quæ ipſa proindè potius dicenda ſunt cauſa formalis juſtificationis, cùm ob ea prius communicata Natura DEUS ſpecialiter diligat homines. Ad Confirm: diſtin: antec: Sola movere poteſt ultimatè, in quantum ſua bonitas eſt, quæ ipſum determinat ad quodvis rectum & honeſtum amandum, & inhoneſtum odiendum, conc: ſola proximè tanquam objectum, in quo ſibi complaceat, neg: antec: aliàs enim fruſtranea eſſet paſſio Chriſti, velut cujus intuitu nil homini DEUS conferre poſſet.

QUÆSTIO TERTIA.

Quid ſit illud intrinſecum, per quod formaliter juſtificatur homo?

Cùm firmâ teneamus fide intrinſecum eſſe, quo formaliter juſtificamur poſt quæſtionem; *an ſit?* ad quæſtionem *quid ſit?* progredior: Et quidem communis eſt opinio, juſtificationem tàm parvulorum, quàm adultorum fieri per formam, ab actibus ipſius juſtificati diſtinctam, quamvis non per illam ſolam, ſed cum ſpeciali favore, nempè remiſſione peccatorum; nam ipſum Concil. Trident. diſtinguit renovationem interioris hominis, & receptionem in amicitiam DEI à remiſſione peccatorum. Difficultas tamen eſt, qualis ſit forma, tranſiens, vel permanens? & an ſit de fide, non eſſe formam aliquam ſeu qualitatem tranſeuntem, in quâ materiâ Vega lib. 7. in Trident. cap. 24. Valentia, Bezantius, Koning de actibus ſupernaturalibus Diſp. 6. aliiq; docent eſſe de fide nunc, licèt ante Tridentinum non fuerit. Sotus verò lib. 2. de Gratia cap. 18. & 19. Suarez &c. licèt nolint, & negent eſſe de fide, affirmant tamen eſſe fidei proximum, ſic ut oppoſitum aſſeri nequeat ſine temeritate. Vaſquez idem cum ipſis cenſet, præterquam quòd contendat non temerè dici

I. Qui teneant eſſe de fide formam juſtificantem non eſſe tranſeuntem.

contritionem perfectam seipsa formaliter justificare. Verumtamen in hoc omnes communiter conveniunt ante Tridentinum non fuisse de fide dari justitiam sive gratiam habitualem ab actibus distinctam, licèt id fuerit tanquam probabilius declaratum in Concilio Viennensi sub Clemente V. & habetur Clementina de Sum. Trinitate, sed etiam hîc rectè advertit Koning, ibi potius Viennense supponere tanquam certum infundi adultis habitum gratiæ & virtutum, & indè concludere parvulis quoque infundi. Ast sit quidquid velit de hac censura, quam breviter infrà expediam ad rem ipsam accedendo.

II. Intrinsecû, per quod justificamur, non est substantia, aut quantitas.

Dico Primò: *Illud intrinsecum, quo justificamur, non est substantia, quantitas, aut relatio, sed qualitas aliqua spectans ad primam speciem qualitatis.* Probatur quoad singulas partes, quia nullum habet effectum proprium substantiæ, quandoquidem inhæreat animæ, cum qua nequit facere ens per se unum. Nec quantitatis cùm non tribuat extensionem aut impenetrabilitatem suo subjecto. Nec relationis, cùm non referat actu suum subjectum ad quidpiam, nisi eo modo, quo quævis forma absoluta in se bona refert suum, in quantum scilicet ornat, venustat, aut constituit appetibile aut diligibile. Deindè si esset substantia aut quantitas, non esset supernaturale, ut esse debet forma justificans. Si esset relatio intrinsecus adveniens, deberet necessariò sequi ad positionem aliquorum extremorum posita saltem aliquâ ratione fundandi distinctâ ab actione, per quam producitur, sic autem non sequitur, cum posito quovis priore ad ipsum distincto ab ejus productione possit DEUS illam non producere, etiam sine miraculo, quantum est ex vi illius prioris. Si esset relatio extrinsecus adveniens, maximè unio quædam hominis justi (non enim habet cognationem ullam cum actione, passione, quando, ubi, aut situ) sed non est unio, aliàs justus esset Deus, relinquitur ergò, quòd sit qualitas una vel plures, sed non potentia naturalis vel impotentia, cùm non sit qualitas insita à natura, nec patibilis qualitas, vel passio, quia non est sensibilis sensu externo, nec forma, vel figura, quia hæc præsupponunt quantitatem, debet ergò esse habitus vel dispositio, & si sit quid permanens, erit habitus, si actus, aut aliud transiens, dispositio &c.

Dico Secundò: *Forma intrinsecè sanctificans non est actus, aut ulla qualitas transiens.* Est communis Catholicorum Doctorum contra hæreticos. Probatur Primò generaliter, quia S. Scriptura comparat gratiam unctioni, pignori, semini, sigillo, fonti, vesti nuptiali, ut patet ex variis ejus locis obviis, ergò debet esse aliquid permanens. — III. Intrinsecû justificans non est aliquid transiens.

Probatur Secundò Authoritate Patrum: Augustini lib. 1. de peccat. meritis & remiss. cap. 9. ubi ait: *Hæc gratia baptizatos quoque parvulos suo inserit corpori, qui certè imitari aliquem nondum valent. Sicut ergò ille, in quo omnes vivificabuntur, præterquam quòd se ad justitiam exemplum imitantibus præbuit, dat etiam sui spiritus occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit & parvulis.* Basilii lib. de Spir. S. c. 26. *Quemadmodum ars est in eo, qui nactus est illam, ita gratia Spiritûs in eo, qui recepit, semper quidem præsens, at non perpetuò operans.* Chrysostomi hom. 4. in 1. ad Corinth. *Si à crimine Regis beneficio absolutus est, inquinatam animam servat; quem abluit baptisma, non item; sed solis radiis puriorem mentem habet.* Sed parvulis non infundit DEUS ullum actum juxta eundem alibi, nec aliam qualitatem fluidam, de quâ constet, ergò.

Probatur Tertiò specialiter prima pars, si forma justificans esset ullus actus maximè attentio vel contritio, sed neutra est, ergò. Majorem omnes concedunt, quia, si quæ ratio vel authoritas suadet ullum actum esse formam intrinsecè justificantem, ea potissimum currit de hujusmodi

jusmodi actibus, aut altero ipsorum; & nè fusior excurrat probatio minoris, in quo tota vis subsistit. Hinc

IV. Attritio nō justificat intrinsecè formaliter. Dico Tertiò: *Illud intrinsecum formaliter nos justificans non est attritio.* Probatur Primò ex D. Augustino epist. 57. ad Dardanum, ubi ait: *Multum mirabilis res est, quemadmodum quorundam nondum cognoscentium DEUM sit inhabitator DEUS, & quorundam cognoscentium non sit. Nec illi enim ad templum DEI pertinent, qui cognoscentes DEUM, non sicut DEUM glorificaverunt, aut gratias egerunt: & ad templum DEI pertinent parvuli sanctificati Sacramento Christi regenerati Spiritu Sancto; qui certè per ætatem nondum possunt cognoscere DEUM. Undè quem potuerunt illi nosse nec habere; isti potuerunt habere antequam nosse.* Idem docet epistola 105. ad Sixtum: atqui certum est, parvulos non habere usum rationis, aut ullum actum alium, ut idem S. Doctor ibidem fatetur, dicens: *Nescire autem divina parvulos, qui nec humana adhuc noverint, si verbis velimus ostendere, vereor, nè ipsis sensibus nostris facere videamur injuriam, quando id loquendo suademus, ubi omnes vires officiumque sermonis facillimè superat evidentia veritatis*, ergò justificantur sine ullo actu proprio, sed etiam adulti omnes non percipiunt ullum actum, quando attriti accedunt ad Sacramentum pœnitentiæ, per quod tamen justificantur.

Probatur Conclusio Secundò: Si attritio esset forma sanctificans, attritus justificaretur ante Sacramentum resusceptum contra Trident. Sess. 14. cap. 4. declarans contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, esse donum DEI & Spiritûs Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat; si esset attritio, justificatio non esset donum distinctum à contritione, cujus oppositum habetur ex S. Scriptura iis locis, in quibus promittitur diligentibus DEUM, aut ad ipsum per perfectam pœnitentiam & contritionem conversis DEI gratia & remissio peccatorum, ut Isa. 1. Ezech. 18. Joëlis 2. Luc. 7. ibi: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* & infrà: *Cui minus dimittitur, minus diligit.*

Probatur Tertiò min: Quia attritio est dispositio ad justificationem, sed quod est dispositio ad justificationem, non est forma ipsa justificans, sicut nec dispositio ad calefactionem est calor, aut ad ignitionem forma ignis. Min: & consequ: admittitur ab omnibus. Item maj: habetur expressè in Trident. post verba suprà citata ibi: *Et quamvis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat* (supple attritio) *tamen eum ad DEI gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandum disponit.*

Dico Quartò: *Illud intrinsecum nos formaliter justificans non est quoq; ipsa contritio.* Hæc probatur ex Concilio Trident. Sess. 6. quod inter reliquas dispositiones prævias ad justificationem enumerat pœnitentiam, quam agi oportet ante baptismum, hoc est detestationem peccati vel perfectam, quæ est contritio, vel imperfectam, quæ attritio est; & mox subjungit c. 6. *Hanc dispositionem seu præparationem justificatio ipsa consequitur.* Et Sess. 14. c. 4. *Contritio*, quæ primum locum inter dictos pœnitentiæ actus habet, *animi dolor ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero, fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic motus contritionis necessarius.* Ergò secundùm Trident. non attritio tantùm, sed etiam contritio perfecta est dispositio ad justificationem, non enim illa determinatè, sed hæc vel illa indeterminatè & pœnitentia, quam agi oportet ante baptismum, vel fuit quovis tempore necessaria ad remissionem peccatorum. Confirm: ex Can 3. Sess. 6. *Si quis dixerit sine præveniente Spiritûs S. inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gra-* V. Contritio non est forma intrinsecè nos justificans.

nis gratia conferatur, anathema sit. ubi Concilium apertè supponit gratiam ab actibus fidei, spei, charitatis, & pœnitentiæ distingui.

Arguitur in contra: Perfecta Contritio, cùm sit actualis dilectio DEI super omnia, & perfectior moraliter & physicè habitu charitatis, & per consequens quovis alio, adæquat seu conformat hominem tanquam regulæ DEO, & omni ejus legi saltem obliganti sub mortali juxta illud Pauli: *Plenitudo legis est dilectio*, unit animam cum DEO, facit unum cum ipso spiritum, amor etiam transformat amantem in rem amatam, constituit etiam hominem objectum congruum amoris benevolentiæ specialis DEI, ipsâ naturâ nobis dictante eum infallibiliter diligere diligentem se super omnia, ergò seipsâ justificat. Confirm: Primò: Non potest DEUS odisse diligentes se super omnia, ergò non potest non remittere illis, si quæ habent peccata mortalia, quia hæc remittere non est aliud, quàm DEUM nolle aliquem ob commissam transgressionem odisse, sed eodem modo formaliter, quo remittitur peccatum, justificatur de facto anima, ergò perfecta contritio vel dilectio, quâ tanquam objecto movetur DEUS ad non odiendum peccatorem illam elicientem, & per consequens ad remittendum illi peccatum, formaliter justificat, quia sic justificare non est aliud, quàm sit movere DEUM. Antec: probatur: Quia talis nil habet odio dignum, nam maculam peccati ante perpetrati abstersit illa contritio, quæ majoris est bonitatis tùm physicæ, tùm moralis, cùm sit supernaturalis, & plenissima DEI dilectio, quàm peccatum fuerit malitiæ. Confirm: Secundò: Quia Sacra Scriptura & Patres tribuunt actui perfectæ contritionis & charitatis vim justificandi, Proverb. 8. *Ego diligentes me diligo.* Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Joan. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Augustinus tract. in epist. Jacob. *Anima nostra fœda est per iniquitatem, amando DEUM pulchra efficitur.* Et paucis interjectis: *Quomodo erimus pulchri amando eum, qui semper est pulcher, quantum in te crescit amor, tantum crescit pulchritudo, quia ipsa charitas est animæ pulchritudo.* In his autem aliisque similibus locis clarum est, sermonem esse de actu, non de habitu charitatis, ergò. Respon. neg: consequen: Quia licèt contritio sit in se perfectissima, & voluntatem elicientem perfectè subigat & conformet divinæ, cum eaque uniat unione affectûs consistente in ipsa hujusmodi conformitate, ac constituat objectum congruum specialis cujusdam amoris & benevolentiæ Dei, cui quodvis bonum specialiter in suo gradu complacet, nequit tamen ex se constituere hominem objectum congruum talis amoris, quo DEUS peccata illius remittat, ipsumque adoptet in amicum, filium, ac hæredem vitæ æternæ, & ex fundamentis Conclusionis constat, quòd neque ex ordinatione divina id sit assecuta. Ad 1. Confirm: neg: antec: & quæ pro eo afferuntur: nullus enim hominis actus ex naturâ suâ potest delere peccatum habituale: Tùm, Quia longè minor est bonitas & dignitas moralis ejus, quàm indignitas & malitia peccati, cùm illæ decrescant & minores fiant, quo abjectior & vilior est, qui actum elicit, hæ crescunt ex circumstantia, sicut personæ offendentis, quæ abjecta, tùm offensæ, quæ infinitæ perfectionis est: Tùm, Quia licèt bonitas actûs boni excederet malitiam peccati, tamen cùm illæ ex suppositione suæ existentiæ, ut & voluntas, quæ producit, res propria DEI sit, non tenetur DEUS ejus intuitu peccatum remittere, multò minus ad suam amicitiam & vitam æternam cooptare seclusa de hoc promissione & ordinatione. Ad 2. Confirm: dist: ant: tribuunt vim justificandi dispositivè, & meritoriè, conc: formaliter, nego.

Dico Quintò: *Illud intrinsecum, per quod justificamur, est habitus unus vel plures.* Hæc sequitur ex prioribus, VI. Habitus al quo intrinsecè justificamur.

bus, & Probatur: Quia nullo indicio constat dari in justo quidpiam supernaturale fluidum seu transiens ab actibus distinctum. Secundò: Licèt daretur, non posset sufficere, ut ratione ejus, jam præteriti verè diceretur DEUS inhabitare justum, peculiari modo, quo nullum impium inhabitat, nam huic etiam est intimè præsens per essentiam, sæpè etiam per moralem assistentiam, protectionem à malo, præparationem concursûs ad opera supernaturalia, auxilia gratiæ, prædestinationem & jus ad vitam æternam. Tertiò, ad opera naturalia dedit DEUS causis secundis qualitates operativas permanentes, ergò & homini ad opera supernaturalia, quæ ab illo exigit. Quartò, Quòd sit permanens, apertè sentire videtur Tridentinum Sess. 6. ca. 7. *Itaque veram & Christianam justitiam accipientes, eam seu primam stolam pro illa, quam Adam suâ inobedientiâ sibi & nobis perdidit, per Christum JESUM illis donatam, candidam & immaculatam jubentur statim renati conservare, ut eam perferant ante tribunal Domini nostri JESU Christi.* Ex his manet probata secunda pars.

VII. Forma justificans est qualitas permanens.

Dico Sextò: *Nec ex Scripturâ Sacra evidenter probatur, nec expressè in Conciliis est definitum intrinsecum illud, per quod tàm parvuli, quàm adulti justificantur, esse qualitatem permanentem, id tamen manifestè sequitur ex iis, quæ determinat Concilium Tridentinum.* Probatur prima pars: Tùm, Quia Innocentius III. *in capite Majores de Baptismo* tractans, an parvulis infundantur habitus, nihil decernit, sed tantùm ait, sententiam affirmantem esse probabiliorem: Tùm, Quia omnia loca Scripturæ, in quibus dicitur, aut ex quibus colligitur, nos justificari per habitus, explicari possunt de actibus supernaturalibus, mediantibus enim hujusmodi donis continuatis aut non retractatis per peccatum, DEUS posset dici habitare in nobis, & nos possemus dici regenerari, esse filii DEI, accepisse pignus hæreditatis, semen, &c. ergò, Probatur secunda pars: Quia Concilium Tridentinum nullibi dicit esse formam permanentem aut ab actibus distinctam. Probatur tertia pars: Quia certum est ex Concilio parvulos justificari per aliquam formam intrinsecam, sed ex Augustino suprà, & lumine naturæ notum est, eos non posse habere ullos actus fidei, spei, & charitatis, nisi DEUS extraordinariè & miraculosè cum eis concurreret, cujus miraculi sicut nulla est necessitas, ita nullum extat judicium, ergò illud, per quod justificantur, est qualitas permanens.

QUÆSTIO QUARTA.

An qualitas habitualis intrinsecè formaliter justificans sit forma & qualitas distincta à charitate habituali?

I. Referuntur sententiæ Authorum.

DIvus Thomas 2. 2. qu. 103. affirmat, quem sequuntur sui & Suarez lib. 6. de gratia cap. 12. dicentes: Gratiam esse formam dantem animæ quoddam esse divinum, eique inhærere, nec esse principium proximum operandi, sed radicem, ex quâ pullulant fides, spes, & charitas, quæ sunt principia operandi operationes spirituales, sicut Essentia divina, cujus est gratia quædam participatio spiritualis (ut colligunt ex 2. Petri 1. *Per quem maxima & pretiosa* nobis donavit) est radix attributorum divinorum. Sotus lib. de Nat. & grat. cap. 108. statuit habitum justificantem simùl cum habitu fidei, spei, & charitatis. Noster Vega lib. 7. de Trinit. cap. 3. excludit priorem habitum, quem Sotus asseruerat, & ait, hos tres ultimò nominatos constituere gratiam sanctificantem, quam sententiam censet à Tridentino esse definitam, quamquam cap 25. sui, ut apparet, sit immemor, & contendat gratiam à charitate non distingui realiter, sed tantùm eo modo, quo asserunt Scotistæ, ut eadem forma sit gratia, secundùm quod reddit charum DEO, di-

catur verò charitas secundùm quod est principium diligendi DEUM, quod esset manifestè falsum, si habitus fidei & spei essent partialis causa justificationis, tunc enim essent partialiter seu inadæquatè ipsa gratia contra Jansenium, quatenus dicit, dilectionem DEI formaliter expellere peccatum. Verùm

II. Fides sola non justificat.

Dico Primò: *Illud, quod formaliter justificat impium, non est sola fides, sive per justificationem intelligatur sola peccatorum remissio, sive spes simul & interior renovatio Spiritûs.* Hæc quoad primam partem est contra hæreticos: Et Probatur ex illo Jacobi: *Fides sinè operibus mortua est.* Idem clarè probatur ex Augustin. lib. 15. de Trin. c. 18. *Ipsam fidem non facit utilem nisi charitas, sine charitate quippè fides potest quidem esse, sed non prodesse*, & lib. de fide & oper. cap. 14. ubi ait: *Quoniam ergò hæc opinio tunc fuerat exorta, aliæ Apostolicæ Epistolæ, Petri, Joannis, Jacobi, Judæ, contra eam maximè dirigunt intentionem, ut vehementer astruant, fidem sine operibus nihil prodesse: sicut etiam ipse Paulus non quamlibet fidem, quâ in DEUM creditur, sed eam salubrem planéque Evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt: Et fides, inquit, quæ per dilectionem operatur. Undè illam fidem, quæ sufficere ad salutem quibusdam videtur, ita nihil prodesse asseverat, ut dicat: si habeam omnem fidem ita, ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum.* Præterea actus fidei, in quo potissimum hæretici statuunt vim justificandi, nimirum ille, quo quis credit intuitu mortis & passionis Christi sua sibi peccata non imputari, non fuit in illis, quos ex Scriptura constat justificatos fuisse, v. g. Magdalena, cùm illi dictum fuit: *Fides tua te salvam fecit*, ut quæ nihil scivit de morte & passione. Nec favet Adversariis illud ad Rom. 4. *Arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus legis.* & ad Ephes. 2. *Salvati estis per fidem & non ex operibus.* Nam in his & similibus locis solùm asseritur, non obtineri justificationem vi ullius operis antecedentis fidem, vel tanquam causæ formalis, vel tanquam dispositionis.

Probatur Secundò: Quia neque fides, neque spes est partialis causa justificationis formalis: Tùm, Quia secundùm probabilem & quasi communiorem sententiam, neutra est in Patria, qui tamen maximè justi sunt: Tùm, Quia utraque manet in peccatore, qui nec ex toto, nec ex parte est Filius DEI vel amicus, sed planè inimicus, ergò.

Dico Secundò: *Illud, quod formaliter justificat hominem, est gratia, forma à charitate habituali non distincta.* Hæc est Scoti 2. d. 27. qu. un. & Scotistarum communiter. Et Probatur Primò ex Concilio Tridentino Sess. 6. cap. 7. ubi ait: *Demum unica formalis causa est justitia DEI, non quâ ipse justus est, sed quâ nos justos facit.* Et paulò pòst subdit: *Quamquam nemo possit esse justus, nisi cui merita passionis Domini nostri JESU Christi communicantur: id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem Sanctissimæ passionis merito per Spiritum Sanctum charitas DEI diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhæret.* Idem docet cap. 11. suprà citato, ergò expressè ex Concilio habetur, quòd gratia & charitas non distinguantur realiter, nam postquam utriusque fecit mentionem singulatim, & pluribus distinctis terminis, subdit, quòd infundatur & inhæreat, & consequenter manifestè insinuat esse unum & eundem habitum. III. Charitas habitualis est forma justificans.

Probatur Secundò ex Scripturâ, 1. Joann. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii DEI nominemur & simus.* & cap. 4. *Charissimi, diligamus nos invicem: quia charitas ex DEO est; & omnis, qui diligit, ex DEO natus est, & cognoscit DEUM. - - - Et nos cognovimus & credidimus charitati, quam habet DEUS in nobis. DEUS charitas est, & qui manet in charitate, in DEO manet, & DEUS in eo.* 1. Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Ad Coloss. 3. *Super omnia charitatem habete,*

bete, quæ est vinculum perfectionis. 1. Corinth. 13. *Et si habuero propbetiam, & noverim mysteria omnia, & scientiam omnem: & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nibil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nibil mibi prodest.* Ex quibus sic argumentor, gratia justificans est perfectissimum donum DEI, atqui charitas tale est donum, ut testatur D. Augustinus in Psalm. 113. *Nibil eminentius inveniri potest in Sacra Scriptura, quàm charitas.* Undè Patres omnes gratiæ effectus illi scilicet charitati attribuunt, ùt examinanti patebunt.

Probatur Tertiò ex Patribus: S. Augustino lib. de Natur. & grat. cap. 42. *Neque illud nimis curo, utrùm fuerint hic aliqui, vel sint, vel esse possint, qui perfectam, cui nibil addendum esset, habuerint, vel habeant, vel habituri sint charitatem DEI. Ipsa est enim verissima, plenissima, perfectissimáque justitia.* Et paulò post: *Charitas DEI quantum plenissimè natura nostra sana atque purgata capere potest, diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Et cap. 38. *In Abel justo charitas Dei, quâ una verè justus est quicunque justus est, adbuc erat, quo posset & deberet augeri.* Lib. de mor. Eccles. cap. 13. ubi dicit: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Huic bæremus per sanctificationem. Sanctificati enim plenâ & integrâ charitate flagramus, quâ solâ efficitur, ut à DEO non avertamur, eiq; potius quàm buic mundo conformemur. Prædestinavit enim, ut ait idem Apostolus, conformes nos fieri imagini filii ejus. fit ergò per charitatem, ut conformemur DEO, & ex eo conformati atque configurati.* Cum Augustino idem docent alii SS. Patres, ut Prosper. lib. 2. de vita contemplativa. *Charitas est mors criminum, vita virtutum, anima sanctarum mentium, causa meritorum bonorum.* Gregorius hom. 27. in Evang. ait: *Charitatem esse fontem omnium virtutum.* & hom. 37. *Esse vestem nuptialem, quâ qui carent, mitterentur in tenebras exteriores.* Bernard. serm. 83. super Cantica, probat nihil esse, quòd hominem magis DEO conjungat, quàm charitas, ergò nulla datur forma re distincta à charitate, quæ adæquatè justificet, & per consequens ipsa charitas est saltem inadæquata causa justificationis, sed ex suppositione, quòd sit nullo modo ejus causa, dicendum quòd sit adæquata: Tùm, quia id asserit ultimus locus ex Augustino adductus: Tùm, Quia rationes sententiæ distinguentis gratiam justificantem à charitate, vel nihil, vel charitatem, neque adæquatè, neque inadæquatè justificare probant.

Probatur Quartò: Tùm, Quia nullâ ratione vel authoritate colligitur aliqua alia qualitas, quæ vel partialiter vel totaliter posset justificare hominem: Tùm, Quia si daretur, totaliter justificaret hominem, ut concedunt, qui eam ponunt donum perfectius & eminentius charitate contra Augustinum in Psal. 113. dicentem *Nil eminentius inveniri posse in sacrâ Scripturâ quàm charitas* esset falsum, quod dicit Apostolus 1. Corinth. 13. nec fides, nec quidpiam cœterorum donorum, si sine charitate habeantur, prodesse; nam sanè gratia sanctificans multum de facto prodest parvulis sine actu charitatis, multum etiam prodesset adulto, licèt careret habitu charitatis ab illo realiter distincto, quia per eam fieret DEI amicus, filius ac hæres vitæ æternæ. Deindè effectus proprii gratiæ non possunt attribui habituali charitati tanquam causæ formali aut tanquam dispositioni, quomodo tribuitur actui perfectæ dilectionis & contritionis: Quia si distinguatur à gratiâ, posterius est illâ tanquam natura, ad quam sequitur, & per consequens in nullo sensu erit verum, quod est contra Sacram Scripturam & Patres, qui omnes gratiæ effectus illi tribuunt.

Opponitur Primò: Authoritas Conciliorum, quæ distinguunt gratiam

tiam à charitate, cœterisque donis, nam Viennense approbat sententiam, quæ dicit tàm parvulis, quàm adultis conferri in baptismo gratiam informantem, & virtutes, tanquam probabiliorem. & Trident. Sess. 6. c. 7. dicit: *Justificationem fieri per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum.* Et Can. 11. damnat dicentem, homines justificari exclusâ gratiâ & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat. Respon. neg: antec: nam Viennense per ly *virtutes*, quas condistinguit à gratiâ, & Tridentin. per ly *donorum* vel intelligit tantùm fidem & spem, non verò etiam charitatem, sed potius ad majorem expressionem, & ob excellentiam gratiæ eam seorsim nominat, quomodo in Scriptura dicitur *Petrus & Apostoli*, non quòd ipse etiam non esset Apostolus, sed quòd inter eos eminentior. Can. autem 11. Trident. accipit gratiam & charitatem pro re eâdem, ut patet ex verbis *diffundatur* & *inhæreat*, quæ aliàs in plurali poneret, si per gratiam & charitatem intelligeret res distinctas.

IV. Gratia constituit hominem & in ratione essendi gratum & operandi.

Arguitur Secundò pro Thomistis: Qualitates operativæ naturales præsupponunt suum subjectum constitutum per aliam formam priorem illas connaturaliter exigentem, ergò & virtutes infusæ, quæ sunt qualitates operativæ supernaturales, præsupponunt hominem in ordine supernaturali constitutum per formam supernaturalem, quæ illas connaturaliter exigat. Respond. dist: antec: Qualitates naturales debitæ subjecto, transeat: non debitæ, nego, patet enim, quòd nec lumen in aëre, nec calor in aqua, nec species albedinis in oculo præsupponat formam accidentalem, vel substantialem, quæ illam exigat, aut subjectum sibi proportionet aliter, quàm reddendo illud sui capax seu receptivum, undè negatur conseq: Quia virtutes infusæ non sunt debitæ homini, aliàs non essent supernaturales. Addo, quòd nec ipsæ qualitates naturales debitæ subjecto semper præsupponant ipsum constitutum per aliam formam accidentalem, nam in Adversariorum sententia, potentiæ, v. g. animæ, secundùm ipsos sint tales, & sequantur immediatè ad ipsam animam, quòd autem omnes ejusmodi qualitates præsupponant formam substantialem, ad quam sequantur, mirum non est, quia aliàs ipsæ non essent, quales supponuntur subjecto connaturales.

Instatur: Philosophus ait, virtutem esse dispositionem perfecti ad optimum, ergò præsupponit suum subjectum perfectum, id est, proportionatum fini virtutis & consequenter charitas debet præsupponere aliquam formam supernaturalem, per quam homo proportionetur DEO, ut fini supernaturali. Respond. neg: anteced: in sensu consequentis esse verum, nisi fieret sermo de virtutibus naturalibus, quas solas novit Philosophus, aliàs fides in peccatore non esset virtus, cùm non præsupponat ipsum proportionatum suo fini, seu constitutum in esse supernaturali per aliam formam: in alio tamen sensu, quo longè verisimillimum est, locutum fuisse Philosophum, antec: est universaliter verum, nimirum, quòd virtus sit dispositio subjecti in suâ specie vel entitate sic perfecti, ut possit versari circa objectum talis virtutis perductivæ ipsius ad optimum statum, in quo possit circa illud perfectè operari.

Urgetur: Gratia est participatio quædam naturæ divinæ, juxta illud Petri 2. cap. 1. *Per quem maxima & pretiosa nobis promissa donavit: ut per hoc efficiamini divinæ consortes naturæ*, ergò, quemadmodum natura divina est radix attributorum divinorum, ita gratia est charitatis radix & cœterarum virtutum. Deindè S. Paulus quoque dicit, charitatem esse diffusam in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, *qui datus est nobis*, ergò secundùm ipsum diffusio charitatis est effectus Spiritûs Sancti in nobis inhabitantis, qui datus est

nobis,

nobis, undè idem ad Galat. 5. dicit: *Fructus autem Spiritûs est charitas, gaudium, pax, &c.* Respond. neg: consequ. Nam ut sit participatio naturæ divinæ sat est, quòd constituat hominem Amicum DEI & dignum vitâ æternâ. Et sanè si simili modo, quo Essentia se habet ad attributa, se habere deberet gratia ad virtutes, sequeretur, quòd quemadmodum essentia est realiter indistincta ab attributis, ita & illa à virtutibus. Ad illud D. Pauli similiter nego conseq: sufficit enim ad veritatem utriusque loci, quòd Spiritus Sanctus causet in nobis charitatem, nosque inhabitet, licèt non prius inhabitet, quàm causet, adeoque nil facit contra nos, cùm fatemur hominem prius recipere esse divinum seu supernaturale charitatis, quàm per illud operetur.

V. Justificatio non fit sine spe & fidei infusione.

Arguitur Tertiò pro Vega: Non est justus, nisi qui prout oportet ad salutem credit, sperat, & amat, sed sic credere, sperare, diligere, non præstat sola charitas, sed tres Virtutes theologicæ simùl sumptæ: ergò hæ & non una tantùm earum sunt causa adæquata formalis justificationis. Confirm: Quia ex Trident. Sess. 6. cap. 7. *Justificatio non est sola peccatorum remissio, sed sanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum*: ergò juxta Trident. renovatio interna, quæ fit in justificatione, fit formaliter non per solam charitatem, sed per hanc & cœtera dona simùl infusa. Respond. neg: consequ: solùm enim sequitur formam sanctificantem nunquam conferri sine fide, spe, & charitate, quod verum est. Ad Confirm: distin: consequ: renovatio, quæ est effectus per se justificationis, nego. Quæ comprehendit & illam & omnem aliam inferiorem concomitanter fieri solitam, concedo. Solùm enim vult Concilium, quòd renovatio interior quoad accidentariam sui integritatem & complementum habeatur à donis distinctis à gratia, quoad essentialia justificatorum à sola gratia, aliàs enim malè gratiam à donis distingueret, cùm ipsa, si formaliter justificaret, esset ipsa gratia.

Arguitur Quartò pro Jansenio: Cùm hoc, quod actus perfectæ contritionis vel dilectionis disponat ad gratiam sanctificantem, benè potest consistere, quod seipso formaliter expellat peccatum, quo subjectum redditur ineptum ad recipiendam gratiam, sicut calor, qui est dispositio ad formam ignis, expellit formaliter frigus, quo subjectum redditur capax formæ ignis, ergò cùm S. Scriptura & Patres tribuant actui contritionis & dilectionis expulsionem peccati, dicendum, quòd illud formaliter expellat, & per consequens quòd habitus gratiæ seu charitatis non sit causa formalis justificationis, prout hæc involvit remissionem peccati, sed solùm prout adoptionem in DEI filium. Confirmatur: Expulsio peccati præcedit infusionem gratiæ habitualis, ergò licèt gratia habitualis sit expulsiva peccati, non ipsa tamen delet, sed supponit illud per actum perfectæ contritionis jam deletum. Antec: probatur ex illo ad Ephes. 5. *Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus*, ubi asserit Apostolus Christum suâ gratiâ, quæ est pulchritudo animæ, illuminaturum peccatorem, modò ipse prius à morte peccati per pœnitentiam perfectam exurgat, seque emundet. Respond. negan: consequ: quia licèt ex ordinatione divinâ posset contritio non tantùm disponere ad gratiam, sed etiam peccatum formaliter expellere, de facto tamen non sic expellere indè constat, quòd nec ex naturâ suâ habeat eam vim, ut ostensum est in responsione ad objectionem contra conclusionem secundam præcedentis quæstionis, nec ex ordinatione divinâ: Tùm, Quia hæc esset omninò superflua, cùm ipsa gratia peccatum sufficienter expelleret: Tùm, Quia aliàs remissio peccati non esset beneficium distinctum à contritione aut dilectione (ut videtur per Scripturas

 & Pa-

& Patres) magis quàm expulsio frigoris ab inductione caloris: Tùm, Quia aliàs falsum esset, contritionem perfectam vel imperfectam indeterminatè fuisse omni tempore necessariam ad impetrandam veniam omnium peccatorum, ut docet Trident. Sess. 14. c. 4. Ad Confirm: nego antec: nam universaliter prius naturâ forma introducitur nova, quàm vetus opposita expellitur, & quamvis concederetur oppositum, non indè haberetur, expulsionem peccati non fieri formaliter à gratiæ habitu, quemadmodum expulsio frigoris fit à calore introducto & causa formali, sive hujus introductionem præcedat, sive sequatur. Ad locum Apostoli Respond. Si ullo modo agat de gratia sanctificante, eo tantùm moneri peccatorem, ut si velit consequi DEI gratiam, se excitet, & præparet per pœnitentiam, quæ ad eam disponit, non formaliter concurrit.

Ex dictis infero Primò: Gratiam specificativè sumptam non distingui à charitate habituali, nisi quemadmodum res quælibet à seipsa reduplicativè sumpta distinguitur per ordinem ad diversa connotata; sic ut eadem realiter & formaliter entitas, qua gratum reddit suum subjectum DEO, dicatur gratia, quâ verò principium actuum amoris DEI, dicatur charitas.

Infero Secundò: Gratiam non immediatè subjectari in essentia animæ, ut præter Div. Bonaventuram volunt, qui eam à charitate distinguunt realiter, sed in solâ voluntate, in quâ secundùm omnes subjectatur charitas, cui illa juxta nos identificatur. Nec refert, quòd denominet & faciat non tantùm voluntatem, sed & animam sanctam, nam ad hoc sufficit, quòd mediante voluntate subjectetur in anima, sicut ut anima sit peccatrix & immunda sufficit peccatum in voluntate suâ subjectatum, ut sit beata, sufficit DEI visio, fruitioque, quæ etiam secundùm Adversarios non insunt immediatè animæ, sed suis potentiis.

QUÆSTIO QUINTA.

An forma justificans seu gratia & charitas habitualis ex naturâ suâ, an verò ex acceptatione divinâ reddat suum subjectum DEO gratum? filium ejus adoptivum? & dignum vitâ æternâ?

Supponit hæc quæstio hos effectus formales à gratiâ haberi, quod de fide est contra Calvinum, qui statuit, justificationem in solâ non imputatione peccatorum, nunc pro sua immodestia negans, nunc adstruens sanctificationem & renovationem internam per gratiam internam inhærentem. Constat tùm ex S. Scripturâ, Joan. 5. *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ præcipio vobis.* Ad Rom. 6. *Nunc autem liberati à peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* Ad Roman. 2. *Quicunque enim spiritu DEI aguntur, ii sunt filii DEI, non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater, ipse Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quòd simus filii DEI, si autem filii & hæredes, hæredes quidem DEI, cohæredes autem Christi.* Ad Ephes. 1. *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per JESUM Christum secundùm propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ; in qua gratificavit nos in dilecto filio suo.* Item ex Trident. Sess. 6. c. 4. ubi definitur, quòd justificatio impii sit *translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius Adæ, in statum gratiæ & adoptionis filiorum DEI.* & cap. 7. quòd in justificatione homo *ex injusto fit justus, & ex inimico amicus, ut sit hæres DEI secundùm spem vitæ æternæ.*

1. Effectus justificationis re[illegible]

Pro resolutione Notandum, dupliciter concipi posse gratiam tribuere dictos effectus ex natura sua, uno modo sic, ut omninò repugnet eam esse in subjecto capaci, seu creaturâ rationali, cui non præstet dictos effectus,

effectus, seu quam DEUS eo ipso non haberet acceptam, gratam, amicam, ac dignam vitâ æternâ: alio modo sic, ut tantum connaturaliter exigat suum subjectum constituere sic gratum, acceptum, dignum ad eum modum, quo calor exigit expulsionem frigoris, vel quo quantitas constitueret corpus, in quo est impenetrabile, extensum.

II. Gratia nõn causat suos effectus sic, quia repugnat cõntrarium fieri.

Dico Primò: *Forma justificans, seu gratia non præstat dictos effectus ex naturâ suâ physicâ primo sensu.* Est communis Scotistarum & Nominalium, quos præter alios Recentiores sequuntur Koning, Kuriel contra Aureolum in 1. d. 17. q. 1. Cajetanum 2. 2. a. 12. & alios. Eandem tenet Scotus in 4. d. 16. qu. 2. n. 5. quatenus dicit inter gratiam & peccatum non esse formalem repugnantiam, & in 1. d. 17. qu. 3. n. 26. & 27. quatenus dicit, *quòd habitus gratiæ est qualitas, & præter relationem, quam habet, ad rationem rectam, in quantum est habitus bonus formaliter, habet specialem relationem ad voluntatem divinam acceptantem ipsum, vel subjectum habens ipsum.* Et paulò antè dicit: *Condignationem meriti esse ex merâ & gratuitâ acceptatione DEI.*

Probatur Conclusio: Quia nulla res creata potest habere vim necessitandi DEUm seclusa ipsius promissione ad ipsam, aut aliud sui gratiâ amandum amore ullo efficaci, seu quo determinaretur ad ullum bonum absolutè, vel conditionatè conferendum, sed ut gratia ex naturâ suâ primo sensu præstaret dictos effectus, deberet talem vim habere, quia necessitaret DEUM ad sui gratiâ amandum hominem, in quo subjectatur amore efficaci, & determinaretur ad illum acceptandum in specialem amicum & filium, ac ad conferendum ipsi absolutè vel ex hypothesi beatitudinem, ergò. Probatur maj: Primò: Quia talem vim inesse creaturæ ulli argueret in DEO magnam imperfectionem, quia absolutam à re finita dependentiam. Secundò: Quia, qui talem vim haberet, necessitaret DEUM ad sui conservationem, & per consequens necdum producta ad sui productionem; adeoque contra suppositum non esset creatura, quia non esset contingens, sed necessarium.

Probatur Primò sequela: Quia benè fieri non potest nisi existenti, quæ res necessariò exigit, aut ipsi, aut ei, in quo inest, benè fiat, & efficaciter ametur, exigit quoque necessariò ut existat. Secundò etiam patet, quia eandem vim movendi ad sui amorem habet res, cùm existit, ac cùm non existit, respectu illius, à quo in utroque casu æquè perfectè cognoscitur.

Arguitur Primò: Causa formalis, sic exigit ex naturâ suâ tribuere subjecto suum effectum formalem positivum, ut repugnet, eam esse in subjecto, & non illum tribuere, repugnat enim albedinem in subjecto esse, & non constituere illud album, sed gratia est secundùm Tridentin. unica causa formalis, quâ quis sanctificatur & transfertur ad statum adoptionis filiorum DEI, fitque ex inimico amicus, ac hæres vitæ æternæ, ergò repugnat eam inesse ulli, quem non constituit DEI amicum, filium adoptivum, & hæredem vitæ æternæ. Respond. distin: maj: suum effectum formalem positivum primarium, conc: secundarium, nego. Gratia autem sive ex natura suâ physica habeat, sive non, constituere DEI amicum & filium; hoc tamen non est effectus ejus primarius, sed denominare suum subjectum habens ipsam, sicut effectus primarius albedinis est reddere suum subjectum album, id est, habens albedinem: secundarius tantum & separabilis reddere illud visibile; & primarius effectus quantitatis est reddere quantum, id est, habens quantitatem. Secundarius verò reddere actu extensum.

Arguitur Secundò: Peccatum est finitæ malitiæ, & tamen ex natura sua movet DEUM ad habendum exosum & aversandum tanquam specialiter inimicum homi-

 nem

nem eo infectum, ergò non repugnat, quòd forma creata licèt finitæ bonitatis ex natura sua necessariò moveat illum ad prosequendum speciali amore suum subjectum ipsumque habendum pro specialiter amico: cur enim magis requireretur bonitas infinita ad determinandum ad actum amoris, quàm malitia infinita ad determinandum ipsum ad actum odii. Respond. in communi Adversariorum sententiâ peccatum esse infinitæ malitiæ, adeoque non esse paritatem. Respond. Secundò: Admisso antec: pro prima parte distin: illud pro secunda movet ex naturâ suâ DEUM ad habendum eo infectum exosum odio efficaci, nego, inefficaci seu simplicis displicentiæ, conc: uti & consequ: simili sensu.

Dices: Illud odium simplex, quod peccatum ex naturâ suâ infert, ut quis dicatur simpliciter DEI inimicus, ergò & ille simplex amor, quem gratia infert ex natura sua sufficit, ut quis fiat simpliciter DEI amicus. Respond. transf: cum anteced: consequens: Si intelligatur de amicitia inefficaci præsertim ex suppositione, quòd nulla alia sit forma ex natura sua melior & acceptior DEO quàm gratia, si verò tàm antecedens quàm consequens intelligatur de odio & amicitia efficaci, utrumque negandum est, imò consequens absolutè melius negatur: quia per simpliciter amicum intelligitur is, qui terminat amorem efficacem, non qui tantùm simplicem complacentiam.

III. Gratia ex natura physica non constituit filium DEI adoptivum.

Dico Secundò: *Forma justificans seu gratia neque connaturaliter ex natura sua physica exigit, ut DEUS eam habentem acceptet in amicum, filium, aut hæredem vitæ æternæ.* Hæc est contra eosdem, contra quos est præcedens, & insuper multos, qui præcedentem admittunt etiam Scotistas. Probatur Primò: Quia id exigere, non competit ipsi ex eo, quòd sit participatio naturæ divinæ, ut esse volunt Thomistæ ex illo 2. Petri 1. *Maxima & speciosa promissa donavit nobis, ut divinæ efficiamur consortes naturæ*: neque ex eo, quòd sit supernaturalis, neque ex eo, quòd sit physicè vel moraliter perfectior cœteris formis, neque quòd sit causa formalis justificationis, ergò ex nullo capite. Probatur antec: Quia anima rationalis cùm sit substantialis viva & expressa imago DEI in quantum est substantia viva, intellectiva, volitiva, memorativa, magis est participatio naturæ divinæ, & tamen quantumvis supponeretur carere omni peccato, non exigeret tanquam sibi connaturaliter debitum, ut DEUS ipsam aut ipsius intuitu hominem, in quo est, adoptet ad suam specialem amicitiam & vitam æternam. Item tale quid non exigit actus perfectæ dilectionis & contritionis secundùm eosdem, aliàs esset forma justificans, & tamen est in substantiâ supernaturalis, ut patet, est quoque quovis habitu perfectior moraliter, cùm sit formaliter honestus, ut non est ullus habitus, & physicè, cùm sit vitalis, & ad DEUM velut ad finem ordinetur habitus charitatis, quo non constat dari perfectiorem, & voluntatem creatam ex se conformem divinæ, adeoque dici etiam possit ex se supernaturalis participatio naturæ divinæ supernaturalis, aut cœteris perfectior, neque ex eo, quòd sit causa formalis justificationis, quia esset verè & propriè talis licèt non ex se, sed ex DEI ordinatione haberet constituere DEI amicum, filium, & dignum vitâ æternâ, quemadmodum character sacerdotalis est causa formalis verè & propriè constituens hominem formaliter potentem consecrare, & absolvere, licèt non ex naturâ suâ, sed ex DEI ordinatione illum deputantis ad talem effectum.

Probatur Secundò: Repugnat, quòd ulla forma ex natura sua physica connaturaliter exigat ullum actum liberum alterius suppositi non necessarium, ut ipsa conservetur, vel suos effectus causet, sed adoptio in amicum & filium est ex se libera, nec ullo modo necessaria, ut causa physica

sica conservetur, aut causet ullum suum effectum, ergò. Probatur maj: Tùm, Quia aliàs potero dicere, sistendo saltem in ratione naturali, quamlibet formam, quemcunque voluero actum liberum DEI, vel hominis ex natura sua exigere: Tùm, quia connaturaliter omnis exigentia supponit indigentiam sui termini in suo subjecto, nullum autem subjectum indiget illo, quod non est necessarium, ut ipsum aut ullus ipsius effectus sit. Probatur min: principalis pro secunda parte (prima enim ex se patet) quia nulla est assignabilis forma physica, ejusve effectus physicus, vel ullus proprius, qui non possit haberi & conservari sine tali actu.

Dices: Effectus formalis gratiæ est constituere ejus subjectum amicum & filium DEI: sed hoc nequit facere, nisi sit adoptio in DEO. Contra: Quia hoc est, de quo controvertitur, utrum scilicet amicum vel filium constituere sit effectus gratiæ, quâ est forma physica, & sanè non potest ostendi, quòd sit, nisi prius ostendatur, quòd exigat talem adoptionem, imò, quòd non sit positivè probatur: Quia eatenus præcisè esset, quatenus gratia esset talis naturæ, ut congruum sit ejus intuitu DEUM moveri ad eum, in quo est, amandum & adoptandum in filium, sed quamtumvis esset talis naturæ, non proindè constituere amicum, aut filium adoptivum esset ejus formalis effectus. Probatur min: Primò: Quia licèt regia dignitas sit naturæ talis, ut congruum sit, quem ejus intuitu moveri ad venerandum Regem, nihilominus regem esse veneratum, non est effectus formalis regiæ dignitatis, sed potius ejus venerationis. Secundò: Licèt probitas & pulchritudo Pauli moveat Petrum, ut illum amet & adoptet in filium, Paulum tamen esse adoptatum, non est effectus formalis suæ probitatis aut pulchritudinis, sed adoptionis, quæ in Petro, vel à Petro est. Tertiò: Peccatum est talis naturæ, ut congruum sit DEUM ejus contemplatione moveri ad peccatorem destinandum ad pœnam, eumque aliquando puniendum, & tamen peccatorem esse sic destinatum, vel punitum, non est effectus formalis peccati, sed ipsius destinationis ad pœnam & punitionem. Hinc

Probatur Tertiò Conclus. Quia ideò ponitur gratia ex se connaturaliter exigere suum subjectum adoptari in amicum, filium ac hæredem vitæ æternæ, ut sic ostendatur, gratiam ex se esse causam formalem horum effectuum, seu quod idem est justificationis, sed quantumvis id exigeret, non propterea esset causa formalis istorum effectuum, sed potius causa seu objectum motivum DEI ad ponendam causam eorum formalem, ut patet ex proximè jam dictis.

Dico Tertiò: *Gratia ex sola DEI acceptatione habet vim justificandi seu constituendi hominem filium DEI, amicum, adeòque acceptatum ad vitam æternam.* Hæc conclusio sequitur ex superioribus, & probatur ex Scriptura, 2. Corinth. 1. *Qui & signavit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* Et ad Ephes. 1. *In quo & vos, cùm audissetis verbum veritatis (Evangelium salutis vestræ) in quo & credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius.* Gratiam appellat signum & pignus, quæ non ex natura sua, sed ex libera DEI vel hominis institutione in esse talium formaliter constituuntur, cum hoc tamen consistit, quòd gratia habeat ex natura sua majorem congruitatem, ut eâ informatum adoptet DEUS, quàm habeat ulla alia forma, cùm inter permanentes sit perfectissima, & valdè congruum sit formam justificantem esse permanentem. Quòd si quæratur, qualis sit illa ordinatio tribuens gratiæ vim justificandi; nam varias possumus imaginari; quarum tamen non quælibet sufficit. Respond. esse volitionem, qua statuit

IV. Gratia ex acceptatione DEI habet vim justificandi.

DEUS quemcunque, cui gratiam infundet, eo ipso habere amicum & acceptatum ad vitam æternam. Per hujusmodi enim volitionem & ordinationem recipit gratia moralem quandam dignitatem, vi cujus formaliter sanctificat, seu constituit formaliter amicum, dimittit peccatum, & confert jus quoddam ad vitam æternam, ut ad hæreditatem, non ut ad præmium. Undè duo requiruntur, ut entitas, quæ ex natura sua non potest formaliter justificet: Primum, ut sit verè forma & unita subjecto. Secundum, ut adsit ordinatio divina statuens eum, cui unita est, eo ipso, hoc est, nullo alio spectato, habere amicum, & acceptum ad gloriam, undè patet per hoc gratiam in esse causæ sanctificantis distingui à ratione signi, seu non esse purum signum signum justificationis.

Arguitur Primò: Qui diceret DEUM constituere aliquid album albedine, quâ donatur, non modò reputatur, sed verè est album, sed Trident. dicit gratiam esse, quâ donati non modò reputamur, sed verè justi nominamur & sumus: ergò dicit eam per se & natura sua justificare, quod est reddere hominem DEO gratum, peccati expertem, & acceptum ad vitam æternam. Respond. Primò, neg: consequ: Quia albedo est ens purè physicum, quale nullum potest in suo esse constitui per ullius acceptationem aut ordinationem, secus est de gratia, quæ secundùm quod formaliter gratificat, est ens morale. Respond. Secundò, distin: min: Gratia est, quâ ex natura sua physica justi nominamur & sumus, nego: ex natura sua morali, quam habet vi acceptationis divinæ, conced: min: & in hoc sensu consequentiam.

Instatur: Si gratia non ex natura sua, sed ex ordinatione divina sanctificat, sequitur, non ipsam solam esse causam formalem nostræ justificationis, sed etiam præter eam requiri extrinsecum DEI favorem tanquam alteram partialem causam contra Tridentin: definiens unicam causam formalem nostræ justificationis esse justitiam à DEO infusam, & nobis intrinsecè inhærentem. Respond. neg: sequelam: sicut enim verum est dicere, quòd calor sit causa formalis adæquatè constituens lignum calidum, & expellens ab eo frigus, licèt si DEUS non habuisset volitionem liberam illum producendi non haberet suum esse, nec per consequens hos effectus causare, ita verè dicitur, quòd sola gratia & non favor, aut ordinatio extrinseca DEI sit causa formalis justificationis, licèt non haberet vim justificandi, nisi præcessisset extrinseca ordinatio DEI. Sic etiam verè dicitur Sacramentum, & non favor extrinsecus DEI, esse causa adæquata instrumentalis gratiæ, quamvis non esset talis causa seclusâ ordinatione, quâ DEUS illud instituit, & quamvis nunquam actu causaret gratiam, nisi ad ejus applicationem haberet DEUS voluntatem physicè producendi gratiam illius intuitu. Itaque solus ille favor extrinsecus DEI impediret gratiam esse causam adæquatam formalem justificationis, qui & supponeret gratiam ad rationem formæ justificantis elevatam, & non esset vi istius saltem elevationis seu ordinationis ipsi necessariò debitus, sed nullus de facto talis favor requiritur ad justificationem, & per consequens nullus est vel partialis causa justicationis.

Arguitur Secundò: Sequeretur, quòd solus favor extrinsecus DEI sit causa formalis justificationis, quod est damnatum in Tridentino. Probatur sequela, quod solitariè positum natum est tribuere aliquem effectum in genere causæ formalis, eundem tribuit etiam adæquatè, licèt adjunctum habeat aliquid aliud, quod ex se non est causativum illius effectûs, aut cum illo incompatibile, ut patet de albedine, quæ sicut sola constituit album, ita etiam constitueret, tametsi haberet adjunctam dulcedinem, sed favor extrinsecus DEI, si solus poneretur, adæqua-

adæquatè constitueret justum juxta dicta suprà, & gratia, quæ sine illo non est causativa illius effectus, neque cum illo incompatibilis, ergò non obstante, quod in justificatione fundatur gratia, non impedit, quo minus is effectus habeatur formaliter & adæquatè per favorem extrinsecum ut causam formalem. Respond. neg: sequel: & distin: suæ probationis min: pro secunda parte, gratia non est ex se physicè causativa ullius effectus, aut cum eo incompatibilis, conc: ex se moraliter non est causativa illius, & cum eo ut ab alia causa formali provenienté etiam incompatibilis, neg: min.

Instatur: Gratia, ut abstrahit ab extrinseco favore, aut ordinatione DEI non est physicè vel moraliter causativa illius effectûs formalis, seu constitutiva justi, ergò de facto solus ille favor, qui aliàs posset, causat illum. Probatur consequ: Quia vim causandi, quam aliàs haberet, non potuit amittere propter inexistentiam gratiæ, quæ ut ab ipso abstrahit, nullam habet vim physicam vel moralem eundem effectum causandi, vel consequens impediendi, cùm eatenus possit impedire, nè fieret per illum favorem, quatenus possit per se causare. Respond. neg: consequ: quia ille favor seu ordinatio divina, quæ aliàs se solâ justificaret, modò non est, sed alia planè diversa, cum illa incompatibilis & affixa gratiæ, quâ statuit DEUS eum solum & omnem habere amicum & acceptatum ad vitam æternam, cui inhæreret gratia. Undè quemadmodum non ipsa institutio Sacramenti est causa totalis, vel partialis instrumentalis gratiæ, licèt Sacramentum ut abstrahit à tali institutione nullam vim physicam vel moralem causandæ gratiæ habeat, & insuper causari posset per solam extrinsecam volitionem DEI, ita nec ordinatio divina est de facto causa formalis totalis vel partialis excludens peccatum, constituens amicum, aut conferens jus ad regnum, sed sola gratia, cui affixa & allegata est ordinatio, sine quâ nihil horum physicè vel moraliter præstare posset.

Arguitur Tertiò: Status justitiæ non consistit in acceptatione & ordinatione hominis ad vitam æternam, ac adoptionem ejus in filium, sed in adeptione doni supernaturalis ex se inferentis in DEO amorem complacentiæ, & constituentis hominem proximè acceptabilem ad DEI amicitiam & vitam æternam, sed datur hujusmodi donum, ergò sive gratia ex naturâ suâ inferat sive non inferat acceptationem ad gloriam, ex naturâ suâ physicâ justificat. Respond. negando maj: pro utraque parte, & sanè si sufficeret, ut forma aliqua ex natura sua physica esset forma justificans, quod inferret amorem complacentiæ in DEO, & constitueret hominem DEO acceptabilem, fides, spes, & quodvis donum infusum esset forma ex natura sua justificans; cum cujusque contemplatione placeat homo DEO, & fiat talis, quem posset acceptare ad gloriam; quin imò ipsa rationalis anima sic placet ex se, & per consequens cùm sit impertinens; an sit naturalis, an supernaturalis, modò cœtera præstet, forma ex se justificans posset dici, præsertim si absque peccato produceretur.

QUÆSTIO SEXTA.

An & quomodo forma justificans, seu gratia & charitas habitualis deleat peccatum?

Sicut quæstio præcedens examinabat, an gratia ex natura physica constituat filium DEI adoptivum, ita etiam hæc quærit, an physicè deleat peccatum? seu an hoc ex natura physica præstet? in quâ materia Calvinus perversissimus mortalium in Antidoto Concilii Tridentini Sess. 5. & lib. 4. Institu. docet in justificato peccata verè manere, tegi tamen, & occultari in quantum habenti fidem non imputantur. Verùm 1. Sententia Calvini.

Dico

II. Gratia non tantùm tegit, sed verè delet peccata mortalia.

Dico Primò : *Forma justificans seu gratia sanctificans non tantùm tegit , sed penitus delet peccata mortalia ejus , in quo est.* Est de fide. Probatur Primò ex Trident. quod Sess. 5. conclusionem definit his verbis : *Si quis per JESU Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti, negat; aut etiam asserit, non tolli totum id , quod veram & propriam peccati rationem habet , sed illud dicit tantùm radi , aut non imputari : anathema sit.* Et Sess. 6. c. 7. dicens : *Justificatio impii non est sola remissio peccatorum, sed & sanctificatio & renovatio interioris hominis :* Sed si verè peccatum remaneret , non verè sanctificaretur homo , nec fieret ex inimico amicus, sed perseveraret ut antè inimicus, cùm *odio sit DEO impius & impietas ejus.* Sapient. 14.

Probatur Secundò : Quia Sacra Scriptura sine restrictione dicit peccata DEUM remittere, utique in justificatione , & per consequens per gratiam sanctificantem : item affirmat , ab iis hominem verè liberari, Joann. 8. *Si vos Filius liberavit*, scilicet à peccato, *verè liberi estis.* item illud ablui, auferri, deberi, longissimè projici, fuisse & non esse. Ezechiel. 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* 1. Joann. 1. *Sanguis JESU Christi emundat nos ab omni peccato.* 1. Paralip. 2. *Obsecro Domine aufer iniquitatem servi tui.* Joann. 1. *Ecce qui tollit peccata mundi.* Isaiæ 44. *Delevi ut nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua.* Actor. 5. *Confitemini ut deleantur peccata vestra.* Psalm. 102. *Quantum distat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras.* Michæ 1. *Projicit in profundum maris omnia peccata nostra.* Psalm. 9. *Quæretur peccatum illius , & non invenietur.* 1. Corinth. 6. *Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis.* Ad Ephes. 5. *Eratis aliquando tenebræ , nunc autem lux in Domino.*

Probatur Tertiò ex Augustino in Enchirid. cap. 52. *Quemadmodum in illo vera mors facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum, & quemadmodum in illo vera resurrectio, ita in nobis vera justificatio.* & conc. 7. in Psalm. 115. *Sicut Ægyptios in mari obrutos , ita baptismo peccata nostra demersa, & extincta luce, clarius intimat Propheta dicens : projicens in profundum maris peccata nostra.* Gregor. epist. 9. lib. 9. *Quia dicit, peccata in baptismate non funditus dimitti, dicat in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos.*

Probatur Quartò Ratione : Si DEUS non verè & propriè peccata remittat justificato, ergò, quia vel non potest, vel quia non vult; non primum, quia verè remittere, non est facere , ut semel commissa non fuerint commissa, sed illa seriò condonare, cur autem non posset DEUS seriò condonare peccata contra se facta, sicut homo injurias sibi factas? Non secundum, quia hoc esset contra promissionem suam locis citatis aliisque plurimis.

Probatur Quintò : Si peccata in justificato maneant , & tantùm tegantur, seu non imputentur, Quæro Primò , cui tegantur, hominine, an DEO? non homini, quia justificato, nec illa exponit , nec subducit ejus notitiæ : non DEO : quia omnia sunt nuda & aperta oculis DEI , ad Hebræ. 4. Quæro Secundò : ad quid non imputantur? ad culpámne, an ad pœnam? Si ad culpam non imputantur, ergò in judicio & cognitione DEI non manent quoad culpam, & per consequens nec verè, vel si sic, falsum est, quod ait Apostolus ad Rom. 2. *Judicium DEI est secundùm veritatem.* Si ad pœnam tantùm non imputantur, ergò verè manent & non excludunt à regno, adeoque falsum est illud : *Nil inquinatum intrabit in regnum cœlorum.* Dixi in conclusione *peccata mortalia* : quia cum venialibus nullam habet ex natura sua aut ex ordinatione divina oppositionem, aut incompatibilitatem, ut suppono.

Oppo-

Opponitur Primo illud Psal. 21. *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Ubi hæc tria remitti, tegi, & non imputari sic ponuntur, ut unum explicet aliud more S. Scripturæ, in quâ passim verba posteriora explicant priora. Item Psalm. 84. dicitur: *Remisisti iniquitatem plebis tuæ.* Et mox ut explicetur, quomodò remiserit, additur: *Operuisti omnia peccata eorum.* 2. Esdræ 4. *Ne operias iniquitatem eorum.* 2. Petri 4. *Universa delicta operit charitas.* Ex quibus sic fit argumentum: Remitti peccata vel minus est, vel majus, quàm tegi & non imputari? Si minus, ergò vera remissio, quæ de facto datur, non plus importat, quàm peccati opertio & non imputatio: Si majus, ergò ineptè & præposterè S. Scriptura post remitti addit tegi, & non imputari, quorum significata illius significato continentur: si idem, habetur intentum, nempè peccata eatenus remitti, quatenus teguntur & non imputantur. Respond. Idem esse, peccatum tegi & non imputari, ac ipsum penitus remitti & deleri, quia quamdiu non deletur, & non remittitur, nequit occultari DEO, aut ab ipso non imputari quoad culpam, & per consequens quoad odium displicentiæ, vel etiam de lege posita quoad exclusionem à gloria: at verò peccatum tegi seu non imputari ad pœnam, non est idem quod illud remitti, sed est potius effectus remissionis peccati, seu remissio pœnæ consequens ad remissionem culpæ, quæ licèt seorsim spectata longè minor sit, quàm remissio peccati, supra tamen cum omnibus, quæ de facto præsupponit, major & optabilior est, cùm sic involvat remissionem peccati quoad culpam & pœnam; sic exempli causâ perfectior est ordo Episcopalis Sacerdotali, si concederetur secundùm omnia, quæ importat & præsupponit, licèt sit longè imperfectior, si spectetur ut condistinguitur ab ordine sacerdotali.

III. Gratia & peccatum de facto non se compatiuntur in eodem subjecto.

Dico Secundò: *Gratia & peccatum mortale de facto nequeunt vel pro unico instanti compati in eodem.* Est communis contra Lorkam 2. 2. d. 22. Probatur: Quia aliàs falsum esset, quod ait Trident. Sess. 5. *In renatis*, hoc est, justificatis, *nil odit DEUS.* Secundò damnata est à Pio V. hæc propositio Baji: *Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem, & hæc charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis.* Vera tamen esset, si pro instanti possent gratia & peccatum inesse eidem. Nec valet dicere cum Lorka esse damnatam & falsam, si intelligatur de simultanea inexistentia peccati habitualis & gratiæ, non actualis: quia cùm actuale sit magis propriè aversio à DEO, & majoris vel saltem talis malitiæ magis aut non minus debet esse incompatibile cum gratiâ.

Arguitur cum Lorkâ: Secundùm Scotum 2. d. 37. n. 10. prius voluntas avertit se à DEO, quàm DEUS cesset conservare gratiam, idque idipsum asserit Basilius hom. 31. de diversis. Et Trident. Sess. 6. c. 11. his verbis: *DEUS namque semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur*, ergò pro illo priori gratia est simul cum peccato. Respond. neg. consequ: tantùm enim sequitur & à Scoto, Basilio, & Trident. intenditur, peccatum in tempore vel instanti reali, v. g. A commissum esse in causa, cui DEUS non pergat pro eodem tempore vel instanti gratiam conservare, adeoque prius tantùm natura prioritate à quo peccatum committi, quàm gratiam amitti.

IV. Gratia ex natura physica non delet peccatum.

Dico Tertiò: *Gratia ex natura sua physica non delet peccatum necessariò, v. g. ut lux tenebras, neque connaturaliter, ut frigus calorem.* Est quoad utramque partem Nominalium, ac conformior Scoto suprà, ubi ait: *Non est igitur peccatum formaliter privatio gratiæ, quam non ex incompossibilitate destruit, sed ut demeritum.* Et in 4. d. 16. q. 2. n. 5. Medinæ 1. 2. q. 110. Suarez lib. 7. de gra-

 tia

tia justificante, Koning d. 21. de charitate & aliorum contra Vasquem. Probatur prima pars: Quia per se non habet oppositionem contradictoriam, privativam aut relativam cum peccato, cùm hoc non sit ejus privatio vel negatio, vel relatio ulla ad eam vel ejus subjectum terminata, ergò si quam habet oppositionem maximè contrariam: sed quæ opponuntur contrariè possunt esse simùl de potentia absoluta, ut patet de frigore & calore in summo. Et licèt fortè sint aliqua contraria, quæ ex sua speciali ratione nequeant per ullam potentiam simùl inesse ut ejusdem assensûs & dissensûs, amor & odium, fides & scientia, non potest tamen ostendi, quòd illa specialis ratio oppositionis reperiatur inter gratiam & peccatum. Confirmatur: Quia eatenus gratiæ sua natura competeret necessariò expellere peccatum, quatenus ex sua natura competeret ei constituere ut causa formalis suum subjectum DEO dilectum & acceptum ad vitam æternam, sed quantumvis hoc ipsi ex sua natura competeret, non tamen in ordine ad potentiam absolutam, sic actu constitueret, ergò. Probatur min: Quia in ea hypothesi sic constituere amicum & dilectum, non esset effectus ejus primarius, sed tantùm secundarius, ergò posset ab ea separari de potentia absoluta, quemadmodum à quantitate, quod reddat suum subjectum impenetrabiliter extensum, quod est effectus formalis secundarius.

Probatur secunda pars, ex quâ à fortiori sequitur prima, Primò: Quia ut gratia ex natura sua physica connaturaliter deleret peccatum, deberet ex natura sua constituere saltem connaturaliter DEI amicum & filium adoptivum, sed non constituit ut patet ex quæstione præcedenti, ergò. Maj: patet, quia nisi ex se constitueret amicum, nullum haberet effectum formalem, quem peccatum impediret, licèt supponeretur cum ipsa simùl manere, ergò non nisi ex illa suppositione exigeret connaturaliter illud expelli: quià eatenus ulla forma ex se postulat expulsionem alterius, quatenus altera si maneret, impediret aliquando ejus effectum ex natura sua physica. Confirmatur: Esse ex se formaliter expulsivum peccati, non competit gratiæ ratione majoris perfectionis physicæ realis formalis, aliàs deberet competere actui perfectæ dilectionis & contritionis, qui longè perfectior est, physicè & moraliter, neque propterea quòd peccator sit, quamdiu manet peccator indignus, cui infundatur, quia etiam indignus est actu charitatis, imò & quovis dono supernaturali, & tamen quodvis non exigit expulsionem peccati, cùm de fide sit, quod maneat cum fide supernaturali, & ipse actus perfectæ dilectionis illud non deleat formaliter, sed ad summum positivè. Nec propterea, quòd incongruum sit tàm excellentem formam supernaturalem infundi & conservari in habente peccatum, quia magis incongruum videtur actum perfectæ dilectionis supernaturalis, qui voluntatem creatam divinæ perfectè subjicit & conformat, sic infundi & conservari, & tamen ipsi etiam Adversarii negant hujusmodi actum esse ex se, aut etiam ex ordinatione divina formaliter expulsivum peccati, & sanè si esset dicendus, esset ipse gratia sanctificans.

V. Gratia ut subest ordinationi divinæ absolutè est incompatibilis cum peccato mortali.

Dico Quartò: *Gratia ut subest ordinationi divinæ, à qua habet constituere DEI amicum & filium adoptivum, sic est cum quovis peccato mortali incompatibilis, ut de potentia absoluta nequeant esse simùl.* Est contra quosdam Scotistas. Sed ipsius Scoti in 4. d. 16. q. 2. n. 19. ubi dicit; Quod ordinari per culpam ad pœnam & per amicitiam ad gloriam non stent simùl pro eodem *nunc.* Probatur Primò: Quia implicat gratiam, quâ formaliter gratiam, seu ut subest dictæ ordinationi in esse animæ, quin eam constituat sanctam, mundam, DEO gratam, specialiter amicam, ac simpliciter dilectam, sed nequit vel de potentia absoluta talem constituere

tuere animam, quamdiu in ea manet peccatum, cùm tamdiu necessariò sit simpliciter immunda, fœda, DEO ingrata, & inimica, & repugnet idem esse simpliciter mundum & immundum, gratum & ingratum, amicum & inimicum. Probatur maj: quia constituere sic animam sanctam, dilectam, &c. est effectus formalis per se primarius gratiæ quâ gratia, & non tantùm dare jus ad esse sui sanctam, amicam, dilectam, aliàs sicut non est causa formalis hominis constitutiva in esse beati, licèt conferat jus ad beatitudinem, ita non esset causa formalis constitutiva justi, sancti, amici, &c.

Confirmatur Primò: Implicat DEUM esse eidem simùl placatum & simpliciter infensum, sed deberet esse, si in eodem essent simùl peccatum & gratia sub ratione gratiæ, ergò. Probatur min: Quia cuilibet habenti mortale est necessariò infensus simpliciter, eo enim ipso, quò desineret illi esse infensus, remitteret peccatum, cùm id remittere sit non odisse authorem, & cuilibet habenti gratiam sub ratione gratiæ necessariò est simpliciter placatus, cùm effectus formalis gratiæ sit constituere simpliciter dilectum & amicum DEO.

Confirmatur Secundò: Repugnat quòd vel de potentia absoluta inimicus quamdiu inimicus sit homini amicus, ergò & quòd DEO, ac proindè cum peccator quamdiu peccator sit simpliciter DEO exosus & inimicus nequit, dum talis est, habere gratiam quâ gratiam, per quam necessariò fieret amicus & simpliciter charus.

Confirmatur Tertiò: Esse justum, quod est effectus formalis primarius gratiæ quâ gratiæ, vel est esse actu amicum & simpliciter charum DEO, vel est habere tantùm ad hoc jus & exigentiam? Si primum, ergò implicat gratiam sub nomine gratiæ inesse subjecto, cui non præstat illum effectum, & per consequens cujus peccatum, si quod habeat, non deleat. Si secundum, ergò gratia non est formalis causa constitutiva amici aut filii adoptivi plusquam beati, nec remissionis peccati plusquam collationis gloriæ aut ablationis miseriæ præsentis vitæ, nec per consequens justificationis plusquam glorificationis, quod est apertè contra Trident.

Probatur Secundò: Ordinatio divina annexa gratiæ, & à qua habet formaliter justificare, vel est ordinatio, qua voluit DEUS, ut quivis eâ informatus eo ipso sit acceptatus ad amicitiam & vitam æternam; vel quâ ut sit sic acceptatus tantùm ex supPositione, quòd non habeat peccatum; vel quâ tantùm voluit, ut quilibet eâ informatus habeat eo ipso jus, ut acceptetur in amicum & filium. Si primum dicatur, ut reverà debet dici, evidens est, quòd stante tali ordinatione implicet gratiam inesse homini, & non eum constituere amicum, & per consequens non delere peccatum, quo manente esset simpliciter inimicus. Si secundum, sequitur manifestè, quòd gratia nec ex se, nec ex ordinatione divinâ sit causa formalis deletionis peccati, sed alia forma distinctâ, quàm gratia vi istius ordinationis; sicut non exigit ad esse, ita non exigit in ejus absentia impium justificare. Si tertium dicatur, ergò sicut gratia non est causa formalis constitutiva beati, quantumvis conferat jus ad beatitudinem, ita nec deletiva peccati; aut constitutiva amici, licèt det jus aut exigentiam ad remissionem peccati & acceptationem in amicum.

Dices: Quòd det jus ad remissionem & acceptationem in amicum illicò obtinendum; non autem ad gloriam obtinendam, donec quis ex hac vita migraverit, fueritque ab omni peccato etiam veniali & peccati pœna purgatus, & hinc oriri, quòd collatio gloriæ, aut liberatio à miseriis præsentis vitæ non sit ipsi tribuenda ut causæ formali, quemadmodum tribuitur ipsi expulsio peccati & acceptatio in amicum, quos effectus exigit statim subsequi. Respond. hoc non sufficere, quia quantumvis

tumvis DEUS, quamprimum infunderet gratiam, daret ordinariè infallibiliter ipsam beatitudinem, adhuc tamen collatio beatitudinis non esset effectus formalis primarius vel secundarius gratiæ, quia non sequeretur in physica vel morali gratia, vel effectûs ejus primarii, sed potius alterius promissionis vel decreti divini concomitantis de mox satisfaciendo juri collato per gratiam, ergò nec remissio peccati, nec acceptatio in amicum est de facto ullus effectus formalis gratiæ, si ordinatio divina circa gratiam sit, quod quilibet eâ informatus tantùm habeat jus ad eam remissionem & acceptationem, etiamsi mox obtinendam.

Addo, quòd dignitas regia quantumvis exigat reverentiam, detque suo subjecto jus ad illam, non propterea tamen dici posset istius venerationis, ut actu exhibitæ, etiamsi quamprimum & semper exhiberetur, causa formalis, sed potius finalis vel motiva, utique hoc ipso, quo DEUS dat aut conservat in homine gratiam suppositâ ejus destinatione ad justificandum in genere causæ formalis, sicut necesse est, ut ipsum habeat amicum & dilectum, ita necesse est, ut omnem priorem offensam mortalem illi remittat remissione quidem & condonatione non expressâ formali & purâ, quali homo homini frequenter offensam remittit, solâ scilicet depositione odii & inimicitiæ, sed implicitâ & virtuali eminenter contenta in ipsâ ejus acceptatione in amicum & filium, quæ acceptatio non sequitur gratiæ infusionem, sed in ipsa involvitur eo modo, quo voluntas dealbandi parietem involvitur & imbibitur in ipsa productione albedinis in pariete, undè sicut in amicitiâ hominis ad hominem necessariò involvitur negatio odii, inimicitiæ ac cujusvis gradûs displicentiæ ob ullam priorem offensam, ita etiam in collatione gratiæ sub ratione formæ justificantis necessariò includitur remissio & deletio omnis peccati mortalis præsuppositi. Sicque in sensu obvio & proprio verum erit illud 1. Joann. 3. *Omnis, qui natus est ex DEO, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex DEO natus*, quod non videtur in sensu commodo fore verum, si gratia & peccatum possent simùl consistere, ut patet ex 2. probatione.

Arguitur: Ex ordinatione DEI annexa Sacramento, non sequitur, quòd Sacramẽtum necessariò causet gratiam in ritè disposito, sic quòd de potentia absoluta & non ordinaria posset eam non causare, sed solùm sequitur, quod connaturaliter exigat eam causare, & de potentia ordinaria infallibiliter causet, ergò similiter ex vi ordinationis, quâ charitas habitualis elevatur ad rationem formæ justificantis, non sequitur, quòd necessariò expellat peccatum, aut constituat amicum, sed tantùm quòd connaturaliter exigat utrumque. Respond. neg: conseq: quòd si anteced: sit verum, ordinatio divina annexa Sacramento non involvit necessariò aliud, quàm quod sufficit, ut Sacramentum evadat causa efficiens moralis gratiæ, ad hoc autem sufficit vis causandi in actu primo, licèt hîc & nunc impediatur miraculosè aut extraordinariè actus secundus. Ordinatio autem annexa gratiæ, cùm elevet ipsam ad rationem causæ sanctificantis formaliter, hoc est constituentis DEI amicum & filium adoptivum, necessariò involvit, quòd si gratia sit in subjecto hunc illi effectum præstet, & non tantùm jus aut exigentiam ejus obtinendi, cùm causa formalis ut sic necessariò det suo subjecto suum effectum primarium. Respond. Secundò, neg: antec: Si enim ordinatio divina circa Sacramentum sit, prout esse debet, ut antecedens sit verum hujusmodi: statuo ad applicationem baptismi v. g. producere gratiam, nisi cùm extraordinariè oppositum voluero, in nullo casu, in quo nollet DEUS ad ejus applicationem gratiam producere, exigeret vi suæ institutionis gratiam conferre, cùm is casus in ipsa

ipsa institutione sit exclusus, & per consequens pro tunc administratus, sicut nullo modo esset signum practicum gratiæ, ita nec Sacramentum.

VI. Gratia formaliter delet peccata mortalia.

Dico Quintò: *Gratia est de facto, ut subest ordinationi divinæ, causa formalis dilectionis peccati mortalis.* Hanc præter hæreticos negant etiam nonnulli Catholici, qui dicunt remissionem peccatorum conjunctam quidem habere etiam infusionem gratiæ, non tamen ab hac esse ut causa formali, sed à sola extrinseca condonatione DEI fieri eo fine remittentis peccata, ut animam reddat capacem gratiæ, quod etiam quidam Scotistæ docuerunt. Conclusio tamen est sat communis, eamque secundùm fidem certam esse existimat Kuriel 1. 2. q. 113. Probatur Primò ex verbis Trident. proximâ Conclusione adductis, ex quibus deducitur & definitur tolli per gratiam sanctificantem, quidquid habet veram rationem peccati, sed non tollitur per gratiam, ut per causam efficientem, materialem vel finalem, aut ullam aliam quàm formalem. Secundò, Sess. 6. c. 7. definitur, quòd justificatio non sit sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis, hoc est, quòd complectatur tam remissionem peccatorum, quàm positivam sanctificationem. Et paulò pòst: *Unicam causam formalem justificationis esse justitiam, seu gratiam inhærentem.* Sed si gratia non sit causa formalis dilectionis peccati, falsum est, quòd sit unica causa formalis justificationis, nam præter eam erit assignanda alia expellens peccatum, sive ea sit, ut volunt præfati authores, condonatio extrinseca DEI, sive ut Scotistæ quidam, rectitudo quædam moralis sublata per malitiam peccati, & reducta per illam condonationem. Confirmatur: Vel gratia exigit planè necessariò vel saltem connaturaliter, ut DEUS remittat peccata ejus, cui inhæret, vel neutro modo id exigit: Si primum, sequitur manifestè, quòd sit causa formalis deletionis peccatorum eo modo, quo lux delectionis tenebrarum, aut cognitio ignorantiæ, aut saltem quo calor expulsionis frigoris, quod eatenus saltem expellit, quatenus connaturaliter exigit, quod ad sui positionem DEUS illud auferat. Si secundum, sequitur Primò contra Concilium, quòd justificatio tota consistat in justificatione interna sola, & nè partialiter quidem in remissione peccatorum. Secundò, quòd justitia Christiana non sit perfecta aut vera sanctitas, qualis esse nequit, quæ nec necessariò, nec connaturaliter exigit expelli, sed secum compatitur maculam, impietatem, ac immunditiam peccati. Tertiò, falsa esse loca S. Scripturæ, in quibus dicitur per gratiam sanctificantem hominem sanari, mundari, vivificari &c. non enim mundat animam, quod nec seipso expellit, nec expelli exigit sordes, & inquinamenta peccatorum, nec sanat, quæ nondum abstergit infirmitatem, nec vivificat, quæ nondum mortem exclusit.

[illegible]

Probatur Tertiò: Quia ex dictis gratia habet vi ordinationis divinæ absolutam incompatibilitatem cum peccato, tanquam tribuente effectum privativè oppositum primario effectui gratiæ, quæ est forma justificans, ergò ut causa formalis illud delet, quia eatenus ulla forma delet formaliter alteram, quatenus habet cum ea talem incompatibilitatem. Ex dictis hactenus habetur, non ideò peccatum deleri per gratiam, quòd hæc exigat, ut in suo subjecto desinat DEUS conservare peccatum: Quia reverà nullum peccatum conservat DEUS, ut clarum est etiam de habituali, supponendo cum veriori sententia, quòd non sit aliquid physicè existens: neque ideò, quòd inducat in DEO volitionem peccatum remittendi posteriorem infusioni gratiæ sub ratione formæ justificantis, sed quia ipsa volitio infundendi gratiam, sicuti formaliter est volitio sanctificandi & constituendi subjectum, cui infunditur, amicum, ita est eminenter volitio remittendi, si quod sit peccatum, quemadmodum

dum in humanis acceptatio alterius in amicum est eminenter condonatio omnis prioris offensæ, & sublatio inimicitiæ, sic ut superflueret omnis alius actus posterior ad eam condonationem faciendam.

QUÆSTIO SEPTIMA.

An inductio Gratiæ & deletio peccati sint mutationes distinctæ, an necessariò connexæ, an alterutra prior altera?

I. Quis sensus quæstionis.

PRocedit hæc quæstio de passiva inductione Gratiæ, non in quamlibet, cùm evidens sit, inductionem gratiæ in eum, qui antecedenter non habuit peccatum, v. g. in Christum, Divam Virginem, Angelos, nec fuisse, nec connexam habuisse remissionem peccati: Sed de inductione in impium seu peccatorem, de quo quæritur, an mutatione unica & simplici, an pluribus? & si pluribus, an purè concomitantibus, an necessariò connexis? fiat ex peccatore justus?

II. Inductio gratiæ & expulsio peccati sunt mutationes separabiles.

Dico Primò: *Etiam in justificatione impii inductio gratiæ & expulsio peccati sunt mutationes ex natura rei non eædem, sed separabiles.* Est Scoti in 4. d. 16. qu. 2. nu. 4. quem præter suos sequuntur, qui ponunt gratiam aut ex natura sua justificare, aut de potentia absoluta compati cum peccato, & favet magis, quàm repugnat Div. Thomas, quamvis in oppositum citari soleat. Probatur Primò: Ex natura rei posset DEUS sine inductione ullius formæ remittere peccata, ut probatum est suprà. Item posset in animam peccato infectam inducere gratiam absque eo, quòd ullum ejus peccatum condonet, ut patet ex Conclus. 3. & 4. qu. 6. Sed hæc essent impossibilia, si inductio gratiæ & deletio peccati essent una realiter mutatio, aut etiam ex natura rei duæ planè inseparabiles.

Probatur Secundò: Expulsio peccati est mutatio, & inductio gratiæ est mutatio, sed non sunt una realiter mutatio, ergò diversæ. Probatur maj: quia expulsio est transitus à peccato ad non peccatum, & infusio est transitus à privatione gratiæ ad ipsam gratiam: omnis autem transitus subjecti à contradictorio in contradictorium est mutatio. Probatur min: primò: Quia de facto expulsio peccati multiplicatur, ubi non multiplicatur infusio gratiæ, sed hoc repugnaret, si esset realiter una. Deinde quemadmodum quia homo & animal rationale sunt realiter idem, implicat dari plures homines, ubi non dantur plura animalia rationalia, ergò. Probatur hæc maj: Quia in justificatione peccatoris cujusvis tantùm reperitur unica infusio gratiæ, & tamen in singulis tot reperiuntur deletiones peccatorum, quot culpæ remittuntur.

Dices cum Cajetano, quòd omnes culpæ secundùm rationem genericam aversionis à DEO, in quâ conveniunt, sint terminus per se deletionis peccatorum, secundùm verò rationes suas particulares sint termini tantùm per accidens, ac proindè earum secundùm has rationes multiplicatio non inferat multiplicationem remissionis aut deletionis peccati. Respond. neg: antec: Id enim nullatenus dici potest. Primò: Quia cùm singula peccata secundùm proprias rationes remittantur & desinant, necesse est, ut uniuscujusque remissio habeat pro per se à quibus & ad quos esse & non esse talis particularis peccati. Secundò: Quia mutatio realiter una tantùm duos per se terminos habet, formam scilicet & ejus privationem, sed inductio gratiæ & destructio peccati habent quatuor terminos ab invicem separabiles, illæ non esse gratiam & gratiam, hæc peccatum & non peccatum. Tertiò: Ideò essent unica mutatio, quòd peccatum sit privatio gratiæ, hoc enim est potissimum fundamentum oppositæ sententiæ, sed non est, quia unius forma in uno subjecto, non est nisi una privatio, pec-

peccata autem etiam specifica sunt plura in eodem.

III. *Infusio gratiæ & expulsio peccati sunt de facto inseparabiliter connexæ.*

Dico Secundò: *Infusio gratiæ, ut subest ordinationi divinæ, seu ut habet rationem formalem gratiæ, non est realiter eadem, sed diversa mutatio ab expulsione peccati, hanc tamen habet absolutè, & hæc illam de lege saltem ordinariâ inseparabiliter annexam.* Probatur prima pars: Quia infusio gratiæ est eadem realiter mutatio sive habeat sive non habeat annexam ordinationem divinam, vi cujus est expulsio peccati, vel sanctificativa sui subjecti, sicut ablutio externa, quæ fit in baptismo, est eadem, sive habeat, sive non habeat annexam rationem Sacramenti, & excussio monetæ eadem est, cùm habet, & cùm non habet valorem ex ordinatione Principis. Sed si non haberet annexam illam ordinationem, non esset eadem mutatio cum expulsione peccati, ut patet ex præcedenti Conclusione, ergò nec modò. Confirmatur: quantumvis ordinâsset DEUS, ut mutationum aliàs separabilium una semper causaret, vel inferret alteram, v. g. calefactio ægrotationem adeoque elevâsset calorem ad rationem causæ moralis, formaliter expulsivæ sanitatis, non proindè calefactio fieret una realiter mutatio cum ægrotatione, ergò quamvis dederit gratiæ vim moralem expellendi peccata, & voluerit, quòd ejus infusio in peccatore semper haberet annexam deletionem peccati, & econtra, non proindè illa infusio, & hæc deletio factæ sunt una realiter mutatio. Secunda pars patet ex quæst. 6. in qua probatum est, stante ordinatione divinâ de facto annexâ gratiæ non posse etiam de potentiâ absolutâ gratia & mortale peccatum simùl inesse. Tertia pars patet: quia de lege positâ non contingit deletio peccati mortalis, nisi cum ritè suscipitur Sacramentum, vel DEUS super omnia diligitur, sed quoties fit alterutrum horum infunditur infallibiliter gratia, ut de fide est.

IV. *Infusio gratiæ est prior expulsione peccati.*

Dico Tertiò: *Infusio gratiæ est prior naturâ expulsione peccati.* Hæc videtur esse Scoti suprà n. 18. quatenus dicit, quòd infusio gratiæ inferat exclusionem peccati, non contra, quod non esset verum, nisi infusio gratiæ esset aliquomodo causa & per consequens prior expulsionè peccati, nam inter concomitantia realiter, si nulla sit causalitas, nullà erit prioritas. Probatur: Quia necesse est prius naturâ uniri, & per consequens induci causam formalem in subjectum, quàm præstet illi ullum effectum formalem, præsertim distinctum ab hoc, quod est constitui subjectum in esse habentis ipsam, sed expulsio seu deletio peccati est effectus formalis gratiæ, ut patet ex antè dictis, & distinctus ab eo, quod est subjectum esse habens ipsam formam, quæ est formaliter gratia, ergò prius infunditur gratia, quàm expellitur peccatum illius, adeoque prior infusio. Maj: patet: Tùm discurrendo per singulas causas formales, nam prius est quantitatem uniri subjecto, quàm illud faciat impenetrabiliter extensum, intellectio prius unitur potentiæ, quàm constituat illam actu percipientem objectum, & calor prius unitur quàm expellat frigus: Tùm, Quia inexistentia formæ est conditio prærequisita, ut causet formaliter, sicut applicatio efficientis ad passum est conditio prærequisita, ut agat. Confirmatur: Prius naturâ suscipitur Sacramentum, quàm causet illum effectum, quem habet vi ordinationis divinæ sibi annexæ, ergò prius naturâ recipitur gratia, quàm causat ullum effectum vi ordinationis sibi annexæ. Probatur consequ: Quia quemadmodum statuit DEUS, ut Sacramentum non conferat gratiam nisi ei, qui illud susciperet, ita etiam voluit, ut gratia nonnisi, cui ipsa inest, conferat suum effectum.

Opponitur Scotus n. 18. suprà citatus dicit exclusionem peccati, licet posterior sit perfectione, esse viâ generationis priorem, item esse prio-

priorem prioritate causæ, quatenus per formalem causam non infert infusionem gratiæ, sed ab ea inferatur. Et n. 19. dicit, quòd prius ordine executionis vult DEUS homini non inesse culpam, quàm inesse gratiam, ergò Conclusio est contra Scotum. Respond. neg: consequent: Scotus in iis locis intelligit per infusionem gratiæ effectum primarium gratiæ, ut est forma justificans, seu ut subest coordinationi divinæ, qui est constituere sanctum, & DEI amicum, & hunc effectum dicit esse priorem viâ perfectionis & intentionis, exclusione peccati, hoc est, esse perfectiorem & principalius intentum, ordine tamen executionis & generationis priorem esse remissionem culpæ, cùm in sanctitate perfecta includatur tanquam pars absentia peccati, quod verum est.

V. *Infusio gratiæ & remissio peccati fiunt in instanti.*

Quæres: An remissio peccati & infusio gratiæ fiant successivè? Respond. Quòd dispositio prævia ad justificationem ordinariè fiat successivè, justificatio tamen ipsa, prout comprehendit tàm infusionem gratiæ, quàm remissionem peccati, fit in instanti ex suppositione, quòd dispositio ultima compleatur primum in instanti, secus si in tempore. Ratio secundæ partis: Quia ideò nulla mutatio fit successivè: Quia vel terminus per eam producendus, aut destruendus est ex se successivus, vel quia subjectum non est ultimatè dispositum ad illum terminum recipiendum, vel quia agens non habet virtutem, aut si liberum, voluntatem producendi totum effectum, sed gratia, quæ terminus est unicus per se in justificatione producendus, quâ etiam, ut dictum est, peccatum formaliter expellitur, non est ex se ens successivum, cùm sit qualitas permanens, & anima, in quam est inducenda, est ultimatè disposita ad illam per debitam Sacramenti susceptionem, vel contritionem perfectam, ut suppono, & peccatum, si quid inest, non per aliquid prævium, sed per ipsam gratiam est expellendum, & DEUS, qui solus gratiam producit, est & potens illam instantaneè producere, & volens: Quia cùm ritè suscipienti Sacramentum aut perfectè contrito, promiserit justificationis gratiam, quâ multùm indiget homo, & quam ille libenter suppeditat, tanquam cujus deliciæ sunt esse cum filiis hominum, gratis & planè incongruè diceretur non quamprimum illum infundere. Dixi *ex suppositione &c.* quia tunc omnis ratio, quæ probat justificationem aliàs faciendam in instanti, probat etiam faciendam in tempore, quo primum verum esset dicere jam est tota dispositio prærequisita ad gratiam, non enim esset ratio differendi ad sequens instans infusionem gratiæ. Ratio primæ partis: Quia in eâ dispositione continentur plures actus etiam subordinati ad invicem, & qui ordinariè requirunt longam consultationem & moram.

QUÆSTIO OCTAVA.

An gratia sanctificans à solo DEO, & hoc per creationem propriè dictam producatur?

Suppono ex superius & in Philosophia dictis, creationem propriam esse productionem Entis nullo præsupposito subjecto. Suppono etiam non omnes formas creari propriè, sed multas educi de potentiâ materiæ, id est, de subjecto, educi autem nihil aliud esse, quàm dependere in fieri & conservari à subjecto, hinc quia gratia dependet in conservari ab anima, difficultas oritur immediatè an creetur à DEO? an verò educatur de potentiâ naturali vel obedientiali voluntatis, & hoc non quomodocunque, sed insuper an ejus productionem aliqua causa creata attingere possit, & ad hoc posterius primò respondendo — I. *Quid sit creatio propriè.*

Dico Primò: *Nulla creatura, quæcunque illa sit, potest physicè attingere productionem gratiæ sanctificantis.* Hæc est conformis principiis Doctoris subtilis, & Probatur: Quia si quæ causa — II. *Creatura nulla potest attingere physicè productionem gratiæ.*

causa creata & secunda attingeret physicè per virtutem obedientialem, aut aliam à DEO impressam productionem gratiæ, maximè Christi humanitas, passio, Sacramenta, vel saltem dicti actus ad illam disponentes, vel ipsa anima: Tùm, Quia nulli alii potius quàm his tribuenda est ejusmodi activitas: Tùm, Quia iis & non aliis nonnulli Authores eam de facto tribuunt, ut Thomistæ communiter humanitati & Sacramentis, Sotus & Capreolus etiam passioni, noster verò Vega lib. 8. in Trid. cap. 9. etiam dispositionibus ad justificationem; sed nihil horum attingit alterutro modo productionem gratiæ. Probatur min: Primò quoad secundùm modum: Quia nec ratio nec authoritas ostendit, DEUM infudisse ulli virtutem ullam supernaturalem productivam gratiæ adæquatam vel inadæquatam; & sanè si adæquatam infudisset, ea esset perfectior contra Adversarios, qui illam super omnia creata efferunt: Si inadæquatam, ea quoque superflueret, si ut illi volunt res quælibet infinitam habeat potentiam obedientialem, per quam scilicet DEO extraordinariè concurrente producere posset quodlibet. Secundò quoad primum modum de potentiâ obedientiali Probatur: Quia non est ullum fundamentum dicendi, quòd ulli prædictorum, aut alii quàm intellectui & voluntati in ordine ad actus supernaturales insit potentia obedientialis in ordine ad producendum quodlibet, quod nullo modò naturaliter potest attingere, ergò. antec: patet, quia licèt possent fortassis esse aliquæ creaturæ, quæ habeant hujusmodi virtutem obedientialem, possent nihilominus esse, quæ non habeant, cùm nulla sit in hoc repugnantia; nulli etiam mortalium constet ea, quæ de facto sunt, non esse tales; ergò sive possibilis, sive impossibilis talis potentia gratissimè dicitur per eam de facto produci rem tàm excellentem, ut est gratia; præterea passio Christi secundùm nihil sui existit, cùm gratia producitur, nam à tot sæculis præterierat. Deindè Sacramenta sunt successiva, & tunc primum gratia datur intuitu ipsorum, cùm jam physicè desierunt, humanitas etiam Christi, licèt existat, ingenti tamen intervallo distat ab iis, in quibus gratia producitur.

Dices: Dignificanda est humanitas Christi, quantum sine absurdo potest, ergò nisi posset absurditas ostendi aliqua vel contradictio, in hoc; quòd habeat potentiam obedientialem ad producendam gratiam; dicendum, quòd illam habeat, & contra, quòd ex ea mediante de facto producat gratiam, sed non potest talis ostendi, ergò. Fateor antec: omninò videri concedendum cum prima consequent: Sed secunda negari potest, sicut ab Adversariis etiam negaretur, quòd Christi humanitas cœlum totumque mundum physicè conservet, vel in seipsa gratiam, aut unionem hypostaticam, licèt secundùm ipsos ad hæc omnia habeat virtutem obedientialem, quæ humano judicio cedere videtur ad majorem Christi gloriam. Addo videri repugnare potentiam obedientialem in humanitate ad producendam gratiam & à fortiori in Sacramentis & quibuslibet aliis entibus naturalibus, quia si talis daretur, ut in actum prodiret, indigeret concursu extraordinario DEI secundùm omnes. Quæro ergò, an insupplebili, an supplebili per ullam creaturam? Si primum, sequitur, illum concursum, esse generalem, & consequenter naturalem, adeoque potentiam cum eo solo productivam gratiæ esse naturalem & non obedientialem contra suppositum. Si secundum, quæro, per quam creaturam illa est supplebilis? Si per ullam naturalis ordinis, sequitur gratiam non esse supernaturalem in substantia contra suppositum, quia erit adæquatè producibilis à causa naturalis ordinis. Si per ullam ordinis supernaturalis adhuc contra ipsos Adversarios sequitur, dabilem esse causam secundam adæquatè productivam gratiæ vi propriâ & innatâ. Deindè quæro, an illa concausa supernaturalis,

ralis, quæ scilicet, si daretur, constitueret cum humanitate Christi, aut Sacramento causam adæquatam gratiæ. Quæro, inquam, an illa realiter sit producibilis per humanitatem & aliquam aliam formam supernaturalem, an non? si non, idem planè erit de ipsa gratia. Si sic, quæro idem rursus de illa, & sic in infinitum, & necessariò sistendum erit ad aliquam formam supernaturalem improducibilem per ullam causam secundam, ut per causam adæquatam, quod æquè ab initio faciendum erat, vel admittetur processus in infinitum in causis essentialiter dependentibus, qui absurdus est, & admissus præcluderet omnem viam demonstrandi causam primam, & præterea sequeretur, nullam causam ex iis, quæ in toto illo processu supponebantur supernaturales, esse supernaturalem.

Quod ut probetur: Omnes causas secundas supernaturales abjectis seorsim aliis redigamus in unam classem, vel ut sic redactas supponamus, quo facto sic argumentor: Nulla est ratio, quare ullæ ex his, quæ continentur in classe appellata supernaturali, esset supernaturalis potius quàm cœteræ, aut aliqua cœterarum, nisi quia nulla est earum connaturaliter debita illi subjecto, eo v. g. modo, quo calor igni, & omnes vel saltem aliqua eorum, à quâ cœteræ dependent, est à solo DEO producibilis, si enim alterum iis desit, nihil prorsus speciale habebunt præ exclusis ab ea classe, ob quod dicendæ sunt supernaturales, specialiter præ impetu, qui nulli subjecto debetur, & præ actibus intellectûs & voluntatis, qui necessariò præexigunt Angelos vel animam à solo DEO ducibiles, ut sui causam connaturalem, ergò si in tota illa classe nulla, à quâ cœteræ in sui productione immediatè dependeant, sit à solo DEO producibilis, nulla erit supernaturalis, ex quibus deduci potest, quæ sit repugnantia, quòd detur potentia obedientialis producendi quodlibet.

III. DEUS solus potest producere physicè gratiam. Dico Secundò: *Solus DEUS efficit physicè, & tanquam causa principalis gratiam.* Probatur: Quia si ulla causa creata haberet virtutem naturalem producendi gratiam, maximè actus virtutum, qui ad illam proximè disponunt, & ad quos solos de facto infallibiliter sequitur, si enim ulla causa naturalis, sive realiter unica, sive consurgens ex pluribus realiter distinctis talem haberet virtutem, gratia jam non esset supernaturalis, & similiter, si ulla supernaturalis haberet, deberet gratia connaturaliter ad illam causam sequi, licèt non procederent illi actus supernaturales, adeoque hi non essent dispositiones necessariò prærequisitæ ad gratiam, quod falsum est, ut postea patebit, sed illi actus non habent talem virtutem, ergò. Hanc mino in qua probanda sita est tota difficultas.

Probant aliqui Primò ex eo, quòd Trident. Sess. 6. c. 7. ubi causas justificationis & gratiæ determinat, non aliam illi causam efficientem prout efficiens ab instrumentali & meritoria distinguitur, assignet quàm DEUM. Secundò, Probant aliqui, quia habitus gratiæ, si ab illis produceretur, non esset per se infusus, quia natura sua adæquatè producibilis à causa secunda. Tertiò Probant: Quia illi actus sunt imperfectiores gratiâ: quia hæc est participatio perfectior possibilis naturæ divinæ. Quartò: Probant alii, quia aliàs gratia non produceretur sine illis actibus, adeoque nec in parvulis. Quintò: Quia illi actus ex natura sua præsupponunt gratiam aut auxilium supplens defectum gratiæ, ergò ipsi nequeunt gratiam causare. Sextò: Quia ex Trident. suprà sunt dispositiones ad ipsam gratiam, sed non essent, si illam physicè producerent. Septimò: Alii probant ex variis locis S. Scripturæ, in quibus justificare & peccata remitti tribuitur soli DEO cum exclusione creaturarum omnium, ut Job. 14. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, &c.* Isaiæ 44. *Ego sum, qui deleo iniquitates tuas.* ad Roman. 3. *Unus est DEUS, qui justificat &c.* Marci 2. *Quis potest remittere*

tere peccata, nisi solus DEUS. Sed nulla harum probationum urget sufficienter, aut evidenter convincit, valeant tamen apud quemlibet, quantum valere possunt, meâ opinione melius sic probatur minor: Quia tunc gratia esset ex operibus justificationem antecedentibus; adeoque non esset gratia, sed debitum, juxta illud ad Rom. 11. *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia.* Quem locum explicans Tridentinum cap. 8. ait: Quod gratis justificari ideò dicamur: *Quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides sive opera ipsam justificationis gratiam promeretur.*

Dices: Gratiam esse ex illis operibus, ut causa sui physica, non autem de condigno meritoria, quod solum negat Concilium, ergò indè non colligitur, quod non censeatur physicè adæquatè produci per illos actus. Contra, ut aliquid sit causa de condigno alicujus meritoria, sat est, quòd habeat respectu illius rationem talis meriti, cujus intuitu illud stante communi providentiâ DEI connaturaliter debeatur, sed illi actus secundùm communem habent respectu gratiæ rationem meriti, quia illam merentur de congruo, & quidem talis meriti, cujus intuitu stante communi providentiâ debeat connaturaliter infundi, si verum sit, quod respectu ejus producendæ habeant virtutem adæquatam physicam.

Dices Secundò: Non sequi, quin illi actus habeant vim connaturalem inadæquatè producendi gratiam; & consequenter de facto sic producant, sed si sic producuntur, sufficit, ut sint causa principalis gratiæ, quemadmodum ut intellectus sit causa principalis visionis beatificæ, sufficit, quòd per virtutem sibi connaturalem inadæquatè producat, ergò necdum habetur, quòd non sint causa principalis gratiæ. Contra: Quia si haberent virtutem naturalem inadæquatè producendi, prout vis naturalis distinguitur contra obedientialem, deberet esse saltem possibilis alia concausa naturalis ordinis, quæ cum illa complere posset; seu integraret causam adæquatam gratiæ; aliter enim nequit ostendi, quo sensu illa vis seu potentia non esset tàm propriè obedientialis, quàm est ea, quam habet intellectus ad visionem beatificam, sed si vel possibilis esset talis concausa, sequeretur possibile esse deberi gratiam connaturaliter intuitu aliquorum antecedentium justificationem, adeoque posse non esse gratiam, sed debitum.

Probatur Secundò: Quia licèt non repugnet gratiæ vel ex conceptu supernaturalitatis, vel ex conceptu causæ formaliter justificantis, vel habitûs infusi, esse producibilem à causa secunda præsertim supernaturali etiamsi ad illam moraliter disponente, tamen cùm non repugnet eam non esse sic producibilem, idque majorem in ea argueret perfectionem & conferret ad verificandum in sensu magis obvio & commodo loca S. Scripturæ & Patrum simpliciter tribuentia gratiæ efficientiam & productionem soli DEO; adeoque teneatur ab omnibus Theologis, debet dici, quòd non sit sic producibilis, imò oppositum temerè diceretur. Confirmatur hoc: Quia dum Trident. suprà definit, causam efficientem gratiæ esse DEUM, intelligit, DEUM sic esse causam gratiæ, quomodo non est cœterarum omnium rerum, alioquin enim frustranea & superflua esset illa ejus definitio; cùm nemo dubitare posset, DEUM esse causam primam gratiæ eo modo, quo cœterarum creaturarum, sed non esset causa efficiens gratiæ ullo modo, quo non cœterarum omnium rerum, si ulla creatura concurreret adæquatè in genere causæ secundæ ad illam producendam, ergò.

Dico Tertiò: *Gratia sanctificans producitur per creationem propriè dictam, hoc est, producitur sine ullo concursu causæ materialis.* Hæc est Alensis, D. Thomæ, D. Bonavent. & adeò erat apud antiquos communis,

IV. Gratia producitur per veram creationem.

nis, ut Scotus 4. d 2. q. 2. eam ita supponat, ut nullibi probet, tanquam sine controversia admittendam. Est contra Recentiores, & præsertim Suaretz lib. 8. de gratia c. 2. Vasquez disp. 124. Probatur Primò ex Scriptura Sacra, Psalm. 50. *Cor mundum crea in me.* ad Ephes. 2. & 4. *Induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est.* In quibus locis dicitur, quòd gratia, quâ cor mundatur, ex qua procedunt bona opera, per quam peccator constituitur novus homo, secundùm DEUM creetur. Probatur Secundò: Quia tùm in Scriptura, tùm in Trident. dicitur infundi in cordibus eorum, qui justificantur, ergò non educitur de potentia materiæ, & consequentèr creatur.

Dices: Hæc probatio non sufficit, quia verbum *creare* in S. Scriptura sæpè accipitur in latiori significatione, quàm significet creationem propriè dictam, ut patet 1. Genes. ubi dicitur, quòd *DEUS creaverit cœlum & terram, cete grandia, masculum & fœminam*, quæ tamen non sunt propriè creata, hoc est, producta sine dependentia formarum, quibus constant à suis materiis, ergò, quamvis habeatur in Sacra Scriptura, quòd gratia creetur, non indè habetur, quòd creatione propriè dicta. Deindè per hoc, quòd dicatur infundi, non necessariò sequitur aliud, quàm quòd producatur à solo DEO efficienter, sic autem produci posset, quamvis produceretur dependenter à materia.

Probatur ergò aliter: Quia possibilis est forma accidentalis independibilis à causa materiali seu subjecto, aut ex natura sua exigens non dependere ab influxu subjecti, eo modo, quo anima rationalis exigit non sic dependere: nec enim in conceptu talis ulla involvitur contradictio, ut patet ex eo, quòd nonnulli de facto existiment, nullum dari influxum causæ materialis, sed ex suppositione, quòd possibilis sit forma sic independibilis à causa materiali, gratia censenda est esse talis: Tùm, Quia ejus efficientiam non attingit ullum efficiens creatum, cujus tamen activitas videtur debere extendi ad quodvis, ad quod se extendit causalitas materialis: Tùm, Quia & perfectissima formarum non vitalium, & assumpta ab eo ad munus justificandi formaliter homines, quâ saltem post unionem hypostaticam nullum est sublimius, nullum homini optabilius, nullum magis gratuitum & remotius ab omni causalitate creaturæ. Tùm denique, quia sic præcitata S. Scripturæ loca erunt in sensu maximè proprio vera, & sanè hæc ratio ut minimum probat gratis & sine fundamento dici gratiam non creari, cùm oppositum & fieri potuerit, & si fieret maximè congruum foret. Sed in contra

Arguitur Primò: Gratia est accidens, & consequenter non habet subsistentiam partialem, qua possit naturaliter per se subsistere, sed exigit connaturaliter inesse subjecto taliter, ut esset miraculum, si produceretur aut conservaretur extra subjectum, ergò petit produci dependenter à subjecto. Confirmatur: Quia ideò colliguntur aliæ formæ substantiales præter animam rationalem, & accidentales absolutæ educi è potentia materiæ, & non creari, quia in fieri & conservari dependent à subjecto, & colliguntur sic dependere, quia naturaliter non producuntur, nec conservantur extra subjectum, & esset miraculum, si sic producerentur, aut conservarentur, ergò cùm gratia non producatur aut conservetur extra subjectum, & esset miraculum, quòd aliter produceretur aut conservaretur, benè colligitur, quòd dependeat à subjecto in esse & conservari, & cõsequenter quòd educatur de potentia subjecti. Respond. neg. consequ: Quia sicut ex formis substantialibus quædam educuntur, quædam non educuntur de potentia materiæ, ita dicendum etiam de formis accidentalibus, licèt subjectis suis adhæreant. Ad Confirm. Respond. neg. anteced:

pro

pro secunda parte, non enim ideò præcisè colligitur, quòd ita dependeant, quia naturaliter non possunt produci aut conservari, nisi in subjecto, sed ex hoc, & quia ulterius possunt dependere à subjecto, & nulla est ratio, congruentia, aut authoritas, ob quam censendæ sint non dependere. Undè sequitur, quòd quamvis gratia non producatur, aut conservetur naturaliter nisi in subjecto, posseteque produci dependenter à subjecto, tamen si etiam potest produci independenter à subjecto, & est congruentia, vel authoritas, ob quam dicatur produci, ita dicendum est. Ratio autem, cur producatur & conservetur in subjecto, est, quia, cùm non habeat operationes particulares, quas posset extra subjectum exercere, frustrà extra subjectum produceretur aut conservaretur. Deindè ex communi ratione accidentis ut sic postulat inesse subjecto sive per inhærentiam, sive per adhærentiam.

Arguitur Secundò: Anima dicit inclinationem naturalem ad gratiam, ergò educitur de ejus potentiâ. Respond. neg: conseq: Quia etiam ad animam rationalem datur potentia naturalis in corpore, & tamen non educitur de potentia ejus.

DISPUTATIO TERTIA.

DE Dispositionis requisitis ex parte justificandi.

PLura sunt, quæ ex parte justificandi requiruntur, ut gratia justificans sibi infundatur, quæ omnia nomine dispositionum seu formarum, quæ ad gratiæ receptionem vel conservationem conferunt, comprehendo, quæ habent, ut subjectum moraliter, vel physicè præparent, & adaptent, non tantùm per accidens vel vi causarum præeant, aut gratiam comitentur. Sit igitur

QUÆSTIO PRIMA.

An & quæ dispositio requiratur ad gratiam?

I. Dispositiones aliæ sunt physicæ, aliæ morales.

ANte Resolutionem Notandum: Dispositiones in duplici esse differentia, aliquæ enim sunt *physicæ*, aliæ *morales*. *Dispositiones physicæ* præparant & aptant subjectum ad aliquam formam, quæ non vi malitiæ suæ vel bonitatis moralis, sed propriæ entitatis subjectum reddunt capacius vel aptius ad recipiendam formam. *Dispositiones morales* verò sic subjectum disponunt & adaptant sola vi suæ bonitatis vel malitiæ moralis, dignitatis vel indignitatis moralis, si quæ autem forma in præsenti materia alterutro modo disponat, spectat reductivè ad causam materialem, quando hanc afficiunt, & recipiendæ gratiæ accommodant.

II. Gratiæ subjectum est voluntas.

Notandum Secundò: Subjectum immediatum gratiæ recipiendæ esse voluntatem, mediatum verò esse animam, prout docet Doctor subtilis, nam gratia perficit animam in ordine ad determinatum actum scili-

scilicet meritorium, anima autem ex se est indeterminata ad hunc actum, sed debet determinari per potentiam, quæ debet elicere actum meritorium, & hæc est voluntas, adeoque in illa debet subjectari gratia, quoniam & in ipsa subjectatur gloria, ad quam gratia disponit, sicut ab opposito in voluntate est peccatum, quod gratia expellit tanquam in eodem subjecto incompossibilis.

III. Fidem solâ, & quam disponere ad gratiam juxta Sectarios.

Notandum Tertiò: Modernos Sectarios contendere ad justificationis gratiam obtinendam conservandamque nihil ex parte hominis requiri præter fidem, quæ tamen ipsa secundùm eosdem, & præcipuè Calvinum lib. 3. Institutionum c. 12. & 13. non dispositionis vim habet, sed tantùm vicem organi oblati à DEO Patre Christi justitiam, quâ una justificamur ad nos pertrahentis ad eum modum, quo manûs apprehensam, vel ollâ in se contentam pecuniam, quâ ditamur, nobis approximat & apportat: undè Calvinus suprà c. 11. *Fides*, inquit, *etsi nullius per se dignitatis sit, aut pretii, justificat nos Christum afferendo, sicut olla pecuniis referta homines locupletat.*

Porrò non cuivis fidei, sed certæ cuidam hanc vim tribuunt, triplicem enim fidem statuunt: unam *historicam*, quâ credimus, quæ in S. Scriptura reperiuntur, vera esse, de quâ intelligitur illud ad Hebræ. 11. *Fide credimus aptata esse sæcula. Altera miraculorum*, quâ fiunt miracula, seu quâ credimus DEUM omnia posse, de quâ 1. Corinth. 13. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem DEI non habuero. Tertiam promissionum*, quæ duplex est, una *generalis*, quâ credimus, veras esse promissiones divinas de danda ob Christi merita remissione peccatorum vitâ æternâ, &c. omnibus generaliter, qui in Christum credunt; altera *specialis*, quâ unusquisque in particulari generalem illam promissionem sibi applicat, credendo certoque statuendo omnia peccata propter Christum esse remissa sibi, & hanc specialem DEI misericordiæ nixam, quam nunc fiduciam, nunc fidem appellant, solam esse dicunt, quæ ad justificationem perducit. Limitat tamen Lutherus Tom. 1. propositione 3. modò nullum habeat bonum opus annexum: *Si enim*, ait, *fides nisi sit sine ullis etiam minimis operibus, non justificat, imò non est fides.* Quanquam ad caput 15. Genes. sibi contradicens dicat: *Scimus quòd fides nunquam est sola, & adfert secum charitatem, & alia multiplicia dona*, sed non ideò confundendæ res, & quod solius fidei est aliis tribuendum; in quam sententiam abiit Calvinus in Antidoto Trident. ad Can. 11. Sess. 6. Melanchthon, Brentius, Kemnicius, asserentes, solam fidem seu fiduciam justificare, opera tamen vel actus aliarum virtutum requiri ut signa vivæ fidei, non ut aliqua per se conferentia ad justificationem. Addunt hujusmodi fidem justificantem solis dari prædestinatis, & semel adeptam nunquam deinceps amitti posse, sed inter gravissimos etiam lapsus aliquam ejus vivam & veram particulam perseverare.

Dico Primò: *Ad gratiam recipiendam in voluntate nulla requiritur dispositio physica.* Hæc est communis, & Probatur: Non requiritur dispositio physica, nisi ut expellat dispositiones conservantes formam oppositam formæ introducendæ, vel ut ex subjecto ad eam producendam, vel recipiendam physicam activitatem vel capacitatem, sed peccatum, quod est unica forma opposita gratiæ, non habet ullas dispositiones sui physicè conservativas, & voluntas, quæ est subjectum gratiæ, non debet habere ullam activitatem physicam & immediatam respectu gratiæ efficienter producendæ, vel conservandæ, & seipsâ est tàm ipsius recipiendæ proximè capax, quàm illius præeuntis dispositionis, quæ si statuatur supernaturalis, ut statuunt Thomistæ, nulla est ratio, quare quemadmodum anima est illius seipsa capax sine interventu alterius dispositionis, non esset quoq; IV. Dispositio physica non requiritur ad recipiendam gratiam sanctificantem.

capax

capax ipsius gratiæ; quòd à fortiori procedit, si statuatur ipsa dispositio esse naturalis, cùm nulla forma naturalis sit proportionata gratiæ, quàm ipsa anima & voluntas. Undè rejicitur ille tùm ornatus, quem adstruunt produci per Sacramenta non producentia characterem, tùm vis physicè dispositiva, quam respectu gratiæ ponunt in ipso charactere. Sed in contra

Arguitur: Lumen gloriæ requiritur tanquam dispositio physica ad visionem beatificam, ergò & ad gratiam aliqua. Respond. neg: antec: cum communi Scotistarum contra Thomistas, non enim requiritur, ut disponat vel aptet animam ad recipiendam visionem, quod solùm est propriè loquendo disponere ad illam, sed tantùm ut effectivè producat ipsam visionem cum intellectu, quoniam sine illo cùm solo concursu extrinseco DEI illam producere posset, quidquid sine multa apparentia veritatis Adversarii reclament. Respond. Secundò, negando consequ: quia lumen saltem complet intellectum in ratione principii productivi visionem, at nulla dispositio complet, animam vel voluntatem ad producendam gratiam, velut à solo DEO producibilem.

V. Dispositio moralis in adulto requiritur.

Dico Secundò: *In adulto necessaria est de lege positiva dispositio moralis liberè ab ipso producta, & ex auxilio gratiæ profecta: nulla in parvulis aut perpetuò amentibus, aut etiam in aliis de potentia absoluta.* Hæc est contra Lutheranos & Calvinistas, qui tollunt necessitatem liberæ dispositionis & contra Pelagianos, qui profectam negant ex auxilio gratiæ. Probatur prima pars, & imprimis quòd requiratur, & quidem quæ sit operatio justificandi & libera ex S. Scriptura, in qua nunc admonemur, nunc præcipitur nostros actus proprios præparare & disponere, ut peccatorum veniam & DEI gratiam consequamur.

Probatur Secundò ex Patribus: Augustino serm. 15. de verbis Apostoli: *Qui creavit te sine te, non salvabit te sine te.* Et lib. 50. homiliarum hom. 16. *In tuo arbitrio DEUS posuit, cui pares locum DEO, an diabolo?* D. Hieron. in illud ad Ephes. 1. *Vult DEUS salvare omnes, & in agnitionem veritatis venire, sed quia nullus absque propria voluntate salvatur* (liberi enim arbitrii sumus) *vult nos bonum velle, ut cùm voluerimus, velit in nobis ipse suum complere consilium.* Chrysostomus 2. 9. in Job. *Nullum servorum DEUS vult invitum, nullum coactum, sed eos tantum, qui eum spontè sua optant.* Tùm ex Trident. Sess. 6. c. 5. & Can. 4. ubi definitur, hominem ad justificationem disponi sic liberè *assentiendò & cooperando vocanti & adjuvanti gratiæ DEI, ut possit dissentire, si velit.*

Probatur etiam Tertiò Ratione: Tùm à priori, quia valdè congruum fuit, ut gratia sanctificans, quâ quis ex inimico DEI amicus & filius constituitur, non conferatur ulli rationis compoti, nisi eam volenti, peccatorum, si quæ commisit pœnitenti, ac aliquomodo parato, non amplius DEUM graviter offendere. Tùm à posteriori, quia aliàs, ut ait Scotus 4. d. 14. q. 2. n. 14. difficulter posset ostendi, quòd DEUS non esset acceptator personarum, aliàs præ aliis absque ullo ipsorum merito & cooperatione justificans, nec verum esset, quòd velit omnes salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, nisi in sensu valdè accommodo & restricto. Deindè, quod ea ipsa dispositio debeat esse ex auxilio gratiæ profecta, patet ex omnibus, per quæ probatur auxilium gratiæ universaliter requiri ad quodlibet opus conducens ad vitam æternam. & definitur in Trident. Sess. 6. Can. 3. *Si quis dixerit sine prævenientè Spiritus Sancti inspiratione atque ejus auxilio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; anathema sit.* Et Sess. 14. de Sacram. pœnitentiæ c. 4. ubi definitur, attritionem, quæ disponit ad gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam esse

esse DEI donum & Spiritûs Sancti impulsum.

Secunda pars patet: Quia tales consequuntur gratiam in Sacramento Baptismi, & vi Baptismi, ut constat ex antiquissima praxi Ecclesiæ eos baptizantis, & quoad parvulos, de quibus & de adultis eadem est ratio. Definitur Sess. 5. à Tridentino §. 3. & tamen pro illo statu nequeunt naturaliter habere ullum actum moraliter honestum, vel liberum, & sanè si vel supernaturaliter haberent, jam constat oppositum, non essent rationis impotes.

Tertia pars patet: Quia nulla est repugnantia in hoc, quòd DEUS adulto peccatori sine ullo prævio actu & dispositione gratiam infundat, ut patet ex Disputatione præcedenti.

Arguitur Primò: Si necessarium sit auxilium gratiæ, ut homo se disponat ad gratiam sanctificantem, sequitur, quòd si illud absit, impossibile erit homini se disponere ad justificationem, si adsit, necessariò, adeoque non liberè se disponet. Respond. sequelam pro prima parte non esse absurdam, nam licèt de facto communiter adultis possibile sit proximè vel remotè se disponere ad gratiam, eò quòd DEUS communiter illis suppeditet suæ gratiæ auxilia, quorum prioribus si cooperantur, ulteriora adjicit, tamen si quæ hujusmodi auxilia penitus denegaret, non esset absurdum, imò esset necessarium, quòd non posset se disponere ad justificationem. Pro Secunda verò parte negatur sequela, quia ut definit Trident. Sess. 6. cap. 5. & can. 4. *Potest homo, si velit, gratiæ dissentiri.*

Arguitur Secundò contra secundam partem: Scotus 4. d. 14. q. 2. asserit, quòd possit peccator ex naturalibus cum communi influentia elicere attritionem de suis peccatis, quæ sit dispositio sufficiens ad gratiam concedendam, ergò secundùm Scotum, non oportet, quòd dispositio necessaria ad gratiam procedat ex auxilio gratiæ, quia si ulla deberet esse ex gratia, maximè pœnitentia de peccatis. Respond. neg: conseq: Quia Scotus ibi tantùm vult, quod possit quis sine præexistente habitu gratiæ sanctificantis, elicere actum contritionis ex suâ naturali virtute cum communi influxu, hoc est, adjutus cooperatione extrinseca, seu concursu indebitò DEI, qualem ordinariò & communiter præstat peccatoribus, & hunc esse sensum Scoti, ex textu ipsô patere posset Adversariis, qui ipsi ob hunc locum Pelagianismi notam inurunt, si eum attentè & sine passione legissent. Undè juxta hoc distingui posset antecedens: ex naturalibus cum communi influxu, prout hæc excludunt gratiam habitualem, conc: prout excludunt gratiam actualem, seu auxilia gratiæ tàm determinantia moraliter ad operandum, quàm supplentia defectum gratiæ, neg: hæc enim sæpius asserit Scotus ad opera meritoria requiri.

Dico Tertiò: *Dispositio necessaria ad gratiam justificantem est fides actualis, non tamen sola.* Hanc docet Trident. Sess. 6. c. 6. & 9. contra Calvinistas, cæterosque modernos Sectarios. Probatur prima pars Conclus. nempè fidem actualem esse dispositionem necessariam, quia ad hoc nihil requiritur, quàm quòd sit necessaria ad justificationem, sit per se honesta, DEO placita, & aliquomodo impetratoria & meritoria justificationis, (neque enim in alio sensu Catholici eam appellant dispositionem) sed est necessaria ad justificationem adulti, de quo tantùm est sermo, ut ipsi fatentur, & patet ex illo ad Hebræ. 11. *Sine fide impossibile est placere DEO, credere enim oportet accedentem ad eum, quia est, & requirentibus se remunerator sit.* Et Joann. 1. *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios DEI fieri, his, qui credunt in nomine ejus.* Est per se honesta, quia actus virtutis est DEO placitus, quia aliàs eam non præcepisset, non daret illam potius, quàm aliud quidpiam v. g. albedinem habenti-

VI. Fides est dispositio necessaria ad gratiam sanctificantem.

bentibus, potestatem filios DEI fieri: falsum esset illud ad Rom. 3. *Credenti in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam*, si non extenderetur in eum fides, etiam centurionis aut Chananææ; nam Judæis interrogantibus Joann. 6. *Quid faciemus ut operemur DEI opera? Respondit eis: Hoc est opus DEI, ut credamus, quem misit.* Est etiam impetratoria & aliquomodo meritoria gratiæ, quia aliàs non dixisset Christus Luc. 7. Mulieri, cujus jam peccata remisit: *Fides tua te salvam fecit.* Nec verum esset assertum Apostoli ad Rom. 3. *Arbitrari hominem per fidem justificari.* ad Ephes. 2. *Salvi facti estis per fidem.* Falsæ etiam essent sententiæ Augustini de prædestinatione Sanct. c. 7. *Fides primò datur, qua cætera impetrantur.* & lib. de Spiritu & litt. c. 30. *Per legem cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ, per gratiam sanitas animæ.*

VII. Fides sola non est dispositio ad gratiam.

Probatur secunda pars: Quia licèt Sacra Scriptura tribuat fidei, quòd justificet, scilicet dispositivè, sed nunquam quòd sola, ergò Adversarii, præsertim cùm contendant nihil esse in rebus fidei astruendum, quòd non contineatur in S. Scriptura, temerè asserunt, quòd sola justificet. Lutherus ut consequenter erraret in 3. cap. Epist. ad Rom. inseruit ly *sola*, ut suppositam interrogantibus, cur id fecerit, daret rationem: *Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.*

Secundò: Quia à S. Scripturâ positivè asseritur, quòd non sola justificet, seu ad justificationem sufficiat, Jacob. 1. *Quid proderit, fratres mei, si fidem dicat quis se habere, opera autem non habeat? nunquid poterit fides salvare ipsum?* Et infra: *Fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa.* Et paulò pòst: *Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm*; ad Corinth. 13. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.*

Tertiò: Si sola sufficeret ad obtinendam, ergò sola quoque sufficiet ad conservandam justitiam, quod ipsi ultrò fatentur, sed non sufficit ad conservandam, aliàs observantia mandatorum non esset necessaria ad salutem, contra Scripturam, Matth. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, & per consequens soli Infideles damnarentur contra eandem Scripturam, in qua Matth. 25. inter damnandos censentur, qui opera misericordiæ non fecerunt: item Virgines fatuæ ob olei, id est, misericordiæ vel charitatis, non fidei, defectum, & servus piger ob non benè collocata talenta credita: Dives Epulo, Luc. 16. ob luxum & immisericordiam, Matth. 24. Judas ob traditum Christum. Deindè inutilis esset Sacramentorum receptio, aut certè non necessaria.

VIII. Fides hæreticorum specialis nihil confert ad justificationem.

Dico Quartò: *Fides illa specialis hæreticorum, quâ credunt vel confidunt, sua peccata esse sibi remissa, nihil confert ad justificationem, imò nec fides est, sed sordida præsumptio.* Probatur Primò pars prima; quia sola illa fides confert ad justificationem, quam exegit Christus à justificandis, quam Sacra Scriptura commendat, quam Apostoli & SS. Patres prædicârunt, sed hæc non est ista specialis hæreticorum, ergò. Maj: ex se patet, min: probatur, quia nusquam in S. Scriptura aut alibi, quàm apud Sectarios habetur ea specialis fides à Christo ipso, Apostolis aut Patribus fuisse commendata, multò minus necessaria asserta ad justificationem: Laudat quidem Christus apud Matthæum fidem Petri, sed qua dixit: *Tu es Christus Filius DEI vivi*, Centurionis, Luc: 16. Sed quâ is credidit, quod voce testatus est: *Tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus.* item fidem Nathanaelis, sed quâ confessus est, ipsum esse Filium DEI. exigit Marci ultimo à salvandis fidem, sed quâ credant Evangelio: À Martha pro Lazari resuscitatione interpellante, Joann. 20. sed quâ credat ipsum Salvatorem, qui habeat mortis & vitæ imperium: *Ego sum resurrectio & vita &c. Credis hoc &c:* Philippus Actor. 8. ab Eunucho ba-

ptismum petente exigit, non ut credat sibi esse remissa peccata, sed Christum esse Filium DEI. S. Scriptura passim attribuit actibus fidei justificationem, sed illis tantùm, qui explicantur Joann. 1. *Dedit DEUS potestatem filios DEI fieri iis, qui credunt in nomine ejus.* & 14. *Hæc scripta sunt, ut credatis, quia JESUS est Christus Filius DEI, ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* ad Rom. 3. *Justitia DEI per fidem JESU Christi in omnes & super omnes, qui credunt in Christum.* ad Rom. 10. *Hoc est verbum fidei, quòd prædicamus, quia si confitearis in ore tuo Dominum JESUM, & in corde tuo credideris, quia DEUS eum suscitavit à mortuis, salvus eris.* Nullibi autem attribuitur fidei, aut suasioni, qua quis credit, se justificatum, vis justificandi, quin imò Lucæ 18. Publicanus de sua iniquitate metuens dicitur justificatus præ Pharisæo suam justitiam credente.

Probatur Secundò: Fides divina conducens ad justificationem haberi potest sine speciali revelatione, sed nullus sine speciali revelatione potest habere hujusmodi fidem, seu credere, se esse aut fore justum, consecutum aut etiam consecuturum peccatorum remissionem, quia nec hoc habetur ex communiter revelatis extra vel intra S. Scripturam, nec ex illis inferri potest, nisi detur aliquid aliud, quod independenter à tali inferat, seu causet justificationem: quod si admittatur tale aliquid dari, illa fides nunquam deserviret ad justificationem, quia semper hanc præsupponet.

Probatur Tertiò: Quia vel DEUS revelavit requiri ad justificationem, quòd quis divinâ nixus misericordiâ, credat se esse justificatum vel non. Si secundum, ergò gratis dicitur requiri ejusmodi fides. Si primum, ergò nullus destitutus eâ fide est justus, adeoque nec ullus, qui pro suis peccatis remittendis DEUM orat.

Probatur Quartò: Nulla persuasio est fides divina, nisi quæ ob testimonium DEI elicitur, sed repugnat, quòd illa persuasio, quam Hæretici contendunt esse fidem justificantem, quâ scilicet credit quis, remitti sua peccata independenter ab illo ipso actu non remissa, eliciatur ob testimonium DEI, etiamsi gratis admitteretur DEUM promisisse remissionem peccatorum & gratiam cuilibet id petenti, probatur min: quia necesse est, ut illa persuasio prius naturâ existat, quàm intelligatur revelâsse ejus objectum, cùm non testetur peccata remitti, nisi ex suppositione talis actûs eliciti, repugnat autem produci ullum assensum ob testimonium necessariò posterius notum, quàm sit ipse assensus productus.

Probatur secunda pars simul cum prima: Nulla fides vel fiducia requiritur vel conducit ad obtinendam justificationem, quam S. Scriptura dissuadet, sed illam, quâ quis sibi certò persuadet, se esse aut fore justificatum, dissuadet Eccles. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu.* Eccles. 9. *Nescit homo utrum odio an amore dignus sit, & omnia in futurum servantur incerta.* 1. Corinth. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum, qui autem judicat me, Dominus est.* Item ubicunque laudat & refert orationes justorum pro suis peccatis deprecantium veniam, nam hæ planè illicitæ essent, quia incredulitatis indices, si ad justificationem requireretur ex divina institutione fides obtentæ aut etiam absolutè obtinendæ justificationis.

Probatur tertia pars: Quia omnis persuasio, quâ quis credit, vel confidit se consecutum, aut etiam consecuturum aliquod à DEO beneficium, præsertim ad salutem, non suppositis conditionibus per apertam DEI legem ex suâ parte requisitis, est ingens præsumptio, & quæ nequeat cadere, nisi in stupidè ignarum, sed ista persuasio est talis, cùm apertè S. Scriptura, ut ex suprà dictis patet, exigat ex parte justificandi aliam, quàm talem persuasionem, sive fides sive fiducia vocetur.

IX. Spei est quoq; cum fide dispositio ad justificationem.

Dico Quintò: *Præter actum fidei circa ea, quæ credenda sunt necessitate medii, requiritur tanquam dispositio regulariter spes veniæ, & vitæ animæ.* Prima pars probatur: Quia si ulla fides necessaria sit actualis ad obtinendam justificationem, maximè fides illorum, quæ necessaria sunt necessitate medii, aliàs illorum fides contra suppositum non esset medium necessarium, quare una est ad justificationem fides actualis DEI unius Remuneratoris, hoc est, Entis increati, omnipotentis, summè perfecti, à quo omnia pendent, & perfecta sunt. Item juxta communiorem præsertim SS. Patrum fides explicita Christi Redemptoris & Sanctissimæ Trinitatis. Item communiter juxta omnes regulariter nisi in casibus raris seu extraordinariis fides, quâ DEUS credatur, præstare pœnitentibus peccatorum veniam, & si perseverent vitam æternam.

Dubitari autem posset, an non sufficeret, horum objectorum fidem actualem explicitam, necdum per hæresim vel infidelitatem revocatam præcessisse? an verò opus sit, dum ultima dispositio ad gratiam v. g. contritio elicitur, ut actualiter illa credantur? & si sic, an satis sit, quòd confuso, indistincto, seu quodam implicito & virtuali assensu credantur. Ad quod Respond. Primò: Indubiè requiri actualem & præsentem fidem eorum, quorum cognitionem ex naturâ rei præexigunt cœteri actus necessarii ad impetrandam justificationis gratiam; undè cùm nequeat quis amare DEUM, aut ejus intuitu odisse peccata, vel eorum veniam sperare, nisi actu saltem confuso cognoscat, quòd DEUS sit dignus amore, peccata detestetur, eaque pœnitentibus remittere soleat, necessaria est præsens fides actualis saltem confusa hujusmodi veritatum: nam quòd olim præcesserat earum fides, nisi etiam jam existat, nihil confert ad hoc, ut in præsentiarum prædicti actus producantur; non videntur tamen requiri assensus formales & expliciti singulorum, aut ullius ex illis, sed sufficere videntur virtuales, hoc est, complexæ earundem veritatum apprehensiones, proximè determinativæ ad assensus formales circa eosdem, ut dicitur in Tract. de fide: Tùm ob rationes illic propositas: Tùm, Quia aliàs vix unquam posset peccator in instanti, vel etiam momento justificationis gratiam obtinere, cujus oppositum communiter tenetur.

Probatur secunda pars: Tùm ex eo, quòd S. Scriptura tribuat etiam spei tanquam dispositioni nostram justificationem; Psal. 90. *Quoniam in me speravit, liberabo eum.* ad Rom. 8. *Spe salvi facti sunt.* 1. Joann. 3: *Qui habet hanc spem* (scilicet visurum se DEUM) *sanctificat se.* Tùm ex eo, quòd homo in se reflexus nequeat nisi spe magni prœmii allectus, omnium eorum, quæ à DEI servitio avertunt, amorem exuere, dolere de offensa, quam non sperat suo dolore condonandam. Undè Ambrosius lib. 1. de Pœnit. c. 1. *Nemo potest benè agere pœnitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam.* Et Chrysost. de lege, fide, & Spiritu Sancto: *Necessarium est, ut præcedat vitam nostram spes in Christum, quæ postea pascenda est bonis operibus.* Dixi *ordinariè*, quia adultus extraordinariis gratiæ auxiliis, quæ stante etiam lege posita non repugnant, suppeditari, videtur posse ignarus & expers gratiæ & gloriæ obtinendæ DEUM super omnia amare; & per consequens justificationem obtinere.

X. Dilectio DEI est optima dispositio ad gratiam.

Dico Ultimò: *Ut justificatio fiat extra Sacramentum & Martyrium, necessaria est dilectio DEI super omnia.* Patet hoc Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ad Galat. 5 *Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur.* Item: *Qui amat Patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus.* 1. Corinth. 13. cœtera dicuntur sine charitate nihil prodesse, prodessent autem plurimum, si gratiam ipsamque charitatem habitualem

impetrarent. Item ex Trident. Sess. 14. c. 4. ubi dicit, contritionem charitate perfectam & includentem votum suscipiendi Sacramentum baptismatis, aut pœnitentiæ perfectè reconciliare cum DEO, non verò attritionem, nisi cum reali susceptione Sacramenti, ex quo patet, cur in conclusione dixerim, extra Sacramentum: excepi etiam casum martyrii, non quod per hoc putem peccatorem morali peccato præsertim personali mortuum sine actu perfectæ dilectionis justificationem obtinere. Nec enim hujus rei video efficax fundamentum, quamvis à multis asseratur. Sed quia id examinare per se spectat ad materiam de baptismo, nihil amplius de eo hic dico.

Porrò inter dispositiones ad justificationem præter hactenus enumeratas Tridentinum suprà recenset timorem divinæ justitiæ, non quòd formalis timor unquam per se necessarius sit, sed quòd ordinariè ab eo inchoëtur. Tridentinum recenset dolorem seu actum pœnitentiæ de peccatis personalibus, & propositum servandi mandata, ac suscipiendi Sacramentum per se remissivum peccati, nempè respectivè baptismum vel pœnitentiam, sed quia in materia de pœnitentia fusè disputavi, eos hic prætereo, solùm advertens ipsum etiam dolorem perfectum, qui contritio dicitur, esse formalem DEI dilectionem.

QUÆSTIO SECUNDA.

An ultima dispositio ad gratiam producatur ab eadem gratia, ad quam disponit?

NOmine ultimæ Dispositionis hic intelligitur, quæ in quocunque sit de facto, & infallibiliter infert seu importat gratiam justificationis, qualis est actus perfectæ contritionis, DEIque super omnia dilectionis.

1. Dilectio physicè ab ... Dico: *Nec dilectio, nec contritio, quæ ultimò disponunt ad gratiam justificantem: ab ipsamet physicè procedunt.* Est Doctoris 4. d. 14. q. 2. D. Bonaventuræ, Durandi, & aliorum, quos citat & sequitur Suarez lib. 8. de gratia cap. 12. contra Thomistas communiter, non tamen, ut existimo, contra D. Thomam, nam conclusionem expressè tenet 1. parte q. 62. a. 2. ad. 3. & licèt quæst. 113. a. 8. videatur dicere oppositum, reipsa non vult, nec probat aliud, quàm auxilia gratiæ esse priora actibus ad justificationem disponentibus eosq; efficere. Probatur conclusio: Quia licèt res aliqua causare posset physicè causam sui finalem, vel meritoriam, eò, quòd hæ ut causent, non debeant realiter exercere, ut deambulatio sanitatem, & merces anticipata operam, cujus intuitu datur, tamen implicat, ut res ulla causet physicè aliam, cujus physica existentia est causa vel conditio prærequisita ad proprium ipsius esse, aliàs enim ab illius reali existentia dependeret & non dependeret; dependeret, quia eam prærequireret ut causam, vel conditionem ad suum esse; non dependeret, quia haberet totum suum esse independenter ab omni sua propria causalitate, & per consequens ab omni effectu, & termino talis causalitatis, atqui physica existentia ultimæ dispositionis ad gratiam est causa vel conditio prærequisita ad gratiæ infusionem, ut patet ex his verbis Tridentini Sess. 6. c. 6. *Hanc dispositionem justificatio ipsa consequitur.* Tùm, Quia verum est dicere ideò Petro, v. g. dari jam gratiam, quia habet realiter & à parte rei contritionem: non econtrà, ideò habere contritionem, quia accipit gratiam, ut patet ex illo Luc. 7. *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

procedit gratia, ad quam disponit.

Probatur Secundò: DEUS promittit homini gratiam sanctificantem, si eliciat actum contritionis, ut patet ex illo Zachariæ 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Et Joann. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo.* Sed si homo non posset independenter ab habita illa sua gra-

tia DEUM diligere, aut de peccatis conteri, illa promissio esset absurda, quia dependens à conditione, quæ poni nequit, nisi ipsa promissione jam adimpletâ. Undè similis esset huic, sine dubio absurdè & ridiculè factæ secum, si videris, dabo tibi potentiam visivam, quâ videas, vel huic, fac te claudum, si ambulaveris, dabo tibi vim motivam, quâ ambules, ergò potest utrumque independenter ponere, & de facto per consequens sic ponit, adeoque neuter ille actus per illam gratiam causatur.

Probatur Tertiò: Si gratia sanctificans physicè influeret in actus, qui ad ipsam disponunt, esset illis prior naturâ, quemadmodum est omnis causa suo effectu, sed non est prior. Probatur min: Quia aliàs verum esset, adultum prius esse justificatum, quàm dispositum ad justificationem, nam gratia debet in ipso esse, & per consequens ipsum justificare pro illo priori, pro quo ipsa antecedit dispositionem ab ipsa comproducendam. Hæc conclusio confirmari potest per ea omnia, quibus in physica probatur mutuam causalitatem realem repugnare.

II. Gratia justificans secundùm gradum genericum non potest præcedere [illegible] ipsam.

Dices cum Thomistis: Quòd gratia secundùm gradum genericum prior sit & causet dispositionem, secundùm gradum specificum sit posterior & subjectum justificet. Sed Contra Primò: Vel gratia secundùm illum gradum genericum, secundùm quem præcedit & causat dispositionem, est gratia, vel non? si est? ergò pro illo priori justificat. Si non? ergò gratia formaliter non præcedit, aut causat, sed gradus quidam communis in gratia contentus. Ex quo ulterius sequitur, quòd cœtera præter gratiam, in quibus similis gradus reperiri debet, præcedere possent dispositiones prædictas, quod est contra Adversarios & falsum, cùm actus dilectionis nequeat produci à fide vel spe, licèt charitas cum his conveniat in gradu generico. Contra Secundò: Quia absurdum est dicere, quòd graduum realiter & secundùm ipsos Adversarios indistinctorum formaliter unus altero prius existat, aut realiter causare posset, vel quoque præstare, quòd alter nequeat.

Dices Secundò cum iisdem: Dispositionem esse priorem gratiâ in genere causæ materialis, quia dicitur prius esse in subjecto, quàm gratia recipiatur, gratiam verò in genere causæ efficientis esse priorem, non quidem in subjecto, quia hoc implicaret, sed secundùm suam essentiam & potentias, hoc est virtutes infusas, per quas ipsam dispositionem efficienter producit. Contra: Quia non potest gratia vel ulla ejus potentia nisi mediatè, vel immediatè unita voluntati cum ea coëfficere aliter, quàm per modum objecti actum dilectionis, aut alium vitalem, aliàs frustra & superfluè unquam uniretur, præsertim cùm secundùm etiam Adversarios non dependeat ab ullo influxu subjecti. Præterea virtutes infusæ vel involvunt ipsam gratiam, vel præsupponunt.

III. Dilectione amicitiæ quomodo diligatur DEUS.

Arguitur Primò: Nisi gratia justificans præcedat naturâ dispositionem ultimam, sequetur, quòd prius homo diligat DEUM amore charitatis & amicitiæ, quàm ab ipso diligatur, adeoque falsum esse illud Joann. 4. *Non quasi nos dilexerimus, sed quoniam ipse prior dilexit nos*, ergò. Probatur sequela: quia ante gratiæ sanctificantis infusionem DEUS non diligit hominem; aliàs ante ipsam infusam ipsum justificaret. Respond. distin: sequel: quàm à DEO diligatur dilectione amicitiæ; seu tali, quali prosequitur justos, conc: nec hoc est absurdum, sed necessarium, quàm diligatur dilectione prædestinante ipsum ad gloriam, aut conferente hîc & nunc efficacia media pœnitendi, de qua alterutra dilectione intelligendus est præcitatus locus, neg: sequelam. Addo: Si argumentum valeret, probaret contra Adversarios gratiam prius recipi in anima, quàm dispositionem produci, nam non diligit, nec justificat

DEUS, nisi propter gratiam jam habitam.

Arguitur Secundò: Voluntas nisi elevetur per habitum gratiæ & virtutem infusam, non est proportionata ad producendum actum supernaturalem, qualis est dispositio ad ipsam, ergò proportinatur per ipsam gratiam, ejusque potentias, hoc est, virtutes infusas, & per consequens gratia vel his mediantibus, vel immediatè seipsâ comproducit illam dispositionem. Respond. neg. antec: sufficienter enim proportionatur supplente DEO per suum concursum indebitum & supernaturalem efficientiam gratiæ & virtutem, quam nullo modo Adversarii negant per eum suppleri posse.

QUÆSTIO TERTIA.

An & per quæ gratia justificationis adepta possit amitti, conservari & augeri?

CAlvinus negat gratiam justificationis adeptam unquam posse amplius amitti. Petrus Martyr & Kemnitius contendunt, gratiam habitualem ad tempus posse amitti & non pro semper. Verùm cum Catholica fide

1\. Gratia justificatio per solum & omne peccatum mortale amittitur.

Dico Primò: *Accepta justificationis gratia potest amitti, & de facto amittitur per solum & quodvis peccatum mortale.* Hæc est definita in Concilio Tridentino Sess. 6. can. 22. *Si quis hominem semel justificatum dixerit, amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, anathema sit.* Et patet Primò: Quia Angeli & primi Parentes à gratia sanctificante, in quâ conditi sunt, exciderant, & Angeli quidem irrecuperabiliter. Reprobatus censetur Saul 1. Reg. 15. & 16. ab initio sic justus, ut de eo dicatur cap. 9. quòd *non erat vir de filiis Israël melior illo.* Lapsus David, postquam de eo dixit DEUS: *Inveni virum secundùm cor meum.* Certus est lapsus, sed dubia secundùm Augustinum salus Salomonis, de quo 2. Reg. 12. *Dominus dilexit eum, misitq; in manu Nathan Prophetæ, & vocavit nomen ejus amabilis, eò, quòd Dominus diligeret eum.* Petrus ad Sacram Cœnam mundus, negando Christum mortaliter offendit, teste Augustino in cap 66. in Joann. damnatus Judas, licèt in probabiliori sententia prius justus, ut colligitur illo Joann. 17. *Pater, quos dedidisti mihi, custodivi eos, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis.* Patet Secundò Ezechielis 18. *Cùm averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in eâ.* Matth. 21. *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum, qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Tùm multi baptizatorum in infantia dein moriuntur magni peccatores: Tùm si semel justus nequeat deinceps à gratia excidere, hoc oritur ex eo, quòd DEUS non sinat, ut deinceps peccet mortaliter, sed hoc falsum est, etiam secundùm Adversarios, qui asserunt, omnia opera justorum esse peccata mortalia.: Tùm, ideò non potest amitti justitia, quia non potest amitti fides, quæ juxta Adversarios vel justitia nostra est, vel est, quâ unicè applicatur nobis justitia Christi, quâ formaliter justificamur, sed potest fides amitti, ut patet ex dictis, & ex eo, quod Christus ait Luc. 8. *Quosdam esse, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Et præterea falsum est, fidem esse, quâ formaliter justificamur.

Opponitur ad Rom. 8. *Certus sum, quod neque mors, neque vita poterit nos separare à Charitate DEI,* ergò gratia & charitas nequit amitti. Respond. Per charitatem DEI ibi intelligi eam, non quâ nos DEUM, sed quâ DEUS nos diligit, quam certum est nunquam à nobis, quamdiu in ejus gratia perseveraverimus separandam. Quod si intelligatur de charitate, quâ nos DEUM diligimus. Respond. Secundò cum Augustino sensum esse, quòd Apostolus sit certus, prædestinatos omnes, in quorum persona loquitur, finaliter dis-

cessu-

cessuros in charitate, vel, ut alii volunt, quòd certus sit, hoc est, persuasum habeat, seu confidat (sic enim verbum in græco correspondendo significat) se nunquam casurum à DEI gratia.

Probatur secunda pars ex Jacobi 1. ubi dicitur: *Stipendium peccati mors.* & 2. *Quicunque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Quantum scilicet ad effectum perdendæ divinæ gratiæ, & incurrens reatum damnationis æternæ.

Probatur tertia pars: Quia per veniale peccatum intelligitur transgressio, quâ non penitus tollitur DEI gratia vel amicitia, & per mortale ea transgressio, ob quam aufertur gratia, si præfuerat, & incurritur DEI inimicitia ac reatus pœnæ æternæ.

II. Gratia conservatur observatione mandatorum Dei.

Dico Secundò: *Gratia conservatur observatione mandatorum, non solâ fide, ut volunt Hæretici.* Hæc est definita in Trident. Can. 19. & 20. & 27. Probatur: Quia observatione mandatorum omnium non solius præcepti fidei evitatur omne peccatum mortale, quo solo & omni juxta jam dicta habitualis justitia & DEI amicitia destruitur, ergò. antec: patet: Quia nulla est ratio, cur transgressio præcepti fidei potius, quàm cujusvis alterius præcepti esset peccatum mortale deletivum justitiæ, & per consequens, cur non æquè ad conservationem gratiæ necessaria esset cujusvis ipsorum observatio. Undè Christus Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et Joann. 15. *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea.* Item: *Vos amici estis, si feceritis, quæ præcipio vobis.*

Fundamentum Hæreticorum, nempè observationem mandatorum esse impossibilem, damnatum est suprà à Trident. Can. 8. & antè in Arausicano 2 Can. ult. & patet falsum: Tùm ex S. Scriptura Matth. 11. *Jugum meum suave est.* Joann. 5. *Mandata ejus gravia non sunt.* Tùm ex Patribus Basilio oratione in illud: *Attende tibi, impium est dicere, impossibilia esse Spiritûs præcepta.* Hieron. ad cap. 5. Matth. *Sciendum est, Christum non impossibilia præcipere.* Augustin. de natura & gratia cap. 43. *Non igitur DEUS impossibilia jubet, sed jubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis.* Idem patet Ratione: Quia crudeliter imponeret DEUS homini, præsertim cujus observatio illi esset impossibilis, & revera ejusmodi præceptum nec lex esset, nec præceptum, & quâ ratione vel æquitate imponi posset homini, posset & bruto.

Arguitur Primò: Præcipit Deus homini, ut vitet omne veniale, quod præceptum est impossibile observatu sine extraordinario favore DEI, qualem soli D. Virgini concessum agnoscit Trident. Can. 23. ergò posset illi præcipere observantiam mandatorum licèt impletu impossibilem. Respond. breviter omissis aliorum responsionibus distin: consequ: sub pœna amittendæ divinæ gratiæ, & incurrendi reatûs mortis æternæ, nego. Sub pœnâ incomparabiliter mitiori, quomodo præcipit vitare omnia venialia, seu ut nullum veniale committatur; conc: conseq: modò simùl daret homini auxilium gratiæ, cum quo posset quodlibet præceptum hìc & nunc observare, quemadmodum dat ad vitandum hìc & nunc quodvis mortale.

Arguitur Secundò: *In multis offendimus omnes*, Jacobi 2. *Et si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus.* 1. Joann. 1. ergò non possumus de facto servare mandata, nam qui vel in uno offendit, fit omnium reus, juxta Jacobum. Respond. observantia excludente omne peccatum veniale; conced: omne mortale, quod etiam inducit aliquomodo reatum transgressionis exterorum præceptorum, neg: consequ:

III. Gratia justificans augetur per opera meritoria meritorialiter.

Dico Tertiò: *Gratia augetur vi meritoriâ non physicâ bonorum operum, & potest esse major vel minor, tùm in diversis, tùm in eodem pro diversis*

versis temporibus. Prima pars definita est in Trident. Sess. 6. cap. 10. & Can. 23. *Si quis dixerit justitiam acceptam non conservari, atque etiam augeri coram DEO per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodò & signa esse justificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam, anathema sit.* Secundam partem tenet communis cum Scoto in 1. d. 17. qu. 6. §. contra istam, ubi dicit: charitatem etiam quoad augmentum creari. & in 2. d. 27. §. etsi objiciatur. & in 3. d. 37. ad 4. ubi ait: ex actibus nullum acquiri habitum ejusdem speciei cum charitate. & in 4. d. 1. q. 1. Probatur, quia gratia propriè creatur, ergò non attingitur physicè à causa secunda. Confirmatur: Si augeretur vi physica ullius boni operis, aut causæ secundæ, maximè vi perfectæ dilectionis DEI, sed non vi hujus, aliàs hæc dum præcedit gratiam primam, eam physicè coëfficeret, cùm constet gradibus ejusdem rationis, cum quibus postea augetur. Tertia pars sequitur ex prima, & ex parabola Christi de semine, quod in aliis trigesimum, in aliis sexagesimum, in aliis centesimum fructum fecit, & aliàs passim ex S. Scriptura, in quâ sæpè dicitur alius alio perfectior, sanctior, justior, ut Job. 10. 1. Reg. 9. Eccles. 44. 1. Corinth. 15. *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum, & stella differt à stella claritate.* ad Ephes. 4. *Unicuique nostrum data est gratia secundùm mensuram donationis Christi.* quem locum & Ambros. & Hieronym. intelligunt de gratia sanctificante. Quarta pars ex hujus ac primæ partis probatione liquet, & insuper ex illo Eccles. 18. *Ne verearis usque ad mortem justificari.* Apocal. ult. *Qui justus est, justificetur adhuc.* Augustin. serm. 16. de verbis Apostoli: *Justificati sumus, sed ipsa justitia dum proficit, crescit.* Quod si quæratur, an quovis opere bono gratia augeatur? Respond. quod quovis propter Christum facto, quia bonis operibus justorum absque restrictione alia, quàm quòd fiant propter Christum in S. Scripturà promittitur vita æterna, quæ ad gratiæ mensuram confertur. & Tridentin. Can. 32. indefinitè asserit ejusmodi operibus hominem mereri augmentum gratiæ & gloriæ, sed de his postea Disputat. sequenti de merito.

QUÆSTIO QUARTA.

In quantum gratia justificans possit augeri?

Suppono cum Doctore subtili in 3. d. 13. q. 4. num. 2. quem sequuntur Durandus, Cajetanus, Henricus Paludanus, &c. dari statum in intensione qualitatum, & consequenter gratiæ sanctificantis, idque ut sustineat Christum summam gratiam habuisse possibilem, cujus gratia cùm non fuerit infinita, consequenter dicendum, nec gratiam, nec ullam aliquam qualitatem posse in infinitum intendi, Quia si gratia secundùm naturam suam est determinata ad certam intensionem v. g. octo, decem, aut 100. graduum, non posset ulterius per ullum incrementum intendi magis, quàm qualitatum specie diversarum, una per alteram, licèt fortè nulla esset repugnantia in eo, quòd uniretur ipsi nova pars, unione, quæ non esset propriè intensiva nec extensiva, sicut nec repugnat talis unio albedinis ad dulcedinem, quarum tamen neutra per alteram potest intendi, sed censenda est gratia, & idem de alia qualibet qualitate sic determinata. Tùm, Quia nulla in hoc est repugnantia; Tùm, Quia magis quadrat natura entis finiti: Tùm, Quia aliàs sequeretur omnem omninò gratiam (& idem de omnibus singularum qualitatum individuis) poscere, sicut sui ad invicem unionem intensivam, per quam natæ sint se invicem perficere, ita & idem numero subjectum, in quo recipiantur, quod est absurdum, nam hic quasi violenter distribuuntur in diversa subjecta, per quæ impeditur coïtio ipsarum in unam qualitatem. 1. Status datur in intensione qualitatum.

Dico

II. Gratia potest à justis intendi, quamdiu vivunt.

Dico Primò: *De facto quivis justus potest, quamdiu vivit sicut in bonis operibus, ita & in gratia proficere, nunquam tamen ad infinitum pertingit.* Prima pars est definita in Clementina. Ad nostrum. de Hæreticis contra Begardos, qui asserebant hominem pervenire posse ad tantam gratiam, in qua nequeat deinceps crescere aut peccare. Et in Trident. cap. 10. & Can. 23. Patet ex illo Psal. 83. *Ibunt de virtute in virtutem.* Proverb. 4. *Justorum semita, quasi lux splendens procedit & crescit usque ad perfectum diem.* Ad Philipp. 3. S. Paulus, qui, si ullus, post Christum & D. Virginem perfectionis apicem attigit, de se dicit: *Non quòd jam acceperim, aut perfectus sim.* Item ex SS. Patribus Hieronym. in Jovianum. Gregor. hom. 13. in Ezech. Ambrosio epist. 44. & aliis passim.

Ratio etiam est: Quia semper dum vivit homo, habet omnes conditiones requisitas ad merendum, ergò semper de novo potest mereri; & sanè absurdum esset, posse quem, dum vivit, peccare & demereri, & non posse semper mereri, quasi potentior & pronior esset DEUS ad puniendum mala, quàm prœmiandum bona.

Nec refert: Si fortè singulis antè prævisa ipsorum merita statuta sit certa mensura gloria, & per consequens gratiæ, quæ gloriæ commensuratur: hoc, inquam, non refert: quia providentia divina sic suaviter res & tempora disponit, ut cùm electus ad eam mensuram gratiæ, ex qua non amplius lapsurus est, pervenerit, è vita discedat; priusquam habeat occasionem aut opportunitatem superaddendi bona opera.

Secunda pars Probatur: Quia nullus viator tamdiu vivit, ut infinita opera meritoria exercere posset, & numero finita, quæ exercet, non habent bonitatem vel valorem intensivè infinitum, quibus proindè nonnisi finitum gratiæ incrementum rependatur.

III. Gratia non sic intenditur à justis, ut extinguat fomitem.

Dico Secundò: *Justus bonis operibus non potest in tantum augere gratiam sanctificantem, quâ extinguat fomitem, aut quâ fiat, ut evitet longo tempore sine extraordinario privilegio omnia venialia.* Probatur Primò ex Patribus: Nazianzeno in Julianum, cap. 16. dicente: *Quis adhuc in hac corruptibili carne existens has terræ bestias, id est, inordinatos carnis motus plenè edomat, cùm ille ad tertium cœlum raptus egregius Prædicator dicat, video aliam legem &c.* S. Bernardo serm. 6. in Adventu: *Sciebat* (supple Paulus) *non prius liberandum esse à pessima illa radice, quæ carni infixa est, & à lege peccati, quæ in membris nostris est, donec ab ipso corpore solveretur.*

Secundò Ratione: Quia neque meritoriè potest homo de lege ordinaria tollere fomitem, neque physicè, aliàs Paulus, qui & plus omnibus laboravit alterutro modo sustulisset, nec est assignabilis alius modus, quo ipsum tolleret. Confirmatur, quia perfectiores Sanctos acrius quàm minus perfectos carnis stimulus exercet; Nec obstat, quòd in multis Sanctis, ut D. Benedicto, D. Thomâ Aquinate aliisque legantur omninò, vel ferè extincti carnis stimuli, nam id accidit, non vi profectûs in gratiâ sanctificante, quæ procul dubio major erat in Paulo, sed ex speciali & extraordinario DEI dono, quamvis dato intuitu anterioris actûs heroici ad superandos hujusmodi stimulos exerciti.

IV. Gratia non intenditur ad cavendâ omnia venialia.

Probatur secunda pars Primò ex Eccles. 7. *Non est homo justus in terrâ, qui faciat bonum & non peccet.* Proverb. 27. *Septies in die cadit justus.* Jacob. ult. *In multis offendimus omnes.* 1. Joann. 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Secundò ex Patribus: Hilario in illud: *Sprevisti omnes discedentes à justitiis tuis, si DEUS peccatores sperneret, omnes sperneret, quia sine peccato nemo est.* Basilio homil. 58. *Utilissimus est sermo de pœnitentia hominibus, quia nemo sine peccato est.* Gregor. 21. Moral. *In hac vita*

vita multi sine crimine, nullus verò esse sine peccatis valet. Augustin. de perfectione justitiæ Respons. 17. *Legitur homo sine crimine, legitur sine querela, at non legitur sine peccato, nisi filius hominis, unus denique DEI Filius.* Et de Natura & Grat. cap. 36. ubi excipit & Beatissimam Virginem. Tertiò ex Tridentino supra cap. 11. *Licèt in hac mortali vita quantumvis sancti & justi in levia & saltem quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur peccata, quandoque cadant, non propterea desinunt esse justi. &c.* Et Can. 23. *Si quis dixerit justificatum posse in tota vita peccata omnia etiam venialia nisi ex speciali privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, vitare, anathema sit.* Ubi non negatur ejusmodi privilegium aliquando etiam Sanctis aliis conferri. Dixi in Conclus. *longo tempore*, quia brevi, ut v. g. horâ, vel etiam die, non nemo fortasse ab omni peccato per DEI gratiam se continet, undè Hieronym. lib. contra Pelagium: *Qui cautus & timidus est, potest ad tempus vitare peccata, quanquam fatendum sit etiam die integro sic abstinere ab omni prorsus peccato esse gratiam extraordinariam.*

Dices contra hanc partem: Tenetur quilibet tota vita devitare omnia & singula peccata venialia, ergò cuilibet datur gratia, per quam posset omnia & singula vitare, aliàs DEUS homini præciperet impossibile. Respond. distin: consequ: per quam posset absolutè & physicè, conc: moraliter nego.

Dices: Ergò frustrà petimus auxilium, cum quo vitemus omnia peccata, aut proponimus ea vitare. Respond. neg: conseq: Quia bonum & laudabile est conniti, quantum in nobis est, ad omnem fugam peccati, licèt enim ex nostra fragilitate non simus omnia vitaturi, eò tamen plura vitabimus, quò majorem ad hoc conatum adjuti DEI gratiâ adhibuerimus.

V. Gratia potest intendi ad delendâ omnem pœnam. Dico Tertiò: *Potest quis per bona opera in tantum augere gratiam justificantem, ut extinguat omnem pœnam suis peccatis præteritis debitam.* Hæc est communis, & Probatur: Quia plurimæ personæ, quæ vel innocentiam servârunt, vel amissam totâ reliquâ vitâ insigniter luxerunt, adeò erant in pœnitentiæ & virtutum operibus etiam supererogatoriis & heroicis frequentes & seduli, à vitiis item ac carnis voluptatibus alieni, ut incredibile sit, non omnem ejus culpam ac pœnam in hac vita esse remissam, & de multis eorum scribitur, quòd id certâ revelatione didicerint, de plurimis secuta mox ab ipsorum morte miracula, per eorum invocationem patrata, manifestum fecerunt. Fatendum tamen est, hujusmodi remissionem pœnæ non propriè fieri per gratiam sanctificantem, cùm hæc in quantavis intensione compatibilis sit cum obligatione ad pœnam temporalem, sed tantùm impropriè & remotè, in quantum opera bona & satisfactoria, quorum intuitu peccatorum pœnas remittit DEUS, quo major est gratia elicientis, eò majorem habent moralem dignitatem, & vim satisfactoriam.

QUÆSTIO QUINTA.

De certitudine nostræ justificationis, & perseverantia in ea.

I. Credere non obligamur nos esse justificatos. Quoniam Lutherus & Calvinus docent, & absolutè contendunt, quòd homo justificetur per fidem specialem, quâ certâ fide credat, & confidat sibi remissa esse peccata, per imputatam sibi Christi justitiam, consequenter inferunt, quemlibet fidelem sine nova speciali DEI revelatione, certitudine fidei divinæ, cui falsum subesse non possit, certum esse ac esse debere se esse justificatum, seu sibi esse dimissa peccata. Idem vult Calvinus lib. 3. Institut. cap. 2. § 16. sic concludens: *In summâ verè fidelis non est, nisi qui solidâ persuasione DEUM sibi propitium benevolumque Patrem esse persuasus de ejus benignitate omnia sibi pollicetur, nisi qui divinæ erga se benevolentiæ promissionibus fretus, indubita-*

dubitatam salutis expectationem præsumit. Verùm Catholica fides docet, non debere hoc credi, sed nec posse absque speciali DEI revelatione, & ita definit Tridentinum Sess. 6. Can. 13. dicens: *Si quis dixerit omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certò & absque ulla hæsitatione propriæ infirmitatis & indispositionis peccata esse remissa, anathema sit.* Et Can. 16. *Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certò habiturum absolutâ & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit.* Et quoad posse cap. 9. ubi sic habetur: *Qui dum seipsum suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare & timere potest, cùm nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam DEI esse consecutum.*

II. Certitudinem fidei habere nemo potest, se esse justificatum & in ea perseveraturum.

Dico Primò: *Nemo, nisi cui id specialiter revelatum est, debet aut potest habere certitudinem fidei, aut aliam intrepidam de sua justitia, multò minus de sua perseverantia.* Est Scoti in 1. d. 17. q. 1. & in 3. d. 27. ubi dicit: falsum esse, donec quis sciat, se esse in charitate, & expressè in 4. d. 5. q. 1. & d. 9. Probatur: Quia DEUS, qui nequit infidelitatem aut peccatum ullum suadere aut falsum dicere, justos passim exhortatur in S. Scriptura ad timendum, adeoque etiam dubitandum de sua tùm perseverantia, tùm præsenti justitia, ergò. antecedens quoad perseverantiam patet ex Psal. 2. *Servite Domino in timore --- ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa.* Proverb. 28. *Beatus vir, qui semper est pavidus.* Rom. 10. *Tu autem fide sta, noli autem sapere, sed time.* 1. Joann. 3. *Nunc filii DEI sumus, & nondum apparuit, quid erimus.* Apocal. 3. *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Item ex omnibus locis, in quibus asseritur, ignotos esse mortalibus futuros eventus, aut aliquos à gratia & fide semel adeptis excidisse, ut Proverb. 27. *Ne glorieris in crastinum, ignorans quid superventura pariat dies.* 1. ad Timoth. 4. *Spiritus manifestè dicit: quia in novissimis diebus discedent à fide.*

Quoad præsentem justitiam probatur antec: Proverb. 10. *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato?* ad quem locum quidem responderi posset, quòd sit intelligendus de venialibus, nequeunt tamen sic respondere Lutherani, qui nullum peccatum admittunt, nisi mortale. Eccles. 9. *Justi atque sapientes, & opera eorum in manu DEI, & tamen nescit homo, utrum odio an amore dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta, eò, quod universa æquè eveniunt justo & impio:* quod de incertitudine gratiæ justificantis explicat Hieronymus. 1. Corinth. 4. *Mihi autem pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die, sed neque meipsum judico, nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Ex quo loco incertitudinem remissionis peccatorum colligunt Ambros. & Chrysost. August. in Psalm. 41. Bernard. epist. 42. ad Henricum Senonensem Episcopum. Insulsa est expositio Lutheri & Calvini dicentium: Intentum fuisse Apostoli significare se non justum ex ulla qualitate intrinseca; sed solùm ex DEI misericordia non imputantis peccata; nam Apostolum per formam extrinsecam potiùs quàm per intrinsecam justum esse nil juvat ad probandum, quòd seipsum non judicet, & multò minus ad persuadendum Corinthiis, quòd humana judicia sint incerta, ac proindè evitanda, qui fuit ipsius principalis finis.

Aptior Responsio esset: Apostolum agere de peccatis venialibus, à quibus non audet se immunem facere, licèt nullius sit sibi conscius, saltem circa fidelem dispensationem mysteriorum DEI, de qua illic sermonem instituit. Et sanè hæc Responsio videtur mihi vera, & continere germanum sensum verborum Apostoli, quem verisimile est speciali revelatione cognovisse suam gratiam, cùm ipse se asserat raptum ad tertium cœlum, primitias Spiritûs acce-

accepisse, audivisse à Christo: *Sufficit tibi Paule gratia mea*, ausus insuper judicare, gratiam DEI in ipso gratis nequaquam fuisse, nihilominus tamen si Paulus talis ac tantus fateatur per se errare in judicando suo statu quoad immunitatem à peccato veniali, rectè deducitur, alios ingenti intervallo imperfectiores & imperitiores posse decipi in ferenda sententia de sua immunitate à mortali. Probatur Secundò anteced: quoad perseverantiam ex August. 11. de Civit. c. 12. *Quis enim hominum se in actione profectuque injustitiæ perseveraturum usque in finem sciat, nisi aliqua revelatione ab illo fiat certus, qui de hac re justo latentique judicio non omnes instruit, sed neminem fallit.* Idem docet Prosper. lib. 2. de Vocatione c. ult. & D. Bernard. serm. 1. de Septuagesima.

Probatur Secundò Conclusio: Quia seclusa speciali revelatione nulli suppetit homini fundamentum, certò & intrepidè sibi persuadendi se esse in gratia, & multò minus in ea perseveraturum. ergò nec debet nec potest alterutrum certò & intrepidè credere, nisi adsit specialis revelatio. Probatur antec: quia te esse in gratiâ, non cadit sub cognitionem intuitivam tuam vel alterius mortalis, nec est ex terminis notum, neque ex sic notis deducitur, ut est evidens neque est à DEO in Scriptura & alibi revelatum, quempiam esse in gratia, nisi qui vel DEUM diligit super omnia amore supernaturali, vel ritè dispositus suscipit Sacramentum, sed nulli certum est certitudine fidei, scientiæ & experientiæ, se vel diligere DEUM super omnia, vel ritè dispositum suscepisse Sacramentum, nam imprimis id nulli revelatum est, si secludamus specialem revelationem, non est enim complexio necessaria, de qua sola haberi potest scientia, & quamvis concederetur experimentali notitia certò constare nobis, quòd DEUM super omnia diligamus, quod tamen falsum est, adhuc sub experientiam non cadit, utrum ea dilectio & cognitio, ex qua procedit, sit supernaturalis, qualis utraque debet esse, ut per eas impetretur justificationis gratia. Demùm debet similiter constare de recta intentione ministri, quæ tamen nunquam cadit sub experientiam suscipientis Sacramentum, & ullam aliam certam notitiam; item attritionem profectam esse ex fide supernaturali cognoscere debet.

Dico Secundò: *Seclusâ speciali revelatione nemò est vel moraliter certus de sua perseverantia, & etiam de sua gratia.* Prima pars est communis Catholicorum, & patet, quia perseverantia dependet ab eventibus futuris, qui nobis planè incogniti sunt, & à nostra voluntate mutabili, & in sui perniciem pronâ. Secunda est contra Vegam lib. 9. in Trident. qui dicit, posse quem sine speciali revelatione esse moraliter certum de sua gratia, persuasione tamen trepida, ac est illa, quâ credimus esse Romam & Constantinopolim. Est tamen Vasquez 1. 2. d. 20. c. 8. D. Bonavent. in 1. d. 17. a. 1. Scoti 4. d. 9. q. 1. ubi solùm concedunt viatori probabilem notitiam seu existimationem de sua gratia. Probatur: Quia tunc habetur certitudo moralis de re aliqua, quando ita homini nota est, ut de ea nequeat rationabiliter, speculativè & saltem practicè dubitare, sed nunquam extra casum specialis revelationis ita notum est homini, se esse in gratia, quin de hoc rationaliter speculativè & practicè (intra tamen anxietatem) timere & per consequens dubitare possit & debeat, ergò. Loca Sacræ Scripturæ & Patrum, quæ contra primam & præcedentem conclusionem adducuntur, quædam de certitudine fidei, sed conditionatâ, non absolutâ loquuntur; quædam de conjecturali persuasione, quæ ex bonis orta fundamentis parit animi tranquillitatem & fiduciam in DEO tàm de præsenti justitiâ, quàm futurâ perseverantiâ. Quòd si cui justorum impertiat DEUS internas illustrationes, consolationes, affectiones, quod certum & evidens est,

III. Certitudine morali quoque non potest scire quis absque revelatione, se esse in gratia.

quòd

quòd rarissimè contingit, non posse nisi à DEO esse, nec etiam justo conferri, talis credere poterit & debebit se esse justificatum; sed tunc illæ ipsæ notæ erunt specialis revelatio.

QUÆSTIO SEXTA.

An sine gratia sanctificante possit homo aliquod opus moraliter bonum elicere?

I. Lutherus docet omnia opera Infidelium esse peccata.

QUod hic controvertitur, est: An voluntas humana de facto possit aliquem actum moraliter bonum elicere sine concursu & influentia gratiæ sanctificantis; ita ut nullus actus in statu peccati mortalis sine habitu gratiæ ab homine elicitus sit, aut dici possit moraliter bonus? In hac materia hæretici Lutherani & Calvinistæ post suos Magistros dixerunt, non solùm sine auxilio speciali gratiæ DEI, sed nec sine fide supernaturali & gratia justificante posse quidquam boni moralis ab homine fieri, quin potius omnium Infidelium; & in peccato mortali existentium operà esse peccata & sceleris obnoxia, ita sensit & docuit Lutherus in assertionibus art. 6. & 36. Philippus Melanchthon; Apologia Confess. Augustanæ: Calvinus in Antidoto Trident. Concil. Sess. 6. & lib. 1. Institut. cap. 3. Kemnitius in examine Trid. Sess. 6. & idem specialiter de Joann. Hussio refert Concil. Constantiense Sess. 15. art. 16. ubi ait: *Omnia opera hominis peccatoris esse peccata*; usus maximè illo argumento ex Script. Matth. 7. *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* Undè inferunt hæretici, nullum fructum boni operis posse ex radice peccato infecta prodire, & quia ipsi docent fidem solam justificare, consequenter dogmatizant, omnia opera sine fide divina esse mala, & peccata. De utroque in hac quæstione proindè agam.

Nec defuerunt inter ipsos Catholicos Doctores, qui circa præsentem difficultatem minus Catholicè scribebant, nam Michaël Bajus, Decanus olim Universitatis Lovaniensis, Vir aliàs doctissimus, & in S. Augustino versatissimus, docuit, imprimis propositione 35. *Quod quidquid agit peccator, aut servus peccati, peccatum est.* Item propos. 38. *Quod omnis amor creaturæ rationalis sit aut vitiosa cupiditas, quâ mundus diligitur, aut laudabilis charitas in corde diffusa, quâ DEUS amatur.* Et propos. 40. *Peccator in omnibus suis actibus servit dominanti cupiditati.* ac tandem propos. 26. docet: *Omnia opera Infidelium esse peccata, & virtutes peccatorum vitia*, quæ sicut & plures aliæ propositiones ejusdem authoris, fuerunt à duobus summis Pontificibus Pio V. & Gregorio XIII. condemnatæ tanquam hæreticæ & in fide multùm erroneæ.

II. Opera moraliter bona possunt fieri in statu peccati mortalis.

Dico Primò: *Homo in statu peccati mortalis constitutus potest absque habitu charitatis & gratia justificante elicere plures actus moraliter bonos.* Ita docent unanimiter Catholici omnes: Estq; de fide definitum in Trident. Conc. Sess. 6. Can. 7. his verbis: *Si quis dixerit, omnia opera, quæ ante justificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, verè esse peccata, vel odium DEI mereri, aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tantò eum gravius peccare, anathema sit.* Et longè antè in Concil. Constantiensi Sess. 15. a. 16. ubi Joannes Huss examinatus, degradatus, & condemnatus est. Constat etiam ex Bulla Pii V. Gregorii XIII. à quibus prædictæ propositiones Michaëlis Baji tanquam hæreticæ & scandalosæ damnantur, & veritas Catholicæ nostræ conclusionis declaratur.

Probatur Primò Conclusio ex omnibus illis Scripturæ locis, quibus peccatores invitantur ad pœnitentiam; & ad benè operandum: *Convertimini ad me in toto corde vestro, jejunio, fletu, & planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, agite fructus dignos pœnitentiæ, redite prævaricatores ad cor.* Et innumera alia similia, quibus

 frustra

frustra in Scripturis Sacris invitarentur peccatores ad pœnitentiam, si in peccato existentes nil boni possint facere sine habitu charitatis, quem simùl cum peccato nequeunt habere, ut quid enim rogarentur benè facere, qui nil boni possunt facere, frustra etiam rogarent peccatores sibi ignosci culpas dicendo quotidiè: *Dimitte nobis debita nostra*, quia neque in hoc quidquam boni faciunt, cum habitum charitatis non habeant, & sanè, si peccatores etiam in peccato existentes non possent sine gratia sanctificante quidquam boni facere, precluderetur ipsis omnis via revertendi ad DEUM per actus pœnitentiæ, nec poterunt unquam post admissum semel peccatum etiam cum auxilio speciali gratiæ actualis ad ipsam charitatem pervenire, aut ullatenus justificari, cùm omnia, quæ facit peccator, aut servus peccati, peccatum sit, nisi fortè DEUS exercendo suam potentiam independenter ab omnibus meritis vel demeritis ipsius velit ipsi charitatem infundere, quod raro aut nunquam in adultis creditur facere.

Probatur Secundò: DEUS justissimus & æquus & Arbiter & Judex, sicut nulla opera nostra, nisi mala punit, sic nulla opera nisi bona remunerat, sed ex multis Sacræ Scripturæ locis DEUS remuneravit opera peccatorum & infidelium etiam & gentilium, ergò illa opera erant bona, vel ad minus non erant mala & peccaminosa. Maj: & consequ: patet: Probatur min: Exodi 1. Ædificavit DEUS obstetricibus Ægyptiorum domos, eò quod pepercerint infantibus Judæorum contra iniquum mandatum Pharaonis. Et Ezechiel. 29. datur remuneratio exercitui Regis Nabuchodonosor quantumvis peccatoris & Infidelis ob fidelem servitutem suo Regi exhibitam contra Syrum: Undè Hieronym. in Comment. supra eundem locum: *Ex eo*, inquit, *quòd Nabuchodonosor mercedem accepit boni operis, intelligimus etiam Ethnicos, si quid fecerint, non absque mercede DEI judicio præteriri.* Et August. de Civit. DEI. cap. 15. asserit: DEUM dedisse Romanis quantumvis peccatoribus, & adhuc gentilibus tàm amplum dominium, ut in hac vita bonas eorum virtutes remuneraret, ergò manifestum est dari quandoque in peccatoribus, & omni gratia sanctificante destitutis bona opera, quæ vel in hac vita prœmiat DEUS, vel si ex fide & auxilio gratiæ procedant, ad ipsam gratiam sanctificantem & vitam æternam, de congruo ad minus disponi. Deindè Actor. 10. Orationes & Eleemosynæ Cornelii adhuc peccatoris & gentilis dicuntur ascendisse in memoriam in conspectu Domini, quod de ipsis non posset dici, nisi essent bonæ. Denique DEUS ipse fidelis in suis promissis promisit peccatori agenti pœnitentiam veniam suorum peccatorum, Ezechielis 18. *In quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius:* Sed hoc non fecisset DEUS, nisi actus pœnitentiæ essent boni, & DEO accepti, vel ad minus si essent mali, quia tales non prœmiat DEUS, ergò dantur quandoque in peccatoribus sine gratia justificante aliqui actus boni, quibus veniam suorum peccatorum à DEO promerentur; aliàs enim neque Magdalena ex meretrice fuisset facta pœnitens, neque Saulus ex persecutore vas electionis effectus.

Opponitur Primò Authoritas S. Scripturæ, Matth. 7. *Non potest arbor mala bonos fructus facere*, sed voluntas humana per peccatum à DEO aversa est arbor mala, ergò non potest sine gratia sanctificante fructum boni operis facere. Secundò, Isaiæ 1. rejicit DEUS victimas & sacrificia Judæorum, eò quòd in peccatis offerebantur: *Quo*, inquit, *mihi multitudinem victimarum vestrarum?* Et infrà: *Ne offeratis ultra Sacrificium frustrà: incensum vestrum abominatio est mihi, calendas & solennitates vestras odivit anima mea.* usque ad illud: *Cùm extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaveritis orationem, non exau-*

III. Opera moralia sine gratia non prosunt ad vitam æternam.

exaudiam, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Ubi illas operationes detestatur DEUS ex hoc solo capite, quòd à peccatoribus etiam fidelibus fiebant; ergò nulla opera peccatoris quomodocunque facta, possunt sine gratia sanctificante esse bona aut DEO accepta. Respond. Primò: Per arborem malam intelligi peccatorem, qui non potest facere bonos fructus scilicet meritorios vitæ æternæ, sicut nec homo justus, cui assimilatur arbor bona, potest facere malos fructus, scilicet meritorios mortis aut pœnæ æternæ, quia si peccaverit mortaliter, hoc ipso cessat esse justus. Respond. Secundò, dist: maj: non potest arbor mala, quà mala est, formaliter facere fructum bonum, conc: maj: non potest arbor, quæ hic & nunc per accidens est mala, facere ex se fructum bonum, neg: maj: nunc autem voluntas humana est ex natura sua arbor bona, libera tamen & indifferens ad faciendum fructum bonum vel malum, ut licèt hic & nunc ratione peccati dicatur arbor mala; est tamen natura sua & ex propria libertate arbor bona; potestque ex propensione sua ad bonum bonos fructus facere, licèt non conducentes ad vitam æternam, nisi accedat gratia DEI. Ad locum Isaiæ Respondi: ibi non reprehendi Sacrificia tanquam mala; sed potius sacrificantes, qui solis sacrificiis contenti alia bona opera omiserunt, totamque suam sanctitatem in illis Sacrificiis collocaverunt. Vel secundùm Augustin. lib. 1. contra duas epist. Pelagii cap. 9. illa Sacrificia displicuerunt DEO, eò, quòd non ex affectu justitiæ, sed ex servili quodam timore vel affectu lucri temporalis offerebantur; ex quibus circumstantiis malitiam aliquam contraxerunt, quâ DEO sunt abominabilia facta; ex quo non sequitur alia opera à peccatore sine malis circumstantiis facta non esse bona & DEO accepta, maximè si adsit gratia actualis DEI, undè neg: consequ.

Opponuntur, Secundò, varia loca Augustini, qui contrarium videtur apertè docere lib. de grat. liber. arbit. c. 18. *Præcepta*, inquit, *charitatis tanta & talia sunt, ut quidquid se putaverit homo facere benè, si fiat sine charitate, nullo modo fit benè.* & lib. 1. Retract. cap. 15. *Voluntas sine charitate tota est vitiosa cupiditas.* & lib. 1. de gratia Christi cap. 26. *Quid boni faceremus, nisi diligeremus*, quasi diceret nihil: & infrà. *Ubi non est dilectio, nullum bonum imputatur: nec rectè bonum opus vocatur.* Et in Enchirid. cap. 13. *Quid boni operari potest perditus homo, nisi in quantum à perditione liberatur.* Ergò ex mente Augustini nullum potest dari bonum opus sine charitate. Confirmatur ex Apostolo 1. Corinth. 13. *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. & si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuerò, nihil mihi prodest.* Sed si ejusmodi actiones essent bonæ aut virtuosæ sine charitate, prodessent homini; ergò sine charitate nil virtutis aut bonitatis continent. Respond. ad omnia ista & alia similia Augustini loca, ipsum & alios Patres, ubicunque prædicant necessitatem gratiæ sanctificantis, aut dicunt sine illa nihil bonitatis aut virtutis in peccatore reperiri, aliud non intendere, quàm quòd ullum opus fructuosum aut ad vitam æternam conducens possit à peccatore elici; nam ut postea videbitur, omnia opera hominis peccatoris & in peccato existentis sunt mortua, cùm vitam gratiæ non habeant, nec unquam ad fructum vitæ æternæ assequendum resurgant, cum quo benè stat, quòd sint aliàs ex genere suo bona, & sine admixtione ullius pravitatis; undè dum ait Augustin. quod non fit ex charitate, non benè fit, sensus est, non fructuosè fit, nec utiliter ad vitam æternam consequendam, licèt enim opera hominis peccatoris sint quandoque bona, & si ex adjutorio gratiæ procedant, mereantur charitatis infusionem, sunt nihilominus mor-

mortua, & ad vitam æternam consequendam infructuosa planè & inutilia, nec intuitu illorum assequitur homo ullum gradum aut augmentum gloriæ in cœlo. Adde opera hominis peccatoris rarò fieri sine admixtione alicujus imperfectionis, aut circumstantiæ malæ, ac proindè dici à Patribus non benè nec virtuosè sine charitate fieri. Ad Confirmationem Respond. similiter, Apostolum non velle aliud, quàm quòd omnia opera, quæ sine charitate fiunt, nil sint, nec quidquam prosint ad vitam æternam consequendam, quod verissimum est, sed prosunt benè ad ipsam charitatem assequendam, maximè si ex adjutorio gratiæ actualis procedant, quod sufficit, ut dicantur bona, undè neg: consequ.

Instatur: Omnia opera hominis peccatoris sunt mortua & infructuosa ad vitam æternam, cùm vita gratiæ careant, ergò omnia ejus opera sunt mala: Probatur consequ: Quia sicut DEUS justus Judex nullum malum relinquit impunitum, ita nullum bonum relinquit irremuneratum, ergò si opera hominis peccatoris careant omni mercede æternæ vitæ, non sunt nec possunt dici bona. Respond. conc: anteced: neg: consequ: ejusque probationis consequ: licèt enim DEUS nullum relinquat bonum irremuneratum, sicut nec malum impunitum, non remunerat tamen quodlibet opus bonum mercede vitæ æternæ, maximè si fiat ab inimico & vità gratiæ destituto. Nec refert, quòd ejusmodi opera sint mortua, quia hoc solùm efficitur, quòd sint infructuosa & quodammodo mortua ad vitam æternam assequendam, non autem quòd sint mala & vitiosa.

IV. Opera moraliter bona etiam sine fide divinâ fieri possunt.

Dico Secundò: *Potest homo infidelis absque omni fide infusa, aut supernaturali DEI cognitione elicere plures actus moraliter bonos, absque omni circumstantia vitiante.* Est communis sententia Theologorum; & Probatur Primò ex omnibus illis Scripturæ locis, quibus supra ostendi, DEUM pluries remunerâsse opera Infidelium & Gentilium tanquam bona absque omni fide infusa, aut supernaturali DEI cognitione facta, quibus hîc adde Regem Nabuchodonosor infidelem & ethnicum moneri à Propheta Daniel. 4. ut pœnam temporalem à DEO sibi propter peccata infligendam eleemosynis redimat, *nunc*, inquit, *Rex consilium meum placeat tibi, peccata tua eleemosynis redime*, sed si eleemosynæ hominis infidelis essent pravæ aut peccaminosæ, non posset per eas placari ira Omnipotentis, aut evitari pœna ab ipso infligenda, cùm potiùs talibus accendatur ejus furor, ergò sentit Propheta eleemosynas etiam hominis infidelis, modò ex pravo fine non fiant, esse bonas, & posse avertere iram & vindictam DEI Omnipotentis. Confirmatur ex Bulla Pii V. & Gregorii XIII. in quibus apertè damnatur sententia Baji & aliorum asserentium omnia opera Infidelium esse peccata, & virtutes Philosophorum vitia, ergò sentiunt Pontifices dari quandoque in Infidelibus aliqua opera virtuosa, quæ ex nullo fine aut circumstantiâ sint vitia, aut peccato obnoxia.

Probatur Secundò Authoritate SS. Patrum, qui in hoc omnes conspirârunt: Augustini lib. de gratia Christi c. 24. ubi de Ahasvero dicit mitigationem Regis infidelis atque idololatræ esse donum DEI, his verbis: *Legant ergò & intelligant, intueantur atque fateantur non lege atque doctrina insonante forinsecus, sed interna atque occulta mirabili ac ineffabili potestate operari DEUM in cordibus hominum, non solùm veras revelationes, sed etiam bonas voluntates.* Et consequenter mitigatio illa fuit opus moraliter bonum. & epist. 130. laudat Polemonis continentiam dicens: *Polemo ergò, si ex luxurioso continens factus, ita sciret, cujus esset hoc donum, ut eum abjectis superstitionibus gentium piè coleret, non solùm continens, sed etiam veraciter sapiens & salubriter religiosus existeret: quod ei non tantùm ad præsentis vitæ honestatem, verùm & ad futuræ*

turæ immortalitatem valeret. Vide, quomodo distinguat inter bona opera honesta, & inter illa, quæ ad vitam æternam conducunt. Chrysost. hom. 67. ad populum Antiochenum: *Non potest*, inquit, *malus omninò malus esse, sed evenit, ut aliquid habeat boni, neque bonus omninò bonus, sed nonnulla solet habere peccata*. Hieronym. in cap. 1. Epist. ad Galatas: *Ex quo*, inquit, *perspicuum est, naturæ omnibus inesse DEI notitiam, nec quemquam sine Christo nasci, non habere semina in se sapientiæ, justitiæ, reliquarumque virtutum, undè multi absque fide & Evangelio Christi vel sapienter faciunt aliqua, vel sanctè, ut parentibus obsequuntur, inopi manum porrigunt, vicinos non opprimunt, aliena non diripiunt &c.* Et in cap. 5. ad Galat. *Quomodo*, inquit, *juxta Jacobum, fides absque operibus mortua est, sic absque fide, quamvis bona opera sint, mortua computantur*. Et Fulgentius lib. de Incarn. & Grat. cap. 6. *Quodsi quibusdam cognoscentibus DEUM, non sicut DEUM glorificantibus cognitio illa nil profuit ad salutem, quomodo poterunt hi justi esse apud DEUM, qui sic in suis moribus & operationibus bonitatis aliquid servant, ut ad fidem Christianæ fidei non referant, quibus aliqua bona, quæ ad societatis humanæ pertinent æquitatem, inesse possunt, sed quia non in charitate fiunt, prodesse non possunt.* Ergò ex mente SS. Patrum possunt dari, & de facto quandoque dantur in infidelibus aliqua opera virtuosa & moraliter bona.

Probatur Conclusio Tertiò Ratione: Quia secundùm Philosophum 2. Ethic. cap. 4. ad rationem actûs & moraliter boni per se loquendo sufficit, quòd fiat ab homine sciente & eligente ac propter ipsum, id est, quod homo sciat opus, quod elicit, esse ex genere suo bonum aliàs. Deindè, quod libera voluntate, & non ex ulla necessitate ipsum eliciat, ac tandem quod præcisè operetur propter ipsam in se virtutis honestatem. Sed hæc omnia potest homo habere sine ulla fide infusa aut supernaturali, ergò. Probatur mi[nor]: [P]otest homo sine ulla fide supernaturali scire optimè, quòd sit ex genere suo laudabile & honestum atque bonum, honorare parentes, operire nudum, pacificare discordes, subvenire egeno, quia hoc vel ipsa natura docente didicit. Potest item sine fide ejusmodi actus liberrimè & sine ulla necessitate exercere, idque præcisè propter finem ipsius in se virtutis, naturali scilicet pietate in parentes excitatus, & quia commiseratione in pauperes & nudos commotus, ut eorum indigentiam sublevaret, quis enim dicere auderet Infidelem aut Ethnicum ex naturali quadam pietate honorantem parentes, aut ex pia commiseratione operientem nudum pacificantem discordes, & cœtera; in his aut similibus actibus peccare, aut etiam non benè aut laudabiliter operari, maximè, si ea faciat propter finem & honestatem ipsius in esse virtutis, sine ulla planè circumstantia vanæ gloriæ, jactantiæ, servilis timoris, invidiæ, &c. sicut optimè potest facere. Nec refert, quòd ejusmodi opera non referantur immediatè, formaliter aut proximè ad DEUM, tanquam in suum finem, & motivum, sicut ad rationem virtutis videtur requiri. Respond. enim non esse de essentia aut necessitate virtutis, aut operis virtuosi & moraliter boni, quòd immediatè & formaliter proximè in DEUM tanquam in suum finem referatur, sed sufficere, quòd fiat immediatè & proximè propter ipsius in se honestatem virtutis, v. g. ut actus dantis eleemosynam pauperi indigenti sit virtuosus & moraliter bonus, non requiritur, quòd detur eleemosyna immediatè & proximè propter DEUM, aut in ipsum tanquam finem & motivum proximum referatur, sufficit enim, quòd detur proximè ad sublevandam inopiam pauperis extremè laborantis, idque ex naturali quâdam commiseratione erga ipsum sine ulla circumstantia mala, aut vitiante. Undè quicunque sive Ethnicus sive infidelis facit ex hoc fine & motivo eleemosynam pauperi, benè &

V. Natura dictat operi[re] nudum esse bonum.

nè & laudabiliter operatur, licèt ad vitam æternam nil ipsi conducat.

VI. Mundis omnia munda Esculenta.

Opponuntur Primò varia loca Apostoli: Ad Titum 1. *Omnia munda mundis, coinquinatis autem, & infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum & mens & conscientia*: & ad Rom. 14. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.* Sed nil facit infidelis aut ethnicus ex fide, cùm de ea nil sciat, ergò. Item ad Hebræ. 11. *Sine fide impossibile est placere* DEO, ergò sine fide impossibile est dari aliquod opus moraliter bonum: Probatur consequ: quia si daretur aliquod tale bonum, sine dubio placeret DEO, nam ut ait Augustin. lib. 4. contra Julian. cap. 3. *Non potest bono non placere quod bonum est*, ergò vel sine fide non potest dari bonum opus, vel sine ea potest homo placere DEO, ergò. Respond. ad primum locum Apostoli cum Hieronym. in Comment. supra eundem locum, & Augustin. lib. 3. contra Faustum cap. 4. Apostolum loqui non de operibus infidelium bonis aut malis, sed de cibis, qui secundùm legem erant mundi vel immundi, ita ut sensus sit, omnia munda mundis, id est, omnes cibi sunt naturâ suâ mundi, & pro omni tempore post abrogatam jam legem prohibentem quosdam cibos tanquam imundos manducari mundè, & sine omni culpa manducantur ab hominibus, qui credunt legem veterem jam amplius non obligare: inquinatis autem & infidelibus Judæis, id est, omnes cibi sunt immundi, nec solùm illi cibi, quos lex vetus judicavit immundos, sed & cœteri omnes, quos infideliter & errante conscientiâ sumunt. Undè ait Apostolus: *Inquinatæ sunt eorum mens & conscientia.* Vel si intelligatur iste locus de operibus Infidelium, ut contendunt Adversarii, illud: *Infidelibus autem nil mundum* significare omnia opera infidelium esse peccata, interrogo ab illis, quid significet illud: *Omnia munda mundis*, an sit sensus, quòd omnia opera justorum sint justa, cùm ex Scriptura septies in die cadat justus, & oret quotidiè: *Dimitte nobis debita nostra*; sensus ergò est, omnia munda mundis, id est, opera justorum, quæ ex charitate & pietate procedunt, sunt munda & bona, inquinatis autem & infidelibus nil mundum, id est, nullum opus procedens ex infidelitate aut impietate potest esse mundum aut bonum, quod verissimum est, sed cum hoc stat, quod sine illis circumstantiis possit infidelis ex aliis motivis elicere actus aliquos moraliter bonos.

Ad secundum locum Apostoli Respond. ipsum ibi loqui de illis, qui contra dictamen conscientiæ operabantur, ita ut sensus universalis & verus istius loci sit: *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*, id est, quidquid fit ab homine contra dictamen conscientiæ suæ, peccatum est, quia cùm conscientia nostra sit prima regula agendorum, quicunque facit contra dictamen ipsius malè facit. Vel si per fidem ibi intelligatur fides supernaturalis & infusa & non conscientia, prout velle videtur Augustin. pluribus in locis. Respond. sensum esse, quidquid non est ex fide, quidquid contra gratiam repugnat fidei, aut ex infidelitate nascitur, peccatum est, quod nil obstat nostræ sententiæ, quia potest benè infidelis ex alio fine quàm ex infidelitate operari, ut dum largitur eleemosynas pauperi ad sublevandam ipsius inopiam, dum honorat parentes &c.

Ad tertium locum Respond. Sensum istius loci esse: Quòd *sine fide impossibile sit placere* DEO in ordine ad vitam æternam assequendam, aut taliter, ut amicus DEI aut filius constituatur, licèt benè sit possibile, placere DEO sine fide in ordine ad recipiendam mercedem aliquam temporalem, vel etiam quandoque ipsam fidem & gratiam sanctificantem, si ex adjutorio divinæ gratiæ ejus opera procedant. Undè in forma Respond. negando conseq: ad cujus probationem distin: antec: tale bonum placeret DEO in ordine ad vitam æternam intuitu ejus conferendam, neg: antec: in ordine ad aliquam

aliquam mercedem temporalem conferendam, transeat antec:

Opponitur Secundò Authoritas D. Augustini lib. 4. contra Julian. cap. 3. ubi per tria integra folia probat misericordiam, eleemosynas, continentiam, bonaque opera, quæ in fidelibus apparent virtuosa, esse vitiosa & peccaminosa in infidelibus: *Porrò*, inquit, *si veram justitiam non habent impii, profectò nec alias virtutes comites & socias, quia cùm ad suum Authorem non referuntur dona DEI, hoc ipso mali bis utentes, efficiuntur injusti, & si quas habent virtutes, veras non habent, ac per hoc nec continentia impiorum est vera virtus.* Et paulò pòst: *Absit, ut in aliquo sit vera virtus, nisi fuerit justus, absit autem, ut sit justus verè, nisi vivat ex fide, justus enim ex fide vivit*, ergò. Et circa finem capitis Respondet Juliano sic objicienti: *Si ait*, Julianus, *Gentilis nudum operuit, nunquam, quia non est ex fide, peccatum est? Prorsus*, inquit Augustinus, *in quantum non est ex fide, peccatum est, non quia per se factum, quod est operire nudum, peccatum sit, sed de tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum, quod ut intelligas*, inquit Augustinus, *quia magna res est, adbuc paulisper ausculta: Ecce eadem commemoro, quæ ipse posuisti, si gentilis, qui non vivit ex fide, nudum operuerit, periclitantem liberaverit, ægri vulnera foverit, divitias honestè impenderit: Quæro abs te*, inquit Augustinus, *utrum hæc opera bona faciant benè, an malè? Si enim, quamvis bona, malè tamen facit, negare non potes, eum peccare, quià malè quodlibet facit, sed quia non vis eum, cùm ista facit, peccare, profectò dicturus es, & bona facit & benè. Fructus ergò bonos facit arbor mala, quod fieri non posse, veritas dicit.* Hæc Augustinus & paulò inferius: *Sed fortè dicturus es: misericors voluntas bona est, rectè istud diceíur.* Ait Augustinus, *si quemadmodum fides Christi, quæ per dilectionem operatur, semper bona est, ita misericordia semper esset bona, sed si reperitur misericordia mala, si vitium est malè misereri, procùl dubio vitium est infideliter misereri, quod si & ipsa per seipsam ex naturali compassione opus illud sit per se bonum, etiam isto bono malè utitur, qui infideliter utitur.* Ergò ex mente Augustini, quidquid facit Infidelis, sive operiendo nudum, sive pacificando discordes, sive dirigendo errantes, cùm ex verâ fide non procedant, malè & peccaminosè facit. Respond. Augustinum ex duplici capite damnare opera infidelium tanquam mala & peccato obnoxia, Primò: Quia ut plurimum infideles & ethnici referunt opera sua in malum finem, v. g. vel in cultum falsorum Deorum, vel ad inanem gloriam, lucrum temporale, aut aliquid simile, ex quo fine facilè inficiuntur eorum opera, cùm bonum nonnisi ex integra causa possit esse: & hinc in eodem cap. 3. contra Julianum ait Augustinus: *Quidquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri vera sapientia jubet, & si officio videatur bonum, ipso tamen fine peccatum est.* Damnat ergò meritò Augustinus omnia opera Infidelium tanquam mala & vitiosa, quia ab eis referebantur ut plurimum ad finem malum, attribuens proindè omnibus, quòd majori parti operum convenit, cum quo benè stat, quòd aliquando & fortè pluries benè & sine omni circumstantia mala aut perverso fine operentur, ex solo amore & honestate virtutis, honorando v. g. parentes ex sola naturali pietate, aut operiendo nudum & subveniendo pauperi ex sola naturali compassione & intentione indigentium, sine ulteriori ulla vana gloria, jactantia, invidia, aut alia circumstantia positivè vitiante. Secundò damnat Augustinus opera Infidelium tanquam mala & vitiosa, non quòd verè aut reipsa sint peccata, aut condigna pœnâ ullâ sive æternâ sive temporali, sed quia sunt mortua, sterilia, & infructuosa, inutiliaque ad vitam æternam consequendam: ex quo capite non vult Augustinus ea vocari veras virtutes, id est, fructuosas aut utiles ad vitam æternam,

consequendam, sed cum hoc optimè stat, quòd in seipsis & intra latitudinem virtutis moralis sint veræ virtutes, cùm nullius malæ circumstantiæ mixturam habeant, hoc solo excepto, quòd ab operante non referantur immediatè ad DEUM tanquam in proximum finem & motivum, quòd ad rationem virtutis moralis non requiri partim jam ostendi, & amplius inferius patebit.

QUÆSTIO SEPTIMA.

Quid requiratur ad perseverandum in gratia, & in quo perseverantia & confirmatio in gratiâ à se invicem differunt?

I. Declinare à malo & facere bonum, requiritur ad perseverandum.

DIco Primò: *Ad perseverandum in gratiâ requiruntur duo officia justitiæ declinare à malo & facere bonum.* Primum requiri patet ex innumeris S. Scripturæ locis, in quibus dehortamur, & deterremur à vitiis & peccatis, tanquam quæ nos à DEI amicitia & vita æterna excludant. Secundum patet, non quòd absolutè nequeat homo non peccare & per consequens in gratia jam adepta perseverare absque eo, quòd ulterius ullum opus bonum exerceret, cùm non repugnet, quòd quis invincibiliter DEUM ignoret, saltem per breve aliquod tempus v. g. mensem vel annum, & interea nullum opus eliciat ob finem virtutis, sed quòd nunquam aut rarò contingat, ut constitutus in gratia diu persistat in ignorantia invincibili Dei, & quòd si habeat ejus notitiam, necessarium sit ad ipsi superandas passim occurrentes peccandi occasiones ad illius opem per orationem aut alia bona opera recurrere. Undè Matth. 3. dicitur: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* & 2. Petri 10. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.*

II. Perseverantiæ donum requirit speciale gratiam.

Dico Secundò: *Ad perseverandum in justitia requiritur præter ipsam gratiam sanctificantem speciale donum actualis gratiæ.* Hæc patet ex necessitate gratiæ actualis, de qua aliàs ad operandum bonum, & vincendas tentationes, quod utrumque requiritur ad perseverandum, undè Paulus 1. Corinth. 1. *Confidimus hoc ipsum, quia qui cœpit bonum, ipse perficiet usque in diem Christi JESU.*

Dices: Ipse habitus gratiæ & virtutum infusarum sufficit ad benè operandum. Respond. Sufficere physicè, sed non moraliter supposita infirmitate comuni humana contracta ex lapsu primi Parentis.

III. Perseverantiæ donum quid addat gratiæ habituali.

Dico Tertiò: *Donum perseverantiæ finalis nihil superaddit gratiæ habituali præter negationem novi lapsûs in mortale peccatum, & efficacia auxilia gratiæ actualis hanc negationem inferentia.* Patet, quia positis hujusmodi auxiliis, sicut verum est, quòd Justus non peccet, aut cadat à DEI gratia, ita verum est, quòd in gratia perseveret: quare cùm hujusmodi auxilia magnâ saltem ex parte consistant in illuminationibus & inspirationibus internis, quæ non eædem omnibus fiunt, sed sæpè longè diversæ rationis physicè sequitur, donum perseverantiæ non esse in omnibus ejusdem speciei, aut etiam generis proximi. Dixi in Conclusione *efficacia*, quia licèt auxilia, quæ sufficientia dicuntur, sufficerent, ut quis perseveraret in statu gratiæ, tamen de facto nunquam cum iis solis quispiam perseverabit, aliàs jam contra suppositum non essent tantùm sufficientia, sed efficacia, vel certè non gratia voluntatem, sed voluntas gratiam determinaret.

IV. Confirmationis donum declaratur.

Dico Quartò: *Donum confirmationis in gratia tantùm superaddit dono plenæ & nunquam interruptæ perseverantiæ certam ex divina revelatione notitiam in eo, qui confirmatus dicitur de sua futura perseverantia.* Hæc est Vasquez 1. parte d. 90. & 1. 2. d. 200. contra Ockam & Catherinum requirentes ad donum confirmationis, quòd confirmato adempta sit potestas seu libertas ad peccandum. Probatur: Quia quem-

cunque

cunque noscerent homines habere notitiam & securitatem ex divina revelatione de sua perseverantia, eum dicerent confirmatum in gratia, & quidem meritò esset à parte rei, & in sua ipsius cognitione sic stabilitus in gratia, ut nunquam foret ab ea casurus. Et sanè gratis diceretur requiri ultra hoc in confirmato necessitatem non peccandi aliam, quàm consequentiæ, ortam scilicet ex divina revelatione, & moralem, ortam ex efficacia auxiliorum gratiæ, quæ infallibiliter determinabunt non physicè, sed moraliter ad omnem lapsum vitandum, præsertim cùm sub quæstione sit, an possit voluntas aliter necessitari, & Paulus, qui indubiè fuit confirmatus in gratia, specialem adhibuerit diligentiam ad vitanda peccata, corpus suum castigans & in servitutem redigens, ut de se ipse testatur 1. Corinth. 9. & 2. cap. 2. quod opus illi non esset, si physicè impeccabilis fuisset. Alii id discriminis ponunt inter confirmationem & donum perseverantiæ, quòd hoc detur per partes & successivè, prout opus est ad lapsum, quando imminet vitandum. Sed contra est, quod sic donum confirmationis sit quid permanens, & consequenter habitus, nam pro hoc statu nullus actus diu durat, atque non potest esse habitus, quia de fide est, ad singulos actus bonos & victorias tentationum, & per consequens ad perseverandum in gratia requiri auxilium gratiæ actualis, ultra verò donum confirmationis nil requiritur ad perseverandum.

DISPUTATIO QUARTA.

DE

Adjutorio divinæ gratiæ ad justificationem acquirendam, & alias operationes eliciendas necessario.

PROOEMIUM.

NEmo potest venire ad me, ait æterna Veritas Christus, *nisi Pater meus, qui misit me, traxerit eum. Idipsum*, loquor cum S. Augustino, *aliis verbis repetendo in eo, quod ait, nisi fuerit ei datum à Patre meo. Ille quippè trahitur ad Christum, cui datur ut credat in Christum. Datur ergò potestas, ut filii DEI fiant, qui credunt in eum, cùm hoc ipsum datur, ut credant in eum. Quæ potestas nisi detur à DEO, nulla esse potest ex libero arbitrio, quia nec liberum in bono erit, quod liberator non liberaverit. - - - Nemo igitur potest habere voluntatem justam, nisi nullis præcedentibus meritis acceperit veram, hoc est, gratuitam desuper gratiam.* Quare, *Si quis dixerit*, verba sunt Concilii Tridentini, *sine præ-* Sess. 6. Canon. 3.

 venien-

veniente Spiritûs Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit. Idem ante docuit Arausicanum, damnans eos, qui dicunt, absque illuminatione atque inspiratione Spiritûs Sancti nos posse cogitare aut elicere aliquod bonum opus ad salutem vitæ æternæ pertinens. Ac etiam Milevitanum: Quia ergò nec fides, nec dilectio, nec contritio procedunt à gratia, ad quam disponunt, & tamen omnes isti & quicunque alii ad salutem conducentes actus haberi non possunt sine auxilio divino adjuvante imbecillitatem nostram infirmam, quod præstatur per donum aliquod particulare actualiter præveniens, concurrens, & cooperans, & est gratia actualis, eaque specialis. Hinc postquam in superiori dispositione egi de requisitis ex parte justificandi, nunc de necessitate hujusmodi auxilii me acturum propono, de quo aliàs integer tractatus conficitur, ego autem aliquot Disputationibus sub gratiæ justificantis titulo favente eadem DEI gratia expediam. Est autem hujus materiæ magna sublimitas & dignitas, quia gratia naturam perficit non destruit: Magna utilitas, quia vires nostras debiles & ad bona supernaturalia elicienda impares elevat: est denique maxima in illa explicanda difficultas, quod patet ex tot singulorum quasi sæculorum hæreticorum, & etiam quorundam Catholicorum erroribus, quos præliminariter censeo esse recensendos. Sit igitur

Arausic. II. cap. 6.

cap. 5.

QUÆSTIO PRIMA.

De Hæreticorum erroribus gratiam auxiliantem impugnantium.

1. Pelagii errores circa gratiam.

PRimus omnium insignissimus naturæ liberique arbitrii defensor, & infestissimus gratiæ divinæ osor, Choriphæus & Antesignanus eorum, qui circa hanc materiam errârunt, fuit Pelagius, vir alioquin doctissimus, & magnæ æstimationis secundùm Chrysostomum epist. 4. ad Demetriam. Professione Monachus, natione Britto, cujus præcipui discipuli ac sectatores fuerunt Cœlestius & Julianus Episcopus Capuanus, contra quem 8. integros libros scripsit S. Augustinus, ac tandem à Cœlestino Pontifice privationis sententiam accepit: Cœlestius verò, à quo, secundùm Augustinum, dicuntur Cœlestini Hæretici, ante Pelagium condemnatus est in Concilio Carthaginensi sub Aurelio Anno 412. vocatus deindè & ipse Pelagius ad Concilium 14. Episcoporum Diopoli in Palæstina cum sua hæresi condemnatus est, ejusque condemnatio Carthagine in Concilio 67. Episcoporum confirmata. Cœterum præcipuos errores Pelagii refert Augustinus hæresi 88. ex quibus sequen-

quentes ad nostrum hîc propositum spectant.

Primò itaque docuit Pelagius, primum hominem Adamum in statu Innocentiæ fuisse mortalem conditione naturæ, & non de merito culpæ, sed reipsa moriturum, sive peccâsset, sive non peccâsset. Contra quem errorem est Canon Primus Concilii Milevitani, ubi sic habetur: *Quicunque dicit Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, idque necessitate naturæ, & non merito peccati, anathema sit.*

Secundò docuit, infantes nasci absque labe peccati originalis, adeoque peccatum Adami sibi soli & non posteris nocuisse, neque parvulos baptizari in remissionem peccati originalis, sed ad introitum Regni cœlestis. Damnatur Can. 2. Concilii Milevitani & in Trident. Sess. 5. Can. 4. his verbis: *Quicunque parvulos recenter ab uteris Matrum natos baptizandos negat, aut dicit in remissionem peccatorum eos quidem baptizari, sed nihil ex Adam trahere peccati originalis, quod generationis lavacro expietur, unde fit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non verè, sed falsè intelligatur, anathema sit.*

Tertiò dixit, peccatum originale non origine, sed imitatione transfusum in posteros, & infantes recenter natos in eo statu esse (secluso rationis usu) in quo Adam fuit ante lapsum. damnatur in Trident. Sess. 5. Can. 3. *Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine unum est & propagatione, non imitatione transfusum omnibus, inest unicuique proprium &c. per aliud remedium asserit tolli, quàm per meritum unius mediatoris, &c. anathema sit.*

Quartò docuit, hominem per peccatum non fuisse secundùm corpus & animam mutatum in deterius, sed anima permanente illæsa corpus ex peccato fuisse corruptioni subjectum. Damnatur in Tridentino Sess. 5. Can. 2. *Si quis Adæ prævaricationem &c. aut per inobedientiæ peccatum mortem & pœnas corporis tantùm in omne genus hominum transfudisse, non autem & peccatum, quod est mors animæ, anathema sit.* Quod similiter habetur definitum in Concilio Arausicano Can. 1.

Quintò docuit, infantes sine baptismo decedentes habituros beatitudinem & vitam æternam extra regnum cœlorum. Damnatur in Concilio Diospolitano art. 5.

Sextò: Magis ad propositum nostrum circa necessitatem gratiæ divinæ docuit gratiam DEI, quâ justificamur per JESUM Christum ad solam remissionem peccatorum, quæ jam commissa sunt valere, non item in adjutorium, ut non committantur. Damnatur sub iisdem terminis in Concilio Milevitano Canone 3.

Septimò docuit, naturalibus sui arbitrii viribus absque gratia DEI posse mereri sibi vitam æternam; & cùm in hoc de re nimis manifesta contra Scripturam argueretur, dixit gratiam dari nobis, non ut necessariam, sed ad facilius consequendam vitam æternam, quasi sine ipsa licèt difficulter eandem vitam consequi possimus. Damnatur in Concilio Milevitano Can. 5. & Trident. Sess. 6. Can. 1. & 2. *Si quis dixerit, ad hoc solum divinam gratiam per Christum dari, ut facilius homo justè vivere, ac vitam æternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed ægrè tamen & difficulter possit, anathema sit.*

Octavò docuit, gratiam DEI non dari ad singulos actus, eamque sitam esse in sola possibilitate naturæ, & in lege atque doctrina. Damnatur in Concil. Milevit. Can. 4. *Si quis dixerit, gratiam DEI per Christum propter hoc tantùm nos juvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur & aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere, aut quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, ac valeamus;*

tantùm posse, sed & ipsum velle & agere in nobis operari non intendentes nostram cooperationem ad tales actus excludere, sed volentes contra Pelagium necessitatem divinae gratiae ad omnes actus & operationes nostras adstruere.

Arguitur Secundò ex aliis Patribus: Anselmus super illud 1. Corin. 15. *Non ego, sed gratia DEI mecum. Notandum*, inquit, *quòd superna pietas, prius aliquid agit in nobis sine nobis, ut subsequente nostro arbitrio bonum, quod appetimus, agat nobiscum.* Et S. Ambrosius de grat. & lib. arbit. circa finem: *Verba*, inquit, *non mea sunt, sed Apostoli, qui omne, quod boni esse potest, id est, cogitare, velle, & perficere attribuit DEO, non suo arbitrio. Si ergò*, inquit Bernardus; *DEUS tria haec, hoc est, bonum cogitare, velle, & perficere operatur in nobis, primum profectò sine nobis, secundum nobiscum, & tertium per nos operatur.* Respond. SS. Patres hic & ubicunque videntur dicere DEUM in nobis sine nostra cooperatione producere appetitum, amorem aut volitionem boni in actu secundo; item cogitationem, fidem, aut intellectionem ex parte intellectûs, nil aliud velle aut intendere, quàm tales actus produci in nobis initiativè à solo DEO sine ulla nostra cooperatione, quatenus initium & radix operum nostrorum, quod est gratia operans à solo DEO in nobis sine nobis producitur, non velle autem volitionem ipsam aut cogitationem in actu secundo & formaliter sine cooperatione nostra produci. Patres enim & Concilia attribuunt quandoq; actiones nostras soli gratiae divinae nulla facta mentione voluntatis, non quòd haec effectivè aut physicè ad tales actiones non concurrat, sed quia gratia est prima & praecipua ratio agendi in nobis pro statu naturae lapsae, & radix omnium meritorum nostrorum.

IV. Differentia inter gratiam Adae & nostram.

Arguitur Tertiò: Si adjutorium divinae gratiae consisteret in actu primo, nulla esset distinctio inter gratiam primi hominis pro statu innocentiae, & gratiam Christi secundi hominis naturae lapsae, sed hoc est falsum, & contra Patres & Concilia, qui ubique utramque gratiam distinguunt. Probatur major: In hoc praecisè distinguunt Patres, & maximè Augustinus inter gratiam primi & secundi hominis, quod illa dederit solummodò posse benè operari, posse bonum non deserere, conferendo actum primum boni operis, non autem ipsum opus in actu secundo; gratia verò secundi hominis, non tantùm det posse velle bonum, posse benè operari, verùm etiam ipsum velle & operari in actu secundo: undè Augustinus de correptione & grat. cap. 10. 11. 12. & quidem signanter cap. 11. hoc dicit: *Tale erat adjutorium primi hominis, quod desereret, cùm vellet, & in quo permaneret, si vellet, non quo fieret, ut vellet. Haec est prima gratia, quae data est primo Adam, sed haec potentior est in secundo Adam. Prima est enim, quâ fit, ut homo habeat justitiam si velit: secunda verò plus est, qua etiam fit, ut velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contrariâ concupiscentem, voluntatem Spiritus vincat*, ex quibus & aliis locis S. Augustini clarissimè constat, ipsum hoc unicè distinguere inter gratiam primi hominis pro statu innocentiae, & Christi secundi hominis pro statu ruinae, quòd illa dederit solummodò posse, & non ipsum velle, aut operari; haec verò det non solùm posse, sed & velle & operari in actu secundo, ergò si gratia Christi consistit in actu primo, aut qualitate aliqua supernaturali & mortua, non distinguetur à gratia primi hominis. Respond. neg: maj: ad cujus probationem dico, gratiam secundi hominis conferre quidem non solùm posse, sed & ipsum velle & operari in actu secundo, non tamen sine cooperatione voluntatis nostrae, nec aliud continent loca S. Augustini. In hoc igitur distinguitur gratia primi hominis à gratia Christi secundi hominis, quòd licèt utraque gratia consistat in actu primo, & in principio quodam supernaturali, pro quo

 utro-

utroque statu innocentiæ & ruinæ elevantur & adjuvantur potentiæ humanæ ad supernaturaliter & meritoriè operandum, prima tamen fuit multò debilior & longè infirmior, quàm secunda, non enim indigebat primus homo in apice libertatis constitutus, nullâ infirmitate circumdatus, nullâ pugnâ aut contradictione carnis turbatus, tanto aut tàm potenti auxilio gratiæ ad refrænandam concupiscentiam, sicut pro statu naturæ lapsæ indigemus nos, in quibus caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem; undè gratia primi hominis non determinavit nec trahebat voluntatem ad operandum, sed tantùm offerebat expectando & rogando beneplacitum voluntatis, non causando nec eliciendo: Gratia verò Christi secundi hominis multò potentior est & efficacior, quæ voluntatem ita dulciter & fortiter movet, excitat, stimulat, trahit, & inclinat ad operandum, non expectando aut rogando ut velit, sed ducendo & inclinando, ac efficiendo, ut velit, ita ut in primo statu ratio & radix agendi esset voluntas non sine gratia, in secundo verò gratia cum voluntate. Undè S. Augustinus de corrept. cap. 11. distinguendo inter utramque hanc gratiam ait: *Verumtamen etsi non lætiore nunc, potentiore tamen gratiâ indigent isti.* Prima enim est, quâ fiebat, ut homo habeat justitiam, si vellet, secunda verò plus est, quâ etiam fit, ut vellet.

V. Gratia physicè concurrit ad actus bonos eliciendos.

Quæres: An prædictæ gratiæ concurrant physicè & efficienter ad actus nostros aut tantùm moraliter? Difficultas est de sola gratia actuali, suppono enim ex aliis materiis gratiam habitualem concurrere efficienter & physicè cum voluntate ad suos actus eliciendos. De gratia igitur actuali Respond. juxta diversas opiniones de essentia gratiæ actualis jam positas, qui enim docent essentiam gratiæ actualis consistere in actibus secundis intellectûs & voluntatis, convenienter ad hoc dicunt nullam gratiam actualem concurrere efficienter aut physicè ad actus nostros supernaturales & meritorios, sed moraliter tantùm, movendo, inclinando, & moraliter concurrendo cum potentiis nostris ad ejusmodi actus eliciendos. Ratio est, quòd nullus actus secundus intellectûs aut voluntatis possit efficienter aut physicè concurrere ad actus earundem potentiarum, cùm sint ex natura sua actus physicè transeuntes. Qui verò dicunt, essentiam gratiæ actualis consistere in actu primo & comprincipio supernaturali, consequenter ad hoc docent, gratiam actualem concurrere efficienter & physicè cum potentiis nostris ad operandum, & ratio est, quòd voluntas nostra (idem de intellectu) post debilitatam per peccatum ejus virtutem, non est per se principium completum aut sufficiens etiam in rigore physico respectu ullius actûs supernaturalis aut meritorii, ùt satis ostendit Concilium Tridentinum. Sess. 6. Can. 1. 2. & 3. adeoque ut modo connaturali ad ejusmodi actum concurrat, debet compleri per aliquod comprincipium effectivum sibi superadditum, per quod elevetur & proportionetur ipsi, sicut intellectus noster debet per lumen gloriæ elevari & compleri in cœlo ad visionem beatificam eliciendam, sed tale principium non potest esse ipse DEUS, aut aliquid potentiæ extrinsecum, ergò debet esse gratia aliqua operans, præveniens & excitans, quæ formaliter & intrinsecè inest, & inhæret potentiis nostris, easque complet, elevat, & adjuvat etiam physicè ad supernaturaliter agendum.

Dices: Ad hoc sufficere vel ipsos actus secundos intellectûs & voluntatis à solo DEO in nobis productos, & moraliter ad sequentes actus concurrentes, vel specialem & extrinsecum concursum DEI, quo nobiscùm specialiter & ex proposito concurrit ad actus supernaturales producendo. Respond. Contra Primum, quod posito quocunque concursu morali, poten-

potentiæ nostræ non sunt sufficientes etiam physicè ad eliciendos actus supernaturales, nisi ad hoc habeant completa omnia principia physica in actu primo, sed talia principia non sunt completa sine aliquo comprincipio supernaturali physicè concurrente contra Tridentinum jam citatum. Contra secundum etiam militat ratio eadem, quia omnis concursus extrinsecus DEI præsupponit ex parte nostra virtutem activam in actu primo completam; cùm nil ultra suas vires per quemcunque concursum extrinsecum posset agere, sed ex Concilio jam citato voluntas humana non habet ex suis propriis viribus virtutem sufficientem etiam in actu primo ad operandum supernaturaliter & meritoriè, ergò antecedenter ad quemcunque concursum extrinsecum DEI requiritur ex parte potentiæ comprincipium aliquod intrinsecum & supernaturale, quo reddatur in actu primo proximè potens producere tales actus, & in actu secundo ad eorum productionem physicè concurrat.

QUÆSTIO QUARTA.

An Adjutorium divinæ gratiæ sit necessarium ad cognoscendas veritates naturales & speculativas?

I. Veritates speculativę & practicæ quæ sunt.

A Minus imperfectioribus ad perfectiora ascendendo incipio à naturalibus operationibus intellectûs, cùm hic sit lumen ostendens quid agere, quidve omittere debeamus. Itaque veritates naturales & speculativas voco illas, quæ ex se & ex sua ratione non referuntur nec ordinantur ad movendum affectum ad benè vel malè operandum, sed in sola & nuda speculatione sui objecti, sine ullo ordine ad opera virtutum moralium consistunt, quales sunt veritates Logicæ, Physicæ, Metaphysicæ; Artes item Mechanicæ & cognitiones experimentales, dummodò ad opus morale non referantur; Veritates morales & practicæ sunt, quæ ex sua ratione & fine movent affectum, & inclinant voluntatem ad benè vel malè operandum, dictando ipsi practicè, quæ secundùm virtutem agenda vel omittenda.

Vasquez tom. 2. d. 188. cap. 2. qu. 109. docuit, hominem pro hoc statu posse cognoscere veritates naturales & speculativas sine speciali gratia Christi, non autem sine aliqua gratia DEI; ubi per gratiam Christi, ut ibidem explicat, intelligit solam illam, quæ ordinatur ad justificationem nostram ex merito passionis & mortis Christi juxta illud Augustini epist. 105. *Christus*, ait, *non fuit mortuus, ut Mathematici, Physici, aut Rhetores simus, sed ut justi fiamus*, per gratiam verò DEI intelligit omne aliud donum à DEO liberaliter hominibus concessum, & distinctum à dono creationis & conservationis; docet itaque ad cognoscendas veritates speculativas requiri specialem DEI providentiam removentis impedimenta, applicantis objecta, excitantis species; disponentis complexionem. Neque ad hoc sufficere concursum generalem causæ primæ cùm secunda; quas proindè vult ipse nomine gratiæ intelligi, quanquam fateatur ibidem, non esse dona supernaturalia. Secunda sententia est Suarez lib. 1. de gratia cap. 1. docentis: posse hominem etiam in statu naturæ lapsæ sine speciali gratia DEI aut Christi cognoscere singulas veritates naturales & speculativas divisivè, licèt non omnes collectivè.

Dico Primò: *Ad aliquas veritates naturales & speculativas cognoscendas non requiritur adjutorium speciale divinæ gratiæ supra exigentiam physicam naturæ.* Est Scoti in 1. d. 3. quæ. 4. per totum; ubi adducit quatuor genera cognoscibilium, quæ à nobis naturaliter & sine speciali illustratione gratiæ possunt pro hoc statu certitudinaliter cognosci: Primum genus ponit Principia per se nota. Secundum, Conclusiones ex iis evidenter deductas. Tertium,

II. Veritates aliquæ naturales sine adjutorio divinę gratiæ possunt cognosci.

 cogni-

cognitionem eorum, quæ habentur per experientiam sensuum. Quartum denique actus seu operationes nostras. Quia secundùm Philosophum 4. Metaph. tex. 26. per se notum est, hominem vigilare. Eandem conclusionem docet D. Thomas 1. 2. q. 109. art. 1. & 10. ubi ait: nullum esse adeò hebetem, qui aliquas veritates, præcipuè ex his, quæ sunt per se notæ, non possit cognoscere cum solo concursu generali DEI.

Probatur Conclusio ex Scriptura ad Rom. 1. ℣. 20. ubi dicitur DEUM innotuisse gentibus ex cognitione creaturarum: *Invisibilia DEI*, inquit, *per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* Et Sap. 13. *A magnitudine speciei & creaturæ poterit Creator rerum cognoscibiliter videri.* Et Psalm. 18. *Cœli enarrant gloriam DEI.* Si ergò ex creaturis possumus aliqualem DEI cognitionem attingere, poterimus à fortiori de ipsis creaturis cum communi influentia & concursu DEI certam aliquam habere notitiam.

Probatur Secundò Ratione: Non est recurrendum ad extraordinarium DEI concursum, aut singularem gratiam sine ullâ necessitate, aut ubi effectus non excedit virtutem activam causæ secundæ cum concursu generali ejusdem, sed plurimæ cognitiones veritatum naturalium & speculativarum non excedunt virtutem activam intellectûs humani cum objecto aut specie ipsius & communi influentia causæ primæ, ergò ad tales cognitiones habendas non est recurrendum ad singularem DEI concursum, aut specialem gratiam. Maj: & conseq: patent: Probatur min: secundùm Philosophum 3. de anima tex. 18. causa adæquata naturalis cognitionis est intellectus cum objecto aut specie ipsius, ergò sine ullo speciali auxilio gratiæ poterit cum tali specie & generali concursu DEI ejusmodi cognitionem producere. Deindè non debet denegari potentiæ superiori in ordine ad suum objectum, quod potentiis inferioribus circa sua objecta conceditur: sed potentia sensitiva tactûs, v. g. sine speciali ulla gratia elicit sensationem circa suum objectum sentiendo frigus vel calorem, ergò non debet idem denegari intellectui circa suum objectum. Denique quid est facilius intellectui, quàm scire prima principia lumine naturæ nota, ut *Quodlibet est vel non est*: *Totum est majus sua parte*. Quæ proindè dicuntur principia lumine naturæ nota, quia primo intuitu & sine ulla difficultate ex natura ipsa terminorum innotescunt intellectui cum solo concursu generali DEI, vel specie objecti, & sanè, qui hanc virtutem negat intellectui creato, aut dicit hominem non posse naturaliter cognoscere seipsum vivere, vigilare, sentire, constituit ipsum pejorem brutis, quibus sine omni gratia aut extraordinario DEI concursu dantur propriæ sensationes circa sua naturalia objecta.

III. Cognitiones practicas ad observantiam mandatorum sine gratia haberi non possunt.

Opponitur Primò: Scriptura S. quæ pluribus in locis dicit cujuscunque veritatis cognitionem DEI esse donum, 2. Corinth. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex DEO est.* & 2. Paralip. 20. *Cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.* & 1. Corinth. 4. *Quid habes, quod non accepisti?* & Psal. 93. *Qui docet hominem scientiam*, ergò ex mente S. Scripturæ nullius veritatis cognitionem, imò nec cogitationem possumus sine gratia DEI habere. Confirmatur ex Concil. Milevit. Can. 4. ubi expressè ait, scientiam esse donum DEI: *Utrumque*, inquit, *donum DEI est.* & Can. 4. ubi expressè ait: *Quid agere debeamus, & diligere faciamus, ut ædificante charitate, scientia non possit inflare, sicut enim de DEO scriptum est, qui docet hominem scientiam, ita etiam scriptum est, & charitas ex DEO est.* & ex Concilio Arausicano 2. Can. 22. ubi loquens de his, quæ sunt hominum propria, ait: *Nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum, si quis autem veritatem* aut

aut justitiam habet, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac Eremo. Ergò ex mente Conciliorum Milevit. & Arausic. nulla potest dari in nobis cognitio cujuscunque veritatis sine adjutorio gratiæ. Respond. in omnibus istis Scripturæ locis sermonem esse potissimùm de cogitatione, cognitione aut scientia practica mandatorum DEI, quæ conducunt ad vitam æternam & voluntatem ad benè operandum movent & inclinant, quos libenter concedimus, non posse à nobis sine gratia DEI haberi, sed negamus talem gratiam requiri ad habendam cognitionem speculativam multarum rerum, quæ nec conducunt ad vitam æternam, nec voluntatem ad benè operandum movent, undè nego consequ: ad Confirm. Respond. Similiter Concilia non velle aliud, quàm cognitionem quamcunque aut scientiam mandatorum DEI conducentem ad vitam æternam, & moventem voluntatem ad bonum esse non posse sine speciali gratia DEI, undè ait Concil. Milevitanum: *Donum DEI esse scire, quid agere debeamus*, utique in ordine ad vitam æternam consequendam; cùm quo benè stat, quòd alias cognitiones naturales & speculativas ad hanc non conducentes possit ex solis naturalibus cum concursu generali & ordinario DEI habere, undè nego consequentiam.

Arguitur Secundò: Potest Deus absque ullo miraculo vel injuria hominis denegare ipsi omnem omninò cognitionem: ergò quòd ullam de facto habeat, aut ad hoc præstet ipsi DEUS concursum suum, fit ex speciali gratia. Consequ: patet: Probatur antec: casu, quo moreretur homo in utero, aut quo crearetur in loco, ubi nullum haberet objectum applicatum, aut quo negaretur ipsi concursus sive generalis sive specialis DEI, nullam haberet omninò cognitionem, sed ista poterant contingere sine miraculo aut injuriâ hominis, cùm ipsi nonnisi ex liberalitate DEI donentur, ergò. Confirmatur: Homo lapsus ex demerito suo inobedientiæ contraxit grave vulnus ignorantiæ in intellectu, quo ejus vires fuerunt multum enervatæ, & quasi penitus extinctæ, ergò absque speciali auxilio gratiæ sanante hunc defectum, non poterit ullam cognitionem veri naturalis perfectè acquirere. Consequ: patet: Tùm, Quia post tale vulnus minùs potest intellectus tales cognitiones efficere, quàm in statu naturæ integræ, ubi nullum tale vulnus habuit, sed tunc non poterat ex suis naturalibus viribus alias veritates quàm naturales attingere, ergò jam inflicto per peccatum tali vulnere, non poterit sine speciali gratiâ DEI has ipsas veritates attingere. Respond. neg: antec: ejusque probationis min: Quia hoc ipso, quòd DEUS creaverit hominem, deditque ipsi potentias & vires naturales activas ad suos connaturales effectus producendos, non potest sine miraculo, & absque maximâ injuriâ ipsius impedire ipsum in suis effectibus, aut denegare ipsi concursum suum universalem, quo ratione suæ generalis providentiæ tenetur ad omnes effectus causarum secundarum concurrere, quomodò enim fieri potest, ut homo habens intellectum & voluntatem vivat, & non sciat seipsum vivere, aut alia, sine quibus vivere non potest, ignoret? Neque ista exempla faciunt ad propositum, quia Conclusio loquitur de statu hominum; prout de facto à DEO creantur & conservantur cum integritate potentiarum, & aliis naturali cursu rerum debitis. Ad Confirm. Respond. conc: antec: & neg: conseq: licèt enim intellectus humanus per peccatum primi hominis contraxerit grave vulnus ignorantiæ, quo ejus vires fuerunt multùm enervatæ, non fuerunt tamen extinctæ, aut penitus sublatæ, ut definit Tridentinum Sess. cap. 6. ac proindè poterit per reliquas, quas habet vires, cum generali DEI concursu plurium veritatum naturalium cognitionem acquirere, licèt non cum tanta facilitate, sicut in statu naturæ integræ, in quo multò plurium veritatum cognitionem habuit, quàm

jam supposito tali vulnere posset habere.

IV. Veritates naturales omnes collectivè non potest intellectus noster cognoscere abique gratia.

Dico Secundò: *Non potest intellectus noster pro hoc statu omnes veritates naturales collectivè aut etiam divisivè cognoscere sine speciali adjutorio divinæ gratiæ toti naturæ physicè indebito.* Et quoad primam partem communis sententia; & quoad secundam partem contra Suarez superiùs citatum, ubi ait, oppositum esse communem sententiam; eam quoad utramque partem tradit Scotus pluribus in locis & præcipuè quæst. 1. Prologi §. ad primum num. 11. ubi negat, substantiam cognosci à nobis pro hoc statu perfectè, aut secundùm propriam rationem, sed confusè tantùm, & sub ratione aliqua generali abstrahibili à sensibilibus, quod in aliis locis sæpissimè supponit.

Probatur Conclusio quoad primam partem, quia nullus unquam inventus est, maximè post lapsum, qui omnes illas veritates cognoverit; quis enim unquam, quantumvis longissimâ vitâ vixerit, & omnium naturalium donorum excellentiâ floruerit, potuit omnes complexiones inter causas naturales & suos effectus percipere, omnium herbarum & animalium naturas & virtutem penetrare, occultas rerum omnium essentias perscrutari, cùm nec Salomon ipse, qui singularissimam in hoc genere à DEO Ter Maximo gratiam infusam accepit, credatur omnia cognovisse. Undè meritò in Scripturâ Sacrâ arguit DEUS ignorantiam & inscitiam hominis, Job. 38. 39. & 40. ubi plurima enumerat, quæ homo naturaliter, aut ex omnibus naturæ viribus non potest cognoscere; Per quod etiam patet secunda pars conclusionis, quia nullus unquam purus homo scivit etiam divisivè rerum essentias, quidditates & naturas, cùm hæ sint innumeræ propè, earumque quædam occultissimæ & difficillimæ. Neque Philosophus ipse sequendo in hoc naturalis rationis ductum statuit aliud objectum motivum intellectûs nostri pro hoc statu, quàm quidditatem rei sensibilis, undè fuit illud commune axioma ipsius: *Nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu.* Et illud: *Intelligentem oportet phantasmata speculari.* Item illud: *Quod intellectus intelligit, phantasia phantasiatur*: sed quidditas rei sensibilis non includit virtualiter, aut formaliter omnes veritates, quæ per se cadunt sub objecto motivo intellectûs creati secundùm se considerati, ergò non possunt pro hoc statu à nobis distinctè & secundùm proprias rationes cognosci. Adde plurimas veritates naturales nobis innotuisse per fidem, quas Philosophi naturales, quantumvis lumine naturæ illustrati penitus ignorârunt, & nos nisi altiori lumine fidei essemus illustrati, pariter negaremus, ut existentiam accidentis in Eucharistia sine omni subjecto, positionem ejusdem corporis in duobus locis, ac duorum in uno, DEUM ad extra contingenter agere, immortalitatem animæ, & plura similia, quæ secluso lumine fidei per solius naturæ vires cognoscere non valemus.

Arguitur: Potest homo naturaliter plures veritates cognoscere juxta primam nostram conclusionem, sed non est major ratio de illis, quàm de aliis quibuscunque veritatibus naturalibus, ergò poterit omnes cognoscere. Confirmatur: Si ad tales veritates cognoscendas requireretur gratia DEI specialis, vel hoc est per modum comprincipii concurrentis cum intellectu, eumque illustrando, vel tanquam removens impedimenta, quibus à productione suarum operationum impeditur intellectus, vel denique tanquam applicans objectum ad potentiam, sed hæc omnia videntur per ipsam naturam posse suppleri, ergò. Respond. conc: maj: & neg: min: cum paritate, quia aliquæ veritates sunt faciliores scitu, & magis sensibilibus connexæ, aliæ verò à sensibus remotissimæ, ac proindè scitu difficillimæ, quas proindè nullus intellectus alligatus sensibus, nisi singulariter illu-

illustratus potest investigare; undè neg: consequ: Ad Confirm. Respon. Gratiam requiri tùm ad illustrandum intellectum per novas species, quas ab objecto non potest homo percipere, v. g. substantiæ spiritualis, vel etiam materialis, dum intellectus dependet à sensibus: tùm etiam ad removenda impedimenta & distractiones occurrentes: tùm denique ad applicandum objectum, quod per se immediatè non potest movere potentiam.

Dices: Homo habet naturalem appetitum & inclinationem ad cognoscendum omnes veritates naturales, ergò potest eas naturaliter cognoscere, quia frustra videtur potentia naturalis, quæ per suas proprias vires non possit reduci ad actum. Deindè si ad ejusmodi cognitiones habendas requireretur gratia specialis, non essent naturales cognitiones, sed supernaturales, sed hoc est falsum, & contra suppositum nostrum, ergò. Respond. ad Primum, neg. consequ: quia habet homo innatum appetitum ad beatitudinem, quam tamen secundum fidem non potest propriis viribus acquirere, neque frustra est potentia vel appetitus, quæ per suas proprias vires non potest reduci ad actum, ut patet in materia prima, quæ potest & appetit omnes formas recipere, quas tamen non potest naturaliter simùl aut successivè habere. Ad Secundum Respond. ejusmodi cognitiones esse quidem in modo supernaturales, sicut est illuminatio cœci, quia modus producendi tales cognitiones est extraordinarius, & præter vires naturæ pro hoc statu, non sunt autem supernaturales in substantia, sicut sunt actus fidei, spei, charitatis, visionis beatificæ, &c. quæ proindè dicuntur supernaturales in substantia, quia superant omnem virtutem activam cujuscunque naturæ creatæ pro quocunque statu. Illud autem voco supernaturale quoad modum, quod licèt de facto in quibusdam circumstantiis excedat virtutem talis naturæ, tamen simpliciter potest haberi per naturam aliquam in aliquo alio statu positam, sicut in proposito nostro licèt cognitio intuitiva rerum omnium sive collectivè sive divisivè non possit pro hoc statu ab homine haberi propter dependentiam ejus à sensibus aliaq; impedimenta, quæ facilè ipsum impediunt, non repugnat Angelo vel animæ separatæ ejusmodi cognitiones habere, adeòque sunt de facto in substantia naturales, & in modo tantùm supernaturales.

QUÆSTIO QUINTA.

An adjutorium divinæ gratiæ sit necessarium homini ad veritates practicas cognoscendas?

HÆc quæstio per eadem principia, quibus superior, potest resolvi, & probari, hoc solùm hic Notandum est: Veritates practicas esse in duplici differentia, aliæ sunt communes & universales, ut sunt prima principia practica, v. g. *Bonum est amandum, malum fugiendum: Parentes honorandi: Quod tibi non vis fieri &c.* Et Conclusiones in Philosophia morali ex talibus principiis evidenter deductæ: Aliæ sunt particulares, quæ scilicet afficiuntur omnibus circumstantiis ad honestatem actûs in individuo requisitis, ut sunt circumstantiæ, finis, mediorum, loci, temporis, personæ, &c. quæ quia à pluribus circumstantiis dependent, difficiliùs possunt ab intellectu cognosci, quàm principia communia sive speculativa sive practica, quæ à talibus circumstantiis non dependent. I. Veritates practicæ sunt duplices.

Dico: *Quamvis ad cognoscendas omnes veritates practicas & morales in particulari & de omnibus agendis sine periculo errandi judicandum, necessarium sit homini lapso adjutorium divinæ gratiæ, quæ ejus gressus dirigunt, potest nihilominus plures veritates morales & practicas tàm universales, quàm particulares sine omni auxilio gratiæ cognoscere.* Est quoad utramque partem communis II. Veritates practicæ omnes non possunt sine gratia cognosci.

munis sententia. Probatur prima pars omnibus rationibus, quibus conclusionem secundam præcedentis quæstionis probavi, non posse intellectum pro hoc statu sine adjutorio gratiæ cognoscere omnes veritates speculativas simùl aut successivè, quæ ad propositum possunt applicari; vulnus enim ignorantiæ per peccatum inflictum homini, non magis læsit intellectum speculativum, quàm practicum, neque majores patitur homo difficultates in suis cognitionibus speculativis, quàm practicis, utpote à pluribus circumstantiis loci, temporis, personæ dependentibus, ergò si intellectus sine adjutorio gratiæ non potest omnes veritates speculativas simùl aut successivè cognoscere, nec à fortiori poterit omnes veritates practicas sine maximo errandi periculo cognoscere, nisi adsit ipsi specialis gratia DEI.

Deindè plurimi de facto Philosophi naturales, aliaque præclara ingenia erraverunt circa præcepta Decalogi deserentes DEUM verum, & convertentes se ad idola: alii putârunt præceptis secundæ tabulæ prohiberi solùm externos actus furti v. g. adulterii &c. non actus internos, ut testatur Josephus lib. 12. Antiqu. cap. 13. ergò signum est, non posse omnes illas veritates sine gratia DEI cognosci. Denique plures veritates practicæ conducunt & dirigunt ad ultimum finem, ergò non potest earum perfecta notitia sine gratia DEI haberi: *Utrumque enim donum DEI est*, ut loquitur Milevit. *& scire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus.*

121. Veritates practicæ aliquæ sine gratia possunt intelligi.

Secunda pars Conclus. etiam patet, quia plurimæ veritates practicæ maximè prima principia sunt in se facillima, & lumine naturæ nota, ùt *bonum amandum, malum fugiendum, quod tibi non vis fieri &c.* undè August. lib. 2. Retract. cap. 4. *Manu*, inquit, *Formatoris in ipsis cordibus veritas scripsit, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Et Hieron. in epist. ad Algasium q. 8. *Lex*, inquit, *quæ in corde scribitur, omnes continet nationes, & nullus est, qui hanc legem nesciat*, ergò ad cognoscendum plures veritates practicas non est necessariò recurrendum ad speciale adjutorium gratiæ DEI. Deindè constat idem per rationes, quibus præcedenti quæst. ostendi posse intellectum nostrum cognoscere plures veritates speculativas sine speciali ullâ gratiâ DEI, quæ ad propositum possunt applicari. Denique nil est faciliùs, quàm in generali cognoscere bonum esse faciendum, malum fugiendum, parentes honorandos, & plura similia, quæ etiam pueri sine ulla difficultate sciunt, ergò in his non est recurrendum ad speciale auxilium gratiæ.

Dices: Intellectus noster sicut se solo potest sine omni gratia aliquas veritates morales & practicas cognoscere, ita videtur sufficere ad omnes cognoscendas, cùm nulla sit, quæ magis ejus captum superet, quàm alia, adeóq; vel nullam vel omnes simùl poterit cognoscere. Respond. non esse eandem rationem, de cognoscendis quibusdam veritatibus practicis, iisque paucis, & per se notis, ac de omnibus; quia in primis aliquæ veritates practicæ sunt nimis universales & per se notæ, quæ proindè sine omni difficultate possunt ab intellectu cognosci, aliæ verò sunt difficiles, & à sensibus & captu nostro valdè remotæ propter multiplices, quas habent, circumstantias loci, temporis, personæ, finis, motivi, &c. quæ nunc magis nunc minùs impediunt potentias nostras. Deindè aliquæ sunt veritates morales, quæ conducunt & dirigunt ad ultimum finem nostrum, & quæ proindè non possunt à nobis sine gratia cognosci, de quibus non est eadem ratio, ac de aliis veritatibus practicis, quæ ad talem finem per se non conducunt.

Arguitur contra secundam partem, 2. Corinth. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, sed sufficientia nostra ex DEO est.* & Concil. Milevit. Can. 4. *Utrumque donum DEI*

DEI est, & scire, quid agere debeamus, & diligere, ut faciamus. Et Arausic. 2. Can. 9. *Divini muneris est cùm rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate & injustitia tenemus.* & Canon. 22. *Nihil habet homo de suo, nisi mendacium & peccatum. Si quis autem veritatem & justitiam habet ab illo fonte, quem omnes sitire debemus in hac eremo*, ergò juxta mentem Scripturæ & Concil. nullam veritatem moralem & practicam potest homo ex propriis viribus sine gratia DEI cognoscere. Respond. Apostolum imprimis non loqui de quacunque cogitatione, sed de cogitatione salutari ac sancta, quæ ad justitiam & pietatem confert; sicut ipsum in dicto loco exponit, & intelligit Augustinus lib. 1. de prædestin. Sanct. cap. 2. Nec aliud voluerunt Concilia adducta, egerunt enim Concilia contra Pelagianos, aliosque hæreticos, qui necessitatem divinæ gratiæ ad opera pietatis penitùs negârunt; adscribentes omnia opera nostra viribus liberi arbitrii; Contra quos proindè definiunt Concilia, hominem non posse scire aut cogitare, multò minùs agere quidpiam, quod ad pietatem, justitiam, & æternam salutem conducat sine gratia DEI, prout clarius ostendit Concil. Arausic. Canon. 7. *Si quis*, inquit, *per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut expedit, aut eligere posse affirmat absque illuminatione & illustratione Spiritûs S. hæretico fallitur Spiritu, non intelligens vocem Domini in Evangelio dicentis, sine me nihil potestis facere, & illud Apostoli: Non sumus idonei cogitare aliquid ex nobis &c.* ubi definit solummodò Concilium, cogitationem illam aut cognitionem, quæ ad pietatem & justitiam confert, non posse à nobis sine gratia DEI habere, quod libenter concedo, sed cum hoc benè stat, quod alias cognitiones morales, quæ ad pietatem aut salutem non ita pertinent, aut conducunt, possit homo sine omni gratia habere.

Dices: Omnem cognitionem & cogitationem veri moralis, ùt DEUM *esse amandum, præcepta servanda, parentes honorandos*, ad salutem & pietatem conducere, ergò juxta dictum jam Concilium, hæreticum est asserere talem cogitationem, aut cognitionem posse sine gratia DEI haberi. Respond. neg. antec: non enim omnis cogitatio bona moralis ad veram pietatem & justitiam, de qua loquitur Concil. pertinet, sed ea duntaxat, quæ ad gratiam justificationis, vel ad meritum vitæ æternæ ordinatur aut disponitur, quia nulla opera nostra ad veram pietatem, justitiam; aut salutem æternam faciunt, nisi propter DEUM fiant, & ad ipsum aliquomodò referantur, quomodo non est opus omnes cogitationes nostras circa veritates morales & practicas referri.

Arguitur Secundò: Si nostris viribus sine gratia DEI possemus cognoscere verum morale, haberet homo undè posset gloriari, contra illud Apostoli 1. Corinth. 4. *Quid habes, quod non accepisti, si autem accepisti, quid gloriaris; quasi non acceperis?* Respond. Apostolum loqui contra eos, qui sibi tribuebant ea, quæ verè ad gratiam pertinent, ùt sunt fides; & alia opera supernaturalia, quæ omnes naturæ vires superant; & quæ sibi tanquam propria adscribebant Corinthii; ab Apostolo ibi acriter reprehensi; nám ut docet Augustinus lib. 1. de prædestinatione Sanctorum, cap. 4. & 5. *Illi, quos Apostolus reprehendit, non gloriabuntur de forma, sanitate, ingenio, aut ullo naturali dono; sed de donis, quæ pertinent ad salutem, & pietatem, undè ait Apostolus: quis est, qui te discernit, id est, undè habes, aut quis tibi dedit, ut fidelis esses, quid habes, quod non accepisti?* Adde etiam in ipsis naturalibus non esse nobis gloriandum, sed in DEO, à quo naturam, & vires omnes naturales accepimus, & sine cujus generali ad minus auxilio nil possumus.

Quæres: An intellectus noster ex propriis viribus possit cognoscere aut consentire aliquibus propositionibus fidei, aut ullas veritates su- IV. Credere nō potest aliquis sine adjutorio gratiæ Dei.

pernaturales attingere? Certum est, non posse hominem sine speciali gratiâ Dei assentiri propositionibus fidei ex motivo supernaturali, vel assensu veræ fidei divinæ, quæ necessaria est ad vitam æternam cõsequendam. Sed utrum fide humana possit ejusmodi propositionibus assentire sine omni gratia, nil videtur obstare: Quia si aliquis fide dignus, de cujus fidelitate & peritia magnam quis conciperet opinionem, diceret, DEUM esse trinum & unum, Verbum Incarnatum &c. sciens sibi vel ex revelatione vel ex Scriptura certo constare non videtur, cur propter authoritatem talis hominis non posset quis credere ejusmodi propositionibus assensu merè naturali, sicut propter similem authoritatem credimus aliis occultissimis naturæ miraculis, ex sola veracitate & authoritate Historicorum, qui vel ea viderunt, vel experientiâ didicerunt.

Nec refert, quòd Concil. Trid. Sess. 6. Can. 3. dicat: neminem posse credere, sperare, diligere sine gratia DEI, quia hoc solùm intelligit de actu supernaturali fidei, conducente & requisito ad vitam æternam consequendam, undè seipsum idem ibi explicat, dum ait: *Neminem posse credere, sperare aut diligere sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur.*

QUÆSTIO SEXTA.

An sine speciali adjutorio divinæ gratiæ actualis possit homo lapsus elicere aliquod opus moraliter bonum?

AB operationibus intellectûs manuducimur ad actiones voluntatis, quare cognito quid ille viribus naturæ sibi relictus possit, quidque non possit, considerandum venit, quid in opere suo valeat voluntas ad eliciendas actiones virtutum moralium; nec hîc est controversia cum hæreticis asserentibus omnia opera infidelium esse peccata, sed cum Catholicis, an supposito, quòd opera infidelium non sint peccata, requiratur ad ea elicienda gratia actualis, sicut in priori disputatione quæsivi: An sine gratia sanctificante opus moraliter bonum fieri possit. Pro quo

I. *Opera moralia sunt in duplici differentia.*

Notandum: Opera virtutum moralium esse in duplici differentia: Alia enim sunt, quæ conducunt ad vitam æternam consequendam, ejusque sunt de congruo vel condigno meritoria, ùt est largitio eleemosynæ propter DEUM, honor parentum ex motivo præcepti divini, & alia similia, quæ oportet in DEUM referri ultimatè, & propter ipsum fieri: Alia verò sunt opera virtutis moralis, quæ ad vitam æternam non conducunt, nec ex intentione operantis nullatenus in DEUM referuntur, sed in solâ honestate actûs, & naturali fine virtutis subsistunt, ùt est sublevatio indigentiæ alterius ex mera naturali compassione, aut propter naturalem aliquam conjunctionem in sanguine vel societate, continentia castitatis ex mera honestate virtutis, non referendo tales actus ad altiorem aliquem finem.

II. *Opera conducentia ad vitam æternam non possunt fieri sine gratia.*

Dico Primò: *Opera moralia conducentia ad vitam æternam non potest homo post lapsum, sed nec pro ullo statu elicere sine speciali divinæ gratiæ adjutorio.* Hæc est de fide certa, & Probatur Primò ex Scriptura Joann. 15. *Sine me nihil potestis facere*, quod maximè verum est de operibus conducentibus ad vitam æternam, & 2. Corinth. 3. *Non sumus sufficientes cogitare* (multò minùs facere) *aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex DEO est.* Et habetur expressè definitum in Concilio Arausicano 2. Can. 7. *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertineat vitæ æternæ, cogitare, ut expedit, aut eligere, sive salutari prædicationi consentire posse affirmat absque illuminatione & inspiratione Spiritûs Sancti, hæretico fallitur Spiritu, non intelligens vocem Domini in Evangelio dicentis: Sine me nihil potestis*

testis facere, & illud Apostoli: Non sumus idonei aliquid cogitare ex nobis &c. Et Can. 9. *Divini muneris est, cùm rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate & injustitia tenemus quoties enim bona agimus, DEUS in nobis, atque nobiscum, ut operemur, operatur.* Et novissimè in Trident. Sess. 6. cap. 16. ubi sic habetur: *Christus JESUS tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites in ipsos justificatos jugiter virtutem influit, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & concomitatur, & subsequitur, & sine qua nullo modo DEO grata aut meritoria esse possunt.* Et Canon. 22. *Si quis dixerit, justificatum sine speciali auxilio DEI in acceptâ justitia perseverare posse, anathema sit.* Et Can. 3. *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritûs Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.*

Et idem docent Patres communiter, unicus hic sufficiat adductus S. Augustinus epist. 89. qu. 2. *Illud verò, quod dicunt, sufficere homini liberum arbitrium ad Dominica præcepta implenda, etiamsi DEI gratiâ & Spiritûs S. dono ad opera bona non adjuvetur: omninò anathematizandum est, & omnibus execrationibus detestandum. Qui enim hoc asserunt, à Dei gratia penitus alieni sunt: qui ignorantes DEI justitiam, sicut de Judæis dicit Apostolus, & suam volentes constituere, justitiæ DEI non sunt subjecti: plenitudo quippe legis non est nisi charitas. Et utique charitas DEI diffusa est in cordibus nostris, non per nos ipsos, nec viribus propriæ voluntatis, sed per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Valet itaque liberum arbitrium ad opera bona, si divinitùs adjuvetur, quod fit humiliter petendo & faciendo. Desertum verò divino adjutorio qualibet scientia legis excellat, nullo modo habebit justitiæ soliditatem, sed inflationem impiæ superbiæ, & exitiosum tumorem: Docet hoc eadem ipsa Dominica oratio: frustra enim rogantes DEUM dicimus: Ne nos inferas in tentationem: si hoc in nostra sic positum est potestate, ut nullo illius adjutorio id valeamus adimplere.*

Dico Secundò: *Voluntas humana potest ex solis naturæ viribus sine speciali ullò adjutorio gratiæ habere plures actus moraliter bonos & virtuosos.* Est communissima inter Theologos sententia, & pro ea citat Ariaga Disp. 32. Sect. 2. 3. & amplius, Doctores, quorum aliqui probant Conclusionem Primò, ex Paulo ad Rom. 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt:* qui locus sive intelligatur de gentibus ad fidem conversis, ùt volunt aliqui, sive in infidelitate perseverantibus, æqualiter facit ad nostrum propositum, si enim gentes fideles & infideles faciunt naturaliter ea, quæ legis sunt, ergò ex solis naturæ viribus sine omni gratia id præstant, non enim dicitur naturaliter fieri, quod sine gratia DEI speciali fieri non potest. III. Opera moraliter bona potest voluntas elicere absq. gratia.

Probatur Secundò Conclusio, authoritate SS. Patrum, qui ubique distinguunt inter opera conducentia ad pietatem & vitam æternam, & illa, quæ præsentem vitam solùm cohonestant, & ad prima quidem requirunt speciale gratiæ adjutorium, ad alia verò minimè. Augustin. lib. 3. Hypognostesis cap. 4. *Esse,* inquit, *fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus habentibus usum rationis, non quia sit idoneum, quæ ad DEUM pertinent, sine DEO inchoare, aut certè perficere, sed tantùm in operibus præsentis vitæ tàm bonis, quàm malis, bonis dico, quæ à bono naturæ oriuntur, ut velle laborare, velle habere amicum, velle quidquid bonum ad præsentem vitam pertinet.* Et epist. 5. ad Marcellinum: *Rempublicam primi Romani constituerunt, auxeruntque virtutibus, etsi non habentibus veram pietatem erga DEUM, quæ illos in æternam civitatem possint perducere, custodientes tamen sui generis probitatem.* Et lib. de Spir. & litt. cap. 28. *Verumtamen quia non usque adeò in natura humana imago terrenorum affectuum*

fectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta remanserint, meritò dici potest etiam in ipsa impietate vitæ suæ aliquid legis sapere & facere. Et paulò pòst: *Sicut enim non impediunt à vita æterna justum quædam venialia, sine quibus hæc vita non ducitur, sic ad salutem æternam nil prosunt impio opera bona, sine quibus difficile vita cujuslibet etiam pessimi hominis invenitur.* Et ibidem loquens de Judæis ait: *Nam & ipsi homines erant, & vis illa naturæ illis inerat, per quam legitimè aliquid anima rationalis & sentit & facit, at pietas, quæ in aliam vitam transfert beatam & æternam legem habent immaculatam.* Et Gregor. hom. 27. in Evang. explicans illud Joann. 15. Hoc est præceptum meum ait: *Sunt nonnulli, qui diligunt proximos, sed per affectum cognationis & carnis, quibus tamen in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt, sed aliud est, quòd sponte impenditur naturæ, & aliud, quod præceptis dominicis ex charitate debetur obedientiæ.* Ergò ex mente SS. Patrum dari possunt ex solis naturæ viribus sine speciali ullo auxilio gratiæ actualis aliqua opera naturalia moraliter bona & virtuosa.

Probatur Tertiò ex Bulla Pii V. & Gregorii XIII. in quibus damnatur sententia Michaelis Baji, qui propositione 28. docuit: *Liberum arbitrium sine gratia DEI & adjutorio nonnisi ad peccatum valere.* Et propositione 29. *Pelagianus error est dicere, quòd liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.* Et 36. *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, quod ex natura in iis viribus ortum ducat, agnoscit.* Et 39. *Nonnisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis bonus liberi arbitrii sive non malus, & gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit & docet.* Quæ propositiones sicut & aliæ multæ ejusdem authoris meritò sunt à Summis Pontificibus damnatæ, non tàm propter censuram, quam continent, ut eas excusare nititur Vasquez, quàm propter falsam, quam in se continent doctrinam.

Probatur Conclusio Ratione Quartò: In effectibus naturalibus arbitrii creati, non est recurrendum ad specialem DEI concursum & divinæ gratiæ adjutorium, ubi nulla necessitas, ratio vel authoritas cogit, sed nulla necessitas, ratio, vel authoritas cogit vel suadet requiri specialem DEI concursum aut divinæ gratiæ adjutorium, ad elicienda plura opera moraliter & civiliter bona & virtuosa, ergò in ejusmodi operibus eliciendis sine fundamento recurritur ad specialem DEI gratiam vel concursum. Maj: patet. Probatur Min: Quia præterquam, quòd nulla ratio efficax vel authoritas convincens talem necessitatem possit ostendi, non apparet, cur non possit voluntas creata cum solo generali DEI concursu sine speciali auxilio gratiæ ex naturali quadam propensione & filiali affectu honorare parentes, aut ex sola naturali commiseratione subvenire pauperi, quem videt extremè laborantem, cum in ejusmodi actibus nulla prorsus appareat difficultas, & sint ex natura rei convenientes naturæ rationali, ejusque inclinationi conformes.

Confirmatur: De fide est ex Trident. Sess. 6. Can. 5. liberum arbitrium in homine post prævaricationem primi Parentis non esse extinctum aut penitus sublatum, licèt ejus vires fuerint multum extenuatæ, sed si ex se aut propriis viribus nil possit circa objecta naturalia & civiliter honesta, non tantùm attenuatum, sed penitùs extinctum videretur, nam ut ait Prosper cap. 22. contra Collatorem: *Si neque ad ista terrena ordinanda rationalis animi vigeret ingenium, non vitiata esset, sed extincta natura*, ergò. Adde eundem actum ex objecto indifferentem, posse nunc fieri bonum, nunc malum ex sola mutatione extrinseca legis potentiâ uniformiter se habente, ergò cùm non requiratur ad talem actum gratia ulla specialis, quando est malus vel indifferens, nec etiam requiretur, quando est bonus, maximè nisi

nisi in DEUM referatur tanquam in finem & motivum. Consequ: patet: Quia nulla apparet major difficultas in opere ex eo præcisè, quòd prohibeatur vel præcipiatur, ergò si voluntas poterat sine gratia habere actum circa illud objectum, quando prohibetur, poterit etiam quando præcipitur.

IV. Concursus generalis DEI ad omnem actū moraliter bonum requiritur.

Opponuntur Primò varia loca Scripturæ, quibus inculcatur infirmitas naturæ humanæ ad benè operandum & divinæ gratiæ necessitas, affirmatur Joann. 15. *Sine me nibil potestis facere.* & 1. Corinth. 4. *Quid habes, quod non accepisti, si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis.* & 2. Corinth. 3. *Non sumus sufficientes cogitare* (multò minus facere) *aliquid ex nobis, sed sufficientia nostra ex DEO est*, ergò ex mente S. Scripturæ non potest voluntas humana sine speciali gratia DEI quidquam boni efficere, nam ut ait Augustinus tract. 81. in Joann. *Sive parum sit sive multum sine eo fieri non potest, sine quo nibil fieri potest*, ergò. Respond. ad primum locum: Christum ibi loqui de operibus conducentibus ad vitam æternam, de quibus paulò antè dixerat: *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum*, & ita hunc locum intelligit, & exponit Concil. Arausic. 2. Can. 71. Si intelligitur universaliter de quibuscunque operibus, debet exponi de concursu generali DEI cum causis secundis, qui ad omnem omninò effectum necessariò requiritur. Ad secundum locum dico similiter, non esse nobis in ullo gloriandum, nisi in DEO, sine cujus gratia nihil fructuosum aut conducens ad vitam æternam habere possumus, per quod etiam patet ad 3. & alia Scripturæ loca, quæ aliud non convincunt, quàm non posse hominem sine gratia DEI quidquam facere, quòd sit meritorium vitæ æternæ, aut ad specialem animæ salutem conducat, cum quo benè stat, quòd possit ex viribus naturæ efficere, alia opera etiam moraliter & civiliter bona & honesta, quæ aut ad salutem, aut ad vitam æternam non faciunt.

Opponuntur Secundò variæ authoritates SS. Patrum & Conciliorum, quæ nostræ Conclusioni videntur adversari: Innocentius Pontifex epist. ad Concil. Milevit. *Cùm*, inquit, *in omnibus divinis paginis voluntati liberæ non nisi adjutorium Dei legamus esse nectendum, eamque nibil posse cœlestibus auxiliis destitutam, quoniam modo huic soli possibilitatem banc pertinaciter, ut asseritis, defendetis.* Et Cœlestinus Pontifex in epist. sua 1. ad Episcopos Galliæ: *Omnia*, inquit, *studia & omnia opera ac merita Sanctorum ad DEI gloriam laudemque referenda:* & August. serm. 13. de verbis Apostoli: *Non sic*, inquit, *est adjutorium DEI, non sic est adjutorium Christi, non sic est adjutorium Spiritûs S. prorsus si defuerit, nibil boni facere poteris, agis quidem illo non adjuvante liberâ voluntate, sed malè.* Et statim subjungit: *Cùm dico tibi sine adjutorio DEI nibil agis, nibil boni dico, nam ad malè agendum habes sine adjutorio DEI liberam voluntatem.* Et ep. 29. *Valet itaque liberum arbitrium ad opera bona, si divinitus adjuvetur, desertum verò divino adjutorio nullo modo babebit justitiæ soliditatem, sed inflationem impiæ superbiæ & exitiosum tumorem.* Et Fulgentius lib. de Incarn. & Grat. cap. 24. *Sicut caro*, inquit, *nibil operari potest, si eam vivificare anima desinat, sic bomo nibil benè velle potest, si ab eo gratiæ juvamen abscedat, ut ergò caro & vivere possit & operari, præsentis animæ vivificatione fulcitur, bomo quoque ut bonum velit aut faciat gratiæ vivificantis subsidio jugiter adjuvatur.* Et Vincentius Lirinensis in libello suo adversus hæreses fol. 32. *Quis*, inquit, *unquam ante profanum illum Pelagium tantam virtutem liberi præsumpsit arbitrii, ut in bonis rebus per actus singulos ad adjuvandum necessariam gratiam DEI non putaret?* Idem docent alii Patres communiter. Et confirmari potest per authoritatem Concilii Arausicani Can. 9. ubi sic habetur: *Divini muneris est, cùm rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate & injustitia tenemus, quoties enim bona agimus, DEUS in nobis atque nobis-*

nobiscum, ut operemur, operatur. Ergò ex mente Patrum & Conciliorum non potest homo lapsus sine speciali gratia DEI elicere actum ullum bonum, aut ex objecto & circumstantiis virtuosum. Respond. ad ista & omnia loca Patrum & Conciliorum, quæ frustra hic congerunt Adversarii: Patres & Concilia nihil aliud intendisse, quàm non posse hominem, ex solis naturæ viribus sine, speciali aliqua gratia DEI elicere ullum actum veræ pietatis, aut conducentem ad salutem & vitam æternam, non negantes per hoc dari posse in natura plures actus honestos & civiliter bonos, qui ad istum finem non conducant. Egerunt namque Patres & Concilia contra Pelagianos, Semi-Pelagianos, aliosq; hæreticos, evacuantes gratiam DEI, & naturæ vires plus debito extollentes, qui absurdè nimis dixerunt, posse hominem ex solis naturæ viribus sine ullâ gratiâ internâ aut inspiratione Spiritûs Sancti mereri sibi vitam æternam, aut certè posse hominem ex solo libero arbitrio cogitare & eligere aliquid, quod ad salutem pertineat vitæ æternæ, neque gratiam aliter requiri, quàm ad melius esse, esseque pedissequam & ancillam voluntatis. Contra quos proindè meritò Concilia & Patres definiverunt, non posse hominem ex solis naturæ viribus sine gloriâ DEI quidquam cogitare, incipere, aut perficere, omnia opera nostra esse divinæ gratiæ adscribenda, Divini muneris esse, ut rectè cogitemus, DEUMq; in nobis atque nobiscum operari quoties benè operamur: non intendentes per hæc aut similia, quòd non possit homo sine speciali gratia DEI elicere ullum omninò actum honestum aut moraliter bonum, sed solummodò contra hæresim, quam impugnabant, asserentes, nihil posse hominem sine gratia DEI habere, quod ipsi conducat ad vitam æternam, omniaque ejus opera sine gratia elicita esse prorsus infructuosa, & ad vitam æternam pro nihilo reputanda; neque erat propositum Patrum & Conciliorum negare in natura plures actus honestos & moraliter bonos, qui neq; ad Deum referantur, neque ad vitam æternam conducant, quia de his non erat cum Adversariis disputatio, sed de solis operibus bonis, quæ vel ad gratiam justificationis promoveant, vel ad vitam conducant æternam.

Arguitur Tertio: Impossibile est vitare peccatum sine fructu & merito consequendi vitam æternam, ergò frustra distinguuntur opera moralia in conducentia & non conducentia ad vitam æternam. Consequ: patet. Probatur Antec: Impossibile est incidere in peccatum maximè mortale absque eo, quòd promereatur homo pœnam æternam & mortem æternam, ergò impossibile est, ut homo evitet peccatum absque merito consequendi vitam & gloriam æternam. Probatur consequ: Ideò præcisè homo peccando promeretur æternam pœnam, quia transgreditur præceptum DEI, Authoris vitæ & mortis, eumque quantum in ipso est, offendit & contemnit, ac per hoc in pœnam suæ inobedientiæ & rebellionis incurrit mortem & pœnam æternam, sed evitando peccatum conformat se homo voluntati divinæ, ejusque beneplacitum sequitur & offensam cavet, ergò vitando sic peccatum promerebitur vitam æternam, maximè cùm dicatur communiter DEUM citra condignum punire peccatorem, & ultra condignum præmiare, ergò sicut impossibile est, hominem peccare mortaliter absque eo, quòd incurrat pœnam æternam, ita impossibile erit ipsum evitare peccatum sine eo, quòd promereatur vitam æternam. Ante Responsionem.

Notandum: Peccata posse tripliciter evitari, Primò vitiosè, per unum scilicet peccatum evitando alterum, nam ut loquitur Augustinus de nuptiis & concupiscentia cap. 3. *Peccata peccatis vincuntur, sed non coërcentur.* Sic homo ex avaritiâ cessat adulterari, abstinet alius à vino, ut sit magis dexter & cautus ad furandum, V. Peccata tripliciter possunt vitari.

furandum, & denique tertiùs cavet à suspecto consortio præcisè propter vanam gloriam, aliaque multa similia, in quibus licèt homines abstineant ab aliquibus peccatis, in alia tamen incidunt, neque ad ejusmodi peccati evitationem requiritur ulla gratia, sed ut loquuntur Patres communiter: *Cupiditas major vincit in illis minorem.* Secundò potest homo vitare peccatum virtuosè, idque dupliciter, vel abstinendo à peccato propter DEUM & ex motivo obedientiæ, quam DEO tanquam superiori ac supremo Domino debet, cujus mandatum & voluntatem per tale peccatum transgreditur, & quantum in ipso est, contemnit, & talis evitatio peccati non potest absque speciali per Christum gratia haberi, ut in multis Conciliis est definitum, & de ea loquuntur Patres & Concilia, quoties dicunt hominem non posse ex se aut suis propriis viribus evitare ullum peccatum. Tertiò denique potest evitari peccatum etiam virtuosè suo modo præcisè propter naturalem in se turpitudinem actûs peccaminosi, & honestatem naturalem actûs oppositi, non referendo actum ad altiorem aliquem finem, sic multi Infideles & Ethnici, abstinebant ab ebrietate, eo præcisè, quòd privet hominem usu rationis, cumque reddat similem quodammodò bestiis, undè indignum ac turpe judicârunt, ut creatura rationalis se inebriet: Sic multi de facto ex naturali quadam generositate animi dedignantur furari, etiamsi inopiam patiantur, & actu interno rem alienam concupiscant; sic teste Hieronym. lib. 3. in Matth. cap. 19. Crates aliíq; Philosophi contempserunt divitias & sæculi voluptates non propter DEUM, sed propter ipsarum in se vanitatem & fallaciam. Sic denique abstinet virgo ab actu fornicationis cum suo consanguineo, nè sequatur proles, & ex hac utriusque ignominia, in quem tamen actum internè consentit, & reipsa vult ponere, nisi talem ignominiam timeret, & ejusmodi evitationes peccatorum possunt ex solis naturæ viribus sine speciali ulla gratia haberi.

Ex his in forma Respond. ad Argumentum: Neg: antec: ejusque probationis consequ: ad cujus ulteriorem probationem concessa, maj: neg: min: Quia non semper evitando peccatum conformat se homo voluntati divinæ, ut constat de illis, qui ex pravo fine, & per unum peccatum vincunt & evitant aliud; si verò intelligatur minor de virtuosa evitatione peccati, distin: min: vitando peccatum conformat se homo voluntati divinæ ejusq; beneplacitum sequitur & offensam cavet, si evitet peccatum propter DEUM, aut ex motivo obedientiæ ad præceptum divinum, conc: min. si non fiat propter DEUM, sed præcisè propter turpitudinem actûs peccaminosi in se, aut honestatem actûs oppositi, neg: min: & consequ: licèt enim ejusmodi evitatio esset in se bona & conformis materialiter voluntati divinæ ad eum modum, quo actus unius subditi potest dici materialiter conformis legi, vel mandato superioris, quam penitus ignorat, non esset tamen formaliter aut in genere moris conformis ipsi, nisi ex scientia & obedientia præcepti procedat. Contra

Arguitur Quartò: Quantumvis possit quandoque evitari peccatum ex sola consideratione turpitudinis ipsius, vel naturali honestate actus oppositi, nunquam tamen contingit, neque contingere potest, ut peccatum sic evitetur sine speciali auxilio gratiæ actualis, ergò nec contingit ullum alium actum virtuosum ex motivo & fine virtutis elicitum sine speciali gratia haberi. Consequ: patet à paritate rationis. Probatur antec: nullus potest detestari peccatum jam commissum propter naturalem ejus turpitudinem, aut honestatem actus oppositi sine speciali gratia DEI, ergò nec poterit ullus ex iisdem motivis evitare peccatum futurum sine eadem gratia. Consequ: patet, quia æqualis est difficultas in utroque actu. Probatur antec: ex Trident. VI. Detestatiò peccati quę fit bona ad vitam æternam.

Trident. Sess. 14. cap. 4. ubi de tali detestatione peccati sic loquitur; *Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, aut pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ declarat S. Synodus, non solùm non facere hominem hypocritam, aut magis peccatorem, verùm etiam donum DEI esse & Spiritûs S. impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat, &c.* ergò de fide est ex Trident. non posse hominem etiam ex naturali motivo detestari aut evitare peccatum sine speciali gratia. Respond. neg: antecedi ejusq; probationis antec: & conseq: ad Trident. dico Concilium ibi non loqui de quacunque detestatione aut dolore concepto ob turpitudinem peccati, aut gehennæ metum, sed de sola detestatione & dolore conjuncto cum spe veniæ, & intentione amplius non peccandi, & ejusmodi detestationem aut dolorem de peccatis concedimus cum Concilio non posse sine speciali gratia haberi, quia sicut ipsa spes veniæ aut cognitio, quòd sit talis potestas in DEO remittendi nobis peccata, aut infligendi pœnam gehennæ non possunt naturaliter aut sine speciali gratia haberi, ita nec potest haberi naturaliter dolor aut detestatio cum tali spe, ut benè definit Concilium, cum quo benè stat, quòd possit homo nihil sciens aut non credens esse talem potestatem in DEO, nec consequenter veniam erratorum expectans, dolore nihilominus de peccato à se commisso propter indignitatem rei in se & turpitudinem actûs, vel sanè propter infamiam aliquam, quam indè incurrit, & ex iisdem motivis proponere amplius eundem actum non repetere, & quandoque etiam data occasione & urgente concupiscentiâ se ab ejusmodi peccato continere, idque naturaliter & sine speciali illo auxilo gratiæ, aut merito consequendi vitam æternam.

Instatur: Saltem Catholici & Fideles, qui sciunt & credunt, esse in DEO potestatem remittendi peccata, & ex illis pœnam æternam infligendi (de quibus præcipuè loquitur Concilium) non possunt ex quocunque motivo sive ob turpitudinem peccati, vel honestatem actûs oppositi habere dolorem vel detestationem peccatorum sine speciali gratia, ergò saltem in illis non potest sine gratia dari ullus actus virtuosus aut moraliter bonus. Consequ: patet. Probatur antec: quia Catholici & Fideles, quoties virtuosè resistunt peccatis, aut aliquid boni faciunt, referunt suas actiones in DEUM tanquam in finem, propter quem operantur, sed hoc fieri non potest absque speciali gratia & merito vitæ æternæ, ergò. Respond. ad veritatem Conclusionis imprimis sufficere, quod in aliquibus contingat, aut contingere potest dari aliquos actûs virtuosos & moraliter bonos sine ullo speciali auxilio gratiæ actualis, sive hoc contingat in Ethnicis & Infielibus, sive Fidelibus & Catholicis. Respond. Secundò, loquendo de ipsis Catholicis, neg: antec: ejusque probationis major: licèt enim Catholici utplurimum referant suas actiones in DEUM tanquam in finem, propter quem operantur, & à peccatis abstineant, ac per hoc vitam æternam vel augmentum gratiæ sibi merentur, nego tamen hoc omni opere bono, aut evitatione etiam virtuosâ, contingere.

QUÆSTIO SEPTIMA.

An sine speciali divinæ gratiæ adjutorio homo possit in statu naturæ lapsæ vincere graves & leves tentationes?

Notandum Primò: Tentationes alias esse *leves*, & alias *graves*: leves dicuntur, quæ ex parte intellectûs parvam & inefficacem habent suasionem, & ex parte appetitûs debilem inclinationem. Dici- I. Tentatio alia levis, alia gravis.

Digitized by Google

Dicitur etiam quandoque levis tentatio, quæ ad momentum vel brevissimo tempore durat, quamvis alioquin intensa videatur. *Gravis* dicitur, quæ pertinaciter, constanter, & molestè impedit & retrahit hominem ab opere bono, vel ad contrarium malum movet & attrahit, neque gradus illi in tentatione possunt certâ nullâ regulâ definiri, sed prudenti judicio pensandi sunt per comparationem ad eum, qui tentatur, nam aliqua tentatio erit gravis uni, quæ alteri erit levis propter varias eorum complexiones, ingenia, mores, & doctrinam. Cæterùm oriuntur quandoque tentationes ab intrinseco, aut à carnis concupiscentia, &c. quandoque etiam ab extrinseco, ut à dæmone, mundo, malo consortio &c.

II. Tentatio multiplici modo potest vinci. Notandum Secundò: Tribus modis posse tentationem vinci, sicut superiùs de evitatione peccati diximus. Primò: Succumbendo alteri tentationi majori, ita ut cupiditas major & magis vehemens tentatio vincat in illis minorem. Secundò potest superari tentatio, ut non solùm peccatum simpliciter evitetur, sed etiam ex victoria meritum acquiratur, quod fit, cùm ex charitate DEI & obedientiæ præcepti divini resistitur tentationi, & de hoc modo vincendi tentationes, non potest esse inter Catholicos controversia, cùm certum sit de fide, nullum opus veræ pietatis & ad vitam æternam conducens posse ab homine sine speciali gratia DEI fieri. Tertio modo potest vinci, ita ut nullum admittatur peccatum, nec tamen meritum ullum comparetur, & de hoc modo præcipuè quæritur in proposito.

III. Tentatio nulla potest fructuose vinci sine gratia DEI. Dico Primò: *Nulla tentatio sive gravis, sive levis, longo vel modico tempore durans, potest ab homine lapso utiliter, aut cum fructu vitæ æternæ superari sine speciali adjutorio gratiæ.* Est communis sententia Catholicorum omnium, & in multis Conciliis de fide definita. Dixi *cum fructu vitæ æternæ*, quia potest homo ex solis naturæ viribus superare plures tentationes, maximè leviores sine tali mercede aut fructu, ut postea videbitur. Probatur Conclusio omnibus Authoritatibus, quibus quæst. præcedenti ostendi, non posse hominem ex propriis viribus elicere ullum actum veræ pietatis, aut conducentem ad vitam æternam sine speciali auxilio gratiæ, quæ ad nostrum hic propositum possunt applicari, & quibus addi possunt plura alia Scripturæ loca, quæ victoriam tentationum non viribus aut potentiis nostris, sed divinæ gratiæ attribuunt: Sapient. 8. *Nemo potest esse continens, nisi DEUS det.* & 1. Corinth. 10. *Fidelis DEUS, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* & Psalm. 27. *In te eripiar à tentatione.* & in Oratione dominicâ docemur orare, nè patiatur DEUS nos incidere in tentationes, quæ sufficienter ostendunt in omni victoriâ maximè fructuosâ tentationum recurrendum esse ad DEUM, sine cujus speciali gratia & assistentia nullam vel minimam tentationem possumus utiliter aut fructuosè superare.

Probatur Secundò ex Patribus: Augustino Enarr. in Psalm. 89. ubi ait: *Dixisti: Convertimini filii hominum, tanquam diceret, hoc à te peto, quod ipse jussisti, dans ejus gratiæ gloriam, ut qui gloriatur, in Domino glorietur, sine cujus adjutorio per arbitrium voluntatis tentationes hujus vitæ superare non possumus. Ne avertas, inquit, hominem in humilitatem: & tamen tu dixisti: Convertimini filii hominum. Sed da, quod jussisti, precem petentis exaudiendo, & adjuvando volentis fidem.* Undè Innocentius I. qui teste eodem Augustino epist. 91. sic scribit ad Concil. Carthaginense: *Quotidiana ille præstet remedia, quibus nisi freti confisique nitamur, nullatenus vincere poterimus humanos errores, necesse est enim, ut quo auxiliante vincimus, eodem rursus non adjuvante vincamur.* Ratio Conclusionis potest esse, quòd nullus actus purè naturalis, aut ex naturæ viribus pro-

procedens, quantumvis in se bonus & honestus, habeat ullum jus & proportionem aut condignitatem ad prœmium quodcunque supernaturale sive gratiæ sive gloriæ, neque in ordine ad talem mercedem est unquam DEO gratus vel acceptus, ita definit Trident. Sess. 6. Can. 16. ergò ut habeant jus aliquod & proportionem ad tale prœmium, sintque DEO grati & accepti, debent ex speciali gratia ipsius procedere.

Arguitur contra: Potest homo ex solis naturæ viribus vincere plures tentationes maximè leviores sine ullo auxilo gratiæ juxta secundam nostram conclusionem, sed est impossibile, talem victoriam obtineri sine merito & fructu vitæ æternæ, vel saltem infusionis gratiæ. Probatur min: authoritatibus Augustini, quibus supra contra Julianum negavit dari ullum actum bonum aut virtuosum, quin hoc ipso sit meritorius vitæ æternæ. Sed Respond. Non aliter nec in alio sensu negasse opera bona aut victoriam tentationum, quæ non essent meritoria vitæ æternæ, nisi in sensu ab hæreticis usurpato, ita scilicet, ut talia opera sint ex se meritoria gratiæ, sicut posuerunt Semi-Pelagiani, qui proindè dixerunt, gratiam secundùm opera nostra dari.

IV. Tẽtationes leves sine fructu possunt vinci absq; adjutorio gratiæ DEI.

Dico Secundò: *Potest nihilominus voluntas humana absque speciali aliquo adjutorio gratiæ vincere plures tentationes sine ullo fructu, aut mercede vitæ æternæ.* Est communis sententia apud Recentiores maximè, & pro ea citat Ariaga plures Authores. Probatur Conclusio: Frustra & sine fundamento recurritur ad extraordinarium DEI concursum & specialem gratiam, ubi effectus non excedit virtutem activam potentiæ naturalis, sed victoria plurium tentationum maximè levium, non excedit virtutem activam voluntatis humanæ, ergò ad eas vitandas sine fundamento recurritur ad tale adjutorium. Probatur min: potest homo naturaliter & ex propriis viribus abstinere ab haustu superfluo ad conservationem præcisè sanitatis vel honoris, quàm ex tali haustu videt periclitari, quantumvis ad eum aliàs inclinetur, & nonnihil tentetur: potest item virgo, quæ à suo consanguineo sollicitatur ad actum fornicationis, ad quem etiam ipsa leviter inclinatur, abstinere nihilominus à tali actu ad conservationem famæ & honoris utriusque, nè scilicet sequatur proles, & ex hoc utriusque ignominiâ, sed hæc non possunt fieri sine victoria earum tentationum, ergò talis victoria non excedit naturalem virtutem voluntatis creatæ sine ullo speciali auxilo gratiæ. Maj: constat: Quia in ejusmodi actibus nulla est specialis difficultas, ratione cujus requiratur auxilium gratiæ, plusquam in largitione eleemosynæ ad sublevandam indigentiam proximi, vel in amore parentum ex naturali pietate; Nec valet dicere in prioribus actibus occurrere aliquas tentationes, quæ in posterioribus non reperiantur, & quæ voluntatem nonnihil impediunt ab executione operis, ad quas proindè superandas debet speciali aliquo adjutorio gratiæ adjuvari: quia contra hoc est Primò, quòd cùm illæ tentationes sint ex suppositione leves, exiguam aut nullam faciunt voluntati molestiam, quas proindè facili negotio potest superare, maximè si à fortiori motivo in contrarium trahatur, sicut in proposito contingit.

Opponitur Lucæ 11. Christus docet nos orare assiduè: *Et ne nos inducas in tentationem: Quæ petitio*, inquit Cyprianus, *ideò fit, nè possit homo de victoria tentationis in seipso gloriari.* & Matth. 26. *Orate, ut non intretis in tentationem.* Super quem locum Hieron. in Dialog. contra secundas epist. Pelagianorum: *Si*, inquit, *libertas arbitrii satis esset ad vincendas tentationes, non dicturus erat Christus, vigilate & orate, sed attendite, & resistite per liberum arbitrium vestrum.* Ergò juxta mentem Scripturæ & Patrum non potest homo ex suis propriis viribus resistere ulli tentationi. Respond.

Respond. meritò omnes orare illud orationis dominicæ propter continuum & morale periculum consentiendi in peccatum, nisi speciali gratia juventur; licèt enim possit voluntas quandoque propriis superare leviores tentationes, timet nihilominus sibi relicta, pericula consensûs, si vel gravi tentatione agitetur, vel levi sæpius ac molestè pulsante incitetur, maximè cùm ex propria fragilitate agnoscat, se pluries negligere, quod ex facili negotio posset superare.

Opponitur Secundò Authoritas D. Augustini lib. 2. Confess. cap. 6. *Gratiæ*, inquit, *tuæ deputo & misericordiæ, quòd peccata mea tanquam glaciem solvisti, gratiæ tuæ deputo, & quæcunque non feci mala.* & lib. 50. homiliarum homil. 23. pulchra inductione numerat munera, gratuita quibus liberamur à lapsu: *Si*, inquit, *adulter non fuisti, hoc tibi dicit Dominus DEUS tuus, regebam te mihi, servabam te mihi, ut adulterium non committeres. Suasor defuit, & ut suasor non esset, ego feci; locus & tempus defuit, & ut hæc deessent, ego feci. Adfuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus, ut non consentires, ego terrui, agnosce ergò gratiam ejus, cui debes, quod non admisisti.* Idem docent SS. Chrysostomus, Prosper, & alii Patres: ergò ex mente SS. Patrum victoria cujuscunque tentationis sive gravis sive levis, gratiæ divinæ & misericordiæ, & non humanæ industriæ est adscribenda. Respond. Patres in illis & aliis similibus locis, non velle aliud, quàm quòd nullam tentationem etiam levem possimus sine speciali auxilio gratiæ superare cum merito aut fructu æternæ vitæ, aut infusionis ejusdem gratiæ, sed quòd in ordine ad hunc finem superent planè nostras vires, earumque victoriam non viribus humanis, sed divinæ gratiæ esse adscribendam.

V. Victoria tentationū non est fructuosa sine DEI adjutorio.

Opponitur Tertiò Authoritas Concilii Diospolitani, ubi coactus fuit Pelagius retractare suum errorem, & publicè fateri, quòd quando contra tentationes & concupiscentias dimicamus, non ex humana voluntate, sed ex adjutorio gratiæ divinæ nostram provenire victoriam, non enim, ait Concilium, aliter verum esset illud Apostoli: *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis DEI.* Item illud Concilii Arausicani Can. 9. *Divini muneris est, cùm rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate & injustitia tenemus* &c. ex quo loco formatur sic argumentum: Quoties pedes nostros à falsitate & injustitia tenemus, DEUS in nobis atque nobiscum, nè in peccatum incidamus, sua gratia operatur, sed vincendo quamcunque etiam minimam tentationem contra observantiam legis occurrentem pedes nostros à falsitate & injustitiâ tenemus, ergo divino muneri & gratiæ DEI debemus hoc adscribere, & non voluntati aut viribus nostris. Probatur min: quia succumbendo cuicunque tentationi etiam minimæ contra legem injustè & iniquè ageremus, ergò vincendo quamcunque pedes nostros à falsitate & injustitiâ tenemus, adeòque non viribus aut voluntati nostræ, sed divino muneri debemus id adscribere.

Respond. Concilium meritò damnâsse Pelagium, quia docuit cujuscunque tentationis victoriam, aut peccati fugam ex solis naturæ humanæ viribus, & non ex adjutorio gratiæ procedere, idque non tantùm moraliter & civiliter benè, sed etiam cum merito & fructu vitæ æternæ, undè vocatus à Patribus Concilii coactus est fateri (licèt hoc ipsum non nisi fictè egerit) quòd quando dimicamus contra tentationes quascunque sive graves sive leves ex motivo veræ pietatis & cultûs divini, (de quo inter ipsos agebatur) earum fructuosam & utilem victoriam non ex naturæ viribus (sicut posuit Pelagius) sed ex divinæ gratiæ adjutorio provenire. Ad argumentum desumptum ex Concil. Arausic. Respond. distin: maj: Quoties tenemus pedes nostros à falsitate & justitiâ ex motivo veræ pietatis erga DEUM & obe-

obedientia præcepti divini, operatur in nobis DEUS suâ gratiâ, nè in peccatum incidamus, conc: majo: quoties aliter aut ex motivo aliò abstinemus à peccato, aut tentationi resistimus, neg: maj: & conc: min: distin: consequ: Si fit fructuosa continentia à peccato, & ex motivo veræ pietatis erga DEUM, debet divino muneri & gratiæ adscribi, conc: consequ: sin minus, sicut revera non semper est, neg: consequ: Potest namque voluntas creata, sicut suprà dixi, vitare naturaliter aliqua peccata & contrarios motus, maximè leviores compescere, adeoque pedes suos à falsitate & injustitiâ sine omni adjutorio gratiæ, quandoq; tenere, idque non tàm vitiosè & per unum peccatum vitando alterum, sed etiam suo modo virtuosè, licèt sine fructu aut merito vitæ æternæ, sicut superiùs vidimus; continere enim pedes nostros à falsitate & injustitiâ est continere nos à macula & labe peccati, per quam coram DEO reddimur quodammodò falsi & injusti, ergò cùm ex præcedentibus constet posse hominem naturaliter sine adjutorio gratiæ continere se quandoque à labe peccati, hoc ipso naturaliter, & sine adjutorio gratiæ continet pedes suos à falsitate & injustitiâ; adeoque non omnis continentia pedum à falsitate & injustitiâ est meritoria apud DEUM, aut divino muneri adscribenda, sed ea sola, quâ continemus nos à peccato ex motivo veræ pietatis & obedientiæ erga DEUM, ejusque mandata; quam fatemur nos cum Concilio esse divino muneri adscribendam, nec sine adjutorio gratiæ posse haberi.

Arguitur Quartò: Non potest voluntas humana suis propriis viribus vincere ullam gravem tentationem, ergò neque leviores. Antec: est notum, &; consequ: probatur: quæcunque potentia potest super unum individuum cujuscunque speciei, potest & super quodlibet individuum ejusdem speciei, sed victoria gravis & levis tentationis circa idem specie & numero objectum est ejusdem speciei, ergò quæcunquè potest propriis viribus vincere leviores tentationes, potest & fortiores gravioresque, quando circa idem objectum occurrunt. Maj: constat inductione de omni specie, quia cùm individua ejusdem speciei sint ejusdem naturæ & essentiæ, potentia, quæ sufficit ad productionem unius, sufficit ad productionem alterius. Probatur min: Actus nostri specificantur principaliter ab objectis, circa quæ versantur, ergò victoria gravis & levis tentationis in eadem materia, v. g. carnis, & circa idem objectum materiale & formale est ejusdem speciei. Deindè victoria gravis & levis tentationis in eadem materia habent se sicut magis & minus intra eandem speciem, sed quidquid potest supra minus in aliqua specie, poterit absolutè supra majus in eadem specie, ergò. Respond. conc: antec: & neg: consequ: ad cujus probationem distin: maj: quidquid potest supra individuum alicujus speciei, potest & supra quodlibet individuum ejusdem speciei, nisi in uno individuo ex illis occurrat specialis aliquà difficultas, quæ in altero non occurrit, conc: majo: si occurrat aliqua talis difficulas in uno individuo, quæ in altero non occurrit, neg: maj: & consequ: in proposito autem per se notum est, occurrere in gravi tentatione speciales aliquas difficultates, quæ non occurrunt in leviori, adeoque ex victoria unius non benè infertur victoria alterius. Alii distinguunt majo: Quæcunque causa potest super unum individuum, poterit & super alterum quodlibet ejusdem speciei, potentiâ remotâ & physicâ, conc: potentiâ morali & proximâ, negant major: & consequen.

Instatur: Potest homo sine omni auxilio gratiæ ex fine & motivo malo vincere gravem tentationem, v. g. per unum peccatum evitare aliud, & per concupiscentiam majorem vincere minorem, ergò poterit similiter ex fine bono & honesto motivo eandem tentationem vincere. Antec: à nobis

nobis admittitur, & probatur consequ: quia bonitas finis & honestas motivi non reddit talem victoriam in se difficiliorem, aut minus amabilem, sed potius videtur ad ipsius amabilitatem & executionem multum conducere, ergò si potest homo ex fine malo vincere gravem tentationem sine adjutorio gratiæ, poterit à fortiori ex bono fine eandem tentationem vincere. Probatur consequ: & pono casum, quòd aliquis habeat gravem tentationem negligendi sacrum die festo, ut commodius nocere possit suo proximo, quem summoperè odit, & cujus totam substantiam vult incendio tradere, sed quia recordatur in Ecclesia esse aliquam virginem, quam perditè amat, & cujus consortio magis delectatur, quàm nocumento proximi, neglecto incendio vadit in Ecclesiam, ut illam puellam videat & concupiscat; talis per solas vires naturales vincit tentationem negligendi sacrum, & nocendi proximo ex perverso fine videndi, & luxuriosè concupiscendi istam virginem, ergò poterit per easdem vires ex alio motivo honesto & licito eandem tentationem vincere, & incendium omittere, quia ex honestate motivi non apparet, cur ista victoria esset in se difficilior. Respond. Si totum concederetur, magis adhuc confirmare nostram conclusionem: Quia si potest homo ex fine bono & honesto vincere propriis viribus gravem aliquam tentationem, à fortiori iisdem viribus vincere leviores tentationes poterit, quod solùm asserit conclusio. Sed quia in superioribus dixi, non esse eandem rationem de victoria gravis & levis tentationis. Respond. Secundò conc: antec: & neg: consequ: ejusque probationis consequ: quia esto bonitas finis & honestas motivi non superaddat novam aliquam difficultatem victoriæ tentationis, quæ non invenitur in eadem, quando habetur ex malo & perverso fine, tamen non ita retrahit à succumbendo tentationi, aut ejus consensum impedit, sicut bonum utile & delectabile in malo fine repertum, adeóque non ita conducit ad superandum gravem tentationem, quia quo fortius trahit aliquid ad se voluntatem, & à malo opposito retrahit, eò efficaciùs vincit tentationes in oppositum oc[...]rentes. Constat autem bonum physicum & delectabile vel utile repertum in objecto & fine malo fortius movere voluntatem nostram, quàm bonum morale & honestum in fine bono invento, maximè si non gratia DEI adjuvetur, & ad bonum pro malo eligendum moveatur, undè fit plerumque, ut instanti gravi tentatione, propter nimiam ejus attractionem & imperium homo succumbat, nisi speciali auxilio gratiæ adjuvetur, vel alio fortiori motivo retrahatur, sicut in proposito exemplo fortius movetur homo ex inordinato amore ad frequentandam Ecclesiam, & retrahitur à nocumento proximi, quàm seclusâ DEI gratiâ retraheretur à bonitate vel honestate morali, quæ in auditione sacri, vel in præcepti impletione invenitur, non quòd auditio sacri non sit in se majus bonum, sed quòd ejus bonitas, cùm sit à sensibus abstracta, non ita perfectè à nobis apprehenditur sicut bonum physicum & delectabile, quod sub sensibus cadit.

QUÆSTIO OCTAVA.

An sine speciali adjutorio DEI homo possit diligere DEUM, ut Authorem naturæ, & servare omnia præcepta Decalogi?

Notandum cum Recentioribus communiter post D. Thomam 1. 2. q. 109. art. 4. duplicem modum observandi legem naturæ ejusque præcepta adimplendi, vel scilicet secundùm substantiam operis, vel secundùm modum charitatis: Primo modo observatur: Lex naturæ ejusq; præcepta, quando actus præceptus secundùm suam naturam & substantiam ponitur, sive hoc fiat ex fine & motivo charitatis divinæ I. Observantia præcepti potest duplicìter fieri.

divinæ & obedientia præcepti, sive ex aliis quibuscunque motivis in se licitis & honestis. Secundo modo observatur, quando præcisè propter DEUM, & ex debita observantia præceptorum abstinet homo ab operibus prohibitis, & exequitur præcepta idque meritoriè & cum fructu vitæ æternæ. Utriusque exemplum potest esse in evitatione furti vel alterius actûs lege prohibiti, qui vel possunt evitari propter DEUM, & ex motivo dilectionis divinæ, vel præcisè propter turpitudinem actûs in se, & honestatem naturalem actûs oppositi, & quocunque modo ex his evitatur furtum, satisfit præcepto de non furando quoad substantiam operis, licèt in ratione meriti multum differant.

II. DEUS potest dil gi ut Author naturæ, & ut Author gratiæ.

Notandum Secundò: DEUM posse à nobis dupliciter amari, vel scilicet in quantum est Author naturæ, & omnium naturalium donorum largitor: vel in quantum est Author gratiæ, & gloriæ, aliorumvè donorum supernaturalium Exhibitor, & quidem loquendo de hoc ultimo modo diligendi DEUM, certum est apud omnes, non posse à nobis DEUM sic amari sine speciali auxilio gratiæ, sicut nec potest à nobis cognosci tanquam Author gratiæ, sine ejusdem gratiæ adjutorio, quia ejusmodi actus sive amoris, sive cognitionis sunt in substantia supernaturales, & omnes vires naturæ nostræ excedentes. Quæstio ergò est de amore naturali DEI, an possit à nobis sine speciali auxilio gratiæ amari supra omnia tanquam Author naturæ, & omnium naturalium donorum Largitor, idque non tantùm amore concupiscentiæ, & quia mihi bonus est, sed etiam amore amicitiæ, & quia in se summè bonus & super omnia diligendus.

III. DEUS ad breve tempus potest amari sine gratia actuali.

Dico Primò: *Potest DEUS naturaliter & sine speciali ullo adjutorio gratiæ amari ab homine super omnia tanquam Author naturæ non tantùm amore concupiscentiæ, sed etiam amore amicitiæ maximè ad breve aliquod tempus, & nullâ urgente gravi tentatione.* Est quoad omnes partes inter Recentiores valdè communis & Scoti in 3. d. 23. q. 1. n. 13. & pro ea citat Ariaga disp. 39. de gratia, Sect. 5. plures Authores Molinam, Sotum, Cajetanum &c. neque obscurè colligitur ex Bulla Pii V. & Gregorii XIII. contra Bajum, qui propositione 34. ait, distinctionem illam duplicis amoris naturalis scilicet, quo DEUS amatur ut Author naturæ: & gratiæ, quo DEUS amatur ut Beatificator, vanam esse, commentitiam, & ad illudendum S. litteris & plurimis veterum testimoniis, qui ex naturæ viribus exoritur, ex sola Philosophia per elationem præsumptionis humanæ cum injuria Crucis Christi defenditur à nonnullis Doctoribus &c. quæ propositiones inter alias ejusdem authoris à Summis Pontificibus dictis damnantur, & contraria veritas nostræ Conclusionis multum solidatur. Dixi in Conclusione *ad breve tempus*: Quia non potest aliter continuari amor DEI super omnia, nisi simùl observando omnia præcepta Decalogi, & vincendo quascunque contrarias tentationes, ac denique evitando omnia peccata, quibus DEUS super omnia dilectus possit offendi juxta illud Evangelicum: *Qui diligit me, sermones meos servabit*, sed hæc non possunt ab homine fieri sine speciali auxilio gratiæ, ut ex dicendis conclusione sequenti constabit, ergò. Addidi etiam *nulla urgente gravi tentatione*, quia si adsit gravis aliqua tentatio retrahens ab amore DEI, & ad amorem præsentium & delectabilium fortiter inclinans, non potest sine speciali auxilio gratiæ superari.

Probatur nunc Conclusio: Potest voluntas humana suis propriis viribus & sine ullo speciali auxilio gratiæ velle & amare, quidquid intellectus humanus sine auxilio ejusdem gratiæ cognoscit & practicè dictat amandum, sed intellectus humanus ex solo naturali lumine sine ullo speciali auxilio gratiæ cognoscit & dictat DEUM tanquam Authorem IV. Voluntas potest velle & amare, quod intellectus dictat esse amandum.

rem naturæ, & quem totius Universi Creatorem & Conservatorem agnoscit, esse super omnes creaturas, quas ipse condidit, amandum, eiq; magis quàm ulli creaturæ adhærendum, ergò poterit similiter voluntas humana sibi relicta & non impedita eundem DEUM Authorem suum & Benefactorem propriis viribus super omnes creaturas amare. Min: patet: Probatur maj: Sicut Ens ut sic sub ratione veri est objectum adæquatum intellectûs humani, ita idem Ens sub ratione boni est objectum adæquatum voluntatis humanæ, ergò sicut potest intellectus humanus suis propriis viribus sine auxilio gratiæ procedere & tendere in DEUM Authorem naturæ cognoscendo ipsum sub ratione veri, ita poterit voluntas humana sine ulla gratia tendere in eundem volendo & amando sub ratione boni. Probatur consequ: Voluntas humana non est minoris activitatis in ordine ad ea, quæ sub suo objecto adæquato continentur, ergò si potest intellectus propriis viribus sine auxilio gratiæ DEUm tanquam Authorem naturæ, & bonorum omnium Largitorem cognoscere eumque sub hac ratione voluntati super omnia diligendum proponere potest, poterit & voluntas sub eadem ratione velle & amare ipsum super omnia sine ullo auxilio gratiæ, utpotè, quæ nulla ratione potest dici magis necessaria voluntati, quàm intellectui in ordine ad actus ejusdem ordinis.

Probatur Secundò: Voluntas humana non est magis per peccatum vitiata, neque ejus vires magis enervatæ, quàm sunt vires intellectûs, ergò si non obstante vulnere peccati, potest intellectus sine ullo auxilio gratiæ cognoscere DEUM tanquam Authorem naturæ esse super omnia diligendum, eumque voluntati sub ea ratione practicè propugnat, poterit voluntas propriis viribus & sub eadem ratione eundem velle & amare, & hinc Apostolus ad Rom. 1. meritò objurgat gentiles, quia cùm naturaliter & ex creaturis cognoverint DEUM esse Authorem naturæ, & omnium naturalium donorum Largitorem, & totius universitatis Conservatorem, eum nihilominus non sicut DEUM glorificaverunt, aut coluerunt: *Invisibilia*, inquit, *DEI à creaturâ mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & divinitas, ita ut sint excusabiles, quia cùm cognovissent DEUM, non sicut DEUM glorificaverunt, aut gratias egerunt.* Ubi supponit Apostolus non minus potuisse gentiles per voluntatem amare & glorificare DEUM ex creaturis cognitum, quàm per intellectum eundem cognoscere, & ex creaturis colligere.

Probatur Tertiò: Si lege ipsa gratitudinis potest & debet homo amare & quantum in ipso est, regratificari proximo, cui est multum obligatus, & à quo plurima recepit beneficia, quantum magis debet super omnia alia amare & revereri DEUM, quem ex ipso lumine naturæ sui Authorem cognoscit, qui dedit ipsi esse & vivere, eumque in suo esse perpetuò conservat, & omnia naturalia dona corporis & animæ concessit: aut cur non propter hæc ipsa dona meritò deberet homo gratias agere DEO, eumque super omnes, quas condidit, creaturas amare, eligendo potius omnes, quàm ipsum offendere, idque non tantùm amore concupiscentiæ, & quia nobis per sua dona proficuus, sed etiam amore amicitiæ, & quia in se summè bonus & ex sua infinita bonitate super omnia diligendus.

Aguitur Primò contra Primum: In Scripturis, Patribus, & Conciliis pro Synonymis semper accipiuntur dilectio DEI super omnia, & charitas DEI, neque alterius dilectionis DEI, quàm ejus, quæ ex charitate est, ullam faciunt mentionem, sed charitas DEI ex DEO est, 1. Johan. 4. *Fructus autem Spiritus est.* ad Galat. 5. *Diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum.* ad Rom. 5. ergò non potest dilectio DEI haberi propriis viri-

V. Dilectio DEI & charitas quandò pro eadem accipiuntur.

viribus aut sine auxilio gratiæ. Confirm. Concil. Arausic. Can. 25. *Prorsus*, inquit, *donum DEI est diligere DEUM.* Ex Milevit. Can. 4. *Utrumque enim donum est, & scire, quid facere debeamus, & diligere, ut faciamus.* Undè Augustin. de gratia Christi cap. 26. *Non habuimus, unde illud diligeremus; & quomodo bonum non facimus, si diligamus.* Et Epist. 107. *Liberum*, inquit, *arbitrium ad diligendum DEUM primi gravitate peccati perdidimus.* Ergò ex mente Concil. & Augustini non potest haberi amor DEI super omnia sine auxilio gratiæ ipsius. Respond. Scripturam & Patres quoties pro eodem accipiunt amorem DEI super omnia & charitatem, loqui de amore supernaturali ipsius super omnia, quæ ex charitate procedit, & sine dubio ex DEO est, & per Spiritum Sanctum infunditur cordibus nostris, nec est mirum, quòd Scriptura non faciat mentionem alterius amoris DEI super omnia, ut est Author naturæ, quia solùm inculcat amorem illum DEI, qui requiritur & sufficit ad vitam æternam consequendam, quomodo non sufficit amor iste naturalis, quem in Conclusione assero. Deindè ejusmodi amoris naturalis non obscurè meminit Scriptura ad Rom. 1. ubi Apostolus acriter objurgat gentes, quòd cùm naturaliter DEUM ex creaturis cognoverint, non tamen sicut DEUM glorificaverunt, aut gratias egerunt. Ad Confirmationem Respond. Patres & Concilia loqui de dilectione DEI supernaturali & conducente ad vitam æternam, quam fatemur non nisi ex dono DEI posse haberi, nam ut ait Augustinus lib. 4. contra Julianum cap. 3. *Amor Dei, quo pervenitur ad DEUM, non nisi ex DEO est* Et hinc Concilium & Patres, præsertim Arausicanum II. Can. 7. & Trident. Can. 3. quoties dicunt, non posse hominem diligere DEUM sine auxilio gratiæ ipsius, addunt plerumque has aut similes clausulas: *Sicut oportet, sicut expedit &c.* id est, meritoriè propter DEUM, & cum fructu aut mercede vitæ æternæ.

Arguitur Secundò: Impossibile est dari amorem super omnia, qui hoc ipso non sit conducens ad vitam æternam, sed nec amor naturalis, aut ex propriis viribus sine auxilio gratiæ procedens, potest conducere homini ad vitam æternam, ergò nullus talis amor potest esse amor DEI super omnia. Probatur maj: ex Scriptura, Lucæ 10. legitur quidam Jurisperitus interrogàsse Dominum, quid faciendo vitam æternam possideret, cui respondens dixit Dominus: *In Lege, quid scriptum est, quomodo legis?* & respondente illo illud Deuteron. 6. *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis; dixit illi JESUS, rectè respondisti, fac hoc, & vives.* Ergò impossibile est dari amorem super omnia, seu, quod idem est, ex toto corde, ex omnibus viribus, quin hoc ipso conducat ad vitam æternam. Confirmatur: Observantia totius legis & omnium præceptorum Decalogi non potest dari sine merito & fructu vitæ æternæ, juxta illud Matthæi 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, sed dilectio DEI super omnia includit necessariò observantiam totius legis, juxta illud 1. Joan. 5. *Qui dicit, se diligere DEUM, & mandata ejus non custodit, mendax est.* Et alibi: *Qui habet mandata mea & servat ea, ille est, qui diligit me.* Item illud: *Plenitudo legis est dilectio.* Ergò, non potest dari talis dilectio sine merito & fructu vitæ æternæ. Et ratio est, quia hoc ipso, quòd aliquis diligat DEUM super omnia studet in omnibus & per omnia ipsi placere, & mavult omnes creaturas deserere & offendere quàm ipsum, ergò non potest stare dilectio DEI super omnia sine observantia totius legis, & omnium mandatorum, nec consequenter sine merito & fructu vitæ æternæ, nam ut ait Augustin. de Natura & Gratia cap. 2. *Si natura lapsa potest sibi sufficere ad implendam legem, perficiendamque justitiam, de præmio debet esse secura.* Respond. Neg: maj: ad cujus probationem & Scri-

VI. Dilectio DEI qua ratione includat observantiam mandatorum DEI.

Google

Scripturam dico: amorem illum, qui præcipitur Deuteron. 6. esse amorem supernaturalem DEI super omnia, quod vel indè manifestè constat, quia in illo loco Lucæ 10. dixit Dominus Legisperito, quòd eliciendo amorem ibi præceptum viveret, & vitam consequeretur æternam. De fide autem est ex Arausic. Concil. Can. 7. & Trid. Sess. 6. Cau. 3. nullum amorem naturalem, aut ex naturæ viribus procedentem esse meritoriam vitæ æternæ, aut infusionis gratiæ, ergò amor, quem affirmat Christus, esse meritorius vitæ æternæ non est amor DEI naturalis, sed supernaturalis, undè nego conseq: Ad Confirm. Respond. conc: maj: loquendo de continua legis observatione, quæ fit propter DEUM, & sicut oportet, & distin: min: dilectio naturalis DEI super omnia includit observantiam totius legis, neg: min: Dilectio supernaturalis, de qua intelliguntur prædicta loca Scripturæ, transeat, & neg: consequ: quamvis enim dilectio illa naturalis DEI sit super omnia alia ejusdem ordinis, non tamen includit observationem illius præcepti Deuteron. 6. *Diliges Dominum DEUM tuum*, quod juxta testimonium ipsius Salvatoris est primum ac præcipuum mandatum in Lege, & cujus observationi Lucæ 10. promittit ipse vitam æternam.

Dices: Ad minus dilectio illa naturalis DEI super omnia includit observantiam præceptorum istius ordinis, hoc est, omnium præceptorum moralium, & naturalium Legis & Decalogi, sed hoc ipsum sufficit, ut sit actus meritorius & conducens ad vitam æternam, ergò non potest dari talis dilectio sine merito vitæ æternæ. Respond. distin: maj: dilectio DEI super omnia quoad substantiam operis præcepti vel prohibiti, conced: quoad modum charitatis, & cum merito, neg: maj: & neg: talem observantiam præceptorum legis sufficere, ut illa dilectio naturalis sit meritoria vitæ æternæ, sicut nec ipsa observantia quoad substantiam operis ad hoc conducit.

Arguitur Tertiò contra secundam partem: Objectum amoris amicitiæ circa DEUM, prout distinguitur ab amore concupiscentiæ ejusdem, est DEUS ipse sub ratione suæ infinitæ bonitatis absolutè consideratus sine ullo respectu naturæ aut gratiæ, ergò non potest tanquam Author naturæ amari à nobis super omnia amore amicitiæ. Antec: patet: Quia in hoc præcisè distinguitur amor amicitiæ ab amore concupiscentiæ, quòd ille feratur in objectum, quia in se bonum, & propter illam bonitatem absolutè spectatam, hic verò feratur in ipsum, quia nobis bonum, vel condendo naturam, vel largiendo gratiam. Probatur consequ: amor DEI, in quantum est author naturæ, dicit respectum ad naturam, quam condidit, sed Amor sub quocunque respectu ad creaturas sive conditoris naturæ, sive largitoris gratiæ non est amor amicitiæ, sed amor concupiscentiæ, ergò non potest dari amor amicitiæ super omnia, in quantum est Author naturæ. Respond. conc: antec: & distin: consequ: non potest DEUS amari amore amicitiæ quantum est author naturæ, si propter respectum, quem dicit ad naturam à se conditam præcisè ametur, ita, ut ratio principaliter motiva ipsius amoris sit respectus ejus ad creaturas, conc: consequ: Si non ametur propter talem respectum, sed propter infinitam suam bonitatem lumine naturæ notam, & ex creaturis agnitam, neg: consequ: & eodem modo distin: probationis maj: & indè illatum consequ: dum enim dico, DEUM tanquam authorem naturæ posse à nobis naturaliter amari amore amicitiæ, non est sensus, quòd motivum saltem primarium, aut principale illius amoris esset ullus respectus, quem DEUS dicit ad creaturas condendo in eis naturam vel largiendo gratiam aut dona naturalia, sed sensus est, quòd sicut intellectus humanus naturaliter & sine speciali auxilio gratiæ ex creaturis colligit & cognoscit DEUM esse, eumq;

creâsse universum genus humanum, & omnem, quam in se continet perfectionem, communicâsse, quem proinde agnoscit in se summum bonum, & super omnes creaturas, quas condidit in se & propter se summè diligibilem ac diligendum. Ita voluntas humana potest eundem ab intellectu sibi taliter propositum naturaliter & ex propriis viribus amare, idque non tantùm amore concupiscentiæ, & quia sibi benè fecit, sed etiam amore amicitiæ, & propter illam summam & absolutam bonitatem, quam in ipso naturaliter agnoscit intellectus, & voluntati proponit.

VII. Lex naturę & præcepta Decalogi non possunt servari sine gratia.

Dico Secundò: *Impossibile est moraliter loquendo, quòd homo lapsus possit diu servare totam legem naturæ, aut omnia præcepta Decalogi, etiam quoad substantiam implere sine speciali adjutorio gratiæ DEI.* Est communis inter Theologos maximè sub ista limitatione. Dixi in Conclusione *moraliter loquendo*, quia non desunt aliqui Doctores, ex quibus Ariaga, qui dicunt esse in voluntate potentiam physicam ad servandam totam legem naturæ, & omnia præcepta Decalogi, etiam longo tempore ad implendum sine auxilio gratiæ maximè quoad substantiam operis præcepti, vel prohibiti, licèt reipsa rarissimè, aut fortè nunquam contingat omnia sic adimpleri sine gratia propter nimias difficultates, & impossibilitatem quandam moralem, quæ in tali observatione reperitur. Dixi etiam *de homine lapso*, quia idem Ariaga docet, & pro ea citat plures Authores, quòd in statu naturæ integrè possit homo suis propriis viribus observare totam legem naturæ, & omnia præcepta Decalogi ad quodcunque tempus implere, & de facto in statu naturæ lapsæ impossibilitatem ea adimplendi nonnisi ex peccato provenisse. Sed quidquid sit de his duobus

Probatur Conclusio: Impossibile est longo aliquo tempore observare legem naturæ aut præcepta Decalogi etiam quoad substantiam adimplere, nisi simùl evitentur omnia peccata, quibus aliquod eorum possit violari, & superentur omnes tentationes & difficultates ad eorum transgressionem urgentes, sed impossibile est moraliter loquendo solis naturæ viribus vitare omnia peccata, præsertim longo tempore aut omnes tentationes maximè graviores contra legem insurgentes sine speciali auxilio gratiæ superare, ergò impossibile est moraliter loquendo totam legem naturæ & omnia præcepta Decalogi sine auxilio gratiæ ad longum aliquod tempus observare. Majo: patet: Pobatur min: Tùm, Quia ita docent Patres & Concilia communiter, ut ex hactenus dictis constat: Tùm etiam, Quia impossibile est moraliter loquendo, quòd homo sibi relictus ex continua dæmonis suggestione & propriæ carnis fragilitate non sentiat quandoque varias tentationes contra aliqua aut plura præcepta Decalogi, quas sine auxilio gratiæ impossibile est moraliter loquendo semper rejicere & superari; & licèt possit quandoque vitare aliquod peccatum, vel incidendo in aliud, vel etiam quandoque propter finem bonum & honestum, impossibile nihilominus est moraliter loquendo, ut ad longum tempus possit vitare omnia peccata, aut omnes tentationes contra legem naturæ & decalogi exorientes sine auxilio gratiæ superare. Illud enim dicimus moraliter loquendo impossibile, quòd propter suas difficultates rarò, aut nunquam in ullo homine contingit, nec ex prudenti hominum judicio contingere potest, sicut in nullo legimus homine unquam contigisse, nec sine magna temeritate potest affirmari, quòd totam legem naturæ & præcepta Decalogi observaverit sine auxilio gratiæ, cùm & ipse justus teste S. Paginâ *septies in die cadat*, & ex Joannne: Nemo nisi mendaciter potest dicere, se non habere peccatum, ergò. Confirmatur: longa & non interrupta observantia mandatorum est certissima via ingrediendi regnum cœlorum juxta illud ipsius Salvatoris, Matth. 19. ubi juveni

Juveni à se petenti quid faciendo vitam æternam possideret, respondit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, sed nullus potest suis propriis viribus sine auxilio gratiæ ingredi regnum cœlorum, aut promereri vitam æternam: ergò nec poterit ullus sine gratia ad longum aliquod tempus servare mandata sine aliqua eorum transgressione; & licèt possit hîc Responderi, illam observationem mandatorum, quæ fit, sicut oportet, hoc est, ex motivo & fine charitatis divinæ, & ut est Author gratiæ & donorum supernaturalium esse viam ingrediendi regnum cœlorum, quæ proindè non potest sine auxilio gratiæ haberi, benè tamen posse sine gratia haberi observationem mandatorum quoad substantiam præcepti operis vel prohibiti, sicut & amorem DEI super omnia, ut est author naturæ, sine ullo fructu aut mercede vitæ æternæ, vel introitus regni cœlestis. Contra hoc nihilominus est, quòd non servantur omnia præcepta quoad substantiam operis, quando fit alicujus præcepti transgressio, sed seclusâ gratiâ necessariò moraliter loquendo contingit alicujus mandati transgressio, maximè intra longum tempus & occurrentibus variis tentationibus transgrediendi mandata, sicut necesse est moraliter loquendo interveniſe, nisi divina gratia impediantur, ergò non potest homo sine auxilio gratiæ longo aliquo tempore servare totam legem naturæ & præcepta Decalogi quoad substantiam operis præcepti vel prohibiti adimplere. Maj: patet ex epist. Innocentii I. ad Concil. Milevit. qu. 93. apud August. ubi sic habetur: *Negantes auxilium DEI, hominem sibi posse sufficere, nec gratiâ hunc egere divinâ affirmant, quâ privatus necesse est diaboli laqueis irretitus succumbat, dum ad omnia vitæ perficienda mandata solâ libertate contendit*, & ex alia ejusdem epist. ad Concil. Carthaginense: *Quotidiana præstat auxilia, quibus nisi freti confisique nitamur, nullatenus vincere humanos errores poterimus, necesse est enim, ut quo auxiliante vincimus, eodem rursus non adjuvante vincamur.* Et habetur definitum in Concil. Milevit. Can. 5. ubi anathematizatur, quicunque dixerit gratiam DEI dari solùm hominibus, ut per eam possint faciliùs DEO servire, & divina implere mandata, tanquam sine ipsa possint absolutè loquendo, vel cum difficultate eadem adimplere & propriis viribus perficere.

Arguitur: De fide est ex Concil. Trident. Sess. 6. cap. 11. quòd DEUS non præcipiat hominibus impossibilia: *DEUS*, inquit, *impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere, quod possis, & petere, quod non possis, & adjuvat, ut possis.* Sed præcipit DEUS sua mandata custodire sine intermissione ulla, & pro omni tempore etiam longissimo, ergò hoc non est homini impossibile: tunc sic: sed impossibile homini esset observare totam legem & præcepta Decalogi longo tempore adimplere, nisi hoc haberet in sua potestate & propriis viribus sine auxilio gratiæ, ergò. Probatur subsumptum: Illud est impossibile homini, quod nec propriis viribus potest efficere, nec habet in sua potestate, & pro libitu auxilium, quo possit hoc præstare, sed homo non habet in sua potestate gratiam, nec potest, quoties libet, & fortè indiget, eam pro suo libitu habere, ergò si non potest sine gratia observare legem, & mandata implere etiam ad longum tempus, eorum observantia erit ipsi impossibilis, contra Concil. & Fidem. Respond. conced: totum argumentum usque ad subsumptum, quod simpliciter nego, & ad ejus probationem nego similiter maj: & consequ: ut enim dicatur aliquid homini simpliciter possibile, non requiritur, quòd propriis viribus possit illud efficere, sed sufficit, vel quod possit hoc propriis viribus præstare, vel per auxilium aliundè concessum & sibi paratum; quomodo paratus est DEUS, dare hominibus auxilia gratiæ, ut per ea possibilia fiant, quæ per solas naturæ vires sunt impossibilia, & sic Concil. superiùs dixit:

DEUM impossibilia non jubere, sed jubendo monere, & facere quod possis, & petere, quod non possis. Et Leo Papa serm. 16. de Passione: *Justè*, inquit, *præstat DEUS præcepto, qui concurrit auxilio.*

VIII. Præcepta aliqua sine gratia ad breve tempus possunt impleri.

Dico Tertiò: *Potest nihilominus homo lapsus suis propriis viribus & sine adjutorio gratiæ adimplere pleraque præcepta decalogi quoad substantiam operis præcepti vel prohibiti ad breve aliquod tempus, & nulla urgente gravi tentatione.* Pro hac Conclus. citat Ariaga disp. 41. sect. 2. plures Authores. Dixi in conclus. *quoad substantiam operis*, quia certum est, non posse ullum præceptum Decalogi observari ab homine quoad modum charitatis divinæ, & cum merito & fructu vitæ æternæ sine speciali auxilio gratiæ. Dixi etiam *pleraque præcepta*, quia prædicti Authores ab ipso citati dicunt absolutè & sine ulla limitatione posse hominem sine gratia observare ad breve tempus totam legem, & omnia præcepta Decalogi adimplere, dubito tamen valdè, an præceptum charitatis in DEUM, quod est primum ac præcipuum mandatum in lege, possit ex omnibus naturæ viribus etiam quoad substantiam operis, & brevissimo tempore adimpleri, licèt enim ex prima nostra conclusione possit homo sine auxilio gratiæ diligere DEUM super omnia tanquam Authorem naturæ, idque non tantùm amore concupiscentiæ, sed etiam amore amicitiæ, dubito, inquam, an pert talem amorem possit observare præceptum charitatis etiam quoad substantiam. Et ratio scrupuli in eo consistit, quòd Theologi communiter dicant, actus charitatis sicut & aliarum virtutum theologicarum esse in substantia actus supernaturales, & excedentes omnes vires naturales alioquin communiter loquendo debeant dicere, quòd non possit homo ex omnibus naturæ viribus habere actum charitatis, etiam quoad substantiam, nam si talis actus est in substantia supernaturalis, ejus procul dubio substantia excedit vires naturæ, vel si non excedit, non erit hoc ipso actus in substantia supernaturalis. Sed quidquid sit de hoc

Probatur Conclusio: Quoad reliqua præcepta moralia. & naturalia potest homo ex solis naturæ viribus elicere plura opera moraliter bona & honesta, ut honorare parentes, operire nudum, item ex iisdem viribus vitare aliqua peccata, & cessare ab opere malo propter plures fines licitos & honestos, ut constat in illo, qui cessat ab ebrietate ad conservationem sanitatis, à furto ad conservationem vitæ, & à fornicatione ad conservationem famæ, quibus actibus satisfit præcepto negativo, de non furando, fornicando, vel inebriando actu externo quoad substantiam operis, licèt sine merito aut fructu vitæ æternæ, ergò potest homo exiguo aliquo tempore, & nulla urgente gravi tentatione observare naturaliter & ex propriis viribus pleraque præcepta decalogi quoad substantiam operis præcepti vel prohibiti sine auxilio gratiæ. Probatur consequ: Tùm à paritate rationis: Tùm etiam, quia pleraque præcepta Decalogi sunt negativa, quæ ad breve tempus possunt facilè quoad substantiam operis observari, ubi non occurrit ulla vehemens tentatio ad eorum transgressionem impellens, observare namque præcepta negativa quoad substantiam operis, est non ponerè substantiam operis prohibiti, sed creatura rationalis ex ipso lumine naturæ sciens non esse nisi unum verum DEUM, potest facilè abstinere ab adoratione Dei alieni, non juvare ad tempus sine necessitate, nec consequenter assumere nomen DEI in vanum, potest item abstinere ab occisione & nocumento proximi, item naturaliter amare parentes, observare Sabbathum, &c. maximè ad breve tempus, & nulla urgente gravi tentatione, ergò ad hæc adimplenda quoad substantiam operis non indiget speciali auxilio gratiæ.

Dices:

Dices: Præcepta Decalogi sive affirmativa sive negativa non observari etiam quoad substantiam per solam exhibitionem operis externi, aut ejus omissionem, nisi simùl adjungatur internus animi affectus, v. g. non observari præceptum negativum de non furando, vel fornicando quoad substantiam operis præcepti, per solam omissionem operis externi, & abstinentiam ab actu externo furti vel fornicationis, nisi simùl cohibeatur internus animi consensus, quo internè in peccatum furti vel fornicationis consentimus, & consentiendo peccemus, sed non potest homo sine auxilio gratiæ cohibere interiorem animi consensum, ne voluntas proposito sibi objecto in peccatum consentiat, ergò non potest sine gratia observare aliquod præceptum Decalogi etiam quoad substantiam. Probatur maj: Præcepta negativa Decalogi de non furando vel fornicando, &c. prohibent non tantùm actum externum furti vel fornicationis, sed etiam & principaliter internum animi consensum, nè scilicet in istos aut similes actus internè consentiamus, ergò non observantur quoad substantiam ista præcepta, nisi abstineat homo tàm ab opere externo, quàm ab interno animi consensu, quod sine auxilio gratiæ fieri non potest. Respond. Licèt præcepta negativa Decalogi cadant tàm benè super internum animi consensum, quàm super externum opus diversam nihilominus esse malitiam actûs interioris & exterioris, ut communiter docent Scotistæ, adeóque licet consentiendo internè in actum furti vel fornicationis verè peccet homo, nec proindè plenè & ex integro satisfiat præceptis de non furando vel fornicando per solam abstinentiam ab opere externo, satisfit tamen ipsis, in quantum cadunt super ipsum opus externum, & quoad substantiam operis externi prohibiti.

Respond. Secundò: Negando min: Quia benè potest homo suis propriis viribus, & sine speciali auxilio gratiæ abstinere non tantùm ab actu externo furti vel fornicationis, sed etiam ab interno animi consensu, maximè ad breve aliquod tempus, & ubi nulla gravis aut vehemens tentatio urget ad operis executionem, non enim apparet ratio difficultatis, quare homo videns periculum suæ infamiæ ex actu fornicationis imminere, & advertens obligationem suam ad famæ conservationem, non potest abstinere non solùm ab actu externo fornicationis, sed etiam ab interno animi consensu in ipsum, nisi gravi aliqua tentatione ad hoc incitetur.

Arguitur: Si posset homo solis naturæ viribus servare totam legem, quantumvis exiguo tempore, posset etiam ex propriis viribus sine auxilio gratiæ consequi vitam æternam, juxta illud: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata,* sed impossibile est, posse hominem propriis viribus consequi vitam æternam, ergò. Probatur maj: & pono casum, quòd homo adultus post susceptum jam in adulta ætate baptismum, observet ad tempus totam legem naturæ sibi notam sine ullo auxilio gratiæ, nec ullum ejus præceptum transgrediatur, & intra illud tempus ante illius præcepti transgressionem moriatur, talis in isto statu consequitur propriis viribus vitam æternam, ergò. Respond. negando sequelam maj: & ad casum propositum dico illum hominem tunc salvari, si moriatur ante transgressionem legis, sed non propter observantiam legis ex propriis viribus præcedentem, sed propter habitum charitatis, quem in baptismo simùl cum fide & spe accepit, nec per ullam transgressionem ante mortem amisit, sicut propter eosdem habitus salvantur de facto parvuli morientes post baptismum sine ullo suo merito.

QUÆSTIO NONA.

An ad actus supernaturales fidei, spei, & charitatis eliciendos sit necessarium adjutorium speciale divinæ gratiæ?

Conveniunt hic Catholici & Hæretici tria potissimùm esse necessaria, ut mysteria supernaturalia fidei à nobis percipiantur. Primum est revelatio divina, quæ per Scripturas & Prædicatores proponitur credentibus. Secundum est persuasio aliqua sive per signa & prodigia, sive per rationem aliquam, quâ res proposita reddatur credibilis. Et Tertium est consensus voluntatis ad assentiendum articulis revelatis, nam ut ait Augustin. tract. 26. in Joann. *Cœtera potest homo nolens, credere nonnisi volens.* Et præter hæc tria nullam aliam gratiam ad credendum mysteriis fidei requirebant Pelagiani, contra quos hîc quæritur: An qui prædicatorem audit, aut doctrinam à DEO revelatam per se legit, & habet congruentem persuasionem miraculorum aut alterius testimonii, quâ res creanda efficitur credibilis, possit eam rem credere sine speciali & interiori auxilio gratiæ; & movetur eadem difficultas de voluntate respectu actûs spei & charitatis.

I. Mysteria fidei ut cognoscantur, tria requiruntur.

Dico Primò: *Ad credendum, sperandum, amandum, sicut oportet, ad justificationis gratiam consequendam, & ad omnes alios actus ad vitam æternam conducentes eliciendos, qui divinitus revelantur, necessaria est gratia interna illuminationis, & inspirationis.* Est in terminis definita in Trident. Sess. 6. Can. 3. *Si quis*, inquit, *dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Et longè antè in Concil. Milevit. Can. 4. & 5. Affricano Can. 17. & 18. & Arausicano Can. 5. 6. & 7. *Si quis*, inquit, *per naturæ vigorem aliquid, quod ad salutem pertineat vitæ æternæ cogitare, ut expedit, aut eligere, sive salutari prædicationi consentire posse affirmat, absque illuminatione & inspiratione Spiritûs Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo & credendo veritati, hæretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Domini in Evangelio dicentis: Sine me nihil potestis facere; & illud Apostoli, non sumus idonei cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex DEO est.* Confirmatur ex variis Scripturæ locis, Joann. 6. *Sunt*, inquit, *quidam ex vobis, qui non credunt, propterea dixi vobis, nemo potest venire ad me,* (utique per fidem) *nisi datum ipsi fuerit à Patre meo.* Et infrà: *Hoc est opus DEI, ut credatis in illum.* Et ad Ephes. 2. *Gratiâ salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis, DEI enim donum est.* Sunt & alia plura loca Scripturæ, Patrum & Conciliorum, quæ ad propositum possent adduci, sed quia, ut ait Concilium Arausicanum Can. 25. *Quibus pauca non sufficiunt, plura non proderunt*, ea hîc omitto.

II. Actus supernaturales fidei &c. sine gratia haberi non possunt.

Arguitur: Infideles & Hæretici credunt plurimis articulis fidei nostræ sine speciali ullo auxilio gratiæ divinæ, ergò ad credendum illis frustrà recurritur ad tale auxilium. Probatur antec: quia plerique hæretici maximè moderni credunt, Christum esse incarnatum, de Virgine natum, pro nobis passum, & post resurrectionem in cœlos ascendisse. Item DEUM esse trinum & unum, & plerosque articulos, quos Ecclesia Catholica docet, & admittit, ergò ad credendum his mysteriis non requiritur speciale adjutorium gratiæ. Confirmatur: facilè credimus, sine ullo auxilio gratiæ historicis profanis referentibus ea, quæ ipsi viderunt, vel legerunt, ergò multò facilius poterimus sine ullo auxilio gratiæ credere Scriptoribus sacris, & ea, quæ nobis verbo vel scripto reliquerunt, amplecti: Tùm, Quia in se magis credibilia & probata per tot signa & prodigia: Tùm, Quia Scri-

Scriptores erant Sanctissimi Viri, in nullo unquam mendacio deprehensi, quibus proindè nefas est non credere. Respond. distin: antec: Infideles & hæretici credunt articulis nostræ fidei fide humana & fallibili, conc: antec: fide divinâ & infallibili, aut sicut oportet, neg: antec: & consequent. Et eodem modo Respond. ad Confirm. Posse nos fide humanâ & fallibili credere Scriptoribus sacris & articulis fidei sine speciali auxilio gratiæ, sicut credimus historiis profanis, sed non fide divinâ, aut sicut oportet; licet enim Infideles aut Turcæ credant DEUM esse, aut Christum esse Filium Virginis, quia tamen ex eodem motivo, credunt hoc ipsum, ac credunt eum non esse Filium DEI, aut majorem suo Machomete, cùm utrumque præcisè credant propter authoritatem Alcorani, hinc sicut in secundo non habent nisi fidem humanam & fallibilem, ita non in primo. Item ex eodem motivo credunt Lutherani & Calvinistæ Christum pro nobis passum, mortuum, resurrexisse, quo credunt & affirmant omnia opera justorum esse peccata, licèt ipsis non imputentur. Item solam fidem justificare, sublatum liberum arbitrium, & alia omnia, quæ ex Scripturis propter authoritatem prædicantis, vel ex propriâ opinione & pertinaciâ injustâ colligunt & perversè intelligunt. Nec refert, quòd ipsi Hæretici protestentur quandoque, se propter solam revelationem divinam, & non propter ullam authoritatem humanam credere articulis fidei, quia revelatio divina non potest esse motivum falsi assensûs, sed hæretici ex eodem motivo credunt utrisque articulis tàm in se veris, quàm erroneis & falsis, ergò, cùm motivum assentiendi ultimis articulis non sit, nec possit esse revelatio divina, non erit illis motivum assentiendi proximis articulis, quantumvis sibi hoc persuadeant, cùm revelatio divina in se sit indivisibilis & infallibilis respectu omnium credendorum.

III. Affectus & cogitatio præcedens actum fidei non potest haberi sine gratia.

Dico Secundò: *Neque cogitatio fidem præveniens, neque affectus credendi, neque ulla alia dispositio ad credendam vel amandum veraciter & sicut oportet, potest dari in natura lapsa sine speciali adjutorio gratiæ.* Est de fide definitum in variis Conciliis contra Pelagium & alios hæreticos. Probatur Conclus. ex Concil. Arausicano Can. 5. *Si quis*, inquit, *sicut augmentum, ita initium fidei ipsum credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui justificat impium, non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritûs Sancti corrigentem voluntatem ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus Adversarius probatur dicente Apostolo: Confidimus, quia qui cœpit in nobis opus bonum perficiet usque in diem Christi.* Et Can. 25. *Hoc etiam salubriter profitemur & credimus, quòd in omni opere bono nos non incipimus, & postea per DEI gratiam adjuvamur, sed ipse nobis nullis præcedentibus bonis meritis & fidem & amorem sui prius inspirat.* Ergò ex mente Concilii neque affectus credendi, neque ulla alia dispositio ex parte nostra ad fidem, vel amorem pertinens præcedit adjutorium divinæ gratiæ, aut sine eo potest dari. Probatur etiam ratione: Quia si daretur in homine sine auxilio gratiæ talis prævia dispositio ad fidem vel amorem, sequeretur gratiam non omninò gratis, sed secundùm merita nostra dari, sed hoc est falsum, & à Concilio Diospolitano in Pelagio damnatum, ergò. Probatur sequela maj: ex Augustin. lib. 2. ad Bonifacium c. 8. *Si*, inquit, *sine gratia DEI per nos incipit cupiditas boni, ipsum cœptum erit meritum, cui tanquam ex debito veniat adjutorium, ac sic gratia DEI non gratis donabitur, sed secundùm merita nostra dabitur.* Et Prosper lib. contra Collatorem cap. 6. *Quomodo non advertis, te in illud damnatum non incidere, quod velis nolis convinceris dicere, gratiam scilicet DEI secundùm merita nostra dari, cùm aliquid præcedere boni operis ex hominibus ipsis, propter*

quod

quod gratiam consequantur, *affirmas.* Ergò ex mente SS. Patrum, si ex parte hominis præcedit aliqua dispositio ad gratiam, vel affectus credendi vel amandi sicut oportet, undè moveatur aliquomodo DEUS ad dandam ipsi suam gratiam, hoc ipso gratia non omninò gratis, sed secundùm merita nostra dabitur contra illud Apostoli: *Si gratia, jam non ex merito.* Nec valet dicere illam piam cogitationem ex parte intellectûs ad credendum, aut bonum affectum ex parte voluntatis ad amandum non habere respectu gratiæ rationem meriti, sed esse nudam dispositionem ad credendum & amandum prævie requisitam, quæ ex solis naturæ viribus sine ulla gratia facilè potest haberi, quia contra hoc est, quòd secundùm Apostolum 1. Corinth. 13. sive illa cogitatio & affectus habeant rationem meriti vel non: *Non sumus sufficientes cogitare*, aut velle *aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex DEO est*, quod maximè verum est in ordine ad ea omnia, quæ ad salutem pertinent vitæ æternæ, sicut in omnium sententia pertinent fides & amor supernaturalis DEI; undè, ut ait Zozimus Papa in epist. Episcopos Galliæ: *In omnibus actibus, cogitationibus, & motibus nostris Adjutor & Protector orandus est DEUS, superbum est enim, ut quidquam sibi naturæ humana præsumat ex illis præcipuè, quæ ad vitam æternam conducunt.* Deindè si gratia ex solo opere nostro aut dispositione ex parte voluntatis humanæ daretur, non ex sola misericordia, quæ solam respicit miseriam nostram, neque ex sola liberalitate, quæ nullum respicit obsequium aut beneficium, sed ex quadam gratitudine nobis daretur, quod est contra Apostolum.

IV. Hominis est præparare cor per cooperationem ad gratiam.

Arguitur: Proverb. 16. *Hominis est animam præparare, & Domini gubernare linguam.* Et Zachar. 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* & similia multa, quæ passim inveniuntur in Scriptura, & admonet hominem suæ conversionis, ergò in potestate hominis est præparare animam suam, & eam disponere ad gratiam recipiendam. Confirmatur ex illo axiomate in scholis communiter recepto: *Facienti, quod in se est, DEUS non denegat gratiam.* Ergò si faciat homo, quod ex se & naturæ viribus potest, disponit se ad gratiam recipiendam sicut in exemplo constat de Cornelio, qui propter eleemosynas, quas faciebat, meruit à DEO gratiâ donari, & in fide instrui, ergò. Respond. Homines esse præparare animam & ad DEUM converti non propriis suis viribus, aut sine auxilio gratiæ, sed ut ait Augustin. de gratia & lib. arbitr. cap. 5. *In his locis commendatur liberum arbitrium, sed non excluditur gratia præveniens.* Sicut in aliis locis, in quibus dicitur voluntas præparari à Domino, ita commendatur gratia præveniens, ut non excludatur cooperatio voluntatis. Ad Confirmat. Respondent plurimi Doctores, axioma illud exiisse ex schola Semi-Pelagianorum, qui dixerunt initium salutis esse ex natura, & hominem faciendo ex solis naturæ viribus, quod in se est, mereri infusionem gratiæ, ac sic initium salutis esse ex nobis, & gratiam secundùm merita nostra dari, quod videtur verissimum, si intelligatur illud axioma de faciente, quod in se est, ex solis naturæ viribus sine gratia. Sed quia alii Doctores intelligunt locum istum de faciente, quod in se est, cooperando & consentiendo gratiæ, ideò Respondetur aliter distin: antec: Si facit, quod potest cooperando gratiæ, DEUS ipsi non denegat ulteriorem gratiam, conc: antec: Si sic intelligatur, ut facienti ex solis naturæ viribus, quod in se est, DEUS intuitu talis operis & dispositionis det ipsi suam gratiam, neg: antec: & consequen: Ad exemplum de Cornelio dico, ipsum non sine fide & religione aliqua in DEUM, aut sine auxilio gratiæ fecisse aliqua bona opera, per quæ proinde meruit ulterius à DEO adjuvari & in fide instrui.

Arguitur Secundò: Potest homo ex solis naturæ viribus elicere plura

plura opera moraliter bona & virtuosa sine ullo adjutorio gratiæ, ut amare DEUM super omnia amore naturali, operire nudum, subvenire pauperi extremè laboranti, vitare plura peccata ex bono motivo, & honesto fine, & pleraque præcepta Decalogi quoad substantiam adimplere, sicut hactenus docui, & de facto videmus in plurimis etiam hæreticis fieri, qui opera misericordiæ erga proximum exercent, & ex naturali quadam honestate ab illicitis & prohibitis abstinent: sed non est possibile, quòd DEUS justus Judex & æquus Arbiter intuitu talium operum non moveatur aliquomodo ad largiendum ipsi suam gratiam, vel ad minus non sentiantur magis dispositi ad recipiendam gratiam, quàm qui talia opera nullo modo exercent, ergò potest homo ex solis naturæ viribus se disponere aliquomodo ad recipiendam gratiam DEI.

Respondet Vasquez Disp. 199. art. 2. n. 7. & acriter reprehendit aliquos Recentiores Theologos, quos tacitis nominibus citat, eò quod docuerint, DEUM propter aliqua opera bona ex naturæ viribus facta, dare quandoq; primum auxilium gratiæ, non ex justitia aut promissione ulla certa & infallibili, sed ex merâ misericordiâ & quâdam quasi congruitate, quia scilicet congruum est, ut benè operanti & facienti, quod in se est, DEUS det auxilium gratiæ, quo plura possit operari, quia, inquit Vasquez, non potest tamen temperari opinio Massiliensium, qui initium salutis posuerunt in homine, & gratiam secundùm merita dari nostra: quia si detur auxilium gratiæ intuitu bonorum operum solius liberi arbitrii, etiamsi nulla intercedat promissio vel debitum, non dabitur omninò gratis, aut ex sola misericordia, sed ex quadam gratitudine & secundùm merita nostra.

Respond. igitur Secundò, conc: maj: quoad omnes suas partes, & neg: min: & consequ: loquendo de positiva ulla dispositione ad gratiam; licèt enim possent homines ex solis naturæ viribus plura ejusmodi opera elicere, negant tamen Patres & Concilia eos per hæc mereri, aut ullatenus movere DEUM ad largiendum ipsi suam gratiam, maximè quoad primum ejus auxilium, sed merè gratuitò & sine ullâ dispositione, motivo, vel occasione ex parte nostra ab ipso dari, quibus, quando, quoties, & quantum vult, ne ex ejusmodi occasionis aut dispositionis assertione daretur ansa evacuandi gratiam DEI, aut initium salutis in homine constituendi, dum non omninò gratis, sed secundùm merita nostra daretur. Nec valet dicere, tales homines frustra sic laborare, & gratis ejusmodi opera elicere, quia esto per talia opera non mereantur primum auxilium gratiæ, nec ad ipsum se positivè disponant, fiunt tamen per ea magis negativè dispositi, hoc est, minus indispositi, quàm illi, qui talia opera non exercent, quia minoribus peccatis & vitiis involuti, deindè in hoc mundo accipiunt mercedem aliquam temporalem propter sua opera, & si finaliter damnantur, mitiùs puniuntur.

Pro Coronide hujus Disputationis, & ut Scotum nostrum de variis quorundam contumeliis & calumniis circa gratiæ necessitatem defendam. Notandum, eum ab aliquibus Doctoribus, præsertim ex Societate JESU, in hac quæstione de necessitate gratiæ graviter & indignè censurari, quasi docuisset, posse hominem ex propriis viribus, & sine ullo auxilio gratiæ se disponere ad gratiam recipiendam, & credere, sperare, diligere, & pœnitere sicut oportet, & requiritur ad peccati deletionem, & gratiæ divinæ infusionem, quem proindè eorum aliqui non verentur Massiliensibus hæreticis & Semi-Pelagianis annumerare, quasi cum ipsis initium salutis naturæ tribuisset, & gratiam secundùm merita nostra dari, præcipuè in 4. dist. 14. q. 2. n. 14. & 15. Et in 2. dist. 27. q. 1. n. 23. Et in 2. dist. 28. q. un. n. 7. & 8. & alibi sæpius, in quibus videtur dicere posse

 homi-

hominem ex solis naturæ viribus cum communi influentia cavere ab omni peccato, & de jam admisso conteri naturaliter, & se ad gratiam disponere, preceptum charitatis implere, & DEUM super omnia diligere. Sed Respond. cum Cavello in Scholiis ad illum locum in 4. Scotum, quoties videtur dicere posse hominem naturaliter se disponere ad gratiam, aut de peccatis conteri, non voluisse per hoc excludere auxilium gratiæ actualis, prout latè ex ipsomet Scoto ostendit ibidem Cavellus, sed tantùm asseruisse, posse hominem sine gratia justificante & habitu charitatis se disponere ad gratiam, & de peccato conteri, credere, sperare, & diligere, neque unquam ab ejusmodi actibus exclusisse auxilium gratiæ actualis, cujus necessitatem ad omnem actum meritorium apertè docet ipse in pluribus locis & specialiter in 1. dist. 17. qu. 3. n. 29. ubi ait: *Quòd affirmare actum ex puris naturalibus esse meritorium appropinquet errori Pelagii.* Et dist. 20. qu. un. ait: *Esse opus DEI & non hominis pœnitentiam fructuosam inspirare.* Et in 2. dist. 9. qu. 2. num. 14. ait: *Non posse hominem efficere ultimam dispositionem ad formam supernaturalem.* Et Quodl. 14. art. 1. ait: *Hominem se non posse disponere ad fidem.* Item in 1. dist. 44. qu. un. n. 4. ait: *Quemlibet peccatorem posse salvari, dum est in via, quia, inquit, potest DEUS ipsum suâ gratiâ prævenire.* & alibi passim per 4. libros Sententiarum, ubi semper requirit ad actus bonos & meritorios auxilium gratiæ actualis, & solius gratiæ justificantis necessitatem ad ejusmodi opera negat.

DISPUTATIO QUINTA.

DE Adjutorio divinæ gratiæ efficaci, & sufficienti.

Obedientem profiteor me Ecclesiæ Catholicæ Romanæ filium, cujus constitutiones, ut veneror sanctas, sic grande duco esse nefas transgredi easdem, cùm ergò per plures Summos Pontifices, & signanter Urbani VIII. sanctum sit firmiter graviterque prohibitum, de efficacia divinæ gratiæ, & arbitrii humani libertate concordanda edere libros, non quòd materia hæc sit vitiosa aut periculosa in credendò, sed difficilis in defendendo, facilemque præbeat censurandi occasionem, ideò abstinendum esse duxi à proponenda mea opinione ac sensu, humiliterque ac promptè obtemperandum tantis mandatis. Nè tamen studiosus lector fraudetur debitâ notitiâ, historico modo referam aliorum sententias, rationesque, quibus innituntur, ac responsiones ad objecta contrariè opinantium. Sit igitur

QUÆ-

QUÆSTIO PRIMA.

De Efficacia adjutorii divinæ gratiæ.

I. Gratia efficax describitur.

Efficax gratia divina secundùm omnes est illa, quæ semper & infallibiliter habet sibi conjunctum effectum taliter, ut nunquam contingat illo frustrari, undè in Scriptura sæpius vocatur *secundum propositum*, quâ scilicet ita vocantur homines à DEO, ut infallibiliter sequantur vocantem, eamque vocat D. Augustinus *victricem delectationem*, per quam aufertur cor lapideum, & datur cor carneum, quæ facit, ut faciamus, & ita dat posse, ut certò det velle. Tota ergò difficultas est de radice hujus efficaciæ, undè scilicet gratia habeat tantam efficaciam, aut infallibilem connexionem cum suo effectu, ut nunquam contingat eo frustrari.

II. Gratiæ divinæ efficaciam explicant Thomistæ per prædeterminationem.

Prima sententia communiter adscribitur Thomistis, qui docent, efficaciam gratiæ provenire à qualitate quadam supernaturali, à DEO voluntati immissa, quam prædeterminationem physicam vocant, & quæ secundùm ipsos ita efficaciter determinat voluntatem ad consensum & opus, ut neç per DEI potentiam possit ab effectu separari. Dicitur autem *Prædeterminatio*, quia præcedit voluntatis creatæ determinationem. Et dicitur *Physica*, ut excludatur determinatio moralis, quæ fit suggestione, consilio &c. Secundùm aliquos consistit in ipsa actione physica præviè determinante voluntatem ad consensum: Secundùm alios consistit in motione actuali, vel aliqua qualitate physica & creata, qua ita determinatur voluntas ad consensum, ut eâ positâ impossibile sit, non sequi effectum.

Probant Fautores hujus sententiæ his rationibus: Primò, ex Authoritate Scripturæ, ad Roman. 9. *Moysi enim dicit: Miserebor cujus misereor: & misericordiam præstabo, cujus miserebor. igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Ubi conversionem unius fidelis præ alio refundit in solam divinam gratiam, adeoque DEUS prædeterminat totaliter hominem ad credendum & ad se sequendum, undè Div. Augustinus lib. 1. ad Simplicianum q. 2. ait: *Si propterea solum dictum est, non volentis neque currentis est hominis, sed miserentis DEI, qua voluntas hominis sola non sufficit, ut justè rectèque vivamus, nisi adjuvetur misericordiâ, potest & hoc modo dici, quia non miserentis est DEI, sed volentis est hominis, quia misericordia DEI sola non sufficit, nisi consensus nostræ voluntatis addatur.* Et paulò pòst: *Ad illud*, inquit, *manifestum est, frustrà nos velle, nisi DEUS misereatur, illud autem nescio quomodo dicatur, frustrà DEUM misereri, nisi nos velimus, si enim miseretur etiam volumus, ad eandem quippè misericordiam pertinet, ut velimus, DEUS enim est in nobis, qui operatur in nobis & velle.*

Probant itidem ex illo ad Ephes. 2. *DEUS est enim, qui operatur in nobis & velle, & operari pro bona voluntate*, sed velle nostrum non potest operari, nisi vel ipsum producendo, vel voluntatem prædeterminando, ergo.

Probant Tertiò ex D. Augustino variis in locis, docente gratiam se habere respectu voluntatis, sicut sessor respectu equi, sed sessor non solùm præbet equo rectum cursum, sed etiam physicè applicat ad hanc vel illam viam capiendam, ergò etiam similiter gratia determinat physicè voluntatem ad agendum.

Probant Quartò ex illo communi axiomate: *Omne movens movet, in quantum movetur ab alio*, sed voluntas est movens, ergò in tantum movet, in quantum ab alio: Subsumunt: sed DEUS est causa prima, sine qua causæ secundæ nihil operari possunt, & quæ necessariò à DEO motum accipere debent, ergò in tantum operatur gratia in homine, in quantum à DEO prædeterminatur.

Probant Quintò: Quia prædeterminatio physica quocunque modo intelligatur, non magis repugnat voluntati humanæ, neque majorem infert necessitatem voluntati, quàm in quàcunque aliâ sententiâ gratia efficax, infallibile ejus decretum aut præscientia, quâ ab æterno vidit omnia futura & possibilia, atqui hæc secundùm omnes Catholicos non destruunt libertatem humanam, sed cum ea benè cohærent, ergò neque prædeterminatio physica quomodocunque accipiatur. Probatur maj: Gratia DEI efficax ejusque infallibile decretum & scientia tàm certò & infallibiliter habent sibi semper conjunctum effectum, ac habet nulla prædeterminatio physica qualitercunque intellecta, ergò tàm benè inferunt necessitatem voluntati humanæ, quàm ulla talis prædeterminatio. Probatur conseq: non alia ratione dicitur prædeterminatio physica inferre necessitatem voluntati, nisi quòd habeat effectum tàm certò & infallibiliter conjunctum, ut in sensu composito non possit voluntas humana eam frustrare suo effectu, sed non habet magis certam aut infallibilem connexionem cum effectu, quàm gratia quæcunque efficax, aut decretum infallibile DEI, ergò non majorem infert necessitatem voluntati, quàm ista.

Confirmant hoc idem: Quæcunque sunt æqualiter & æquè certò conjuncta cum effectu, æqualem inferunt necessitatem voluntati, sed gratia quæcunque efficax ac decretum infallibile DEI sunt æqualiter & æquè certò conjuncta cum effectu ac ulla prædeterminatio physica, ergò æqualem inferunt necessitatem voluntati.

Confirmant Secundò: Illa prædeterminatio physica licèt præcedat concursum vel consensum voluntatis humanæ, nullam adhuc ipsi necessitatem infert, quia non quomodocunque movet ad operandum, sed modo convenienti & conformi naturæ & libertati illius attemperando suam virtutem, & concursum ad modum agendi voluntatis.

III. Responsio nes Thomistarum ad argumenta impugnantia prædeterminationem.

Undè si objiciatur: Quòd Prædeterminatio physica & supernaturalis sive actio DEI, sive qualitas aliqua supernaturalis animæ infusa, vel ita determinat voluntatem ad agendum antecedenter ad omnem suum consensum & concursum, ut ea posita non sit amplius in potestate voluntatis agere vel non agere, sed in sensu composito necessariò habeat consentire, vel ita relinquit ipsam indifferentem, ut ea non obstante possit voluntas etiam in sensu composito, & habita ista qualitate consensum præbere, vel negare? si primum, hoc ipso tollitur libertas voluntatis humanæ, & præcluditur omnis via merendi, vel demerendi, nam ut dicit Div. Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum: *Ubi necessitas, nec corona, nec damnatio est.* Si secundum dicatur, tunc gratis & sine ratione dicitur prædeterminatio physica, cùm per eam voluntas non determinetur, sed relicta sibi libera & integra potestate, tantùm invitetur & alliciatur ad agendum.

Ad hoc argumentum Respondent, quòd posita prædeterminatione physica in voluntate non possit amplius in actu secundo, & in sensu composito non agere, aut denegare consensum, sed necessariò habet obsequi, & ejus determinationem amplecti, licèt benè in actu primo & in sensu diviso possit non agere, quod ajunt, sufficere ad servandam ejus libertatem & rationem meriti adstruendam, quia ejusmodi necessitas non est antecedens, aut in causa, sed cõsequens solummodò, & ex suppositione istius qualitatis, quæ libertati non officit: Undè videntur dicere, quòd voluntas humana etiam habitâ gratiâ, antequam à DEO recipiat istam qualitatem prædeterminantem, posset pro suo libitu non consentire gratiæ, au eam penitus abjicere, quia nondum est per istam qualitatem determinata ad agendum, nec gratia per se sine tali qualitate valet ipsam determinare, sed post-

postquam semel accepit à DEO ipsam qualitatem prædeterminantem, non amplius est in potestate ipsius resistere gratiæ, aut consensum denegare, quia ad agendum & consentiendum est per talem qualitatem determinata.

Si huic responsioni opponatur definitio Concilii Trident. Sess. 6. Can. 4. ubi expressè definitur, voluntatem humanam per nullam prævíam motionem cujuscunque qualitatis necessitari ad agendum: *Si quis*, inquit, *dixerit*, *liberum hominis arbitrium à DEO notum & excitatum* (ecce sensus compositus) *nihil operari assentiendo DEO vocanti & excitanti*, *neque posse dissentire*, *si velit*, *anathema sit*. Adeóq; ex mente Concilii, non obstante motione actuali gratiæ, aut alterius qualitatis præviæ in voluntate, poterit adhuc etiam in sensu composito dissentire, & consensum negare. Respondent, posse quidem in sensu composito gratiæ ejusque motionis voluntatem humanam resistere & dissentire, non autem in sensu composito ipsius qualitatis prædeterminantis, hoc est, positâ gratiâ ejusque motione actuali in voluntate posse adhuc non obstãte tali motione voluntati resistere, & negare consensum, quod negavit Calvinus, contra quem est iste locus Tridentini: Secus verò esse in sensu composito istius qualitatis prædeterminantis, quæ ita fortiter & firmiter prædeterminat voluntatem ad agendum, ut eâ semel positâ non possit amplius voluntas actum suspendere, aut consensum negare. Neque contra hoc quidquam facere Canonem Tridentini, qui de solo sensu composito gratiæ, ejusque motionis potest intelligi, prius enim secundùm aliquos est poni gratiam, ejusque motionem in voluntate, quàm à DEO per istam qualitatem determinari ad agendum, undè quantumvis ex Trident. possit voluntas humana à DEO in illo priori per suam gratiam motâ & excitata resistere gratiæ, aut eam abjicere etiam in actu secundo & in sensu composito, non potest tamen resistere in sensu composito istius qualitatis prædeterminantis, neque hoc convincitur ex Tridentino.

IV. Modus Jesuitarũ reconciliandi cum libertate gratiæ efficaciam ex scientia media.

Secunda sententia est Patrum Societatis priori à diametro opposita, quæ constituit efficaciam gratiæ in quadam congruitate vocationis, quæ fundatur in scientia DEI, quam conditionatam vocant, quâ prævidet DEUS Petrum, v. g. convertendum infallibiliter, si in talibus circumstantiis loci, temporis & occasionis vocaretur, ita ut gratia efficax vocetur ab his Doctoribus *Congrua vocatio*, quia scilicet hic & nunc in iis circumstantiis loci, temporis, occasionis, & dispositionis personæ vocatur, in quibus prævidit illum DEUS consensurum, si vocaretur, undè secundùm hanc sententiam cum minori gratia data in talibus circumstantiis converteret se homo, qui in aliis circumstantiis fortiori & majori gratiæ resisteret, ita ut tota efficacia gratiæ secundùm illos consistat præcisè in hoc, quòd detur in talibus circumstantiis, & in tali occasione ac dispositione voluntatis humanæ, in quibus DEUS ab æterno sua scientiâ conditionatâ prævidit illam consensuram, si daretur ipsi gratia.

V. Hanc sententiam probant Primò ex Scripturâ Sacrâ, ad Rom. 8. ubi dicitur: *Quos DEUS præscivit, & prædestinavit, conformes fieri imaginis Filii sui, quos autem prædestinavit, hos & vocavit, hos & glorificavit.* ubi Apostolus in serie prædestinationis & vocationis divinæ ponit primò omnium præscientiam DEI, ergò ex mente Apostoli, antequam DEUS prædestinâsset aut vocâsset electos, præscivit, quid essent facturi habitâ gratiâ ipsius, ergò ulterius radix efficaciæ gratiæ, & congruitas vocationis debet in talem præscientiam refundi.

Probatur Secundò ex D. Augustino lib. 1. ad Simplicianum 2. admittit vocationem congruam, sed hæc congruitas non potest aliter explicari quàm per ordinem ad præscien-

scientiam DEI, & ex circumstantiis loci, temporis, personæ, ut scilicet tunc detur, quando prævidetur futura cooperatio voluntatis humanæ, & in illis circumstantiis, in quibus congruum est, & aptum vocato ut vocantem sequatur, ergò.

Probatur Tertiò Ratione: Quia multò major fieret homini gratia, & incomparabiliter majus à DEO recepisset beneficium, si vocaretur eo tempore, & in illis circumstantiis loci, temporis, & dispositionis personæ, quando adest commoditas, & est benè dispositus & aptus, ut convertatur, & vocationi correspondeat, quàm si in aliis circumstantiis vocaretur, in quibus vel non adest commoditas loci, aut temporis opportunitas, ut convertatur, vel si adest, ille ex parte sua est minus dispositus, quia vel animi tentatione vexatus, vel excessivâ irâ, rancore, vecordiâ, aut distractione præventus, ergò circumstantiæ loci, temporis, & dispositionis personæ multum conducunt ad efficaciam gratiæ. Probant sequelam, quia longè faciliùs & cum minori gratiâ convertitur homo benè dispositus, loco & tempore commodo vocatus, nullâ tentatione aut distractione turbatus, quàm cum majori gratiâ converteretur, si in loco & tempore importuno, aut quando irâ, odio, distractione, aut tentatione est correptus, vocaretur, ergò bona dispositio personæ, & commoditas loci atq; temporis opportuni multum conducunt ad efficaciam gratiæ, & ut homo vocationi respondeat.

Oppositiones, quæ contra hanc sententiam moveri solent, omnes illæ sunt, imprimis, quæ fiunt ad oppugnandam scientiam Molinianam, & Jesuitarum mediam sive ex authoritatibus, sive ex rationibus desumptæ, quibus etiam communiter ad illa respondent principia.

Secundò si opponatur illis, quòd efficacia gratiæ non possit provenire ab eo, quod naturaliter sequitur & necessariò præsupponit effectum, prout supponit scientia media, aliàs enim non videret futurum, si non esset futurum. Deindè in præscientiâ illâ (si dicatur) vel videt futuritionem illam futuram ex efficaciâ & virtute ipsius gratiæ, vel ex determinatione voluntatis humanæ determinantis ipsam gratiam, si primum, tunc non fit ex ipsa scientia, si secundum, sequitur, hominem seipsum discernere. Ad has, inquam, & similes oppositiones respondent, DEUM in illa scientia conditionata non prævidere conversionem certò & infallibiliter futuram ex solâ prædeterminatione voluntatis ipsius, nec ex solâ entitate aut virtute gratiæ, utpotè, quæ in aliis circumstantiis concessa potest frustrari, & quandoque re ipsa etiam in aliquibus frustraretur effectu, sed ex eo, quòd in talibus circumstantiis divina gratia præveniatur & adjuvetur, quam proinde in talibus circumstantiis confert, & in eo solo ac unicè consistere efficaciam gratiæ, & infallibilem ejus connexionem cum effectu cum eadem gratia in aliis circumstantiis & dispositionibus personæ collata, & reipsa sæpius frustraretur effectus.

Tertia sententia huic similis, & quasi in idem recidens, est eorundem Patrum Societatis, quæ reducit efficaciam gratiæ in cooperationem voluntatis humanæ, ut ita scilicet gratia dicatur efficax, & sortiatur infallibiliter suum effectum, quòd voluntas humana cooperetur, atque adeò in potestate hominis sit, reddere gratiam efficacem vel inefficacem, vel facere, ut gratia sufficiens sit efficax, & econtra. Undè juxta hanc sententiam positis duobus æqualibus per omnia quoad gratiam efficacem internam & externam, continget unum converti, & alium non converti, ex eo, quòd unus voluerit cooperari, & alter noluerit, vel neglexerit, & sic radix efficaciæ juxta hanc sententiam in liberum arbitrium refundetur, licèt non sine gratiâ, & consequenter initium determinationis erit à voluntate. Dixi V. Gratiæ efficacia quomodo reconcilietur.

autem

autem hanc sententiam parum differre à priori, quia idem inconveniens sequitur ex eo, quòd efficacia gratiæ petatur à dispositionibus, & circumstantiis personæ, ac in ipsius voluntatis refundere cooperationem. Idem enim videtur dicere, quòd DEUS videat voluntatem humanam in his, vel in illis circumstantiis consensuram, & benè operaturam, si haberet gratiam, quam proindè in talibus circumstantiis ipsi confert, ac dicere, quòd ideò ultimatè & radicaliter gratia sit efficax, quia voluntas in his circumstantiis est consensura, & cooperatura, non quia gratia ex se est talis naturæ, ut faciat eam infallibiliter operari & consentire.

Istam opinionem probant illius Authores & defensores hoc modo: Primò ex Concilio Tridentino sæpè citata Sess. 6. ubi definitur, quòd gratia quantumvis efficax & intensa non potest habere effectum absque consensu & cooperatione voluntatis humanæ, potestque secundùm Tridentinum à voluntate rejici, & suo effectu frustrari, ergò quòd habeat effectum, vel non habeat, provenit præcisè ex cooperatione & consensu voluntatis: ergò ulterius ex eadem cooperatione habet gratia, quòd sit, vel non sit efficax. Probatur ultimò: Quia indè provenit efficacia gratiæ, undè provenit infallibilis connexio effectûs cum illâ, sed hæc provenit ex cooperatione voluntatis humanæ, ergò & efficacia gratiæ. Confirmant: de fide est, liberum arbitrium posse resistere gratiæ, ergò potest facere, ut non sortiatur effectum, neque sit efficax, ergò ulterius præcisè ideò est gratia efficax, quia voluntas non resistit, sed potius cooperatur ipsi.

Probant Secundò ex D. Augustino de Prædestinat. & grat. cap. 15. ubi inquiens; cur Nabuchodonosor à DEO flagellatus egerit pœnitentiam, & Pharao similiter flagellatus non egerit, sed potiùs fuerit induratus. Respond. ex libertate voluntatis utriusque contigisse his verbis: *Ambo homines, ambo reges, ambo populum DEI captivum possidentis, ambo clementer admoniti, cur ergò medicamentum unius medici manu confectum, alii ad interitum, alii valuit ad salutem, quod fines eorum facit esse diversos, nisi quod unus manum Domini sentiens inrecordatione propriæ iniquitatis ingemuit, alter libero contra DEI misericordiam pugnavit arbitrio.* ubi S. Doctor supponit utrumque æqualiter avocatum & flagellatum, & tantùm unum ex libertate suâ non resipuisse, & alterum acceptâsse gratiam, ergò ex mente Augustini, non ex vocatione DEI, aut entitate gratiæ, quæ in utroque isto rege supponitur æqualis, sed ex liberâ cooperatione & consensu voluntatis humanæ provenit efficacia gratiæ. Confirmant ex eodem August. lib. 12. de Civit. DEI. cap. 6. ubi causam malæ voluntatis inquirens, asserit, posse fieri, ut ex duobus quoad animam & corpus æquè affectis æquali gratiâ donatis, eâdem tentatione vexatis unus succumbat, & alter non succumbat, & victoriam illius sicut & casum alterius in liberum refundit arbitrium, ergò ex mente Augustini radix efficaciæ in gratia reduci debet ultimatè ad voluntatis arbitrium, quæ pro suo libitu potest ipsi cooperari. Probatur consequentia, quia alioquin deberet S. Augustinus victoriam tentationis in casu proposito gratiæ, & non voluntati adscribere, quod tamen non facit.

Si opponantur ipsis Scripturæ, 1. Corinth. 4. *Quis est, qui te discernit? quid habes, quod non accepisti, si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Et alibi sæpè, ubi dicitur, non esse volentis &c. ex quibus videtur, quòd si efficacia gratiæ ex cooperatione proveniret, quòd homo posset seipsum ab alio discernere; sibi aliquid tribuere, si enim duo essent æqualis gratiæ, unus posset cooperari, & alter non, qui cooperaretur utique se ab alio discerneret, qui non cooperaretur. Respondent ipsi in tali casu conversum

itaque nec illi debent sibi tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt, nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantùm sibi, quoniam, ut venirent, vocati erant in eorum liberâ voluntate; propterea, & si quisquam sibi tribuat, quòd vocatus venerit, non potest sibi tribuere, quòd vocatus esset, quia ut invocatus etiam venit, sicut non habuit meritum præmii, ut vocaretur, sic inchoat meritum supplicii, cùm vocatus venire neglexit. Idem habent alii Patres communiter, & constat ulterius ex Concilio Coloniensi Anno 1536. *Quamquam*, inquit Concilium, *nemo convertatur ad Dominum, nisi tractus per Patrem, attamen nemo excusationem prætexat, quòd non trahatur, cùm ille semper stet ad ostium pulsans per internum & externum verbum commonens, ut convertamur à via nostra pessima.*

Quibus omnibus adde Declarationem Innocentii X. anno 1653. contra Jansenium ejusque Sectatores in Bulla, quæ incipit: *Cùm ex occasione impressionis libri*: ubi inter alias ejus propositiones hanc in ordine secundam tanquam hæreticam & erroneam damnat: *Gratiæ interiori in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.* Ex quâ definitione Pontificis sic breviter argumentor: Hæreticum est & definitioni Pontificis contrarium asserere, nullam dari gratiam veram internam, cui de facto & in statu naturæ lapsæ quandoque resistitur, ergò de fide est, dari aliquam gratiam interiorem, cui sic actualiter & in effectu quandoque resistitur. Sed gratia, cui sic resistitur, non potest esse aut dici efficax gratia, cùm secundùm ipsum Jansenium & veritatem sit ita infallibiliter conjuncta cum effectu, ut nunquam contingat eo frustrari, ergò ex mente & definitione Pontificis præter gratiam efficacem datur alia gratia verè interna & sufficiens, cui pro statu naturæ lapsæ sæpius resistitur; de quâ proindè hortatur Apostolus 2. Corinth. 6. *Ne in vacuum gratiam DEI recipiamus.* Et 1. Timoth. 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te est.*

Aguitur Primò: Si daretur ulla gratia interna, quæ non esset efficax, sed sufficiens tantùm, posset homo cum ea sola benè agere, & suam salutem operari, sed impossibile est hominem cum sola gratia sufficienti benè agere, aut comparare sibi salutem, ergò nulla talis gratia est admittenda. Maj: patet: Quia ideò præcisè datur ulla gratia homini, ut quod per naturā non potest facere, possit per gratiam, suam videl. salutem operari, & ad DEUM converti. Probatur ergò min: Si cum sola gratia sufficienti posset homo operari suam salutem, esset hoc ipso efficax, & non sufficiens tantùm, cùm reipsa & actualiter sit conjuncta cum suo effectu, sed impossibile est eandem entitatem gratiæ transire à sufficienti in efficacem, sicut nec ulla species potest transire in suam conspeciem, ergò vel cum sola gratia sufficienti non potest operari homo suam salutem, vel certè nulla talis, quæ esset sufficiens tantùm; & ab efficaci distincta, est admittenda.

Confirmatur: Gratia illa sufficiens tantùm, vel habet quandoq; & in aliquo individuo suum effectum, vel nunquam habet? primum dici non potest, quia secundùm nostràm certum est & infallibile, gratiam sufficientem nunquam habituram effectum, quàm est infallibile, gratiam efficacem nunquam eo frustrari. Si secundum, ergò frustra & sine ullâ utilitate datur homini talis gratia. Probatur consequentia. Illa gratia, quæ in nullo unquam individuo habet ullum effectum, nec quidquam in homine operatur, est inutilis & frustranea, ergò si gratia sufficiens se sola nihil in homine operatur, nec ullum habet unquam effectum, est inutilis & frustranea. Respond. neg: maj: si sic intelligatur, ut per solam gratiam efficientem sine ulteriori & efficaciori auxilio possit homo operari salutem suam, potest quidem homo cum gratia sufficienti benè agere, in quantum ea mediante

potest orare & DEUM rogare pro ulteriori & efficaciori gratia, cum qua possit ultimatè benè agere, sed cum ea sola sine ulteriori gratia in re ipsa nunquam habebit effectum ultimatum: Pro cujus intelligentia.

VIII. Effectus gratiæ duplex est, ultimatus & non ultimatus.

Notandum: Duplicem posse considerari effectum gratiæ sufficientis, ultimatum scilicet, & non ultimatum. *Effectus ultimatus* gratiæ dicitur ille, qui ultimatè & principaliter intenditur ab authore ejus, & in ordine, ad cujus consecutionem dat homini gratiam suam. *Effectus non ultimatus* est medium quoddam ad obtinendam ulteriorem gratiam, per quam possit effectus ultimatus produci, diciturque gratia sufficiens in ordine ad ulteriorem gratiam illam obtinendam, sed insufficiens se sola ad producendum ultimatum effectum, v. g. DEUS per suam gratiam sufficientem inspirat peccatori, ut agat pœnitentiam, vel hæretico, ut ad fidem convertatur, sicut multoties sentiunt plurimi tales inspirationes, sed quia ista gratia aut inspiratio non est tàm potens aut efficax, ut faciat fidem aut conversionem in DEUM magis placere homini, quàm placent opposita motiva à conversione & fide retrahentia, hinc non potest homo cum ea sola converti, aut in DEUM credere, *sed debet*, ut loquitur Tridentinum, *cum ea facere quod potest, & petere, quod non potest*; undè in forma distin: min: tàm est infallibile, gratiam sufficientem se sola non habituram effectum ultimatum, quàm gratiam efficacem eo nunquam frustrari, conced: effectum non ultimatum, neg: min: & consequ: Nec valet dicere, illam gratiam esse frustraneam, quia ejus fructus & utilitas in eo cernitur, quod inspirat homini, quid debebat facere, & ad quem pro ulteriori auxilio debeat in necessitate confugere.

Dices: Si gratia sufficiens se solâ haberet ullum effectum, non posset commodè distingui à gratiâ efficaci, sed hoc est contra nos, ergò. Probatur maj: in hoc principaliter distinguitur gratia efficax à sufficienti, quòd illa habeat effectum sibi semper conjunctum, hæc verò nunquam, sed in sua sola sufficientia & possibilitate consistat, ergò si gratia sufficiens habet quandoque se sola effectum, non poterit commodè distingui à gratia efficaci. Respond. esto gratia sufficiens habeat aliquando suum effectum, sufficienter adhuc distingui ab efficaci per hoc, quòd gratia efficax habeat sibi semper & infallibiliter conjunctum effectum, sufficiens verò non, nisi valdè fallibiliter, & ita, ut in plerisque ipsi resistatur. Deindè gratia efficax habet sibi conjunctum ultimatum effectum, sufficiens verò non nisi immediatum & proximum.

Arguitur Secundò: Si daretur gratia ex natura sua sufficiens tantùm, vel daretur omnibus indifferenter hominibus, parvulis & adultis, fidelibus & infidelibus, idque semper & pro omni tempore, vel aliquibus tantùm, & aliquando: non primum, quia frustrà & in perniciem potius, quàm in utilitatem daretur gratia illis, qui vel nolunt cooperari cùm possint, ut sunt plurimi adulti, fideles & infideles, qui, ut loquitur Scriptura, *Spiritui Sancto semper resistunt*, vel non possunt velle & cooperari, ut sunt parvuli; ad quid autem daret DEUS suam gratiam illis, quos prævidet abusuros, & minimè obtemperaturos, nisi velit eorum peccatum aggravare, & ex hoc pœnam multiplicare, ac sic in perniciem magis quàm in utilitatem ipsis cedere. Si secundum, ergò injuria fit illis, quibus nulla gratia sufficiens vel efficax confertur, neq; poterit illis imputari ullus actus, quantumvis malus in peccatum, cùm nec possint vitari peccata sine gratia, quæ ipsis denegatur, nec peccent in eo, quod vitare non possunt, & insuper convincitur DEUS acceptor personarum, cùm aliquibus potius quàm aliis suam gratiam conferat, cùm tamen deberet illi esse æqualis cura de omnibus, cùm om-

nes indifferenter homines salvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire velit. Respond. in sequentibus ostendendum, quibus datur gratia sufficiens, an omnibus vel aliquibus? & quibus? illud enim in præsenti certum est, eam de facto dari pluribus, qui nec inspirationi acquiescunt, nec gratiæ ullatenus cooperantur, sed, ut loquitur Apostolus, *Gratiam DEI in vacuum recipiunt*, & Spiritui Sancto interius inspiranti resistunt, & cùm quæritur, ad quid DEUS similibus suam gratiam daret. Respond. posse similiter interrogari, quare Christus prędicaverit Judęis & signa ac virtutes fecerit in Corozaim & Betzaida, quos tamen optimè novit non convertendos nec credituros, quare item DEUS ab initio reliquit hominem in manu consilii sui exponens ei bonum & malum, vitam & mortem, eique ad perseverandum suam gratiam non exhibuerit, quem tamen ab æterno præscivit casurum, & sibi ac posteris originalem justitiam perditurum, quare denique de facto dedit legem & præcepta pluribus, quorum inobedientiam & transgressionem prævidit, de quibus possent similiter conqueri, quòd magis in ruinam & damnationem, quàm in fructum & utilitatem ipsorum cedat, & plura similia, quæ nefas esset dicere, DEUM frustrà fecisse, quantumvis homines ex sua perversitate eis abutantur, & ex defectu cooperationis suo fine frustrentur, & sicut non frustra prædicavit DEUS Judæis, aut signa fecit in Corozaim & Betzaida, quantumvis ei non crediderunt, ita nec frustra dat etiam suam gratiam illis, qui resistunt & nolunt cooperari, sed in utroque ostendit suam bonitatem & misericordiam erga genus humanum dando ipsis talia auxilia ad salutem, quibus si velint cooperari & benè uti, impetrarent à DEO ulteriora auxilia, quibus reipsa converterentur, & benè agerent. Nec refert, quòd talibus gratia sit magis in perniciem quàm in utilitatem, quia *perditio tua ex te Israël*, sic prædicatio Evangelii, patratio miraculorum, mors & passio Christi fuerunt Judæis in ruinam & scandalum, juxta illud ipsius Salvatoris: *Nisi venissem & locutus eis fuissem, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Sic etiam buccella dominica tempore cœnæ fuit Judæ in perditionem: *Non*, inquit Augustinus tract. 26. in Joann. *quia malum accepit, sed quia bonum malè malus accepit.* Sic etiam in proposito gratia cedit in perniciem & damnationem multorum magis quàm in fructum & utilitatem, non quòd gratia non sit ex se bona & ad bonum finem & utilitatem ipsorum à DEO collata, sed quia ipsi ex sua perversitate abutantur gratiâ ipsius, nec cùm possint, volunt cooperari, aut suam salutem prosequi.

Ad illud de acceptione personarum dico, sive DEUS det suam gratiam omnibus, sive aliquibus tantùm, nulli tamen facere injuriam, quia neque illis, quibus confertur, neque illis, quibus denegatur, ullâ ratione debetur, sed ex solâ misericordiâ datur quibusdam & ex summâ justitiâ aliis denegatur ab eo, qui, cujus vult, miseretur, & quem vult, indurat, neque illi, quibus subtrahitur, possunt conqueri, quòd injustè illis subtrahatur, & aliis conferatur, nisi fortè sint ex illorum numero, quibus propter similem invidiam à Domino dictum est: *Nunquid oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum, an non mihi licet facere de meo, quod placet, tolle quod tuum est, & vade*; nec per hoc dicendus est DEUS acceptor personarum, quia vitium acceptionis personarum habet solummodò locum in iis, qui secundùm justitiam præsertim distributivam aliquid aliis debent, sicut DEUS quantum ad dona gratiæ nemini quidquam debet, adeoque sine nota injustitiæ vel acceptionis personarum potest suam gratiam conferre uni & non alteri, aut omnibus simùl subtrahere. 12. DEUS non est acceptator personarum.

QUÆSTIO TERTIA.

An DEUS omnibus adultis det auxilia divinæ gratiæ ad minus remotè sufficientia ad salutem?

I. Christum pro omnibus passum aliqui negant.

QUod in proposito quæritur, est: An DEUS pro omni tempore, & omni statu dederit adultis sive fidelibus sive infidelibus gratiam verè internam, & auxilium proximè sufficiens, quo, si vellet, posset homo se ad DEUM convertere, & salutem suam procurare? vel an saltem DEUS ex parte suâ ita providerit omnibus, ut neminem sine auxilio ad minus remotè sufficienti reliquerit, dando omnibus & pro omni tempore legem & præcepta, quibus se possent conformare, offerendo pro singulis passionem & mortem Filii sui, qui pro omnibus est indifferenter passus & mortuus, instituendo pro omnibus indifferenter Sacramenta, aliaque salutis remedia ex seriâ intentione & proposito eos salvandi, licèt non impediat naturalem ordinem & cursum rerum, quibus multoties fit, ut hæc remedia proximè & immediatè hominibus non applicentur, nec fortè pluribus ad hæc suscipienda ullam gratiam internam contulerit, & quoad hanc ultimam partem potest æqualiter intelligi de parvulis ac de adultis, an scilicet Christus pro omnibus omninò hominibus sive adultis sive parvulis sit mortuus & sanguinem fuderit, sua Sacramenta instituerit, suam legem condiderit &c. ac per hoc omnibus providerit de remediis proximè vel remotè ad salutem necessariis & conducentibus.

Negant quoad utramque partem Bajus & Jansenius aliique nonnulli, quos in suam partem traxerunt, & cum D. Augustino (ut ipsi existimant) doceat, Christum non pro omnibus hominibus, sed pro solis prædestinatis & electis mortuum fuisse, & sangvinem fudisse, nec ulla obtinendæ salutis divinæ remedia proximè vel remotè sufficientia reprobis paràsse aut reliquisse, licèt eorum aliqui, videlicet qui ad tempus benè agunt, & in gratia persistunt, promeritus sit gratiam aliquam temporaneam: *Semi-Pelagianum est*, inqvit Jansenius tract. 3. lib. 3. de gratia Salvatoris cap. 21. *Dicere Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.*

Dico Primò: *DEUS optimus, maximus omnibus cujuscunque status adultis fidelibus & infidelibus reprobis & electis providit remedia remotè ad minus sufficientia ad salutem.* Hæc Conclusio est communissima inter Theologos antiquos & Recentiores, & non tàm probatione, quàm expositione indiget. Sensus igitur conclusionis est, quòd DEUS post prævisum peccatum primi hominis, & in ipso totius posteritatis infectionem decrevit ab æterno incarnare Filium suum pro salute omnium hominum indifferenter, & sine ullius personæ exclusione aut exceptione, & quòd ipse Filius in tempore pro omnibus indifferenter fuerit passus & mortuus, quòd pro omnibus & ex intentione salvandi omnes instituerit Sacramenta Novæ & Veteris Legis, aliaqve salutis remedia providerit, quæ si re ipsa & debito modo omnibus applicentur, sufficerent ad eorum salutem procurandam, licèt interim pluribus & innumeris ferè non applicentur, neque mortis Christi beneficium recipiant, idque vel propter defectus causarum secundarum, quarum naturalem cursum vel ordinem non vult, nec tenetur DEUS impedire, vel propter perversitatem & malitiam ipsorum, qui nolunt applicari sibi remedia ad ipsorum salutem ordinata, vel denique in pœnam peccati originalis vel actualis, quibus reddiderunt se indignos tali favore & gratia. II. Auxilia gratiæ remotè sufficientia DEUS omnibus providit.

Probatur Conclusio Primò ex Scripturâ, Sapient. 11. *Misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam, diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum; parcis autem omnibus, quoniam tua sunt, qui amas animas.*

Et Eze-

Et Ezechiel. 18. *Nunquid voluntas mea est mors impii, dicit Dominus, & non magis ut convertatur & vivat.* Et alibi: *Nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat.* Et ad Rom. 8. *Proprio Filio suo non pepercit DEUS, sed pro omnibus tradidit illum.* & 2. Corinth. 5. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergò omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus.* & 1. ad Timoth. 4. *Speramus in DEUM vivum, qui est Salvator omnium hominum, maximè fidelium.* & 1. Joann. 2. *Ipse propitiatio est pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed pro totius mundi.* & 2. Petri 3. *Non vult DEUS aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Et 1. ad Timoth. 2. *Hoc enim bonum est* (nempè pro omnibus orare) *& acceptum coram Salvatore nostro DEO, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, unus enim DEUS, unus & mediator DEI & hominum Christus JESUS, qui semetipsum dedit redemptionem pro omnibus.* Ex qvibus omnibus authoritatibus sic argumentor: Nisi DEUS providisset omnibus hominibus cujuscunqve statûs aut temporis, & praecipuè adultis ac ratione utentibus media communia ad salutem, remotè ad minus sufficientia & requisita, non posset intelligi aut commodè explicari, qvomodo omnium salutem indifferenter velit, & exoptet, nullius peccatoris mortem aut interitum desideret (sed potius positivè nolit) Filium suum in redemptionem dederit. Nec potest declarari, qualiter ipse Filius sit pro omnibus passus & mortuus, Redemptor omnium factus, propitiatio pro peccatis totius mundi: Sed istae & similes locutiones ex Sacra Scriptura sunt verissimae, ergò verum erit DEUM providisse omnibus, praecipuè adultis de generalibus & communibus istis mediis ad salutem remotè sufficientibus. Maj: patet: Quia intelligi non potest, quomodo dicatur Christus pro omnibus passus & mortuus, nisi suam passionem & mortem pro omnibus obtulerit.

Confirmatur ex Bulla Innocentii X. contra 5. propositionem Jansenii, cujus haec erat in ordine quinta: *Semi-Pelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.* Quam propositionem in hunc modum damnat Pontifex: *Quintam,* inqvit, *propositionem, Semi-Pelagianum est dicere, falsam, temerariam, scandalosam, & intellectam eo sensu, ut Christus duntaxat pro salute praedestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, divinae pietati derogantem, & haereticam declaramus, & uti talem damnamus.* Ergò ex mente & definitione Pontificis non pro solis praedestinatis & electis: sed pro omnibus indifferenter hominibus passus & mortuus est Christus.

Probatur Conclusio Secundò ex Concil. Trident. Sess. 6. cap. 3. ubi eadem veritas manifestè docetur: *Verum,* inquit, *etsi pro omnibus mortuus est Christus, non omnes tamen mortis ipsius beneficium recipiunt, solùm ii duntaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur.* Ubi docet Concilium, Christum mortuum esse non solùm pro iis, qui salvantur, & meritum passionis ejus recipiunt, sed etiam pro omnibus indifferenter hominibus bonis & malis, reprobis & electis, sive de merito passionis communicent, sive non.

Probatur Tertiò ex SS. Patribus communiter, quia in hoc ferè omnes conveniunt, quòd Christus Dominus fuerit pro omnibus natus, passus, & mortuus, undè Leo Papa Serm. de Nativ. 1. *Sicut,* inquit, *Christus Dominus nullum à reatu liberum invenit, ita pro liberandis omnibus venit.* Sed in contra

Arguitur Primò: Christus Dominus instituit sua Sacramenta & alia salutis remedia pro iis solis, pro quibus est dignatus mori & pati, sed pro solis electis passus est Christus, ergò. Probatur min: pro solis electis oravit Christus, & suam passionem DEO Patri obtulit, ergò pro illis

III. Christus efficaciter oravit pro damnandis, sed tamen

illis solis passus est & mortuus. Probatur antec: Tùm, Quia si Christus Dominus orâsset, ac suam passionem obtulisset pro aliis, quàm pro electis, proculdubio exorâsset, & salutem eis obtinuisset, juxta illud ipsius testimonium Joann. 11. *Ego sciebam, quia semper me audis:* Tùm etiam, Quia immediatè jam imminente passione dixit: *Non pro mundo rogo*, id est, pro hominibus mundo deditis, *sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt.* Tùm denique: Quia frustra videtur Christus orare, aut suam passionem offerre pro salute ipsorum, quos nunquam salvandos optimè novit, sicut benè novit reprobos omnes nunquam salvandos, ergò. Respond. conc: maj: & neg: min: ad cujus probationem distinguo antec: pro solis electis oravit Christus efficaciter, & suam passionem DEO Patri obtulit ex efficaci intentione salvandi eos, conc: inefficaciter & ex intentione providendi omnibus media generalia remotè ad minus sufficientia ad salutem, si velint benè uti, ut ipsa applicarentur ipsis, neg: anteced: & consequ: per quod etiam patet ad primam & secundam probationem, quia si Christus efficaciter aut ex voluntate consequenti salvandi omnes adultos, orâsset pro iis Patrem, proculdubio fuisset pro sua reverentia exauditus, & salutem ipsis obtinuisset. Ad ultimam probationem nego imprimis, quòd Christus frustra orâsset aut suam passionem obtulisset pro salute ipsorum, quos nunquam salvandos benè novit, sicut nec frustra oravit Patrem pro transferendo calice passionis, quem tamen certò sciebat non transferendum. Respond. Secundò ad eandem probationem distin: anteced: frustra orat Christus, & suam passionem offert pro illis, quos prævidit nunquam salvandos, si hoc prævideat, aut talis defectus proveniat, ex demerito & malitia ipsorum, neg: anteced: si proveniat ex parte Christi orantis aut remedii ab ipso præparati, transf: antec: In proposito autem, quòd videat DEUS plures damnandos, quibus meritum passionis, aut mortis ipsius non communicatur, non provenit ex parte DEI aut Christi medicinam præparantis, aut etiam ex parte medicinæ præparatæ, utpotè quæ sufficeret ad salvandos omnes, si ipsis debitè applicaretur, sed ex demerito & malitiâ ipsorum, qui & medicinam & medicum contemnunt, ac per hoc pœnam & mortem æternam merentur, quod non medico aut medicinæ, sed ipsi ægro & perversitati ipsius est imputandum. Contra.

Arguitur Secundò: Medicus corporalis frustra pararet medicinam infirmo de salute jam desperato, & quam videt nullo modo ipsi conducturam, ergò à pari frustra pararet medicus spiritualis medicinam spiritualiter infirmo, de cujus sanitate spirituali penitus desperatur, maximè si sciat, quòd ipsi nullo modo conduceret; sed Christus Dominus optimè novit, quòd sua mors aut passio, Sacramenta item & alia salutis remedia nihil conducerent reprobis & à DEO abjectis, utpotè de quorum spirituali salute & maximè finali penitus desperatur, cùm positivè sint à vitâ exclusi, & à DEO reprobi facti, ergò frustra pro similibus pararet Christus tàm pretiosam medicinam, aut suam passionem & mortem obtulisset. Respons. nos imprimis videre in praxi extrema quæque tentari à medicis temporalibus circa desperatos, & fortissima quæque ac pretiosissima medicamenta ipsis exhiberi, an frustra? viderint ipsi. In proposito illud certissimum est ex Trident. Sess. 6. cap. 3. de fide definitum, Christum Dominum fuisse passum, & hanc medicinam parâsse pro pluribus, qui passionis ejus aut mortis fructum non percipiant: *Etsi*, inquit Tridentinum, *pro omnibus mortuus est Christus, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii duntaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur.* Dicere autem, quòd frustra pro similibus paraverit Christus hanc medi-

IV. Medicina bona est, etsi omnes non utantur ei.

medicinam, nullus est, qui ausit affirmare. Respond. ergò Secundò: Frustra pararet medicus corporalis medicinam infirmo, de cujus sanitate desperatur, si medicina sit ex se sanativa infirmi etiam in isto casu desperationis, si debitè applicaretur, & insuper in manu ipsius infirmi sit causam suæ mortis ponere, vel non ponere, suamque infirmitatem virtute medicinæ sanare, si eam applicare vellet, aut sibi applicari permitteret, neg. antec: & conseq: Secus, transeat antec: & consequ: In proposito verò nostro mors & passio CHRISTI, Sacramenta Ecclesiæ, & alia salutis remedia à Christo instituta sunt ex se medicinæ tàm efficaces ac salutares, ut de quácunque infirmitate spirituali etiam desperatissima possint liberare, & liberent reipsa, si debitè applicentur, & insuper in manu ipsius infirmi est suam damnationem, & spiritualem mortem ponere, vel non ponere, cùm liberè peccet, & causam suæ mortis liberè ponat, poteritque infirmitati ipsius mediante hâc medicinâ succurri, dummodò à se, vel ab alio ipsi applicetur, nec proindè frustra aut inutiliter similibus paravit DEUS tàm salutarem medicinam, quâ, si velint debitè uti, certò sanitatem contulisset, & à leprâ peccati mundâsset.

Addo, plurimos esse finaliter reprobatos, qui quoad tempus in hoc mundo benè vivunt, in gratia persistunt, quibus proindè ad temporalem ad minus sanitatem conducit hæc medicina, licèt non ad æternam.

Instatur: Saltem, qui nec in hoc nec in futuro sæculo quidquam participant de fructu hujus medicinæ, non debet dici parata, ergò non est generale remedium pro omnibus omninò hominibus præparatum. Antec: patet, quia, ut jam dixi, frustra diceretur Christus pati, aut hanc medicinam præparare pro illis, qui nec in hoc, nec in futuro sæculo quidquam participant de fructu ejus aut merito. Respond. neg: absolutè anteced: cujus falsitas ex jam dictis constat, licèt enim plurimi sint & fuerint, qui nec in hoc nec in futuro sæculo quidquam participant de fructu & merito passionis, aut mortis Christi, ut loquitur Tridentinum supra, hoc tamen non est ex defectu medicinæ aut virtutis sanativæ ipsius, quæ ex se generalis est, & pro omnibus indifferenter hominibus præparata, ac potens omnes spiritualiter sanare, si debitè applicaretur, undè nego conseq.

Urgetur: Benè novit Christus, quòd ista medicina nunquam applicaretur reprobis saltem pluribus, ergò pro illis ad minus frustra eam præparâsset. Respond. neg: consequ: Sicut nec frustra vocavit ad cœnam Evangelicam etiam illos, quos optimè novit non venturos, nec frustra invitat omnes ad pœnitentiam, licèt non omnes convertantur, nec denique frustra pararet medicus corporalis medicinas aliquas generales pro universo populo sibi commisso ex intentione omnibus indifferenter subveniendi, nisi ipsi ponant obstaculum, aut medicinam pro omnibus præparatam nollent petere vel acceptare, licèt interim benè sciat, quòd non omnes petent, neque omnibus applicabitur, quod ipsorum defectui, non curæ aut providentiæ medici debet imputari. Sic in proposito CHRISTUS paravit unam generalem medicinam pro omnibus indifferenter sanandis ex intentione omnibus subveniendi, si verò æger aliquis aut infirmus ex suo demerito, perversitate, aut negligentiâ tanto beneficio ac tam salutari remedio seipsum fraudabit, sibi & non medico imputari debet.

QUÆ-

QUÆSTIO QUARTA.

An DEUS præparaverit omnibus, dederitque omnibus gratiam internam sufficientem ad salutem?

I. Auxilio de interno sufficiente variæ opiniones.

HÆc Quæstio priorem sequitur, & quod illa de externâ & generali gratiâ discussit, hæc de interna & auxilio intrinsecè movente ad benè ac salutariter operandum assumit examinandum, totaq; difficultas in hoc consistit, an videlicet præter generalia superiùs recensita remedia, & auxilia externa omnibus communia, detur adhuc cuilibet adulto, fideli & infideli, reprobo vel electo auxilium gratiæ interioris & proximè sufficiens ad salutem procurandam & medicinam istam generalem debitè sibi applicandam. Jansenistæ omnes, & qui ipsos seqvuntur, negant pro statu naturæ lapsæ dari ullam gratiam interiorem, quæ esset sufficiens tantùm, sed hanc sententiam suprà sufficienter rejeci.

Alia sententia & inter Theologos satis communis docet, dari quidem gratiam interiorem & sufficientem plerisque, aut saltem pluribus Fidelibus & Infidelibus, quâ possint vitare peccata, & suam salutem prosequi, sed negat eam omnibus indifferenter etiam adultis conferri, loquendo maximè de obstinatis & induratis, qui vel de DEO nihil unquam audiverunt, vel si audiverunt, tanquam fabulas contempserunt, & in suâ perfidiâ obstinaciter perstiterunt.

Tertia denique sententia, quæ etiam in Scholis est valdè communis, distinguit gratiam duplicem, interiorem, & sufficientem, unam remotè & alteram proximè sufficientem, & hanc ultimam negant dari omnibus indifferenter hominibus, præcipuè adultis, fidelibus & infidelibus, reprobis & electis, idque pro omni tempore & statu, & ut eorum aliqui in suis manuscriptis explicant, per eam intelligunt notitiam quandam generalem & naturalem, quam de DEO ex creaturis habemus, quæ sufficienter admonet quemque suæ conversionis, & si eâ velit benè uti, satis instigat ad orandum DEUM pro ulteriori auxilio gratiæ, qua re ipsa & proximè possent converti, ita ut inexcusabiles sint, nisi ex notitia sic habitâ DEUM pro ulteriori auxilio ac sufficienti rogent, juxta illud Apostoli ad Rom. 1. *Invisibilia DEI à creaturâ mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, ita ut inexcusabiles sint, quia cùm DEUM cognovissent, non sicut DEUM glorificaverunt.* Sed ut verum fatear, hanc distinctionem duplicis gratiæ interioris, quantumvis inter suos satis communem, non possum capere, quia si per gratiam interiorem & remotè sufficientem intelligunt notitiam aliquam generalem, quam de DEO ex creaturis habemus, vel aliud quodcunque donum aut beneficium ordinis naturalis, non video, quomodo pertineat, aut dici possit gratia sufficiens & interna, de quâ in proposito loquimur, quia hîc non agitur de ullo dono naturali, aut ex naturæ viribus vel debito proveniente, sed de gratiâ internâ ordinis supernaturalis à solo DEO citra omne debitum infusa, & ex se sufficienti ad moraliter & meritoriè operandum, qualiter non sufficit ullum donum naturale quantumvis excellens, de hâc igitur gratiâ supernaturali & internâ quæritur in proposito, an detur omnibus adultis cujuscunque statûs ac conditionis, an aliquibus tantùm, & quibus?

Dico Primò: *Nulla ratio evidens, nec authoritas convincens probat dari semper, aut pro omni tempore, & occasione adultis omnibus cujuscunque statûs aut conditionis gratiam verè sufficientem, & internam.* Est sub ista limitatione inter Theologos satis communis contra quosdam, qui putant, se contrarium evidenter demonstrare, quorum demonstrationem inferius adducam. II. Auxilium sufficiens & internum semper & omni tempore dari nulla convincitur ratio.

Dixi

Dixi in Conclusione *semper & pro omni tempore & occasione*, quia an singulis quandoque & in certis occasionibus conferatur, mox videbitur. Probatur interim Conclusio: Si daretur omnibus & pro omni tempore & occasione gratia sufficiens & interna, non posset intelligi aut commodè explicari, quomodo dicantur aliqui à DEO indurati, excœcati, & derelicti, sed in Scriptura passim Exod. 9. Isaiæ 6. Matth. 13. Joann. 12. ad Rom. 1. & alibi sæpè dicuntur plurimi indurati, obcœcati, & à DEO derelicti, ergò talibus nulla gratia sufficiens aut interna conceditur. Probatur maj: ipsa induratio talium consistit in omnimoda subtractione gratiæ juxta illud Augustini epist. 13. *DEUS non indurat impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam*, sed non consistit in subtractione solius gratiæ efficacis, aliàs quivis etiam justus destituatur gratiâ efficaci dicendus esset hoc ipso induratus, excœcatus, & derelictus, quod nemo dicit, ergò consistit in subtractione cujuscunque gratiæ sive efficacis sive sufficientis, ergò ulterius durante induratione non datur talibus ulla gratia sufficiens vel efficax, aliàs hoc ipso non essent, nec dici deberent obcœcati & indurati.

Probatur Secundò ex Div. Augustino de corrept. & grat. cap. 11. ubi loquens de gratia primi hominis, quæ erat sufficiens tantùm, sic loquitur: *Tale erat adjutorium Adæ concessum, quod desereret cùm vellet, & in quo permaneret si vellet, non qua fieret, ut vellet.* Et infrà, quod adjutorium scilicet Angelo vel homini, cùm primùm facti sunt, defuisset: *Quoniam non talis naturæ erant, ut sine divino adjutorio possent manere, si vellent, non utique suâ culpâ cecidissent, adjutorium quippè defuisset, sine quo manere non possent, nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est.* ergò. Supponit D. Augustinus, gratiam illam sufficientem, quâ possent vitari peccata, aliquibus post lapsum subtrahi, idque in pœnam peccati, quod vel originaliter contraxerunt, vel personaliter admiserunt. Adde gratis & sine ullo fundamento solido dici, quòd detur semper & pro omni occasione gratia interna & sufficiens illis, qui de Evangelio Christi nihil unquam audiverunt, nec de vero DEO quidquam sciverunt, sed idola semper coluerunt, & cultum DEO debitum ligno vel lapidi exhibuerunt, maximè cùm nec ratio nec authoritas convincat, dari similibus semper & pro omni occasione talem gratiam, prout ex solutione objectionum patebit. Quare

Opponitur Primò Authoritas Concilii Trident. Sess. 6. cap. 11 DEUM non præcipere hominibus impossibilia: *DEUS*, inquit, *impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat, ut possis.* Sed pro omni tempore & statu dedit DEUS omnibus adultis ratione utentibus legem & præcepta, quæ voluit & præcepit observari, ergò possibile erat ipsis pro omni tempore & statu legem & præcepta sic accepta observare, sed impossibile est ad minus moraliter loquendo homini lapso observare totam legem DEI, & omnia ejus præcepta adimplere sine auxilio aliquo gratiæ interioris & sufficientis, ergò quoties instat tempus & obligatio observandi aliquod præceptum ex ipsis, dat DEUS homini auxilium gratiæ, quo legem possit adimplere, & tale præceptum observare. Probatur subsumptum ex epist. Innocentii I. ad Concilium Carthaginense: *Negantes*, inquit, *auxilium DEI, hominem sibi sufficere, nec gratiâ hunc egere divinâ affirmant*, scilicet Pelagiani, *quâ privatus necesse est diaboli laqueis irretitus succumbat, dum ad viam vitæ perficiendo mandata, sola libertate contendit.* ergò ex mente Concilii impossibile est ad minus moraliter loquendo homini lapso servare legem & implere præcepta sine gratia. Respond. conc: totum primum Syllogismum, sed disting: subsumptum: impossibile est homini lapso servare

(*) Sss totam

totam legem, & præcepta adimplere sine omni auxilio gratiæ meritoriè, aut ad fructum vitæ æternæ, conc: sine tali fructu aut mercede, maximè ad aliquod tempus, & nullâ urgente gravi tentatione, neg: nec aliud convincit ejus probatio, quàm esse homini moraliter impossibile observare diu totam legem, & omnia ejus præcepta adimplere, quod similiter docui, si urgeat maximè gravis tentatio, sicut moraliter loquendo impossibile est non intervenire longo tempore, cum quo stat, quòd pleraque præcepta quoad substantiam operis præcepti vel prohibiti saltem brevi aliquo tempore, & cessante gravi tentatione, possint sine omni auxilio gratiæ interioris observari, licèt absque merito aut fructu vitæ æternæ, sicut superius docui, undè nego consequ: licèt enim DEUS non concedit homini gratiam internæ inspirationis in omni occasione, & maximè quoties instar tempus & obligatio observandi præceptum aliquod, aut vitandi peccatum, adhuc tamen non præcipit ipse impossibile, quia non est homini impossibile servare plura præcepta quoad substantiam, & fugere peccata sine omni gratia.

Instatur: Ex determinatione Innocentii X. contra propositiones Jansenii, quarum prima hæc erat: *Aliqua DEI præcepta hominibus justis volentibus & conantibus secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, quâ possibilia fiant.* Quam propositionem in hunc modum damnat Pontifex: *Primam dictarum propositionum, aliqua DEI præcepta, &c. impiam, temerariam, blasphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus*, ergò ex mente Pontificis omnibus ad minùs justis datur à DEO gratia sufficiens & interna, quâ instante tempore & obligatione possent servare legem & præcepta adimplere. Respond. conc: cum Pontifice nulla DEI præcepta hominibus justis volentibus & conantibus esse observatu impossibilia, quia vel secundùm præsentes, quas habent naturales vires, possunt ea quoad substantiam observare, vel certè DEUS subministrat eis auxilia gratiæ ad minùs sufficientis, quibus possunt ea non tantùm quoad substantiam operis præcepti vel prohibiti, sed etiam cum merito & fructu vitæ æternæ observare, ita ut DEUS nunquam taliter deserat hominem præsertim justum, quin possit quodlibet præceptum instante tempore & obligatione, vel per vires naturales quoad substantiam observare, vel certè si omnimodè ejus vires superet, subministrat ei auxilium aliquod gratiæ ad minus sufficientis, quo, si vellet benè uti, possit tale præceptum adimplere, & peccatum evitare, nec aliud intendit.

Urgetur: Quantumvis sine gratia possit homo observare aliqua præcepta quoad substantiam, aut vitare peccatum, non potest tamen illud præceptum adimplere, aut vitare peccatum meritoriè, aut cum fructu vitæ æternæ sine ipsa, sed non est credibile, quòd instante tempore & obligatione observandi præceptum subtrahat homini auxilia, quibus hoc possit meritoriè prostare, ergò dicendum est, eum concedere homini suam gratiam, quoties tale tempus vel obligatio instat. Probatur min: DEUS non aliter, nec ex alio motivo dedit homini legem & præcepta, nisi eâ intentione salvandi ipsum, & ex observatione legis sic acceptæ dandi ipsi vitam æternam, ergò quoties instat tempus & obligatio observandi legem, non est credibile, quòd DEUS subtrahat ipsi auxilium, sine quo non potest eam meritoriè, & cum fructu vitæ æternæ observare; ad quid enim dedisset homini legem, nisi per ejus observantiam possit sibi promereri vitam æternam, si instante ejus obligatione subtrahat auxilium gratiæ, sine quo nihil omninò potest promereri. Respond. conc: maj: & negt min: ejusque probationis sequelam, quia licèt DEUS dederit homini le-

gem

gem & præcepta ex intentione ipsum salvandi, & perducendi ad gloriam cœlestem, sicut ex eodem fine providit ipsi aliqua media generalia, ut possit hunc finem adipisci, aut sibi promereri cum speciali auxilio gratiæ interioris, non tenetur tamen hanc gratiam omnibus, aut pro omni tempore & occasione conferre, sed aliquibus quandoque ex suo demerito subtrahit, nec illis, quibus de facto exhibetur aliter, quàm ex misericordia tribuitur, nec iis, quibus subtrahitur aliter, quàm ex justitia negatur, ut nec illi possint gloriari, quòd sibi præ cœteris conferatur, nec isti conqueri, quòd sibi injustè subtrahatur; cur autem uni potius quàm alteri, aut in uno loco vel tempore potiùs quàm in aliis conferatur. *Occulta*, inquit Augustinus de peccatorum remiss. & merit. cap. 21. *causa esse potest, injusta esse non potest.* In his & similibus inscrutabilia sunt judicia DEI, qui cujus vult, & quoties vult, miseretur, & quem vult, indurat.

Opponitur Secundò Authoritas Patrum, ut D. Augustini de lib. arbit. lib. 3. cap. 9. & de natur. & grat. cap. 17. qui respondens Quærimoniæ quorundam dicentium, se non posse concupiscentiam vincere, sic ait: *Quibus breviter respondeo, acquiescant & adversus DEUM murmurare desistant, rectè enim fortassis quærerentur, si erroris & libidinis nullus victor existeret, cùm ergò ubique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi servientem aversum vocat, docet credentem, consolatur sperantem, diligentem adhortatur, conantem adjuvat, exaudit deprecantem, non tibi reputatur ad culpam, quod invitus ignoras, neque illud, quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis.* Et Prosper de vocatione Gent. cap. 21. *Sive igitur novissima contemplentur secula, sive prima, sive media, notabiliter & piè creditur, omnes homines salvos fieri, DEUM velle tempus voluisse, & hoc non aliundè demonstratur, quàm ex iis beneficiis, eâque providentia DEI, quam universis generationibus communiter atque indifferenter impedit, fuerunt enim & sunt ejusmodi dona ita generalia, ut per ipsorum testimonia ad quærendum verum DEUM possent homines adjuvari, quibus donis authorem suum per singula protestantibus specialis gratiæ largitas superfusa est.* Et lib. 2. cap. 14. *Neque ab hoc excusabiles sunt nationes, quæ alienatæ à conversione Israël, spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo sub ignorantiæ tenebris perierunt, quia licèt hæc abundantia gratiæ, quæ nunc universum mundum rigat, pari ante largitate non fluxit, adhibita est tamen semper universis hominibus quædam supernæ mensura doctrinæ, quæ etsi parcioris occultiorisque gratiæ fuit, suffecit tamen sicut DEUS judicavit quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium,* Respond. ad omnes istas & quascunque alias authoritates, eas non impugnare conclusionem istam, sed magis probare sequentem; solum enim probant, quòd DEUS providerit sufficienter omnibus adultis de mediis generalibus & extrinsecis ad salutem sufficientibus & necessariis, & quandoque etiam & pluries concedere media intrinseca, auxilia scilicet gratiæ actualis & interioris, non autem quòd semper, & in omni occasione talia auxilia concedat. Nec refert, quòd dicatur nobis præstare quotidiana auxilia, sine quibus non possumus humanos errores vincere, quia hoc intelligi potest vel de concursu generali ipsius, qui omnibus indifferenter exhibetur, vel de auxiliis extrinsecis Sacramentorum, legis vel passionis Christi, quæ semper omnibus præsto sunt, si eis velint debitè uti, vel si intelligit de auxilio gratiæ interioris, solum intelligit, quòd frequentia dat plerisque præsertim justis auxilia gratiæ interioris, sine quibus non possunt meritoriè aut cum fructu vitæ æternæ humanos errores vincere, non autem quòd singulis indifferenter conferat.

Arguitur Tertiò: Opponendo communem illam demonstratio-

Digitized by Google

nem, quam putant aliqui opposi-tum conclusionis evidenter convincere, quæ talis est: nulli sunt, nec pro ullo unquam statu & tempore fuerunt adulti habentes usum rationis, quantumvis adeò indurati & excœcati, qui non potuerunt verè & propriè peccare, & probabilius reipsa quandoque peccârunt, sed nullus peccat in eo, quod non solùm physicè, sed etiam moraliter vitare non potest, ergò vel nullus induratus unquam peccavit, vel habuit auxilia gratiæ, quibus peccatum poterat vitare. Ex quibus ulterius sic arguitur, sed sine gratia DEI, aut ex propriis naturæ viribus nullus potest vitare peccata aut mandata non transgredi, maximè si urgeat gravis tentatio, ergò quoties instat tempus & obligatio oservandi legem, aut evitandi peccatum, habet homo semper gratiam DEI, quâ possit sic vitare peccatum, & legem non transgredi, aliàs transgrediendo non peccabit. Maj: hujus discursûs constat, quia quamdiu homines sunt in hac vita, cùm sint liberi arbitri, poterunt pro suo libitu peccare, non obstante quacunque induratione & obcœcatione, aliàs enim obcœcatio redderet ipsos impeccabiles. Min: etiam præterquam quòd apud omnes Patres & Doctores sit indubitata, ex eo vel maximè constat, quòd aliàs verum non esset, quod ait Scriptura 1. Joann. 5. *Mandata ejus gravia non sunt.* & Matth. 11. *Jugum meum suave est, & onus meum leve.* Quid enim gravius aut intolerabilius esse potest, quàm hominem esse obstrictum tot mandatis, quæ nec per se aut propriis viribus potest observare, nec aliundè juvatur, ut possit, undè D. Augustinus de nat. & grat. contra Pelagianum cap. 20. *An*, inquit, *tanta fallacia est, ut caveri omninò non possit? Si ita est, ergò peccata non sunt, quis enim peccat in eo, quod caveri nullo modo potest.* Peccatur autem, caveri igitur potest. Suppositis igitur maj: & min: tanquam certissimis sequitur, inquiunt Authores istius demonstrationis evidentissimè, vel necessitatem impo-ni transgrediendo mandata DEI, adeoque nullum per ejusmodi transgressionem peccare, vel semper quemlibet præstò habere auxilium gratiæ ad minùs sufficientis, quo si velit, benè uti potest, vitare peccatum & non transgredi legem.

Respondent aliqui concedendo maj: & neg: min: loquendo de necessitate morali ad peccandum, quia, inquiunt, stat benè ratio peccati, & libertas simpliciter & physica ad ipsum requisita cum necessitate morali peccandi, quod variis exemplis conantur demonstrare, quia imprimis dæmones de facto & quotidiè peccant blasphemando contra DEUM, & tamen secundùm omnes nullam habent gratiam sufficientem vel efficacem, nec moraliter loquendo possunt quidquam boni facere, sed necesse quodammodò habent peccare, & malefacere. Deindè nos ipsi non possumus etiam ipsa gratia DEI adjuti moraliter loquendo vitare omnia peccata maximè venialia, cùm, ut loquitur Scriptura, *septies in die cadit justus.* Deindè Christus ipse propter plenitudinem gratiæ, quam habuit, non potuit moraliter loquendo peccare, aut malefacere, sed necesse quodammodò habuit benefacere, quod etiam de confirmatis in gratia & beatis in cœlo potest non improbabiliter dici, quo tamen non obstante promeruit Christus omnibus omnem gratiam, quam vel acceperunt, vel sunt accepturi, ergò stat ratio meriti & etiam demeriti cum necessitate morali ad agendum, quod ulterius ex D. Augustino probant, qui hanc necessitatem peccandi in hominibus admisit in lib. Imperf. Operis contra Julianum cap. 155. *Multum*, inquit, *erras, qui vel necessitatem nullam putas esse peccandi, vel eam non intelligis, peccati esse pœnam, quod nullâ necessitate commissum est*, scilicet originalis, & lib. 1. Retract. cap. 15. *Qui*, inquit, *cogendi cupiditatis bonâ voluntate resistere non potest, jam hoc ita peccatum est, ut sit etiam pœna peccati.* Et lib. de perfect. justitiæ. Respons. 15. *Peccatum est,*

cum

Digitized by Google

tùm vel non est charitas, quæ esse debebat, vel est minor, quàm debet, sive hoc voluntate vitari possit, sive non possit, quia si potest, præsens voluntas hoc facit, si non potest, præterita voluntas hoc facit. Ubi, ut vides, supponit D. Augustinus, non posse quandoque hominem resistere cupiditati, aut vitare peccatum, & tamen peccare. Veruntamen magis ad propositum

Respond. Secundò: conc: maj: & neg: min: & consequ: sed distinr subsumptum, sine gratia DEI, aut ex propriis naturæ viribus non potest homo vitare peccata, conc: sine merito & nulla urgente gravi tentatione, neg: subsumptum, licèt enim non posset homo sine speciali auxilio gratiæ vitare peccatum quodcunque sive grave sive leve cum merito & fructu vitæ æternæ, nec potest etiam urgente gravi tentatione propriis viribus sine auxilio gratiæ resistere, communiter tamen loquendo, & cessante gravi tentatione potest homo ex variis motivis licitis & honestis vitare quandoque aut sæpius etiam peccatum sine ullo auxilio gratiæ, & præcepta quoad substantiam propriis viribus adimplere sine ullo merito tamen, aut fructu vitæ æternæ.

Instatur: Innocentius X. determinat contra Jansenium: *Ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ requiritur libertas non solum à coactione, sed etiam à necessitate peccandi*, sed sine gratia ad minus sufficienti non datur in homine pro statu naturæ lapsæ libertas à necessitate saltem morali peccandi, ergò nec sine ea poterit quidquam mereri aut demereri. Probatur min: impossibile est moraliter loquendo, quòd homo lapsus infirmitate circumdatus, & ad malum multum proclivis datâ occasione & urgente tentatione maximè gravi contineat se à peccato, nisi adsit gratia DEI, ergò seclusâ gratiâ DEI non est liber à morali ad minus necessitate peccandi: ergò ulterius cum ex definitione Pontificis homo sit liber ab omni necessitate peccandi, possitq; quamdiu est in hac vita mereri, vel demereri, habet semper & maximè, quando instat tempus & obligatio observandi legem aut vitandi peccatum, gratiam ad minus sufficientem & internam, quâ possit hoc præstare. Respond. similiter conc: cum Pontifice ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ requiri semper libertatem tàm à coactione, quàm à necessitate peccandi, sed neg: min: ad cujus probationem conc: antec: & distin: consequ: ergò seclusâ gratiâ non est homo liber à morali necessitate peccandi, quando urget gravis vel valdè vehemens tentatio, transeat: quando non urget tàm vehemens tentatio, sicut multoties contingit non urgere, neg: consequ:

Urgetur: Ergò saltem quoties adest gravis tentatio, nec potest homo ex propriis viribus evitare peccatum, toties adest ipsi gratia DEI, quâ possit hoc præstare. Respond. transeat totum: quia nihil facit contra Conclusionem, quæ solùm negat DEUM in omni occasione, aut toties, quoties instat tempus & obligatio adimplendi præceptum aliquod, aut vitandi peccatum dare homini suam gratiam, licèt etiam non sit usque adeò certum, DEUM etiam in istis occasionibus, aut quando urget gravis tentatio, dare semper hominibus, præsertim induratis & obcœcatis, suam gratiam. Hæc dicta sufficiant propter plura Scripturæ loca tractantia & asserentia, quosdam obcœcatos & in malis obduratos, quæ priorem Conclusionem probabilem faciunt; nihilominus propter Concilia & Patres

Dico Secundò: *Stando nihilominus in authoritate SS. Patrum, & considerando congruentiam rationis, probabile est, dari quandoque cuilibet adulto usum rationis habenti cujuscunque statûs aut conditionis, fideli & infideli, reprobo vel electo, gratiam sufficientem & internam, cùm qua posset benè agere, & suam salutem consequi.* Hæc Conclusio magis communis III. Auxilium gratiæ sufficientis quandoq; omnibus præbetur adultis.

Digitized by Google

munis est, quàm certa, magisque in ulla authoritate SS. Patrum, quàm in ulla solidâ ratione fundata, sed quia in re dubia & omnibus abscondita cum pluribus loquendum est & sentiendum. Hinc in conclusione dixi primò, *stando in authoritate SS. Patrum*, quia illorum testimonio magis quàm rationi naturali nititur hæc Conclusio. Dixi etiam: *Probabile tamen esse dari omnibus talem gratiam*, quia nec de fide est, eam omnibus conferri, nec ratione naturali convenienter potest ostendi, neque de facto desunt ex ipsis Patribus plures, qui contrarium sentire videntur, quorum sententiam nefas esset taxare. Dixi tertiò, *eam quandoque omnibus conferri*, quia non dari semper aut in omni occasione cuilibet, jam suprà ostendi. Dixi quartò, *cuilibet adulto*, quia de parvulis erit inferius propria difficultas. Dixi denique, *rationis usum habenti*, quia de stultis & amentibus, qui nec habent, nec unquam habuerunt usum rationis, idem quantum ad receptionem gratiæ interioris dicendum censeo, quod de parvulis inferius dicetur.

Probatur Conclusio Primò ex illis Scripturæ locis, quæ dicunt, DEUM velle omnes homines salvos fieri, neminem velle perire, mundum sibi reconciliâsse in Christo, solem suum oriri facere super bonos & malos, & pluere super justos & injustos, illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum, & plura similia, quæ passim habentur in Scriptura, & intelligunt Patres communiter de Sole Justitiæ, & lumine, ac pluvia gratiæ, undè Ambrosius serm. 8. in Psalm. 118. *Sol*, inquit, *justitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit, si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat, ut si quis clausis fenestris radios solis excludat.* Et ne de gratia extrinseca, passione scilicet & morte Christi, quæ sunt omnibus communes, videatur locutus, subdit: *Docet autem DEUS & mentes illuminat singulorum, & claritatem cognitionis infundit, si tu aperias ostia cordis tui, & cœlestis gratiæ recipias claritatem.*

Probatur Conclusio Secundò ex Conciliis Carthaginensi, ad quod Innocentius Papa scribens: *Quotidiana*, inquit, *præstat ille auxilia, quibus nisi freti confisique nitantur, nequaquam poterimus humanos vincere errores, necesse est enim, ut quo auxiliante vincimus, eodem rursus non adjuvante vincamur.* Et Concilium Zenonense Can. 15. *Gratia DEI semper in promptu est, ut neque momentum ejusdem prætereat, in quo DEUS non stet ad ostium, & pulset, cui si aperuerit, intrabit ad illud.*

Probatur Tertiò ex Patribus: Prosper. lib. 2. de vocatione Gentium cap. 31. ubi dicit: *Elaboratum est, quantum DEUS juvit, ut non solùm in novissimis diebus, sed in cunctis retroactis sæculis probaretur gratiam DEI omnibus adfuisse, quoniam sive manifestè, sive occultè, ipse est, ut ait Apostolus, Salvator omnium hominum & maximè fidelium.* Et Paulus Orozius in Apologia: *Pro libertate mea*, inquit, *hæc est fidelis & indubitata sententia, DEUM adjutorium suum cunctis & singulis ministrare.* Ergò ex mente SS. Patrum DEUS semper & pro omni tempore & occasione dat, & semper dedit omnibus adultis auxilium gratiæ ad minùs sufficientis & internæ, quo si velint, possint suam salutem prosequi. Addo Chrysostom. hom. 7. in illud Joann. Illuminat omnem hominem: *Si*, inquit, *illuminat DEUS omnem hominem venientem in hunc mundum, quonam pacto tot homines sine lumine permanent, neque enim omnes Christum cognoscunt, quomodo illuminat omnem hominem? illuminat profectò quantum in ipso est, si quis enim sponte sua mentis oculis conniventibus ad hujus lucis radios aciem dirigere noluerit, non ex luminis natura in tenebris persliterunt, sed ex malitia sua sponte sese tanto dono indignos reddiderunt, gratia in omnes diffusa est, non Judæum, non Græcum, non Barbarum, non Scytam, non liberum, non servum,*

non

non virum, non mulierem, non senem, non juvenem effugit & dedignatur, omnibus eadem est, omnibus se facilem exhibet, omnes pari honore advocat, qui autem ejus munere frui negligunt, hanc suam cœcitatem sibi ipsi imputent. Aliæ Authoritates SS. Patrum & Conciliorum, quibus veritas hujus conclusionis sufficienter ostenditur, desumi possunt ex oppositionibus contra priorem conclusionem.

Et licèt istæ Authoritates aliæq; similes ita explicentur ab aliquibus præsertim Jansenistis, ut loquantur de sola gratia extrinseca, passione scilicet & morte Christi, quæ secundùm aliquos ipsorum pro omnibus indifferenter sunt oblata, melius tamen ab ipsis intelliguntur partim de extrinseca & partim de intrinseca gratia; cujus ratio, vel ad minus congruentia est, quòd cùm DEUS voluerit omnes homines salvos fieri, & ad hunc finem providerit omnibus & paraverit media generalia ad salutem sufficientia, si ipsis applicarentur, congruum & rationi consonum est, ut quandoque ad minùs det omnibus adultis, & rationis usum habentibus gratiam interiorem & sufficientem, quâ, si velint, benè uti possint, generalia ista media sibi applicare & suam salutem prosequi, sic enim meliùs explicantur authoritates SS. Patrum & Conciliorum de hac re loquentium. Sed in contrarium sic

Arguitur: Eadem ratio, quæ suadet dari aliquibus vel aliquando gratiam DEI, suadet etiam eam omnibus & pro omni occasione conferri, ergò vel non debemus afferere eam aliquibus & aliquando conferri, vel non debemus eam ullis aut pro ullo tempore & occasione denegare. Probatur antec: præcipuum fundamentum afferendi eam aliquibus & aliquando conferri, est authoritas Scripturæ, Patrum, & Conciliorum adjunctâ congruentiâ quadam rationis superiùs positâ, sed authoritas Scripturæ, Patrum & Conciliorum æqualiter probant eam omnibus, & pro omni tempore & occasione conferri, ac aliquibus & pro aliquo tempore tantùm, cùm universaliter & indefinitè loquantur, ergò vel primum probant, vel certè hoc ultimum non convincunt. Respond. Etsi authoritates Scripturæ & Patrum indefinitè loquantur, & videantur comprehendere omnes omninò homines non solùm adultos, sed etiam parvulos idque pro omni tempore & occasione, ita tamen debere intelligi, ut nec sibi nec aliis locis nec Scripturæ aut rationi contradicant; nunc autem ex Scripturâ vidimus aliquos à DEO indurari, excœcari, & derelinqui, quod secundùm Augustinum superiùs citatum non fit aliter, quàm subtrahendo quandoque similibus omnem gratiam sufficientem & efficacem. Undè dicitur DEUS in præteritis generationibus dimisisse omnes gentes ingredi vias suas, & quosdam in reprobum sensum tradidisse. Nec refert, quòd Patres universaliter & indefinitè loquantur, quia multoties Patres & Scriptura loquuntur universaliter & indefinitè, ubi nonnisi de aliquibus tantùm possunt intelligi. Sic communiter dicitur: *Omne animal fuisse in arca Noë*, cùm tamen certum sit, animalia de facto existentia ibi non fuisse, nisi secundùm speciem, si enim intelligit D. Augustinus illud Apostoli: *DEUS vult omnes homines salvos fieri*, quod non de omnibus omninò hominibus, sed de aliquibus tantùm vult intelligi.

QUÆSTIO QUINTA.

An parvulis & usu rationis carentibus dentur auxilia interna divinæ gratiæ sufficientia?

INter abscondita divinorum judiciorum secreta est quoque status & casus parvulorum in utero matrum morientium, vel malitiâ pereuntium, & eorum, qui perpetuò rationis usu privantur, quod sublimi suo ingenio perpendens S. Augustinus ingemiscit quodammodò epist.

Digitized by Google

dò epist. 105. & exclamat: *Quid dicam de inopinatis & repentinis innumerabilibus mortibus, quibus sæpè religiosorum Christianorum præveniuntur, in baptismo præripiuntur infantes, cùm è contrario sacrilegorum & inimicorum Christi aliquomodo in Christianorum manus venientes ex hac vita non sine Sacramento regenerationis emigrent*, quæ, inquit, *hic merita præcesserunt, si ipsorum cogitabilis parvulorum non sunt propriè, utrisque est illa massa perditionis communis, si parentum attendas bona, sunt illa, quorum filii repentinis mortibus sine Christi baptismate perierunt, mala verò illa, quorum filii per Christianorum aliquam potestatem ad Sacramenta Ecclesiæ pervenerant.* Quam difficultatem non aliter resolvit, quàm refundendo totam in divinam providentiam & voluntatem, qui, cujus vult, miseretur, & quem vult, indurat.. *Cùm multis*, inquit Augustinus epist. 107. *non detur gratia parvulis, & sine illa plerique moriantur, qui non habent contrariam voluntatem, & aliquando cupientibus festinantibusque parentibus, Ministris quoque volentibus atque paratis, DEO tamen nolente non datur, cùm repentè, antequam detur, exspirent.*

Quæritur ergò in præsenti quæstione: An etiam istis parvulis providerit DEUS de remediis ad salutem, loquendo de omnibus parvulis, tàm de iis, qui ad baptismum perveniunt, quàm aliis, qui in uteris maternis moriuntur, vel extra uterum positi ex incuria parentum, vel naturali rerum cursu ante baptismum moriuntur; ubi imprimis supponitur tanquam certum, DEUM providisse omnibus parvulis generalia media & intrinseca salutis, si fuissent illis applicata; undè quæstio est de mediis internis, An scilicet DEUS non solùm providerit omnibus istis parvulis media ista generalia, sed etiam singulis mediatè vel immediatè conferat gratiam internam ad salutem sufficientem. Pro quo notant aliqui, dupliciter posse hanc gratiam internam conferri parvulis, vel scilicet immediatè & in persona propria: vel mediatè, & in aliena persona, sicut enim parvuli non propriâ, sed alienâ voluntate peccârunt, ita nec propriâ, sed alienâ voluntate potest ipsis applicari commune illud remedium baptismi, tunc igitur, inquiunt, intelligitur parvulis habere mediatè gratiam sufficientem, quando DEUS sufficienter inspirat alicui alteri, ut ipsum baptizet, vel per suam gratiam excitat, ut inquirat, & applicet media ad baptismi susceptionem requisita.

Dico: *Nulli parvulo sive in utero materno, sive extra uterum morienti datur à DEO immediatè gratia sufficiens & interna.* Hæc Conclusio debet esse communis inter Theologos. Et Probatur: Gratia actualis & interna datur à DEO homini, ut ea mediante possit per proprios actus à voluntate & gratia provenientes mereri sibi vel infusionem & augmentum gratiæ sanctificantis, vel si eam de facto habet præmium aliquod vitæ æternæ, sed per se notum est, non posse parvulos habere ullos actus proprios, nec posse sibi quidquam mereri vel demereri, ergò gratis & sine fundamento admitteretur in talibus ulla gratia actualis aut interna, ad quid enim daretur comprincipium actûs meritorii illis, qui nullum actum meritorium possunt habere.

Opponitur Primò illud Apostoli ad Timoth. 2. *DEUS vult omnes homines salvos fieri*, & ibidem monet pro omnibus esse orandum, ut salventur, sed non potest intelligi, qualiter DEUS velit omnes homines salvos fieri, nisi omnibus parvulis daret quandoque auxilium gratiæ interioris, ergò illud omnibus indifferenter confert. Undè Augustinus lib. 4. contra Julianum cap. 8. *Nunquid*, inquit, *parvuli homines non sunt, ut non pertineant ad id, quod dictum est, DEUS vult omnes homines salvos fieri.* Respond. Locum istum Apostoli variè à Theologis explicari: Primò enim ex Augustino de corrept. & grat. cap. 15. DEUM in

tantum

tantum vult omnes homines salvos fieri, in quantum voluit, ut id nos velimus, & quantum in nobis est, studeamus omnium salutem procurare, qui nescimus, qui sunt reprobi vel electi: *DEUS*, inquit Augustinus loco cit. *vult omnes homines salvos fieri, quoniam non facit id velle.* Sic ad Galat. 4. dicitur: *DEUM misisse spiritum Filii clamantis Abba Pater, id est, nos facientis clamare, si ergò*, inquit Augustinus, *clamantem Spiritum rectè dixit Scriptura, à quo efficitur, ut clamemus, rectè etiam volentem DEUM, à quo efficitur ut velimus*, ergò.

Respondent alii Secundò ex eodem Augustino cap. 102. Enchirid. DEUM dici, velle omnes homines salvos fieri, tanquam si diceretur nullum hominem fieri salvum, nisi quem salvum ipse fieri voluerit, & ideò sit rogandus, ut velit: *Sic in Evangelio*, inquit Augustinus, *intelligimus, quod scriptum, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, non quia nullus est hominum, qui non illuminatur, sed quia nisi ab ipso nullus illuminatur.*

Respond. Tertiò ex eodem Augustino cit. Enchirid. loco: Locum istum Apostoli per distributionem accommodam debere intelligi, accipiendo omnes homines pro generibus singulorum, non pro singulis generum, ut sensus sit, DEUS vult omnes homines salvos fieri, id est, vult ex omni genere hominum aliquos salvos fieri, non autem quòd omnes omninò homines velit salvos fieri dando cuilibet gratiam aliquam internam sufficientem vel efficacem, sic in Evangelio dicitur Pharisæis: *Decimatis rutam & mentam & omne olus*, sic etiam dicitur: *Omne animal fuisse in Arca Noë, ergò*, inquit Augustinus, *quocunque alio modo intelligatur, dummodò credere non cogamur, aliquid Omnipotentem DEUM voluisse, factumque non esse. Si enim*, inquit Augustinus, *omnia quæcunque voluit, fecit, profectò facere noluit, quæcunque non fecit.* Sed quidquid sit de his solutionibus.

Respond. denique ad illam propositionem magis ad propositum nostrum distingu: maj: DEUS vult omnes homines salvos fieri voluntate consequenti aut efficaci, neg: maj: voluntate antecedenti & inefficaci, conced: & neg: min: & conseq: sufficienter enim intelligitur, DEUS velle omnes homines salvos fieri per hoc, quòd providerit omnibus indifferenter hominibus media generalia & extrinseca salutis, idque ex intentione salvandi omnes, quantum in ipso est, licèt multoties contingat, vel ex defectu causarum secundarum, quarum cursum DEUS non tenetur impedire, vel ex propria quorundam perversitate talia remedia pluribus non applicari.

Opponitur Secundò ex eodem Apostolo ad Rom. 5. *Sicut per unius delictum in homines omnes in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ*, & ibidem: *Non sicut delictum ita & donum, si enim unius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia DEI & donum in gratia unius hominis JESU Christi in plures abundavit.* Sed ita delictum infecit omnes homines, ut nullus omninò, excepto Christo & Beatissima ejus Matre, ejus infectionem evaserit, ergò gratia ad minus sufficiens ab interna debuit omnibus conferri. Respond. Apostolum per istum aut similem modum loquendi non voluisse aliud, quàm quòd sicut ex peccato unius hominis contrahunt omnes peccatum & injustitiam originalem, ita per mortem unius hominis Christi provisum sit omnibus de remedio contra istam maculam, præparando singulis media generalia salutis, & plerisq; conferendo gratiam internam.

Dices: Si DEUS vellet salutem parvulorum, aut providere ipsis media ad hoc sufficientia deberet, aut impedire causas secundas, quæ ipsorum applicationem impediunt, ergò, cùm hoc non faciat, signum est eum non velle salutem ipsorum, nec ipsis talia remedia præparasse. Respond. Si vellet efficaci-

ficaciter eorum salutem, conc: Si tantùm inefficaciter, ut in proposito contingit, neg: antec: & consequ: Aliæ objectiones, quæ contra conclusionem fieri solent, probant solummodò DEUM providisse, & quantum in ipso est, conferre omnibus gratiam externam & remotè sufficientem providendo singulis media illa generalia salutis, non autem conferendo singulis gratiam internam.

Quæres: An possent parvuli in uteris maternis morientes juvari per votum aut fidem parentum. Ratio difficultatis est Primò: Quia non videtur, quare adulto baptismus in voto proprio valeat ad salutem, quando in re non potest suscipi, & non valeat in tali casu parvulo baptismus in voto parentum cum aliquo signo exteriori, & invocatione DEI. Secundò: Fides in lege naturæ non fuit majoris virtutis, quàm nunc est, sed secundùm D. Gregorium apud Magistrum in 1. dist. 4. & refertur de consec. dist. 4. cap. 5. *Quod apud nos valet aqua baptismi, hoc egit apud veteres pro parvulis sola fides.* Cur ergò fides parentum non valeret pro parvulis, quoties ad ipsum baptismum pervenire non possunt. Tertiò denique rationabile videtur, quòd parvuli in utero materno existentes debeant habere aliquod remedium, ex quo communiter illud remedium baptismi non possit eis applicari.

Respondent aliqui, posse absq; absurdo defendi tanquam divinæ misericordiæ valdè consentaneum, DEUM in tali casu, quo nulla humana ope aut diligentiâ potest parvulis succurri de remedio baptismi, misericorditer suscipere vota precesque parentum pro salute filiorum. Neque obstat, inquiunt, quòd dicatur, *nisi quis renatus fuerit &c.* quia etiam hoc non obstante docent omnes, quòd baptismus in voto, seu flaminis, sufficiat adultis, imò & ipsis parvulis secundùm omnes sufficit baptismus sanguinis casu videlicet, quo in utero materno, vel egressi jam ex utero cum matre propter fidem necarentur. Sed quia novitates sunt fugiendæ, neque ista opinio habet ullum solidum fundamentum in Scriptura vel Patribus, & absque ea sufficienter salvatur misericordia & providentia divina circa parvulos, asserendo DEUM providisse illis auxilia generalia, & remotè sufficientia, hinc cum omnium Theologorum & totius Ecclesiæ sententia.

Respond. ad quæstionem Negativè, ita intelligendo, quòd baptismus in voto parentum sufficiat parvulis in utero materno, vel extra uterum morientibus ad salutem. Ad primam Rationem in oppositum dico rationem disparitatis à priori non esse aliam, quàm DEI voluntatem nobis in Scripturis & Patribus manifestatum, quâ voluit DEUS votum hujus in tali casu sibi valere & non alteri. Ad secundum dico, quòd pro quovis tempore non valuit sola fides ad salutem, sed fides protestata signo aliquo externo à DEo instituto, prout nunc institutus est baptismus. Ad tertiam denique dico, consentaneum esse divinæ misericordiæ, ut nullus sit status, in quo non sit remedium proximè vel remotè sufficiens ad salutem; non requiritur autem, quòd semper & pro omni statu adsit omnibus remedium proximè sufficiens.

DISPU-

DISPUTATIO SEXTA.

DE

Effectu Auxilii Divinæ Gratiæ, seu de Merito.

INdubitatum est, Effectum primarium & formalem Gratiæ sanctificantis esse reddere hominem sanctum, justum, gratum, acceptumque DEO. Porrò præter hunc effectum ipsa quoque concurrit, ut physicum & dignificativum comprincipium, unà cum auxilio gratiæ divinæ, & potentia humana ad producendos actus DEO gratos, acceptos & meritorios ad vitam æternam, undè D. Augustinus epist. 105. ad Sixtum dicit: *Quod est ergò meritum hominis ante gratiam? cum omne bonum meritum nostrum non in nobis faciat nisi gratia. Et cùm DEUS coronat merita nostra, nihil aliud coronat, quàm munera sua.* Et vicissim merita hujusmodi iterum disponunt, & in genere causæ moralis seu meritoriæ producunt, causántque gratiam & augmentum ejus, hinc visâ illâ examinandi sunt illi actus, qui meritorii dicuntur, & coram DEO ut tales acceptantur, quod in hac præstabo Disputatione. Sit igitur:

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit Meritum ut sic?

I. [M]eritum [...] arinegant [h]æretici.

DE fide est, merita dari & homines apud DEUM mereri bonis suis operibus, quidquid Sectarii nostri temporis, Duce Luthero obganniant, qui nullum dari meritum, neque opera bona ad salutis, æternæque Beatitudinis adeptionem conferre, docet sæpè & particulariter serm. de Novo Testam. dicens: *Caveamus à peccatis, sed multò magis à legibus & bonis operibus, tantùm attendamus DEI promissiones & fidem.* Et alibi: *Si veneris cum magnis saccis operum deponere oportebit, alioquin non poteris penetrare.* Quam doctrinam approbat Calvinus in Antidoto Concilii Trident. his verbis: *Indè conjicitur, non esse tantoperè exagitandos, qui dixerunt quælibet opera bona, si exacto rigore sentiantur, æterna potius damnatione, quàm vitæ æternæ præmio digna esse.* Sed quanta blasphemia hoc sit, quamque SS. Patribus contraria, manifestè patet ex D. Augustino epist. 105. ad Sixtum dicens: *Nullàne igitur sunt merita justorum? sunt planè, quia justi sunt. Sed ut justi fierent, merita non fuerunt. Justi enim facti sunt, cùm justificati sunt: sed sic, ut dicit Apostolus: Justificati gratis per gratiam ipsius.* Et lib. hypo. 4. propè finem ait: *Propter liberum arbitrium, quo bona vel mala operantur homines, dictum est: Unicuique reddens secundùm opera sua: habet enim*

II. Merita dari affirmat Augustinus & Fides.

homo malum meritum, cùm vitio suo jam baptizatus declinat à bono, & facit malum: habet nihilominus & bonum meritum, cùm in omnibus gratiæ DEI bona in se operanti non resistit, sed cooperator existit, & omnem spem suam habet in illum, cùm autem suam & cor DEO loquenti intus, hoc est, in interiori homine præbet, & non foris in malis sæculo perstrepenti, quod meritum non habet propter præsentem vitam, tanquam in præsenti sæculo recepturus, sed propter futuram meam vitam, quæ erit in sæcula sæculorum: quia si in hac vita tantùm in Christo speramus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Ac lib. 1. contra Adversarios legis cap. 16. *Perparum est, quod in eleemosynis datur, sed cùm piè datur, æternum indè meritum comparatur.* Sed de hoc præter perfidum Hæresiarcham nulla potest esse controversia. Ad rem progrediendo

III. *Meritum multipliciter accipitur.* Notandum Primò: Multipliciter sumi posse Meritum. Primò accipitur *latissimè* pro omni eo, cujus contemplatione par est, ut habenti benè fiat, quo sensu speciosus dicitur mereri bonam educationem, Equus agilis curam, Canis industrius pastum. Secundò *latè* sumitur pro omni actu cujusvis viventis creati à nobis prudenter & honestè accepto, sive sit liber, sive sit necessarius, sive moraliter bonus, sive non bonus, sive etiam ex malitia vel ignorantia elicientis malus, vel non absolutè ex omnibus circumstantiis, dummodo in gratia exhibitus, & sine peccato compensabilis. Tertiò *strictè* pro omni actu naturæ, vel suppositi rationalis, ut ejus producendi vel jam producti intuitu aliquod præmium reddere debeat debito justitiæ, fidelitatis, gratitudinis, aut aliquo alio titulo; quò enim hujusmodi debitum, ex quo præmium est reddendum strictius est, eò actus, ob quem reddendum est, magis participat rationem meriti, & eò magis deficit à ratione meriti, quò ejusmodi debitum laxius est, undè si debitum sit justitiæ, actus habet perfectam rationem meriti, vocaturque *meritum de condigno.*

IV. *Debitum reddendi præmium est duplex.* Notandum Secundò: Debitum hoc remunerandi ex justitia dupliciter contingere posse: Primò sic, ut nihil intermisceatur liberalitatis, misericordiæ, ut cùm quis pactus est cum mercenario dare mercedem justam suo operi, seu non majorem, quàm ipsum in illis circumstantiis communi æstimatione valet. Secundò sic, ut interveniat liberalitas præmiantis, prout fit, cum laboraturo proponitur præmium, quod noscitur probabiliter excedere valorem operis, quale ordinariè proponitur in certaminibus superaturo, quod sæpè laborem in certamine exantlatum, si secundùm se spectetur, incomparabiliter excedit: condignitas actûs, cui priori modo debetur præmium, consistit in commensuratione, & æqualitate valoris operæ, qui præcedit omnem pactionem & promissionem de dando præmio. Condignitas actûs, cui secundo modo debetur præmium, desumitur potissimùm ab ipsa promissione vel pactione de dando præmio. Porrò sub merito in hac secunda acceptione sumpto, continetur tanquam inferius meritum, de quo hic agitur, actus scilicet, ob quem quis fit remunerandus à DEO, hujusmodi meritum definit Scotus 1. D. 17. qu. 3. n. 25. Quòd sit *Actus potentiæ liberæ, ac secundùm inclinationem gratiæ elicitus, acceptatus à DEO, ut præmiabilis beatitudine*; ubi clarum est, Scotum non definire meritum, ut sic respectu præmii à DEO obtinendi, sed meritum præcipuum, pro quo rependitur vita æterna, quod est meritum de condigno.

V. *Merita mala etiam dantur.* Notandum Tertiò: Dari quoque merita mala, ut patet ex Augustino suprà: Meritum autem malum dicitur opus illud, quod dignum est pœnâ, & si fuerit demeritum oppositum merito de condigno, dignum est æternâ morte, in quo tàm Catholici, quàm Hæretici conveniunt; nam id manifestè colligitur ex Scripturis,

Digitized by Google

pturis, cum hoc tamen discrimine, quòd nos omnem gravem divinæ legis transgressionem de facto habere rationem talis mali meriti asseramus, hæretici verò, maximè Lutherani, dicant, solam infidelitatem tale esse demeritum, unde Lutherus lib. 1. de captiv. Babyl. cap. de Bapt. ait: *Vide, quàm dives sit homo Christianus, vel baptizatus, ut etiam volens non possit perdere salutem, quantumcunque peccet, nisi nolit credere, nulla etiam peccata possint damnare, nisi sola incredulitas.* Sed hoc falsum esse constat Tùm ex Scriptura, nam in Judicio Matth. 25. ad sinistram collocaturus est, qui opera misericordiæ non fecerunt: Tùm ex Patribus, August. lib. de fide & operibus cap. 15. ubi ait: *Si his, mandatis, non servatis, ad vitam veniri potest per solam fidem, quæ sine operibus mortua est. Illud denique, quomodo verum erit, quod eis, quos ad sinistram positurus est, dicet: Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus, nec increpat, quia in eum non crediderunt, sed quia bona opera non fecerunt. Nam profectò nè sibi quisquam de fide, quæ sine operibus mortua est, promittat æternam vitam. Propterea omnes gentes segregaturum se dixit, quæ permixtæ eisdem pascuis utebantur, ut appareat eos illi dicturos. Domine quando te vidimus illa & illa patientem, & non ministravimus tibi? qui in eum crediderant, sed bona operari non curaverant, tanquam de ipsa fide mortua, ad vitam perveniretur æternam. An fortè ibunt in ignem æternum, qui opera misericordiæ non fecerunt, & non ibunt, qui aliena rapuerunt, vel corrumpendo in se Templum DEI, in seipsos immisericordes fuerunt.* His præmissis & prænotatis.

VI. Meritum sic describitur.

Dico Primò: *Meritum ut sic benè describitur, quòd sit actus humanus laudabilis exigens aliquâ ratione compensationem.* Colligitur ex Doctore ing. n. 38. Probatur: Quia non potest assignari ullum meritum, cui non competeret hæc descriptio, nec convenit alicui, quod non est meritum. Probatur Secundò declarando ipsam: Dicitur *Actus humanus*, id est, liber: Dicitur *laudabilis*, id est, moraliter bonus. Dicitur *exigens recompensationem* seu prœmium, quia ob hoc habet formaliter actus, qui est laudabilis, esse meritum, & non sola laudabilitate præcisè, quia posset considerari actus ut laudabilis, quin consideretur ut meritorius, nam si consideretur ut actus elicitus juxta præscriptum rationis rectæ, habebit esse bonus & laudabilis, non tamen ut meritorius, ergo.

Arguitur: Actus virtutum, quos beati liberè exercent, non sunt meritorii, sed actus boni moraliter, ergò non benè describitur meritum, quòd sit actus bonus moraliter exigens recompensationem. Quòd si dicatur ad meritum ultra hoc requiri statum viæ: Contra est, quia actus charitatis animæ separatæ existentis in purgatorio sunt actus moraliter boni, exigentes recompensationem, & procedentes à viatore. Respond. neg. maj: ex suppositione, quòd non sint actus meritorii animarum separatarum existentium in purgatorio, quia etiamsi sint ejusdem rationis physicè loquendo cum aliis actibus elicitis ab animabus corpori passibili conjunctis, non sunt tamen ejusdem rationis moraliter loquendo: rationem autem assignare disparitatis difficile est, aliqui dicunt rationem esse, quia animæ separatæ & beatæ non habent difficultatem operandi ortam ex fomite rebellione carnis, sicut habent homines, sed contra est, quia Angeli viatores meruerunt, & tamen non habuerunt talem difficultatem, cur ergò idem non posset fieri de animabus separatis aut beatis. Secundò: Fortassè difficile est valdè de facto animabus in purgatorio exercere actus virtutum in medio talium tormentorum. Tertiò: Sicut non obstante carentia talis difficultatis operationes earum possent esse actus virtutis perfectæ, cur non possent esse etiam meritoriæ, aut cur ad meritum requireretur major difficultas,

tas, quàm ad virtutem. Denique Christus Dominus habuit multa merita, sicut & B. Virgo, & tamen non habuit fomitem, aut ullam rebellionem carnis.

Alii dicunt, rationem esse, quia beati sunt impeccabiles. Verùm contra hoc iterum est, quia Christus Dominus etiam fuit impeccabilis, & tamen meruit. Deindè animæ separatæ non videntur ex natura rei vel statûs esse impeccabiles, & tamen nihil merentur.

VII. Meritis Deus prædefinit tempus determinatum.

Itaq; Respondeo, me non aliam invenire disparitatem, quàm quòd DEUS statuerit animabus omnibus determinatum tempus, in quo possent mereri, videlicet quamdiu sunt in corpore passibili, supposito enim hoc decreto, actus earum quantumvis boni, & aliàs meritorii non erunt exigentes moraliter collationem præmii; cujus exemplum haberi potest in humanis; nam si aliquis Rex constitueret, quòd, quicunque intra unam horam hunc vel illum eliceret actum, esset præmiandus, terminatâ autem horâ non esset, licèt exercitium actûs ante vel post horam non sit physicè distinctæ rationis, est tamen moraliter, quia in æstimatione, actus ille intra horam exercitus exigeret præmium. Ex quo patet, quòd de potentia DEI absoluta possent animæ purgatorii sibi mereri gratiam & gloriam, & beati augmenti utriusque, licèt de facto non sic mereantur, ut patet ex multis Scripturæ locis, quibus dicitur homo vel præmiandus, vel puniendus juxta ea, quæ fecit in corpore, Lucæ 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Eccles. 11. & 19. Joann. 9. *Venit nox, in qua nemo potest operari.* Undè idem tanquam indubitatum Patres communiter docent, Augusl. lib. de Prædest. SS. cap. 12. dicens: *Quid est ergò, secundùm ea, quæ per corpus gessit: nisi secundùm ea, quæ gessit eo tempore, quo in corpore fuit, ut per corpus intelligamus corporis tempus? post corpus autem nemo erit in corpore, nisi resurrectione novissimâ, non ad ulla merita comparanda, sed ad recipienda pro bonis meritis præmia, vel pro malis luenda supplicia. Hoc autem medio tempore inter depositionem & receptionem corporis secundùm ea, quæ gesserunt per corporis tempus, sive cruciantur animæ, sive requiescunt.* Et in Enchirid. cap. 110. *Quocirca hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam relevari quisquam, vel gravari: Nemo autem se speret, quod hic neglexerit, cùm obierit, apud DEUM promereri.* D. Hieronymus: *Homines, quamdiu vivunt, posse fieri justos, post mortem autem nullam dari occasionem boni.* D. Prosper, qui ait: *Frustra sibi post hoc corpus promisit, quod in corpore neglexit comparare.* Quæ loca clarissimè suadent, post hanc vitam neminem mereri gloriam & gratiam; hinc autem sequi videtur, quòd ratio meriti & bonitatis in actu sint separabiles, quandoquidem extra statum viæ possit haberi actus bonus, non verò meritorius actus.

VII Actus n liber & bonus test c meritor absolu

Dico Secundò: *Sumendo meritum in latiori significatione potest quis de potentia absoluta mereri vitam æternam per actum non liberum, aut per liberum & non bonum.* Probatur Primò: Quia in hoc nulla potest ostendi implicantia. Secundò: Quemadmodum gratia meritoriè de condigno secundùm communiorem sententiam meretur collationem gloriæ, ita, ut qui habet gratiam, etsi nullam exerceret operationem liberam, aut non liberam, & moreretur in ea, exigeret collationem vitæ æternæ, cur non similiter possemus dicere, DEUM posse dare gloriam propter actum aliquem elicitum non liberum, aut liberum, sed non bonum. Tertiò: secundùm communiorem sententiam gratia est meritoria ex natura sua vitæ æternæ, ergò similiter actus ille ex ordinatione divina potest meritorius esse ejusdem: quòd autem de facto non statuerit DEUS admittere hujusmodi actus pro meritis, rationem assignare non possumus aliam, quàm ordinatissimam ejus voluntatem, sicut

ficut & quòd tali tempore creaverit mundum, ex possibilibus tales homines produxerit, ex his illos ad gloriam elegerit. &c.

Dices: Nullus actus potest esse demeritorius, nisi malus & liber, ergò: Respond. neg: consequ: nam juxta communem, DEUS non potest ordinare hominem ad pœnam, nisi ob prævisum peccatum, potest tamen ordinare ad gloriam sine prævisione meriti. Respond. Secundò: Non esse certum, quòd DEUS non posset ordinare aliquem ad gloriam propter actum indifferentem.

Instabis: Eo ipsò, quòd talis actus esset meritorius, esset moraliter bonus, & consequenter non poterit quis dici actu indifferenti mereri gloriam. Respond. distin: antec: esset bonus bonitate antecedente rationem meriti, neg: antec: bonitate concomitante, seu proveniente formaliter ex ratione meriti, conc. antec: & distin: similiter consequ: actu indifferenti, quantùm ad omnia, quæ antecedunt rationem meriti, neg: conseq: includente ipsam rationem meriti, conc: consequentiam.

x. itum. t esse s liber.

Dico Tertiò: *De facto actus meritorius, ut de ipso hic agitur, debet necessariò etiam in ordine ad potentiam absolutè esse liber.* Est communis cum D. Thomâ 1. 2. q. 114. & supponitur à Doctore 3. d. 8. contra Gab. hic & alios, cum quibus non benè asserit Vasquetz convenire Doctorem Marsilium & Durandum, ex eo, quod hi putent opus reddi posse meritorium per ordinationem DEI, quòd aliàs non esset meritorium, nam ex hoc non sequitur, quòd similiter de potentia DEI posset actus non liber fieri meritorius, quia licèt meritum possit dependere ab ordinatione DEI, tanquam ab aliquo necessariò prærequisito, ac etiam dependeat à libertate, ex hoc tamen sequitur, quòd DEUS possit facere opus non liberum meritorium, ut examinanti patet.

Probatur Conclusio Primò ex Scriptura, 1. ad Corinth. 7. *Quod vult faciat, non peccat, si nubat, aut qui statuit in corde suo, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis.* & cap. 9. *Si autem volens hoc facio, mercedem habeo.*

Probatur Secundò ex Patribus: Augustino lib. 83. qu. 24. *Meritum pœnæ peccatum: & meritum præmii rectè factum est: nec peccatum, nec rectè factum imputari cuiquam justè potest, qui nihil fecerit propriâ voluntate. Est igitur & peccatum, & rectè factum in libero voluntatis arbitriò.* Chrysostom. hom, 22. in Gen. *Nonne manifestum, sua quemque voluntate, vel malitiam vel virtutem eligere: nam nisi ita esset, neque naturæ nostræ potestas insita esset, neque illos puniri, neque justos præmia virtutum accipere oportebat, verùm quia in nostrâ voluntate totum relictum est, ideò & peccantibus supplicia proposita sunt, & benè operantibus merces & præmia.* Hilarius in Psalm. 2. *Quid honoris ac præmii bonitatis necessitas meretur, cùm malos nos esse vis quædam inserta non sineret? voluntati ergò permissum, ut præmium sibi bonitatis acquireret.* Hieronym. lib. 2. contra Jovinianum. D. Bernardus serm. 8. in Cant. *Ubi non est libertas, nec meritum.*

Probatur Tertiò Ratione: Tùm, Quia sicut nemo meretur pœnam in eo, quod necessariò facit, ita nec prœmium, undè D. Augustinus Disp. 2. contra Fortunatum Manichæum dicit: *Ego dico peccatum non esse, si non propriâ voluntate peccetur, hinc esse & præmium, quia propriâ voluntate rectè facimus, aut si pœnam meretur, qui peccat invitus, debet & præmium mereri, qui benè facit invitus.* Potest quidem DEUS acceptare aliquem ad vitam æternam ob opus non sibi liberum, sicut de facto acceptavit passionem Infantum Innocentium non illis liberam, non tamen efficere, ut illud sit meritum præsertim de condigno: Tùm, Quia nomine meriti strictè sumpti, seu ut ab eo excluduntur actiones brutorum, intelligitur non quodvis, quod sic acceptat DEUS, ut ejus contemplatio-

platione benefaciat habenti, sed quod tale est, & insuper ratione elicitionis habet bonitatem moralem, alioquin bruta possent propriè mereri.

Dices: Canes puniuntur, quando furantur, mordent; & idem est de amentibus, & ebriis, sed non habent actus liberos, ergò. Respond. neg: maj: loquendo de punitione propriè dicta, quia hæc respicit culpam moralem, qualis nequit esse sine libertate.

X. Meritum debet esse actus bonus moraliter.

Dico Quartò: *Actus meritorius debet esse bonus moraliter, etiam in ordine ad potentiam DEI absolutam.* Est communis contra eosdem Authores. Et Probatur: Quia meritum, de quo hic agitur, debet esse actus moraliter laudabilis, sed talis est, qui est bonus, ergò. Neque in hoc potest esse alia quæstio, quàm de nomine, id est, dependens ab eo, quid intelligatur per hoc verbum meritum strictè sumptum, per quod intelligo actum liberum moraliter bonum, intelligant alii quidquid velint.

Dices: Si quis ex pacto laboraret in vinea pro floreno in die Dominico, quamvis malè ageret moraliter, dummodò physicè laboraverit juxta pactum, meretur florenum, & alter, cui laboraret, deberet ei reddere ex justitia, ergò actus meritorius non necessariò debet esse bonus moraliter. Confirm. Quia potest aliquis puniri propter actum moraliter bonum, ergò & præmiari propter malum, & consequenter actus malus potest esse meritorius & bonus demeritorius. Probatur antec: Quia si servus faceret negligenter aliquid, quia existimaret illud sic faciendum, licèt benè moraliter ageret, quia secundùm conscientiam, posset tamen à domino puniri propter negligentiam, ergò. Respond. distin: antec: meretur merito propriè dicto, neg: antec: merito largè sumpto, conc: antec: atque tunc meretur solùm cum proportione ad illum modum, quo equus benè currens dicitur mereri pabulum: Et ratio meriti sic laborantis fundaretur in æquivalentia physicâ istius laboris ad præmium, & cum pacto sine respectu ad laudabilitatem moralem ejus; ratio verò proprii meriti fundatur in laudabilitate morali actûs, & eam necessariò exigit ex communi Doctorum sensu. Per quod patet etiam ad Confirmationem: ille enim servus non posset puniri justè punitione propriè dicta, nisi ignorantia ejus esset invincibilis, cujus contrarium suppono.

Dices Secundò: Mendacio officioso obstetrices Ægyptiorum conservantes filios recenter natos populi Israëlitici, meruerunt præmium temporale. Item de Raab meretrice, quæ exploratores missos à Josue reservavit mendacio officioso, ergò, quamvis meritum vitæ æternæ & donorum supernaturalium debeat esse actus bonus moraliter, non tamen meritum præmii temporalis, nec consequenter meritum ut sic abstrahendo ab his. Respond. primò: Si posset quis mereri propriè bonum temporale propter actum peccaminosum habentem objectum, vel circumstantias bonas, posse etiam talem actum saltem de potentia esse præmium respectu doni spiritualis conducentis ad vitam æternam. Respond. secundò: neg: antec: nam licèt obstetricibus & meretrici fuerit collata aliqua remuneratio, non tamen propter peccatum, sed propter alios bonos actus, quos tunc habuerunt, quòd si tamen dicatur præmium ipsis esse collatum propter præservationem illam peccaminosam ob circumstantiam mendacii. Respond. tertiò, distin: antec: meruerunt merito strictè accepto, neg: largè accepto, conc: antec: & neg: consequ: fortè hoc etiam totum argumentum deficit in suppositione, quia illæ fortè invincibiliter ignorârunt malitiam mendacii in illis circumstantiis.

XI. Meritũ ut sic non debet esse à persona justificata.

Dico Quintò: *Meritum ut sic non exigit, ut procedat à persona justificata neque à viatore.* Docet esse com-

communis & Probatur prima pars: Quia nulla ratio suadet, quòd meritum prœmii temporalis requirat talem circumstantiam, & peccatores disponentes se ad justificationem, mererentur illam, cùm tamen non sint in statu gratiæ sanctificantis. Probatur secunda pars: Quia beati in cœlo vel merentur de facto nobis multa bona, vel possunt mereri, cùm nihil impediat, quo minus id facere possint, sed non sunt viatores, ergo.

XII. Meritum ... requirit acceptationem aliquam illius, à quo meretur.

Dico Sextò: *Meritum omne requirit acceptationem aliquam illius, à quo quis meretur, quæ tamen acceptatio debet esse antecedens productionem actûs.* Est Doctoris contra omnes eos, qui negant acceptationem requiri ad meritum de condigno, ut patebit infrà. Probatur prima pars: Quia si quis faceret quemcunque actum in gratiam alterius propter prœmium, si ille alius antè significaret, se nolle dare prœmium, non censeretur moraliter mereri prœmium ab illo, sive de condigno sive de congruo, ergò. Deindè ad meritum requiritur, quòd inducat aliquod debitum in eo, à quo quis mereri per ipsum dicitur saltem congruitatis aut inconvenientiæ, ita tamen ut non tàm convenienter agere videretur, si negaret prœmium, ac si ipsum conferret, supposito merito, sed tale debitum nequit esse absque consensu vel formali vel interpretativo, talis autem consensus est acceptatio aliqua, ergò requiritur talis. Confirmatur: Quia si quis faceret aliquid in gratiam alterius absque hujusmodi consensu ipsius, & exigeret prœmium, ille alter posset se benè excusare, quòd factum esset sine suo consensu, sed hoc est signum sufficiens ad colligendum, quòd actus ille non sit meritorius.

Probatur Secundò: Quia meritum debet esse factum in gratiam alterius, à quo expectandum est prœmium, ergò, sed hoc non potest cognoscere, nisi cognoscat aliquomodo consensum ipsius, nec sufficit, quòd cognoscat probabiliter futurum ex aliquo extrinseco, neq; supponente consensum præteritum vel præsentem, quia illæ conjecturæ ponunt aliquam obligationem in altero, ob quam deberet habere illum consensum futurum, ergò requiritur consensus præteritus vel præsens.

Probatur Tertiò: quando quis petit ab altero eleemosynam, quamvis petat moraliter benè, non censetur accipere tanquam prœmium, sed hujus non potest assignari melior ratio, quàm quòd non acceptaverit antecedenter illam petitionem tanquam meritum: ergò.

Probatur secunda pars: Quia meritum debet habere meriti rationem pro illo instanti, quo producitur, sed acceptatio subsequens non est pro illo instanti, ergò nequit sufficere.

Dices: Quando quis facit obsequium alteri, dicitur mereri, licèt alter ante non cognosceret ullo modo, quòd faceret illa, & ideò non acceptaret illa, neque consentiret, ergò. Respond. distin: antec: dicitur mereri merito strictè sumpto, de quo hic agitur, neg. largè sumpto, conc: antec: & distin: conseq: quod verò tale meritum non esset meritum.

Dico Septimò: *Requiritur ad meritum, de quo hic, quòd fiat intuitu merendi à persona, à qua quis meretur.* Probatur: Quia aliàs non esset ratio ulla, ob quam exigeret prœmium moraliter per modum debiti alicujus, & non esset ratio, ob quam unum potius, quàm quodcunque aliud daretur propter meritum, ex natura meriti. Confirmatur: Tùm, Quia, si actus fieret ob solam bonitatem actûs, aut si non ordinaretur ad ullam personam, nulla persona deberet dare prœmium, ergò debet ordinari ad personam propter prœmium: Tùm, Quia meritum est medium consequendi prœmium à prœmiante, ergò debet ordinem dicere ad utrumque, & merens applicans XIII. Meritum debet fieri intuitu merendi.

meritum, debet intendere præmii consecutionem à præmiante, quod videtur evidens, & fortassis evidens hujus conditionis erat ratio, cur non tàm expressè ponatur ab Authoribus inter conditiones reliquas meriti, quamvis etiam posset dici, quòd involvatur in conditione acceptationis, quia acceptari non potest à præmiante tanquam meritum, nisi quoad hoc ordinetur à merente.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Divisione Meriti in Meritum de condigno & congruo.

I. Meritum de condigno & de congruo est etiam respectu temporalium.

Quamvis Theologi Meritum ut sic aliter dividant; ut in meritum conducens ad vitam æternam, & in aliud, quod sic non conducit, seu *Interpretativum*, nihilominus communior est divisio illa, à qua non est recedendum, in meritum *de condigno*, & meritum de *congruo*; atque hæc divisio potest considerari tàm respectu eorum, quæ conducunt ad vitam æternam, quàm respectu præmiorum temporalium, non enim videtur potior ratio esse, quare respectu vitæ æternæ aliud sit meritum de condigno, & aliud de congruo, quàm respectu præmiorum temporalium. Unde antequam progredior ad examinandum meritum de condigno & de congruo respectu vitæ æternæ, præmitto notionem seu explicationem utriusque ut sic per duo Notabilia. Itaque

II. Meritum de condig no ut sic describitur.

Notandum Primò: Meritum de condigno ut sic: Est meritum, quod habet talem æquivalentiam ad præmium, ut si ineatur pactum de eo ponendo propter præmium conferendum, & meritum ponatur, ille, cum quo sit pactum, teneatur ex justitia reddere præmium, modo aliàs sit capax obligationis justitiæ. Et hoc modò declaratur natura meriti de condigno sufficienter, ut patebit magis ex ejus explicatione. Dicitur *Meritum*, quia in hoc convenit in genere cum merito de congruo. Dicitur *quòd habeat talem æquivalentiam cum præmio*, ut oriatur obligatio justitiæ in præmiante ad ponendum præmium, quia per hoc distinguitur à merito de congruo. Dicitur: *Si ineatur pactum*, nisi enim ineatur pactum, non potest oriri talis obligatio in præmiante, unde si quis laboraret decem diebus, aut annis in vinea alicujus sine pacto inito, non mereretur de condigno præmium, quod aliàs supposito pacto mereretur, etiamsi labor 10. dierum haberet æquivalentiam cum præmio. Dicitur *si præmians sit capax obligationis præmii*, ut comprehendatur meritum de condigno respectu DEI, etiam in sententia eorum, qui dicunt, DEUM non posse obligari ex justitia propter suam infinitam perfectionem, & supremum in omnes res dominium, quia hoc non obstante potest quis mereri ab illo de condigno vitam æternam, & alia præmia, quia potest fieri actus ex pacto inito cum illo, qui sit æquivalens præmio, & hic consequenter sufficeret ad inducendam obligationem justitiæ, si DEUS esset capax talis obligationis.

III. Meritum de congruo explicatur.

Notandum Secundò: Meritum de congruo est, quod non habet inducere obligationem justitiæ ad reddendum præmium, quamvis fiat ex pacto, sive quia non habet æquivalentiam cum præmio, sive quia paciscens se non obligat ex justitia, sed eodem modo, quo obligaret se, si actus non haberet æquivalentiam. Patet, quia hujusmodi meritum potest dari, & non esse de condigno, ergò erit de congruo.

His prænotatis, in quibus minor est difficultas, progredior ad ea, in quibus major est controversia, nempè respectu vitæ æternæ, in quonam distinguantur ista duo merita, nam noster Pontius disp. 36. de merito qu. 3. ponit novem diversos modos explicandi, utrumque meritum, eosque solidè impugnat; ego aliquos eorum referam, & per Conclusiones prius enervabo, antequam meam ponam sententiam, hinc

Dico

IV. Meritum de condigno non cōsistit in esse sanctificati.

Dico Primò: *Non benè explicatur meritum de condigno respectu vitæ æternæ, quòd sit meritum procedens à Filio seu justificato per gratiam sanctificantem, meritum verò de congruo sit illud, quod procedit à non filio, seu non sanctificato.* Probatur: Quia justus seu sanctificatus per gratiam sanctificantem meretur secundùm communem sententiam sibi & aliis multa bona de congruo, ergò meritum de condigno, nec de congruo sic benè explicatur.

Dices: Illo actu, quo justus aliis meretur dona alia de congruo, meretur etiam sibi de condigno vitam æternam, & consequenter omne procedens meritum à justo est meritum de condigno. Respond. Primò: neg: antec: quia in sententia multorum actus remissus seu minoris intensionis, quàm sit habitus gratiæ, à quo procedit, non est meritum de condigno respectu gratiæ, nec consequenter respectu gloriæ, & tamen potest esse meritum respectu alterius doni, ergò non omne meritum justi est de condigno. Respond. Secundò: Transeat antec: quòd ille actus sit meritum de condigno respectu vitæ æternæ, quia tamen non est tale meritum respectu aliorum donorum, quæ sibi & aliis per ipsum quis meretur, consequenter malè explicatur meritum de condigno juxta prædictam explicationem. Confirmatur: quia nulla prorsus est ratio, cur non dicatur esse meritum de condigno respectu aliorum donorum, si sufficeret prædicta explicatio tàm benè quàm respectu vitæ æternæ.

Dices: Majorem esse rationem, quia magis exigit prœmium æternæ vitæ sibi dari, quàm sibi aut aliis illa alia dona. Sed contra: Quia illa major exigentia non facit ad propositum, nam quamvis magis exigeret unum quàm alterum, tamen non indè sequeretur, quin exigeret utrumque de condigno, nam quamvis unus actus justi magis exigat prœmium vitæ æternæ quàm alius, quia est perfectior, tamen non sequitur quin uterque exigat de condigno illud prœmium. Deindè ex natura rei vix posset assignari ratio, cur actus, quem quis elicit intuitu prœmii consequendi pro aliis magis exigat prœmium vitæ æternæ sibi conferendi, quàm exigat aliis conferri illud aliud prœmium. Denique beati merentur de congruo secundùm communiorem sententiam nobis multa bona, & tamen non merentur sibi aliquid de condigno, nec actus exigit aliquod prœmium sibi ipsis, & tamen sunt sanctificati, ergò malè describitur in hac sententia meritum.

Dico Secundò: *Non subsistit explicatio dicens: Meritum de condigno esse meritum filii respectu prœmii sibi conferendi, meritum de congruo, quod non est tale.* Probatur: Quia justus meretur reparationem sibi post lapsum, sed non de condigno, ergò non subsistit. Deindè non est ratio, cur dicatur mereri sibi de condigno, & non posse sic mereri aliis, nec est ratio, cur meritum, quo sibi meretur, vocaretur meritum de condigno potius, quàm meritum, quo aliis meretur. V. Meritum de condigno non est meritum filii respectu prœmii sibi conferendi.

Deindè, sicut potest dari meritum de condigno respectu prœmii temporalis, quod non procedat à filio, cur etiam non possit dari tale meritum respectu prœmii supernaturalis. Denique dicam fortè postea non posse filium sibi mereri vitam æternam de condigno.

Dico Tertiò: *Neque satisfacit explicatio, quæ dicit, quòd meritum de condigno sit meritum justi universaliter acceptatum, meritum autem de congruo, quod non est justi universaliter sic acceptatum.* Probatur: Quia illa universalis acceptatio non facit ad rem, nam si DEUS vellet acceptare ad prœmium vitæ æternæ dilectionem supernaturalem unius hominis justi, & non vellet acceptare alterius hominis justi dilectionem, certè meritum illud esset de condigno, sed non esset universalis acceptatio, ergò talis universalis acceptatio non facit ad rem. VI. Meritum de condigno non est universaliter acceptatum.

 Dico

VII. Meritū de condigno non benè explicatur per cognitionem pacti.

Dico Quartò: *Divisio illa meriti duplicis in ordine ad vitam æternam non benè dicitur esse, quòd meritum de condigno sit meritum justi operantis ex cognitione pacti de præmio infallibiliter reddendo, meritum verò de congruo sit illud, quod non est tale.* Probatur: Quia hinc sequeretur: Primò, quòd si justus infallibiliter cognosceret se consecuturum præmium, quod mereretur alteri, meritum ipsius esset de condigno, quod communiter negatur. Secundò, sequeretur, quòd merita beatorum, quibus merentur nobis, sint de condigno, quia verisimile est, quod cognoscant se obtenturos, quod merentur. Tertiò, de facto non cognoscimus, an obtineamus augmentum gratiæ per actus remissos, aut per actus virtutum moralium, & tamen probabile est, quòd tales actus promereantur augmentum gratiæ de condigno, ergò ad meritum de condigno non requiritur infallibilis cognitio pacti de præmio reddendo. Quartò conditio justi, quæ ponitur in hac explicatione, non est essentialis, quia potest esse meritum de condigno respectu vitæ æternæ etiam in non justo.

VIII. Meritum de condigno connaturaliter non exigit præmium.

Dico Quintò: *Non benè distinguitur meritum de condigno, & de congruo; quòd meritum de condigno connaturaliter exigat collationem præmii.* Probatur: Quia omne meritum sic exigit, ergò.

Dices: Non qualemcumque exigentiam probare meritum de condigno, sed exigentiam cum titulo justitiæ, ita ut eo posito sine injustitia præmium negari non possit. Contra Primò: Quia in sententia negante DEUM esse capacem obligationis justitiæ, posset DEUS negare sine injustitia quodcunque præmium, & sic non daretur meritum de condigno, quod est contra hypothesim. Contra Secundò: Quia secluso pacto DEUS non tenetur ad dandam vitam æternam ut præmium, pro quocunque actu justi, neque est ratio ulla, ob quam secluso pacto ullus actus exigeret connaturaliter tale præmium, ergò. Supposito autem pacto de dando præmio pro quocunque merito, meritum de congruo poterit esse meritum de condigno.

Dices Secundò: Meritum de condigno exigit ipsum pactum connaturaliter, ergò. Sed contra: Non potest ostendi, ex quo capite actus charitatis procedens etiam à justo exigat etiam connaturaliter pactum de danda beatitudine propter seipsum potius quàm actus charitatis elicitus à peccatore exigat pactum de infusione gratiæ habitualis, aut actus meritorius beati exigat pactum de conferendo præmio, aut actus, quo quis meretur sibi reparationem post lapsum, exigat pactum de illa reparatione, sed hi actus non exigunt tale pactum, ergò.

Dices Tertiò: Opera filii habent connaturalem exigentiam ad hæreditatem Patris consequendam, & consequenter exigunt illam hæreditatem sine pacto, vel cum pacto aliquo, ut si non conferretur hæreditas, id esset miraculum. Contra Primò: Quamvis filius mereatur hæreditatem Patris sic, ut debeatur ipsi connaturaliter, moraliter loquendo, & propterea datur ipsi absque ullis meritis post mortem patris, tamen reverà non meretur hæreditatem physicè per sua bona opera, nam in creatis nullus dicit filium ratione operum suorum mereri hæreditatem. Contra Secundò: Filius secundus est æquè filius sicut primus, & tamen non debetur ipsi connaturaliter hæreditas patris, quæ primogenito dari solet. Contra Tertiò: Potius non videtur filius exigere per opera sua hæreditatem, quæ ipsi ex natura rei debetur ex eo, quòd sit filius, ergò non est necesse, ut opera ipsius habeant exigentiam. Contra Quartò: Si opus filii exigit connaturaliter hæreditatem, vel illam exigit ex natura sua secluso pacto vel supposito pacto: Non primum, quia aliàs sic opera beatorum exigerent. Non secundum, quia posset sic opus non filii exigere hæreditatem.

Dico

11. *Æquivalentia non requiritur, nec sufficit ad meritũ de cõgruo.*

Dico Sextò: *Æquivalentia actûs meritorii cum prœmio ex natura rei independenter à pacto, non requiritur ad meritum de condigno, neque sufficit cum pacto ad meritum de condigno respectu DEI.* Est conformis Doctori 3. d. 38. Probatur prima pars: Quia nullus actus justi pro hoc statu ex se, seclusо pacto DEI, talem habet æquivalentiam cum prœmio æternæ beatitudinis sive physicam sive moralem, & tamen aliquis actus noster est meritorius de condigno vitæ æternæ, ergò. Probatur antecl Non physicam, quia evidens est actum perfectissimum charitatis, quem pro hac vita habere possumus, esse minus perfectum vitâ æternâ: Non etiam moralem, quia non minus certum est, quòd si quis consideret quascunque circumstantias actûs charitatis, non æquivalere vitæ æternæ. Et hoc existimo certum insinuatum ab Apostolo dicente: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam.*

Probatur secunda pars: Quia de facto actus, quibus beati nobis merentur dona aliqua gratiæ, licèt sint æquivalentes, non tamen de condigno, ergò. Dixi: *Ex se non habere physicam aut moralem æquivalentiam*, benè tamen ex pacto & acceptatione divinâ, undè Confirmatur utraque pars: Sicut in manu Principis & Reipublicæ est mutare valorem moralem rerum, ita ut pecunia, quæ jam valet unum florenum ex ordinatione Principis, postea valeat duos, & econtra, ita etiam potest DEUS, qui est supremus Dominus disponere, ut actus meritorius, qui nunc non valet nisi tantum, postea plus vel minus valeat, ergò potest facere, ut actus non habens ex se æquivalentiam, cum prœmio habeat eam moraliter, & econtra habens ex se æquivalentiam cum prœmio habeat eam moraliter. Confirmatur Secundò: Quia potest homo inire pactum cum alio homine, quo obliget se ad dandum illi centum pro decem, duobus modis: Primò ita, ut velit obligare se non quasi reputaret illa decem æquivalere illis centum, aut tanquam si centum essent prœmium proportionatum decem, & hoc modo quamvis ille teneretur reddere centum pro decem, non tamen teneretur pro merito tanquam de condigno. Secundò sic, ut revera velit æstimare pro decem tanquam pro æquivalenti centum reddere, & tunc deberet centum reddere pro decem, tanquam prœmium condignum merito; Similiter DEUS duobus modis pacisci potest cum homine de prœmio reddendo propter merita. Ex hoc patet, quòd quotiescunque se obligat aliquis ad dandum tale prœmium pro tali merito, sive meritum sit inferioris, sive æqualis valoris cum prœmio, ita ut tota ratio, cur se obliget, sit valor, obligatio sit ex justitiâ, modò obligans sit capax talis obligationis, & meritum ex tali obligatione proveniens erit de condigno. Quòd si ratio obligationis non sit de valore operis, sed partim etiam ex liberalitate promittentis, partim ex justitiâ, sic consequenter meritum non erit de condigno respectu talis meriti.

X. *Meritum de condigno ex justitia petit recompensationem.*

Dico Septimò: *Optimè explicatur & distinguitur meritum de condigno à merito de congruo per hoc præcisè, quòd illud inducat ad recompensationem sui obligationem justitiæ commutativæ, hoc, seu de congruo, non nisi decentiæ, aut ad summum fidelitatis.* Hæc est Scoti 1. d. 17. nu. 25. & 36. ubi dicit, quod *ad meritum secundum quid, seu de congruo non requiratur, sicut requiritur ad meritum condignum acceptatio DEI ordinantis actum ad prœmium ex stricta justitia reddendum.* Est etiam Suarii, Bellarmini lib. 1. de justificatione cap. 21. contra Vasquez, Koning, & alios docentes rationem meriti condigni in eo consistere, quòd sit ex natura sua & conditione operantis, vel supposita, vel non supposita (in quo differunt hi Authores) promissione DEI de prœmio dando, ita commensuratum illi prœmio, ut si respiceret Retributorem obligationis justitiæ capacem, ille teneretur ex justitia commutativa prœ-

præmium rependere, fecus autem esse DEO, qui talis obligationis non est capax, undè ille non tenetur, nisi ex fidelitate, aut ex justitia latè accepta secundùm ipsos.

Probatur Conclusio ex Scripturâ Primò: Ad Rom. 4. *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum.* Ad Hebræos 6. *Non enim injustus DEUS, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrâstis sanctis & ministratis.* Et 2. ad Timoth. 4. *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex, non solùm autem mihi, sed & omnibus, qui diligunt adventum ejus.* Ex quibus sic argumentor: Si meritum de condigno, ex supposito certo, quòd aliquâ ratione distinguatur à merito de congruo, non induceret obligationem justitiæ, sequeretur mercedem non deberi justo plus, & majori titulo, quàm peccatori contrito debetur justificatio, sed ex Div. Paulo in primo loco, datur justo non secundùm gratiam præmium, sed secundùm debitum, ergò. Item contra secundum textum sequeretur, DEUM non fore justum, & si per impossibile non redderet mercedem, cùm etiam dicat D. Augustinus Enarrat. in Psal. 100. *Ideò justus non potest coronare nisi ista,* supple opera bona, *invenit enim ista, quæ coronaret - - - - donavit hæc tempore misericordiæ, coronavit illa tempore judicii.*

Probatur Secundò ex S. Augustino in enarr. in Psalm. 83. *DEUS,* dicit, *est donator indulgentiæ, debitor coronæ, undè debitor? accepit aliquid? cui debet aliquid DEUS? Ecce videmus, quia tenet eum Debitorem Paulus, consecutus est misericordiam, exigens veritatem: Reddit, inquit, mibi Dominus in illo die. Quid tibi reddet? nisi quod tibi debet? undè tibi debet? quid ei dedisti? quis prior dedit illi, & retribuetur ei. Debitorem Dominus ipse fecit se, non accipiendo, sed promittendo, non ei dicitur, redde, quod accepisti, sed redde, quod promisisti. Misericordia mibi erogavit, inquit, ut faceret me innocentem. Nam prius fui blasphemus & injuriosus, sed ex illius gratia factus sum innocens, ille autem, qui prærogavit misericordiam, negare poterit debitum?* Et in Psalm. 100. ubi ait: *Audi, quia ille, cui donavit, tenet Dominum etiam debitorem, invenit enim donatorem tempore misericordiæ, tenet debitorem judicii, quomodo boc dicit, videte, ego enim jam immolor, dixit, & tempus resolutionis meæ proximum est. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, hoc tempore misericordiæ. Audi de judicio: de cœtero mihi superest corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex. Nec dixit, donat, sed reddet. Quando donabat, misericors erat: quando reddet, Judex erit.* Et alibi fæpè, ut lib. de grat. & lib. arbit. cap. 13.

Probatur Conclusio Tertiò: Quia cœtera omnia præter dictam viam obligandi ex justitia commutativa sunt utrique merito communia, ergò vel in nullo, vel in illo different. antec: Probatur: Quia imprimis exigere præmium ex decentia convenit utrique, nam quod nec vel sic exigeret, nullo modo esset meritum, cùm correlativum meriti sit præmium strictè vel laxè debitum, & implicet aliquem mereri quidpiam ab aliquo, quin debeat absolutè vel secundùm quid reddere. exigere enim, ut ex gratitudine præmium reddatur, præterquam quod non omni præmio condigno competat, quia non observationi præceptorum, cùm gratitudo per se respiciat obsequium non strictè debitum, convenit enim fæpè merito de congruo, si tamen verum sit, de quo multi dubitant, quòd conveniat ulli merito. Deindè inducere obligationem præmii ex fidelitate reddendi, convenit omni merito, ob quod DEUS promisit præmium, non autem omne tale est meritum condignum, ut patet de contritione elicita à peccatore, & elicita à justo, quarum uterque, licèt habeat promissionem gratiæ & gloriæ

gloriæ annexam, prima tamen est meritum de congruo, secunda meritum de condigno.

Probatur Quartò: Esse sic commensuratum cum prœmio, ut hoc sit ex justitia reddendum, si Prœmiator esset capax obligationis justitiæ, non competit ulli merito seclusâ divinâ promissione, ut infrà probabo, ergò. Probatur antec: Quia si competeret ulli actui viatoris deberet etjam competere actui similis rationis beati, aut existentium in purgatorio contra communem sensum. Et si sufficeret, quod suppositâ promissione haberet sic esse commensuratum omne opus præsertim onerosum, cui promisit DEUS præstanti illud gratiam & gloriam, esset meritum de condigno, quia universaliter omnis promissor capax obligationis strictæ justitiæ, tenetur ex justitia commutativa ad dandum prœmium, quod sub conditione operis onerosi antecedenter promisit.

Dices: Opus præcedente etiam pacto à peccatore elicitum non habere (spectatâ conditione operantis, qui est inimicus DEI) tantam proportionem ad prœmium, quantam habet elicitum à justo, qui est DEI filius, & Christi membrum, adeóque hoc cadere sub ratione meriti de condigno, non verò illud. Respond. neg: consequ: Nam licèt hoc verum esset, non valet tamen hoc pro discrimine allegando inter meritum de condigno & de congruo, quia ex strictâ justitiâ tenetur homo etiam inimico reddere, quod ipsi sub conditione operis onerosi, conscius inimicitiæ promisit, ergò, si omne meritum sit proportionatum prœmio, ut ad hoc reddendum ex stricta justitia obligaret prœmiantem capacem talis obligationis, sit meritum condignum, ergò etiam contritio peccatoris erit tale meritum, contra omnes Catholicos.

XI. DEUS potest se obligare ad meritum. Probatur Conclusio Quintò: Quia nullum meritum de congruo inducit DEO obligationem justitiæ, secundùm omnes, & quodlibet inducit secundùm communem obligationem vel fidelitatis, ut cum DEUS prœmium operi promisit: vel decentiæ, ut cum non promisit, undè meritum de condigno inducit obligationem non tantùm fidelitatis, quam nemo negat, verùm etiam obligationem propriæ justitiæ, ergò in eo præcisè differunt, quod unum & non alterum inducat obligationem justitiæ commutativæ. Antec: pro ultima parte, quæ est sola controversa, Probatur Primò: Si meritum de condigno non inducit obligationem propriæ justitiæ, hoc ideò est, quia DEUS vel non potuit, vel non voluit se obligare ex justitia ad illud opus prœmiandum, sed potuit, & voluit, ergò. Probatur min: quoad primam partem scilicet quòd potuit: Quia in hoc nulla est repugnantia, si enim ulla esset, maximè quod sequeretur, DEUM prœmii sic ex justitia debiti, & jam soluti, amisisse dominium, sic ut verè deinceps non diceretur ejus dominus, aut non futurum similiter dominum operis meritorii, sed neutrum sequitur, ergò. Probatur min: Non primum: quia licèt non retineret dominium bassum, sive privatum prœmii jam soluti ex justitia, retineret tamen altum & supremum. Et insuper justus tenetur ad ejus nutum omne jus in illud à se repudiare, & nunquam contra ejus voluntatem eò uti, quod abùdè sufficeret, ut Deus verè & formaliter diceretur ejus Dominus. Nec secundum sequeretur, quia si DEUS nullum fecisset pactum de prœmiando opere justi, ut primum opus existeret, esset res DEI, quia rei suæ, id est, hominis fructus, cujus jus, ut suppono, in neminem adhuc transtulit, ut verò teneretur ex justitia facto pro eo opere ponendo prœmium solvere, sat esset, quod non nisi sub promissione propriè dicta prœmii ad illud ponendum se adstrinxisset. Tandem quòd DEUS sic se voluerit obligare, liquidissimè patet ex Scripturis in prima probatione allegatis, ut negari non possit, si semel admittatur potuisse velle; quæ verò adducuntur contra possibilitatem hujusmodi obligationis justitiæ in DEO, XII. DEUS voluit se obligare ad dandum prœmium.

DEO, solvuntur in tractatu de Jure & Justitia. Sed adhuc in contrarium

Opponitur Primò: Authoritas Scripturæ S. ad Roman. 6. *Stipendia enim peccati mors. Gratia autem DEI vita æterna in Christo JESU Domino nostro.* & cap. 11. *In hoc tempore reliquiæ secundùm electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia.* Ergò si vita æterna est gratia, & si esset ex operibus, jam non esset gratia, minus esset si vita æterna esset ex justitia. Respond. neg: antec: & ad utrumque textum dico cum S. August. lib. de grat. & lib. arbit. cap. 8. *Ideò vitam æternam dici gratiam, quia vita nostra bona nihil aliud est, quàm DEI gratia, sine dubio & vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, DEI gratia est, & ipsa enim gratìs datur, quia gratìs data est illa, cui datur, sed illa, cui datur, tantummodò gratia est, hæc autem, quæ illi datur, quoniam præmium ejus est, gratia est pro gratia, tanquam merces pro justitia, ut verum sit, quoniam verum est, quia reddet unicuique DEUS secundùm opera ejus.* Hæc Augustinus. Respond. Secundò, ex eodem D. Augustino in epist. 105. ad Sixtum: Ideò D. Paulum postquam dixisset: Stipendium peccati mors est, non opposuisse bonis operibus stipendium justitiæ vitæ æternæ, quia sicuti merito peccati tanquam stipendium redditur mors, ita merito justitiæ tanquam stipendium vita æterna. Aut si nollet dicere justitiæ, diceret fidei, quoniam justus ex fide vivit, undè etiam & merces appellatur plurimis sanctarum Scripturarum locis, nusquam porrò dicta est merces justitia & fides, quia justitiæ vel fidei redditur merces, quod est autem merces operanti, hoc militanti stipendium, sed B. Apostolus adversus elationem, quæ usque adeò magis tentat irrepere, ut & sibi propter ipsam dicat, datum Angelum Sathanæ, à quo colaphizaretur, nè verticem præsumptionis erigeret, adversus hanc ergò elationis pestem vigilantissimè militans, stipendium, inquit peccati mors, rectè stipendium, quia debetur, quia dignè retribuitur, quia meritò redditur. Deindè ne justitia de humano se extolleret bono merito, sicut humanum meritum malùm non dubitatur esse peccatum, non à contrario retulit, dicens: stipendium justitiæ vita æterna, sed gratia, inquit, DEI vita æterna. Vides causam, quare Apostolus non dixit stipendium operum bonorum esse vitam æternam, nè fortè quis extollatur, ut ipsemet Apostolus subjungit.

Opponitur Secundò Authoritas Patrum: Augustini lib. 1. Confess. cap. 4. dicentis: *Reddit DEUS debita nulli debens.* Bernardi serm. 1. de Annunt. *Neque enim talia sunt hominum merita, ut propter ea vita æterna detur ex jure, aut DEUS injuriam aliquam faceret, nisi eam donaret,* ergò. Respond. neg. consequ: ad veritatem illorum & similium locorum sufficit, quod etiam opera justorum, secluso pacto & promissione non habeant cum vita æterna æqualitatem, vel non proportionem talem, propter quam DEUS teneatur reddere pro iis vitam æternam, cum hoc tamen benè consistit, quòd pro iis reddenda sit ex justitia, supponendo quòd DEUS illam omnibus tanquam bravium certaminis, victoriæ coronam, operis stipendium proposuerit, sicut verum est, quòd cursus prævenientis cœteros in stadio non habet ex se æqualitatem, aut etiam proportionem ad constitutum bravium, valorem v. g. mille imperialium, supposita tamen prudenti expositione talis prœmii, debetur ex justitia promerenti & præcurrenti.

QUÆSTIO TERTIA.

An ad Meritum de condigno requiratur status Gratiæ sanctificantis?

I. Gratia actualis requiritur ad merendum.

GRatiam actualem requiri ad hoc, ut quis mereatur aliquid à DEO sive de condigno, sive de congruo, omnium penè Theologorum

gorum est sententia, ita ut Vasquez eam ad fidem pertinere dicat, contra Soto de Nat. & grat. cap. 4. & Cajetan. 1. 2. qu. 109. cap. 9. negantes ad opera virtutum moralium, licèt meritoria vitæ æternæ, requiri gratiam actualem, ast oppositum, ut dixi, verius est sicut communius, idque patet: Tùm ex Scriptura, Joann. 15. ubi Christus dicit: *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.* Tum ex Concilio Arausicano cap. 7. ubi habet: *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquid, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare aut eligere sive salutari, hoc est, evangelicæ prædicationis consentire posse affirmat, hæretico fallitur spiritu.* & cap. 9. *Quoties enim bona agimus, DEUS in nobis & nobiscum, ut operemur, operatur.* Et inter capitula, quæ Concilium Palæstinum Pelagio objecit, septimum erat: *Gratiam DEI atque adjutorium non ad singulos actus dari.* Item Trident. Sess. VI. cap. 16. *Cùm enim ille, ipse Christus* Jesus, *tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine qua, nulla pacta DEO grata, & meritoria esse possunt.* Ex quibus facilè refutantur, qui priores textus eludunt dicentes, gratiam actualem eatenus requiri ad opera virtutum moralium meritoria, quatenus requiritur ad merendum gratiam sanctificantem, sine qua nequeunt esse meritoria.

II. Status viæ requiritur ad merendum. Præmitto Secundò, tanquam certum, necessarium esse statum viæ tàm ad merendam vitam æternam, quàm etiam ad augmentum gratiæ & gloriæ. Tùm ex Scriptura 1. Corinth 10. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Ad Galat. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum.* Apocal. 10. *Juravit per viventem in sæcula sæculorum, quia tempus non erit amplius.* Tum ex dictis superius, nam quemadmodum hominibus & Angelis datur tempus viæ determinatum, in quo possent mereri substantiam beatitudinis, similiter congruum videtur, quòd etiam illis constitutum sit determinatum tempus ad merendum augmentum ejusdem, quantum DEUS dispofuit illis dare, & consequenter post illud tempus in via non possunt mereri neq; beatitudinem, neque augmentum ejus; idq; tam certum, ut nec ipsas animas in purgatorio existentes aliquid mereri existimem, nam illæ etiam in instanti mortis habent vitam æternam secundùm substantiam sibi debitam, & augmentum ejus; quâ enim ratione debetur illis in corpore existentibus tempus & auxilia ad gloriæ augmentum promerendum, eâdem ratione congruum erat, ut tempus & auxilia sufficienter illis darentur, ut in via tantum gloriæ promererentur, quantum post viam statuit illis dare, quare in purgatorio opera non acceptantur ad meritum. His præmissis

Dico Primò: *De facto tàm in Angelis & hominibus in pura natura conditis, quàm etiam in natura lapsa, requiritur status gratiæ sanctificantis ad merendum de condigno vitam æternam.* Hæc est communis contra Baium quoad ultimam particulam de homine pro statu naturæ lapsæ asserentem propof. 13. *Pelagii sententia est opus bonum citra gratiam adoptionis factum, non esse regni cœlestis meritorium.* Sed damnata est tàm per Pium V. quàm Gregorium XIII. Prima pars hujus Conclusionis colligitur Primò: Ex omnibus principiis, ex quibus colligitur necessitas gratiæ justificantis, quæ suprà tradidi, nam si quis posset mereri vitam æternam de condigno absque justificatione, non videretur ulla necessitas justificationis, quia hæc maximè requiritur tanquam medium necessarium ad vitam æternam acquirendam. Secundò ex Tridentino Sess. 6. cap. 16. ubi fructum justificationis vocat meritum bono- III. Status gratiæ sanctificantis requiritur ad meritum.

(*) Xxx rum

rum operum, sed si opera peccatorum mereri possent de condigno vitam æternam, hoc non esset verum, ergò non possunt. Solet communiter hæc Conclusio probari quoad homines & Angelos, qui in pura natura conderentur ex his ipsis aliquibus Scripturæ locis, quibus probatur quoad homines considerates in statu naturæ lapsæ, sed meo judicio non satis sufficienter, nam hæc omnia commodè intelligi possent de hominibus tantùm in statu naturæ lapsæ existentibus.

Probatur secunda pars de homine in statu naturæ lapsæ: Primò ex Scriptura tùm suprà citata, tùm aliis, quæ charitati merita nostra adscribunt, atqui charitas non est aliud, quàm gratia justificans in nostra opinione: Tùm denique ex Epist. ad Rom. 8. *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filii DEI, si autem filii & hæredes, hæredes quidem DEI, cohæredes autem Christi.* Ubi Apostolus solos filios nominat hæredes, & consequenter solos filios justificatos existimat hæredes regni cœlorum, ergò non filii, non possunt illam de condigno mereri, aliàs non filii, essent filii & hæredes, nam per filium & hæredem aliud non intelligo quàm dignum vitâ æternâ. Confirmatur ex Trident. suprà citato, ubi inter conditiones ad merendum requisitas, ponit etiam hanc, justificationem scilicet prærequiri.

Probatur Secundò: Authoritate Augustini lib. de Prædestin. SS. cap. 5. ubi dicit: *Nihil autem huic sensui ita contrarium est, quàm de meritis suis sic quenquam gloriari, tanquam ipse sibi ea fecerit, non gratia DEI, sed gratia, quæ bonos discernit à malis, non quæ communis est & bonis & malis*, atqui sola gratia habitualis & justificans discernit bonos & malos, actualis autem datur tàm malis quàm bonis, ergò. Unde lib. 1. de peccat. merit. & remiss. cap. 9. docet ante omnes nostras operationes dari occultam Spiritus S. gratiam, qua DEO adhæremus, dicens: *Ille, in quo omnes vivificabuntur, præter quam, quod ad justitiam exemplum imitantibus præbuit, dat etiam sui Spiritûs occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit & parvulis.* & cap. 10. *Legimus justificari in Christo, qui credunt in eum propter occultam communicationem & inspirationem gratiæ spiritualis, qua quisquis adhæret Domino, unus Spiritus est*, ergò.

Probatur Conclusio Tertiò Ratione: Quia omnis homo pro statu naturæ lapsæ esset aut peccator, aut sanctificatus per gratiam adoptionis, sed peccator non potest mereri de condigno vitam æternam, ergò. Probatur min: peccator quà talis est dignus pœnâ æternâ, ergò non potest simul esse dignus vitâ æternâ, esset autem, si absque gratiâ sanctificante posset de condigno illam mereri, ergo. Hæc probatio benè probat, quòd peccator manens in statu peccati non possit mereri de condigno vitam æternam, veruntamen non videtur sufficere ad ostendendum, quòd non possit mereri de condigno vitam æternam, per meritum, quo simùl mereretur, non esse peccator, licèt non præsupponeretur, ad meritum status gratiæ sanctificantis. Et quamvis contra hoc posset dici, quòd non possit tolli de facto peccatum, nisi per gratiam sanctificantem, & consequenter quandoquidem ille non esset in statu peccati pro instanti, quo haberet tale meritum, deberet esse in statu gratiæ sanctificantis, adeoque sequi, quòd non possit haberi meritum sine gratia sanctificante etiam pro eodem instanti, pro quo haberetur meritum, sed negari potest, quòd talis gratia sanctificans debeat præcedere meritum, quod intendit conclusio & docetur: nam videtur satis, quòd in eodem instanti, in quo meritum elicitur, peccatum desineret esse, & gratia esse inciperet.

Probatur ergò melius Conclusio: Nullus actus, quem de facto habet peccator, deberet esse potius meritum de condigno vitæ æternæ, quàm

quam actus contritionis, sed ille sic non est meritum, ergò. maj: est certa. Probatur min: ex iis, quæ docui de justificatione, & ex Trident. Sess. 6. cap. 8. ubi dicitur: *Gratis nos justificari*, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera justificationis gratiam promerentur, ergò ex Concil. habetur, quòd nullum opus antecedens justificationem ipsam de condigno mereatur, & consequenter actus contritionis disponens ad justificationem, non est meritum de condigno justificationis, multò minus respectu vitæ æternæ. Confirmatur: Quia ex nullo capite ostendi potest, quòd de facto aut de lege ordinaria deberet dare vitam æternam tanquam mercedem iis, qui non essent filii, licèt nec inimici ejus essent, ergò sic non est dicendum, maximè cùm in Scriptura passim habeatur, quòd singularis favor operibus amicorum, aut econtra inimicorum debeatur tanquam merces vitæ æternæ.

IV. Observatio legum quomodo sufficiat ad vitam æternam.

Opponitur Primò Authoritas Scripturæ: Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva manda.* & Apost. ad Rom. 2. *Gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum, Judæo primum & Græco. Non enim auditores legis justi sunt apud DEUM, sed factores legis justificabuntur*, ergò ad meritum vitæ æternæ sufficit observare leges, sive observans habeat gratiam adoptionis sive non. Respond. neg: consequ: sensus enim horum locorum quantum ad præsens institutum attinet, est, non quòd sufficiat observatio mandatorum, quomodocunque, sed quòd requiratur illa observantia, tùm ad ingrediendam vitam æternam, tùm etiam ut acquiratur gratia justificationis, & insuper, quòd illa observantia ad acquisitionem vitæ æternæ sufficiat ex suppositione: quod procedit ab homine justificato. Possunt etiam aliter explicari illa loca, ac si dicerent, quòd observantia mandatorum præcedens justificationem esset meritoria respectu vitæ ingrediendæ, & respectu acquisitionis gratiæ sanctificantis. Item dici potest, quòd observatio mandatorum DEI mereatur: tùm de congruo gratiam ad justificationem, vel ad vitam æternam, quocunque autem modo explicentur, nihil facit contra Conclusionem.

Opponitur Secundò authoritas D. Augustini lib. 1. de lib. arbit. cap. 2. *Lege naturali statutum est præmium vitæ bonis operibus, pravis verò supplicium*, sed lex naturalis non respicit, nec dependet ab actibus supernaturalibus, ergò independenter à talibus actibus, adeoque per actus naturales potest aliquis mereri vitam æternam. Respond. distin: min: Lex naturalis, id est, respiciens sola naturalia non respicit actus supernaturales, conc: maj: Lec naturalis, id est, convenientia, quæ ex natura rei independent ab omni lege positiva, etiam eò quòd meritum sit ejusdem ordinis cum præmio, neg: maj: est enim lex naturalis sic intellecta æquè respiciens actus naturales ac supernaturales.

Instatur ex eodem D. Augustino de nat. & grat. cap. 2. ubi differens contra Pelagianum ait: *Natura humana, si sola sibi sufficiat ad implendam perficiendamq; justitiam, debet esse secura de præmio vitæ æternæ, licèt eam lateat fides sanguinis Christi*, ergò modò lex observetur (per hanc enim observantiam justitia completur) absque statu adoptionis, præmium vitæ æternæ debebitur meritis observantium. Respond. distin: consequ: de congruo, transeat. De condigno, neg: consequ: Ratio disparitatis est, quia sufficiebat ad intentum D. Augustini, quod erat probare necessitatem gratiæ ad observantiam legis, inferre, quòd quis mereretur de condigno vitam æternam absq; gratia, eo modo, quo peccator mediante contritione mereatur gratiam adoptionis, nam si merendo infallibiliter acquireret vitam æternam, quod esset absurdum, absurdum etiam erat, quòd quis posset absq; gratia totam legem observare.

eum, eliciet aliquod bonum opus, illud sit meritorium de condigno vitæ æternæ, prout sentit Vasquez disp. 21. Secunda sententia docet, opera meritoria posse dupliciter considerari: Primò, quatenus ex se habent condignitatem ad vitam æternam, absque eo tamen, quòd obligent DEUM ad ipsam conferendam. Secundò, quatenus habent vim obligandi DEUM, & si consideretur priori modo, dicunt habere independenter ab acceptatione, quòd sint meritoria de condigno, quam sententiam tenent multi Scotistæ cum Recentioribus Scotum pro se explicantes. Tertia sententia docet, opera justorum esse meritoria vitæ æternæ absque promissione DEI ex natura sua, licèt ex merito Christi accipiant longè majorem valorem, quàm habeant ex se, ita Cajetanus 1. 2. q. 11. Sotus. Quarta denique docet, opera justorum non esse ex se absque promissione & acceptatione DEI meritoria de condigno vitæ æternæ. Hæc est vera doctrina Doctoris in 1. D. 7. quæst. 7. Unde

III. Acceptatio divina requiritur ad rationem meriti.

Dico Primò: *Opera justorum non sunt ex natura sua meritoria de condigno vitæ æternæ, sed ad illa dignificanda omninò prærequiritur acceptatio & promissio DEI.* Est Doctoris supra. Probatur Conclusio Primò ex Scriptura ad Rom. 8. *Existimo enim, quòd non sint condignæ passiones.* 2. Corinth. 4. *Momentaneum & leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Quæ loca non essent vera, si in operibus meritoriis ex natura sua intrinseca esset condignitas ad vitam æternam. Probatur ulterius, quòd promissio etiam requiratur, nam 1. ad Tim. 4. dicitur: *Pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* Item ad Hebræos 6. *Ut non segnes efficiamini, verùm imitatores eorum, qui fide & patientiâ hæreditabunt promissiones. Abrahæ namque promittens DEUS, quoniam neminem habuit, per quem juraret majorem, juravit per semetipsum dicens: nisi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te. Et sic longanimiter ferens adeptus est repromissionem.* Jacobi 1. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit DEUS diligentibus se.*

Dices pro Vasquez, loca illa intelligenda esse de operibus consideratis secundùm se, non verò quatenus procedunt à filiis DEI, & hæredibus regni cœlestis. Verùm contra hanc Replicam est Primò, quòd nec simus filii DEI per gratiam absque acceptatione DEI. Et dato, etiamsi essemus filii constituti DEI, hoc etiam non sufficeret, quia per hoc opera nostra non fiunt digna ex se vitæ æternæ. Contra Secundò: Div. Paulus loquitur de passionibus hujus vitæ, quas patiuntur justi, & de iis loquitur, non verò secundùm se, & ut abstrahunt à conditione personæ patientis, nam quod illæ passiones in impiis non sint condignæ ad futuram gloriam, nullus dubitat.

Probatur Secundò Authoritate Concilii Tridentini Seff. 6. cap. 16. ubi dicit: *Benè operantibus usque in finem, & in DEO sperantibus proponenda est vita æterna & tanquam gratia filiis DEI per Christum JESUM misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius DEI promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda.* Et Can. 26. *Si quis dixerit, justos non debere pro bonis operibus, quæ in DEO fuerunt facta, expectare & sperare æternam retributionem, per ejus misericordiam, & JESU CHRISTI meritum, si benè agendo & divina mandata custodiendo usq; in finem perseveraverint, anathema sit.* Ubi Concilium in utroque loco refundit in DEI misericordiam & promissionem, quòd justi mereantur retributionem, quod non deberet facere, si ipsa opera haberent vim de condigno meritoriam.

Probatur Tertiò ex Patribus: Augustino serm. 16. de verbis Apostoli dicente: *Debitor vobis factus est DEUS,*

DEUS, non aliquid accipiendo, sed quod ei placet, promittendo. Et suprà sufficienter, ubi semper ex promissione facta debitor dicitur. D. Chrysologus ferm. 25. de rerum contemptu: *DEUS tot & tantis voluminibus cavet, & debitor non tenetur? sed dicis, esto, quod debeat, quo exigente restituet? seipso: quia non potest ille mentiri, idem ipse est & executor & debitor. Non erit in reddendo durus, qui profusus est in largiendo; Crede homo DEO, quod tibi DEUS dedit, majora reddere vult, cùm vult debere largitor.*

Probatur Quartò ex Bulla Pii V. & Gregorii XIII. in qua damnata est hæc propositio: *Sicut opus malum ex natura sua est mortis æternæ meritorium, sic opus bonum ex sua natura est vitæ æternæ meritorium.* Item ex aliis similibus damnatis propositionibus, in quibus dicitur, quod naturali lege, & sine respectu ad Christi meritum, obedientiæ mandatorum DEI debeatur regnum cœlorum.

Probatur Quintò Ratione: Quia est de per se conceptu meriti condigni inducere in eo, quem respicit obligationem aliquam propriè dictam, seu à mera decentia, seu congruentia distinctam, ad præmium reddendum, sed nullius hominis meritum seu actus meritorius inducere potest DEO, independenter ab ipsius promissione, ullam obligationem aliam, quàm meræ decentiæ, & congruitatis, quia nec homo ipse potest independenter à suo pacto & promissione obligari ex justitia, fidelitate, aut gratitudine, aut aliter, quàm ex condecentia ad dandum ullum præmium pro re sua, vel opera sui mancipii, quantumlibet opus esset excellens, sed omne meritum hominis est res DEI, & opus mancipii plenissimo jure sui, ergò.

Probatur Sextò: Quia nullus actus humanus habet ex se condignitatem ad vitam æternam sine DEI acceptatione, ergò hæc est necessaria ad rationem meriti. Probatur antec: quia perfectissimum meritum, quod potest in hac vita haberi, est actus perfectissimus charitatis supernaturalis, quo DEUM diligimus super omnia, & exponimus vitam nostram pro ipso, sed hic actus non habet hoc, ergò nullus alius actus habebit. Consequ: & maj: sunt veræ. Probatur min: ille actus est longè inferioris ordinis & conditionis, quàm est vita æterna consistens in fruitione & visione DEI tàm quoad naturam specificam, quàm quoad durationem, ut est evidens, neque enim est ullus prudens, qui considerata natura ipsius actûs charitatis & beatitudinis diceret actum esse tanti valoris, quanti est vita æterna, magis quàm si diceret, unum nummum æquivalere centum aliis.

Dices: Actus ille charitatis, licèt secundùm se consideratus non sit tanti valoris, quanti est beatitudo, benè tamen ut consideratur proveniens à filio & hærede regni cœlestis. Respond. neg: suppositum, quia hæc instantia falsum supponit, nempè gratiam sanctificantem ex natura sua absque promissione & acceptatione divina sanctificare. Deindè per hoc, quòd actus charitatis procedat à filio, non requirit dignitatem physicam æqualem vitâ æternâ, ut est evidens, neque etiam moralem, quia ut hanc haberet, deberet habere aliquod fundamentum physicum talis dignitatis, sed tale fundamentum non habet, cum non habeat æqualem dignitatem physicam. Denique, non debent magis opera filii adoptivi habere ex se æquivalentiam ad hæreditatem patris, quàm opera filii naturalis, sed non habent, ergò. Probatur min: absurdum videtur dicere, quòd quæcunque reverentia filii naturalis patri, Imperatori v. g. Romanorum exhibita habeat æquivalentiam ad tàm ingentem hæreditatem, ergò multò minus reverentia aut opus aliquod meritorium filii adoptivi habebit æquivalentiam ad vitam æternam. Tandem quamvis opus filii naturalis censeatur perfectius quàm filii adoptivi, & hujus quàm alterius, tamen

nulla

nulla prorsus est ratio, cur dicatur, quòd opus filii naturalis habeat talem excessum supra opus filii adoptivi, ut sufficiat ad hæreditatem patris longè perfectiorem.

Probatur Conclusio Septimò: contra Vasquez: Quia quamvis aliquis laboraret in vinea alterius, labore æquivalenti uno floreno, non mereretur tamen illum, si absque pacto laboraret, ergò quamvis actus elicitus à filio esset æquivalens vitæ æternæ, si tamen non acceptaretur, non mereretur vitam æternam. Nec valet dicere, quòd eo ipso, quo fecit DEUS hominem filium adoptivum, teneatur connaturaliter loquendo dare ipsi hæreditatem pro operibus bonis sine promissione, non valet, inquam, tùm, quia non possit ostendi, undè oriretur ista obligatio, tùm, quia, si aliquis alius, qui non esset filius, eliceret tantæ dignitatis actum cum actu filii, non meretur hæreditatem patris de condigno. Denique contra Vasquez facit, si pactum vel promissio non requireretur ultra quamcunque dignitatem operum, nulla prorsus esset ratio, ob quam opera animarum in purgatorio & beatorum non essent meritoria de condigno respectu augmenti beatitudinis, sed hoc est inconveniens, ergò. Probatur maj: Quia talia opera procedunt à filiis habentque omnia alia requisita ad meritum, ergò.

Dices: Ideò animas beatorum & purgatorii non mereri de condigno augmentum beatitudinis, quia illarum actus non ordinantur ad consecutionem istius præmii, & ideò sic non ordinantur, quia sciunt DEUM determinâsse non amplius augeri ipsorum gloriam, ista autem non currunt de operibus justorum in via existentium. Sed Contra: Non magis debet requiri ordinatio operantis ad consecutionem præmii, quàm præmiantis ad ejus retributionem, ergò. Contra Secundò: Quemadmodum DEUS potest impedire, ne animæ separatæ à corporibus mereantur per hoc, quòd determinet, non dare ulterius præmium, ita potest impedire, ne ullus mereatur per hoc, quod nolit dare præmium sine acceptatione meriti.

Dices Secundò: Ideò illas animas non mereri, quia beatorum sunt in termino, purgatorii verò in assecuratione præmii, sed hoc non currit de justis in via, ergò. Contra, quòd illæ animæ sint in termino, seu extra statum mundi non est ex natura rei, sed ex ordinatione divina, ergò talis ordinatio requiritur ad meritum.

Dico Secundò: *Promissio & pactum divinum requisitum ad meritum de condigno auget valorem & dignitatem moralem ipsius meriti.* Probatur: Quia supposito pacto opus, quod antè non valebat, nec condignum erat vitæ æternæ, nunc valet, & est condignum, ergò. Secundò ex institutione principis potest elevari valor moralis nummi valentis antè decem, ad valorem centum, ergo etiam similiter valor meriti à DEO sic potest elevari. Tertiò positô tali pactô opus longè est utilius, quàm antè ex naturâ suâ physicâ. IV. Promissio divina auget valorem meriti.

Dico Tertiò: *Promissio obligatoria DEI potest facere, ut opus sit meritorium de condigno, non tamen simplex assertoria.* Ita Doctor 3. d. 18. Probatur prima pars: Quia promissio, quâ de facto DEUS promisit justis benè operantibus vitam æternam facit illa opera meritoria de condigno vitæ æternæ, quæ aliàs sic non essent meritoria, ergò. Probatur secunda pars: Quia promissio, quâ DEUS promittit peccatoribus convertentibus se gratiam justificantem, non facit, ut opus ipsorum sit meritorium de condigno illius gratiæ, cùm in illa promissione nulla fiat mentio meriti, similiter promissio, quâ DEUS promittit se justis daturum, quidquid petierunt, non facit, ut ipsorum meritum sit de condigno respectu petiti. V. Promissio obligatoria facit meritum de condigno.

Arguitur primò pro Vasquez: Sequeretur ex Conclusione, quòd in retri-

retributione vitæ æternæ pro operibus DEUS non deberet attendere ad valorē operum, sed ad suam promissionem, & consequenter esset DEO perindè promittere aliquid pro operibus, ac pro nihilo, sed hæc doctrina est Kemnitii, ergò. Respond. neg. sequel. Quia quandoquidem opera secundùm se habent aliquid valoris, & etiam aliquid ex promissione divina: Ideò DEUS respicit non solùm suam promissionem, sed etiam ipsum opus elicitum. Imò DEUS nec ad suam promissionem attendere potest, quin etiam ad valorem operum attendat.

Instatur: Si DEUS comminaretur, se inflicturum majorem pœnam pro peccatis, quàm ex natura sua mererentur, non propterea cresceret indignitas peccatorum, ergò licèt promitteret se præmiaturum plus actum, quàm ex natura sua meretur, non propterea cresceret dignitas ac valor actûs. Respond. primò, neg. antec: & suppositum ejus, DEUM inflicturum majorem pœnam peccato quàm mereatur. Respond. Secundò, neg: consequ: Disparitas est, quia non decet DEUM promissione sua augere malitiam moralem actûs, benè tamen DEUM decet augere moralem bonitatem, quia primi nullatenus est causa, benè tamen secundi.

Urgetur: Peccata mortalia ex natura sua absque promissione divina merentur pœnam æternam, ergò & opera bona vitam æternam. Respond. negando consequ: Disparitas est, Quia eo ipso: quòd peccatum mortale sit offensivum DEI, habet ex se æqualitatem sufficientem ad pœnam æternam, secus est de actu bono etiam secundùm ipsos Adversarios, nam si quis esset constitutus in statu, in quo non esset peccator, nec filius adoptivus DEI, si in illo statu eliceret actum bonum, non esset dignus vitâ æternâ, quia ad talem actum secundùm Vasquez requiritur gratia, si tamen actum moraliter malum eliceret, esset dignus morte æternâ. Respond. Secundò, neg: antec: nam in quolibet peccato mortali, eò, quòd sit mortale, involvitur transgressio legis & præcepti divini. Respond. Tertiò, Retorquendo argumentum, aliquis actus, qui ex se non est dignus pœnâ æternâ, ut v. g. comestio pomi, posset fieri dignus tali pœnâ ex ordinatione divinâ, ergò etiam ex acceptione dignus vitâ æternâ.

Arguitur Secundò: Sequeretur, peccatum mortale esse majoris efficaciæ ad inferendam mortem æternam, quàm Christi meritum ad liberandum à morte æternâ, sed hoc est falsum, ergò. Probatur sequel: quia peccata ex natura sua sine omni DEI ordinatione dignos constituunt morte æternâ, ergò. Respond. neg: sequel: cum antec: suæ probationis, Primò: Quia peccata ex natura sua non constituunt dignos morte æterna. Secundò, Quia, licèt constituant adhuc meritum Christi plus valeret ad liberandum, quàm peccatum ad perdendum, quia meritum Christi valet pro omnibus, peccatum autem mortale, loquor de actuali, non reddit omnes, saltem multos dignos morte æternâ.

Arguitur Tertiò: Si requireretur promissio ad hoc, ut opera meritoria justorum sint digna vitâ æternâ, sequeretur, quòd multis actibus justi non mereantur vitam æternam, quia promissionem DEI non semper cognoscunt, quod tamen requiritur ad meritum de condigno. Respond. Primò, neg: Necessarium esse ad meritum de condigno, ut merentes divinam promissionem cognoscant. Respond. Secundò, neg: Fideles operantes non cognoscere illam promissionem, & si non cognoscant, parum est, dummodò cognoscant voluntatem & legem præcipientem actum, quemadmodum etiam gratia sanctificans requiritur & conducit ad dandum valorem operibus, ut sint condigna vitæ æternæ, quamvis operans non cognoscat se habere gratiam.

Arguitur Quartò: Laborans in vinea meretur de condigno merce-

Digitized by Google

dem sine promissione expressa de danda mercede, sufficit enim quòd laboret, vel jubente domino vineæ, vel saltem significante sibi placere, quod laboret, ergò similiter est in operibus justorum respectu vitæ æternæ. Respond, Primò, neg: consequ: Disparitas est, Quòd opus illius laborantis in vinea posset ex se esse æquivalens prœmio, non sic opera justi respectu vitæ æternæ. Respond. Secundò distin: antec: Non requiritur promissio expressa formalis, transeat. Formalis & interpretativa, neg: antec: hæc enim ultima fortè sufficeret, quæ interveniret in casu argumenti.

QUÆSTIO QUINTA.

An ad hoc, ut opus sit meritorium, requiratur, illud ex charitate fieri, seu imperari, aut necesse sit, aliquâ ratione ad DEUM referri?

I. Acceptatio & Oblatio operis sunt correlativa.

CORrelativa sunt *Acceptatio* & *Oblatio boni operis*: Undè quemadmodum in priori quæstione discussum fuit, An acceptatio sit necessaria ad valorem operis boni, ita hic quæritur, an etiam sit necessaria oblatio ejusdem actûs ex parte operantis, promittit enim DEUS gloriam & coronam omni operanti bonum, ad Roman. quod mera gratia est. Et tenetur homo DEO se suaque omnia consecrare, quod est debitum justitiæ. Hic ergò quæritur, utrum omnis actus, ut sit meritorius, & à DEO acceptetur ut talis, debeat ab operante fieri propter DEUM? Potestque quæstio dupliciter examinari, Primò, ut sic intelligatur, an omnia opera meritoria debeant elici à charitate, aut saltem ab illa imperari, & hoc requirere videtur Alensis 4. p. q. 10. n. 1. a. 3. D. Thomas qu. 113. a. 4. & Scotus d. 41. n. 4. ubi dicit: *Non videtur minor relatio sufficere ad meritum, quàm relatio virtutis.* Et in 4. *Magis acceptatur actus, ut dignus prœmio, quia est elicitus à charitate, quàm quia est à voluntate libera elicitus, quamvis utramque necessariò requiratur.* Scotum sequuntur Scotistæ communiter D. Bonaventura, Durandus, Bellarminus. Ex opposito autem Thomistæ ordinariè, ut Capreolus, Cajetanus, Soto, Medina, Oviedo, tenent omne opus bonum justi ab ipso factum absque ulla relatione charitatis in DEUM actuali, vel virtuali esse meritorium de condigno vitæ æternæ, quamvis charitas primò requiratur, ut constituatur in esse justi, non tamen actus debet fieri ex motivo charitatis.

Secundo modo intelligitur quæstio sic: An ut opus aliquod sit meritorium, necessarium sit, ut illud opus aliquo modo respiciat DEUM, vel tanquam finem proprium ultimum, ut respicit omnis actus à charitate elicitus, etiam imperatus, vel tanquam objectum motivum, ut fides, aut spes. Vel tanquam cujus honor aut cultus sit expetendus, & in hoc sensu non est dubium, quin sit Scoti. Undè

II. Opus bonum quodcunque justi est meritorium.

Dico Primò: *Actus & opera omnia non solùm charitatis, sed etiam aliarum virtutum tàm theologicarum, quàm moralium à justo, & in charitate existente sunt meritoria de condigno.* Hæc est communis sententia Theologorum omnium contra Bannes 2. 2. qu. 24. a. 6. docentem actus aliarum virtutum à charitate non mereri vitam æternam & gloriam essentialem, sed tantùm accidentalem. Probatur Conclusio Primò ex Scriptura: Matth. 5. *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* ubi Christus promittit regnum cœlorum pauperibus, & cap. 25. *Tunc dicet Rex his, qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi: esurivi enim, & dedistis mihi manducare, sitivi, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me.* Ubi idem regnum cœlorum promittitur operibus misericordiæ, & in pluribus aliis locis.

Probatur Secundò ex D. Augustino de oct. Dulcitii quæst. q. 4. dicens:

cens: *Semen futuræ messis opera esse misericordiæ, Apostolus testis est, qui dicit, bonum autem facientes, non deficiamus, tempore enim proprio metemus non deficientes. Et iterum: hoc autem, inquit, qui parcè seminat, parcè metet, quid autem fratres potentius, quàm ut regnum cœlorum non solùm Zachæus emat dimidio rerum suarum, sed & vidua duobus minutis, & tantundem ibi uterque possideat? quid potentius? quàm ut idem regnum & thesauris, & divitiis, & calice aquæ frigidæ pauperis valeat?* Et epist. 52. ad Macedonium, ubi ait: *Ipsis quatuor virtutibus divinitus impartitis, & bona vita nunc agitur, & postea præmium ejus, quæ nisi æterna esse non potest, beata vita persolvitur. Hic non sunt eadem virtutes in actu, ibi in effectu, hic in opere: ibi in mercede, hic in officio, ibi in fine.* Omitto alios Patres, quia universaliter sic tenent.

III. Opera meritoria non necessariò fiunt ex motivo charitatis.

Dico Secundò: *Ut opera justorum in gratia existentium sint meritoria vitæ æternæ, non est necesse, ut sint ex charitate elicita, vel imperata.* Ita Authores suprà citati. Probatur Conclusio: Quia gratia est forma sanctificans, quæ non solùm dignificat personam, sed & omnia opera ejus, ergò ad hoc, ut sint opera justorum meritoria, sufficit, ut in gratia eliciantur, & à gratia auxiliante tanquam comprincipio omnium actuum bonorum adjuventur, prout requirunt omnia Concilia, Milevitanum, Arausicanum, Tridentinum. Probatur antec: Quia persona Verbi propter unionem illam ad naturam humanam dignificat non solùm illam, sed & omnia opera ejus, ergò etiam gratia sanctificans propter informationem in anima dignificat habentem, quod omnia opera sint futura meritoria, si cœtera requisita adsint.

IV. Opera, ut sint meritoria, debent referri ad DEUM.

Dico Tertiò: *Ad hoc, ut opera justorum sint meritoria vitæ æternæ de condigno, debent aliqua ratione referri ad DEUM relatione sive actuali, sive virtuali.* Ita Authores suprà, & Coning d. 8. contra nostrum P. Sannig, qui charitatis virtuale imperium requirit, tom. 2. tract. 6. d. 2. Probatur Conclusio Primò ex Scriptura, Marc. 9. Joannis 13. *Amen, Amen dico vobis, qui accipit, si quem misero, me accipit, qui autem me accipit, accipit eum, qui me misit.* Matth. 10. *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet, & qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet.* In quibus & pluribus aliis similibus locis Christus promisit vitam æternam non promiscuè omnibus benè operantibus, sed solis illis operantibus propter suum honorem, suam gloriam, undè Div. Paulus exhortatur suos Corinthios 1. Epist. cap. 10. *Sive ergò manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in DEI gloriam facite.* ad Coloss. 3. *Omne, quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini JESU Christi, gratias agentes DEO & Patri per ipsum.* Confirmatur ex Matth. 5. *Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt?* ubi Christus apertè insinuat, quòd homo justus aliquando faciat opus moraliter bonum, quale est diligere amicum, à quo diligeretur, pro quo tamen mercedem non acciperet. Hinc D. Gregorius hom. 1. Evang. ait: *Sunt nonnulli, qui diligunt amicos & proximos, sed propter affectum cognationis & carnis, quibus tamen in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt, sed aliud est, quod spontè impenditur naturæ, aliud, quod præceptis dominicis, aliud ex charitate debetur obedientiæ.* Et paulò pòst: *Hi nimirum & proximos diligunt, attamen illa sublimia dilectionis præmia non assequuntur.* Ergò ex mente Gregorii non omnes actus moraliter boni sunt meritorii vitæ æternæ, sed aliquid amplius requiritur, nempè ut etiam referantur aliquo modo ad DEUM, non tamen vult, ut ex charitate fiant, seu ex illius motivo, ut Authores oppositæ sententiæ pro se illud citant.

Probatur Secundò Authoritate Patrum, præcipuè D. Augustini Enarrat. in Psalm. 120. ubi ita admonet:

Digitized by Google

net: *Quando facis opus bonum, propter vitam æternam fac, nam si opus bonum in terra propterea feceris, ut terrena tibi abundent, scit sinistra tua, quid faciat dextera tua, miscuisti dextram sinistra. Noli facere nisi propter vitam æternam, si ideò facis, securus facies: hoc enim mandavit Deus.*

Probatur Tertiò Ratione negativa? Quia nulla suppetit authoritas, ratio, aut congruentia, quòd DEUS promiserit illi prœmium, aut multò minùs, quòd contulerit jus exigendi illud prœmium, boni operis moraliter, etiam ex auxilio gratiæ præcedentis, nullo tamen modo in gratiam aut obsequium suum præstiti, sed tale opus est omnis actus, qui nec actu, nec virtute fit propter DEUM, quod enim is, qui eum elicit, sit in actu primo dispositus sic, ut si recordaretur, in DEUM referret, nullam bonitatem aut valorem, & per consequens nullam merendi vim tribuit, sicuti nec actui ex objecto indifferenti similis dispositio bona elicientis dat ullam boniitatem, vel mala contraria malitiam.

Probatur Quartò Positivè: Quia si quid præter actualem gratiam & aliquam relationem ad DEUM requireretur, maximè quòd eliceretur, aut imperaretur ob motivum charitatis, atqui hoc non requiritur, ergò. Probatur min: Tùm, Quia aliàs pleraque justorum bona opera etiam in substantia supernaturalia, ut actus fidei & spei theologicæ, ac actus cœterarum virtutum, qui communiùs ex motivo spei theologicæ, quàm suæ aut charitatis motivo eliciuntur, aut imperantur, carerent mercede vitæ æternæ, adeoque spes mercedis intuitu ipsorum obtinendæ confunderet eos, qui tales actus eliciunt, contra illud Apostoli *spes non confundit:* Tùm, Quia non requirit Christus ex parte justorum, dùm iis operantibus promittit mercedem, conditionem aliquam, quàm quòd propter ipsum, ejusque gloriam operentur, atque sic operari possunt sine eo, quòd ex motivo charitatis operentur: Tum, Quia nimis rigidum esset dicere, quòd justus subiens mortem, nè à cœlesti gloria decidat, nè se peccato infidelitatis, injustitiæ, luxuriæ &c. contaminet, nullum per hoc gratiæ aut gloriæ augmentum mereatur, & sanè fortassis plerique martyrum ex aliquo hujusmodi motivo, & non ex charitatis fine mortem subiêrunt.

V. Relatio virtualis sufficit ad opus meritorium.

Probatur secunda pars, sufficere scilicet relationem ad DEUM virtualem, nec semper requiri actualem; Quia sequeretur, quòd quodlibet penè opus, quantumcunque perfectum, ex iis, quæ aliquantisper durant, quoad potissimam partem suæ perdurationis sit cariturum mercede. quia vix ullum tale est, quod non diutiùs distracto animo, id est, hic & nunc nullum actum intellectûs, aut voluntatis erga DEUM habente, quàm attento exerceatur. Et hinc Scotus 4. d. 6. q. 7. probat, intentionem virtualem sufficientem tum ad meritum, tum ad debitam administrationem Sacramentorum; quia tamen Scotus vidit, rationem non concludere evidenter quoad meritum, undè intendit hoc magis adducere tanquam congruentiam, nam ideò ipsemet 2. d. 41. tantùm dicit esse probabile, virtualem intentionem finis sufficere ad meritum, sed non videri sufficere solam habitualem.

VI. Intentio actualis, virtualis, & habitualis explicantur.

Porrò sciri debet secundùm Scotum, illum dici *actualiter* intendere aliquem finem, qui habet actum elicitum ratione istius finis: ille *habitualiter* autem dicitur intendere, qui vel tantùm habet habitum inclinantem ad talem actum, vel est sic constitutus, ut si occurreret cogitatio de fine illum intenderet actu: ille verò *virtualiter* intendit, qui habet nunc nullum actum voluntatis, vel etiam intellectûs circa ejusmodi finem, nihilominus vi actualis antecedenter habitæ pergit in applicatione mediorum. Quòd verò detur hujusmodi intentio voluntatis, seu quòd sæpè pergat voluntas applicare media ad finem, circa quem de præsenti nullum habet actum, vel etiam ipse intel-

intellectus, probatur experientia ejus, qui cœptam deliberatè missam, aut peregrinationem prosequitur plane distractus, nec quidem cogitat de missa, aut de peregrinatione. Vide dicta in Quarto Sententiarum.

VII. Conditiones meriti de condigno.

Ex his omnibus patet clarissimè, quæ qualesvè conditiones ad meritum de condigno sint necessariæ, debet enim esse actus humanus, seu liberà voluntate elicitus vel imperatus, honestus, seu moraliter bonus, supernaturalis in entitate, seu à gratia procedens tàm habituali, quàm actuali, aliqua ratione propter DEUM factus, & à DEO cum promissione acceptatus.

VIII. Meriti de congruo conditiones.

Per oppositum patet, quid ad meritum de congruo requiratur: Primò, non requiritur, quòd fiat ab homine viatore simpliciter, quia etiam Sancti merentur aliis de congruo plures gratias. Nec requiritur status gratiæ sanctificantis, quia peccator meretur sibi auxilia ad pœnitentiam: Nec requiritur pactum divinum & promissio obligatoria, quia DEUS non tenetur ex justitia dare peccatori contrito vitam æternam, nec peccator acquirit aliquod jus, adeoque nullum pactum requirit, & insuper multa meremur de congruo, de quibus nulla est promissio, v. g. Donum perseverantiæ. Requiritur tamen, quòd sit actus humanus & liber, honestus, & bonus, quodque eliciatur mediante auxilio gratiæ actualis, quia nihil supernaturale mereri possumus per actus indifferentes, & naturales.

QUÆSTIO SEXTA.

An justi de facto mereantur de condigno vitam æternam?

IN principio hujus disputationis visum est, hæreticos negare omnia justorum merita, & maximè illa, quæ mereantur vitam æternam, contra quos fusè agunt Bellarminus lib. 5. de justificat. noster Bernardinus Wetweis, Vega in opusculo de justificat. q. 4. Alphonsus de Castro, & alii, cum quibus

I. Justi merentur vitam æternam.

Dico Primò: *Justi merentur vitam æternam.* Est de fide contra Lutherum, Calvinum, & eorum sequaces. Probatur ex Scriptura, Sapient. 5. *Justi autem in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum.* Matth. 5. *Merces vestra copiosa est in cœlis.* Matth. 18. *Filius hominis venturus est in gloria Patris cum Angelis suis, & tunc reddet unicuique secundùm opera sua.* 1. Corinth. 3. *Unusquisque accipiet mercedem secundùm laborem suum.* 2. ad Timoth. 4. 4. *De reliquo superest mihi corona justitiæ.* Apocal. ultimo. *Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere unicuique secundùm opera sua.* Et denique ex omnibus locis, in quibus meritis justorum proponitur merces, corona, bravium, prœmium, &c. ergò.

Probatur Secundò Authoritate SS. Patrum, Augustini epist. 105. ad Sixtum: *Nullàne*, inquit, *sunt merita justorum? sunt planè, quia justi sunt.* Et infrà: *Sicut merito peccati redditur stipendium mors, ita merito stipendium redditur vita æterna.* Et in lib. de moribus Eccles. cap. 25. *Vita*, inquit, *æterna est totum prœmium.* Gregorii lib. moral. cap. 41. inquit: *Sicut in hac vita nobis est discretio operum, ita & in altera erit discretio dignitatum, ut quo hìc alius alium merito superat, illic alius alio retributione transcendat.* Ambrosii lib. 1. de offic. cap. 5. dicentis: *Evidens est, meritorum, aut prœmia, aut supplicia manere post mortem.* Bernardi serm. 68. in Cantica: *Merita*, inquit, *habere cures, nam omne quod feceris bonum, malùmve, merito ad meritum vel demeritum deputabitur, pernitiosa enim paupertas est penuria meritorum.*

Probatur Tertiò: Authoritate Conciliorum, Arausio: cap. 18. Lateran. cap. firmiter de Summa Trinitate. Florentin. in litteris unionis, & novissimè Tridentini.

Probatur Quartò Rartione: Quia omnes conditiones meriti respectu vitæ

tized by Google

vitæ æternæ conveniunt operibus justorum, ergò.

Fundamentum Hæreticorum. Primum est, quòd homo nullatenus queat benè operari: Secundum, Quòd Scriptura reprehendat illos, qui in suis operibus confidunt. Tertium, Quia per talia merita derogatur Christi meritis, qui sufficienter pro nobis meruit. Sed hæc fundamenta falsa, perniciosa, & nullius sunt momenti, prout in controversiis meis satis refutavi, breviter hic Respond. ad Primum: Non solùm justos, sed etiam peccatores posse habere bona opera. Ad Secundum, Scripturam reprehendere illos, qui in suis operibus absque gratia DEI & Christi confidunt. Ad Tertium, Minimè nostris operibus derogari operibus Christi, quin potius in majorem commendationem meritorum cedant merita nostra, nam gloriosius est pro nobis mereri & gratiam impetrare, quà & liberamur à peccatis, & tàm nobilia opera elicimus, quæ vitam æternam merentur, & hoc ex meritis Christi; Hinc eis nihil derogatur, licèt etiam nos mereamur, ad hoc enim, ut merita Christi sint sufficientia pro nobis, satis est, quòd per ista habeamus gratiam, qua mediante nos ipsi possumus elicere opera meritoria vitæ æternæ.

II. Justi de condigno merentur vitam æternam.

Dico Secundò: *Justi merentur etiam de condigno vitam æternam.* Hanc Conclusionem ex Catholicis Scriptoribus negat unicus Durandus 2. d. 1. cui alii addunt Gregorium Arim: cum quibus non rectè dicit Arriaga sentire Coning & Tanerum. Probatur Conclusio primò ex Scriptura, ad Rom. 4. *Ei, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundùm debitum.* Ad Hebræ. 6. *Non est injustus DEUS, ut obliviscatur operis vestri.* Sapient. 3. *DEUS tentavit eos, & invenit eos dignos se.* Ad Coloss. 6. *Non cessamus pro vobis orantes, ut ambuletis dignè coram DEO per omnia placentes.* Et infrà: *Gratias agentes DEO Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis.* Apocalyps. 3. *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.* Denique ex omnibus illis locis, quibus regnum cœlorum dicitur corona justitiæ debita operibus justorum.

Probatur Secundò Authoritate SS. Patrum, qui in illud Apostoli 2. Tim. 4. *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet, non solùm autem mihi, sed & iis, qui diligunt adventum ejus,* communiter docent vitam æternam esse coronam justitiæ repositam seu debitam meritis Pauli, & meritis cœterorum justorum perseverantium usque in finem.

Probatur Tertiò Ratione: Quia operibus justorum convenit omne illud, quod requiritur ad meritum de condigno respectu vitæ æternæ, ergò. Probatur antec: Quia si quid deesset operibus justorum requisitum ad rationem meriti, deesset maximè æqualitas aut proporțio cum vita æterna, sed licèt opera justorum ex se istas conditiones non habeant, potest tamen DEUS ea acceptare, & acceptando dignificare, ac proportionata reddere vitæ æternæ, ergò. Probatur min: Tùm, Quia non implicat: Tùm, Quia DEUS opus justi aliter acceptat, ùt actum contritionis ab illo elicitum, & elicitum à peccatore in ordine ad justificationem, illius ut filii, istius ut inimici, sed illum actum elicitum à peccatore DEUS acceptat tanquam meritum de congruo, respectu justificationis per illam promissionem, qua promisit, se condonaturum peccatori peccata, quoties se converterit, ergò opera justorum acceptat aliter quàm de congruo, scilicet de condigno, aliàs malè proponeretur nobis in Scriptura regnum cœlorum tanquam corona justitiæ, seu tanquam aliquid ex justitia debitum, sed hoc est contra Apostolum citatum, ergò probatur maj: Quia illud, quod debetur de congruo tantùm, non debetur nobis ex justitia, ut patet ex natura meriti, ergò nisi vita æterna aliter nobis deberetur quàm de congruo, non benè promitteretur tanquam corona justitiæ, seu tanquam aliquid debitum ex justitia.

Oppo-

Opponitur pro Hæreticis illud Apost. ad Ephes. 2. *Gratia enim estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, DEI enim donum est.* Ubi Apostolus videtur insinuare, quòd intuitu operum nostrorum nihil debeatur nobis, cujus etiam rationem reddit, *nè fortè de nobis ipsis gloriemur.* Respond. Sensum Apostoli esse, quòd nihil nobis debeatur ex operibus, quæ nos nostris viribus faceremus sine auxilio gratiæ DEI, quibus operibus rectè congruit illa ratio Apostoli, quia de his tantùm operibus possemus gloriari, & extolli; & ita interpretatur Apostolum D. Augustinus lib. de gratia & lib. arbitr. dicens: *Quid est hoc? quòd cùm DEI gratiam commendans dixisset, non ex operibus, ne fortè quis extollatur, cur hoc dixerit reddens rationem, ipsius enim sumus, inquit figmentum, creati in Christo JESU in operibus bonis, quomodo ergò non ex operibus? nè fortè quis extollatur. Sed audi & intellige, non ex operibus dictum, tanquam tuis, ex te ipso tibi existentibus, sed tanquam his, in quibus te DEUS finxit, id est, formavit & creavit. Hoc enim ait, ipsius sumus figmentum creati in Christo JESU in operibus bonis, non illa creatione, qua homines facti sumus, sed ea, de qua ille dicebat, qui utique jam homo erat, cor mundum crea in me DEUS.*

Instatur: D. Paulus Apostolus ad Rom. ait: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis.* Et 2. Corinth. 4. *Momentaneum hoc & leve tribulationis nostræ æternum pondus gloriæ operatur.* Ergò opera non sunt condigna vitæ æternæ. Respond. distin. consequ: ex natura sua independenter ab acceptatione & promissione divina, conced: consequ: supposita illâ, neg: conseq: alii, qui non requirunt illam acceptationem, ad meritum de condigno passim hic intelligunt de operibus procedentibus independenter à gratia, sed non rectè, ut dixi superius.

Arguitur Secundò: Opera, quæ non sunt ex se æqualia præmio, non possunt esse meritum de condigno respectu illius, ita ut obliget ex justitia præmiantem, sed opera justorum non sunt æqualia respectu vitæ æternæ, ergò. Respond. neg: maj: cujus falsitas jam patet ex sæpè dictis; verum quidem est, quod Durandus requirat has conditiones ad meritum de condigno vitæ æternæ, sed hoc est reducere ad quæstionem & controversiam inutilem de nomine fortè periculosam in fide, quia durum est mutare significatum nominis contra sensum communem Ecclesiæ & Theologorum, non tamen propterea Durandus est hæreticus appellandus.

Dico Tertiò: *Justus de condigno potest sibi mereri augmentum gratiæ & gloriæ, non tamen primum gradum gratiæ vel gloriæ.* Hæc Conclusio habet quatuor partes, & quoad ultimas duas est contra Pontium, Herinx, Suarez, & nostrum P. Sannig tom. 2. tract. 6. d. 2. q. 3. & Probatur quoad primam partem, & Primò justum mereri augmentum gratiæ ex illo Proverb. 4. *Justorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectam diem.* Psalm. 91. *Justus ut palma florebit: sicut cedrus Libani multiplicabitur.* Ubi alia versio habet: *In altum succrescet.* III. Justi merentur augmentum gratiæ & gloriæ.

Probatur Secundò ex Trident: Sess. 6. de justificatione cap. 10. ubi id docet, & ex pluribus Scripturæ locis probat dicens: *Sic ergò justificati & Amici DEI ac domestici facti, euntes de virtute in virtutem renovantur, ut Apostolus inquit, de die in diem; hoc est, mortificando membra carnis suæ, & exhibendo ea arma justitiæ in sanctificationem per observationem mandatorum DEI & Ecclesiæ, in ipsa justitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus crescunt, atque magis justificantur, sicut scriptum est: qui justus est, justificetur adhuc. Et iterum: Ne verearis usque ad mortem justificari. Et rursus: Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum. Hoc verò justitiæ incrementum petit S. Ecclesia, cum orat: Da nobis Domine fidei, spei, & charitatis augmentum.*

Digitized by Google

tum. Quod utique gratiæ augmentum non obscurè significavit Christus Matth. 25. dum expressa parabola talentorum concessorum eis, qui negotiando alia lucrati fuerant, hoc addit oraculum: Omni enim habenti dabitur & abundabit, ad significandum, quod qui benè utuntur gratiâ jam sibi datâ, accepturi sint illius incrementum.

Probatur Tertiò Ratione: Quia inter justos & res naturales viventes est aliqua proportio, sed hæ crescunt, usque dum attingant ad perfectionem sibi convenientem, ergò & justi, undè etiam de ipso nostro Salvatore speculo & exemplari dicitur Lucæ 2. *Et JESUS proficiebat sapientiâ & ætate & gratiâ apud DEUM & homines.*

Probatur secunda pars Conclus. Ex 1. Corinth. 15. *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum, stella enim à stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum.* 2. Corinth. 9. *Hoc autem dico, qui parcè seminat, parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Undè etiam Christus Dominus de homine seminante Matth. 13. dicit: *Alia autem ceciderunt in terram bonam, & dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum.*

IV. Justi non merentur sibi primum gradum gratiæ.

Probatur tertia pars: De prima gratia Primò: Quia si prima gratia caderet sub merito de condigno, non gratis justificaremur, juxta illud Apostoli ad Rom. 3. *Justificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo JESU*, sed secundùm debitum & non gratiam esset ex operibus, contra illud ad Ephes. 2. *Gratiâ enim salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis, DEI enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur*, adeoque non jam gratia, juxta quod infert idem ad Rom. 11. *Si gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia.*

Secundò Probatur: Quia ideò Christus Joann. 3. vocat primam justificationem *Nativitatem.* Joannes in sua epist. cap. 5. & Jacobus in sua cap. 1. *Generationem*, & Paulus sæpissimè *Regenerationem*, ut constet, quòd, quemadmodum nemo seipsum gignit, aut regenerat, aut à morte ad vitam revocat, ita nemo sit sibi causa meritoria vitæ gratiæ.

Probatur Tertiò ex Patribus: Augustino lib. de nat. & grat. cap. 4. *Igitur Christi gratia, sine qua neque infantes, neque alii salvi fieri possunt non meritis debita, sed gratis data est, propter quod gratia nominatur.* Et Hieronymo epist. ad Damasum: *Gratia vobis & pax à DEO Patre*, gratia scilicet, *quæ non ex merito retributa, sed ex donante concessa.*

Probatur Quartò ex Tridentino Sess. 6. cap. 8. *Gratis justificari ideò dicimur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur.*

Probatur Quintò: Quia nec merito antecedenti, nec subsequenti meretur quis de condigno primam gratiam, ergò nullo. Antec: probatur primò quoad utramque partem, nam loca ex S. Scriptura & Patres citata æquè falsificantur admittendo meritum subsequens ac antecedens. Secundò, Quia nullibi in S. Scriptura insinuat DEUS se aliter, quàm ex sola misericordia daturum peccatori ullum prœmium, præsertim gratiæ aut gloriæ, imò apertè invenitur oppositum Joëlis 2. *Convertimini ad Dominum DEUM vestrum, quia benignus & misericors est.* In cæteris etiam locis, in quibus, dum peccatores exhortantur ad spem veniæ concipiendam, non suam justitiam, sed suam fidelitatem, sed misericordiam & liberalitatem allegat, cujus oppositum facit, quando justos ad spem vitæ æternæ erigit. Præterea non dari gratiam ob meritum sequens ipsam, asserit Augustinus lib. 2. contra duas epistolas Pelagii.

V. Justi non merentur quoq; primum gradum gloriæ.

Probatur quarta pars, nempè quòd justus non mereatur primum gradum gloriæ. Quia illum non meretur

retur de condigno per actum, quo se disponit ad primam gratiam ex dictis suprà, neq; per ullum actum sequentem ipsam primam gratiam, ergò. Probatur antec: quoad secundam partem: Quia non per quemlibet sequentem: Tùm, Quia nullum est fundamentum ad hoc dicendum: Tùm, Quia incredibile, quod idem præmium tot titulis ex justitia promerendum proponeretur eidem: Nec ullum unum sequentem v.g. per primum actum bonum post obtentam justificationis gratiam elicitum, quia vel per illum insuper mereretur alium gradum gloriæ, & sic plus mereretur, quàm per ullum talis bonitatis sequentem, vel solum ipsum primum gradum, titulo hæreditatis antecedenter debitum, & sic minus per illum, quàm per ullum sequentem æqualis bonitatis, nam longè minus est gradum aliàs debitum novo titulo mereri, quàm ex integro novum. Deindè per illum primum actum post receptam gratiam sanctificantem elicitum meretur de condigno novum gradum gratiæ, juxta communem, ergò si non meretur quoque per illum actum novum gradum gloriæ, plus gratiæ consequetur, quàm consequetur unquam gloriæ, quia tot nova incrementa gratiæ, quot actus virtutum propter DEUM jam justificatus eliciet, non autem tot nova incrementa gloriæ, quia solus primus gradus gloriæ jam debitus primæ gratiæ correspondebit primo ejus actui meritorio post justificationem.

Probatur Secundò: Primus gradus gloriæ debetur primo gradui gratiæ, ergo non debetur illi merito de condigno præsupponenti gratiam. Antec: patet. Probatur consequ: Quia si primus gradus gloriæ deberetur actui meritorio, & insuper primo gradui gratiæ, darentur duæ causæ adæquatæ meritoriæ de condigno ejusdem effectûs, sed hoc non potest fieri in sententia Scoti, ergò.

Dices: Prius haberi meritum, v.g. contritionem peccatoris, quàm gratiam sanctificantem, & tunc non deberi primum gradum gloriæ primæ gratiæ, sed merito ipsius. Contra: Hæc responsio nullatenus solvit argumentum, sed rem magis facit implicatoriam, nam ille adultus vel est talis, qui in pueritia baptizatus conservavit innocentiam, vel qui ex peccatore justificatus accipit gratiam; si de primo agitur, ille diu antè habuit gratiam, quàm ullum meritum. Porrò in sensu secundo adulti, licèt possit habere meritum ante gratiam, non tamen meritum de condigno respectu gloriæ haberi in eodem instanti cum gratia, in casu, quo aliquis contritionem eliceret in instanti, quo ipsi infunditur gratia, adeoque quòd talis actus possit esse meritum de condigno respectu primæ gloriæ. Attamen, licèt casus hic sit possibilis, adhuc non ostenditur, quomodo primus ille gradus gloriæ non habeat duas causas adæquatas, actum scilicet contritionis, & ipsam gratiam, quia illi actui debetur ex hypothesi & etiam gratiæ.

Opposita sententia Conclusionis nititur hoc solo Canone 32. Trident. *Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona DEI, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut ipsum etiam justificatum bonis operibus, quæ ab eo per DEI gratiam, & JESU Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ consecutionem atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit.* Ex quo confici putant, quòd juxta Concilium prima gloria cadat sub meritum condignum, eò quòd nihil assignari possit, quid intelligatur nomine vitæ æternæ, & sit distinctum ab augmento & conservatione præter primam gloriam; sed argumentum hoc nihil proficit, nam imprimis, si is esset sensus Concilii, jam sententia Adversariorum, secùs quàm ipsi asserunt, esset de fide: Unde dico Concilium ibi definire, quòd ex S. Scriptura constat, nempè justos mereri

reri vitam æternam, quocunque demum sensu id verum sit; sed ne quis putaret, ita id verificari, quòd nullum ejus incrementum mereatur, addit ulterius, quòd mereantur augmentum gloriæ, quod tamen ipsum verè & propriè est etiam vita æterna, quia intuitio est fruitio.

QUÆSTIO SEPTIMA.

Quibus operibus justi mereantur vitam æternam, an consilii tantùm, vel etiam præcepti?

I. Referuntur quædam sententiæ. Singularis fuit quædam opinio circa præsentem materiam, quæ docebat opera præcepta non esse meritoria apud DEUM, sed tantùm opera bona, quæ sponte sua homo facit sine obligatione præcepti, ita tenet Dionys. Carthus. Altera opinio fuit Suarez existimantis opera, quæ nec consilii sunt, nec præcepti, esse meritoria apud DEUM. Porrò per opus consilii intelligit illud opus, quod est melius alio opere bono sibi repugnante, licèt præceptum non sit, contra utramque Conclusionem.

II. Justi merentur tàm per opera præcepti, quàm consilii. Dico Primò: *Opera tàm præcepti, quàm Consilii possunt esse meritoria apud DEUM, & nulla alia.* Est communis Theologorum, quoad primam partem contra Dionys. cujus sententia à nonnullis non solùm temeritatis, sed etiam erroris notatur. Probatur prima pars: Illud est meritum vitæ æternæ, cui promittitur in Scriptura vita æterna, sed promittitur observanti mandata DEI, Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, ergò opera, per quæ servantur mandata, sunt meritoria apud DEUM vitæ æternæ. Confirmatur: Ex variis Scripturæ locis, in quibus promittitur merces aliquibus operibus præceptis, ut Lucæ 6. *Diligite inimicos vestros, & erit merces vestra multa.* 2. ad Tim. 4. Apostolus dicit, propter fidem servatam repositam sibi esse coronam justitiæ. Confirmatur Secundò: Ex Concil. Trident. Sess. 7. cap. 16. ubi docetur, justificatis nihil deesse, quò minùs plenè illis quidem operibus, quæ in DEO sunt facta divinæ legi pro hujus vitæ statu satisfecisse, & vitam æternam verè promeruisse censeantur. Confirmatur Tertiò, Quia nulla conditio requisita ad meritum etiam de condigno respectu vitæ æternæ, aut alterius præmii deest operibus præceptis, aut consultis, ergò.

Probatur secunda pars contra Suarez: Nullum opus apud DEUM est meritorium nisi bonum, sed omne opus bonum est consultum, aut præceptum, ergò nullum opus bonum est meritorium, nisi consultum aut præceptum, probatur min: Psal. 16. *Declina à malo, & fac bonum*, ubi opus bonum, si non præcipitur, ad minimum consulitur.

Dices: Matrimonium est opus meritorium, sed non est præceptum aut consultum, ergò aliquod opus est meritorium, quod nec est præceptum, nec consultum. Respond. neg: min: Matrimonium & est præceptum, & est consultum, præceptum quidem communitati, consultum verò prævidenti grave periculum incontinentiæ. Et denique matrimonium optimè contrahitur, quoties non impedit majus bonum. Sed contra primam partem

Arguitur pro Dionys. illud Lucæ 17. *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus*, sed hoc non esset dicendum, si operibus præceptis mereretur de condigno vita æterna, aut aliud bonum, ergò. Respond. distin: min: Si opera illa ex nobis sine gratia fierent, conc: min: si cum gratia illa opera fierent, neg: min: Intentum ergò illius loci est, nobis humilitatem commendare, ut nihil de nobis gloriemur, etiamsi omnia, quæ præcepta sunt, servemus, & potius in misericordiam DEI omnia refundamus, qui mercedem promittit operibus, quæ ipsi utilia non sunt, sed merentibus, eique multis aliis titulis gratitudinis, religionis debentur, & hoc idem in operibus consultis locum habet.

Argui-

Digitized by Google

Arguitur Secundò: Servus nihil meretur observatione mandatorum ejus apud dominum, nec debitor apud creditorem reddendo ipsi, quod suum est, sed omnes sunt servi & debitores DEI, ergò suis operibus nihil merentur apud eum, & multò minùs vitam æternam de condigno. Respond. distin: maj: De toto rigore justitiæ, excludente acceptationem & pactum, conc: maj: ex promissione & pacto, neg: maj: & concessâ min: neg: consequ.

III. Actus charitatis particulariter merentur augmentum gratiæ.

Dico Secundò: *Justi merentur de condigno augmentum gratiæ, vitam æternam, & augmentum ejus actibus charitatis tàm elicitis quàm imperatis.* Probatur prima pars: Quia præcipuum meritum in actibus justorum consistit in operibus charitatis, quæ summoperè in Scriptura commendantur. 1. Corinth. 13. *Nunc autem manent tria hæc, fides, spes, charitas, major autem horum est charitas.* Confirmatur: Quia si ulli actus possunt esse meritorii primæ gratiæ, aut vitæ æternæ, prout revera possunt, ùt suprà ostendi, tales præcipuè erunt actus eliciti charitatis supernaturalis, qui sunt perfectissimi pro hoc statu viæ.

Probatur secunda pars contra Bannem, qui docet, actus aliarum virtutum imperatos à charitate non mereri gloriam essentialem, seu visionem & fruitionem DEI, sed tantùm accidentalem de aliquo bono creato. Probatur ex omnibus Scripturæ locis, quibus vita æterna promittitur omnibus legem observantibus, ut Matth. 26. *Venite benedicti Patris mei*, ubi subjungit: *Esurivi enim, & dedistis mihi manducare*, ubi propter varios actus bonos, qui non eliciti à charitate, sed potius à misericordia aut alia virtute, Christus promittit vitam æternam. Confirmatur: Matth. 19. interroganti, quid faciendum, ut vita æterna acquiratur? Respondet Christus: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, & mox enumerat illa: *Non occides, non furtum facies.* Quæ omnia observantur per alios actus quàm elicitos à charitate, ergò per similes actus potest vita æterna, augmentum ejus, & gratia acquiri. Confirmatur ex Trident. Sess. 6. cap. 16. ubi Concilium expressè docet, bonis operibus in DEO factis, quibus divinæ legi, pro hujus vitæ statu satisfacimus, promereri vitam æternam, sed certum est, quòd divinis præceptis non tantùm actibus elicitis charitatis, sed etiam imperatis & ab aliis virtutibus satisfiat, ergò.

Probatur Secundò Ratione: Ideò actus eliciti aliarum virtutum à charitate non essent meritorii de condigno vitæ æternæ, gratiæ, & augmenti earum, quia non sunt tam perfecti ac actus eliciti charitatis, sed hoc non obstat, ergò. Probatur min: actus charitatis proximi est imperfectior actu charitatis tendente in DEUM, sed ille est meritorius de condigno vitæ æternæ, & gratiæ augmenti. Maj: patet, min: si exigitur, facilè probari potest ex illo ad Rom. 13. *Qui diligit proximum, legem implevit.* & alibi: *Factores legis justificabuntur*, ergò. Sed pro Banne

Opponitur Authoritas Apostoli ad Gal. 5. *In Christo JESU neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur.* 1. Corinth. 2. *Oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ &c.* Jacobi 1. *Accipiet coronam vitæ, quam repromisit DEUS diligentibus se.* Quibus addi possunt authoritates Patrum dicentium, charitatem esse radicem meriti, ut loquitur S. Gregorius hom. 27. in Evang. *Quidquid præcipitur, in sola charitate solidatur, ut enim multi arboris rami ex una radice prodeunt, sic multæ virtutes ex una charitate generantur, nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis*, sed hoc non esset verum, si opera elicita aliarum virtutum à charitate essent meritoria de condigno vitæ æternæ, ergò. Respond. neg. min: Authoritates enim adductæ nihil aliud probant, quàm quod operibus charitatis elicitis promittatur præmium, sed non probant,

bant, quòd solis, undè ad hoc, ut alii actus sint meritorii, sufficit, quòd imperentur à charitate.

Arguitur Secundò: Nullus actus præter elicitos charitatis est proportionatus & æqualis præmio vitæ æternæ, sed hoc requiritur ad meritum de condigno; ergò. Confirmatur Primò: Congruum est, ut optimo merito hujus vitæ correspondeat præmium optimum alterius vitæ, sed tales sunt actus eliciti à charitate, ergò. Confirmatur Secundò: Nullus meretur augmentum gloriæ, qui non meretur augmentum gratiæ habitualis, sed nullus actus nisi proprius elicitus auget habitum charitatis, seu gratiæ habitualis, ergò nullus actus meretur vitam æternam, nisi elicitus charitatis: Respond. disting: maj: ex se aut natura sua, secluso pacto, transf: Supposito pacto, neg maj: & distin: min: neg: conseq: Illa autem æqualitas, aut proportio ex natura rei ad meritum de condigno vitæ æternæ non requiritur, alioquin neque actus charitatis elicitus esset sic meritorius vitæ æternæ, quia licèt sit magis proportionatus & æqualis, quàm actus aliarum virtutum, non est tamen omninò æqualis aut proportionatus; ad primam confirmationem. Respond. distin: antec: Optimo merito optimum debetur præmium soli & tantùm, neg: Ipsi & quidem primario, conc: antec: Ad 2. Confirm: Respond. distin: min: Physicè, conc: Moraliter, neg: min: & conseq: quod si etiam non posset habitus charitatis moraliter ab alio actu intendi, quàm ab actu suo elicito, tunc dicendum esset, quòd nec ille etiam desit, quoties actus ullius alterius virtutis est meritum de condigno respectu augmenti & vitæ æternæ, quia ut actus cujuscunque alterius virtutis sit de condigno meritorius augmenti gratiæ & vitæ æternæ, requiritur, ut per actum charitatis referatur ad finem debitum, & per hunc actum charitatis intendi potest ipsius habitus.

IV. Actus virtutum moralium meritorii quoque. Dico Tertiò: *Actus virtutum moralium sunt meritorii de condigno vitæ æternæ, dummodò referantur actualiter vel virtualiter ad DEUM.* Est Scoti 2. d. 49. ubi dicit, meritum esse relationem in finem debitum, quæ relatio est ex charitate inexistente, D. Bonavent. D. Thom. 2. 2. qu. Bellarm. de justif. lib. 5. cap. 15. contra Suarem lib. 12. de merito cap. 10. Hæc conclusio patet ex dictis quæst. 5. hujus disp.

V. Omissio pura potest esse meritoria. Quæres Primò: Utrum pura omissio possit esse meritoria? Respond. Affirmativè cum Ang: in moral. cap. 11. Lorca de actibus humanis disp. 37. Cavello, est communis Scotistarum contra D. Thomam 1. 2. q. 2. a. 3. Durand. Suarez. Probatur breviter: Quia ex professo de hac materia agam in tractatu sequenti. Non facere liberè & deliberatè est meritorium apud DEUM, & ex gratia ipsius, sed per puram omissionem homo liberè & deliberatè non facit malum, ergò maj: patet ex illo Eccles. 13. ubi laudatur *Vir, qui potuit transgredi, & non est transgressus.* Psalm. 76. *Declina à malo.* Confirmatur: Ex D. Augustino lib. 4. contra Jul. cap. 2. & epist. 45. ubi dicit, omissionem mali esse ex gratia, quod idem docet Prosper lib. de Vocatione Gentium. Et denique Milevitanum Can. 3. ubi sic habet: *Si quis dixerit gratiam DEI ad solam remissionem peccatorum valere, & non etiam ad adjutorium, nè committantur, anathema sit.*

VI. Merita nostra habent valorem ex meritis Christi. Quæres Secundò: An merita habeant aliquem valorem moralem ex meritis Christi, quem non haberent, si non essemus membra illius. Respond. Affirmativè cum Richardo, Soto, Suarez. Probatur: Quia major dignitas subjecti & operantis influit majorem valorem in opera, sed à meritis Christi nos accipimus majorem dignitatem, quàm aliàs haberemus, nimirum quòd simus membra illius, ergò; maj: probatur: Quia, ideò opera, quæ proveniunt à gratia habituali, habent majorem valorem, quàm opera, quæ ab ipsa sic non proveniunt, quia gratia habitualis dignificat subjectum,

ergò.

Digitized by Google

ergò. Min: patet: Quia quis est, qui audeat negare, quin hominem dignificet & magis acceptum reddat in suis operibus esse membrum tàm pretiosi capitis, in quo complacuit Patri omnem plenitudinem Divinitatis habitare, ergò.

QUÆSTIO OCTAVA.

Quænam alia dona justi mereantur de condigno vel congruo?

I. Nemo scit opera omnia, quæ justi mereantur de condigno.

SIne speciali DEI revelatione nec determinari, nec resolvi potest, quænam alia dona homo de condigno mereatur, eò quòd meritum de condigno dependeat à particulari DEI acceptatione, non constat autem, quodnam opus DEUS acceptet ad meritum de condigno, undè hic standum erit penes communem Theologorum mentem, & ego dicam potius & verius, quænam justi ex justitia non mereantur de condigno, quàm quæ mereantur. Undè

II. Gratiam primam actualem nemo sibi meretur.

Dico Primò: *Nullus potest sibi mereri de condigno primam gratiam actualem.* Est communis, & de ea intelligitur illud jam vulgare: *Principium meriti non potest cadere sub merito.* Probatur: Quia meritum omne præsupponit necessariò auxilium gratiæ, cùm nemo nisi auxilio divinæ gratiæ præventus possit facere aliquid conducens ad vitam æternam, juxta illud Joann. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Et 2. Corinth. 3. *Non quòd sufficientes simus aliquid cogitare à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex DEO est.*

Dices: Prima gratia justificans præsupponitur ad omne meritum condignum, & tamen posset quis de potentia absoluta eam de condigno mereri per meritum scilicet subsequens ab ipsa gratia anticipatè soluta, profectum, ergò similiter & primam gratiam actualem. Respon. neg: consequ: Quia gratia justificans non est absolutè, sed tantùm de lege posita, necessaria ad meritum, vel si est sic necessaria, ut aliqui volunt, retinet rationem primæ gratiæ justificantis, non solùm ut intelligitur sequi omnem actum meritorium, aut conducentem ad vitam æternam: prima autem gratia actualis est absolutè & in casu necessaria ad primum actum conducentem ad vitam æternam, & non retinet rationem primæ gratiæ, nisi prout movet & determinat ad hujusmodi actum antequam productum, sicut nequit intelligi jus ullum ad præmium esse quæsitum homini, ita nec intelligi, quòd homo ullum sit meritus de condigno: de congruo autem mereri potest per meritum sequens ipsam gratiam, si ad hoc dicatur sufficere, quòd DEUS moveretur ad eam conferendaam ob opus bonum prævisum conditionatè futurum, ex suppositione, quòd gratia conferatur, & quamvis nemo fortasse dicendus sit de facto mereri per opera sequentia etiam de congruo primam gratiam actualem, cùm DEUS uberiorem quandoque impertiat, malè quàm benè usuris, non id tamen est, quod potissimum Augustin. lib. 1. de prædest. cap. 17. probare intendit, sed gratiam vocationis non conferri ob prævisa opera ex solo arbitrio profecta, cujus oppositum, si verum esset, ut volebant Semi-Pelagiani, non Christus hominem, sed homo Christum prius elegisset, contra illud Joan. 15. *Non vos me elegistis, sed ego vos elegi.*

Dico Secundò: *Nullus præter Christum meritus est de condigno quidquam ulli alteri, potest tamen quis mereri alteri de congruo, quæ sibi.* Est communis. Probatur prima pars: Quia nulli alii à Christo proposuit DEUS tanquam mercedem suorum operum ulla dona alii, quàm sibi obtinenda. Probatur secunda pars ex D. August. q. 149. super Exod. ubi de Moyse sic dicit: *Ille itaque ibi sensus in promptu est, quod his verbis significat DEUS, plurimum apud se prodesse illi populo, qui sic ab illo viro diligebatur, quem sic Dominus diligebat: ut eo modo admoneremur. cùm merita nostra nos gravâssent, ne diligamur à DEO, relevari nos apud eum illorum* III. Alteri mereri de condigno solus Christus potest.

rum meritis posse, quos DEUS diligit. Et alibi sæpè ea omnia piè & sanctè pro aliis rogat, congruum autem est, ut DEUS æquas supplicationes amici sui exaudiat, qui ipsius vicissim voluntatem ad omnia exequi pro viribus conatur.

IV. Perseverātiam nemo potest sibi de condigno mereri.

Dico Tertiò: *De facto nemo meretur sibi perseverantiam in gratia, separationem à lapsu, aut ullam gratiam efficacem de condigno, potest tamen quis hæc omnia mereri de congruo.* Hæc etiam communis est, præterquam quod D. Thom. 1. 2. q. 114. a. 7. neget, quempiam de congruo mereri sibi reparationem à lapsu, quanquam ipse etiam oppositum admittat in epist. ad Hebræ. cap. 6. & asserunt Recentiores communiter post D. Bonavent. in 2. d. 28. Probatur prima pars, seu quod nihil dictorum mereatur quis de condigno, quia nihil eorum promisit DEUS operibus justorum, ut colligitur, tùm ex eo, quòd nullibi habeatur, quòd promiserit, præsertim tanquam mercedem ex justitia solvendam, quod addo, quia fortassis operibus heroicis promisit DEUS promissione tantùm assertoria aliqua auxilia actualis gratiæ efficacia. Tùm quòd constet multos in gratia sanctificante & justitia bonorum operum insigniter profectos mortaliter peccavisse, quosdam etiam nunquam deinceps resipuisse, sed finaliter damnatos fuisse, quod non evenisset, si perseverantiam, vel resipiscentiam fuissent de condigno promeriti. Confirmatur quoad reparationes à lapsu. Ex illo Ezechiel. 18. *Si averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.*

Dices: Qui meretur de condigno finem, meretur de condigno media ad illum necessaria. Hinc enim potissimum colligitur, justos condignè mereri augmentum gratiæ, quia hoc est medium necessarium ad obtinendum augmentum gloriæ, quod similiter merentur, sed perseverantia saltem finalis est medium necessarium ad vitam æternam, ergò cùm justus de condigno hanc mereatur, meretur & illam. Respond. distin: maj: meretur media ad illum necessaria, qua parte non sunt in sua potestate, conc: qua parte sunt, neg: & conc: min: distin: consequens, qua parte non est in sua potestate, conc: qua parte est, nego. Itaque perseverantia finalis est quidem medium necessarium ad obtinendam vitam æternam non minus quàm gratia sanctificans, quia tamen duo importat sufficiens auxilium gratiæ vel concursum præcisè necessarium ad non peccandum, quem ponere vel non ponere pendet à proprio uniuscujusque arbitrio, primum meretur justus de condigno, & non secundum, ex quo patet, cur posuerim in Conclusione ly *efficacem.*

V. Reparationem de congruo potest sibi quis mereri.

Probatur secunda pars, quòd illa omnia possit quisque de congruo mereri: Quia S. Scriptura, SS. Patres & Concilia monent, ut bonis operibus nostram vocationem & electionem certam facere satagamus, ac instanter postulemus pro nobis, aliisque auxilium gratiæ, quo servemur à lapsu, vel si labi contingat, erigamur, quod frustrà fieret, nisi hæc jugiter & instanter præstita solerent movere DEUM ad ejusmodi gratiam & dona conferenda. Confirmatur specialiter quoad propriam reparationem, Tùm ex illa deprecatione Davidis Psalm. 70. *Cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me*, ubi petere videtur, ut si quando peccaverit, reparetur ad gratiam: Tùm, Quia Augustinus, ut citatur à Div. Thoma suprà, dicit: *Nihil justius esse, quàm ut homo petat sibi reparationem post lapsum*: Tùm, Quia nulla est ratio, cur possent alii reparationem à lapsu mihi mereri, & non possim ipse per bona opera, quæ adhuc in gratia constitutus exerceo: Tùm, Quia hoc tenendo excitantur homines ad bona opera repetenda, tanquam quæ iis sive staturi, sive casuri sint, proficient.

VI. Bona temporalia merentur sibi justi & injusti.

Dico Quartò: *Justi merentur sibi de congruo, non de condigno, bona temporalia, & idem de injustis.* Prima pars

pars patet ex illo Christi: *Quærite primum regnum DEI, & justitiam ejus, & hæc omnia*, id est, temporalia, *adjicientur vobis*, id est, dabuntur tanquam supererogatorium supra debitam ex justitia mercedem, quare promittuntur temporalia promissione tantùm assertoria, sicut etiam in lege veteri videntur fuisse promissa operibus justorum; quòd verò non promissione sufficiente ad meritum condignum, ulterius ex eo patet, quòd aliàs quò quisque justior, eò ditior esset.

Probatur secunda pars de injustis: Ex D. Augustino lib. 5. de Civit. DEI cap. 15. ubi de Romanis sic loquitur: *Isti*, scilicet Romani, *privatas res suas pro re communi, hoc est, Republica & pro ejus ærario contempserunt: avaritiæ restiterunt, consuluerunt patriæ consilio libero: neque delicto secundùm suas leges, neque libidini obnoxii: his omnibus artibus tanquam vera via nisi sunt ad honores, imperium, gloriam, honorati sunt in omnibus ferè gentibus, imperii sui leges imposuerunt multis gentibus: hodieque litteris & historia gloriosi sunt penè in omnibus gentibus, non est, quod de summi & veri DEI justitia conqueramur, perceperunt mercedem suam, merces autem Sanctorum longè alia est.* Et patet ab experientiâ, quia etiam aliis injustis quandoque intuitu bonorum operum temporalia bona largitur DEUS tàm benè ac Romanis in præmium moralis virtutis. ut Exodi 1. Quia timuerunt obstetrices Dominum ædificavit ipsis domos, id est, dedit familiam, & Greg. hom. 40. in Evangel. ait: *Valdè metuendum divitibus & aliis, quibus omnia vota eveniunt, nè hic receperint bonorum operum mercedem.* Confirmatur: Quia DEUS propter peccata aufert hominibus tàm justis, quàm injustis quandoque bona temporalia, ergò & propter bona opera illa quandoque confert.

QUÆSTIO NONA.

An omnia Justorum merita sint æqualia, & undè alia aliis censeantur digniora?

JOviniani error est teste D. Augustino serm. 191. de tempore, dicente nullam in futuro sæculo futuram meritorum distantiam, contra quem, omnesque similes Sectatores

Dico Primò: *De fide est, merita justorum etiam de condigno inter se comparata non esse æquivalentia.* Probatur Primò ex Scriptura, Joan. 14. *In Domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Danielis 12. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* 1. Corinth. 15. *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum, stella enim à stella differt in claritate.* In quem locum D. Augustinus serm. 46. de verbis Domini dicit: *Aliter ibi lucebit virginitas, aliter ibi lucebit castitas conjugalis, aliter ibi lucebit sancta viduitas, diversæ lucebunt, sed omnes ibi erunt, splendor dispar, cœlum commune.* 1. Merita justorú sunt inæquivalentia.

Probatur Secundò ex D. Augustino, qui id ex præfatis Scripturis gratiosa dupliciter exemplificat lib. de Sancta Virginitate cap. 26. dicente: *Hic est ille denarius merces omnium, stella tamen à stella differt in gloria, sic & resurrectio mortuorum. Hæc sunt merita diversa Sanctorum. Si enim cœlum significaretur illo denario nonne in cœlo esse, omnibus est commune sideribus? & tamen alia est gloria solis, alia lunæ, alia stellarum. Si denarius ille pro sanitate corporis poneretur, nonne cum rectè valemus, omnibus membris communis, est sanitas, & ipsa si usque ad mortem perveniat, pariter & æqualiter omnibus inest. Et tamen posuit DEUS membra, singulum quodque eorum in corpore, prout voluit, ut nec totum sit oculus, nec totum auditus, nec totum odoratus: & quid-*

quid

quid est aliud, babet suam proprietatem, quamvis æqualiter babeat cum omnibus sanitatem: ita quia ipsa vita æterna pariter erit omnibus sanctis, æqualis denarius omnibus attributus est. Quia verò in ipsa vita æterna distinctè fulgebunt lumina meritorum, multæ sunt mansiones apud Patrem, ac per hoc in denario quidem non impari, non vivet alius alio prolixius: in multis autem mansionibus honoratur alius, alio clarius.

Probatur Tertiò: Tùm, Quia S. Scriptura & Patres aliqua opera præ aliis magis extollunt: Tùm, Quia omnia peccata mortalia seu demerita non sunt æquè mala, aut æqualis pœnæ meritoria, ut docet idem S. Augustinus lib. 4. de Baptismo contra Donatistas cap. 19. dicens: *Nec dubitandum est quidem ipsas pœnas, quibus cruciabantur, qui regnum DEI non possidebunt, pro diversitate criminum esse diversas, alias aliis acriores, ut in ipso igne æterno pro disparibus ponderibus peccatorum sint disparia tormenta pœnarum.* Nec de his potest esse difficultas, sicut est de secunda parte, in qua quæritur, undè oriatur major meritorum dignitas, vel valor? Pro quo

II. Meritum eò majus, quo à majori gratia procedit. Dico Secundò: *Cæteris paribus eò unus actus alio majus meritum est, seu majorem babet valorem, quo ex intensiori gratia sanctificante procedit.* Probatur: Quia quo dignior est operans (fit autem dignior per majorem gratiam sanctificantem) eo ipsius opera dignior est & æstimabilior: Nec refert, quòd ille hanc suam dignitatem ignoret, quia ignorata perindè ac cognita dignificat ejus operam, cùm sit dispositus æquè DEI causâ operari, licèt illam nosceret.

III. Actus quò perfectior, eò magis est meritorius. Dico Tertiò: *Quo actus est specificè, aut perfectione intensionis perfectior, aut diutiùs conservatus, aut superata majori difficultate elicitus, eò magis meretur.* Probatur: Quia ex singulis his capitibus evadit cœteris paribus actus laudabilior, & præterea S. Scriptura, Patres, Concilia testantur, DEUM omnibus daturum æternam retributionem secundùm mensuram & proportionem suorum operum, quod non faceret, si pari præmio remuneraret actum perfectiorem & minus perfectum, diu & parum continuatum, majori & minori difficultate elicitum.

Probatur specialiter contra Bannes 2. 2. qu. 94. art. 6. d. 5. majorem actûs continuationem facere ad augmentum meriti. Primò: Quia continuatio actus mali, multum facit ad demeritum. Secundò: Quia continuatus æquivalet, imò præstat, pluribus interruptis, aliàs præstaret cœptam orationem frequenter interrumpere. Tertiò: Quò diutius continuatur, major adhibetur conatus, aut subitur labor.

Arguitur Primò: Sequeretur actui continuato per horam deberi præmium simpliciter infinitum, quia pro primo instanti determinatum præmium, & in hora sunt infinita instantia, imò & partes proportionales. Ad hoc argumentum responderi solet in materia de charitate, jam breviter neg: sequel: ad probationem dico, quòd licèt actui pro primo instanti suæ perfectionis respondeat determinata portio præmii, non tamen pro ullo sequente instanti, aut parte proportionali, nisi indeterminata pars præmii, eò quòd ex suppositione, quòd quis velit actum continuare ultra instans non possit non per infinita indeterminata instantia & tempore proportionali continuare, pro tempore verò determinato, quo continuatur, meretur quidem determinatum præmium, sed verisimile longè minus, quàm quod soli primo instanti respondit, nisi accesserit novus conatus, vel nova advertentia, nam videmus inter ipsos homines longè pluris fieri in ratione meriti & demeriti primam actûs productionem, quàm continuationem, nisi fortè valdè notabilem, ut patet in eo, quem duo simul honore dignantur, vel eundem convitio impetunt, his enim æqualem sibi seu honorem seu contumeliam factam putat ab utroque, licèt unus v. g. propter hærentiorem

rem linguam duplo plus temporis in suo convitio, vel laude impenderit quàm alter.

Arguitur Secundò: Difficultas operandi impedit durationem & voluntatem actûs, facit enim, ut quis remissius & illibentius operetur, aut ex toto ab operatione abstineat, vel brevius illi insistat. Item sæpè oritur ex vitiosa inclinatione, aut habituali ipsius operantis, ergò non auget valorem operis meritorii. Respond. Quod difficultas undecunque profecta, nisi superetur, impediat totum meritum, quia impedit actionem, quod si etiam superetur, sicut per se & directè auget intensiorem durationem, aut voluntareitatem actûs, nisi cùm ipsa, quod rarò contingit, directè expellitur, ita nec is valorem aut vim merendi per se & directè auget, benè tamen per accidens & indirectè, quantum affert causam majoris victoriæ, & intensiorem voluntatis conatum, & ostendit actum profectum esse ex majori appretiatione finis, velut in cujus gratiam major labor est susceptus, hinc Christus Lucæ 21. extollit, & præfert eleemosynam viduæ, quæ duo tantùm minuta misit in gazophylacium, quamvis aliorum dona multa majora fuerunt.

IV. *Gradus gratiæ quales dantur meritis.* Quæres Primò: An merita augeant gratiam ad æqualitatem, hoc est, an tot gradus debeantur pro actu meritorio, quot in se habet gradus intensionis? Alii absolutè affirmant, Alii negant, alii variè distinguunt. Ego breviter Respondeo, non tot gradus gratiæ obtineri per actum meritorium, nisi fortè heroicum, aut valdè diu continuatum, aut frequenter repetitum, quot sunt in ipso gradus, quia aliàs uno die benè transacto in bonis operibus incredibiliter augeretur gratia, v. g. ad ter mille gradus; itaque planè incertum est, quantum incrementum datur pro ullo opere meritorio, sicut & incertum quanta operi malo respondeat pœna.

V. *Actus intensus unus plus meretur, quàm plures remissi.* Quæres Secundò: An duo actus intensi ut 4. æquivaleant quoad meritum uni actui intenso ut 8. Respond. Affirmativè, si cœtera extrinseca, per quæ augetur vis meritoria, ut benè contingere potest, æquè habeantur in utroque casu. Negativè, si illa inæqualiter habeantur. Sic Petrus, cui difficilius est simul erogare duos florenos, quàm Paulo seorsim, plus meretur cœteris paribus. Contrarium continget, quando ex parte Pauli major est difficultas, cum his tamen stat, quòd actus excellenter intensus, aut excellentem difficultatem superans incomparabiliter excedat plures remissos, aut superantes minores difficultates, adeò, ut Scotus 2. d. 5. q. 1. dicat, plus valere notabiliter intensum unum, quàm centum millia remissorum, & in 3. d. 27. q. 1. n. 14. quòd nobilior sit unus actus excellens, quàm quotcunque remissi, sic enim inter homines majori incomparabiliter prœmio dignus æstimatur, qui unicum illustre facinus præstat, quàm qui quotidiè vulgare vel mediocre. Ex quo patet excellentia & prærogativa Martyrii, ac professionis Religiosorum propter DEUM factæ.

QUÆSTIO DECIMA.

Quando conferatur augmentum gratiæ meritis correspondens?

I. *Actibus remissis merentur justi.* HActenus egi de augmento gratiæ meritorum, quæ, quò majora sunt, majorem gratiam exigunt, & hæc majorem gloriam, porrò difficultas est, an in actibus meritoriis, quicunque illi sint, requiratur determinata intensio, & quidem aliqui requirunt majorem intensionem actûs, quàm gratia sit, quæ est in eliciente. Bannes 2. 2. q. 21. a. 6. docet, nulli operi remisso, vel intenso alterius virtutis à charitate dari augmentum gratiæ aut gloriæ essentialis, sed tantum augmentum gloriæ accidentalis, quæ consistat in gaudio de objecto aliquo creato, ut suprà insinuavi, vel eandem gloriam essentialem aliàs debitam novo titulo. Durandus in 1. d. 17. q. 8. dicit operi remisso deberi qui-

dem gloriam essentialem, sed non gratiam. D. Thomas 1. 2. qu. 52. a. 3. & 2. 2. q. 24. a. 6. Cajetanus ibidem, Richardus, fatentur etiam gratiam dari, sed tunc primum, quando elicietur actus intensior, aut saltem paris intensionis ad habitum gratiæ jam habitæ. Scotus 4. d. 27. nu. 9. & 22. communiter putatur, quòd doceat, non nisi in primo instanti futuræ vitæ, seu post finitam præsentem dari gratiam operibus remissis. Verùm Scotus neutro loco agit, nisi incidenter ea de re, supponens, non asserens, quod non semper post quemlibet actum meritorium mox augeatur gratia proportionata merito, tantùm dicit, *videtur quòd augmentum debitum operibus remissis servet DEUS usque ad instans mortis.* Et in primo sub finem, dat cuique electionem id tenendi, vel alium modum quærendi, quo deleantur venialia ante mortem non remissa: sed neque vult Scotus ejusmodi dilationem augmenti gratiæ correspondentis meritis remissis semper fieri, sed tantùm solum, quando operans quamdiu vixit post ejusmodi opus remissum perseveravit in affectu peccati venialis, ut patet ex his verbis, quæ mox subjungit iis, quæ primo loco adducta sunt: *Et hoc est valdè rationabile, quia in illo instanti scilicet mortis, iste primò fit in statu alio,* & præmium meritorum reddi eis, impedivit status viatoris, vel aliquid concomitans hujusmodi statum. Ex quo à contrario sensu rectè deducitur, eum fuisse illius sententiæ, quòd non fieret ea dilatio, si abesset peccatum, quòd solùm ex iis, quæ comitantur statum viatoris, habet oppositionem cum gratia, ejusque receptionem impedire potest.

II. Actibus remissis merentur justi.

Dico Primo: *Justi merentur augmentum gratiæ & gloriæ etiam actibus remissis.* Hæc est Doctoris 4. d. 21. q. 1. Probatur Primò: Ex Scriptura Matth. 10. *Et quicunque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine Discipuli: Amen dico vobis, non perdet mercedem suam*, atqui in nomine Discipuli aquam frigidam præbere est verè actus remissus: undè D. Augustinus enarr. in Psal. 49. circa medium dicit: *Quid tàm vile, quid tàm terrenum, quam frangere panem esurienti? tanti valet regnum cœlorum. Frange esurienti panem tuum, & egenum sine tecto induc in domum tuam: Si videris nudum, vesti: si non habes facultatem frangendi panem, non habes domum, quò inducas, non habes vestem, quo operias; da calicem aquæ frigidæ, mitte duo minuta in gazophylacium. Tantum emit vidua duobus minutis, quantum emit Petrus relinquens retia, quantum emit Zachæus dando dimidium patrimonium. Tanti valet, quantum habueris.*

Probatur Secundò ex Trident: Sess. 6. cap. 7. ubi docetur, augmentum gratiæ tanquam præmium bonorum operum justorum, sine limitatione intensionis majoris vel minoris dari. Item cap. 16. dicit, Justificatis proponi Apostoli verba: *Abundate in omni opere bono, scientes, quòd labor vester non fit inanis.*

Probatur Tertiò Ratione: Si actibus remissioribus justi non merentur augmentum gloriæ, sequeretur, quòd si aliquis sanctus in principio suæ conversionis eliceret actum intensissimum, ita ut in tota reliqua vita sua non eliceret intensiorem, (quod probabile est de Maria Magdalena) sequeretur, inquam, quòd si ille centum annis viveret, & nunquam cessaret benè agere, adhuc non haberet plus gratiæ, quàm in initio habuit, sed hoc est absurdum, ergò.

III. Augmentum gratiæ correspondens meritis justorum statim redditur.

Dico Secundò: *Augmentum gratiæ correspondens meritis justorum tàm intensis quàm remissis, statim obtinetur, nisi obstet ipsorum tunc præsens actuale peccatum veniale.* Hæc quoad primam partem etiam sine ulla limitatione supponitur ab omnibus Theologis, intelligendo ly *statim*, accommodè pro tempore cœptæ, continuatæ, aut finitæ actionis. Probatur utraque pars ex illo 2. Corinth. 4. *Licèt is, qui foris est, etiam homo corrumpatur, tamen is, qui intus est,* reno-

renovatur de die in diem. Hæc autem quotidiana renovatio non aliter fit, quàm quotidiana receptione incrementi gratiæ & virtutum supernaturalium. Secundò, Quia cùm justus per sua opera acquirat jus ad gratiæ augmentum & hujus maturata solutio prodesse potest ad exercenda opera physicè & moraliter perfectiora, quàm quæ aliàs producerentur, æquum est, ut illud quamprimùm obtineat. Tertiò: Post quodvis bonum opus homo est formaliter DEO gratior, quàm antè immediatè erat, ergò habet tunc auctiorem gratiam, quàm immediatè antè, quia sicut sola gratia facit gratum, ita sola auctior gratiorem.

Probatur specialiter quoad secundam partem: Quia nulla est ratio, cur augmentum correspondens meritis remissis differatur potius, quàm quod respondet meritis intensis, præsertim si utraque elicientes æquè sint expertes omnis pravi affectûs, ergò dicendum, quòd vel neutrum, vel utrumque mox reddatur. Confirmatur: Quia habens gratiam ut tria, si eliciat actus ut tria, aut saltem ut 4. statim consequetur juxta Adversarios augmentum gratiæ, quia habet actum proportionatum ad tantum gradum gratiæ, ergò & habens gratiam ut 6. si similem actum producat, aliàs ex eo præcisè, quòd plus gratiæ nactus sit, esset pejoris conditionis.

Probatur Secundò: Si esset ulla ratio, ob quam non daretur statim augmentum gratiæ correspondens actibus remissis, maximè quod æquum sit, ad intensionem habituum supernaturalem requiri tàm intensos actus, quàm si essent per ipsos effectivè intendendi, sed non est æquum tàm intensos requiri: Tùm, Quia actus physicè minus intensus sæpè est in ratione meriti perfectior actu intensiori, nimirum ob circumstantias extrinsecas: Tùm, Quia sic plura opera bona abirent irremunerata: Tùm denique, Quia si servanda esset inter habitus supernaturales & actus, per quos intenduntur, ea proportiò, quæ servaretur, si deberet physicè intendi, aut qualis servatur inter actus naturales & suos habitus, sequeretur, quòd quemadmodum actus remissi quantumcunque multiplicati non augent physicè ullum habitum secundùm Adversarios, & satis communem sententiam, ita per actus remissos quantumcunq; multiplicatos nullum gratiæ augmentum obtineretur, cujus tamen oppositum plerique ex Adversariis tenent. Item sequeretur, quòd sicut, ut actus remissi causent physicè augmentum suorum habituum, impertinens est, an unquam sequetur, an non sequetur actus ullus intensus, ita etiam impertinens sit ad obtinendam gratiam intuitu actûs remissi, sequaturnè, an non sequetur unquam actus intensus.

Dices: (Et potissimum est fundamentum, quod potest esse pro opposita sententia) In vita politica, ut quis novos honoris gradus mereatur apud Regem, non sat est, quòd ei remissè serviatur, sed opus est, quòd ei egregium aliquod obsequium præstetur, ergò, ut quis apud DEUM mereatur augmentum gratiæ sanctificantis, non sufficit, quòd opera bona qualiacunque præstet, sed requiritur, quòd intensa, hoc est commensurata suis viribus & gratiæ, quam habet. Respond. Primò: Quòd si valeret consequentia, probaret etiam nullum gratiæ augmentum deberi operibus remissis quantumcunqve continuatis & multiplicatis, imò soli heroico actui dari augmentum gratiæ & gloriæ. Respond. Secundò: neg: consequ: Quia Rex non se obligavit ad remuneranda quævis obsequia sibi præstita, DEUS autem promisit nullum obsequium sui causâ præstitum abiturum sine mercede vitæ æternæ, & per consequens sine proportionata mercede gratiæ ad illam prærequisitæ.

IV. Dico Tertiò: *Probabilius est, quòd ob nullum suum meritum remissum* Meritum remissum non auget

Digitized by Google

gratiam, quamdiu quis venialiter peccat.

missum augeatur gratia justi, quamdiu peccat actu venialiter. Hæc sequitur ex sententia D. Thomæ, nisi fortè sit, ad quam ipse potissimum collimet, & videtur esse Scoti suprà. Probatur: Quia ex nullo capite constat, quòd DEUS promiserit augere gratiam justi, quamdiu non desinet ipsum actu offendere, & aliàs valdè rationabile fuit & conforme naturali æquitati, cui DEUS utplurimum se conformat, quod non sic promitteret, ergò. Confirmatur ex illo Matth. 25. *Omni habenti dabitur, & abundabit, ei autem, qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo.* Ubi sicut per habens intelligitur benè utens habitis, & per non habens malè utens, ita per id, quod videtur haberi, & tamen dicitur auferendum, non est aliud, quod rectius intelligi possit, quàm augmentum gratiæ, quod videtur habere ratione juris ad illud quæsiti, is, qui fecit opus meritorium perseverans in peccato veniali, & tamen aufertur ab eo, in quantum differtur ei solutio. Confirmatur Secundò: Quia hæc sententia cum ex una parte provocet justos ad bona opera, cùm admittat cuilibet operi, licèt remisso deberi prœmium gratiæ, & ex altera parte urgeat ad abstinendum à peccatis venialibus, tanquam quæ impediunt ejusmodi prœmium maturè solvi, sic ad pietatem excitat, ut vitia non foveat, ergò præferenda.

Dices: Fundamenta Conclusionis æquè concludunt dilationem gratiæ respondentis meritis intensis ac remissis, est autem contra communem, quòd fiat ejusmodi dilatio gratiæ debitæ meritis intensis, ergò. Respond. distin: maj: intelligendo per actum intensum omnem, qui excludit omnem affectum pravum, aut qui nullum talem habet, concomitantem, nego, intelligendo actum physicè tantùm intensum, sed quem comitatur pravus affectus, conc: maj: Respond. Secundò, supponendo, quòd actus sit notabiliter intensus respectivè ad principia, à quibus procedit, uti est omnis actus intensior habitu gratiæ præexistentis, admitti posse, quòd mox consequatur prœmium, licèt id negetur de actu remisso, comparativè ad sua principia, & habente concomitantem affectum peccati, quia licèt talem actum eliciens ex una parte pergat peccare, ex altera tamen parte exhibet obsequium ferè extraordinarium, quia juxta suas vires, quod non verificatur de producente actum respectivè remissum.

Dices Secundò: Justus in susceptione Sacramenti actu peccans venialiter recipit mox augmentum gratiæ. Item peccator eliciens contritionem perfectam, licèt interim pergat peccare venialiter, consequitur statim primam gratiam, ergò affectus peccati venialis concomitans actum meritorium, non facit differri augmentum gratiæ debitum ejusmodi actui. Respond. conc: antec: neg: consequ: primò: Quia constat, quòd sit promissio divina de infundenda statim gratia in utroque casu antecedentis, non sic in casu consequentis. Secundò: Quia si peccatori contrito, aut Sacramentum aliàs debitè suscipienti denegaretur prima gratia ob comitantem affectum peccati venialis, sequeretur, quòd si ante depositum ejusmodi affectum moveretur occasione peccati venialis, damnaretur, quod est absurdum, & cujus simile non sequitur ex dilatione gratiæ promeritæ à justo adhuc venialiter peccante. Tertiò, Quia ingens fuisset pœna & importantia, peccato veniali privare hominem etiam aliquantisper amicitiâ DEI, non sic privare solo incremento amicitiæ.

V. Gratia merito remisso datur nō differtur, usque ad finem actionis.

Dico Quartò: *Tota gratia respondens merito justi, per notabile tempus continuato, non confertur primo instanti, quo incboatur actio meritoria, neque tota, secluso casu antecedentis conclusionis, differtur, usque ad ultimum instans durationis ipsius.* Probatur prima pars: Quia si tota conferretur primo instanti quoad

quoad magnam sui partem data esset ob meritum futurum, quia propter futuram actûs continuationem & consequenter de facto contra communem sententiam *principium meriti caderet sub merito*, quia illa gratia anticipatè soluta influeret in illum actum sui meritorium, nihil enim impediret.

Probatur secunda pars: Quia sive ea determinata pars gratiæ correspondeat operi ut primo tantùm instanti producto, nulla est ratio, quare differreretur, aut solveretur illo primo instanti, quemadmodum peccato primo instanti, quo conficitur, datur determinata portio pœnæ, secundùm communem; & sanè si non solveretur usque ad finem operationis, operans incurreret ob solam operis majorem continuationem non spernendum damnum, nempe interim carere augmento gratiæ, quòd si actum non continuâsset, illicò obtineret. Et hæc de Merito, & toto tractatu de gratia dicta sufficiant: quæ omnia Censuræ S. Matris Ecclesiæ humiliter & obedienter subjicio. Ad DEI gloriam!

AMEN.

Digitized by Google

TRACTATUS V.

DE

LIBERO ADAMI ARBITRIO,

ET

Posterorum quoad actus humanos eliciendos.

PROOEMIUM.

cap. 15. DEUS *ab initio*, ait Ecclesiasticus, *constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata & pracepta sua - - - Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Ita quòd certissima sit tenendum fide, prout S. Augustinus, seu Fulgentius docet, Adamum & Evam liberum habuisse arbitrium: *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, primos homines, id est, Adam & mulierem ejus, bonos & rectos, & sine peccato creatos esse cum libero arbitrio, quo possent, si vellent, humili & bona voluntate servire atque obedire: quo arbitrio etiam possent, si vellent, propria voluntate peccare, eosque non necessitate, sed propria voluntate peccâsse, illoque peccato sic in deterius mutatam naturam humanam, ut non solùm in ipsis primis hominibus per peccatum mors obtineret regnum, sed etiam in omnes homines transiret peccati mortisque dominium:* quo supposito, examinabo, hic primò: An Adamo liberum arbitrium sufficiebat ad benè, *ut oportet*, agendum, an indiguerit gratiæ divinæ auxiliis, & an stantibus auxiliis & perfecto arbitrio

Digitized by Google

trio potuerit adhuc venialiter peccare. Deindè, an in ipso post peccatum sicut & in nobis manserit liberum arbitrium. Hinc progrediar ad naturam actuum humanorum examinandam, de quibus agunt Magister 2. d. 21. & deinceps. S. Thomas in prima secundæ. & Scotus 2. Sentent. Estque materia hæc necessaria scitu, nam per illos actus distinguitur creatura rationalis ab omnibus aliis ratione carentibus, his enim solis vel acquiritur vel amittitur ultimus finis, ad quem homo creatus est, quid autem prodesset homini, si haberet omnem scientiam, si se neglecto & ignorato, alia incumberet, oraculum proindè etiam divini Apollinis est: *Nosce teipsum.* Sit itaque

DISPUTATIO PRIMA.

DE Libero Adami Arbitrio.

QUÆSTIO PRIMA.

An ad benè agendum eguerit Adami liberum arbitrium gratiæ divinæ auxiliis?

AD quæstionem breviter respondendo resolutivè:

I. Adam potuit peccare & non peccare.

Dico Primò: *Adam in Statu Innocentiæ potuit peccare, & potuit etiam non peccare.* Hæc est de fide, & Probatur tùm ex Scripturis suprà, & infrà citandis: Tùm ex S. Augustino lib. 22. de Civit. cap. 30. ubi ait: *Liberum arbitrium, quod homini datum est, quando primùm creatus est rectus, potuit non peccare, sed potuit & peccare: hoc autem novissimum eò potentius erit, quò peccare non poterit. Verum hoc quoque DEI munere, non suæ possibilitate naturæ.* Et lib. 3. Hypognost. cap. 2. *Nam ut calcatius liberum arbitrium cum posibilitatis bono, quo valeret implere, quod voluisset, Adam factum intelligas, audi, quid dicat Scriptura sancta in libro Ecclesiastico, DEUS, inquit, ab initio fecit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui, adjecit mandata & præcepta; Si volueris mandata servare, conservabunt te, & fidem facere beneplacitam in perpetuum. Apposuit tibi ignem & aquam, ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem est vita & mors, bonum & malum, & quod voluerit dabitur illi: Quid est autem, & reliquit illum in manu consilii sui, nisi dimisit eum in possibilitate liberi arbitrii sui? in manu enim possibilitas intelligitur. Ipsa est prima gratia, quâ primus homo stare potuisset, si servare mandata Domini voluisset.*

II. Adami liberum arbitrium eguit DEI gratiâ.

Dico Secundò: *Liberum arbitrium Adami in statu innocentiæ tàm ad benè agendum, quàm ad perseverandum eguisset adjutorio divinæ gratiæ.* Hæc etiam est de fide, & probatur ex Patribus Augustino epist. 106. ad Bonifacium, ubi dicit: *Natura humana etiamsi in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo seipsam Creatore suo non adjuvante servaret. Cùm igitur sine DEI gratia salutem non posset custodire, quam accepit, quomodo sine DEI gratia potest reparare quam perdidit.* Et in Enchiridio ad Laurent. cap. 106, *Sine*

Sine gratia nec in paradiso ullum meritum esse potuisset. Quia etsi peccatum in solo libero arbitrio erat constitutum, non tamen justitiæ retinendæ sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni divini adjutorium præberetur. Sicut enim mori est in hominis potestate, cùm velit, nemo est enim, qui non seipsum, ut nihil aliud dicam, vel non vescendo possit occidere, ad vitam verò tenendam voluntas non satis est, si adjutoria sive alimentorum sive quorumcunque tutaminum desint. Sic homo in paradiso ad se occidendum relinquendo justitiam idoneus erat per voluntatem: ut autem ab eo teneretur vita justitiæ, parum erat velle, nisi ille, qui eum fecerat, adjuvaret. Et tractatu de Gant. novo cap. 8. *Quid valeat liberum arbitrium non adjutum, in ipso Adam demonstratum est. Ad malum sufficit sibi, ad bonum non, nisi adjuvetur à DEO. Primus enim ille homo accepit liberum arbitrium rectum, & posuit DEUS ante eum, sicut Scriptura dicit, ignem & aquam.* Hilarius in epist. ad S. Augustinum de Semi-Pelagianis scribens ait: *Molestè ferunt ita dividi gratiam, quæ vel primo homini data est, vel nunc omnibus datur, ut ille acceperit perseverantiam, non qua fieret & perseveraret, sed sine qua per liberum arbitrium perseverare non posset.*

QUÆSTIO SECUNDA.

An stante gratia & libero Arbitrio Adam in statu innocentiæ potuerit prius venialiter quàm mortaliter peccare?

I. Quomodo hæc quæstio ab aliis moveatur.

SCotus noster movet quæstionem hoc modo: *An peccatum hominis primum in statu innocentiæ potuit fuisse veniale?* S. Bonavent. in titulo: *An peccatum Adæ potuerit esse veniale?* in textu autem: *Utrum primum peccatum hominis potuerit esse veniale?* Aliqui Scotistæ: *Potueritnè Adam in statu innocentiæ peccare prius venialiter quàm mortaliter?* Aliqui denique: *Utrum in statu innocentiæ potuerint homines peccare simùl in eodem statu perseverando.* Ego verò propono sic, An in statu innocentiæ stante gratia & libero arbitrio Adam potuerit venialiter peccare: tot modi quærendi, hoc unicum efficiunt, quòd pateat discrimen peccati mortalis à veniali fuisse agnitum antiquitati, posteritati esse commendatum contra petulantiam hæreticorum novatorum, quibus subindè sufficit, ut oderint dogma aliquod, quod videant illud Catholicis probatum. Ego in hac quæstione examinabo & resolvam, an Adam stante innocentiâ illâ peccare potuerit? num mortaliter, an solùm venialiter? quo genere peccati? sive contra quod præceptum & virtutem? Item quo genere peccati amittebat statum in sui conditione acceptum?

Notandum autem pro evitandâ omni æquivocatione, quæ videtur Adversarios aliquos decepisse, quæ est in tò *status innocentiæ*, innocentia enim dicit carentiam omnis culpæ, sed cum carentia omnis culpæ certum est, nullam culpam posse stare, ac proindè non potest negotium sic intellectum controverti, tantum abest, ut evinci possit ab affirmantibus posse culpam inveniri, cum statu vel in statu innocentiæ; verùm sic hîc non accipitur; vera autem acceptio & theologica statûs innocentiæ est, ut intelligatur esse fortunata illa conditio, quæ collocata est primo homini, & dependebat ab innocentia ejus, sive impletione mandati divini. Hunc dico posse compati secum culpam aliquam, saltem levem, itaque II. Innocentia dupliciter capi potest.

Dico Primò: *In statu innocentiæ habuit Adam sic liberum arbitrium, quòd potuerit peccare tàm primo peccato, quàm secundo venialiter.* Hæc est contra S. Thomam, & S. Bonaventuram, &c. Eam tamen tenet Doctor subtilis, & Probatur Conclusio: Non potest gravitas obligationis cadere supra parvam materiam, sed in statu innocentiæ poterant sæpè occurrere parvæ materiæ, ergò aliquæ, III. Innocentiæ in statu potuerunt venialiter peccare.

quæ, quæ non paterentur gravitatem obligationis vel reatum gravem in transgressione. Conseq: patet. Min: etiam est certa, quis enim dubitet, quin in illo potuerit contingere morosa aliqua cogitatio rei minus utilis, vel etiam honestæ, Periphrasis aliqua & circumlocutio, quâ objectum explicaretur pluribus verbis quàm necesse foret, motus quispiam iræ leviusculus, bolus quispiam ultra necessitatem in cibo, & similia, quæ humanâ diligentiâ vitari non possunt. Maj: autem, quæ est fundamentum totius, probatur: Quia divina præcepta, sive eorum transgressiones decrescunt ob parvitatem materiæ, non decrescerent autem, si parva materia esset capax magnæ obligationis, nam aliud nihil deest. Imperans est summæ authoritatis, subditus est summè labilis, ergò; sit exemplum, ex præceptis Decalogi est illud: *Non furaberis.* Quæ lex est absoluta & universalis, neq; meminit magni damni aut non magni, & tamen parvum furtum non est grave peccatum, eo ipso, quia parvum est, ergò jam parvitas ex se est incapax gravitatis, atque ita quemcunque statum assignes in eo parvum parum erit, & parum oberit, ergò.

Probatur Secundò: Levitas offensæ oritur ex defectu libertatis, item ex defectu attentionis, non enim est dubium, quin Adam in illo statu potuerit imperfectè aliqua concipere, eo autem facto imperfectè volet, sive amabit, aut prosequetur objectum, nam quod non est præcognitum, non est volitum, ergò quod imperfectè cognitum, etiam imperfectè volitum est; Probatur antec: Quia intellectus hominis primi dependebat à phantasmatibus, & usu sensuum in intelligendo. Prout communiter Adversarii in hoc negotio tenent, eum pependisse à sensibus in intelligendo, & tunc debent succumbere rationi, quæ non evaditur nisi à tenente eum fuisse independentem ab illis. Deindè detur, quod non dependeat, ut probabiliter sentio de Adamo, quia licet per sensus non possit falli, nisi qui dependet ab illis in intelligendo, tamen per objecta ipsa potest ob nimiam distantiam, quod etiam Angelis contingere potest, sed ideò vix evenit ipsis, quia ipsi, tametsi non possint semper sistere sibi objecta, tamen possunt se sistere præsentes objectis, quòd Adam non potuit ob molem corporis & gravitatem.

Probatur Tertiò argumento Scoti: Nulla forma magis opponitur peccato, quàm gratia sanctificans, hæc enim quasi formaliter excludit illud, sed forma sanctificans non ita excludit omne peccatum, quin permittat committi & durare secum aliquod veniale, ergò nec status justitiæ originalis Adami ita opponebatur peccato, nè compateretur secum veniale, sed omninò illud admittebat tàm in fieri quàm in facto esse: maj: valet quàm maximè in sententia Adversariorum, qui absolutè volunt gratiam ex natura sua justificare, atque excludere peccatum directè ac formaliter. Denique in egressu à rectitudine prius curvatur aliquid parva obliquitate quàm magnâ, veniale peccatum est parva obliquitas, mortale magna, ergò juxta rationem prius incurrendum est veniale quàm mortale.

Arguitur in contra Primò: Ille status consistebat in subjectione animæ hominis ad DEUM, & subjectione sensûs ad animam, ex quibus subordinationibus secunda dependebat à prima, ergò sublatâ primâ desinebat secunda, sed per peccatum quodlibet tollebatur subordinatio animæ ad DEUM, ergò & subordinatio sensûs ad hominem, in quâ consistebat felicitas illius statûs, ita ferè S. Thomas 12. qu. 83. art. 3. & ex ipso alii. Respond. in illo statu fuisse quidem utramque subjectionem, sed non æquè necessariò, in re ipsa est melior subjectio hominis ad DEUM, quàm sensûs ad hominem, tamen in ordine ad illum statum instituendum magis principalis erat illa secunda, quia status ille fuit cujusdam felicitatis corporalis & præternaturalis, atque

cujusdam immunitatis à corporalibus incommodis, nempè à morte & verecundia, sive concupiscentia, quòd autem una subjectio dependeret ab alia, asserunt quidem Adversarii, sed non probant satis. Deindè detur, hæc omnia verè assumi, facilè adhuc solvitur argumentum, dicendo, quòd per peccatum quodcunq; tolleretur subjectio hominis ad DEUM, sed differenter per levia leviter, per gravia notanter, atque ita per peccatum veniale non tolleretur planè ille status, sed ut maximè minuebatur. Imò possum utcunque retorquere ratione theologicâ sic: Peccatum veniale non tollebat amicitiam hominis cum DEO, imò non imminuebat eam, quia gratia sanctificans non minuitur per venialia, alioquin tolleretur tandem per multa talia, & sic plura venialia facerent mortale, ex quo antecedente secundùm arguentes sequi debet, quòd nec veniale aliquod, imò nec multa talia imminuebant illum statum, neque auferebant aliquid de felicitate ejus, quod est Scoti intentum.

Instatur: Potuit DEUS ita dare homini illa dona, ut si peccaret ullo modo, etiam venialiter, omnia amitteret. Respond. Primò, retorquendo argumentum: Potuit ita dare illa, ut per solum mortale amitterentur: itaque fateor, id DEUM potuisse, de facto autem quid fecerit, est ignotum. Ego dico, illum statum non pependisse ab alio, quàm ab esu talis ligni, quoniam lego Dominum DEUM dixisse: *In quacunque die comederis, morte morieris.* Item illud, *aperiuntur oculi vestri.* Quod licèt à diabolo, tamen verissimum dictum refert Moyses, & probat experientia.

Arguitur Secundò: Quòd si veniale peccatum non tolleret illum statum, fieri posset, ut in illo homo acquireret habitus vitiosos, & quidem intensos inclinantes ad venialia, per quos etiam disponeretur ad mortalia; præterea multiplicatis hominibus, multiplicari possent fraudes, mendacia, ambitiones, & similia, quæ non leviter turbarent illam Rempublicam. Respond. Primò, contrarium verius esse, si enim pecata forent levia, non nisi leviter turbarent eam. Respond. Secundò: actus leves non generare habitum, non enim possunt generare intensiorem seipsis, ipsi autem sunt singuli ut unum v. g. quod non vocatur habitus, sed potentia, nam nulla potentia v. g. voluntas potest elicere actum minus intensum quàm ut unum, si autem actus ut unum sit intensus, quæro, quis sit remissus. Respond. Tertiò, in eo statu nunquam genitum iri habitus contra perfectionem ejus v. g. habitum luxuriæ, aut erubescentiæ, morbum habitualem, & si quæ alia erant privilegia illius statûs, ratio est, quia cùm DEUS abstulerit hominibus illis ipsam potentiam naturalem & actum primum concupiscendi ac erubescendi, non fuit conveniens neque possibile rationabiliter, ut permitteret habitum, cùm hic semper supponat potentiam, & sit quoddam augmentum ejus. De aliis autem defectibus aut vitiis, jam dixi, quòd fuerint impertinentia ad illum statum evertendum, aut labefactandum.

Arguitur Tertiò: Quia si status ille esset capax peccati, esset & pœnitentiæ, sed illi statui repugnabat pœna, & omnis omninò molestia, ergò & omne peccatum. Confirmatur: Quia tunc decedens in eo statu, transiret ad purgatorium, quod videtur eo indignum. Respond. argumentum in ipsorum principiis valere, non æquè in nostris, qui proindè differimus ab illis, quia ipsi statum naturæ integræ reddunt beatificum, nos autem non, sed medium inter miserum hunc & illum beatum. Ponimus ergò, quòd homo tunc posset leviter sicut peccare, ita & dolere ac tristari. Audiendus Subtilis: *Nec fortè necesse est ponere, quòd nullus sensitivus appetitus potuit tunc tristari, potuit enim visus tunc videre turpe visibile, & auditus audire turpe audibile, & utrumque potuit offendere appetitum sensitivum, sicut & con-*

& conveniens sensibile delectare. Antequam progrediar ad secundam ponendam conclusionem,

IV. Innocentia in duobus consistebat.

Notandum Primò: Statum innocentiæ maximè constitisse in duobus, scilicet immortalitate, aut verius impassibilitate, atque etiam impudentiâ nuditatis, hæc enim ambo nobis in historia rei gestæ referuntur, reliqua omnia sunt superstructa huic fundamento, & tanquam consequentiæ quædam aut appendices ab Authoribus illatæ & objectæ, maximè ab Augustino, qui est summus præco tot privilegiorum. Verùm attendere oportet, quòd consequentiæ in metaphysicis tenent, ubi res sunt physicâ copulâ sibi innexæ; sed ubi copula est arbitraria, nec alia ratio facti, quàm voluntas facientis, non est deferendum consequentiis, & multò minùs liberis assertionibus ullius, nisi pro se adferat realis authoris, & physicè operantis arbitrium ac non tantum suum.

Notandum Secundò: Justitiam originalem dicere supradicta duo privilegia, & etiam utrumq; pependisse ab abstinentia fructualis arboris, quæ duo scripta legimus in eadem Genes. sed diversis locis cap. 2. *De fructu ligni scientiæ boni & mali nè comedas: in quacunque enim hora comederis, morte morieris.* Ecce immortalitatem abstinenti decretam, mortem autem edenti, quæ ambo puncta concernunt primum. Alterum autem, & ejus probatio ibidem legitur: *Erant autem uterque nudus, & non erubescebant.* Cujus contrarium contigit, quamprimùm comederunt, tunc enim *aperti sunt oculi amborum.* Hæc enim, inquam, certa sunt, quia divinæ fidei innixa, cætera autem humanæ, in qua quilibet potest esse author suæ opinionis, & tàm liberum est uni afferere plura, quàm alteri negare.

V. Innocentię in statu etiam mortaliter potuerunt peccare.

Dico Secundò: *Potuit homo in statu innocentiæ etiam graviter peccare sine justitiæ originalis jactura.* Hæc satis liquet ex præmisso Notabili & ulterius. Probatur Primò ex D. Augustino lib. 14. de Civit. cap. 13. ubi ait: *In occulto autem mali esse cœperunt, ut in apertam inobedientiam laberentur. Non enim ad malum opus perveniretur, nisi præcessisset mala voluntas. Porrò malæ voluntatis initium, quod potuit esse nisi superbia? initium enim omnis peccati superbia est. Quid est autem superbia nisi perversæ celsitudinis appetitus? Perversa enim celsitudo est, deserto eo, cui debet animus inhærere principio, sibi quodammodò fieri atque esse principium. Hoc fit, cùm sibi nimis placet.* Ex quo sic argumentor: Adam & Eva peccârunt alio peccato priusquam peccârunt esu illo vetito, sed neuter amisit justitiam, nisi postquam peccavit esu, ergò illorum justitia non pendebat ab alia innocentia aut obedientia, quàm ab abstinentia esûs: Probatur major, scil. ambos peccâsse alio peccato priusquam peccâssent esu: Quia uterq; & quilibet prius voluit edere, quàm edit, sed velle edere vetitum, sine dubio est peccatum, ac non tantùm ipse esus: sicut & is, *qui videt mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est in corde suo;* peccavit ille certissimè, & est adulter ex sententia Christi, licèt non sit adulteratus corporali complexu, sed solo illo animi; ita Adam & Eva peccaverût volendò comedere prius, antequam comederunt, & tamen originalem felicitatem, immortalitatem & impudentiam nuditatis non amiserunt, nisi postquam ex arbore illa realiter ederunt.

Probatur Secundò: Uterq; peccavit superbiâ volentes nescio quid divinitatis acquirere; Eva videtur peccâsse infidelitate, apparet enim, quòd dubitaverit, an eveniret ipsis, quod Dominus DEUS affirmavit, & minatus est, scilicet morituros: *Præcepit nobis*, inquit, *nè comederemus, & nè tangeremus illud, nè fortè moriamur.* Gen. 3. Vides dubitantem & hærentem; undè & animata est ad prævaricationem præcepti. Peccavit etiam immittendo se periculo tot dialogis cum serpente, ut & curiosè intuendo lignum, cùm ejus pulchritudo

tudo & suavitas eam invitaret ad fruendum fructu ejus. Peccavit etiam Adam non solùm volendo comedere, sed etiam audiendo uxoris incitamenta & persuasiones eò tendentes, quod etiam Scriptura ipsa affirmat: *Quia audisti vocem uxoris tuæ & de ligno, de quo præceperam tibi, nè comederes, comedisti*, ubi vides separatim poni comestionem fructûs, & auscultationem uxoris. Fateor in Scripturis Biblicis illud *audire* item *audire vocem* subindè póni pro eo, quod est obaudire, sive obedire, hoc loco tamen & similibus ex tenore sententiæ patet, quòd debeat capi pro actione sensitiva audiendi, nam in negotio magni ponderis, quale, si quod unquam, fuit istud, à quo dependebat mors & immortalitas totius generis humani non modò objectum vetitum, sed omnes etiam occasiones oportebat vitare & cavere, Devteron. 13. *Si surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat &c. & dixerit: Eamus & serviamus Diis alienis, non audies verba prophetiæ illius.* Quo loco interdicitur locutio & auditio ipsa sensibilis, sicut & amplius infrà ibidem: *Si tibi voluerit persuadere frater tuus, filius matris tuæ, vel filia, sive uxor, &c. non acquiescas, non audias, nec parcat oculus tuus, sed statim interficies eum.* Sed in contra

Arguitur pro Thomistis: Eo ipso, quo homo peccaret mortaliter, tunc fieret reus æternæ mortis, & consequenter poneretur in statu capaci pœnæ, doloris, & mortis, ista autem omnia (ultimum quàm maximè) repugnant conditioni illius status. Nec est, quòd dicas, mortem quidem repugnare, reatum autem mortis nequaquam. Respond. Negando min: Quia etiam postquam homo peccavit contra proprium præceptum illius statûs, non incurrit mortem statim, sed tantùm necessitatem moriendi, hanc autem incurreret quocunque peccato mortali, alioqui illud non esset mortale. Respond. Secundò extra formam: Quòd si Adam aut alius peccâsset mortaliter in illo statu, neque peccâsset contra præceptum de esu ligni vetiti, quod, inquam, incurreret reatum tormentorum, sed in alia vita, id est, postquam desiisset esse viator, non autem incurreret reatum mortis corporalis in eo statu, aut omninò in hac vita; quod autem infertur deindè similem fore incursum illum ei, quem de facto passus est, scilicet necessitatem moriendi in vita præsenti & statu viatoris, in eo autem casu semper esset vivens etiam immortaliter, donec absolveret statum viæ; in quo est latum discrimen utriusque, nam ob peccatum, quod de facto commisit Adam, cœpit statim non solùm mortalis, aut moriturus esse, sed etiam moribundus ac moriens qualibet die, licèt non absolveret mortem quocunque die, sed ultimo duntaxat.

QUÆSTIO TERTIA.

An post peccatum Adæ liberum in nobis manserit arbitrium?

L*iberum Arbitrium sic confitemur*, ait S. Augustinus serm. 191. de tempore, *ut dicamus nos* DEI *semper indigere auxilio, & tàm illos errare, qui cum Manichæo dicunt, hominem peccatum vitare non posse, quàm illos, qui cum Joviniano asserunt hominem non posse peccare. Uterque enim tollit arbitrii libertatem. Nos verò dicimus hominem semper & peccare & non peccâre posse, ut nos liberi confiteamur esse arbitrii. Hæc est fides, dilectissimi fratres, quam in catholica didicimus Ecclesia, quamque semper tenuimus & tenemus, quam credimus, & à nobis deinceps posse teneri.* — 1. Arbitrium liberum negant hæretici antiqui & moderni.

Et hoc arbitrium liberum negabant Manichæi, ex eo, quia existimabant in homine esse duas animas, unam bonam & alteram malam, & consequenter duas voluntates, bonam unam & alteram malam. Priscillianistæ quoque negabant arbitrium liberum, sed ex alio principio, nempè quia existimabant humanam voluntatem esse stellis alligatam, & ab ipsa-

ab ipsarum influxu dependere in operari, quod ordinariè refutatur in Philosophia, cùm agitur de Fato. Moderni nostri Sectarii itidem negant, sed diversimodè, nam Lutherus, Melanchthon, Wicleffus negant simpliciter liberum arbitrium, Calvinus verò negat illud dari in ordine ad actus vitæ æternæ dignos, docent enim libero arbitrio non repugnare necessitatem naturalem, sed solam necessitatem coactionis, & sic fatentur hominem lapsum esse liberi arbitrii, quia non coactè, sed spontè & voluntariè facit & operatur. Sed dolosè agunt. Imò Lutherus convictus scripturis & rationibus etiam suam mitigavit opinionem, ut in naturalibus & civilibus nos fateatur esse liberos, non autem in iis, quæ ad pietatem & salutem spectant, quoad hæc enim liberum arbitrium esse titulum sine vitulo, nomen sine re. Sed in contra

II. Liberum arbitrium non est titulus sine re.

Dico Primò: *Liberum arbitrium non est res de solo titulo, aut titulus solus de re.* Hæc est de fide, & Probatur Primò Genes. 1. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius;* ubi apertè homini, etiam post lapsum tribuitur dominium, & potestas respectu suarum actionum. Nam clarè dicitur ad Cain: *Sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius,* scilicet peccati, nam illud immediatè præcedit, & nihil aliud ad quod possit referri. Undè manifestè convincitur error Novatorum, qui persuadere volunt homini remansisse post lapsum voluntatem quidem ad bonum, sed non liberam voluntatem, sed quæ à DEO necessariò impellitur, cùm hoc loco Geneseos apertè dominium in suas actiones homini tribuatur, & apertissimè Apostolus necessitatem opponat potestati suæ voluntatis. Clariùs autem Ecclesiastici 15. *DEUS ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata & præcepta sua: Si volueris mandata servare, conservabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Quæ Scriptura apertè loquitur non de homine in statu innocentiæ, sed naturæ lapsæ, prout examinanti contextum luculenter patebit. Et videtur Ecclesiasticum ad illud Devteron. 30. respexisse, ubi sic legitur: *Proposui in conspectu tuo vitam & bonum, & è contra mortem & malum.* Et infrà: *Elige ergò vitam, &c.* Et similis locus est Esaiæ 1. *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis: quod si nolueritis &c.* Tale est illud Zachariæ 11. *Si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam, & si non, quiescite.* Et Matth. 12. *Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum, aut facite arborem malam, & fructum ejus malum.* Legimus quoque Davidi datam optionem, ut ex tribus plagis, quam vellet, eligeret, 2. Reg. ult. & 1. Paralyp. 2. 21. Sed & Susannæ in angustiis constitutæ deliberatio atq; electio (quæ præscribitur Danielis 13. palàm arguit hanc arbitrii libertatem. Pertinet etiam huc illud 1. Corinth. 7. *Non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis.* His enim verbis non tantùm excludi necessitatem coactivam, ut illi interpretantur, sed & naturalem, patet ex eo, quod præcedit: *Quod vult faciat*, quasi diceret, utrumque liberè eligat. Omitto plurimas alias auctoritates S. Scripturæ, quas fusè adducunt Scholastici & etiam Patres, ut Augustinus de gratia & libero arbitrio cap. 2. tàm ex novo quàm antiquo testamento, undè lib. 2. de actis cum Felice Manichæo cap. 8. concludit: *Jam diximus & probavimus per divinas Scripturas, esse liberum arbitrium: DEUM autem esse liberi arbitrii justum Judicem, remuneratorem fidelium, eique se subjicientium & volentium se sanari, damnatorem autem superborum & impiorum.*

Probatur Secundò ex definitione Concil. Trident. Sess. 6. Can. 5. ubi dicit: *Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo*

Digitized by Google

Solo titulo, imò titulum sine re, figmentum denique à Satana invectum in Ecclesiam: anathema sit.

Probatur Tertiò ex eodem S. Augustino lib. de vera Religione cap. 14. ubi dicit: *Nunc verò usque adeò peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium: & hoc quidem manifestum est, ut nulla hinc Doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat. Quare aut negandum est peccatum committi, aut fatendum est voluntate committi.* Et paulò pòst subjungit: *Quoniam peccari non dubium est, nec hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium.* Et lib. de quant. animæ cap. 36. *Datum est animæ liberum arbitrium, quod qui nugatoriis ratiocinationibus labefactare conantur, usque adeò cœci sunt, ut nè ista ipsa quidem vana atque sacrilega propriâ voluntate se dicere intelligant, nec tamen ita liberum arbitrium animæ datum est, ut quodlibet eo moliens, ullam partem divini ordinis legisque perturbet. Datum est enim à sapientissimo atque invictissimo totius creaturæ Domino.* Et de hac materia scripsit integros tres libros absque aliis disputationibus cum hæreticis. D. Augustino adde alios Patres, Nazian. in Apolog. *Arbitrii libertas parem in utramque partem motum habet.* Hilarius in Psalm. 2. *Unicuique voluntarium in libertatem vitæ, sensumq; permisit, non necessitatem in alterutrum affigens.* Ambros. lib. 2. de fide cap. 3. *Pro voluntatis arbitrio non pro necessitatis obsequio.* Hieron. in epist. ad Damas. de filio prodigo: *Dedit ei liberum arbitrium, dedit ei mentis propriæ libertatem, & ut viveret unusquisque non ex imperio DEI, sed obsequio suo, id est, non ex necessitate, sed ex voluntate, ut virtus haberet locum, ut à cœteris animantibus distaremus, dum ad exemplum permissum est nobis facere quod velimus.*

III. Liberum arbitrium non est per peccatum Adæ extinctum.

Dico Secundò: *Liberum hominis arbitrium licèt per Adæ peccatum viribus sit attenuatum, non tamen per illud est extinctum aut amissum, sed est res vera & entitas operativa potens velle & nolle, liberè libertate non solùm à coactione, sed etiam à necessitate in ordine quoque ad vitam æternam.* Ita Tridentinum: tùm suprà, tùm Can. 4. ubi ait: *Si quis dixerit, liberum arbitrium neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omninò agere, mereq; passivè se habere, anathema sit.* Ubi clarissimè supponit, quòd istud velle adeoque dissentire sit in potestate hominis, si enim gratia DEI vocantis sit necessitans, non benè diceretur posse hominem gratiæ ipsum necessitanti dissentire, si velit, adeoque particula *Si* non sumitur merè conditionaliter, aut concomitanter, nec habet merè vim consequentem, sed importat habitudinem principii seu potentiæ respectu velle seu dissentire. Nec obstat, quòd Tridentinum in eodem Canone addat: *Hominem non veluti inanime quoddam nihil omninò agere, meréque passivè se habere*, scilicet contra Lutherum: Quia hujusmodi ineptum loquendi modum sic damnat, ut insuper declaret, hominem cooperari, & quidem liberè contra Calvinum, & ipsius Lutheri asseclas, qui duriorem Lutheri locutionem mitigârunt, dicentes, hominem cooperari, sed necessariò.

Probatur Secundò Authoritate Scripturæ in ordine ad actiones supernaturales esse liberum arbitrium: Isaiæ 1. *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perversè.* Ezechielis 18. *Et cùm averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, & fecerit judicium & justitiam: ipse animam suam vivificabit.* Proverb. 1. *Quia vocavi, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis id, quod timebatis, advenerit:* & alibi sæpè. Item ex novo testamento, Actor. 7. *Durâ cervice & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut Patres vestri, ita & vos.* Ad Coloss. 3.

Digitized by Google

Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum eum, qui renovatur in agnitione DEI, secundùm imaginem ejus, qui creavit illum. ad Rom. 8. 2. ad Corinth. 3. & 15.

Probatur Tertiò: Authoritate Pontificum Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII. qui hos Michaëlis Baji damnârunt articulos: *Quod voluntariè fit, etsi necessitate fiat, liberè tamen fit.* Et *sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Innocentius X. in Bulla: *Cum occasione &c.* declarat hæreticam & ut talem damnat hanc Jansenii Episcopi Ipsensis propositionem: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine à necessitate, sed sufficit libertas à coactione,*

Probatur Quartò: Authoritate Patrum, quorum in hac materia antesignanus est Augustinus, in quo Calvinus & ejus asseclæ gloriantur, tanquam ipse negaret liberum hominis arbitrium lib. 1. contra duas epist: Pelagian. cap. 2. *Quis autem nostrum dicat, quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa, quæ in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam, propter quod natura humana divinâ indiget gratiâ, dicente Domino, si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis: utique liberi ad benè justeque vivendum. Nam liberum arbitrium usque adeò in peccatore non periit.* Et lib. 2. cap. 5. *Peccato Adæ liberum arbitrium de hominum natura periisse non dicimus, sed ad peccandum valere in hominibus subditis diabolo: ad benè autem pieq; vivendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis DEI gratiâ fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, sermonis, cogitationis adjuta.* Et lib. 83. qq. q. 24. dicit: *Meritum pœnæ, peccatum, & meritum præmii rectè factum est. Nec peccatum autem, nec rectè factum imputari cuiquam justè potest, qui nihil fecerit propriâ voluntate. Est igitur & peccatum & rectè factum in libero voluntatis arbitrio.* Et in pluribus, ac penè infinitis aliis locis, ubi semper & constanter, non obstante necessitate gratiæ, liberum defendit arbitrium.

IV. Augustinus exorto Pelagianismo non variavit doctrinam de libero arbitrio.

Dices: Sanctum Doctorem agendo contra Manichæos extulisse quidem liberum arbitrium, ut ipse fatetur lib. 1. Retract. cap. 9. ita ut parvam fecerit mentionem de divina gratia, ast exorta hæresi Pelagianorum mutâsse sententiam suam, & longè diversam tradidisse doctrinam, ostendendo liberum arbitrium in homine lapso nihil posse sine gratia, quæ totum quantum in ipso operatur. Respond. hanc esse consuetam hæreticorum calumniam, nam etiam exortis Pelagianis nihil contrarium priori tradidit doctrinæ, nam Augustinus ægrè tulit, quòd sibi ab illis objiceretur, quòd liberum arbitrium immodica gratiæ defensione destrueret, eamque calumniam ipsemet refutavit elegantissimè lib. 4. contra Julianum cap. 8. ubi Julianum sic alloquitur: *Asseris me in alio libro meo dixisse*, negari liberum arbitrium, si gratia commendetur, & iterum negari gratiam, si liberum commendetur arbitrium. *Calumniaris. Non hoc à me dictum est, sed propter ipsius quæstionis difficultatem videri hoc potest dictum esse & putari. Non est multum, ut ipsa verba mea ponam, undè videant, qui hæc legunt, quemadmodum scriptis meis insidieris, & quâ conscientiâ, vel tardis, vel ignaris cordibus abutaris, ut ideò te existiment respondere, quia non vis tacere. In novissimis enim partibus primi libri mei ad S. Pinianum, cujus est titulus: De gratia DEI contra Pelagium: Ista, inquam, quæstio ubi de arbitrio voluntatis & DEI gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari DEI gratia videatur: quando autem asseritur DEI gratia, liberum arbitrium putetur auferri &c. Tu autem vir honestus & verax, abstulisti verba, quæ dixi, & dixisti, quod ipse finxisti. Ego enim dixi: Istam quæstionem ad discernendum esse difficilem, non autem dixi, non posse discerni. Multò minus*

ergò dicerem, quod me dixisse mentiris: negari liberum arbitrium, si gratia commendetur, & negari gratiam, si liberum commendetur arbitrium. Redde verba mea, & vanescet calumnia tua. Hucusque S. Augustinus. Idem refutat lib. 2. de Nuptiis & Concup. cap. 3. & lib. 1. contra duas epistol. Pelagian. cap. 2. & alibi: Si autem liberum arbitrium ejusque libertas non acciperetur pro libertate indifferentiæ, sed pro libertate à coactione, non esset quòd ratio tàm docti viri angustiaretur, quia hanc à coactione quilibet idiota posset cum gratia concordare.

Deindè D. Augustinus doctrinam negantem liberum arbitrium post dogma Pelagii non minus quàm antè retulit in hæresim Manichæorum. hæresi 46. & lib. 4. contra duas epist. Pelagianorum cap. 4.

Tertiò: Quia cum Monachi Adrumentini sentirent per gratiam destrui liberum arbitrium, hanc ob causam ex professo assumpsit occasionem scribendi librum de gratia & libero arbitrio ad Valentinum, undè cap. 2. ait: *Revelavit autem nobis per Scripturas suas sanctas, esse in homine liberum voluntatis arbitrium. Quomodo autem revelaverit commemoro vos non humano eloquio, sed divino. Primum, quia ipsa præcepta divina homini non prodessent, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens, ad promissa prœmia perveniret. Ideò enim data sunt, ut homo excusationem de ignorantia non haberet: sicut Dominus dicit in Evangelio de Judæis: Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent.* Et epist. 46. ad Valentinum. Non est autem credibile, Monachos Adrumentinos ita desipuisse, ut putaverint per gratiam lædi libertatem à coactione, cùm oppositum quisque evidenter experiretur, sed putabant tolli libertatem à necessitate, quam tàm industriosè in illo defendit libro.

Quartò: Quia nunquam S. Augustinus reprehendit Pelagianos, quòd defendant liberum arbitrium, sed quòd nimias ei vires tribuant, undè lib. 2. de Nuptiis & Concupisc. cap. 3. dicit: *Liberum itaque in hominibus esse arbitrium, & DEUM esse nascentium conditorem, utrique dicimus, non hinc estis Celestiani & Pelagiani: liberum autem quenquam esse bonum sine adjutorio DEI, & non erui parvulos à potestate tenebrarum, & sic transferri in regnum DEI, hoc vos dicitis, hinc estis Celestiani & Pelagiani.*

Probatur Conclusio superior 4. Rationibus ex præfatis Augustini textibus assumptis Primò: Quia aliàs homini gratis exponerentur præcepta, cùm homo non esset illis obligatus, utpotè, quæ servare non posset, sicut de facto pueri & phrenetici nullis ligantur præceptis, undè lib. de fide contra Manichæos dicit: *Quis enim non clamet, stultum esse, præcepta dare ei, cui liberum non est, quod præcipitur, facere: & iniquum esse eum damnare, cui non fuit potestas jussa complere? Et has injustitias & iniquitates miseri non intelligunt DEO se adscribere. Sed quid verum est, nisi & Dominum dare præcepta, & animas liberæ esse voluntatis, & malum naturam non esse, sed esse aversionem à DEI præceptis, & esse justum judicium DEI, quo damnet peccantes?* Ex quo sequitur ratio

Secunda: Quia aliàs homines non possent mereri vel demereri, per id enim, quod non est in nostra potestate, ut ponamus vel non ponamus, nihil possumus mereri vel demereri, hinc quoque tolluntur prœmia & supplicia, quæ meritis & demeritis correspondere debent.

Tertiò: Quia in homine est consultatio de pluribus mediis, eamque sequitur electio alicujus medii ad libitum, ut experientia cujuslibet patet, ita ut si homo verè liber esset (sicut de facto eum liberum & Scriptura omnis, Ecclesiæ antiquitas, & universitas Gentium tenet) non alia quàm quæ nunc libertatis experientia haberetur. Quod Confirmatur ad hominem Calvinistam, si medium à voluntate necessariò eligitur,

tur, cur Calvinistæ, cùm ab aliquo læduntur, irascuntur, si ex animo sentiunt, lædentem necessariò ad hoc medium eligendum compelli, si dicant se etiam necessariò irasci, tunc quæro, quare non irascantur, quando à puero vel phrenetico similem patiuntur injuriam, ratio profectò nulla alia est, nisi quia his deest libertas.

Quartò: Quia si sufficit ad liberum arbitrium libertas à coactione tantùm, ergò in brutis spontè se ad pabulum ferentibus est libertas: Item erit furiosis, somniantibus liberum arbitrium, cùm hi spontè, & sine coactione agant. Denique sequeretur, quòd DEUS Pater genuerit liberè filium, quia non coactè, imò malè reprehendimus Aristotelem, quòd docuerit DEUM ad extra necessariò agere, cùm nec Aristoteles, nec ullus alius unquam negaverit DEUM esse liberum à coactione.

V. DEUS quâ ratione omnia operatur in nobis.

Opponuntur Primò contra conclusionem plurima Scripturæ loca, in quibus DEUS dicitur, omnia opera operari Proverb. 21. *Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini: quocunque voluerit, inclinabit illud.* Ad Roman. 9. *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est DEI.* Isaiæ 26. *Domine dabis pacem nobis: omnia enim opera nostra operatus es nobis.* Ad Philippens. 2. *DEUS est enim, qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Et alibi sæpè dicitur, corda nostra tangere, inclinare &c. atqui hæc omnia nequeunt subsistere cum libertate indifferentiæ, sed solùm à coactione, non verò à necessitate, ergò. Respond. Negando consequ: Quia in omnibus illis locis non sic dicitur DEUS omnia nostra operari, quasi nos etiam non operemur liberè, sed quia nobis operantibus cooperatur, nam ad Rom. 8. dicit Apostolus: *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram.* Undè in epist. 1. ad Corinth. 3. *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem, DEI enim sumus adjutores.* Deindè inclinat quoque efficaciter voluntates nostras pro suo beneplacito, sed per illustrationes & excitationes prævenientes, quæ licèt non sint in nostra potestate, tamen voluntatem ad efficacem consensum non necessitant, sed ad illum alliciunt efficaciter seu infallibiliter, salva hominis libertate, qui posset dissentire, si vellet, quod licèt explicatu difficile sit, & pauci illud penetrent, ut ipsemet S. Augustinus fatetur suprà in lib. 2. contra duas epist. Petiliani & de gratia Christi: firmiter tamen credendum est esse liberum arbitrium in homine, quod nobis per Scripturam constat, non sollicitando de concordia, &c.

Opponitur Secundò Authoritas S. Augustini in Enchirid. cap. 30. ubi ait: *Libero arbitrio malè utens homo, & se perdidit, & ipsum. Sicut enim, qui se occidit, utique vivendo se occidit, sed se occidendo non vivit, nec seipsum potest resuscitare, cùm occiderit: ita cum libero peccaretur arbitrio, victore peccato amissum est & liberum arbitrium, à quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est.* Et epist. 107. ad Vitalem dicit: *Proindè hoc opus est gratiæ, non naturæ. Opus est, inquam, gratiæ, quam nobis attulit secundus Adam, non naturæ, quam totam perdidit in semetipso primus Adam.* Et paulò post subjungit: *Quia & liberum arbitrium ad diligendum DEUM primi peccati granditate perdidimus*, ergò post peccatum Adæ non remansit in nobis liberum arbitrium. Respond. negando consequ: Quia S. Augustinus in his locis non loquitur de nativa libertate indifferentiæ, sed tantùm de libertate à peccato & miseria. Deindè loquitur de libero arbitrio, prout est constitutum cum requisitis omnibus ad benè agendum, meritoriè operandum *sicut oportet*, & ad diligendum DEUM, & hoc liberum arbitrium, cum omnibus suis comprincipiis, non secundùm naturam, sed secundùm dona gratuita & voluntatem efficaciter elevantia omninò Adam suo peccato sibi & nobis perdidit. Et hoc tantùm velle D. Augustinus, patet

tet ex contextu, nam in primo loco Enchiridii dicit hominem seipsum peccato suo perdidisse, quod utique non est verum de ipsa natura & substantia hominis, sed de donis & beneficiis immortalitatis, justitiæ originalis, & subjectionis carnis ad spiritum, adeóque similiter discurrendum est de libero arbitrio. Undè in lib. 1. contra duas epist. Pelagian. cap. 2. dicit: *Liberum arbitrium usque adeò in peccatore non periit.* Vide illum suprà.

Instatur: S. Augustinus admisso libero arbitrio, ad rationem libertatis tamen non requirit indifferentiam, ut patet lib. de natur. & grat. cap. 46. ubi dictum Pelagii hoc *Voluntatis arbitrio ac deliberatione privatur, quidquid naturali necessitate constringitur*, sic refutat, dicens: *Et hic nonnulla quæstio est, perquàm enim absurdum est, ut ideò dicamus non pertinere ad voluntatem nostram, quòd beati esse volumus, quia id omnino nolle non possumus, nescio quâ & bona constrictione naturæ: nec dicere audemus, ideò DEUM non voluntatem, sed necessitatem habere justitiæ, quia non potest velle peccare.* Ubi per hoc: *Quia id omnino nolle non possumus*, excludit *indifferentiam contrarietatis*, & per justitiam DEI *indifferentiam contradictionis*, certissimum enim est, DEUM, esse determinatum omninò ad justitiam, ut peccare non possit. Respond. neg: consequentiam. Quia ut Bellarminus & alii Theologi docent, S. Augustinus tantùm improbat ibi dictum Pelagii acceptum in tota sua latitudine, quia scilicet non quælibet necessitas adimit libertatem, quod probat duplici exemplo, in quo est necessitas quoad specificationem quantum ad contraria, & manet libertas quoad exercitium, seu indifferentia contradictionis, sic enim liberè volumus beatam vitam, sicut DEUS justitiam, licèt non possit velle injustitiam, liberè tamen quoad exercitium, quædam justa vult & facit, aut non vult & omittit ac liberè qnoad specificationem ex pluribus justis plura eligit, nam ad generalem rationem veræ libertatis non requiritur facultas ad bonum & malum, sicut contra Julianum sæpius arguit Augustinus adducto exemplo de libertate DEI, qui nequit peccare, licèt libertas viatorum sit talis, quæ etiam eatenus est imperfecta.

Urgetur: S. Augustinus lib. 5. de Givit. DEI cap. 5. contra Ciceronem, qui divinam præscientiam tanquam inimicam humanæ libertatis negabat, sic discurrit, & ipsum sic redarguit: *Si autem illa definitur esse necessitas, secundum quam dicimus necesse esse, ut ita sit aliquid, vel ita fiat, nescio cur eam timeamus, nè nobis libertatem auferat voluntatis. Neque enim & vitam DEI & præscientiam DEI sub necessitate ponimus, si dicamus, necesse esse DEUM semper vivere, & cuncta præscire, sicut nec potestas ejus minuitur, cùm dicitur: mori, fallique non posse.* Et paulò pòst subjungit: *Quocirca nullo modo cogimur, aut retenta præscientia DEI, tollere voluntatis arbitrium, aut retento voluntatis arbitrio, DEUM (quod nefas est) negare præscium futurorum: sed utrumque amplectimur, utrumque fideliter & veraciter confitemur.* Sed vita DEO non competit liberè libertate indifferentiæ, ergò. Respond. cum Bellarmino, & aliis Augustinum ibi agere de necessitate consequenti & sensûs compositi, qualis tantùm ex præscientia nascitur, & non officit libertati, idque probat tribus exemplis: Primum sumit ex vita DEI in actu secundo, licèt enim DEUS necessariò semper vivat, liberè tamen vita DEI, scilicet intellectio & volitio ad multa extenditur. Similiter Secundò ex hypothesi divini Decreti de futuritione rerum, necessariò DEUS illas præscit, quas tamen non præscivisset, si liberè eas non voluisset. Et Tertiò ideò ponitur liberum arbitrium sub necessitate infensa libertati, quia necesse est ut homo, quidquid vult, velit libero arbitrio, & consequenter non obest necessitas orta ex præscientia, utpote consequens, vel supponens

VI. Præscientia DEI non obest libertati nostræ.

Digitized by

ponens ipsam libertatem. Videatur ibidem Augustinus.

Arguitur Tertiò: Opponendo libertatem DEI in amore suo, Beatorum in amore DEI, Christi in adimpletione præceptorum à Patre datorum, dæmonum in peccando, in quibus omnibus libertatibus deficit indifferentia, & subest necessitas physica, ergò ad liberum arbitrium sufficit libertas à coactione, & non requiritur à necessitate. Undè S. Augustinus lib. 22. Civit. cap. 30. ait: *Sicut prima immortalitas fuit, quam peccando Adam perdidit, posse non mori, novissima erit non posse mori: ita primum liberum arbitrium, posse non peccare: novissimum non posse peccare - - - Certè DEUS ipse nunquid quia peccare non potest, ideò liberum arbitrium habere negandus est?* Respond. neg: consequ: Quia licèt physica necessitas sit in amore, quo seipsum DEUS amat, & passim à Doctoribus supponitur esse in fruitione beatorum, & juxta aliquos in actionibus malis dæmonum, qui consequenter non peccant; attamen rectius dicitur & simpliciter tenendum, eos esse physicè liberos tum in electione variorum peccatorum, tùm in electione & omissione peccati, quamvis de facto semper peccent aliquibus peccatis ex voluntaria obstinatione, quæ statuit tantùm necessitatem moralem & consequentem, unde verè peccant, licèt non demereantur, quia sunt extra statum viæ. Econtra de facto non peccant omittendo actum aliquem supernaturalem, utpotè ipsis defectu principii supernaturalis impossibilem. De CHRISTO dico, eum fuisse præditum libertate indifferentiæ ad meritum requisita, ut dico in tertio Sententiarum. Sit igitur

DISPUTATIO SECUNDA.

DE Nostro libero Arbitrio.

Liberum arbitrium esse in homine etiam post lapsum primi Parentis nostri Adami, definiunt Concilia, & signanter Trident. suprà, probant Patres, & universa tenet Ecclesia, ita quòd D. Augustinus lib. 3. Hypogn. paulò post medium dicat: *Est liberum arbitrium, quod quisquis esse negaverit, Catholicus non est: Et quisquis esse sic dixerit, quòd sine DEO bonum opus, id est, quod ad sanctum ejus propositum pertinet, nec incipere, nec perficere possit, Catholicus est. Quibus enim dicitur in Psalmis, nisi liberum arbitrium habentibus: venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos, Item à Domino in Evangelio Discipulis: Omnis, qui audit verba mea hæc, & faciet ea. Item, vos amici estis, si feceritis, quæ ego mando vobis.* Et iterum: *Quomodo autem unicuique secundùm*

dùm opera sua redderetur in die Judicii, nisi liberum esset arbitrium. Et iterum: *In omni itaque opere sancto prior est voluntas DEI posterior liberi arbitrii, id est, operatur DEUS, cooperatur homo.* Quod etiam suprà sufficienter docui. Nunc progredior ad explicandam ejus naturam. Sit igitur

QUÆSTIO PRIMA.

Quid in nobis sit liberum Arbitrium?

I. Voluntas dupliciter considerari potest.

NOn parva est controversia inter Authores in explicanda liberi arbitrii natura, nam Hervæus quodl. 1. q. 1. docet, Liberum arbitrium consistere in actibus intellectûs & voluntatis, nimirum in simplici apprehensione objecti, & in voluntate deliberandi. Albertus 2. d. 24. & alii existimant, liberum arbitrium esse habitum superadditum potentiis hominis. Alii dicunt, esse potentiam, sed isti iterum inter se diversificant, nam aliqui eam collocant in appetitu sensitivo, saltem quoad peccatum veniale, ut Cajetanus qu. 64. a. 4. Noster Alensis 2. p. q. 42. dicit: liberum arbitrium esse potentiam ab intellectu & voluntate distinctam, sed intelligendus est de voluntate, ut est principium spontaneè agendi præcisè. Alii aliter sentiunt. Verùm pro nostri irrefragabilis Doctoris defensione & intelligentia Notandum, dupliciter considerari posse, uno modo quatenus est principium agendi spontaneè circa objectum sibi congruum & gratum, suppositâ cognitione, abstrahendo à modo agendi cum indifferentia, & ut sic considerata habet formalem rationem voluntatis, & in hac acceptione secundùm Alensem liberum arbitrium distinguitur à voluntate secundùm rationem conceptûs. Alio modo consideratur voluntas, quatenus est principium agendi cum indifferentia, & sic dicitur habere rationem liberi arbitrii, & non voluntatis formaliter, quod benè notandum est, nam exhinc oriuntur diversæ inter Recentiores æquivocationes, dum aliqui dicunt, liberum arbitrium consistere in voluntate formaliter: alii non: & videntur sibi contradicere, cùm tamen non contradicant, nam qui dicunt, in voluntate non consistere, intelligunt hoc in sensu formali & reduplicativo, quatenus scilicet voluntas est, accipiendo voluntatem formaliter in sensu explicato. Et qui dicunt ipsum consistere in voluntate, accipiunt voluntatem realem, quatenus scilicet illa potentia, quæ dicitur voluntas, sub una ratione est etiam liberum arbitrium. Alii aliter discurrunt, antequam autem quæstionem resolvam, præmitto aliam conclusionem, quâ

Dico Primò: *Quamvis de fide sit dari, non est tamen evidenter demonstrabile dari in nobis liberum arbitrium ad bonum, & malum formaliter faciendum.* Hæc conclusio est contra Bellarminum, Tannerum & alios. Probatur conclusio: Quia nulla ratio evidens id convincit, ergò. Probatur antec: solvendo rationes, quibus Authores citati id probare conantur, nam dicere lumine naturæ notum esse, dari in nobis peccatum, eò quòd stimulet nos quandoque propria conscientia, peccata autem non possunt esse, nisi liberum sit in homine arbitrium, atqui hoc argumentum nihil probat, nam in majori petitur principium, quòd enim nunc habeamus stimulos & remorsus conscientiæ, est forsitan ex educatione, undè qui inter turcas & gentiles educatur, non habet tales stimulos: melius autem dicitur esse ex particulari DEI gratia & illuminatione. II. Liberum arbitrium dari evidenter non potest demonstrari.

Dicere

Dicere Secundò: Esse demonstrabile DEUM dari, etiam ut Judicem prohibentem mala, & bona prœmiantem, quod non esset verum, nisi in homine daretur liberum arbitrium. Ast pergo refutando, hoc iterum nihil convincit, quia major pro secunda parte negatur, nec ulla ratione demonstrabitur, DEUM esse supremum Judicem malorum aut bonorum moralium, prius enim debet demonstrari dari bonum aut malum moraliter, quod fieri non potest, ergò. Dicere denique, homines terroribus & minis coërceri, & blanditiis allici, nihil quoque probat, quoniam etiam bruta minis & terroribus coërcentur, & blanditiis alliciuntur, cùm tamen non sint libera.

III. Liberum arbitrium non est actus aut habitus. Dico Secundò: *Liberum arbitrium non est actus ullus, vel habitus.* Est communis contra Authores suprà citatos. Probatur prima pars: Quia ex unanimi Patrum sententia, liberum arbitrium est quid creatum naturæ nostræ insitum, & inamissibile, sed nullus actus seu intellectûs, seu voluntatis est quid tale, imò sunt amissibiles, tanquam naturæ supervenientes, suntque multiplices, non unum quid, ergò. Quod confirmatur: Quia aliàs careret libero arbitrio, qui careret actu, illudque perderet toties, quoties perderet actum, & reciperet, quoties reciperet actum.

Probatur Secundò eadem pars contra Hervæum, quia posita simplici apprehensione objecti, vel est in potestate voluntatis elicere actum deliberandi, vel non elicere: vel necessariò elicit talem deliberationem, si primum, ergò in voluntate reperitur libertas ante affectum & effectum deliberandi, & consequenter liberum arbitrium non consistit in prima apprehensione objecti & voluntate habente affectum deliberandi. Confirmatur: Quia liberum arbitrium dicitur communiter posse agere, & non agere, quod non actui convenit, sed principio actûs, quare licèt aliquando Patres secundùm grammaticum communem sensum accipiant liberum arbitrium pro quadam volitione & exercitio voluntatis, nihilominus propriè accipitur pro principio hujus actûs.

Probatur secunda pars ex natura habituum: Hebitus non est naturæ inditus, sed acquisitus per frequentes actus, vel infunditur, quo carere possumus, & iterum illum amittere, liberum arbitrium autem est naturæ inditum & concreatum: habitus tantùm sunt ad faciliter operandum, liberum arbitrium est simpliciter necessarium principium ad agendum cum indifferentia. Habitus determinant naturaliter ad unum inclinando potiùs, quàm ad ejus oppositum, liberum arbitrium autem est indifferens ad opposita: Habitus non agunt, nisi determinentur à potentia, cui insunt, quæ si naturalis est, determinabit naturaliter, & sic actus non erit liber, si sit libera, jam præter habitum dabitur potentia libera, in qua consistet liberum arbitrium: Denique liberum arbitrium est entitas substantialis, habitus accidentalis & à subjecto sui destructione separabilis, ergò.

Dices: S. Bernardum Tract. de grat. & lib. arbitr. definire liberum arbitrium per habitum, ergò. Respond. conc: antec: & neg: consequ: Quia mellifluus Doctor utitur vocabulis ad suum propositum, & habitum ibi accipit pro habitudine ad actum, & talis habitudo est ipsamet potentia. Sic etiam intelligendus est S. Bonaventura, & alii Patres, qui aliquando liberum arbitrium per actum ipsum explicant, seu pro actu ipso sumunt aliquando pro habitudine, & tunc habitum appellant, quamvis semper voluntatem intelligant esse illorum principium. Similiter quando Patres dicunt, liberum arbitrium consistere in actibus intellectûs & voluntatis, intelligendi sunt præsuppositivè unus, alter tanquam effectus liberi arbitrii, seu voluntatis.

Dico Tertiò: *Liberum arbitrium consistit in potentia aliqua, illa tamen non* IV. Liberum arbitrium non est in

appetitu sensitivo.

non est sensitiva. Secunda pars est contra Cajetanum existimantem in appetitu sensitivo esse libertatem, sufficientem ad peccatum veniale, adeoque etiam aliquod liberum arbitrium. Probatur prima pars: Tùm ex dictis suprà, quia si non actus vel habitus, necessariò debet esse aliquid potentiale: Tùm, Quia communiter solet concipi liberum arbitrium tanquam principium à natura insitum ad exercendas operationes liberè. Probatur secunda pars: Tùm ex Trident. Sess. 5. Can. 5. ubi definit motus concupiscentiæ in baptizatis non posse nocere non consentientibus per voluntatem: Tùm, Quia SS. Patres communiter docent per solam voluntatem nos peccare: Tùm denique, quia appetitus noster & brutorum est ejusdem rationis, sed in brutis non est libertas, quæ possit constituere liberum arbitrium, aut quæ possit ipsa facere obnoxia vel levissimæ moralis culpæ, ergò nec in hominibus. Nec obstat conjunctio appetitûs nostri sensitivi cum voluntate, quia hæc conjunctio relinquit naturam utriusque potentiæ invariatam, sicut & sensuum, & potentiæ loco motivæ. Hinc

V. Liberum arbitrium est ipsa voluntas.

Dico Quartò: *Hæc potentia est in parte rationali, non est tamen intellectiva seu intellectûs, sed ipsamet, eaque sola voluntas est liberum arbitrium.* Hæc est communis cum Scoto quodlib. 18. n. 9. Et sensus conclusionis est, quòd voluntas vendicet sibi libertatem, ut ipsa etiam sola propriè & absolutè operetur liberè, aliæ autem operationes tantùm censeantur & denominentur liberæ in ordine ad intellectum. Probatur prima pars de intellectu, quòd non sit, quia licèt intellectus sit potentia universalis extendens se ad varios & oppositos actus, diversaque objecta intelligibilia, non tamen operatur circa illa ad suum libitum, sed ad nutum voluntatis, vel prout ab objectis occurrentibus fuerit determinatus, sola autem voluntas est determinativa ipsius ad agendum, & non agendum, & ad diversos agendi modos; hinc in ipso DEO soli voluntati convenit libertas, quia intellectus divinus necessariò intelligit omnia intelligibilia, nec aliter est ei liberum, quædam non intelligere, nisi quatenus est in potestate voluntatis divinæ facere, ut quædam aliquâ ratione non sint intelligibilia, scilicet quæ voluit nunquam esse futura. Confirmatur: Quia esset intellectus formaliter liber, peccaremus ante consensum voluntatis, contractus tàm benè firmarentur intelligendo quàm volendo, seu consentiendo, imò peccaremus semel intelligendo, & semel volendo.

Probatur secunda pars: Ex omnibus illis Scripturæ locis, quæ opera bona & mala per velle & nolle explicant, ut 1. Corinth. 7. *Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc judicavit in corde suo, servare virginem suam, benè facit.* Undè D. Augustinus fusè per similes textus probat liberum arbitrium lib. de grat. & lib. arbitr. cap. 2. dicens: *Apertissimè videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium, quid enim illud, quod tàm multis locis omnia mandata sua custodiri & fieri jubet DEUS? Quomodo jubet? Si non est liberum arbitrium? Quid beatus ille, de quo Psalmista dicit, quòd in lege Domini fiat voluntas ejus? nonne satis indicat, voluntate sua hominem in lege DEI consistere? Deinde tam multa mandata, quæ ipsum quodammodo nominatim conveniunt voluntatem, sicut est noli vinci à malo, & alia similia.*

Probatur Secundò eadem pars: Quia in manu solius voluntatis est, ut loquitur Div. Augustinus lib. de Spir. & litt. cap. 34. *Consentire vel dissentire*, quod repetit dicens: *His ergò modis DEUS agit cum anima rationali, ut ei credat, neque enim credere potest quilibet libero arbitrio, si nulla sit suasio vel vocatio, cui credat profectò & ipsum velle credere DEUS operatur in homine, & in omnibus*

Digitized by Google

nibus misericordia ejus prævenit nos; consentire autem vocationi DEI, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est, ergò in sola voluntate est, posse agere, & non agere etiam proposita propositione objecti, & ipsa sola habet in potestate & dominio hos actus suos, ut de illis disponat sicut vult. Confirmatur: Quia nonnisi voluntate peccatur & benè vivitur ex eodem S. Augustino de duabus animabus cap. 10. ergò etiam nonnisi voluntate quis meretur præmium vel pœnam, & consequenter in illa sola formaliter consistit libertas. Sed in contrarium

Arguitur: Voluntas necessariò sequitur ultimum judicium intellectûs, ergò libertas debet esse in intellectu. Respond. neg: antec: Nam licèt ad omnem operationem voluntatis requiratur operans intellectus, & ordinariè quòd adsit judicium, non tamen requiritur tale, quod voluntarium determinet, sed hæc etiam posito judicio est omninò libera, ut amplectatur, quod maluerit, intellectus autem est tantùm necessarius, ut objectum voluntati repræsentet, quoniam *ignoti nulla cupido*. Sed pro Hervæo.

Instatur: Si ad omnem actum voluntatis requiritur operatio intellectûs, sequeretur voluntatem solam non esse liberum arbitrium, sed ipsam & simùl intellectum, ergò. Respond. distin: sequel: si ad omnem actum voluntatis concurreret intellectus effectivè, seu in genere causæ efficientis, conc: sequel: Si tanquam simplex conditio necessariò requisita, neg: sequel: hunc autem intellectus ad actum voluntatis non concurrit efficienter, sed ostensivè & directivè, ex eo verò, quòd ostendat voluntati objectum volibile, non non sequitur, quòd sit pars intrinseca liberi arbitrii, quia ad omnem actum voluntatis & appetitûs prærequiritur actus potentiæ cognitivæ, nec tamen propterea potentia cognitiva est de ratione potentiæ appetitivæ, ut omnes fateri debent, ergò.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quid & quotuplex sit Voluntarium?

I. Voluntarii ethymon.

Modus agendi arbitrii est voluntariè producere suos actus, quare cognito illo, quod idem sit ac voluntas rationalis, ideò pro majori intelligentia dicendorum hìc subjungo examinationem voluntarii, quod secundùm ethymon derivatur ac voluntate, à qua procedentes actus dicuntur *voliti*, & à modo procedendi *voluntarii* hoc in Scriptura Sacra idem sonat sæpè ac liberum & *voluntariè* idem ac *liberè*. hinc Psalm. 53. dicitur: *Voluntariè sacrificabo tibi*, id est, liberè. Et 2. Machab. 6. de Eleazaro dicitur: *At ille gloriosissimam mortem magis, quàm odibilem vitam complectens, voluntariè præibat ad supplicium.* Sic quoque milites, qui nullo cogente castra sequuntur, in prœlia descendentes, voluntarii dicuntur. & D. Paulus ad Philemonem recommendans Onesimum, dicit: *Sine consilio autem tuo nihil volui facere, uti nè velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.* Deindè latiùs accipiendo voluntarium ex communi usu loquentium, quidquid sub voluntate cadit, voluntarium dici potest: dupliciter autem cadit aliquid sub voluntatem: Primò, ut nudum objectum, & non ut effectus, aut actus voluntatis hoc modo: homicidium ab alio factum me nihil cooperante, sed solùm complacente, censetur mihi voluntarium, hoc etiam docent Theologi, Patrem æternum genuisse Filium vo- voluntate non præcipiente, sed complacente. Et generatim quidquid consonum, vel placens appetitui dicitur largè voluntarium. Secundo modo cadit aliquid sub voluntate ut effectus seu actus ejus, hoc modo, actus voluntatis sive eliciti, ut amor, odium, velle, nolle: sive imperati, ut occidere, furari, dicuntur voluntarii, imperati verò secundariò & per participationem ab elicitis.

Notandum Secundò: Per voluntatem, à qua nomen accepit volunta- II. Voluntas latè accepta.

luntarium, hìc latè intelligi quemcunque appetitum, quo res aliqua operatur ex appetitu, seu amore finis præcedente cognitione, & sic tàm appetitum sensitivum, qui juxta consuetudinem S. Scripturæ dicitur voluntas carnis, & inferior homo, quàm rationalem, qui nomen voluntatis simpliciter & sine additamento obtinuit, comprehendit.

III. Voluntarii variæ descriptiones. Notandum Tertiò: Voluntarium à Philosophis & Theologis variè describi, nam Aristoteles 3. Ethic. cap. 1. describit sic: *Voluntarium est, cujus principium est in agente, sciente singula, in quibus est ipse actus*, id est, cognoscente finem & media, conditionesque, quæ circumstant actum, quæ definitio ab aliquibus rejicitur, & ab aliis recipitur tanquam bona, eamque videntur amplecti S. Gregorius Nissenus, qui lib. 5. Philos. cap. 3. voluntarium sic describit: *Voluntarium est, quod neque vi, neque ex ignorantia fit, sed à principio intrinseco.* S. Johannes Damascenus 2. de fide cap. 14. ait: *Voluntarium dicitur, cujus principium est in agente, qui habet compertas omnes & singulas circumstantias actûs.* D. Thomas qu. 6. art. 1. §. Respond. ita: *Voluntarium dicitur esse, non solùm cujus principium est intra, sed cum additione scientiæ.* Scotus noster diversimodè illud describit 4. D. 19. qu. 1. §. de tertio sic: *Voluntarium est, contra quod non omninò voluntas remurmurat, sed patienter sustinet, vel acceptat.* Et ibidem: *Voluntarium est, contra quod non omninò voluntas remurmurat, sed voluntariè causat.* Et 2. d. 32. qu. 1. §. ad argumenta: *Voluntarium communiter & magis propriè sumitur pro eo, quod est in voluntatis potestate, ut est activa.* Inter istas omnes definitiones mihi magis placet Aristoteles. Undè

IV. Aristotelis definitio Voluntarii explicatur. Dico Primò: *Definitio Voluntarii ab Aristotele tradita bona est, si sic intelligatur.* Voluntarium est, quod procedit à principio intrinseco cum electione, seu cum perfecta cognitione finis, aliorumque, quæ actum circumstant. Probatur explicando singula: ly *A principio intrinseco* coincidit cum illa particula in definitione Philosophi: *Cujus principium est in agente*, in quo convenit voluntarium cum motu naturalis agentis, siquidem hoc per virtutem sibi intrinsecam agit, & differt à violento, utpotè cujus principium est extrinsecum: *Passo non conferente vim*, id est, ut explicat Scotus; quod est contra inclinationem passi. Per particulam istam *Cum electione* seu *perfecta cognitione finis*, quæ coincidit cum illa in definitione Philosophi *sciente singula*, distinguitur voluntarium propriè dictum seu perfectum à motibus appetitûs sensitivi, qui aliqualem, sed imperfectam finis cognitionem præsupponunt, tùm denique ab aliquibus ipsius voluntatis actibus, qui dicuntur motus primò primi, quique ex subreptione vel indeliberatione voluntatis oriuntur.

Dices: Conclusio scientifica est à principio intrinseco vitali, intellectûs scilicet, & ex prævia cognitione principiorum, ex quibus deducitur, & tamen non est voluntaria, ergò definitio convenit alteri à definito. Respond. Assensum conclusionis esse simpliciter naturalem, non voluntarium, quia licèt præsupponat cognitionem principiorum, non tamen cognitionem formalem sui objecti, cùm ipsamet conclusio sit formalis cognitio objecti, ad rationem autem voluntarii requiritur, quòd procedat ex cognitione formali objecti, circa quod versatur, cùm voluntas sit potentia cœca. Verùm claritatis majoris gratiâ

V. Voluntarium latè acceptum. Dico Secundò: *Voluntarium in latiore & communiore acceptione benè describitur, esse id, quod procedit à potentia appetitiva ex prævia cognitione objecti.* Probatur Conclusio: Quia voluntarium sic descriptum coincidit cum spontaneo, & convenit etiam brutis, utpote agentibus sponte ex inclinatione appetitûs sensitivi, præviâ face cognitionis phantasticæ. Hoc tamen voluntarium est imperfectum, cùm bruta tantùm operentur ex cognitione imperfecta, nempè

nempè phantaſiæ, quâ etiam ſola materialia repræſentantur, non autem proponitur finis formaliter, aut proportio mediorum ad illum. Sed in contra ſic

Arguitur: Implicat in aliquo voluntarium eſſe, in quo non eſt voluntas, ſed bruta non habent voluntatem, ergò nec voluntarium. Reſpond. neg: maj: vel diſtin: Implicat voluntarium eſſe, ſi attendatur ratio & ethymologia nominis voluntarii, tranſ. ſi attendatur ſignificatum præcisè, neg: nam licet ex ethymologia nominis voluntarium derivetur à voluntate, non tamen eſt impoſitum ad ſignificandum actum voluntatis ſolùm, ſæpè enim derivata nomina ab alio nomine non ſignificant id omne, quod ſignificat aliud nomen, ut lapis derivatur à lædendo pedem, non tamen ſignificat omne, quod lædit pedem: Imò magis ad propoſitum, nomina derivata ſignificant ſæpè aliud, quàm derivantia, ſic invidere derivatur à videre, non ſignificat tamen viſionem, ſed actum voluntatis, qui nec per videre, nec per viſionem ſignatur, ly igitur voluntarium derivatur à ly *Voluntas*, poteſt tamen ſignificare aliquid non ſpectans ad voluntatem, ſicut & ipſum liberum arbitrium dicitur ab arbitrari, quod eſt opinari, & operatio intellectûs, & tamen ſignificat voluntatem ipſam. Reſpond. Secundò, magis ad propoſitum neg: min: nam ut dixi in notabili ſecundo per voluntatem, undè derivatur voluntarium, intelligitur etiam appetitus ſenſitivus, & hunc vocari voluntatem, præclariſſimi docent Doctores S. Auguſtinus 5. de Civit. cap. 9. & tract. 26. in Joannem examinans illud Poëtæ: *Trahit ſua quemque voluntas*, dicit: Si ramus ovi oſtenditur illam trahi, item & puerum, ſi nuces illi demonſtrantur, ſed certè ovis non voluntate, ſed voluptate appetitûs ſenſitivi trahitur. Item Proſper de vocatione Gent. cap. 2. Scotus 3. d. 17. aliique probati Authores docent, appetitum ſenſitivum vocari voluntatem. Confirmatur: Quia voluntarium & ſpontaneum coincidunt, ſed ſpontaneè agere, ait Ariſtoteles lib. 3. Ethic. cap. 2. convenit brutis, undè dicit ille: *Ejus enim, quod ſponte fit, pueri ſunt participes, & reliqua animalia.* Pulchrius adhuc S. Damaſcenus lib. 2. de fide cap. 24. dicens: *Sed non illud quidem nos prætereat, quod pueri & bruta ſponte quidem faciunt, at non ex electione.*

Inſtatur: Bruta non agunt ex cognitione finis, ergò nec voluntariè. Reſpond. primò, neg: conſequ: Quia ad voluntarium imperfectum hoc non requiritur, nec de hac re facit mentionem concluſio. Reſpond. ſecundò: neg: antec: loquendo de cognitione, ut ſic communi cognitioni perfectæ, quæ eſt rationalis, & imperfectæ, quæ eſt ſenſitiva, bruta habent cognitionem ſenſitivam delectabilis, & utilis ſaltem materialiter ſumpti, & illa eſt cognitio finis, prout à communi deſcriptione latè acceptæ requiritur.

Dico Tertiò: *Voluntarium ſtrictè ſumptum eſt id, quod procedit à potentia appetitiva rationali, quæ eſt voluntas, ex prævia cognitione intellectiva.* Probatur concluſio: Quia convenit ſoli agenti rationali ex appetitu, & excludit operationes intellectûs, quoniam non omnes operationes agentis etiam intellectualis ſunt voluntariæ, ut patet in prima cognitione objecti & finis, quia hæc tanquam conditio ad voluntarium prærequiritur. Per particulam illam *Prævia cognitione intellectiva*, excluduntur motus primò primi voluntatis, actus indeliberati, operationes externæ ex illis ſubſequentes, nam licèt ſint aliquomodo phyſicè voluntarii, utpotè procedentes à principio intrinſeco, nempè voluntate, & prævia aliqua cognitione, ſine qua voluntas nihil agere poteſt, iſti tamen non ſunt propriè & perfectè voluntarii, quia ad hoc requiritur cognitio perfecta & deliberata, undè etiam motus ſemi-deliberati ſunt tantùm ſemi-voluntarii, eò quòd non dirigantur per cognitionem ſatis perfectam. VI. Voluntarium ſtrictè dictum.

(*) Dddd Dices:

Digitized by Google

Dices: Hinc sequeretur, peccata ex ignorantia, aut ex passione non futura peccata, quia talia non sunt plenè & perfectè voluntaria, quia non ex plena & perfecta cognitione finis & circumstantiarum. Respond. neg: sequel: Quia tantùm sequitur, quòd ejusmodi peccata non habeant tantam malitiam, quantam peccata, quæ procedunt ex perfecta & certa scientia, cùm revera non sint plenè voluntaria, cum quo stat, quòd in suo ordine habeant malitiam, adeoque rationem peccati, in quantum præsupponunt, vel saltem præsupponere debent cognitionem malitiæ objecti, & circumstantiarum. Sed contra Conclusionem

Arguitur: Pura omissio libera est voluntaria, sed hæc non procedit à voluntate, cùm non sit ens aut actus, sed suspensio aut negatio actûs, ergo. Respond. primo, neg: min: Quia omissio pura dici potest voluntaria etiam directè, quia procedit suo modo, id est, *negativè*, & per suspensionem actûs à voluntate, quod sufficit: Si autem sit omissio præsupponens aliquem actum voluntatis, sufficit, quod omissio sit virtualiter vel interpretativè voluntaria. Hinc Responderi potest 2. distin: min: Omissio non procedit à voluntate ut actus positivus & formalis, conc: min: ut interpretativus & æquivalens, quantum ad recedendum liberè ab objecto omisso, neg: min: & conseq. Hinc progredior

VII. Voluntarii variæ divisiones. Quoad secundam partem tituli quæstionis, & Noto: Voluntarium primâ sui divisione optimè repartiri in Voluntarium *Formale*, & *Interpretativum*. *Formale* est ipse actus, quo voluntas positivè vult, aut positivè non vult aliquid. *Interpretativum* est omissio actûs, quâ quis voluntariè omittit aliquid absque actu, ut cùm quis omittit defendere hominem occidendum. Item voluntarium interpretativum dici potest illud, quod est ab alterius voluntate præsumptâ tantùm respectu cujus dicitur voluntarium, eò quòd si proponeretur talis res voluntati consentiret in illam, sic utor libro v. g. dormientis, vel nihil de eo cogitantis, & talis dicitur voluntariè velle me uti libro suo, sed interpretativè.

Voluntarium formale dividitur in *Perfectum* & *Imperfectum*. *Perfectum* est, quod præsupponit cognitionem rationalem, & reperitur in solis substantiis rationalibus. *Imperfectum* est, quod præsupponit tantùm cognitionem sensitivam, & reperitur in brutis, ac quandoque in hominibus, quando habent cognitionem confusam & distractam. Ubi tamen notandum, voluntarium imperfectum non ideò dici tale, quasi imperfectè includeret rationem voluntarii ut sic, quia hoc modo est tàm perfectè voluntarium, quàm voluntarium perfectum sibi oppositum, sed dicitur tale, quia differentia illius, quâ voluntarium ut sic contrahitur, est imperfectior differentiâ alterius voluntarii, quod dicitur perfectum.

Voluntarium *Perfectum* communiter subdividitur in Voluntarium *liberum* & *necessarium*. *Liberum* est, quod est à voluntate operante cum indifferentia ad oppositum, hoc modo, ego nunc scribo, quia possum non scribere, aut indifferens esse ad scribendum & non scribendum. Voluntarium *Necessarium* est, quod fit cum determinatione ad alteram partem oppositam, talis est fruitio beatorum, & spiratio in Divinis, quâ Pater & Filius spirant Spiritum Sanctum, beati enim, sicut & primæ duæ personæ in Divinis voluntariè spirant Spiritum Sanctum, & beati vident DEUM, & tamen necessariò. VIII. Voluntarium liberum & necessarium. Pro majori intelligentia voluntarii *Liberi* sciendum, non esse perfectius simpliciter, factâ comparatione ad quodvis objectum, cùm esset imperfectio in DEO liberè amare seipsum libertatate indifferentiæ: Cœterùm tamen perfectius est ordinariè aliis in ratione voluntarii, quia cœteris paribus eò magis est actus voluntarius, quò magis est conformis interno appetitui, & propensioni voluntatis, cùm tunc eò magis censeatur pro-

Digitized by Google

proficisci à principio interno, determinatio autem & necessitas faciunt magis procedere à principio externo determinante contra naturalem inclinationem voluntatis. Nec tamen per hoc amor increatus, quo DEUS seipsum amat necessariò, excederetur ab amore nostro, quantum ad perfectionem voluntatis. Nam idcircò in declaratione hac posui istam particulam *ordinariè*, eò quòd regula ista patiatur aliquam exceptionem. Amor enim increatus non oritur ab extrinseco, sed ex natura intrinseca ipsi divinæ voluntati. Et pro secundo: Quia excessus in perfectione voluntarii fundatus in defectu libertatis est tantùm excessus perfectionis secundùm quid, quia argueret imperfectionem in DEO, si se liberè libertate indifferentiæ amaret.

Voluntarium iterum *Formale* aliud est *Directum* seu *Explicitum*, quod tale dicitur, quia est in se volitum, ut cùm quis directè & in se vult ebrietatem. *Indirectum* & *Implicitum* est, quod est solùm volitum in causâ, ut sunt rixæ, jurgia, homicidia, subsecuta ex ebrietate, quæ præscientur ex circumstātiis talibus & talibus ordinariè sequi solita. Sunt & plures aliæ subdivisiones, quæ apud alios Authores inveniri possunt, hæ sunt potiores, & ad has omnes aliæ reducuntur.

QUÆSTIO TERTIA.

Qualem requirat liberum arbitrium agendi libertatem & indifferentiam?

Liberum arbitrium non esset, nisi liberum esset, sicut voluntas nostra, teste Augustino de duab. anim. cap. 10. *Nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate, porrò, quia est in nostra potestate, libera est nobis.* Examinatâ ergò naturâ voluntarii consequenter & libertatem ejus investigare oportebit. Pro quo

I. Libertatis variæ enumerantur. Suppono notitiam diversarum acceptionum Libertatis: Alia enim est à servitute, alia à peccato, à morte, à miseriâ, à diabolo, à lege, à justitia, quarum meminit Scriptura, sed metaphoricæ sunt, & possunt optimè reduci ad libertatem à servitute. Alia à coactione, alia à necessitate, quâ liberi sunt, qui non tantùm spontè agunt, sed & nulla stringuntur necessitate ad agendum. Et hæc libertas duplex est in Schola Scotistarum: Alia enim dicitur *Essentialis* & *Physica*, quâ libertate dicimus voluntatem divinam necessariò amare Essentiam Divinam, seu DEUM semetipsum, tunc autem liberum confunditur cum perfectò voluntario; ast hæc libertas non sufficit ad bonos & malos mores, merendum vel demerendum. Alia libertas *Accidentalis*, & ab actu separabilis, requisita ad benè, vel malè agendum, diciturque *moralis*, quæ sola & simpliciter stat nunc pro libertate: Et secundùm D. Bonaventuram à priori libertate dicitur voluntas liberum arbitrium, à posteriori verò voluntas dicitur deliberans. Et secundùm D. Thomam à priori dicitur voluntas libera, à posteriori verò liberum arbitrium.

II. Liberum arbitrium à necessitate. Suppono Secundò: Liberum arbitrium à *Necessitate* cum communiori benè describi, *quod sit Facultas agendi vel non agendi hoc, & ejus oppositum, etiam positis omnibus prærequisitis ad agendum.* Quæ libertas vocatur libertas *indifferentiæ*, vel ad opposita: & quidem, si sit ad contradictoria, id est, ad aliquid agendum & non agendum dicitur libertas *Exercitii*, vel *Contradictionis*: Si autem sit ad aliquod objectum volendum, & idem nolendum, vel ad agendum plura opposita, seu contraria, dicitur *Specificationis* vel *Contrarietatis*.

His præsuppositis plures difficultates hic examinandæ sunt: Primò, An voluntarium perfectum & liberum convertantur; id est, an quidquid est perfectè voluntarium etiamsi necessariò fiat, sit etiam libe-

 rum,

rum, & ècontra? Quæ difficultas coincidit cum ea, quam movet Scotus q. 16. quodl. quærens, An libertas voluntatis & necessitas operandi possint compati in eodem, respectu ejusdem actûs & objecti? Qua in re conveniunt omnes loquendo de libertate contradictionis, vel contrarietatis eam esse incompatibilem, cum necessitate operandi, nec omne voluntarium perfectum esse liberum hac libertate. Primum patet: Quia indifferentia ad opposita non potest stare cum determinatione ad alterutrum. Secundum etiam patet: Quia Pater & Filius in Divinis perfectè voluntariè producunt Spiritum Sanctum juxta omnes, non tamen liberè libertate indifferentiæ, quia summè necessariò producunt, ut docent omnes Theologi.

Secundò, conveniunt, omne liberum esse perfectè voluntarium, discrepant tamen, an ita sit vice versa, atque adeò dum de productione Spiritûs Sancti agunt, quamvis unanimiter doceant eam esse necessariam, & simùl perfectè voluntariam, controvertunt tamen, num sit dicenda libera, cujus controversiæ ratio fundatur in alia controversia philosophica potius, an videlicet omne necessarium dicendum sit naturale, & omne liberum contingens. Qua in re Thomistæ communiter sic loquuntur, ut dicant, naturale & necessarium esse omninò idem, & utrumque opponi non solùm contingenti, sed etiam libero, ita ut quod necessariò fit, nequaquam liberum dici queat, atque adeò asserunt perfectè voluntarium & liberum non converti, sed potius se habere ut superius ad inferius, ita ut omne liberum sit voluntarium, non tamen ècontra.

Secundò examinandum est: An hæc libertas conveniens cum voluntario perfecto sit sufficiens ad malè vel benè agendum. Tertiò: Quænam sit illa libertas requisita ad hoc, ut voluntas habeat rationem liberi arbitrii, ad benè scilicet & malè moraliter agendum? Et tandem, An voluntas in eodem instanti, quo operatur, adhuc liberè operetur? quæ omnia breviter hic resolvam. Undè

Dico Primò: *Perfectè Voluntarium & liberum ad se invicem convertuntur, ita quòd liberum possit stare cum necessitate operandi non minus, ac voluntarium.* Ita Scotus Quodl. 16. a. 3. & in 1. d. 10. q. un. §. *ad quæst. dico*, & d. 2. qu. 7. quem sequitur universa ejus Schola. Prima pars non potest melius probari, quàm evertendo unicum fundamentum Adversariorum, probando nimirum Naturale & Necessarium non esse convertibilia, adeoque nec omne necessarium opponi omni libero, quod sic probo: Ad perfectam libertatem non requiritur essentialiter indifferentia ad bonum & malum, imò stare potest cum necessitate ad bonum, ergò necessitas operandi stat cum vera & essentiali libertate, & consequenter nihil obstat, quò minus perfectè voluntarium & liberum sint convertibilia. Consequen: patet. III. Liberum & voluntarium perfectum convertuntur.

Antec: probatur Primò ex August. in Enchirid. cap. 105. qui sic ait: *Oportebat prius hominem fieri, ut & benè velle posset, & malè, postea verò sic erit, ut malè velle non possit, nec ideò libero carebit arbitrio, multò quippè liberius erit arbitrium, quod omninò non poterit servire peccato.* Ubi expressè docet, ad perfectam & veram libertatem non requiri indifferentiam illam ad opposita, quam nunc habemus. Secundò probatur idem ex Anselm. de lib. arbitr. cap. 1. ubi discipulo percontanti definitionem liberi arbitrii & dicenti: *Cur non sit liberior illa voluntas, quæ ad utrumque se habet, non video?* Respondet Anselmus: *An non vides quoniam qui sic habet, quod decet, & expedit, ut hoc amittere nequeat, liberior est, quàm ille, qui sic habet hoc ipsum, ut possit perdere? est liberior itaque voluntas, quæ à rectitudine non peccandi declinare nequit, quàm quæ illam potest deserere,* ergò cùm quæstio sit de nomine. Et D. Augustinus & Anselm.

Anselm. sentiant sic loquendum, & quoniam etiam cum libertate ut sic non repugnat necessitas, & determinatio ad alterum oppositorum, non est cur nos ab hoc modo loquendi timeamus.

Probatur Secundò eadem pars Ratione: Quia (sicut dicunt Adversarii) naturale & necessarium seu agere per modum naturæ, & agere necessariò convertuntur, ergò quidquid agit necessariò, agit per modum naturæ, sed consequens hoc est de fide falsum, ergò & antecedens. Probatur subsumptum: DEUS summè necessariò se amat, & Spiritus Sanctus necessariò producitur, & tamen secundùm omnes Theologos DEUS non naturaliter se per modum naturæ amat, vel producit Spiritum Sanctum, sed voluntariè, & ex prævia cognitione, ergò non est idem necessariò agere, & naturaliter agere, & sic ruit fundamentum Adversariorum.

Probatur Tertiò: Perfectissima libertas & summa necessitas sunt compatibiles in eadem voluntate, ergò signum est, liberum & necessarium non esse opposita differentias principii activi ut sic. Consequ: patet, quia oppositæ differentiæ non possunt eidem rei realiter & formaliter convenire. Anteced: probatur: Libertas est saltem conditio intrinseca voluntatis, ergò est compossibilis cum conditione perfectissima perfectissimæ operationis circa perfectissimum objectum, sed talis est in proposito necessitas agendi, ergò hæc in voluntate perfectissima, scilicet divina, potest stare cum perfecta libertate, 1. Consequ: patet: Quia conditio intrinseca potentiæ nullam ex se dicens imperfectionem, non repugnat cum perfectissimo modo operandi ejusdem potentiæ. Subsumpt: probatur, quia perfectio maxima voluntatis, qua talis est diligere DEUM, ergò perfectius est habere illam operationem firmiter & necessariò, quàm contingenter & separabiliter, cùm hoc ultimum arguat potius imperfectionem, ergò à primò usque ad ultimum in voluntate saltem divina circa idem objectum compatibilis est summa necessitas operandi cum vera & essentiali libertate.

Ex his patet Primò veritas scholastica illius doctrinæ in materia de Trinitate, videlicet Spiritum Sanctum, etsi necessariò, liberè tamen procedere à Patre & Filio. Patet secundò: Si velis definire liberum hoc essentiale, quod Scotistæ dicimus converti cum voluntario perfecto, eandem ei applicandam esse definitionem, qua definivi voluntarium suprà. Patet tertiò: Naturale & necessarium, liberum & contingens non esse terminos convertibiles; de primis patet, quia omnia agentia naturalia in creatis, ut ignis, aqua, sunt verè naturalia, cùm non agant ex prævia cognitione finis, non tamen sunt necessaria simpliciter & absolutè, cùm possint à DEO facilè impediri, undè dicuntur simpliciter contingentia. Item in Divinis voluntas divina ad intra est agens simpliciter necessarium, non tamen naturale secundùm omnes. De libero & contingenti idem patet, quia in creatis omnia agentia sunt simpliciter contingentia, non tamen libera præter solam voluntatem. Similiter voluntas divina ad intra est agens liberum, non tamen contingens, cùm summè necessariò agat. Patet quartò: Principium naturale activum est illud, quod ex se & sine ulla prævia cognitione est determinatum ad agendum positis requisitis, voluntarium verò, quod eligibiliter, id est, ex perfecta cognitione finis se ipsum determinat ad agendum. Principium necessarium simpliciter est, quod nullo modo sive ab intrinseco, sive ab extrinseco potest impediri ab operatione. Contingens verò, quod vel à se, vel saltem ab extrinseco potest determinari ad hunc vel illum modum operandi. Sed contra Conclusionem

IV. Principiũ activum naturale & voluntarium explicatur.

Arguitur Primò: Datur aliquod voluntarium, quod non est liberum, ergò hæc non convertuntur. Probatur antec: datur perfectè voluntarium,

Digitized by Google

rium, cum quo stat summa necessitas ex dictis, sed nullum datur liberum, cum quo stet talis necessitas, ergò. Probatur Min: Nullum liberum est necessariò determinatum ad unum, sed quod est summè necessarium, est sic determinatum, ergò. Respond. ex dictis neg: antec: & min: prob: ad cujus probationem neg: assumpt: Quantumvis enim sit necessariò determinatum ad unum, dummodò eligibiliter & ex prævia cognitione finis sit determinatum, illud est essentialiter liberum.

Arguitur Secundò: Philosophi & Theologi omnes morales docent in his, quæ homo necessariò agit, non mereri aut demereri, quia scilicet non sunt in ejus potestate, in his verò, quæ liberè agit mereri vel demereri, ergò censent, non posse eandem actionem esse simul liberam & necessariam, adeoque liberum & voluntarium, cum quo stat necessitas, non convertuntur. Respond. Philosophos & Theologos aliquando loqui de libertate, quæ opponitur naturali, maximè quoties volunt essentiam libertatis radicitus explicare, ut patet ex suprà dictis: aliquando etiam loquuntur de libertate, quæ opponitur soli necessitati, præsertim quoties volunt explicare moralitatem actionum humanarum, prout cadunt sub lege, & merentur laudem aut vituperium, & hoc tantùm probat argumentum. Per hæc facilè solvi possunt omnia alia argumenta, quæ objici possunt, solùm enim probant liberum libertate indifferentiæ non posse stare cum summa necessitate operandi, adeoque hanc non converti cum voluntario.

V. Libertas indifferentiæ requiritur ad benè agendum.

Dico Secundò: *Libertas illa, quæ essentialis dicitur, non sufficit ad rationem liberi arbitrii, sed requiritur indifferentia, seu accidentalis, ita quòd voluntas positis etiam omnibus requisitis ad agendum possit agere & non agere.* Ita Doctores omnes, qui scripserunt contra hæreticos hujus temporis. Prima pars patet, Quia DEUS est liberrimus in eligendis bonis, quatenus potest bonum aliquod decernere, vel omittere, aut unum è pluribus amplecti, & se liberè amat, liberè spirat Spiritum Sanctum, & tamen hæc omnia fiunt necessariò, ergò.

Probatur secunda pars Authoritate S. Augustini lib. de divin. Nomi. cap. 12. ubi ait: *Peccati reum teneri quenquam, quia non fecit, quod facere non potuit, summæ iniquitatis est, & insaniæ, si ita coguntur, ut resistendi potestas nulla sit, non peccat.* Et lib. 3. de lib. arb. cap. 18. *Hoc brevissimum tene, quæcunque ista causa est voluntatis, si ei non potest resisti, sine peccato ei ceditur. - - - Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? peccatur autem, caveri igitur potest*, ergò.

Dices: S. Augustinus ibidem dicit: *Scias etiam necessitate facta improbanda, ubi vult homo rectè facere, & non potest*, ergò etiam cum necessariò stat peccatum. Respond. neg: consequ: Quia S. Augustinus ibi loquitur de motibus concupiscentiæ indeliberatis, qui improbandi sunt tanquam objectivè, & materialiter inordinati, undè lib. 1. contra duas epist. Pelagianorum cap. 13. dicit: *De ista concupiscentia carnis falli eos credo, vel fallere, cum qua necesse est, ut etiam baptizatus, & hoc si diligentissimè proficit, & Spiritu DEI agitur, pià mente confligat. Sed hæc etiamsi vocatur peccatum, non utique, quia peccatum est, sed quia peccato facta est, sic vocatur. Sicut Scriptura manus cujusque dicitur, quod manus eam fecerit. Peccata autem sunt, quæ secundùm carnis concupiscentiam vel ignorantiam illicitè fiunt, dicuntur, cogitantur; quæ transacta etiam reos tenent, si non remittantur.*

Probatur secunda pars: Quia libertas est quædam conditio agentis creati, per quam positis omnibus requisitis ad agendum, & eodem modo se habentibus potest agere, quæ dicitur libertas quoad exercitium, seu contradictionis, cui libertas quoad specificationem superaddit, quod agens possit eligere hoc objectum, quàm aliud quodcunq; pro-

Digitized by Google

propositum, ubi non tantùm intelligitur ipsa potentia nudè & secundùm se, sed etiam omnes convenientes ad agendum necessariæ applicationes, ergò. Probatur anteced: Quia si in voluntate secundùm se nudè considerata posset salvari libertas indifferentiæ, sequeretur, falsum est, liberum esse illud, quod potest agere, & non agere, ergò. Probatur hoc antec: Quia omnis potentia, quæcunque illa sit, quando desunt requisita, non potest agere, & si positis omnibus requisitis non potest actionem omittere, falsum est, quod tale agens possit non agere. Quod Confirmatur: Quia quod agens non agat defectu prærequisitorum, non oritur ex interna dispositione, & perfecto dominio in actum, sed potius ex defectu alicujus necessarii, sic ex simili defectu & non ex libertate oritur, quod ignis, qui est agens necessarium, non agat in combustibile non applicatum.

Probatur Secundò eadem pars: Tùm, Quia, quòd voluntas secundùm se sit potens agere & non agere, potest salvari, licèt voluntas necessariò agat, quia potest salvari, illam esse indeterminatam ad utrumlibet præscindendo à prærequisitis: Tùm, Quia nec ipsi hæretici negarent voluntati talem indeterminationem in sensu diviso, sed facilè concederent, utpotè, quæ benè consistit cum præmotione divina voluntatem necessitante, ergò necesse est, ut actus liber sic egrediatur à voluntate, ut prius naturâ, quàm ponatur, possit non poni, seu ut voluntas, quatenus concipitur necdum esse sub actu, qui dicitur liber, possit non ponere eum, etiam positis requisitis, non quòd possit agere & non agere simùl, simultate afficiente actum & non actum, quia hoc implicat, sed quòd simùl, id est, pro eodem tempore sit potentia ad actum & ad omissionem ejus. Hinc

VI. [illegible] libera [illegible] dum [illegible]

Dico Tertiò: *Liberum arbitrium in eodem instanti temporis, quo hic & nunc operatur, liberè operatur.* Est Scoti 1. d. 39. qu. un. §. *de secundo dico* contra Magistrum sentent. 2. d. 25. Occamum, Gabrielem 1. d. 28. dicentes, liberum arbitrium esse tantùm respectu futuri, non autem præsentis aut præteriti, ita quòd voluntas intelligatur tantùm libera in aliquo instanti priori temporis, antequàm intelligatur actus positus, non verò pro ipsomet instanti, quò ponitur. Probatur Conclusio: Quia secundùm communem Angelus & Adam in primo instanti creationis acceperunt gratiam sanctificantem, tanquam adulti, ergò etiam in illa meruerunt, sed meritum requirit necessariò libertatem in operando, ergò eorum voluntas in primo instanti, quo elicuerunt actus meritorios, liberè elicuerunt: Tùm, Quia potuit Angelus in primo instanti creationis peccâsse, ut probat Scotus ex 2. d. 5. ergò pro illo instanti intelligitur liber: Tùm, Quia si voluntas creata in unico instanti tantùm duraret, eliceretque pro illo instanti actum, tunc non necessariò eliceret, ergò liberè. Probatur antec: Quia si tunc necessariò eliceret, ergò cùm non sit causa nisi pro tunc, sequeretur, quòd simpliciter necessariò causaret, & sic non esset libera, quod est absurdum, ergò. Tùm tertiò: Quia propositio vera de futuro contingenti habet suam de inesse veram in aliquo præsenti secundùm omnes, sed etiam secundùm Adversarios fuit vera (voluntas liberè volet) ergò & hæc pro aliquo instanti de præsenti fuit vera (voluntas liberè vult) ergò voluntas respectu præsentis est libera. Denique sequeretur ex opposito, quòd DEUS non liberè ageret, cùm respectu illius non detur præteritum, aut futurum, sed semper præsens. Sed in contrarium

Opponitur authoritas Aristotelis primò Perihermenias cap. ult. *Omne, quod est, quando est, necesse est esse*, ergò, quando voluntas hic & nunc operatur, necessariò operatur, ergò non est libera pro illo instanti, quo operatur. Respond. cum communi disting: illud axioma: omne, quod est, quando est, necesse est

esse

esse necessitate conditionata, & secundùm quid, seu in sensu compositionis, conc: necessitate absoluta & simpliciter, seu in sensu diviso, nego.

Arguitur Secundò: Voluntas in tantum est libera libertate indifferentiæ, in quantum est indifferens ad utrumque extremum contradictionis, vel contrarietatis, sed ut est hìc & nunc sub actione non est indifferens, sed potius determinata ad actionem, ergò hìc & nunc dum operatur, non est libera respectu præsentis. Respond. distin: maj: in quantum est indifferens in aliqua duratione temporis ante positionem actûs, conc: maj: & neg: min: quia in illo tunc temporis involvuntur aliqua instantia naturæ, in quorum primo voluntas intelligitur indifferens, in secundo verò in seipsa determinata ad aliquod extremum, liberè tamen, ita ut ejus oppositum posset inesse, licèt enim indifferentia ad agendum, & actualis positio alterius extremi sint simùl tempore, non tamen simùl naturâ.

Arguitur Tertiò: Libertas indifferentiæ est modus agendi voluntatis, prout continet effectum in sua virtute, & potest illum ponere vel non, sed effectum nunc positum in esse non continet amplius in sua virtute, ergò nec in libertate, aut dominio. Respond. juxta jam dicta distin: maj: primò prout cōtinens effectum in sua virtute prius naturâ vel tēpore conc: prius tempore semper, neg: distin: etiam min: si per ly *nunc* intelligatur illud secundùm instans naturæ, in quo effectus intelligitur positus, transf. si verò intelligatur totum instans temporis, ut involvit plura instantia naturæ, in quorum primo voluntas continet effectum in sua virtute, ut ponendum vel non ponendum pro secundo instanti. Neg: min: ad hoc verò, ut causa contineat in sua virtute effectum non est necesse, quòd prius tempore illum contineat, antequam in re ponatur, alioquin non posset DEUS in primo instanti æternitatis quidquam ad extra vel intra producere, nec Angelus pro primo instanti creationis mereri vel demereri, quod est contra omnes.

Dico Quartò: *Libertas, quæ ipsi actui liberi arbitrii superadditur, non est entitas positiva ipsi actui intrinseca, sed mera denominatio extrinseca, desumpta à libertate potentiæ illum elicientis.* Est Doctoris I. d. 13. nu. 11. & quodl. 18. Coning, ac plurium Recentiorum contra Hurtadum & nonnullos Thomistas. Probatur breviter Primò: Illa qualitas seu entitas potest dici sufficienter libera per hoc, quòd procedat à causa libera, ergò superfluè additur aliquid aliud intrinsecum, à quo dicatur esse libera. Probatur antec: Opus factum ab homine benè, dicitur humanum, cùm tamen nihil humanitatis intrinsecè in eo reperiatur, quia procedit ab homine, ergò similiter in proposito. VII. Libertas actus non est superadditum intrinsece ipsius causati.

Probatur Secundò: Idem numero actus potest de non libero fieri liber sola mutatione facta alicujus extrinseci, ergò ab extrinseco habet hanc denominationem, nempè à potentia, quæ est potentia libera radicaliter & formaliter. Probatur antec: volitio alicujus objecti, quod simpliciter ignoratur esse prohibitum, aut etiam volitio orta ex mera inadvertentia, non dicitur libera, licèt procedat à voluntate, postmodum autem accedente cognitione & advertentiâ efficitur libera, sed cognitio & advertentia sunt merè extrinseca volitioni, ergò.

Probatur Tertiò: Quia si esset aliquid reale superadditum, maximè relativum, sed non dicit relativum particulare, præter esse producti, quod est commune, & omnibus effectibus genericum, & præter rationem voliti, ergò. Probatur min: Quia si esset alia, esset *liberi*, atqui hæc est separabilis ab illo actu. Probatur min: Quia hæc libertas non est in causa principium agendi, ergò nec erit in effectu ratio illum afficiendi præter denominationem, nam ratio physica producendi etiam est ratio fun-

Digitized by Google

fundandi relationem producti, seu causæ ut causati.

Arguitur in contra: Actus liberi arbitrii bonus, si est bonus, est objectum complacentiæ divinæ, & dignus prœmio, non verò malus actus, ergò isti duo actus differunt per aliquam differentiam intrinsecè, & per aliquam entitatem, non verò tantum extrinsecè. Respond. neg: consequ: Quia, ut actus sit dignus prœmio, non habet hoc ab intrinseco, seu ab aliqua entitate physica, sed quia procedit tali modo à sua causa, & consequenter ab aliquo, quod intrinsecum est voluntati, dicitur DEO placere.

QUÆSTIO QUARTA.

Quâ ratione liberum arbitrium prærequirat cognitionem intellectivam?

I. *Nihil volitum, quin præcognitum.* DEcantatum est in ore omnium axioma philosophicum: *Nihil volitum esse, quin sit præcognitum*, & illud Poetæ: *Ignoti nulla cupido*, quæ tam vera sunt, ut etiam à multis existimetur, hanc subordinationem intellectûs ad voluntatem ita necessariam & propriam, ut nec divinitus voluntas possit ferri in incognitum, cùm non possit ferri in objectum nisi objectum præsupponatur, non potest autem præsupponi, nisi secundùm esse intentionale, seu secundùm formam apprehensam. Hinc si DEUS infunderet voluntati merè passivè se habenti actum voluntatis, ipsa per illum non perciperet vitaliter objectum, nisi per notitiam applicatam, aliàs enim ille actus haberet se modo mortuo, sicut si poneretur in lapide, nempè defectu subjecti proportionati, quod est voluntas instructa cognitione, quia vitalis tendentia voluntatis respicit objectum quasi intentionaliter præsens in genere causæ formalis, aut conditionis essentialiter requisitæ. Hoc præmisso

II. *liberum arbitrium* Dico Primò: *Liberum arbitrium necessariò in omni sua operatione prærequirit cognitionem intellectivam.* Ità S. Bonaventura 2. d. 25. p. 1. a. 1. q. 6. Henricus, Cajetanus & communis tàm Scotistarum, quàm aliorum. *dirigitur per intellectum.* Probatur Primò: Authoritate Patrum, Augustini lib. 10. de Trinit. c. 1. ubi ait inter cœtera: *Rem prorsus ignotam amare omninò nullus potest.* Et infrà: *Illud quidem fieri potest, ut amet scire quisque incognita, ut autem amet incognita nemo potest.* Anselmi lib. de concordia præscien. c. 16. Bernardi de grat. & lib. arb. in principio. Ergò.

Probatur Secundò Rationibus, Primò: Quia voluntas nullum esse tribuit objecto, sed merè inclinatur & prosequitur illud, ergò debet illud præsupponere: Subsumo, sed non quidem à parte rei, cùm tendat etiam in verè impossibilia, & mala tanquam bona & possibilia, ergò debet illi præsupponi secundùm repræsentationem, seu secundùm formam apprehensam, sicut inclinatio naturalis sequitur formam naturalem; ergò. Secundò, Quia amor Patriæ, qui est perfectissimus, sequitur cognitionem, ergò similiter amor viæ debet eam sequi, antec: patet: Quia prærequiritur visio ad fruitionem Essentiæ divinæ. Undè Joan. 17. dicitur: *Hæc est vita æterna, ut cognôscant te.* Tertiò: Quia in ipso DEO non est actus voluntatis, nisi suo modo præcedat intellectus, ita ut S. Anselmus Monologii cap. 48. probet DEUM intelligere se, quia se amat. Denique per intellectum proponitur voluntati objectum; alioquin etiam dormientes possent amare DEUM. Sed in contra

Opponitur Authoritas S. Dionysii Areopag. cap. 5. Mysticæ Theologiæ, ubi dicit: *Supremam unionem cum DEO esse interdum per doctam ignorantiam*, seu per ablationem omnium operationum sensuum & intellectûs. Similiter habet S. Bonavent. cap. 7. Itinerarii mentis in DEUM, ergò. Respond. neg: consequ: Quia S. Dionysius non excludit omnem notitiam à perfectiori DEI contemplatione, sed potius exi-

git, quia dicit DEUM dupliciter posse cognosci, primò per affirmationes, v. g. quando concipimus, quod sit sapientissimus, optimus, pulcherrimus, lux. Secundò, per negationes, quando scilicet omnes perfectiones, quæ in ipso sunt, negativè exprimimus, ut v. g. quòd non sit homo, non angelus, non sapiens, volens sapientiâ & voluntate, sicut nos sumus, sed aliâ longè eminentiori citra omnem imperfectionem, qualem intellectus noster nequit perfectè concipere, hanc ergò posteriorem notitiam S. Dionysius præfert priori, & vocat eam doctam ignorantiam, quia omnia simulacra positiva, quæ nobis fingimus, non tam benè exprimunt Esse divinum, quàm modus negativus explicandi illam summam superexcellentiam Deitatis.

Arguitur Secundò: Constat experientiâ referentium aliquando amorem perseverare instar alicujus caloris impressi cessante contemplatione, sicut calor perseverat amota luce, ergò. Probatur antec: Quia intellectus non advertit se quidquam amplius cogitare de DEO. Respond. dist: antec: Experientia constat cessante actu intellectûs laborioso & reflexo, conc: virtuali & substantiali, nego. Semper enim dum adest amor, adest notitia, licèt non adeò operosa, aut reflexa, quæ hominem fatigat, & potius à contemplatione impedit; hinc fit, ab assuetis præsertim, non adverti subindè contemplationem, quamvis revera adsit, & quod eò major, quo intellectus magis immersus per directam in divinis perfectionibus contemplationem, & voluntate per amorem ferventem in easdem absorpta, non reflectit se intellectus ad contemplationem, aut ea, quæ circa se sunt. Potest tamen fieri, ut fervor, aut similis effectus corporalis cessante etiam amore perseveret, eò quòd animâ per amorem flagrante etiam in corpore aliqui effectus generentur, quæ locum quoque habent in amore extatico, qui foveri debet per notitiam, non minus quàm ipse amor beatorum, hinc ipsi recordantur aliquando variorum actuum, adeoque tempore raptûs non fuerunt sine omni actu intellectûs circa actus suos, & consequenter nec fuerunt sine actu intellectûs circa objecta sua directa, si nihil recordarentur, tolleretur indicium experientiæ, quæ nequit esse absque notitia.

Dico Secundò: *Intellectus concurrens ad actus liberi arbitrii non movet illud efficienter, sed tantùm ut conditio proponens objectum volibile.* Hæc est communis Scotistarum, & etiam in Schola Div. Thomæ contra Gabrielem & nonnullos nominales. Probatur: Tùm, Quia non est voluntati deneganda completa activitas in suos actus, cùm oppositum nulla ratione constet, minus autem, quòd pars deberet in efficientia illorum attribui intellectui, cùm sit iste in tota diversa linea operandi, nempè naturaliter, ille indifferenter & liberè etiam dum actu operatur. Deindè non est ratio, quare potiùs ad actum voluntatis seu liberi arbitrii deberet effectivè intellectus concurrere, quàm liberum arbitrium ad actus intellectûs, quando illos imperat, cùm tunc efficacius videatur influere determinando & jubendo. Tertiò, Quia subordinatio voluntatis ad intellectum sufficienter salvatur sine efficientia physica, ergò. Probatur antec: Sine tali efficientia salvatur subordinatio intellectûs ad phantasiam, & phantasiæ ad sensum, & omnium potentiarum ad ipsammet voluntatem, ergò. Denique intellectus ad voluntatem se non habet aliter, quàm consulens, suadens, ut dicit D. Augustinus lib. de Spir. & lib. arbitr. cap. 34. *Etiam visorum suasionibus agit DEUS, ut velimus, & ut credamus: sive extrinsecus per evangelicas exhortationes, ubi & mandata legis aliquid agunt*, sed consulens, suadens non concurrit effectivè ad actum producendum voluntatis in eo, cui consulit, & suadet, ergò. Sed in contra sic

III. Intellectus non movet efficienter liberum arbitrium.

Argui-

Arguitur: Intellectus non est principium completivum sui actûs, nisi simùl cum objecto vel specie, ergò neque voluntas nisi simùl cum intellectione. Respond. neg: consequ: Disparitas est, Quia intellectus per objectum debet fœcundari ut producat intellectionem, tanquam verbum mentis, & filium, nam ex Regula S. Augustini: *Ex objecto & potentia generatur scientia*, undè producitur in similitudinem sui objecti specificè expressam, in voluntate autem intellectus taliter non concurrit cum ipsa, sed tantùm prælucendo & demonstrando objectum, quod ostendit esse volibile, quare si arguens paritatem debitam facere vellet, dicere debuisset, ergò etiam objectum concurrit efficienter cum voluntate, quod tamen æquè ipsi negatur, quia licèt concurrat, id non facit verè aliquid in voluntate efficiendo, sed tantùm metaphoricè movendo, nam objectum, quod voluntas aliquando prosequitur in rerum natura non est, & voluntas tamen illud extrinsecè prosequitur.

Instatur: Intellectus est verbum mentis, habens similitudinem aliquam analogicam cum Verbo divino, sed verbum divinum producit Spiritum Sanctum, qui per voluntatem procedit, ergò etiam verbum mentis humanæ potest producere amorem per voluntatem procedentem. Respond. transeundo maj: neg: consequ: Disparitas est: Quia Verbum divinum non concurrit, ut notitia objecti ostendens voluntati illud, sicut concurrit ad volitionem liberi arbitrii intellectio nostra; sed ideò præcisè, quia Verbum divinum est substantiale principium fœcundatum voluntate potente spirare, & quia origine prius intelligitur Verbum existere habens hanc fœcunditatem, quàm sit Spiritus Sanctus productus, & ideò ad eundem producendum concurrit, quia in illo est idem cum Patre principium, sed non concurrit ut notitia producens, nec ex notitia ejus Spiritus Sanctus producitur; aliàs autem scientia divina ostensivè præit volitioni essentiali, nec tamen volitionem hanc essentialem producit.

Dico Tertiò: *Non requiritur ad omnem operationem liberi arbitrii aliquod judicium intellectûs: Et ad determinandam facultatem indifferens non sufficit in gravioribus causis opus est practico, non determinante, sed suadente.* Hæc est contra Thomistas quoad primam & secundam partem est tamen Scoti 2. d. 6. qu. 1. nu. 4. & sequentibus. Probatur prima pars: Tùm, Quia bruta appetunt aut fugiunt efficaciter quoque objecta aliqua prævia simplici apprehensione, ut patet de ove, quæ lupo apprehenso fugit, nec enim bruta sunt capacia judicii, nisi quale in simplici apprehensione potest includi: Tùm, Quia etiam homines, ut habet experientia, delectantur rebus apprehensis, quas tamen absolutè judicant sibi non esse convenientes, v. g. quando imaginantur sibi nescio quas chymæras, in aëre arces fabricant, gubernia regnorum disponunt: Tùm, Quia Angeli apostatæ non per verum judicium, sed fortè apprehensione appetierunt, aut saltem appetere potuerunt æqualitatem DEI: Tùm denique, Quia voluntas tantùm indiget propositione pulchritudinis, seu convenientiæ objecti, quâ propositâ movet ipsum objectum voluntatem immediatè, sed propositio talis convenientiæ habetur etiam in simplici apprehensione, ergò hæc movere potest illam scilicet voluntatem sine prævio intellectûs judicio.

IV. Judicium intellectûs non requiritur ad actus liberi arbitrii.

Probatur secunda pars: Quia per judicium indifferens aliud non intelligitur, quàm illud, quo intellectus proponit voluntati objectum sub ratione boni cum imperfectione mali; aut sub ratione boni, & mali, nihil determinando, sed tale non sufficit ad movendam voluntatem ad sui consensum, ergò. Probatur minor Quia tale voluntatem non plus determinat, quàm judicium simplex proponens objectum sub sola ratione boni, licèt non simùl sub ratione mali,

Digitized by Google

mali, & etiam illo posito manet tamen voluntas in sua indifferentia, ergò. Probatur min: ab experientia: Nam frequenter posito tali judicio non solùm indifferenti, sed etiam practico voluntas contrarium eligit, juxta tritum:

Video meliora, proboque,
deteriora sequor.

V. Judicium intellectus requiritur præcisè in actibus gravioribus. Probatur tertia pars: Quia constat voluntatem in gravioribus operationibus & eorum exercitio multas pati difficultates, propter quas non movetur simplici apprehensione objecti convenientis, sed deberi ipsum objectum quoque proponi ulterius ab intellectu, suadendo, inculcando laboris parvitatem, operis dignitatem, meriti altitudinem, demeriti supplicium, ergò signum est in talibus causis nec apprehensionem, nec judicium indifferens sufficere, sed requiri practicum & determinativum, quod non solùm in gravioribus, sed & frequenter in ordinariis contingit, maximè dùm voluntas efficaciter debet operari. Nam non solemus efficaciter sperare vel intendere finem consequi, nisi præcedat judicium de possibilitate consequendi, quocunque demùm modo. Denique non solemus quoque eligere media, nisi prius judicentur ad finem esse idonea, & proportionata. Sed contra Conclusionem.

VI. Libertas non radicatur in intellectu. Opponitur vulgare axioma: *Libertas voluntatis radicatur in intellectu*, ergò, quando intellectus in judicio suo proponente est indifferens, etiam erit voluntas, & quando intellectus habet judicium determinatum, etiam erit voluntas determinata. Respond. Primò, neg: consequ: Quia sensus illius axiomatis non est, quasi eatenus sit in voluntate libertas, quale in intellectu est judicium, sed sic intelligendum est, quòd voluntas in usu & exercitio voluntatis suæ dependeat ab intellectu, ejusque operatione, ita quòd non possit suam indifferentiam exercere, nisi prius intellectus ostenderit: non tamen debet proponi objectum per judicium indifferens, aut practicum, sed per notitiam speculativam, licèt debeat proponi tàm bonitas, quàm malitia, ut voluntas sit libera ad oppositâ libertate contrarietatis. Debet etiam specialiter proponi aliqualiter malitia, seu inhonestas operis, vel omissionis, ut sit libera demeritoriè. Respond. secundò: Axioma illud in proprietate sermonis esse falsum, sicut nec intellectus potest dici radicari in phantasia, nec phantasia in sensu, quamvis hæ potentiæ una prærequirat alteram; Nam potentia, & quæcunque ei connaturalis perfectio non dicitur propriè & benè radicari in conditione sine quâ non, sicut nec causa efficiens dicitur radicari in applicatione, libertas ergò radicatur in ipsamet voluntate, & propriâ sibi congenitâ indifferentiâ, & utraque in naturâ rationali, ejusque defectibilitate.

QUÆSTIO QUINTA.

An & quomodo liberum arbitrium moveatur à concupiscentiâ?

I. Concupiscentia movet liberum arbitrium. Gemitus D. Pauli ad Rom. 7. est: *Non quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio: jam non ego operor illud, sed, quod habitat in me, peccatum.* In quem locum S. Augustinus lib. 6. contra Julianum Pelag. cap. 11. dicit: *Jam motus desideriorum malorum non ipse operabatur, quibus non consentiebat ad perpetranda peccata. Peccati autem nomine, quod in illo habitabat, ipsam nuncupabat concupiscentiam, quia peccato facta est, & si consentientem traxerit atque illexerit, concipit, parit & peccatum.* Movet ergò concupiscentia liberum arbitrium, quod plus quàm certum est, undè etiam S. Jacobus ait Cap. 1. *Unusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus.* Per quod manet resoluta prima pars, undè pro secunda

II. Concupiscentia non immediatè movet. Dico Primò: *Concupiscentia seu appetitus sensitivus non ita immediatè movet*

movet liberum arbitrium.

movet liberum arbitrium, ut ipsa feratur in objectum sine prævia excitata notitia circa idem objectum. Probatur: Quia voluntas non potest ferri in incognitum, & ordinaria regula est: *Voluntas non est sensus, sed intellectus*, ergò concupiscentia non movet immediatè. Itaque illa movet voluntatem ratione connexionis in anima per quandam sympathiam, & potentiarum consensum, per quam fit, ut dum appetitus sensitivus elicit actum circa proprium objectum voluntas alliciatur ad ponendum actum circa idem objectum, prævia tamen semper cognitione, quæ facilè habetur, cùm phantasia proponens appetitui objectum derivet species ejus in intellectum, qui idem objectum efficaciter proponit voluntati, tanquam conveniens jucundum & delectabile, quod est mediatè movere voluntatem, & est proposita conclusio. Quâ non obstante

III. Concupiscentia potest etiam immediatè movere voluntatem.

Dico Secundò: *Concupiscentia & appetitus sensitivus probabiliter potest etiam liberum arbitrium seu voluntatem immediatè movere.* Hæc Conclusio Probatur sola declaratione: Quia passio appetitûs sensitivi attrahit ipsam animam, eamque valdè inclinare potest ad suum objectum, & consequenter accedente cognitione intellectiva inclinat eandem, ut in idem objectum tendat, etiam per appetitum rationalem, seu voluntatem, ergò. Probatur antec: nam objecta sensibilia attrahunt eam secundùm appetitum sensitivum, sic æquè potius ipse appetitus sensitivus accedente notitiâ intellectivâ attrahere potest animam secundùm appetitum rationalem, est enim admiranda horum sensuum, & potentiarum colligatio & consensio, quam sufficienter licèt in nobis sint, penetrare non possumus. Confirmatur: Quia in statu Innocentiæ delectatio appetitûs sensitivi non ita attraxisset voluntatem sicut nunc, stante etiam perfectâ propositione intellectivâ delectabilitatis objecti. Imò etiam nunc proposita vivaciter delectabilitate objecti, si aliundè refrænaretur aut impediretur passio appetitûs sensitivi, facilius refrænarentur motus sensuales. Dixi tamen in Conclusione *Probabiliter*, quia res est difficilis & occulta, quàm si aliquis negaret, non facilè convinceretur. Interim

IV. Concupiscentia non trahit necessariò liberum arbitrium.

Dico Tertiò: *Liberum arbitrium non trahitur necessariò à concupiscentia, sed potest ei resistere.* Hæc est contra Hæreticos Recentiores, & patet quidem ex superioribus dictis, & Concil. Trident. Sess. 6. Can. 6. ubi dicit: In hominis potestate esse vias suas malas & bonas facere, quare tàm ex iis, Probatur Primò, quàm etiam ex Definitionibus Pii V. Gregorii XIII. Urbani VIII. & Innocentii X. in bulla contra Jansenium, qui omnes damnârunt hanc propositionem: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessariò facit*: & justè, quia in statu naturæ lapsæ requiritur in homine libertas indifferentiæ ad peccandum, ergò.

Probatur Secundò Authoritate S. Augustini, qui in libris suis sæpè probat, concupiscentiam non esse peccatum, si non consentitur, sed vocari peccatum, quia ex peccato orta est, & quæ iterum ad peccatum, quia ex peccato orta est, & quæ iterum ad peccatum inclinat, lib. 1. de concupisc. & nupt. cap. 83. ait: *Ipsa quidem concupiscentia jam non est peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non consentitur, atque ut ea perpetrent, à regina mente membra non dantur, ut si non fit, quod scriptum est: non concupisces, fiat saltem, quod alibi legitur: Post concupiscentias tuas non eas. Sed quia modo quodam loquendi peccatum vocatur; quod peccato facta est, & peccatum si vicerit, facit reum, reatus ejus valet in regenerato, quem reatum Christi gratia per remissionem omnium peccatorum in regenerato, si ad mala opera ei quodammodò jubenti non obediat, valere non sinat, si autem vocatur peccatum* (loquitur de concupiscentia) *quia peccato facta est, cùm jam in regeneratis non sit ipsa peccatum: sicut vocatur lingua*

Digitized by Google

lingua locutio, quam facit lingua : Et manus vocatur Scriptura, quam facit manus. Itemque sic vocatur peccatum, quia peccatum, si vincit, facit : sicut vocatur frigus pigrum, non quod à pigris fiat, sed quòd pigros faciat. Et alibi frequenter docet, concupiscentiales motus nobis non nocere, si non consentimus, nam lib. 1. Civit. DEI. cap. 25. ait : *Quod si illa concupiscentialis inobedientia, quæ adhuc in membris moribundis habitat, præter nostræ voluntatis legem, quasi lege sua movetur : quantò magis absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis.* Et lib. quarundam propositionum ex epist. ad Rom. quæ habetur tom. 4. propos. 17. dicit : *Non in ipso desiderio pravo, sed in nostra consensione peccamus. Ad hoc valet, quod dicit idem Apostolus : Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum concupiscentiis ejus. Hic enim ostendit esse desideria, quibus non obediendo, peccatum in nobis regnare non finimus.* In Propositione 45. *In eo enim est damnatio, quod obtemperamus & servimus desideriis carnalibus.* Si autem existant, & non desint talia desideria, non tamen his obediamus, non captivamur, & sub gratia sumus. Propositione 57. *Nulla ergò condemnatio est nunc his, qui sunt in Christo JESU* ; satis ostendit, condemnationem non esse, si existant desideria carnalia, sed si eis ad peccandum obediatur.

Dices : Augustinus etiam dicit, sæpè in iis, quæ necessitate fiunt, esse peccata, & alibi concupiscentiam saltem esse peccatum veniale, nam lib. 2. contra Jovin. circa finem ait : *Sed in quibus ab illo rebellante, & si non letbaliter, sed venialiter, tamen vincimur, in his contrahimus, undè quotidiè dicamus : Dimitte nobis debita nostra*, ergò illa necessariò pertrahit ad peccatum. Respond. primò, neg; consequ: ad primum locum Respond. Augustinum, nunquam velle in nostris factis esse peccatum, sed fortè metaphoricè, sicut Apostolus locutus fuit de peccato in se habitante, nam lib. de vera Relig. cap. 14. dicit : *Usque adeò peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium : & hoc quidem manifestum est, ut nulla hinc paucitas Doctorum, nulla indoctorum turba dissentiat. Quare aut negandum est, peccatum committi, aut fatendum est voluntate committi.* Respond. ad secundum locum, concupiscentiam frequenter propter inadvertentiam, & alias occasiones pertrahere ad peccata venialia, & hoc tamen nostra voluntate.

QUÆSTIO SEXTA.

An & quomodo DEUS, Angeli, Astra & Objecta moveant liberum arbitrium?

I. DEUS movet liberũ arbitrium.

QUicunque, gloriatur paulò pòst Apostolus ad Roman. 8. *Spiritu DEI aguntur, ii sunt filii DEI*, quem locum perpendens S. Augustinus serm. 13. de verbis Apostoli propositam resolvit quæstionem sic : *Dicit mihi aliquis, ergò agimur, non agimus. Respond. imò & agis, & ageris. Et tunc benè agis, si à bono agaris, Spiritus enim DEI, qui te agit, agentibus adjutor est : ipsum nomen adjutoris præscribit tibi, quia & tu ipse aliquid agis. Agnosce, quid poscas, agnosce quid confitearis, quando dicis : Adjutor meus esto, ne derelinquas me, Adjutorem utique invocas DEUM, nemo adjuvatur, si ab illo nihil agatur.* Movet itaque DEUS liberum arbitrium. Hinc

II. Deus physicè & moraliter movet liberũ arbitrium.

Dico Primò : *DEUS movet liberum arbitrium partim physicè, partim moraliter, utrumque tamen sine præjudicio libertatis.* Hic est communis Theologorum sensus & consensus, & Probatur Conclusio Primò de motione physica ex omnibus illis Scripturæ locis, in quibus dicitur, DEUS omnia opera nostra operari, ipsumque omnia gubernare & regere, ergò.

Probatur Secundò Authoritate D. Augustini lib. Sentent. habetur tom.

by Google

tom. 3. serm. 58. *Voluntas DEI est prima & summa causa omnium corporalium, spiritualiumque motionum; nihil enim fit visibiliter & sensibiliter, quod non de invisibili & intelligibili summi Imperatoris aula aut jubeatur, aut permittatur secundùm ineffabilem præmiorum aut pœnarum justitiam, gratiarum & retributionum, in ista totius creaturæ amplissima quadam universaque Republica.* Item lib. 5. de Gen. ad litt. cap. 50. *Movet itaque occulta potentia universam creaturam suam, eoque motu illa versata dum Angeli jussa perficiunt, dum circumeunt sidera, - - - - quæ tamen in suos cursus non explicarentur, si ea ille, qui condidit, provido motu administrare cessaret.*

Probatur Secundò ex eodem de utraque motione lib. 8. de Gen. ad litt. cap. 9. *In ipsum mundum, velut in quandam magnam arborem rerum, oculus cogitationis attollitur atque in ipso quoque gemina operatio providentiæ reperitur, partim naturalis, partim voluntaria. Naturalis quidem per occultam DEI administrationem, quæ etiam lignis & herbis dat incrementum, voluntaria verò Angelorum opera & hominum dirigendo.* Ubi voluntariam motionem vocat eam, quæ fit per gratiam sanctificantem gratuitò nobis infusam, & per auxilia gratiæ divinæ inspirando bonas cogitationes, præveniendo liberum arbitrium, tollendo impedimenta, concomitando, adjuvando, alliciendo, & etiam causando in corpore ipso hominis tales dispositiones, ex quibus phantasia primùm, deindè intellectus illuminetur, & liberum arbitrium moveatur; undè Salomon gloriabatur dicens: *Sortitus sum animam bonam.* Sap. 8. quod Patres de bonitate dispositionum corporalium quoque interpretantur.

Probatur denique, utramq; motionem non præjudicare libertati ex eodem S. Augustino lib. 1. Retract. cap. 22. ubi habet ista: *Alio loco* (dixi) *nisi quisque voluntatem mutaverit, bonum operari non potest: quod in nostra potestate esse positum, Dominus alio loco docet, ubi ait: aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum, aut facite arborem malam, & fructum ejus malum. quod non est contra gratiam DEI, quam prædicamus. In potestate quippè hominis est, mutare in melius voluntatem, sed ea potestas nulla est, nisi à DEO detur, de quò dictum est: Dedit eis potestatem filios DEI fieri. Cùm enim hoc sit in potestate, quod cùm volumus, facimus, nihil tàm in potestate, quàm ipsa voluntas est, sed præparatur voluntas à Domino.* Manet ergò voluntas libera in omnibus actionibus suis, licèt moveatur à DEO, & cor præparetur, & hoc maximè in actibus deliberatis; fateor quidem, quòd si DEUS se solo voluntati infunderet actum, quòd voluntas se merè passivè haberet.

Dico Secundò: *Angeli directè non possunt, benè tamen indirectè & mediatè movere liberum arbitrium.* Hæc patet ex dictis suprà in tractatu de Angelis. Et Probatur adhuc ex D. Augustino Con. 18. in Psalm. 118. ubi dicit: *Potest quidem Angelus aliquid agere in mentem hominis, ut capiat lucem DEI, & per hanc intelligat. Sed ita dicitur intellectum dare homini, & quasi, ut ita dicam, intellectuare hominem, quemadmodum quisquam dicitur lucem dare domui, vel illuminare domum, cui fenestram facit, cùm eam non sola luce penetret & illustret, sed tantummodò aditum, quo penetretur atque illustretur, aperiat.* Et infrà: *DEUS Angelum talem fecit, qui operari possit aliquid, undè ad capiendum lumen DEI mens adjuvaretur humana, & eandem sic adjuvat mentem, ut angelicam recipiat operationem, & eam sic illuminat de seipso, ut non solùm illa, quæ à veritate monstrantur, sed ipsam quoque proficiendò perspiciat veritatem*; atqui, qui fenestras aperit, nonnisi mediatè & indirectè dicitur illuminare domum, ergò. Quare etiam ulterius declaratur Conclusio, & III. Angeli indirectè possunt movere liberum arbitrium.

Probatur Ratione: Quia Angeli possunt movere temperamentum & humores corporis, quibus motis variæ

variæ excitantur operationes in phantasia & appetitu, undè ulterius sequitur motio voluntatis. Deindè possunt etiam movere volentem proponendo objectum, excitando species imaginarias, agitando spiritus vitales, exterius loquendo & aliis diversis modis.

Astra tali ratione quoque movere liberum arbitrium est per se notum, & à Philosophis sufficienter examinatum. Quare

IV. Objectum metaphoricè movet liberum arbitrium.

Dico Tertiò: *Objectum mediante cognitione metaphoricè movet liberum arbitrium, nullam eidem necessitatem inferendo.* Hæc quoad primam partem Probatur ex 3. de anima. cap. 54. Appetibile seu bonum apprehensum tantùm movet appetitum per modum finis, sed motio finis non est realis & physica, sed metaphorica ex Doctore subtili 2. d. 25. §. ad primum principale. Deinde bonum non est objectum voluntatis secundùm se, quod habet à parte rei, sed secundùm esse cognitum seu apprehensum, sed tale esse est secundùm quid & intentionale, non physicum & reale, quale requireretur, si esset causa physica volitionis liberi arbitrii.

Probatur secunda pars: Quia nullum est objectum assignabile, quod haberet virtutem necessitandi liberum arbitrium, ergò. Probatur anteced: Quia si esset aliquod maximè DEUS ipse, vel beatitudo, sed neutrum est tale pro hoc statu, ergò. Probatur min: Quia quilibet potest cessare ab amando DEO, & à desideranda beatitudine, adeoque est liber quoad exercitium actûs. Imò non est certum, an DEUS etiam in beatitudine necessitet physicè ad amorem sui, an non tantùm moraliter, ergò. Sit

DISPUTATIO TERTIA.

DE

Actibus liberi Arbitrii.

I. Volitiones aliæ sunt circa finē, aliæ circa medium.

Liberum arbitrium est physicè, & immediatè elicitivum plurimorum actuum principium, ut sunt *Volitio*, & ex opposito *Nolitio*, *Intentio Finis*, *Electio mediorum*, & *Consensus*, *Imperium*, *Usus & Finis*, quot & quanta nomina! & tamen sunt omnes volitiones, non quidem prosecutiones volitivæ objecti cogniti, quæ & vitales tendentiæ dicuntur, sed ipsi actus, quo prosequimur bonum; qui actus omnes in duplici sunt differentia, nam aliqui versantur circa finem seu objectum, alii circa media. Circa finem agunt *Volitio*, *Intentio*, & *Fruitio*. Circa medium occupantur *Electio*, *Usus*, *Consensus* & *Imperium*, de his igitur & aliis, qui ab istis originantur, in hac Disputatione agam. Undè fit

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO PRIMA.

De Actibus liberi Arbitrii circa finem versantibus.

PLures in hac quæstione examinandas assumo volitiones, eò, quòd ista omnia pertractata fusiùs à me fuerunt in Philosophia. Notandum Primò, Volitionem esse duplicem, *Simplicem & Efficacem.* *Volitio simplex*, est simplex desiderium vel amor objecti propter se amabilis, non applicando media necessaria ad consecutionem illius objecti, hoc modo peccator vult beatitudinem non volendo media ad illam, puta pœnitentiam & bona opera, hoc modo secundùm sapientem vult & non vult piger, id est, vult finem, sed non vult applicare media, hoc etiam modo secundùm Scotum Lucifer voluit esse æqualis DEO. Hic actus aliis nominibus vocatur *simplex complacentia*, *Voluntas conditionata* & *inefficax*. *Simplex* quidem, quia non componitur cum opere, mediis, & consecutione finis, sed subsistit præcisè in objecto sine ullo ordine de præsenti ad prædicta. Dicitur *Conditionata*, non quidem formaliter, quasi involvat aliquam conditionem ex parte objecti, sed virtualiter, quia scilicet respicit objectum, quod traheret voluntatem ad opus, nisi obesset impedimentum, v. g. impossibilitas & magna difficultas ex parte objecti, vel ex parte voluntatis inclinatio prædominans ad alia fortiùs moventia. Dicitur denique hæc *Voluntas inefficax*, quia nunquam qua talis assequitur finem intentum, & plerumque explicari solet per hunc modum loquendi *Vellem*. *Volitio efficax* per oppositum, est amor vel desiderium absolutum & efficax objecti, adhibitis (si opus est) mediis necessariis ad ejus assecutionem. Dixi *si opus est mediis*, quia non oportet, quòd omnis voluntas efficax dicat ordinem ad media, ut patet in voluntate divina, in qua volitio efficax creandi ex nihilo nulla supponit vel requirit media, cùm creatio fiat independenter ab omni causa secunda, & consequenter ab omni medio. Item posset DEUS sine illis mediis extrinsecis v. g. meritis, gratiâ, mediatore, electos ad gloriam assumere.

II. Volitio est duplex, efficax una, simplex altera.

III. Intentio explicatur.

Intentio principalis actûs circa finem, ex vi vocis significat idem, quod attendere vel potius *tendere* in rem aliquam extra se, sive seipsam moveat ad illam rem, sive moveatur ab alio, & hoc modò ly *Intentio* generaliter se extendit tàm ad causas liberas, quàm naturales, quia quælibet causa agit propter finem, vel à se, vel saltem à causa prima intentum. Quandoque etiam nomine intentionis designatur actus intellectûs, quo tendit in suum objectum, & hinc Logici desumpserunt voces illas *prima* & *secunda intentio*. Strictè autem, & ut ad præsens attinet *Intentio* usurpatur communiter pro actu liberè elicito à voluntate efficaciter tendente in finem, & hoc modò sumpta nō apparet, quomodo distinguitur à voluntate efficaci, de qua antè. Quandoque etiam ex consuetudine S. Scripturæ hæc intentio vocatur electio: *Ego elegi vos. Quos in ipso elegit ante constitutionem mundi.* Ubi electio sumitur pro intentione, seu decreto dandi gloriam prædestinatis. Quandoque etiam vocatur propositum.

IV. Fruitio duplex est.

Notandum Secundò: Fruitionem juxta doctrinam communem nostræ Scholæ dupliciter intelligi, Primò, ut opponitur usui, & sic nihil est aliud, quàm amor efficax objecti propter se. Secundò accipitur, prout est acquisitio, possessio, seu tentio finis in re ipsa, & sic distinguitur contra intentionem, electionem, reliquosque actus efficaces circa bonum absens. Præmissis istis progredior ad quæstiones & dubia indè emergentia resolvenda. Quare

V. Volitio inefficax actu inest sic volenti.

Dico Primò: *Volitio efficax & simplex sunt actus liberi arbitrii inexistentes ei, qui sic aliquid vult, nec distinguuntur specie.* Hæc est contra

Thomistas, qui docent volitionem simplicem non esse actum, sed dicere tantùm aliquem actum, qui esset actu positâ aliquâ conditione. Probatur prima pars: Quia quilibet in se experitur actu utramque volitionem, dum aliquando unum objectum efficaciter, & aliquando inefficaciter & sub conditione appetit, undè experimur etiam in nobis consurgere aliquam delectationem, vel tristitiam, quæ signum est actûs præsentis, ex quo tanquam passio proficiscitur, ergò: Tùm, Quia utraque volitio est sufficiens principium meriti & demeriti, ergò utraque est actu in illo, qui sic vult, aliàs non esset verum, quòd homo talem volitionem actualiter vellet, sed hoc est falsum etiam secundùm Thomistas, ergò.

Dices: Volitionem simplicem non esse in actu, quia tantùm explicatur per ly *vellem* optativi modi, sed qui optat velle, actu non vult, ergò actu non est in illo. Respond. neg: min: & consequ: Quia ratio cur volitio inefficax explicetur per verbum optativi modi, non est, quòd ipsa non sit actualiter existens, sed quia connotat volitionem efficacem, quæ non est tunc actu, sed esset, si ponerentur aliquæ conditiones.

Probatur secunda pars: Quia illæ duæ volitiones tendunt in idem objectum, eodem modo, & sub eadem ratione propositum, & nulla est assignabilis ratio, cur deberent distingui specie. Nec obstat, quòd diversimodè tendant in objectum, quia ille modus non est diversus in specie, sed secundùm intensionem tantùm & remissionem, atqui intensio & remissio non faciunt diversitatem specificam in rebus, quibus conveniunt, ergò.

VI. Volitio inefficax potest ferri circa impossibilia. Dico Secundò: *Volitio simplex, seu inefficax, & conditionata potest versari circa impossibile cognitum ut tale.* Ita Scotus 2. d. 6. q. 1. ubi dicit, ejusmodi voluntatem simplicem fuisse de facto in Angelo ad peccatum sine ullo errore intellectûs appetendo æqualitatem DEI. Et in 4. d. 49. q. 9. ad 2. ubi dicit, damnatos hac voluntate velle sibi beatitudinem. Eum præter suos sequitur Vasquez 1. secundæ disp. 42. Cajetanus 1. secundæ q. 13. a. 5. Osorius, Greg. & alii. Probatur Primò ex Philosopho 3. Ehic. cap. 2. ubi distinguit voluntatem, seu volitionem simplicem ab electione, quòd hæc sit tantùm possibilium, illa verò quandoque impossibilium. Probatur Secundò: Quia experimur in nobis sæpè displicentiam de peccato prius commisso, quæ explicatur per hunc modum loquendi, vellem me nunquam peccasse, quod tamen est impossibile, posito, quòd semel peccaverim. Item multi optant mortuos suos supervivere, quod tamen est naturaliter impossibile. Item experimur, nos delectari in eo, quod nobis est, & cognoscitur ut simpliciter impossibile, v. g. nos in Angelos vel aves transmutari ob aliquam commoditatem in hac transmutatione consideratam. Denique damnati desiderant DEUM non esse, vel saltem secundùm Scotum justitiam DEI eos punientem non esse, quorum utrumque est impossibile, ergò circa impossibile cognitum ut tale potest versari volitio simplex.

Arguitur Primò: Impossibile quà tale est nihil, adeóque non ens, non bonum, ergò quod apprehenditur ut tale, non potest à voluntate ullo modo appeti. antec: patet, consequ: probatur: Quia objectum adæquatum voluntatis in ordine ad actum volitionis est bonum *quà tale*, ergò non potest voluntas volendo ferri in id, quod non est ens, aut bonum. Respond. neg: consequ: ad probationem dico, quòd sicut intellectus ex sua fœcunditate potest apprehendere aliquid per modum entis, quod tamen non est ens, nec possibile, ita voluntas simplici affectu potest ferri in aliquid apprehensum quidem ut ens & bonum, quamvis non apprehendatur ut possibile saltem mihi, quia possibilitas non est conditio necessaria ex parte objecti, prout movet voluntatem ad simplicem illam complacentiam; solùm ergò

ergò probat argumentum, non posse voluntatem efficaciter ferri in objectum apprehensum ut impossibile.

Instatur: Sequeretur, quòd talis voluntas circa impossibile sufficeret ad peccatum, quod videtur absurdum. Respond. Id non esse absurdum; quia revera qui hærent in phantasiis & cogitationibus circa ejusmodi impossibilia sic apprehensa, ex quibus oriuntur motus aliqui in voluntate, si tales cogitationes sint in materia illicita, quantumvis involvant impossibilitatem, non excusantur tales à peccato, quia habent complacentiam simplicem, quam non suspendunt ejusmodi conditiones, sed solùm suspendunt voluntatem & prosecutionem efficacem, & hoc modo voluit Lucifer æqualitatem DEI.

VII. *Intentio est actus voluntatis solius.* Dico Tertiò: *Intentio, prout ad præsens spectat, est actus elicitus solius voluntatis.* Ita Scotus 2. d. 38. & est communis. Probatur: Intentio est actus liber, dans speciem & perfectionem operi à fine desumptam, & est primarium fundamentum meriti ac demeriti, juxta illud Matth. 6. *Si oculus tuus simplex fuerit.* Quod intelligit D. Augustinus lib. 2. de serm. Domini cap. 1. de intentione operis, & Ambros. apud Augustinum loco citato, *Affectus*, inquit, *id est, intentio dat nomen operi*, ergò intentio est actus elicitus voluntatis non intellectûs. Confirmatur: Quia posito quocunque actu intellectûs potest non esse intentio finis; ergò ipsum intendere, non intendere est voluntatis: Monet tamen Scotus eos, qui ponunt libertatem consistere in utraque potentia, consequenter deberè dicere intentionem ad utramque spectare. Contra hanc Conclusionem.

Opponitur authoritas Scripturæ, Matth. 6. *Si oculus tuus simplex fuerit*, ubi per oculum intelligit Augustinus intentionem, tunc sic: sed oculus animæ non est voluntas, sed intellectus, ergò ad intellectum spectat intentio. Respond. Quòd intentio metaphoricè dicatur oculus, quia sicut oculus dirigit aliqua membra ad propria exercitia, ita recta vel mala intentio voluntatis rectificat, vel inficit reliqua opera hominis, ex quo patet, quòd ratio oculi non solùm ad intellectum, sed etiam ad voluntatem transferri potest, maximè cum stante recto judicio intellectûs possit voluntas malè intendere vel eligere.

Arguitur Secundò: Intentio est actus comparativus finis ad media, sed solius intellectûs est comparare unum ad aliud, ergò & intendere. Respond. cum Scoto, neg. absolutè min: Quia etiam voluntas est potentia comparativa, vult enim medium propter finem, & vult finem non solùm propter se, sed etiam ut bonum sibi.

Quæres: An aliquis possit simul duos fines intendere. Respond. loquendo de duobus ultimis finibus, quòd voluntas nec uno actu, nec diversis potest tales intendere simul: Tùm, Quia tales sunt impossibiles: Tùm etiam: Quia hoc ipso, quòd quis constituat suum finem ultimatè & completè in una re, recedit à quacunque alia tanquam ab ultimo fine, & huc spectat illud Evangelicum: *Nemo potest duobus dominis servire.* Si verò loquamur de duobus, vel pluribus finibus non ultimatis, non apparet, cur non possent uno etiam actu simul intendi, ut cùm quis pergit Romam devotionis ergo, & simul ex curiositate videndi res pulchras.

VIII. *Intentio & Electio realiter distinguuntur.* Dico Quartò: *Intellectio & Electio ordinariè sunt actus realiter distincti, quorum primus directè & formaliter versatur circa finem, virtualiter tantùm includens electionem mediorum.* Est communis, & probatur, Quoniam habent objecta distincta, diversosque tendendi modos in objecta, sicut in nobis distinguuntur assensus præmissarum, & assensus Conclusionis, hinc proverbium illud: *Intentionem finis esse causam electionis mediorum*: hinc quoque ordinariè præcedit consilium, electio

autem sequitur consilium. Deindè intentio aliquando est actus volitionis & prosecutionis, actus autem electionis aversionis & fugæ.

Probatur Secundò: Quia potest voluntas proposito sibi fine actum intentionis suspendere ex sua libertate, quousque consideratis determinatè mediis, uno actu velit finem per ista media, & tunc intentio virtualiter includit saltem, si non formaliter electionem. Deindè non apparet ratio, cur in particulari non possit voluntas eodem actu directè ferri in finem, & in media propter ipsum finem, sicut frequenter contingit in Angelis. Hinc dixi in conclusione *ordinariè*, quia ordinarius agendi modus hominum, qui est valdè limitatus, solet ab uno actu, quo intenditur finis, procedere ad alium distinctum, quo directè intenduntur media, maximè in particulari.

IX. Intentio non efficit physicè electionem. Dico Quintò: *Intentio non causat electionem per physicum & realem influxum, sed ad eum modum, quo determinatio prior est causa respectu posterioris.* Probatur conclusio: Quia non est statuenda causalitas physica efficiens unius actûs, ejusdem præsertim potentiæ in alium absq; necessitate, sed hìc nulla est, ergo. Probatur min: Quia voluntas se sola sufficit non minus respectu electionis, quàm intentionis, adeoq; intentio si quid causat, aliter non facit, quàm moraliter movendo & determinando voluntatem ad electionem.

Probatur Secundò: Tum, Quia in probabili sententia assensus principiorum non efficit physicè assensum conclusionis, ad quem determinat, ergo nec intentio efficit electionem: Tum, Quia voluntas per suum impulsum determinat potentias executivas, & tamen non efficit eorum actus, ergo neq; intentio efficit electionem.

X. Fruitio est actus elicitus voluntatis. Dico Sextò: *Fruitio est actus elicitus solius voluntatis.* Ita Scotus 1. d. 1. q. 3. & in 4. d. 49. q. 7. cum sua universa Schola contra quosdam Thomistas, præsertim Scotum, qui contra D. Thomam sustinet fruitionem elicitivè esse actum intellectûs. Probatur Primò conclusio ex D. Augustino de mor. Eccles. cap. 3. *Quid est aliud, quod dicitur frui, quàm præstò habere quod diligis.* Et lib. 1. de doct. Christ. cap. 1. *Frui est amore inhærere alicui rei propter seipsum.* Probatur Secundò: Illius potentiæ propriè est frui, cujus est intendere & disponere media ad finem, sed hoc est voluntatis, etiam secundùm Adversarios, ergò. Maj: patet: Quia fruitio est circa finem non minùs quàm intentio: Tùm, Quia objectum voluntatis est finis, ergò voluntatis est in eo quiescere per fruitionem: Tùm, Quia finis ultimus perficit ultimatè hominem, sed actus, quo finis perficit, est amor, qui spectat ad voluntatem, ergò fruitio est actus voluntatis: Tùm, Quia perfectissimus habitus, scilicet charitas, ordinatur ad fruitionem, ergò illius potentiæ est frui, cujus est talis habitus, sed charitas spectat ad voluntatem, ergò. Hæ rationes probant etiam beatitudinem formalem consistere in actu voluntatis. Probant præterea fruitionem non consistere in delectatione circa objectum: Tùm, Quia ex dictis fruitio est actus, delectatio verò passio consequens ad illum actum: Tùm etiam, Quia fruitio est ipsa possessio finis, sed delectatio jam supponit possessionem finis, ergò. Sed de hoc latius dictum est de Beatitudine.

Arguitur: Quævis potentia habet proprium finem, qui est ejus perfectio, ergò ad quamlibet potentiam, & non ad solam voluntatem spectat frui. Respond. Quamvis quælibet habeat peculiarem finem & perfectionem, tamen ultimatus & perfectus finis creaturæ totius rationalis est ille, in quem tendit sola voluntas fruendo. Alia, quæ contra hanc conclusionem adducuntur, fundantur in illa doctrina Thomistarum ponentium beatitudinem in actu intellectûs, quæ in materia de beatitudine ex professo soluta sunt. Sit igitur

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO SECUNDA.

De Actibus liberi arbitrii versantibus circa media.

I. Electionis ethymon & natura.

VOlitiones, quæ circa media occupantur, sunt: *Electio*, *Usus*, *Consensus*, & *Imperium*, quorum ethymologias & naturas oportet primò inquirere; unde Notandum 1. Quod *Electio* vi nominis est unum è multis separare, idq; cœteris præferendo, quod in intellectu sæpè contingit, cùm è duabus sententiis unam alteri præfert. Propriè tamen, & ut ad præsens attinet, sumitur *Electio* pro actu elicito voluntatis, quo unum propter aliud tanquam propter finem diligit. Qui actus, licèt ex ethymologia nominis requirat fieri inter multa, & ut plurimum ita contingat, tamen secundùm usum Theologorum generalius sumitur, prout est idem quod volitio efficax alicuius rei particularis, quæ non propter se, sed propter aliud amatur, esto contingat non fieri inter plura, sed sit tantum unicum medium v. g. posito, quod ad trajiciendum mare non sit aliud medium quàm navigatio, rectè diceretur aliquis eligere navigationem ad trajiciendum.

II. Consensus variè accipitur.

Notandum Secundò: Quòd ly *Consensus* quandoq; importat unum actum sentiendi, quatenus connotat in altero similem actum, & significat idem, quod venire in sententiam alterius per conformitatem opinionis & judicii, & hoc modo Consensus spectat ad intellectum: In proposito tamen translata est vox *Consensus* ad voluntatem, ut significet concordiam seu conformitatem duorum vel plurium in eodem volito: hoc modo dicitur voluntas consentire DEO, quando servat DEI legem, similiter rectæ rationi, appetitui sensitivo, cupiditati, tentationi. Item quoties prosequitur, sive efficaciter, sive inefficaciter, & sive circa finem, sive circa medium, & importat conformitatem ad aliquid tanquam ad regulam. Hoc patet ex communi usu maximè in foro pœnitentiæ, in quo quæcunq; complacentia voluntatis sive in delectationem, sive in cogitationem, sive in ipsum opus exprimitur nomine consensus. Ex quo patet, quòd consensus latiùs pateat, quàm Electio.

Notandum Tertiò: *Usum* secundùm Theologos propriè significare comparationem seu collationem alicujus boni minoris ad magis bonum in re, vel apparenter, aut ex instituto ipsius voluntatis, & distinguitur contra Fruitionem, quòd hæc sit circa summum bonum, verum, apparens. Usu verò circa minus bonum, in ordine ad majus bonum modo suprà dicto. Unde D. Augustinus de Doctr. Christ. cap. 3. *Uti*, inquit, *est id, quod in usu venit, ad id, quod amas obtinendum, referre*; circa usum hoc modo sumptum duo quæruntur: Primò, cujus potentiæ sit actus? Secundò, An, & quomodo ab electione distinguatur. Circa primum III. Usus secundùm Theologos quid sit.

Notandum Quartò: In executione, quæ ad usum propriè spectat respectu nostri plerumq; requiri alias potentias sive internas sive externas, voluntas enim cum finem vult consequi & media executioni mandare, utitur non solùm suâ ipsius operâ, sed etiam ministerio aliarum potentiarum, & hinc distinguitur duplex *usus Activus* scilicet, & *Passivus*. *Activus* dicitur esse actus ipsius voluntatis applicantis se ad alias potentias ad executionem. Passivus verò est applicatio passiva aliarum potentiarum, & etiam ipsius voluntatis, quando sibi imperat elicere aliquem actum conducentem ad finis consecutionem. IV. Usus requirit in executione plures potentias.

Notandum Quintò: Per *Imperium* aliud non intelligi, quàm motum quendam, quo inferior movetur à superiore præbens aliquam determinationem, quale imperium in nobis reperiri nullus dubitat, constat enim, quòd nosmetipsi aliquando nobis imperamus. His præmissis

V. Voluntas ex pluribus mediis potest minus conveniens eligere.

Dico Primò: *Stante intentione finis, & propositis pluribus mediis potest voluntas quodcunq; unum ex illis, imò etiam minus conveniens eligere.* Ita Doctor subtilis in 3. d. 36. a. 2. ubi docet, quòd stante recto dictamine intellectûs possit contingere in voluntate prava electio. Eam tenet etiam Henricus quodl: 1. q. 16. Richard: Major: Cajet: & alii Thomistæ communiter. Contra Vasquem 1. 2. d. 43. citantem pro se quosdam alios. Probatur conclusio 1. Ex D. Augustino 12. de Civit: DEI cap. 6. ubi docet, duos æqualiter tentatos, & in reliquis per omnia æquales, unum peccare, alium non, id provenire ex solo usu libertatis in peccante, ergò si secundum Augustinum potest unus relicto bono peccare, seu eligere malum, poterit à fortiori positis duobus mediis æqualibus, vel inæqualibus, unum etiam minus conveniens præ alio eligere. Confirmatur ex D. Bernardo lib: de grat: & lib: arbit: *Porro*, inquit, *voluntas est motus rationalis & sensui præsidens, & appetitui, habet sanè quocunq; se volverit semper rationem comitem, & quodam modo pedissequam, non quod semper ex ratione, sed quòd nunquam absq; ratione moveatur, ita ut multa faciat per ipsam, & contra ipsam, hoc est quasi per ejus ministerium contra ejus judicium & consilium.* Et paulò infra: *Est verò ratio data voluntati, ut instruat illam, non ut destruat, destrueret autem, si necessitatem ei ullam imponeret, quo minus pro arbitrio se se volveret.* Ex his ergò si secundùm Augustinum & Bernardum voluntas non obstante judicio practico intellectûs potest pro suo libitu præ bono eligere malum, & volvere se quò voluerit, multò magis propositis ab intellectu pluribus mediis bonis æqualibus, vel inæqualibus, respectu ejusdem finis, poterit sine ulla necessitate unum præ alio etiam minus bonum eligere. Hoc etiam confirmat quotidiana experientia, qua videmus figulum ex duabus massis æquè aptis unam præ alia ad fabricandum vas eligere. Item unum eligere vitam honestam in sæculo ad obtinendam beatitudinem, alium vitam religiosam, & inter religiones ipsas aliquando laxiorem, & sic de multis aliis. Addo tres articulos Parisienses, qui videntur damnare contrariam sententiam: Primus est, *si ratio recta est, & voluntas est recta.* Secundus est, *Existente majori universali, & minori particulari, voluntas non potest in oppositum.* Tertius error est, *Existente voluntate in ultima dispositione, quòd non possit in oppositum.* Ex his patet erroneum esse, asserere, voluntatem necessariò determinari à judicio practico intellectûs ostendentis voluntati unum medium præ alio eligendum.

Opponitur Authoritas Philosophi 3. de anim: cap. 11. ubi dicit: *Ars deliberativa inest tantum, quibus ratio inest, num hoc agat, an hoc, rationis jam opus atq; officium est. atq; necesse est uno quodam metiri, majus enim prosequitur.* Acsi dicat in ratione deliberativa esse regulam faciendorum, vel non faciendorum, & quod judicat convenientius id fieri à voluntate, ergò Philosophus est contra nostram conclusionem. Respond. neg: consequ: Philosophus tantùm vult, quòd ratio sit regula necessaria, sine quâ non potest voluntas quidquam eligere. Item quòd voluntas plerumq; sequatur judicium deliberativum rationis, eligatq; quod convenientius judicatur, quamvis secus facere potest.

Instatur: Electio non potest esse nisi ex judicio consultationis, sed hoc nequit esse nisi de majori, non autem de minori aut æquali bono. Respond. neg: min: Quia licèt intellectus consultando judicet unum esse convenientius alio, nihilominus judicat, vel saltem supponit utrumq; sive æquale sive minus bonum esse sufficienter conveniens, quod satis est, ut voluntas eligat, quod voluerit.

Urgetur: Minus bonum respectu majoris est malum, sed voluntas non potest prosequendo eligere malum qua tale, ergò. Respond. distin:

distin: maj: negativè, transeat privativè, neg: minus enim bonum, licèt non sit adeò bonum ac majus, est tamen in se simpliciter bonum, nullam habens in se malitiam, quod sufficit, ut eligatur à voluntate.

VI. Usus activus est actus voluntatis. Dico Secundò: *Usus activus, de quo solo est controversia, est actus elicitus voluntatis.* Ita communis contra Salazar. Probatur 1. ex illo vulgari D. Augustini: *Summa perversitas est uti fruendis, & frui utendis.* Sed perversitas in voluntate primò & principaliter consistit, ergò *uti* spectat ad voluntatem. Secundò, *uti* secundùm Augustinum suprà *est ordinariè vel referre unum bonum ad magis bonum*, sed hoc spectat ad voluntatem; ergò. Tertiò *frui* opponitur *usui*; sed frui est actus voluntatis, ergò. Unde Augustinus 10. de Trinit: cap. 11. dicit usum esse in voluntate pertractante illa; quae in memoria & intelligentia continentur.

VII. Usus & Electio in voluntate perfectè determinata non distinguuntur. Dico Tertiò: *Electio & usus activus in voluntate perfectè determinata ad mediorum executionem, non sunt distinguenda; licèt quandoq; ob defectum perfectae determinationis in voluntate reperiatur electio sine usu actuali.* Prima pars, in qua est difficultas, Probatur: Quia electio & usus activus in voluntate perfectè determinata, tendunt in idem objectum, scilicet in medium; & sub eadem ratione; scilicet qua conveniens ad consecutionem finis, & aequè per utrumq; actum sequitur opus, ergò illi actus essentialiter non differunt.

Secunda pars conclusionis patet: Quia saepè voluntas post electionem mediorum desistit ab eorundem usu & executione. Unde in hoc solùm differunt electio & usus, quòd supponat hic semper voluntatem perfectè determinatam; habeatq; secum annexam executionem mediorum, quantum est ex parte voluntatis, electio verò non semper supponat voluntatem sic perfectè determinatam ad mediorum executionem.

VIII. Imperium est actus voluntatis. Dico Quartò: *Imperium propriissimè est actus voluntatis.* Ita Scotus 2. d. 38. ad ultimum & d. 42. q. 3. D. Bonaventura 3. d. 17. a. 1. q. 1. Henricus, Occkam; & alii contra Vasquez, Suarez, & alios. Probatur 1. Authoritate S. S. Patrum Augustini lib. 8. confess. cap. 9. Et Anselmi lib. de conceptu virginali cap. 4. qui officium imperandi tribuunt voluntati soli, ergò.

Probatur Secundò: Rationibus compluribus: Tùm, Quia imperare est superioris, & dominium habentis super reliquos, sed voluntas in regno animae principatum gerit, ergò ejus est imperare reliquis potentiis: Tùm, Quia voluntas secundùm omnes inducit obligationem, dat speciem actui in genere moris, praescribit finem, modumq; agendi reliquis potentiis; ejus est orare, petere, desiderare, leges statuere; ergò ejus est imperare: Tùm, Quia ex efficacia imperii sequitur actus imperatus; tanquam ex causa necessitante; & determinante ad actum; sed omnis actus imperatus sequitur ex solius voluntatis determinatione, ergò solius ejus est imperare. maj: patet. min: probatur: Posita quacunq; determinatione intellectûs; vel alterius potentiae renuente voluntate non sequitur actus, & annuente sequitur; ergò. Tum; Quia DEUS mediante sua voluntate imperat, regit, gubernat omnia ad extra, intellectus enim divinus secundùm omnes non agit ad extra; ergò similiter nos mediante voluntate imperamus: Tum deniq; Quia actus imperati aliarum potentiarum boni vel mali non imputantur nisi voluntati, ergò signum est eos ab illa imperatos esse.

Probatur Tertiò: Quia si non esset actus voluntatis, esset actus intellectûs; sed nequit explicari, quis actus intellectûs foret, ergò. Probatur min: Enumeratione, imperium enim non est apprehensio, quod est manifestum; & apud omnes indubitatum. Deinde imperium non est judicium, sive illud sit discursivum;

sivum, sive non discursivum, quo voluntati proponitur convenientia operationis v. g. Itinerationis, comestionis. Quia illud judicium non solet compellari nomine imperii, qui enim judicat, bonum esse itinerari, non eo ipso censetur itinerationem imperare, quin imò potest adesse judicium tale, & voluntas efficax contraria. Neq; deniq; imperium potest dici actus intellectûs consequens electionem voluntatis, quo intellectus insinuet potentiis executiones, seu quorum actus imperantur, quòd voluerit seu elegerit voluntas: Tum, Quia talis insinuatio superfluit, cùm potentiæ executivæ non minus moveri possint ab ipso actu voluntatis, similiter voluntas ipsa facilius movebitur ad ipsum actum imperatum voluntatis ab ipso imperante quàm ab ejusmodi insinuatione, quo voluntati v. g. dicatur: Tu vis itinerari: Tum, Quia sine alia phantasiæ insinuatione appetitus sensitivus brutorum movet potentiam locomotivam, & sensitivas: Tum, Quia talis insinuatio non est tam imperium, quàm imperii declaratio: Tum deniq; , Quia potentia locomotiva & aliæ potentiæ sensitivæ, non possent percipere istam spiritualem intellectûs insinuationem.

Opponunt Primò Authores contrariæ sententiæ quædam loca Aristotelis, in quibus docet appetitum obedire rationi, & intellectum speculando imperare ad prosecutionem vel fugam. Ad hæc & similia facilè Respond: Aristotelem in his locis per rationem intelligere partem rationalem animæ, prout comprehendit tam intellectum quàm voluntatem, vel si loquatur de ratione, prout est actus solius intellectûs, tunc latè sumit nomen imperii seu præcepti, pro actu scilicet intellectûs judicativo de agendis vel fugiendis, cui judicio voluntas ut plurimum condescendit non ex necessitate, sed ex sua libertate. Et hoc tantùm probant rationes Adversariorum.

Opponunt Secundò: Nonnulla S. Scripturæ loca, in quibus orare, regnare, justa decernere tribuitur sapientiæ, quæ spectat ad intellectum. Item imperare est insinuare, proponere, intimare inferiori voluntatem superioris, sed hæc spectant ad intellectum, ergò & imperare. Respond: ista nihil cogere, quia orare quamvis præsupponat actum intellectûs proponentis motiva quædam, est tamen proprium voluntatis, justa etiam decernere seu regnare tribuitur in S. Scriptura intellectui vel sapientiæ, si hæc ad intellectum spectat, directivè tantùm non elicitivè, similter insinuare, proponere, sunt solùm notificationes seu promulgationes imperii, non ipsum imperium, & sic concedo, quòd insinuare seu promulgare legem spectat ad intellectum, vel ad aliam potentiam externam, ipsum vero imperare ad voluntatem. Hic solet tractari de imperatis, sed quia de his ac de illis fusè egi in mea Philosophia, illuc remitto lectorem, hoc solùm breviter hic repeto, voluntatem tam sibi ac aliis imperare posse, ita ut aliqui actus sint à se eliciti, & simul imperati, quàm intellectui, phantasiæ, sensui communi, appetitui sensitivo, potentiis externis, & vegetativæ, in quantum dependent à potentia locomotiva, quod ultimum expressè docet S. Augustinus lib. 11. de Trinit: cap. 8. dicens: *Quia operatio palpebrarum necessariò requiritur ad visionem, & motus localis palpebrarum obedit animæ, eatenus visio est in potestate voluntatis.* Sic etiam ferè ad verbum Doctor subtilis 2. d. 42. q. 4. n. 18. IX. Voluntas sibi ipsi imperare potest.

DIS-

DISPUTATIO QUARTA.

DE

Actibus involuntariis liberi arbitrii.

1. Involuntarium tripliciter consideratum.

DAri actus involuntarios liberi arbitrii certum puto, saltem secundùm quid, si non absolutè tales sint: Involuntarium enim est actus, qui per se loquendo posset esse voluntarius, deest tamen hic & nunc aliquid, quod ad voluntarium requiritur, nam mercatores & nautæ tempore imminentis naufragii merces suas, omnémq; substantiam in mare projiciunt ad salvandam vitam, cùm tamen nemo dubitet, eos libenter retinuisse, si cum vita potuissent. Damnati ad triremes quàm maximè involuntariè remigant. Incarcerati involuntariè loca illa inhabitant. Tripliciter autem potest involuntarium accipi: Primò, *Negativè*. Et tunc solam dicit negationem voluntarii, quæ tamen est impropria acceptio, nam sic convenit etiam lapidi. Secundò *Privativè* accipitur involuntarium pro carentia volitionis in subjecto capaci, & hæc acceptio quoq; est minus propria. Propriissimè Involuntarium tertio modo accipitur *positivè*, seu *contrariè*, potéstq; dici *Noluntarium*, & est illud, quod est contra expressam inclinationem voluntatis, & quidem si voluntas repugnat efficaciter, & absolutè, omnibus consideratis circumstantiis, dicitur *Involuntarium simpliciter*, si autem aliqualiter ipsum vult, omnibus tamen spectatis simpliciter nolit, dicitur *Involuntarium secundùm quid.* In hac ergò disputatione examinabo, An & quale involuntarium Actibus liberi arbitrii obvenire possit? pro quo sit

QUÆSTIO PRIMA.

An violentia in Actibus liberi arbitrii possit causare involuntarium, & an hæc possit inferri voluntati?

PRo resolutione hujus quæstionis Notandum 1. Magnam esse differentiam inter hæc prædicata: *Violentum*, *Coactum*, *Necessitatum*, *Impeditum*. *Violentum* enim dicitur illud juxta Philosophum 3. Ethic: cap. 1. *Cujus principium est extra, non conferente vim passo*, seu ubi passum non habet inclinationem, seu, ut explicat Doctor subtilis 2. d. 18. q. un: n. 6. *Contranitente passo*, & est quid superius ad *Involuntarium* & *Coactum*, Quia violentum non reperitur

1. Violentum explicatur.

peritur solùm in animatis & appetitum elicitum habentibus, sed etiam in inanimatis solo appetitu innato prædictis, nempe pro pondere naturæ, hinc lapis motus sursum, & aqua calefacta dicitur violentari, non tamen cogi propriè, sed impropriissimè, unde si aliquando deprehendantur Patres & antiqui Theologi pro eodem accepisse, intelligendi sunt in acceptione impropria; Cöactum verò & involuntarium in solis rationalibus & sensitivis reperitur, sicut & voluntarium oppositum.

II. Coactum, necessitatum, & impeditum quantum differant. *Cöactum* ex vi nominis idem sonat quod *contra actum*, seu quod est contra actionem appetitûs sensitivi vel rationalis, dicitq; consensum voluntatis extortum per vim illatam appetitui. Cöactum quoq; à Patribus & antiquis Theologis subinde sumitur pro necessario, unde cùm dicunt voluntatem non cogi, volunt eam non necessitari. *Cöactum* quoq; sumitur nonnunquam pro invito seu involuntario secundùm quid.

Necessitatum dicitur illud, quando agens determinatur ad aliquem effectum per aliquid prius ipsa productione effectûs, ad quem tamen antecedenter erat indifferens.

Impeditum dicitur aliquid, quando causa secunda non permittitur habere operationem suam, quam aliàs erat habitura, sic impeditus fuit ignis babylonicus, nè læderet tres pueros in illo existentes.

Notandum Secundò: Multipliciter posse intelligi liberum arbitrium seu voluntatem pati violentiam, Primò, quoad actus suos elicitos. Secundò, quoad actus imperatos. Tertiò, quoad receptionem alicujus actûs vel habitûs ab aliquo extrinseco. Quartò, quoad suspensionem alicujus actûs vel habitûs, & de omnibus istis in hac quæstione. Unde

III. Violentia causat simpliciter involuntarium. Dico Primò: *Violentia causat simpliciter involuntarium.* Hæc de se patet. Probatur: Tum, Quia facit, quòd opus non sit ab intrinseco, sed ab extrinseco contranitente voluntate: Tum, Quia sicut violentia repugnat naturali, facitq; contra naturale in carentibus appetitu elicito, sic in sensitivis & rationalibus facit contra voluntarium.

Dico Secundò: *Voluntas non potest pati violentiam in eliciendo suos actus.* Est communis, & Probatur: Omnis actus elicitus voluntatis est intrinsecè voluntarius, adeóq; à principio intrinseco cum cognitione, ergò non potest esse violentus, cùm violentum sit ab extrinseco. Sed contra IV. Voluntas non potest pati violentiam in actibus elicitis.

Arguitur: Stante voluntate in actu odii alicujus objecti potest à DEO necessitari ad eliciendum actum amoris ejusdem, durante simul odio, quo casu actus amoris erit illi violentus, quia contra internum impetum voluntatis, quo odio prosequitur illud objectum, ergò. Respond: Admisso pro nunc casu, nego tamen voluntatem proinde violentari, sed concedo ad summum cogi, vel necessitari, quia in tali casu quantumvis necessariò producat amorem, voluntariè tamen, id est à principio intrinseco cum cognitione illum producit.

Dico Tertiò: *Voluntas nequit violentari per receptionem cujuscunq; actûs vel habitûs, in quantum consideratur ejus receptivitas præcisè, seu secundùm appetitum innatum.* Est communis. De actu Probatur: Quia voluntas ex intrinseca differentia est apta nata recipere, imò & elicere omnem actum, cujus est capax, ergò recipiendo talem actum nihil recipit contra suam inclinationem, & consequenter non violentatur. Probatur etiam de habitu: Quia omnis habitus vel est naturalis, vel acquisitus, & sic patet propositum: Vel supernaturalis & infusus, & sic etiam patet, quia ad omnem talem recipiendum voluntas dicit naturalem inclinationem, ut docet Scotus; vel saltem non est contra, sed ad summum supra inclinationem ejus, ut volunt alii, ergò recipiendo talem habitum non violentatur. V. Voluntas non violentatur per receptionem cujuscunque actûs.

Arguitur

Arguitur in contra: Potest saltem DEUS per absolutam potentiam voluntati habenti actum odii circa aliquod objectum infundere amorem ejusdem, sed ille amor tunc infusus erit violentus, quia contrarius appetitui elicito voluntatis seu actui odii præhabito, ergò poterit violentari per receptionem alicujus actûs. Respondet Suarez, neg: casum esse possibilem videlicet posse à DEO infundi actus vel habitus vitiosos, quia id, inquit, videtur repugnare bonitati & sapientiæ divinæ, quam necesse est, DEUM in omnibus operibus suis servare, sed hæc solutio falsum supponit, quia quod non repugnat omnipotentiæ divinæ, non repugnat etiam bonitati, & sapientiæ, atqui omnipotentiæ non repugnat producere actum odii vel erroris in intellectu & voluntate merè passivè se habentibus, imò defactò concurrit cum iisdem ad similes actus producendos, ergò se solo etiam posset eosdem producere. Dices: Inde sequi, DEUM esse totalem causam peccati in voluntate. Sed contra: Voluntas tantùm recipiendo actum odii, vel similem ab extrinseco agente nullo modo peccaret, quia tunc non operaretur liberè. Respondeo ergò: Casum idè esse impossibilem, quia amor & odium circa idem, & sub eodem motivo dicunt inter se formalem repugnantiam, & simul inesse in eodem subjecto, cùm sint contrariè oppositi, imò implicitè contradictorii, odium enim seu inimicitia involvit negationem amoris seu amicitiæ.

Aliter etiam potest Responderi: Dato per possibile vel impossibile, istos actus posse compati, negando tamen, quòd actus amoris infusus voluntati habenti simul odium, sit violentus, quia quamvis isti actus inter se sint contrarii, quilibet tamen est secundùm inclinationem voluntatis sive seorsim, sive simul ponantur, quia ad quemlibet voluntas est ex se indifferens, sicut si materia prima esset sub diversis formis simul, non inde diceretur violentari, quia utraq; forma est actus per se ejus. Tandem potest Responderi: Actus istos esse incompatibiles quoad solam tendentiam, non quoad inhærentiam.

Arguitur Secundò: Habitus vitiosi sunt contra inclinationem voluntatis, qua inclinatur ad bonum honestum, ergò si tales habitus infundantur ei ab extrinseco, patietur violentiam. Respond: Quamvis sint contra ejus inclinationem, secundùm quam tendit in honestum, non tamen contra omnem ejus inclinationem, maximè ad bonum commodum, vel delectabile. Imò si valeret argumentum, probaret voluntatem non posse in se tales habitus producere, quod est falsum, & contra omnes.

Dico Quartò: *Voluntas potest violenter impediri, nè actum ponat, adeoq; omissio actus erit violenta.* Ita Tannerus, Præpositus. Probatur: Potest DEUS negare concursum voluntati ad agendum paratæ & inclinatæ, imò positivè desideranti agere, quæ tunc pateretur violentiam, sicut ignis babylonicus fuit impeditus violenter ad comburendos tres pueros. Dices: In tali casu nullam futuram voluntati violentiam, ad minus non propriam, quia voluntas & quæcunq; alia creatura licèt omnibus principiis ex parte sui ad operandum requisitis instructa, non intelligitur completè in actu primo disposita, nisi adsit omnipotentia DEI, ejùsq; concursus paratus, quo deficiente nulli causæ debetur actus secundus, & consequenter nec voluntati nec alteri potentiæ fit violentia. Respond: neg: consequ: Nam licèt verum sit, sine concursu generali DEI causam non esse perfectè completam in actu, quia tamen causæ secundæ alioquin ex parte sua habenti omnia requisita ad operandum, est quasi debita jure creationis applicatio divinæ omnipotentiæ, ejùsq; generalis concursus, ideo voluntati & cuicunq; potentiæ fieret violentia, quia contra naturam causæ secundæ,

VI. Voluntas potest impediri, ab actum ponat.

Probatur Secundò: Talis suspensio seu carentia actûs facta ab extrinseco agente, est carentia alicujus perfectionis intrinsecæ, & connaturalis voluntatis, ergo est simpliciter violenta. Probatur consequ: Quia violentum est, quod fit ab extrinseco contra inclinationem passi, sed hoc fieret in proposito, ergò.

Probatur Tertiò: Sicut se habet lapis impeditus à descensu, ita voluntas supposita visione DEI clara ad fruitionem, sed secundùm Scotum positâ visione DEI in intellectu, potest voluntas suspendi à fruitione, ergo posito tali casu voluntas violentaretur, non minus quàm lapis impeditus à descensu: maj: Probatur: Quia sicut lapis dicit naturalem inclinationem ad descensum ita voluntas secundùm Scotum 4. d. 43. q. 2. dicit inclinationem naturalem ad beatitudinem etiam in particulari, ergo si privaretur perpetuò beatitudine, violentaretur. Confirmatur: Quia privatio formalis beatitudinis est summa pœna damnatorum, sed pœna semper est violenta eam sustinenti, ergò.

Probatur Quartò: Quia voluntas creata potest impediri per totam æternitatem ab omni actu positivo, ergo tunc violentaretur, & esse tunc violentiam nullum videtur mihi esse dubium: Tum, Quia potest DEUS quoq; in tota æternitate absentare omne objectum à consideratione intellectûs, quo casu voluntas ad nullum extremum suæ indifferentiæ esset determinata, & sic careret omni perfectione sibi possibili, ergo violentaretur. Per hoc solvitur argumentum principale adversæ sententiæ existimantis non fieri violentiam tamdiu, quamdiu habet aliquam perfectionem ex illis, ad quas ordinata est, unde dicunt, licèt non haberet tunc actum, haberet tamen omissionem ejus, ad quam est æq; indifferens ac ad actum.

VII. Voluntas in actibus imperatis potest violentari. Dico Quintò: *Voluntas quantum ad actus aliarum potentiarum, quibus nata est imperare, potest violentari, adeòq; tales erunt involuntarii.* Hæc est communis. **Probatur conclusio** his exemplis, voluntate imperante actum deambulandi, & perseverante in eodem imperio, potest **DEUS**, vel Angelus, vel homo detinere hominem immobilem in loco; **similiter** prohibente voluntate motum localem corporis, potest corpus trahi ad præcipitium; Item renitente voluntate potest manus hominis arripi, & per eam alapa ei inferri, quibus casibus homo patitur vim.

Opponitur Primò Authoritas D. Augustini contra Faustum lib. 26. cap: 3. *DEUS*, inquit, *Creator & Conditor creaturarum nihil contra naturam facit, id enim erit cuiq; naturale, quod ille fecerit, à quo omnis modus, numerus & ordo*, ergò quidquid creatura à DEO recipit, non violenter recipit. Respond: Augustinum tantùm velle, quòd quidquid agit DEUS sit naturale cuiq;, non quidem secundùm se & propriam inclinationem spectato, sed ùt ille effectus conducit ad aliquem finem universalem totius universi, vel ipsius authoris naturæ, unde quòd aqua ascendat sursum ad impediendum vacuum, provenit ab extrinseco, cui nihil confert aqua, quantum est ex natura sua propria, sive illud extrinsecum sit ipsa vis regitiva & gubernativa universi, sive aliqua intelligentia imperans, & sic licèt motus ille aquæ sit naturalis in quantum est à DEO ad bonum commune universi, non tamen est naturalis attenta propria inclinatione aquæ. Vide Scotum 3. d. 37. q. un: §. *de tertio articulo.*

Arguitur Secundò: Si actus ille productus vel suspensus contra imperium voluntatis produceretur vel suspenderetur à DEO, non violentaretur homo, ergò conclusio non est universaliter vera. Probatur antec: 1. Quia omnis creatura habet appetitum innatum ad obediendum DEO in omnibus, quæ simpliciter non repugnant suæ naturæ, ergò quidquid secundùm illam potentiam obedientialem à DEO recipit, non infert ei violentiam. Secundò, Univer-

Universaliter melius est obedire DEO, quàm habere ullum aliud bonum particulare, ergo recipiendo aliquid à DEO, quantumvis sit contra imperium voluntatis, non infert violentiam. Respond: distin: antec: Si id, quod recipit, vel à quo impeditur contra imperium voluntatis seu consensum sit naturalis ordinis, possitq; ab alio agente naturali, vel à seipso fieri eo modo, quo à DEO fit, tunc dico, quòd à DEO non minus quàm ab alio agente violentaretur, si verò sit ordinis supernaturalis, cujusmodi est unio hypostatica, conservatio accidentium extra subjectum, & similia, tunc dico hominem propriè non violentari, quia non recipit vel perdit aliquid contra ejus inclinationem, sed tantùm supra vel præter inclinationem. Nec refert, quòd in quavis creaturâ sit potentia obedientialis ad recipiendum quodlibet à DEO, quia talis potentia reperitur etiam in aqua respectu ignis, vel solis ad calefieri, & tamen ab eis violenter calefit, solùm ergo inservit illa potentia obedientialis ad hoc, ut ratione illius non fiat violentia, quoties recipit formam altioris ordinis, cujus est capax. Ad id, quòd dicitur melius esse obedire DEO: Respond: verum esse in iis, quæ liberè & à proposito fiunt, non verò in iis, quæ necessariò, & à natura appetuntur, melius est enim lapidi esse, quàm non esse.

Quæres: An voluntas possit pati violentiam per passiones tristitiæ, pœnæ, miseriæ? Respond: Quod sic, quia damnati dicuntur pati violenter pœnas sensûs & etiam damni, maximè quoad intellectum, & alias potentias naturales, & etiam quoad voluntatem, quoad actus imperatos istarum potentiarum.

Pro fine hujus quæstionis, & intelligentia prioris conclusionis Notandum, quòd si voluntas volens audire, aut videre vel olfacere, tunc impediretur in istis actibus, ipsam quidem violentari, non tamen potentias visivam, auditivam, olfactivam &c. passuras aliquam violentiam, quia istæ potentiæ non petunt habere suos actus, nisi proposita sint illis objecta sua, unde etiamsi oculus impediatur palpebris clausis, nè videat objectum, non fit contra inclinationem oculi, sed ad summum ipsius hominis.

QUÆSTIO SECUNDA.

An voluntas possit simpliciter cogi, aut necessitari ad actum?

Sensus quæstionis est: An voluntas, secundùm quod est indifferens ad opposita contradictoriè, possit saltem per divinam potentiam perdere ejusmodi indifferentiam taliter, ut positis cœteris requisitis ad agendum, determinetur ad amandum aliquod objectum, ita ut non possit illud odiri vel non amare ad eum modum, quo ignis naturaliter, voluntas verò in tali casu voluntariè ageret.

Dico: *Procedendo ex iis, quæ defacto cognoscimus sive per rationem, sive per revelationem, probabilius est, voluntatem creatam non posse necessitari dicto modo ad producendum actum circa objectum sibi debitè propositum, quod addo propter motus primò primos.* Conclusio videtur magis de mente Scoti 4. d. 49. q. 6. a. 1. Probatur 1. Contingentia & necessitas respectu ejusdem sunt differentiæ oppositæ agentis, sed contingentia seu indifferentia ad agendum saltem quoad exercitium per se convenit voluntati creatæ circa quodcunq; objectum, ergo per nullam potentiam potest ei convenire necessitas agendi. Maj: & conseq: patent. Min: Probatur: Voluntas per se est causa virtutis & vitii, sed nequit esse sic causa, nisi ratione indifferentiæ ad agendum, ergo hæc per se illi convenit, & per consequens necessitas agendi opposita, nec per se nec per accidens ei convenire potest. I. Voluntas simpliciter non potest cogi & necessitari.

Probatur Secundo: Voluntas creata non minus intrinsecè habet indifferentiam ad agendum, quàm DEUS

DEUS ad intra necessitatem, & ad intra indifferentiam, sed implicat DEUM ad extra necessariò agere, aut ad intra indifferenter, ergo implicat voluntatem creatam simpliciter necessitari circa aliquod objectum.

Probatur Tertiò: Necessitas agendi ad intra in voluntate divina fundatur in sola & summa activitate & simul rectitudine illius, secundùm quas non potest non amare bonum, ergo sicut repugnat voluntati creatæ summa rectitudo & activitas in agendo, ita & necessitas. antec: patet: Quia nullum esset assignabile aliud principium illius necessitatis à DEO

Probatur Quartò: Defacto nec gratia habitualis vel actualis, nec inclinatio potentiæ ad summum bonum, nec clara DEI visio, nec notitia legis, nec decretum DEI efficax, nec (secundùm Thomistas) prædeterminatio physica necessitat voluntatem ad amandum DEUM, sed non apparet alius modus possibilis necessitandi voluntatem, ergò. maj: supponitur quoad omnes partes ex diversis materiis Theologicis, saltem secundùm cujuslibet Scholæ sententiam & mentem.

Arguitur Primò: DEUS est omnipotens, & voluntas creata subjicitur ejus dominio, ergo non repugnat DEUM simpliciter necessitare voluntatem. Confirmatur ex Augustin: Enchirid: cap: 28. dicente: *Posse DEUM, quia omnipotens est, mutare voluntatem hominis quando voluerit, & ubi voluerit.* Respond: distin: antec: pro secunda parte: Subjicitur in iis, quæ ex terminis non repugnant suæ naturæ, conc: secus, neg: non enim potest DEUS facere, quòd voluntas videat, aut intellectus velit. Ad Augustin: Respond: Illum loqui de mutatione, quæ non repugnat voluntati, puta de conversione libera à malo ad bonum, & similibus aliis.

Instatur: Intentio efficax finis necessitat ad electionem mediorum, ergò. Respond: distin: antec: secundùm quid, & supposita libera intentione finis, transeat: Simpliciter, neg: potest enim voluntas nec finem, nec media eligere, imò etiam posita efficaci intentione finis manet adhuc libera quoad hæc vel illa media eligenda.

Arguitur Secundò: DEUS potest necessitare voluntatem ad cessandum ab omni actu, ergo & agendum, antec: patet, Quia DEUS potest suspendere omnem suum concursum, quo casu voluntas non poterit non cessare, conseq: etiam patet, quia indifferentia voluntatis non magis respicit agere quàm non agere, ergo si ad unum potest necessitari etiam ad alterum. Responde neg: antec: Quia supposito, quòd DEUS dederit talem intrinsecam indifferentiam voluntati operando vel cessando, implicat, quòd hunc modum agendi immutet, manente natura voluntatis. Ad prob: cùm dicitur, quòd DEUS posset suspendere concursum, dico, quòd sicut DEUS præbendo concursum voluntati non necessitat eam ad agendum, ità nec suspendendo suum concursum necessitat eandem simpliciter ad suspendendum actum. Et sicut DEO concurrente voluntas liberè & contingenter concurrit, ita DEO suspendente suum concursum voluntas etiam liberè & non necessariò simpliciter suspendit suum actum. II. DEUS suspendendo concursum non necessitat absolutè voluntatem.

Instatur: Scotus 4. d. 49. q. 6. §. *dico ergò.* admittit voluntatem beati ab extrinseco reddi impeccabilem potentiâ proximâ per voluntatem divinam prævenientem illam voluntatem, ut continuet actum fruendi, ita quòd non potest potentiam suam remotam non fruendi reducere unquam ad actum, ergo videtur Scotus admittere voluntatem posse necessitari. Respond: Scotum ibi tantùm velle, quòd voluntas DEI præveniens voluntatem creatam ad continuandam fruitionem, vel suspendens ad non peccandum sit prima & principalis radix omnis contingentiæ in voluntate creata, adeòq; prima causa cur fruitio perpetuò continuetur (contingenter tamen)

tamen) & peccatum non committatur sit voluntas divina, secunda verò & minus principalis est ipsa voluntas creata contingenter fruens & contingenter abstinens à peccato. Quod ergo voluntas beati non habeat potentiam proximam ad peccandum, non provenit ex aliqua necessitate simpliciter & absoluta, sed partim à voluntate divina continuante suum concursum ad fruendum, & suspendente ad peccandum, partim etiam licèt minus principaliter ab ipsa voluntate contingenter se determinante ad fruitionem, & suspendente ab actu peccandi, qua suspensione durante non est in potentia proxima ad peccandum, sicut universaliter potentia habens unum actum, non habet potentiam proximam ad ejus oppositum.

III. Deus si necessariò ageret, tolleretur libertas. Arguitur Tertio: Si DEUS ad extra necessariò ageret, tolleretur omnis contingentia in rebus, adeòq; in voluntate creata, ut probat Scotus 1. d. 2. q. 3. & in 2. Physicorum. Tunc sic: Voluntas divina non est minus efficax aut potens nunc liberè agens, quàm si necessariò ageret, & minus sibi subjiceret voluntatem creatam, ergo potest nunc liberè agens quidquid posset, si necessariò ageret, ergo si necessariò agendo necessitaret voluntatem ad agendum, etiam nunc liberè agens potest, si vult, eandem necessitare. Respond: verum esse, quod ait Scotus scilicet, si DEUS necessariò ageret ad extra, nullam futuram contingentiam in rebus creatis in agendo, nullam futuram contingentiam in rebus creatis in agendo, imò nulla causa secunda quidquam efficienter ageret, quod sic probo: Si DEUS necessariò ageret, faceret, quidquid per absolutam suam potentiam potest, sed DEUS etiam liberè agendo potest se solo producere, quidquid cum causis secundis efficientibus potest, ut patet, ergo si necessariò ageret, se solo ageret, & sic nulla causa secunda ullo modo ageret efficienter, & hinc redarguit Scotus Philosophos manifestæ contradictionis, quòd admiserint causas secundas aliquid ad extra contingenter agere, & simul causam primam necessariò agere. Nunc ad argum: Respond: Quòd sicut DEUS, si necessariò ageret, se solo produceret omnes actus voluntatis, eósq; eidem infunderet, etiam formaliter necessitaret ad agendum, sic conced: quòd tunc liberè agendo posset DEUS omnes actus voluntatis se solo producere & infundere, & sic eam formaliter, non tamen efficienter necessitaret.

Instatur: Si DEUS necessariò ageret, & voluntas creata haberet suam indifferentiam, sicut nunc habet, tunc simpliciter necessitaretur, ergò. Respond: Esse implicantiam in adjecto, sicut implicat dari causam secundam non subordinatam primæ, implicat enim, quòd voluntas manens indifferens subordinetur in agendo causæ necessariò agenti. Admisso tamen casu per impossibile, dico, quòd necessitetur ad agendum, si ullo modo ageret propter necessitatem causæ primæ, utpotè quæ deberet esse prima radix omnis contingentiæ: Ex uno enim impossibili sequitur aliud, nam si per impossibile asinus esset rationalis, discurreret similiter sublata per impossibile prima radice omnis contingentiæ in voluntate divina, necesse est consequenter tolli omnem contingentiam.

QUÆSTIO TERTIA.

An actus liberi arbitrii, qui ex metu solo fiunt, sint simpliciter voluntarii?

Breviter expediam hanc quæstionem, quia de metu in pluribus materiis redibit sermo, ut in matrimonio, de contractibus, de votis, de promissionibus, donationibus, ubi fusè materia metûs explicatur, quantum ad præsens attinet. I. Facta ex metu & ex amore voluntaria sunt.

Notandum Primo: Non quæri de voluntario, ut opponitur præcisè violento, sed ut opponitur simpliciter necessariò, & ut est principium

pium meriti vel demeriti. Dixi notanter in titulo *solo*, quia contingere potest, ut voluntas velit aliquid ex timore alicujus mali, non tamen ex solo illo motivo, sed etiam ex amore alicujus boni v. g. potest quis servare mandata divina ex timore inferni, & simul ex amore DEI, & tunc certum est, quòd ex tali metu fit, voluntariè simpliciter fieri. Quæritur ergo de illo, quod fit ex solo metu, pro quo

II. Metus describitur. Notandum Secundò: Metum secundùm Philosophos & Jurisperitos describi, quòd sit *timor mali instantis*, id est, imminentis, vel *vero similiter mox futuri*, & distinguitur à tristitia seu dolore, quòd hic sit præsentis mali, ille futuri, & opponitur desiderio, quod est amor rei absentis. Omitto complures divisiones ejus, quas etiam tradidi in materia de Sacramento matrimonii, quæ vide ibi. Nunc

III. Metus causat simpliciter voluntarium. Dico: *Actus etiam ex solo metu eliciti simpliciter sunt voluntarii, licèt quandoq; secundùm quid involuntarii.* Ita Scotus 4. d. 29. & est communis. Prima pars Probatur 1. ex Philos. 3. Ethic: ex 1. dicente: *Quæ metu fiunt magis esse voluntaria.* Secundò, talia opera procedunt à principio & ex electione propter finem v.g. projectio mercium ad effugiendam mortem, seu vitam salvandam, deinde sunt fundamenta laudis vel vituperii, imputantur ad virtutem & vitium, ergo sunt simpliciter voluntaria. Secunda pars Probatur: Quia sæpe ex metu majoris mali incurrendi facit aliquis jacturam suarum rerum, ut patet de projiciente merces, sed secundum Philosophum suprà, nemo sponte suarum rerum jacturam facit, ergo tale opus est saltem secundùm quid involuntarium.

IV. Metus quandoq; causat involuntarium. Addidi in conclusione ly *Quandoq;* ad denotandum id, quod ratione metûs fit voluntarium non semper esse secundùm quid involuntarium, nam qui servat mandata ob metum gehennæ verè operatur ex metu, & tamen non oportet, quòd habeat velleitatem, ex qua sequitur ratio involuntarii secundùm quid, v. g. vellem peccare, si non immineret pœna inferni, alioquin hoc ipso peccaret.

Arguitur Primò: Philosophus suprà dicit, quòd nemo sponte facit jacturam suorum bonorum, ergo quæ ex metu fiunt, sunt simpliciter involuntaria. Respond: cum communi, quòd jactura bonorum dupliciter sumitur, Primò absolutè & seclusâ omni circumstantia, & tunc antecedens est verum. Secundò cum circumstantia periculi & majoris damni sequendi, & tunc antecedens est falsum, quia jactura, per quam evitatur majus damnum, est simpliciter voluntaria.

Arguitur Secundò: Quæ ex metu fiunt, sunt tantùm conditionaliter voluntaria, ergo non sunt absolutè & simpliciter voluntaria. Probatur antec: Quia qui ex metu projicit merces, hoc ideò facit, quia talis projectio est conditio necessaria ad evitandam mortem, alioquin nullo modo esset volita, ergo. Respond: distin: consequ: ergo non sunt simpliciter voluntaria ex parte objecti secundùm se & nudè considerati, concedo: Ex parte subjecti, & attenta circumstantia majoris periculi evitandi efficaciter volentis v. g. projectionem mercium, neg: consequ:

Arguitur Tertiò: Qui matrimonium contrahit ob metum cadentem in constantem virum (de quo loquor) item qui in Religione ob similem metum emittit professionem, non censetur ejus matrimonium, aut votum esse validum. Item qui donat aliquid ob talem metum non transferet dominium rei in alterum (ut docet communis) ergo signum est, ista non esse simpliciter voluntaria, & sic non est verum, ea, quæ ex metu fiunt, fieri simpliciter voluntaria. Respond: neg: consequ: Quia, quòd ejusmodi contractus, promissiones, aut vota ipso jure rescindantur, non provenit ex defectu voluntarii simpliciter, & requisiti secundùm se in actu, sed quia ejusmodi, ut rectè advertit Scotus, non sunt

rata

rata à Legislatore superiore divino vel humano, nisi sint non solùm simpliciter volũtaria & libera, sed etiam libera ab omni cöactione & metu. Sed de hoc latius in propriis materiis.

Ex his colligitur voluntarium simpliciter ex metu sufficere ad peccatum mortale, nisi contingeret ratione talis metûs tolli considerationem necessariam, vel nisi mutetur obligatio materiæ, quod dico, quia lex positiva communiter non obligat cum tanto dispendio, nisi in casu aliquo particulari: Non enim teneor, nisi aliunde ratione officii id mihi incumbat, cum probabili periculo vitæ meæ succurrere proximo.

QUÆSTIO QUARTA.

An concupiscentia augeat vel minuat voluntarium?

I. Concupiscentia est languor & ictus concupiscibilis appetitûs.

CONcupiscentiam D. Augustinus sæpe inobedientiam carnis, propter inobedientiam in DEUM commissam appellat, frequentius tamen languorem, unde lib: 15. Civit: cap: 6. dicit: *Languor est quippe iste, id est, illa inobedientia, de qua in libro decimo quarto disseruimus, primæ inobedientiæ supplicium.* Et lib: de continent: cap: 7. ait: *Languorem istum culpa meruit, natura non habuit: Quam sanè culpam per lavacrum regenerationis DEI gratia fidelibus jam remisit, sed sub ejusdem medici manibus adhuc natura cum suo languore confligit.* Itaq; concupiscentia, sub qua comprehendo, prout ad præsens attinet, cœteras passiones, quibus pars irascibilis vel concupiscibilis trahitur ad aliquid agendum vel fugiendum, intelligitur actus appetitûs sensitivi, quo aliud delectabile prosequimur, aut malum oppositum fugimus.

II. Concupiscentia triplex est.

Notandum itaq;, Quòd Concupiscentia sit triplex: *Antecedens*, *Concomitans*, & *subsequens* voluntatem in operando: *Concupiscentia antecedens* est, quæ ordine causalitatis præcedit consensum, non quidem physicè influendo in actum voluntatis, sed quatenus ex sympathia quadam naturali cooperandi circa idem, & ex ordine potentiarum voluntas majori conatu applicatur ad objectum concurrente appetitu quàm non concurrente. *Concomitans* est actus appetitûs sensitivi existens simul & cooperans cum voluntate circa idem. *Subsequens* verò, quæ ordine causalitatis sequitur actum voluntatis, ut cùm quis voluntate sua excitat ipsum appetitum, ut inde promptiùs in objectum feratur, quomodo fuerunt in Christo, quæ dicuntur *Propassiones*, similes etiam effectus excitant in se viri virtuosi ad melius exercendas virtutes. Unde Philosoph: 3. Ethic: cap: 8. ait: *Operari ex ira non est viri fortis*, sed benè excitare in se iram per virtutem fortitudinis, ut melius operetur. Ad quod facit illud Homeri: *Virtuti immitte furorem.* Quæstio non procedit principaliter de concupiscentia concomitante, aut subsequente, nam de subsequente communiter tenetur, eam augere voluntarium, vel saltem esse judicium majoris affectûs voluntarii, à quo procedit, ex magnitudine enim affectûs voluntatis provenit, ut in appetitu similis affectus excitetur. De concomitante eodem modo sentiendum est, ac de antecedente vel consequente, prout ab una vel altera magis vel minus participat. Quare tota difficultas est de antecedente. In qua variant Authores, quidam negant concupiscentiam antecedentem augere voluntarium, ut Cajetanus, addunt Curiel & Vasquez minuere potius. Alii distinguunt inter voluntarium & liberum in eadem voluntate, & dicunt voluntarium quidem augeri, liberum verò secundùm quod dicit indifferentiam, minui. His prænotatis

III. Concupiscentia rationi conformis auget voluntarium.

Dico Primò: *Concupiscentia alliciens ad operandum modo conformi vel saltem non difformi legi & rationi rectæ auget tam voluntarium, quàm liberum.* Probatur Experientiis omnibus notis, nam famelicus indigens cibo, trahitur ad manducandum cibum

bum oblatum, & à concupiſcentia, & etiam à voluntate ſequente non ſolùm affectum commodi, ſed etiam juſtitiæ, quis autem dubitat talem intenſius ferri in cibum utroq; appetitu concurrente, quam uno ſolo, quod evidentius cernitur in infirmo, qui appetitu ſenſitivo, ſeu guſtu renitente ſumit potionem amaram, ille enim quamvis liberè & voluntariè ſumat potionem, non tamen adeò intenſo affectu, ſicut ſi potio placeret guſtui. Item conjunx, qui trahitur ad licitam copulam ſimul & recto deſiderio prolis, intenſiùs fertur in illum actum, quàm ſi ſolo affectu juſtitiæ traheretur. Et ſic de aliis. Ratio generalis ſecundùm Scotum eſt, quia inter potentias animæ talis eſt colligantia, ſive ſympathia vel connexio, ut quando omnes vel plures cooperantur circa idem, quælibet fortius operatur, quàm ſi ſe ſola operaretur, *Virtus enim unita eſt fortior*, quod maximè verum eſt de appetitu ſenſitivo & rationali, ob maximam inter ſe ſympathiam.

IV. Concupiſcentia contra rationem minuit voluntarium & liberum.

Dico Secundò: *Quando concupiſcentia trahit ad aliquid contra rationem rectam, & conſentit voluntas, tunc certum eſt minui voluntarium, ac liberum.* Probatur: Quia concupiſcentia minuit advertentiam intellectûs circa bonum honeſtum trahendo eum (intellectum ſcilicet) ad ſui objecti conſiderationem, & facit, ut objectum cupitum appareat pulchrius, ſuavius & facilius, & ſi in illo ſit aliquid difficultatis, illud occultat, vel facit, ut non conſideretur attentè, & ſic corrumpit æſtimationem prudentiæ. Item minuit ejus indifferentiam, inducendo ad proprium objectum, magis quàm ad aliud, quanto autem magis minuitur de advertentia rationis & indifferentiæ voluntatis, tanto minuitur ratio voluntarii, & liberi. Et hinc omnes dicunt concupiſcentiam ſeu paſſionem vehementem minuere vel quandóq; omnino tollere peccatum, in quantum minuunt vel tollunt omninò judicium rationis. Quæ contra primam concluſionem objici poſſunt, probant tantùm ſecundam, & quæ contra ſecundam, nihil aliud probant quàm primam.

V. Concupiſcentia habet ſecum admixtum involuntarium.

Dico Tertiò: *Quæ ex concupiſcentia fiunt, non raro ſecum habent aliquid involuntarii admixtum.* Ita Scotus 4. d. 29. q. un: Angeſtus in moralibus, & alii. Probatur 1. Ex D. Auguſtino lib: de concupiſcentia & Nupt: cap: 28. ubi ait: *Multùm fallitur homo, qui conſentiens concupiſcentiæ carnis ſuæ, & quod illa deſiderat, decernens facere & ſtatuens, putat ſibi adhuc eſſe dicendum, non operor illud, etiam ſi oderit, quia conſentit: ſimul enim eſt utrumq; & ipſe odit, quia malum eſſe novit: Et ipſe facit, quia facere ſtatuit.* In quo loco clarè oſtendit conſentientem concupiſcentiæ habere diſplicentiam, & non velle operari, quamvis revera operetur.

Probatur Secundò: Objectum concupiſcentiæ, quod eſt bonum delectabile, poteſt ſub una ratione eſſe conveniens appetitui ſenſitivo, ſcilicet qua delectabile eſt, & ſub alia diſconveniens rationali appetitui ſcilicet, qua inhoneſtum, ergo ſi qua delectabile eſt, trahit voluntatem ad ſimpliciter velle, ſimiliter qua inhoneſtum eſt, poterit in eadem voluntate cauſare nolle ſecundùm quid, ſeu involuntarium conditionatum, id eſt, vellem quòd hoc non eſſet contra rectam rationem.

Probatur Tertiò: In iis, quæ ex concupiſcentia fiunt, ſæpe oritur pugna appetituum, ut experiebatur in ſe Apoſtolus ad Rom. 7. *Non quod volo bonum hoc facio, ſed quod nolo malum id facio.* Et infra: *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi, & captivantem me in lege peccati.* Sed talis pugna & repugnantia nunquam finitur niſi cum victoria unius partis, & conſequenter cum triſtitia alterius partis, ergo quando voluntas poſt talem luctam ſuccumbit tandem concupiſcentiæ, habet ſecum annexam triſtitiam, adeòq; involuntarium ſecundùm quid.

Proba-

Probatur Quartò: Experientia docet, aliquos, antequàm totaliter ſuccumbant, effrænatæ concupiſcentiæ ex conſideratione pœnæ æternæ, quam ſciunt ſe incurſuros per peccatum: Item ex timore infamiæ vel mortis ſentire in ſe renitentiam quandam & averſionem à peccato, cujus ſignum eſt, quòd perverſæ vitæ homines ſæpè avertunt ſe ab ejusmodi conſiderationibus, ut liberius fruantur objecto delectabili, ergo ſignum eſt, ea, quæ ex concupiſcentia fiunt, fieri quandoq; involuntaria ſecundùm quid. Et confirmari poteſt à pari de metu, qui cauſat involuntarium.

Dices: Eſſe diſparitatem inter ea, quæ ex metu fiunt, & quæ ex concupiſcentia, nam quæ ex metu fiunt, ſunt inſuavia & triſtia, & ſic cauſant involuntarium ſecundùm quid, quæ autem ex concupiſcentia fiunt, ſunt ſuavia & delectabilia, & per conſequens non cauſant ullo modo involuntarium. Respond: neg: antec: Quia iſta diſparitas nulla eſt, quod ſic oſtendo, Quia quæ ex metu fiunt, licèt ſub uno reſpectu ſunt triſtia, ſub alio tamen ſunt ſuavia & jucunda, quia quid jucundius eſt, quàm mortem evadere, & vitam ſalvare, & ex alia parte, quæ ex concupiſcentia fiunt, licèt, quà delectabilia ſunt, ſint ſuavia, ſunt tamen triſtia, ſecundùm quod inducunt mortem æternam animæ, ergò ſub hoc reſpectu poſſunt cauſare involuntarium ſecundùm quid, non minus quàm ea, quæ fiunt ex metu.

Opponitur Primò Authoritas Ariſtotelis 3. Ethic: cap: 1. ubi dicit: *Delectabilia eſſe voluntaria*, facta autem ex metu involuntaria ſaltem ſecundùm quid, ergo. Reſpond: Philoſophum tantùm velle, quòd delectabilia ſub uno reſpectu ſint voluntaria, cum quo ſtat, quòd ſub alio reſpectu ſint ſecundùm quid involuntaria.

Inſtatur: Quæ ex ſolo metu fiunt, ſecluſo metu non fierent, ſed quæ ex concupiſcentia fiunt, etiam illâ ſecluſâ, fierent à ſola voluntate, ratione innatæ delectabilitatis, ergo non eodem modo philoſophandum eſt de metu & concupiſcentia. Reſp: diſtin: antec: pro ſecunda parte: Si aliàs non ſint vel proponantur voluntati ut inhoneſta, conc: Secus, nego. Quis enim non videat ad ſtrictum voto caſtitatis nullatenus conſenſurum in peccatum carnis, ſi non eſſet vehementer abſtractus & illectus à concupiſcentia.

Urgetur: Secundùm omnes licitum eſt allicere infidelem ad fidem per preces, beneficia, ac benevolentiam, non tamen per metum. Item contractus impetratus precibus & blanditiis cenſetur validus, non tamen factus ex metu, ſed hoc ideo, quia quæ primo modo fiunt, ſunt plenè voluntaria ſine mixtione nullius involuntarii, quæ verò ſecundo modo habent admixtum involuntarium. Reſpond: Hæc benè probare, quòd facta ex concupiſcentia non habeant tantum involuntarii, quantum habent facta ex metu, quod ſufficit, ut lex poſitiva reſcindat contractus factos ex metu, non verò factos ex blanditiis & ſuaſionibus. Unde optimè ait Scotus 4. d. 29. un: §. ad 1. argum: principale: *In inductione per terrores multum eſt de involuntario, & parum de voluntario, è converſo autem in inductione per blanditias & delitias: Ibi enim multum eſt de voluntario & parum de involuntario: Quia in primo, ſi voluntas dimittatur ſibi forſitan proſequeretur illud, ad quod allecta eſt, & ideò non eſt ſic involuntaria coactis per blanditias, ſicut illa, quæ eſt per minas & terrores: Et ratio eſt, quia frequenter voluntas concordat appetitui ſenſitivo, quia ab aliquo magis conveniente patiens magis & magis inclinatur, & econverſo ab aliquo diſconveniente patiens magis & magis fugit.* Hæc Scotus q. 8. Quæres: An ignorantia cauſet involuntarium? Pro reſolutione hujus quæſiti breviter notandum, triplicem communiter dari ignorantiam, videlicet *Antecedentem*, *Concomitantem*, & *Conſequentem*. Ig- VI. Ignorantia eſt triplex.

norantia Antecedens est, quæ privat hominem scientiâ, quæ si adesset, nullo modo fieret actus, ut cùm aliquis adhibitâ diligentiâ nesciens aliquem transire per viam, explodit tormentum, unde sequitur homicidium. *Ignorantia Concomitans* est, quando actus quidem fit cum ignorantia, cujus tamen opposita scientia, si adesset, adhuc fieret actus, ut cùm aliquis explodit in id, quod putat esse feram, & interficit inimicum, quem aliàs esset interfecturus, etiamsi scivisset, eum ibi esse, & proinde dicitur concomitans, quia nihil removet impediens actum. *Ignorantia subsequens* dicitur, quando ipsa ignorantia per modum *objecti*, seu *effectûs* est volita, & hoc dupliciter, scilicet *Directè*, ut cùm quis vult ignorare, ut liberiùs feratur in objectum concupitum: Vel *Indirectè*, ut quando quis potest & tenetur diligentiam adhibere, ut sciat, non tamen adhibet. Ignorantia primo modo dicitur *affectata*, & secundo modo *supina* vel *crassa*. Hoc posito

VII. Ignorantia antecedens causat involuntarium [illegible] Ad quæsitum ergo Respond: Ignorantiam antecedentem causare involuntarium, quia opus inde secutum, sicut non fuit præcognitum, ita nec volitum, imò si cognitum fuisset, voluntas illud noluisset, nec est volitum in causa, cùm & ipsa causa scilicet ignorantia sit involuntaria, unde opus sequens nec est directè volitum. Ignorantia concomitans non causat, nec tollit involuntarium positivè loquendo, sed solùm negativè, id est, non voluntarium. Patet, Quia, si adesset scientia, adhuc sequeretur actus, & fortè libentius, ergo signum est, talem ignorantiam non esse causam alicujus involuntarii in illo actu: Quòd autem causet negativè involuntarium, seu non voluntarium, patet, Quia nihil est positivè volitum, quin præcognitum. Deniq; Ignorantia subsequens causat involuntarium mixtum, & secundùm quid, Patet, Quia, quod fit ex tali ignorantia, licèt sit simpliciter voluntarium & imputabile, tamen absolutè non fieret, nisi adesset ignorantia, privans hominem scientia requisita, cujus signum est, quòd, quæ ex tali ignorantia fiunt, sæpe pariunt postea tristitiam, ergo signum est talem ignorantiam causare involuntarium secundùm quid. De ignorantia vide plura infrà in tractatu de peccatis disputatione de causis peccatorum q. ult. [illegible] voluntarium.

§§

DISPUTATIO QUINTA.

De Bonitate & Malitia Actuum humanorum.

Egi in superioribus de Actibus liberi arbitrii, seu voluntatis tam in genere, quàm specie, nunc progredior ad eorum præcipuas qualitates, quæ sunt *Bonitas*, & *Malitia*: Et quia actus bonus sine ulla controversia dignitate, & præstantiâ antecellit malum, ideo de bonitate morali, de hac enim hìc, non de naturali, agendum erit, quâ cognitâ etiam scietur, quid sit malitia moralis, per oppositum discurrendo, Oppositorum enim eadem est ratio & disciplina, juxta Philosophum; Quare sit

QUÆ-

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit Actus humanus, seu moralis?

Necessariò præmittenda est hæc quæstio ante examen bonitatis, quia de bonitate non alia, quàm morali agitur. Notandum proinde, *Morale* apud latinos idem significare, quod ad mores pertinens: *Mos* autem nomen accepit à mora,
1. Moris & moralitatis etymon.
seu consuetudine, & est idem, quod *frequenter sæpiusq; repetitus idem operandi modus*, hinc Isidorus 5. Ethymologiarum cap. 3. dicit *Morem esse vetustate firmatam consuetudinem*: Et rursus dicit: *Consuetudinem esse jus quoddam à majoribus introductum*; unde Genesis 19. dicitur *juxta morem universæ terræ*; Et 1. Reg. 2. *Incendatur prius juxta morem adeps.* &c. Sumitur ergo mos ex primaria vocis significatione pro frequentia similium Actuum. Propriissimè autem, & ut attinet ad præsens, *Mos* dicitur, quando frequens ille & similis operandi modus oritur ex libera determinatione operantis, & hinc dicuntur mores boni vel mali, quare David ait Psal. 67. *qui habitare facit unius moris in Domo.* Illud ergo, à quo morales dicimur, *est actus liber laude, vel vituperiò dignus*, vel indifferens, ex cujus frequentia mos gignitur, quanquam hoc nomen Mos per metaphoram, & juxta usum scripturarum transferatur etiam ad irrationales, & inanimatas res, unde & dicimus *more bestiarum, more ferarum.* Hic ergo controvertitur principaliter, unde actus dicatur moralis, pro quo obiter Notandum, non quemvis actum ab homine elicitum dici propriè humanum, seu moralem, sed solùm illum, qui liberè, & ex sufficienti cognitione finis elicitur. Hinc pueri, dementes, ebriosi, non dicuntur moraliter, aut humano modo operari, nec eorum actiones, quâ tales, reputantur laude, aut vituperio digni.

II. Moralitas consistit in regulabilitate.

Dico Primò: *Ad moralitatem actus requiritur in voluntate libertas actualis, cum deliberatione ex parte intellectûs, & in ipso actu regulabilitas ad rectam rationem tanquam ad regulam primam & immediatam, ad legem verò tanquam ad regulam remotam, & in hac regulabilitate consistit ultimatè & completè ratio moralitatis.* Conclusio quoad primam & secundam partem est communis inter Catholicos: Et ratio est, Quia actiones agentium naturalium, & irrationalium, imò etiam hominum ratione carentium, ideo non dicuntur morales, nec laude vel vituperio digni, quia non procedunt liberè, aut ex prævia deliberatione. Tertia pars, in qua major est difficultas, scilicet moralitatem ultimatè & completè constitui per respectum conformitatis, seu regulabilitatis ad rectam rationem, & ad legem, colligitur ex Scoto 1. d. 17. q. 3. §. *quantum ad istum artic:* ubi ait, bonitatem moralem esse relationem ad rectam rationem. Et quodl: 18. §. *de secundo princ:* ubi ait: *Bonitatem moralem actûs sumi à convenientia ad rectam rationem, imputabilitatem verò à dominio voluntatis.* Idem tenet D. Bonavent: 2. d. 4. q. 1. §. *ad prædictorum intelligentiam.* D. Thom: 1. 2. q. 18. n. 5. Colligitur etiam ex D. Dionys: de divin: nomin: cap: 4. ubi dicit: *Bonum hominis est, secundùm rationem esse*, id est, conformiter rectæ rationi. Probatur hæc pars: Tum, Quia DEUS ad extra est liber libertate indifferentiæ, & tamen actio divina non dicitur propriè moralis, non ob aliam rationem, nisi quia non est nata regulari per regulas morum, cùm nullis regulis subjiciatur, ergo: Tum, Quia, in artificialibus nihil dicitur tale nisi per ordinem ad regulas artis, ergò nec in moralibus quidquam dicitur morale, nisi per respectum ad regulas morum: Tum, Quia datur actus indifferens, qui non est moralis in specie, quia nec bonus, nec malus; ut postea ostendam, & tamen ille actus est liber, ergo nihil deest ipsi ad hoc, ut cõstituatur in certa specie entis

 moralis,

moralis, nisi conformitas, vel difformitas ad regulas morum: Tum, si nulla esset regula morum, id est, si nulla esset lex, vel ratio dictans adhuc esset libertas, & tamen in tali casu nullus esset actus moralis in specie, nec peccatum, nec meritum, ergo signum est præter libertatem in actu ad ejus moralitatem in specie requiri ordinem ad regulas morum: Tum deniq; Actio libera manens eadem quoad substantiam actûs, recipit oppositas differentias morales, bonitatem scilicet & malitiam, ergo signum est ultimatam, & completam rationem moralitatis saltem specificè non desumi à sola libertate; consequ: patet. Antec: probatur: Nam si incipio v. g. comedere carnes tempore non prohibito, possum idem continuare usq; ad tempus prohibitum, quo casu comestio carnium, quæ antea erat licita, facta est illicita. Sed

Arguitur contra Primam partem, nempe ad moralitatem requiri libertatem cum deliberatione, sic: Actus Beatorum, & damnatorum sunt liberi, deliberati, conformes vel difformes rationi, & tamen non sunt morales, ergo non benè definitur moralitas. Probatur min: Quia non imputantur ad meritum, vel demeritum, ergo non sunt morales. Probatur antec: Quia aliàs pœna damnatorum & Beatorũ gloria cresceret semper, & sic non essent in termino: Probatur sequ: Quia de damnatis dicitur. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendet semper*; & de Beatis: *In secula seculorum laudabunt te*, ergo si odium DEI in damnatis, & laus DEI in Beatis sit actus moralis, & imputabilis, sequitur, quòd meritum & demeritum in altera vita crescat semper, & sine termino. Respond: neg: min: ad probationem neg: antec: ad cujus probationem distin: antec: cum ultimo consequente, cresceret intensivè, nego, & secundùm hoc habent terminum: Extensivè, & secundùm durationem, conc: quia secundùm hoc nec Beati habent terminum suæ gloriæ, nec damnati suæ miseriæ. Sed per oppositum contra tertiam partem

Arguitur Secundò: Omnia alia, quæ reperiuntur in actu morali, reducuntur ad libertatem tanquam ad radicem, & fundamentum, nec actus dicitur imputabilis, nisi quia liber, ergo sola libertas sufficit. Respond: neg: consequ: Quia licèt libertas sit radix omnis moralitatis, est tamen remota, non proxima. III. Libertas est radix omnis moralitatis.

Arguitur Tertiò: Potest dari actus conformis rationi, qui non sit moralis, v. g. vocatio divina, amor supernaturalis à solo DEO infusus, ergo. Respond: Argumentum bene probare, quòd sola habitudo ad rationem non sufficiat ad moralitatem, aliàs amor DEI, quo se diligit, esset moralis contra omnes, sed ulterius requiri libertatem, quod non nego.

Arguitur Quartò: Actiones DEI ad extra sunt morales, quia summa laude dignæ, & tamen DEUS non habet regulam superiorem, cui conformetur, ergo. Respond: DEUM esse sibi ipsi rectissimam regulam agendorum, quod sufficit, ut lato modo dicantur ejus actiones morales, quamvis strictè loquendo, non sint dicendæ morales, si verum est, quòd moralitas in actu dicat habitudinem ad regulam superiorem.

Arguitur Quintò: Per id constituitur ratio moralis ut sic, in quo conveniunt omnes species entis moralis, v. g. vitia, & virtutes, sed hoc est sola libertas, ergo. Respond: neg: min: quia non solùm conveniunt in libertate, sed etiam in habitudine ad rectam rationem, sicut & actus bonus, licèt diversimodè quoad differentias contrahentes, nam actus bonus respicit rationem conformando se illi, malus verò recedendo ab illa, sicut similitudo & dissimilitudo continentur sub uno genere proximo relationis fundatæ in qualitate. Ex his patet fundamentum remotum moralitatis in actu esse libertatem actualem, proximum verò esse ipsum actum liberum, ut subest regulæ morum, deliberationem autem ex parte intellectûs esse conditionem necessariò requisitam ad libertatem, & ipsam habitudinem ad rectam rationem

tionem fundatam remotè in libertate, & proximè in actu, ut subest regulis morum, esse formaliter ipsam moralitatem, quæ quidem habitudo est quasi genus ad hanc & illam in specie habitudinem, scilicet ad bonitatem & malitiam, conformitatem & difformitatem.

IV. Moralitas est extrinseca denominatio, vel respectus rationis.

Dico Secundò: *Regulabilitas illa seu moralitas non consistit in positivo aliquo reali, actui intrinsecè superaddito, sed in denominatione extrinseca, vel si mavis in relatione rationis materiali & fundamentali.* Hæc colligitur ex Scoto suprà §. *de Primo*: Ubi dicit, moralitatem esse respectum ad rectam rationem.

Antequam probem conclusionem, Notandum. Primò: Actum moralem non debere considerari secundùm suum esse physicum, quia sic volitio, & actus bonus dicit relationem realem ad voluntatem, tanquam ad causam sui efficientem, & hic respectus omnino realis est, & separabilis. Realis quidem, quia est relatio, & habitudo effectûs ad causam: Separabilis verò, quia potest à solo DEO in voluntate, se passivè habente, produci, sed est sermo de habitudine & relatione, quam dicit actus liber ad regulas morum.

V. Moralitas est ens rationis materiale & fundamentale.

Notandum Secundò: Moralitatem dici relationem rationis, seu ens rationis, non quidem formale & fabricatum ab intellectu, sed materiale, & fundamentale derelictum in actibus ipsis ex regula rationis, in quantum scilicet accedente intellectûs operatione potest ab eo efformari per modum entis rationis formalis & actualis, qua ratione communiter omnes privationes reales, negationes, ac extrinsecæ denominationes dicuntur entia rationis, cùm tamen privationes illæ sint verè à parte rei ante omnem operationem intellectûs, nam aër de nocte est realiter tenebrosus, oculus realiter cœcus, paries realiter visus &c. His prænotatis

Probatur conclusio Primò: Moralitas non est nisi habitudo & respectus ad objectum à ratione propositum, tanquam conveniens vel disconveniens naturæ rationali, ut sic, sed hæc relatio & habitudo non est realis, quia non consurgit inter extrema ex natura rei, non enim est habitudo actûs ad objectum prout conveniens, vel disconveniens ex natura rei naturæ rationali, sed prout conveniens vel disconveniens eidem ex judicio practico intellectûs proponitur, sive ita sit à parte rei, sive non, & consequenter non necessariò conformis rei, circa quam versatur, sed ab hac præscindit, ergo respectum realem importare non potest.

Confirmatur: Quia esse morale nihil aliud est, quàm esse regulatum à ratione dictante hoc aut illud esse honestum, aliud turpe, sed sic dici regulatum non ponit, nisi denominationem extrinsecam ex terminatione actûs intellectûs practicè regulantis, ergo.

Probatur Secundò: Moralitas in aliis rebus, mox in fine quæstionis adducendis, ut esse uxorem, esse dominum nihil aliud importat, nisi ens rationis materiale, seu denominationem extrinsecam, omnis enim talis ex terminatione alicujus actûs vitalis, in denominato relicta ens rationis materiale dicitur, ergo idem dicendum est de omnibus aliis actibus humanis; probatur antec: Quia servus est sui domini servus ex eo, quòd dominus vel legitimè eum emerit, vel justo bello cœperit, quod nihil physicum in dominum, vel in servum influit, similiter uxor est sui viri uxor ex eo, quòd legitimè aliquando, & liberè inter se ipsos contraxerint, sed iste contractus prætæritus totaliter nihil reale positivum, vel relativum influit in uxorem & maritum, sed tantùm ponit relationem rationis fundamentalem, & materialem, & denominationem extrinsecam, quia etiam sine fictione intellectûs uxor est sui viri uxor, ergo.

Probatur conclusio Tertiò: Actus mutatur de una specie moralitatis

tatis in aliam speciem, sine aliqua mutatione reali ipsius, ut patet de jejunio, quod instante præcepto est bonum, & stante inhibitione, vel alia lege contraria, est malum, item celebratio Missæ in Ecclesia est opus bonum, & sanctum, si autem accedat interdictum Ecclesiæ, idem actus fit malus moraliter absq; ulla mutatione positiva & intrinseca, ergo signum est habitudines illas & relationes non esse reales, sed tantùm extrinsecas denominationes, vel habitudines rationis: Probatur consequ: Quia nihil recipit de novo relationem realem extrinsecus advenientem sine receptione alicujus absoluti de novo in ipso, vel alio extremo.

Dices: Mutari legem, quod sufficit: Sed contra: Quia lex ipsa non est entitas quædam realis, sed moralis, & vel denominatio extrinseca, vel respectus rationis dependens à voluntate legislatoris, ergo mutatio legis non potest arguere mutationem realem in actu, sed secundùm quendam extrinsecum respectum, qui erit rationis.

Probatur Quartò: Malitia moralis non est quid reale positivum, alias DEUS esset author malitiæ & mali atq; peccati, cùm sit author omnis entitatis realis, ergo moralitas, quæ est communis ad malitiam & bonitatem, non est quid reale, sed ens diminutum, extrinseca denominatio, vel ens rationis. Sed in contra.

Arguitur Primò: Habitudo ad regulas morum convenit actibus independenter ab omni operatione intellectûs, ergo illa habitudo non est denominatio extrinseca, vel ens rationis. Respond: neg: consequ: Quia entia diminuta, cujusmodi est moralitas, non solùm ab intellectu, sed etiam ab aliis potentiis vitalibus causantur, & sic cum lex, quæ est regula morum, sit dependens à voluntate Legislatoris, & ens diminutum, vel denominatio extrinseca, etiam relatio ad illam terminata erit quid tale.

Arguitur Secundò: Virtus & vitium sunt entia realia ab invicem distincta, ergo moralitas, unde denominantur talia, erit quid reale & positivum. Respond: distin: antec: Si considerentur secundùm esse physicum habitûs, & fundamentaliter, conc: antec: Si considerentur pro formali denominationis, neg: antec: & consequ:

Dices: Ergo sic erit homo bonus vel malus per denominationem tantùm extrinsecam. Respond: neg: Illatum: Tum, Quia ipse actus, quo denominatur bonus, vel malus, est inhærens homini: Tum, Quia actui inest forma illa diminuta, à qua denominatur bonus vel malus, unde Tridentinum definit, Peccatum originale inesse cuilibet.

Quæres: Quænam aliæ res denominentur morales? Respond: Quòd usus obtinuit, ut non solùm actus, sed etiam potentiæ liberæ, sive physicè influentes, sive tantùm suadentes dicuntur morales: Similiter habitus virtutum dicuntur morales, vel quia sunt principia operationum, vel etiam effectus: Item leges dicuntur morales, quia sunt regulæ morum: Item objecta tanquam termini operationum moralium: Similiter circumstantiæ, causæ instrumentales, signa practica, ut Sacramenta participant denominationem moralis. Similiter obligationes ortæ ex promissione, Dominium quod transfertur per voluntatem Domini, præmium, meritum, quod oritur ex vi antecedentis pacti. Imperium, regimen, Rex, Imperator & similes denominationes ortæ ex voluntate eligentium vel instituentium. Item vinculum matrimonii, voti, valor rei ortus ex lege taxante pretium ejus, & similia denominantur moralia. Idem dic de moralitate in peccato, seu culpa habituali remanente post actum, quæ nihil aliud est, quàm denominatio quædam relicta ex actu in re quidem præterito, moraliter tamen & secundùm æstimationem remanente, donec retractetur.

V. Res multæ denominantur morales.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO SECUNDA.

Quid sit Bonitas moralis?

I. Bonitas & malitia in... sunt differentiæ ... (margin note)

ANtequam ad resolutionem hujus quæstionis procedam, aliqua præsupponenda sunt, & aliqua prænotanda. Præsupponendum Primò: Bonitatem & Malitiam moralem in actu, non esse differentias essentiales, sed planè accidentales, siquidem possunt adesse, vel abesse actui, sine reali ejus mutatione. Supponendum Secundò: Easdem differentias comparatas ad ens morale, quà tale, esse essentiales ex modo, quo ens diminutum potest habere rationem univocam, contrahibilem per differentias suo modo essentialiter contrahentes: Ex bonitate enim contrahente ens morale constituitur talis species, v. g. eleemosyna: Similiter ex tali malitia talis species, v. g. furti, non secus ac animal contractum per rationale constituit speciem hominis. His præsuppositis

II. Bonitas ... absoluta, alia respectiva. (margin note)

Notandum Primò: Bonitatem universaliter esse duplicem, *Absolutam* scilicet & *Relativam*: Illa est, secundùm quam aliquid perficitur secundum omnia requisita ad suum complementum, sive essentiale, sive accidentale, sic homo dicitur bonus seu perfectus absolutè, quando habet non solùm partes physicas, quàm metaphysicas, tam essentiales quàm integrales, ut manus, pedes, oculos, sed etiam quantitatem, & qualitatem proportionatam. *Bonitas Respectiva* est, quâ res dicitur bona non in se, sed in ordine ad aliud. Et est duplex: *Naturalis* scilicet, & *Moralis*. Illa est, quæ competit rei per convenientiam, quam habet ad ipsam inclinationem naturæ, ut comedere, dormire, etiam in brutis. *Bonitas respectiva moralis* superaddit his convenientiam ad regulas morum, ut comedere, quantum requiritur & sufficit ad sustentationem vitæ.

Notandum Secundò: Sicut ad bonitatem moralem ut sic, requiritur conformitas omnium ad rectam rationem, quæ ad id sunt necessaria, ita ad bonitatem moralem meam, vel tuam, requiritur eorundem conformitas ad meam, vel tuam rectam rationem, unde licèt comedere carnes die dominico sit conforme rectæ rationi tuæ scienti esse dominicam, mihi tamen existimanti esse Sabathum, non est conforme, & ita ego comedendo pecco, tu verò non. Ex quo per oppositum sequitur, quòd illa ratio, cui cœtera sunt conformanda, non est necesse, quòd sit semper specificè vera, nam etiam operantes contra conscientiam erroneam, secundùm omnes, peccant.

III. Bonitas etiam alia est objectiva, alia circumstantialis. (margin note)

Notandum Tertiò: Ex Scoto 2. d. 7. q. 1. §. *de 1. dico.* Præter naturalem bonitatem actûs, quæ & physica dicitur, triplicem ei bonitatem moralem competere, Prima est *objectiva*, quam vocat Scotus bonitatem ex genere. Secunda *Circumstantialis*, quam vocat virtuosam. Tertia *Meritoria*, seu *gratuita*. Prima sumitur ex objecto, v. g. dare eleemosynam, & dicitur bonitas ex genere, quia est potentialis & determinabilis per aliquas duas posteriores bonitates iam dictas, videlicet ut sit debitè circumstantionata, & ex inclinatione charitatis. Secunda bonitas supponens semper primam, & sumitur ex collectione omnium circumstantiarum (quarum Prima est finis) quas recta ratio jubet adesse, quia secundùm Dionysium: *Bonum ex integra causa*. Tertia supponit primam, & secundam, advenitq; actui per respectum ad principium merendi, quod est charitas, vel acceptatio divina. Hinc triplici bonitati opponitur triplex malitia moralis: Prima sumitur ex objecto dissono rationi, ut occidere. Secunda ex mala aliqua circumstantia, ut orare ob vanam gloriam. Tertia sumitur ex defectu charitatis inexistentis, opus enim aliàs bonum non elicitum ex charitate non est meritorium apud DEUM vitæ æternæ, quia non inest principium merendi. His po-

IV. Malitia triplex est sicut bonitas. (margin note)

zed by Google

sitis conveniunt Authores ad bonitatem moralem in actu requiri conformitatem eorum omnium, quæ sunt in actu ad regulas morum, seu ad legem à recta ratione dictatam, discrepant autem, an illa bonitas sit quid simplex, aut aggregatum, absolutum, an relativum, intrinsecum, an extrinsecum, reale, an rationis? Singuli consequenter ad sua principia de moralitate in communi.

V. Bonitas est integritas eorum, quæ adesse debent.

Dico Primò: *Bonitas moralis actûs est formaliter integritas eorum omnium, quæ recta ratio operantis indicat debere actui convenire, vel ipsi agenti in suo actu.* Ita expressè Scotus quodl: 18. n. 3. Et in 1. d. 7. q. 3. Et in 12. Et in 2. d. 17. n. 11. Idem docet S. Thomas 1. 2. q. 18. a. 1. & communis. Declarat Scotus conclusionem sic, dicitur *Integritas*, quia secundùm Dionys: *Bonum ex integra causa, malum ex quocunq; defectu.* Additur, *Quæ recta ratio operantis judicat*, quia non sufficit in agente esse potentiam judicativam, de convenientia actûs, sed oportet, quòd actu rectè judicet, & secundùm hoc judicium actus fiat, si enim cognitio operantis sit erronea, licèt agat conformiter rationi rectæ alterius cognoscentis, ejus actus non censetur actus, aut moraliter bonus, quia agens rationale debet regulari ex suo actu, per suam cognitionem propriam. Nunc Probatur Conclusio: Tum ex Philosopho 4. Metaph: c. 14. ubi dicit: *Perfectum est illud, extra quod non est aliquam partem accipere*, id est, cui nihil deest eorum, quæ ei debentur: Tum, Quia sicut se habet pulchritudo corporalis ad corpus, ita bonitas moralis in actu respectu operantis, sed pulchritudo corporalis nihil aliud est, quàm aggregatio omnium convenientium tali corpori, v.g. magnitudinis, figuræ, coloris, servata inter se, & ad corpus debita proportione, juxta illud D. Augustini 8. de Trinit: cap. 3. *Bona facies hominis, dimensa pariliter, & affecta hilariter, & luculenter colorata.* Ergo bonitas moralis actûs, qui est quidam decor, & pulchritudo in actu, est aggregatio debitæ proportionis ad omnia, ad quæ debet actus proportionari, secũdùm regulas rectæ rationis, puta ad potentiam liberè operantem, ad objectum, finem, tempus, locum, modum, personam.

VI. Integritas est conformitas ad legem.

Dico Secundò: *Integritas illa est conformitas actûs, non ad naturam rationalem, sed ad rectam rationem, seu ad judicium practicum proponens hic, & nunc legem.* Est Scoti loco citato, ubi dicit: Bonitas moralis actûs est quasi quidam decor illius actûs, includens aggregationem debitæ proportionis ad omnia, ad quæ debet actus proportionari, puta ad potentiam, ad objectum, ad tempus, ad finem, ad locum, ad modum, & hoc specialiter, ut ista dictantur à recta ratione debere convenire actui, ita quod pro omnibus possimus dicere, quòd convenientia actûs ad rectam rationem est, qua posita actus bonus est bonus, qua non posita, quibuscunq; aliis conveniat, non est bonus; quia quantumcunq; actus sit circa objectum qualecunq;, si non sit secundùm rationem rectam in operante, puta si ille non habet rectam rationem in operando, non est bonus actus: Principaliter igitur conformitas actûs ad rationem rectam plenè dictantem de circumstantiis omnibus debitis illius actus, est bonitas moralis actus. Et est communis sententia contra Vasquez d. 58. a. 9. quoad primam partem. Probatur conclus: Primò: Positâ tali conformitate, sublatis quibuscunq; aliis, actus erit formaliter bonus: Probatur antec: Judicium rationis legem proponens est immediata regula operandi moraliter, ergo posita conformitate actûs ad hanc regulam, sublatis quibuscunq; aliis, actus erit formaliter bonus: Consequ: patet: Quia in omnibus regulatis illud est simpliciter bonum, quod est regulæ suæ conforme, unde dicimus bonum esse syllogismum, quia est ad regulas Logicæ formatus, ergo cùm recta ratio sit immediata regula morum, actus rationi conformis ipse erit formaliter bonus.

Proba-

Probatur Secundò : Bonitas moralis conſiſtit, vel in conformitate ad legem præciſè, vel ad naturam, vel ad rationem legem prudenter proponentem, ſecundùm omnes, ſed non poteſt conſiſtere in primis duabus, ergo in ultima ? Probatur min: Non in conformitate ad legem præciſè, quia hæc quamdiu eſt ignorata, non poteſt eſſe regula operandi benè vel malè. Nec in conformitate ad naturam ob eandem rationem, nam quando ignoratur aliquid eſſe conforme vel difforme naturæ, operans nec benè, nec malè agit, ergo relinquitur, quod in ſola conformitate ad rectam rationem. Sed pro Vaſquez in contrarium

Arguitur Primò : Judicium rationis ſequitur bonitatem actûs, ergo ab illo non habet actus, quod ſit bonus: Conſequ: eſt manifeſta. Probatur antec: Ideò veraciter judico, amorem DEI eſſe bonum, quia præſupponitur ita eſſe in re, ergo judicium rationis ſequitur bonitatem actûs. Probatur anteced: Objectum veri judicii præſupponitur ad judicium, ergo actus, quô veraciter judico amorem DEI eſſe bonum, & conſequenter eligendum, præſuppoṅitur ad dictamen rationis, ideòq; ab aliquo priori ſortitur ſuam bonitatem, non ab alio, niſi quia eſt conformis naturæ, ergo. Reſpond: diſt: antec: Judicium vel dictamen habens pro objecto hanc complexionem: *Amor DEI eſt bonus*, conc: antec: Judicium habens pro objecto hanc complexionem DEUS eſt amandus ſecundùm legem, quia ipſe ſic voluit, vel conſuluit, neg: antec: Hoc enim judicium eſt regula actûs, non verò primum, per quod patet etiam ad probationem, quia non dico bonitatem moralem eſſe conformitatem ad quodcunq; judicium, ſed ad illud ſolùm, quod nobis proponit legem prudenter cum his & illis circumſtantiis.

Arguitur Secundò: Ex concluſione noſtra ſequeretur, quòd invincibiliter judicans homicidium eſſe licitum, vel ſibi præceptum, benè faceret occidendo proximum, ſed conſequens eſt abſurdum, ergo. Probatur ſequ: Bonitas conſiſtit in conformitate ad judicium operantis ſecundùm quod lex proponit, ſed talis occidendo conformiter agit ad ſuam conſcientiam proponentem illi legem & mandata, ergo benè agit. Reſpondent Primò multi ad argumentum, conced: maj: cum ſua probatione, licèt enim ille actus ſit materialiter malus, tamen formaliter eſt bonus, negant ergo min: Sed non videtur ſolutio ſimpliciter vera, quia cùm ignorantia ſit pœna alicujus peccati, ſicut ſæpè contingit, quòd ob unius peccati reatum permittamur cadere in aliud, non apparet, quare DEUS vellet remunerare illum actum, qui ſimpliciter eſt contra ſuam voluntatem, & legem æternam, quamvis à culpa poſſit excuſari, eò quòd homo non poſſit vitare homicidium in eo caſu, niſi agendo contra ſuam conſcientiam, melius tamen dicitur actum illum nec eſſe bonum, nec malum moraliter.

Reſpond: Secundò : Melius ad argumentum, neg: ſequ: cujus probationis majo: diſtin: Ad judicium rationis errantis, neg: maj: Ad judicium verè & bene legem proponentis, conc: majo: Quia ſi actus ille allegatus eſſet bonus, ignorantia non eſſet pœna. Deniq; adveniente judicio vero non oporteret de illo actu dolere, ſed potius lætari, quod eſt contra communem ſenſum, & experientiam timoratorum. Deniq; omnes, quibus non datur lumen fidei per ſua naturalia poſſent operari benè, & conſequenter mereri vitam æternam, cujus oppoſitum latè docui in tractatu ſuperiori, nullo ergo modo erronea prorſus ratio poteſt fieri regula boni, multum ſatis eſt concedere & excuſare illum actum à peccato, ob quod orat Pſalmiſta: *Delictà juventutis meæ, & ignorantias meas nè memineris*, quoniam in Geneſi habetur, quòd DEUS flagellaverit Abimelech propter uxorem Abrahæ, quam ſimplici corde & ignoranter tulerat, nec ullibi legitur,

similes actus fuisse laudatos, ergo signum est, quòd non sint boni, nec laude digni.

VII. Conformitas integritatis non est una simplex. Dico Tertiò: *Hæc conformitas non est semper una simplex, sed interdum multiplex, non quidem qualitas aliqua absoluta, sed ens diminutum, vel relatio rationis.* Ita Scotistæ plures. Prima pars est contra Conradum. secunda contra Cajetanum. Probatur Prima pars: Tum, Quia bonitas moralis assimilatur pulchritudini naturali, sed hæc consistit in aggregato ex multis, ergo. Tum, Quia actus potest esse conformis objecto, & difformis fini, vel circumstantiis, & econtra, ergo conformitas ad objectum non est ipsius integra bonitas.

Probatur Secunda Pars contra Cajetanum, Bonitatem moralem non esse quid absolutum actui realiter identificatum: Tum, Quia intellectò quocunq; absolutò in actu non intelligitur ratio bonitatis moralis, quæ est conformitas ad rectam rationem: Tum, Quia idem actus manens idem secundùm substanstiam, transit de bono in malum, ergo signum est bonitatem non esse aliquid absolutum realiter identificatum.

Probatur Secundò: Quià actus non dicitur bonus, vel malus moraliter, nisi per habitudinem ad objectum à ratione propositum ut conveniens, vel disconveniens naturæ rationali ut sic, aut legi extrinsecæ, sive res ita habeat se à parte rei, sive non, dummodò prudenter, & inculpabiliter dictet debere sic fieri practicè, licèt speculativè non esset recta ratio, ergo signum evidens est, conformitatem moralem, & bonitatem non esse respectum & habitudinem realem, & ex natura extremorum consurgentem, sed ex opere tantùm intellectûs practici dirigentis, & regulantis voluntatem circa hoc aut illud objectum.

Probatur Tertiò: Quia secundùm communem sententiam potest dari pura omissio libera, quæ etiam sit bona in genere moris secundùm aliquos, vel saltem mala, ergo nec genus moris, nec aliqua species ejus dicit aliquid reale & physicum, quia nullum tale fundari potest in pura omissione, quæ semper est negatio, vel privatio actûs præcepti, ergo.

Dices pro Cajetano: Bonum morale & malum opponuntur contrariè, ergo utriusq; ratio consistit in aliquo positivo absoluto. consequ: patet. Quia contrarietas petit extrema positiva & absoluta. Respond: distin: antec: opponuntur contrariè contrarietate sumpta pro omni repugnantia & incompatibilitate aliquorum, conced: contrarietate strictè sumpta, neg: & similiter distin: consequ: cum probatione.

Dices Secundò: Pro Conrado: Si in actu bono moraliter includuntur plures respectus, ergo & plures bonitates, & sic quilibet actus habebit tot bonitates, quot respectus. Respond: cum Scoto, distin: consequ: plures bonitates particulares, conc: totales & completè, nego saltem semper. An autem in uno actu possent esse plures bonitates, completè & specie diversæ, infrà videbimus.

QUÆSTIO TERTIA.

An & quomodo actus sumat bonitatem suam ex objecto?

Non est intelligenda quæstio de omnibus actibus bonis generatim, certum enim est, non omnes esse bonos ex objecto, nam ambulare per se non est bonum morale, sed ambulare ad liberandum hominem à morte bonum est. Quæstio igitur est intelligenda de actibus illis, qui habent objectum bonum, & honestum per se; certum autem est, illos accipere aliquam bonitatem ex objecto, ut mox dicam. Et quia in quæstione præcedente dixi, in actu humano plures reperiri bonitates particulares, secundùm quod actus plura respicit juxta præscriptum rectæ rationis, videlicet objectum, finem, tempus, locum, personam. I. Bonitas ex objecto & specifica & in genere vocatur.

Hinc

Digitized by Google

Hinc in præsenti quæritur: An prima bonitas in actu sumatur per ordinem ad objectum, quod perinde est, ac si quæras, unde sumatur bonitas specifica actûs, quæ etiam ex genere appellatur.

Qua in re Conradus dicit, Scotum in 2. dist: 40. sensisse primam bonitatem moralem actûs humani desumi per ordinem ad suum principium elicitivum, scilicet voluntatem liberè elicientem, occasionem sumpsit ex verbis Scoti loc: cit: dicentis: *Quia igitur actui recta ratio dictat determinatum objectum convenire, & determinatum modum, & alias circumstantias, non est completa bonitas ex solo fine, sed prima ratio bonitatis ejus est ex convenientia actûs ad efficiens, à quo actus dicitur moralis, quia liberè elicitus, & hoc est commune actui bono vel malo, neq; enim actus est laudabilis, aut vituperabilis, nisi sit à voluntate.* Hæc Scotus. Sed ex his ipsis verbis clarè patet, Conradum non intellexisse Scotum, si enim vellet Scotus, quòd prima bonitas moralis desumenda esset ab ordine ad efficiens, non dixisset, illum ordinem esse quid commune ad actum bonum & malum: Non dixit Scotus primam bonitatem moralem desumendam esse à voluntate, sed dixit primam rationem bonitatis, id est, primam conditionem, seu fundamentum remotum omnis moralitatis, adeòq; bonitatis & malitiæ in actu desumendam esse à voluntate liberè eliciente, quod secundùm omnes verissimum est, & ita Scotum intellexit Vasquez, & etiam Cajetanus, licèt hìc in hoc erraverit, quòd asseruerit, Scotum docuisse primam illam bonitatem ex objecto desumptam non esse specificam, sed genericam, nusquam enim Scotus eam vocat genericam, sed ex genere, qui modus loquendi est usitatissimus in scholis, imò ipsius D. Thomæ 1. 2. q. 18. a. 2. dicitur ergo bonitas ex genere, non quòd non sit in certa specie collocata, sed ad eum modum, quo sumimus genus pro specie, v. g. cùm dicimur genus humanum pro specie humana. Potest etiam dici bonitas ex genere, ut rectè notavit Scotus pro aliquo potentiali ad varia genera, media, & species intermedias, neq; ideò dicitur potentiale ad circumstantias, quasi hæ sint differentiæ per se componentes species, cum eo, quod ex genere est bonum, sed quia illud quasi accidentaliter perficiunt. His præmissis

Dico Primò: *Bonitas moralis desumitur quoq; ab objecto, idem est de malitia.* Hæc est communis. Probatur: Tum, Quia objectum tribuit actui bonitatem, & malitiam naturalem, ex eo, quòd conveniat vel disconveniat rectæ rationi agentis liberi: Tum, Quia objectum ubiq; se habet ad actum tanquam forma, & mensura extrinseca, sicut terminus ad motum, ergo sicut terminus dat rationem motui, ita & objectum actui: Tum in Scriptura de objecto malo Oseæ. 9. dicitur *Facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt.* Ubi tamen notandum, objectum tantùm concurrere ad actum tanquam forma extrinseca, & consequenter non debet in se formaliter habere bonitatem vel malitiam, sed sufficit, quòd habeat causaliter, seu quòd objectum sit conveniens, vel disconveniens, ad prosequendum seu fugiendum secundùm rectam rationem, sicut medicina dicitur sana, non quia in se formaliter habet sanitatem, sed quia est causativa illius, & sicut habitus dicitur bonus, eò quòd, quantum in se sit principium actûs boni. Et hanc convenientiam etiam habet objectum actûs externi, v. g. sublevatio miseriæ proximi objectivè sumptæ, non tantùm reddit bonam volutatem dando eleemosynam, sed etiam ipsam eleemosynam æternam, talem enim ordinem habent objecta ad rationem, ut aliqua, quantum est ex se, sint objectum prosecutionis, alia objectum fugæ. II. Bonitas & malitia ab objecto desumitur.

Dico Secundò: *Quando ad actum humanum concurrunt objectum bonum, & finis bonus, prima bonitas specifica desumitur ab objecto.* Hæc est expressè D. Thomæ 1. 2. q. 18. art: 2. III. Bonitas prima, & specifica desumitur ab objecto.

à quo in hoc non dissentit Scotus loco citato, & quodl: 18. Estq; communis.

Probatur Primò: Ordo actûs ad objectum est prior, quàm aliquod adjacens, v. g. ad finem & reliquas circumstantias, ergo talis ordo est primus & immediatior actui: Tum, Quia potest stare bonitas objectiva sine bonitate finis, aut circumstantiarum, & non econtra, ergo illa est prima. Consequ: patet: Quia illud est prius, à quo non convertitur subsistendi consequentia, v. g. actus est bonus ex fine, ergo & ex objecto, valet consequ: non tamen econtra. Antec: Probatur: Quia dare eleemosynam est bonum ex objecto, & tamen potest esse ex malo fine, v. g. vanæ gloriæ, ergo. Probatur Secundò sicut res naturalis habet speciem à sua forma, ita actus ab objecto, ergo sicut prima bonitas naturalis est à forma, ita & prima bonitas moralis ab objecto, & sicut primum malum in naturalibus est, si res genita non consequatur suam formam specificam, v. g. si non generetur homo, sed monstrum, ita primum malum in moralibus est, si non fit circa objectum conveniens. Sed in contra.

Arguitur Primò: Bonitas moralis formaliter est integritas omnium, quæ secundùm rectam rationem actui debent convenire, ut in priori quæstione dictum est, ergo bonitas specifica non solùm desumenda est per ordinem ad objectum, sed etiam ad finem, & alias circumstantias, cujus tamen contrarium videtur hæc conclusio tradere. Respond: Aliud esse dicere, quòd prima ratio, seu prima bonitas moralis in actu desumatur ab objecto, aliud quòd tota intrinseca species desumatur ab objecto, in hac quæstione tantùm loquor in primo sensu, in præcedenti verò in secundo sensu, quæ duo benè cohærent, sicut qui diceret integritatem omnium membrorum constituere perfectum corpus organicum, nihilominus tamen caput & cor esse partes principaliores, quarum comparatione cætera membra sunt quasi circumstantiæ adjacentes, sic in proposito. Unde cùm dicitur bonitatem finis, & circumstantiarum accidere actui, ita intelligendum est, ut scilicet bonitas objectiva sit prima & principalis, reliquæ verò secundariæ.

Instatur: Actus indifferentes ex eo dicuntur tales, quia ex objecto nullam habent bonitatem vel malitiam, & tamen ex fine, vel alia circumstantia possunt reddi boni vel mali, ergo prima bonitas in illis saltem non desumitur ab objecto. Respond: conc: totum, sed nihil contra nos, quia conclusio intelligenda est, quando concurrunt bonitas objecti, finis, & aliarum circumstantiarum.

Arguitur Secundò: Bonitas consistit in conformitate actûs ad sua principia, ergo etiam ad suum principium elicitivum, ergo prima bonitas in actu potius desumenda est ex ordine ad principium elicitivum, scilicet voluntatem. Respond: Illum ordinem, quem dicit actus ad voluntatem esse primum quidem, sed in genere moris est aliquod commune, & genericum ad bonitatem & malitiam, & sic non spectat ad specificam rationem bonitatis.

Arguitur Tertiò: Actus externus v. g. dare eleemosynam, est bonus, & tamen non habet objectum à se distinctum, ergo in illo actu prima bonitas non est ab objecto. Respond: neg: min: quia actus externus habet pro objecto materiam, circa quam versatur, v. g. datio eleemosynæ, rem ipsam datam ex proposito.

Instatur: Dans eleemosynam ob redimenda peccata tantùm, & non ob indigentiam pauperis, facit opus bonum morale, non tamen ex objecto, sed ex fine tantùm, ergo. Respond: In tali casu finem illum, scilicet redimere peccata, transire in objectum virtutis pœnitentiæ, & sic nihil contra nos, quia non negamus objectum motivum, & finem sæpe coincidere, præsertim in moralibus.

Arguitur

Arguitur Quartò: Circa idem objectum potest esse amor & odium, v. g. circa DEUM vel proximum, ergo bonitas & malitia sumunt speciem ab eodem, quod est absurdum. Respond: concedo totum sub diversa ratione, amor enim sumit bonitatem ab objecto sub ea ratione, quâ objectum apprehenditur ut disconveniens.

Arguitur Quintò: Generale propositum honestè vivendi est actus in specie, & individuo moraliter bonus, sed non ex objecto, ergo. Probatur min: Objectum istius propositi est commune ad objecta omnium virtutum, sed ex objecto sic communi non potest sumi bonitas aliqua specifica, ergo talis actus aliunde habet suam primam bonitatem specificam, quàm ab objecto. Ad hoc variè Respondent Theologi, quarum duas tantùm solutiones eligo, unde Respond: Primò: Illum actum dicere honestatem virtutis in specie distinctam à reliquis, quæ virtus intelligitur à Patribus nomine obedientiæ legalis, & Theologis nomine justitiæ legalis. Honestum enim est id, quod est conforme rectæ rationi & legi, & sic vivere honestè, est vivere conformiter ad legem, cujus virtutis regulâ specialis est servare medium in ordine ad legem, & legislatorem, quibus debet inferior cum debita subjectione conformari. Regula verò aliarum virtutum est servare medium in aliquo particulari determinato per legem. Respond: Secundò: Quamvis honestum, seu honestè vivere sit commune ad omnes virtutes in esse rei, & secundùm quod habet specialem appetibilitatem, & specialem modum servandi medium, tamen specificat specialem virtutem, v. g. justitiæ legalis. Hoc declaratur in simili, nam ens ut sic, licèt sit quid transcendens objecta omnium scientiarum specificarum, nihil ominus specificat certam speciei scientiam, scilicet Metaphysicam, secundùm quod hæc de illo monstrat quasdam passiones generales omni enti, & sicut Metaphysica secundùm omnes est scientia specifica, & tamen quodammodò universalis ad reliquas scientias, prout subministrat eis principia quædam generalia, sic justitia legalis, quæ versatur circa honestum ut sic, est in se una specie virtus, & tamen generalis ad alias virtutes, prout tradit regulas generales servandi medium, & servientes materiis specialium virtutum.

Dico Tertiò: *Ut objectum det bonitatem actui, debet cognosci ut bonum, seu honestum.* Est D. Thomæ, Scoti suprà, & communis contra Salazar tract: 7. disp. 1. & Medinam 12. q. 18. art: 9. & quosdam alios. Probatur Primò Actus humanus nequit habere conformitatem ad regulam, nisi stante ipsa regula, sed regula proxima est ipsum judicium intellectûs, ut terminatur ad objectum, ut bonum vel malum, ergo præcisa cognitione bonitatis, vel malitiæ in objecto, nequit actus humanus benè vel malè regulari. Probatur Secundò: Honestas objecti est causa motiva actûs honesti, adeòq; honestatis in actu, sed ratio formalis movendi debet esse cognita, & sic applicata voluntati, quia nihil volitum quin præcognitum, ergo. Tertiò, Ignoranti invincibiliter qualitatem objecti, non imputatur operatio secundùm illam qualitatem, juxta omnes, ergo. IV.

IV. Objectum dans bonitatem debet cognosci.

Dices: Sufficere, quòd ipsum objectum pro materiali sit cognitum, esto non cognoscatur ejus honestas formalis. Contra: Si hoc sufficit, ergo objectum sic cognitum materialiter tantùm communicat actui omnes moralitates, quas habere potest, quia non est ratio, cur unam magis, quàm alteram, sed idem objectum materialiter sumptum potest fundare bonitatem simul & malitiam, multas & diversas bonitates, v. g. jejunium ad diversas regulas operandi relatum, potest fundare bonitatem vel malitiam, in ægro enim est malum, in sano & suis temporibus est bonum. Item jejunium ex voto, vel ex præcepto participat diver-

diversas bonitates, & sic secundùm istos esset simul bonus & malus, & multipliciter bonus, quod est absurdum.

Arguitur: Pauci intelligunt, quid sit bonitas, seu honestas formalis objecti, ergo pauci benè operantur, si conclusio est vera. Respond: Non requiri in omnibus, præsertim in rusticis, & privatis personis tam perfectam cognitionem, ut clarè & distinctè cognoscant determinatam speciem bonitatis & malitiæ, sed sufficit, quòd cognoscant saltem confusè objectum esse in se bonum, & ut sic cognitum intendatur à voluntate, sic enim quandoq; imponimus nomina rebus confusè tantùm cognitis, ex lib: Perihermen:

V. Actus idem potest habere plures bonitates.

Dico Quartò: *Idem actus bonus potest participare plures bonitates morales, ab eodem objecto.* Ita D. Bonavent: 2. d. 42. Durandus, Vasquez, & alii, contra Suarez, & quotquot docent bonitatem moralem esse essentialem actui. Conclusionem tradit expressè Scotus quodl: 18. n. 8. dicens: *Ex dictis sequitur corollarium, quòd in eodem actu substrato potest esse multiplex bonitas moralis, quia idem actus potest esse rectè circumstantionatus non solum multis circumstantiis particularibus, quæ non sunt multæ bonitates, sed integrant unam bonitatem, sed etiam potest idem actus esse circumstantionatus completè omnibus circumstantiis pertinentibus ad virtutem unam, & etiam omnibus pertinentibus ad aliam virtutem.* Hæc Scotus. Probatur Primò Idem objectum potest habere plures, & specie distinctas honestates, quæ omnes possunt simul in genere moris concurrere ad eundem numero actum substratum virtutis, ergo talis actus habebit tot bonitates, quot honestates movent ad ejus productionem: Consequ: patet: Quia bonitas actus specificatur primariò à motivo formali, & consequenter ubi plura sunt motiva, erunt plures bonitates: Antec: quoad utramq; partem probatur exemplo ejus, qui jejunat ex voto, & sic est actus religionis, & ex præcepto Ecclesiæ, & sic est virtus obedientiæ, & ut satisfaciat pro peccato, & sic habet bonitatem virtutis pœnitentiæ, & ad servandam castitatem, & sic reducitur ad eandem virtutem, & ad subveniendum pauperi, & sic est virtus misericordiæ. Ecce quomodo idem objectum scilicet jejunium habet plures honestates objectivas, & specie distinctas concurrentes in eodem actu ad plures bonitates morales.

Probatur Secundò: Secundùm communem, potest quis unico actu peccare pluribus peccatis, ut frangens jejunium contra votum, & contra præceptum Ecclesiæ, ergo similiter in uno actu posset esse plures bonitates.

Probatur Tertiò: Bonitas moralis accidit bonitati naturali actûs, & est quid respectivum, sed accidens multiplicatur secundùm speciem in eodem subjecto v. g. sapor, odor, color, in pomo, & in eadem albedine plures similitudines, ergo etiam non repugnat bonitates morales multiplicari in eodem actu secundùm diversa motiva. In contra

Arguitur Primò: Actus virtutum distinguuntur, sicut & ipsæ bonitates, sed repugnat unam virtutem esse aliam, ergo repugnat actum ejusdem virtutis esse actum alterius, ergo idem actus non potest habere plures bonitates. Respond: Concessâ maj: servata proportione, distin: min: pro formali, & ut respicit suum proprium formale motivum, conc: min: & similiter consequ: pro materiali seu substrato virtutis, neg: idem enim habitus virtutis secundùm esse absolutum potest habere non solùm plures bonitates, sed etiam transire de bono in malum.

Instatur: Actus specificatur ab objecto & regula, ergo cuilibet actui honesto correspondet sua propria & distincta regula, suúmq; proprium motivum formale, ergo tot erunt actus, quot objecta formalia. Respond: Cuilibet actui secundùm esse materiale, seu physicum corres-

pondet

spondet suum proprium motivum morale, ex quo tantum sequitur, quod multiplicatis moralitatibus in eodem, vel diverso actu, multiplicandæ sint regulæ & motiva formalia, quod concedo etiam respectu ejusdem actûs, & hæc probant adversarii.

Arguitur Secundò: Voluntas non potest velle honestum, nisi intellectus actu cognoscat, & dictet illud, sed intellectus non potest simul dictare, vel cognoscere plura non subordinata, ergo nec voluntas uno actu velle plura. Respond: distinguo min: Actibus distinctis & perfectis, transf: indistinctis & imperfectis, nego. Hoc autem sufficit, ut voluntas possit elicere suum actum circa quodcunq; cognitorum, nam quæcunq; minima cognitio est sufficiens explicatio objecti ad voluntatem, ut possit circa illud operari.

Instatur: Sequeretur, quòd idem actus possit esse simul ex affectu commodi & justitiæ. Respond: conc: totum, nam mercator in naufragio ex affectu commodi, scilicet salvandæ vitæ, & etiam ex affectu justitiæ, quia obligatus, projicit merces.

Arguitur Tertiò: Eadem intentio non potest elici ex pluribus finibus non subordinatis, ergo nec idem actus ex pluribus motivis formalibus non subordinatis. Respond: dist: antec: Ex pluribus finibus ultimatis & totalibus, conc: Ex pluribus finibus, præsertim moralibus, & non ultimatis, quamvis non subordinatis, nego, ut patet de eo, qui pergit Romam devotionis causâ, & simul desideriô videndi res novas. Alia argumenta, quæ adducit Suarez fundata in eo, quòd bonitas moralis actûs identificetur realiter cum entitate actûs, facilè rejiciuntur tanquam falso innixa fundamento, patet enim, bonitatem moralem esse separabilem ab entitate actûs, ut visum est in materia de virtutibus. Hic disputari solet, an idem actus possit transire de non bono in bonum, vel de bono in malum, aut econtra, ad quod Respond: quod sic, ut probatum est in materia de virtutibus probando habitum virtutis posse transire de virtuoso in vitiosum, & econtra.

QUÆSTIO QUARTA.

An, & qualem bonitatem sumat actus à fine, & mediis?

PRO intelligentia quæstionis notandum, finem esse duplicem, unum *Intrinsecum*, seu *Essentialem*, estq; ipsa objecti bonitas, ac propterea est idem cum ipso objecto. Alius est *Extrinsecus*, seu *Accidentalis*, ad quem scilicet actus accidentaliter ordinatur, & hic non coincidit cum objecto. I. Finis alius essentialis, alius accidentalis.

Notandum Secundò: tanquam certum, Actum voluntatis, qui dicitur intentio finis, ut sit bonus requirere necessariò finem bonum, ratio est, quia respectu talis actûs finis, & objectum coincidunt, ergo sicut ad actum bonum ex genere requiritur objectum honestum, ita ad intentionem bonam, bonus. Deinde certum est, quoties actus interior voluntatis versatur circa objectum indifferens ex genere, & ordinat illud ad ulteriorem finem, ut sit bonus, requiri finem bonum, quia tunc non habet suam bonitatem moralem. II. Intentio bona necessariò requirit bonum finem.

Certum quoq; est, actum voluntatis circa objectum honestum requirere ad suam bonitatem, vel saltem non ordinari ad malum finem, quamvis non requirat, ut actus referatur in bonum finem.

Deniq; certum existimo respectu actûs imperati, sive elicitus sit ab ipsa voluntate, sive ab alia potentia, bonitatem finis secundariò, & quasi accidentaliter, seu per modum circumstantiæ advenire actui, solámq; bonitatem objecti esse sibi substantialem: Ratio est, Quia ordo ad objectum per se convenit tali actui, & ei secundariò advenit, quòd ad hunc, vel illum finem ordinetur, ut dare eleemosynam, potest referri vel ad DEI amorem, vel etiam ad vanam gloriam, & sic de aliis. Difficultas ergo est de actu interno elicito voluntatis,

luntatis, qui dicitur electio mediorum, & etiam de actu imperante actus externos ad consecutionem finis.

III. Intentio dupliciter considerari potest.

Notandum Tertiò: Ex D. Bonaventura: Intentionem dupliciter considerari posse: Primò ut est actus voluntatis, seu volitio circa finem absolutè consideratum absq; respectu ad media. Secundò, Quatenus versari potest circa finem cum aliquo ordine ad media, quod dupliciter contingit: Primò, quando medium est unicum & intentio efficax, ut cùm quis intendit dare eleemosynam, & nullum adest medium nisi furando. Secundò, quando media ad illum finem sunt multa, quorum aliqua sunt bona, aliqua mala, & circa hæc potest intentio multipliciter versari: Primò, ita ut respiciat omnia illa media confusè tantùm, non determinando se ad bonum vel malum. Secundò, quando quis vult consequi finem cum eo proposito, ut si oporteat, sit adhibiturus medium malum. Tertiò, quando intentio actualiter conjuncta est pravæ electioni. His positis

Certum est Primò, loquendo de voluntate illa absoluta finis, quæ scilicet nullum respicit medium illam non vitiari, etiamsi postea contingat electio prava. Patet, Quia illa intentio bona, quæ præcessit nec formaliter nec virtualiter dixit ordinem aliquem ad pravam electionem postea secutam, ergo per illa non vitiatur. Secundò certum est loquendo de intentione bona respiciente confusè tantùm plura media bona & mala, esse simpliciter pro tunc bonam. Patet, Quia illa ex se est bona, nec respicit determinatè ullam pravam electionem, quæ eam vitiaret, ergo. Quibus præmissis

IV. Finis & electio possunt habere duplicem bonitatem.

Dico Primò: *Quando finis & media habent distinctas bonitates, Electio duplicem participabit bonitatem.* Hæc est Scoti loco suprà citato, Suarii, Ariagæ, & communis contra Vasquez. Probatur conclusio Primò: Quando actus unius virtutis ordinatur ad finem alterius, v. g. temperantia, vel jejunium, ut succurratur proximo, vel impetretur castitas, vel quid simile, talis temperantia habebit duplicem bonitatem, ergo, Probatur antec: Imprimis certum est, quòd participet bonitatem finis, quia, ut mox dicam, honestas finis principaliter movet, & ab eo principalem bonitatem sortitur, sed præter hunc sortitur etiam aliam, quod sic probo, quia actus ille temperantiæ non fit deterior in suo genere, ex eo, quòd ordinetur ad finem alterius virtutis, atqui si non ordinaretur ad istum finem ex suo genere, foret actus bonus & honestus, utpote regulis prudentiæ & rectæ rationis conformis, ergo etiam licèt ordinetur ad aliam virtutem, nam ordinatio ad alias virtutes est compatibilis cum aliis virtutibus. Confirmatur: Quia ille actus in entitate est temperantia, licèt ex ordinatione sit castitas, vel charitas, ergo.

V. Electio mediorum principalem bonitatem habet [illegible]

Dico Secundò: *Electio mediorum suam principalem, & substantialem bonitatem primariò & per se recipit à fine.* Hæc non potest esse multum controversa. Probatur Primò: Omnis actus voluntatis specificatur primariò à suo formali motivo, sed formale motivum electionis, & imperii est bonitas finis, ergo: Maj: patet. Min: etiam: Quia ideò eligit quis tale vel tale medium, quia amat talem finem, quem vult consequi.

Probatur Secundò: Si electio participaret primariam bonitatem à bonitate medii, sequeretur, quando in eodem medio essent diversæ convenientiæ ad diversos fines ex diversis regulis, v. g. justitiæ, obedientiæ, quod eligens illud medium ad finem justitiæ tantùm, esset etiam obediens, quod est absurdum, ergo signum est actum electionis non participare substantialem bonitatem à bonitate medii, sed solius finis.

Arguitur Primò: Voluntas imperans habet eandem bonitatem, quam habet actus ipse imperatus, quia hic est illius objectum, ergo electio habet bonitatem primariò à medio, per quod imperat, & in quod fertur

fertur tanquam in objectum. Respond: distin: antec: Quando voluntas imperans fertur in imperatum ex formali motivo ipsius, id est, propter ipsum, conced: quando ex motivo formali alterius, id est, finis, ut fit in proposito, neg: Unde, quando una virtus imperat aliam, v. g. charitas temperantiam, charitas non recipit bonitatem à temperantia, sed potius ei communicat bonitatem, quia non transcendit rationem sui motivi formalis, & tantùm materialiter respicit actum temperantiæ, sic in proposito finis non recipit, sed communicat bonitatem medio.

Arguitur Secundò: Electio immediatiùs attingit medium quàm finem, ergò immediatiùs & primariò ab ipso recipit bonitatem. Respond: neg: antec: voluntas enim prius respicit formale motivum, quàm materiale, cujusmodi est medium, unde quando dicitur, quòd intentio sit descensus à fine ad medium, & electio ascensûs à medio ad finem, non est variatio motivi formalis, sed tantùm modi se habendi circa materiale, in quod magis determinatè fertur electio, quàm intentio, quia intentio respicit medium in genere, electio verò medium in particulari.

Arguitur Tertiò: Electio sumit primam malitiam à medio, ergo & primam bonitatem. Respond: admisso antec: neg: consequ: Disparitas est, quia bonum ex integra causa, malum ex quocunq; defectu, & sic, ut electio accipiat primam malitiam à medio, sufficit, quòd medium sit malum, etiamsi finis sit bonus, ut verò electio sit bona, requiritur, quòd tam finis quàm medium sit bonum, & sic electio participat primariam bonitatem à bono fine, secundariam verò à medio, maximè quando finis & medium distinctis actibus fiunt volita. Ex his patet, quid dicendum proportionaliter de electione mala in ordine ad finem malum, ut cùm quis furatur propter adulterium, is enim peccat duplici genere peccati, sed quoad actum interiorem furti magis principaliter participat de malitia adulterii tanquam motivi & finis, secundariò verò de malitia furti juxta illud Philosophi: *Qui furatur propter adulterium, est magis intemperans quàm fur*; quamvis actus externus furti saltem in foro externo magis participat de specie furti, quàm adulterii.

Dico Tertiò: *Actus ex objecto bonus, quantumvis ex fine malus, non perdit bonitatem suam specificam, seu ex genere.* Colligitur ex Scoto 3. d. 36. a. 1. & ex iis, quæ docet de connexione virtutum, tam quoad actum, quàm quoad habitum, & ex ratione, quam ibi adducit, nempe quando aliquid est perfectum secundùm plures partiales perfectiones, potest esse perfectum secundùm unam præsertim primariam, & secundùm alias obliquari. Conclusionem tenet Aegidius 2. d. 37. a. 2. Cajetan: Et alii, contra Durandum. Probatur Primò: Per actum ex objecto bonum, quamvis ordinetur ad finem malum, satisfit præcepto, ut cùm audis sacrum ob vanam gloriam, sed nihil cadit sub præcepto nisi actus virtutis, ergo talis actus ex objecto suo est virtuosus. VI.

Actus ex objecto bonus & ex fine malus retinet specificam bonitatem.

Probatur Secundò: Bonitas substantialis & intrinseca actûs manet quamdiu ipse actus uniformiter se habet ad sua principia, scilicet ad voluntatem & regulam, sed actus ex objecto bonus ita se habet, ergo. Probatur min: de actu dandi eleemosynam, circa quem recta ratio, prout dirigit virtutem misericordiæ, nihil aliud dictat, quàm quòd fiat liberè, & ex propriis cum animo subveniendi indigentiæ proximi, quod autem ulterius dirigatur, vel non dirigatur iste actus ad alium finem bonum, vel malum, non spectat ad virtutem misericordiæ, nec ad rectam rationem ut moderatricem illius, sed ad aliam virtutem, ergo ille actus ex objecto bonus habet omnia requisita ad propriam, & specificam bonitatem.

Dices: Si ratio valeret, probaret actum ex fine bonum, & ex objecto malum, gaudere bonitate finis, quod

(*) Kkkk 2

quod est falsum. Contra, Disparitas est, quia bonitas finis est posterior bonitate objecti, eámq; necessariò præsupponit, non econtra, & sic deficiente bonitate objecti, deficit consequenter bonitas finis, non econtra. Sed in contra

Arguitur Primò: Recta ratio temperantiam regulans dictat honestatem objecti temperantiæ per ordinem ad bonum finem, ergo cessante bono fine cessabit omnis bonitas in actu. Respond: neg: antec: Regula enim temperantiæ habet tantum referre actum temperantiæ ad objectum & proprium motivum, ac finem ipsiusmet temperantiæ, non verò ad alios fines aliarum virtutum.

Dices: Talis actus non est conformis rationi rectæ, utpote quæ dictat non solùm honestatem objecti in se, sed etiam finis cujuscunq;, ergo. Respond: distin: antec: Non est conformis rationi ut regulativæ solius virtutis temperantiæ, neg: ut est regulativa omnium bonitatum, quæ debent inesse actui, conc: & sic etiam concedo, talem actum non habere integritatem omnium bonitatum, quas secundùm rectam rationem habere debet, quamvis habeat bonitatem ex genere, utpote quam non accipit dependenter à fine, vel circumstantiis.

Dices: Secundùm Dionys: *Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu*, ergo defectus finis boni reddit actum simpliciter malum, etiam ex genere. Respond: loquitur Dionys: de bonitate totali, & integra ex objecto, fine, & circumstantiis, qualem concedo deesse tali actui, deficiente enim aliqua parte integrali, deficit totum integrale, non tamen deficiunt reliquæ partes, nam deficiente manu potest manere caput.

Arguitur Secundò: Sequeretur eundem actum simul esse bonum & malum. Respond: conc: sequel: sub illis diversis respectibus. Dices: Idem actus intellectûs non potest esse simul verus & falsus, ergo nec voluntatis bonus & malus. Respond: neg: paritatem, quia veritas & falsitas in intellectu desumitur ex ordine ad objectum, qui necessariò debet conformari vel difformari, bonitas autem & malitia in voluntate à diversis principiis sumitur, & non solùm ab objecto, sed etiam à fine & circumstantiis, quæ omnia non est necesse semper esse connexa, & sic potest actus secundùm ordinem ad unum esse bonus, & in ordine ad aliud malus.

Dico Quartò: *Intentio bona, conjuncta actualiter sive in re, sive tantùm in conditione, modo suprà dicto in notabili tertio, pravæ electioni, & sive medium sit unicum, sive plura, vitiatur ex illa prava electione.* Est communis cum Magistro 2. d. 40. D. Bonaventura, ibidem a. 1. & aliis. Probatur: Quia, ut malitia refundatur in actum, sufficit, si virtualiter & indirectè ametur malum, sed qui intendit efficaciter finem aliàs bonum, assequendum tamen per pravum medium aliquo modo ex dictis, virtualiter, & indirectè saltem vult malitiam medii, ergo ejusmodi intentio vitiatur ex prava electione.

VII. Intentio bona, conjuncta cum prava electione, est mala.

Opponitur Primò Authoritas Scripturæ Matth. 7. *Arbor bona non potest fructus malos facere.* Et Lucæ 6. *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus lucidum erit.* Per arborem autem bonam & oculum simplicem intelligunt expositores, cum Augustino, bonam intentionem, ergo bona intentio non potest esse causa mali operis, seu malæ electionis, adeóq; nec vitiari per eam. Respond: Primum locum dupliciter exponi, Primò juxta Augustin: lib: 1. de gratia Christi contra Pelagian: cap. 18. per arborem malam intelligitur homo malus, cum mala radice cupiditatis, per bonam verò hominem bonum, cum bona radice charitatis, per fructus autem intelliguntur dicta, facta, & cogitata, & juxta hæc certum est, quòd homo radicatus in charitate, quamdiu sic manet, non potest malos fructus, inferentes saltem mortem animæ, in se facere, & per oppositum

Digitized by Google

positum dic de malo. Secundò, & magis ad litteram, exponitur ille locus à Titelmanno taliter: Ut per malam arborem intelligantur mali Prophetæ, & Doctores, seu Pastores, per bonam vero boni, ut sensus sit, eum non esse bonum Doctorem, aut Pastorem, ex cujus doctrina & exemplo fructus mali in aliis producuntur, econtra verò eum, ex cujus doctrina & exemplo procedunt in aliis fructus bonorum operum, esse bonum Doctorem ac Pastorem. Ad Secundum locum Respond: Per lucernam corporis, seu simplicem oculum, rectè intellexisse S. Augustinum bonam & sinceram intentionem DEO in omnibus placendi, cujusmodi non est ea, quæ aliquomodo conjuncta est pravæ electioni.

Arguitur Secundò: Illud commune scilicet: *Bona intentio excusat à malo opere.* Respond: Id esse intelligendum, vel quia sæpe contingit pravam electionem procedere ex ignorantia invincibili, vel certè, Quia bona intentio non parum minuit de malitia pravæ electionis, juxta illud Augustin: lib: contra Mendacium cap. 8. *Pejor est*, inquit, *qui concupiscendo, quam qui miserando furatur*, ex quo non sequitur, quòd totaliter excuset à malo opere, nam secundùm eundem Homil: 7. *Furari propter eleemosynam est ex suggestu diaboli.*

Arguitur Tertiò: Actus ex objecto bonus, non vitiatur à fine malo ex conclusione præcedenti, ergo nec intentio bona ab electione prava. Respond: Disparitatem esse, quia bonitas objectiva est prior bonitate finis, nec eam ullo modo includit, & proinde ab ea non recipit bonitatem vel malitiam; intentio verò finis includit saltem virtualiter electionem, & ab eâ in executione dependet, & proinde ab ea participat bonitatem vel malitiam.

Arguitur Quartò: Conclusio falsa non falsificat antecedens, ergo nec electio prava intentionem bonam. Respond: negando paritatem, Quia intellectus non dependet quoad veritatem, vel falsitatem à dispositione intellectûs, sed ab objecto, vel medio in se necessario, actus autem quoad attingentiam objecti pendet ex libera applicatione voluntatis, non autem ex naturis rerum, & sic potest intentio bona applicata per media prava reddi mala.

QUÆSTIO QUINTA.

An & quomodo actus sumat bonitatem, & malitiam ex circumstantiis?

NAvarrus in suo Manuali cap. 7. ex mente juris describit circumstantiam, quòd sit *Accidens actioni humanæ adveniens, ejus qualitatem, & quantitatem in genere moris intra eandem speciem augendo, vel minuendo, vel omninò speciem mutando.* Pro cujus descriptionis intelligentia. I. Circumstantia quid sit.

Notandum Primò: Ad substantiam actûs humani requiri ordinem ad causam efficientem, scilicet voluntatem liberè elicientem; ad causam finalem, prout finis & objectum coincidunt; & ad causam materialem, quæ est materia, circa quam versatur actus, loquendo de actu externo; & deniq; ad causam formalem, quæ coincidit cum fine, seu motivo formali. Et in his quatuor causis possunt considerari aliquæ conditiones, quæ licèt videantur accidere rebus, ut physicæ sunt, sunt tamen de essentia Actuum humanorum in genere moris, ejusmodi sunt libertas ex parte causæ, honestas vel turpitudo ex parte finis, vel objecti, & ex parte materiæ, quòd sit propria, vel aliena, similiter ex parte actûs interioris, quòd sit amor vel odium. Quæritur ergo de aliis accidentibus & conditionibus, quæ his accidunt. pro quo II. Actus humanus dicit ordinem ad quatuor causas.

Notandum Secundò: Hujusmodi circumstantias esse in triplici genere, aliæ sunt *Impertinentes*, ut si quis diceret, ante vel post prandium occidi gladio, vel bombardâ. Aliæ sunt circumstantiæ *minuentes* boni- III. Circumstantiæ sunt triplices ut aggravantes &c.

 tatem,

tatem, vel malitiam actûs, & hoc dupliciter; Primò, ut de actu aliàs mortaliter malo faciant veniale, vel omnino tollant ejusmodi malitiam, v. g. cùm quis ex ignorantia invincibili, aut ex moderamine inculpatæ tutelæ alium occidit, aut extrema necessitate ductus furatur. Secundo modo minuunt bonitatem vel malitiam, ut tamen actum in sua specie relinquant, ut si quis ex ignorantia vincibili omittit præceptum, talis ignorantia, licèt non excuset à mortali ex toto, excusat tamen & minuit ex aliqua parte. Aliæ deniq; sunt circumstantiæ *aggravantes*, & hoc dupliciter: Primò taliter, ut non mutent speciem actûs, v. g. qui furatur 20. Aureos, plus cœteris paribus peccat, quàm qui 10. Item qui à paupere, plus quàm à divite. Secundo modo aggravant, addendo novam speciem peccati præcedenti malitiæ, & hæ dicuntur *speciem mutantes*, non quòd tollant primam malitiam, & eam transferant in aliam, sed quia primæ malitiæ addunt novam speciem malitiæ, v. g. furari in Ecclesia.

IV. Circumstantiæ mutantes speciem quomodo cognoscantur.

Circumstantiæ sic *mutantes speciem* secundùm Scotum, quem sequitur Navarrus, tunc potissimum dignoscuntur, quando ipsa circumstantia est præcepta, vel prohibita distincto specie præcepto, ab eo, quo substantia actûs est præcepta, vel prohibita, v. g. non solùm de lege positiva, & naturali est prohibitum furari, sed etiam alio distincto præcepto prohibitum est furari in Ecclesia, & sic de aliis.

V. Circumstantiæ aggravantes.

Circumstantiæ autem *Aggravantes*, & non mutantes speciem, sunt contra idem præceptum, vel regulam, contra quam est ipsa substantia actûs, & solùm addit majorem intensionem, vel extensionem. Alia etiam est differentia inter speciem mutantes, & non mutantes, quòd hæ necessariò præsupponant malitiam vel bonitatem moralem in actu, quam augent, illæ verò non sic semper, quia etiamsi substantia actûs esset ex se indifferens, vel aliàs bona, redditur tamen mala per ejusmodi circumstantias, v. g. ludere, jocari, conjugem dissolutè cognoscere suam, si fiant in Ecclesia sunt peccata, quamvis aliàs non sint. Circumstantiæ utroq; modo aggravantes continentur his versibus:

Aggravat ordo, locus, persona, scientia, tempus,
Ætas, conditio, numerus, mora, copia, sexus,
Est modus in culpa, status altus, lucta pusilla.

Generaliter verò omnes circumstantiæ tam aggravantes, quàm minuentes reductæ sunt à Theologis ad numerum septennarium hoc versu comprehensum:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Per *Quis* intelligunt non substantiam, sed qualitatem personæ, an scilicet sit laicus, an ecclesiasticus? An solutus, an conjugatus? Vel ignoti statûs. *Quid.* An sit magnum vel parvum in quantitate, vel qualitate? *Ubi.* An in loco sacro, vel profano? *Quibus auxiliis*, idem est, quibus instrumentis, an scilicet lege prohibitis, nec ne? Et quibus auxiliariis, & an eosdem ad peccandum induxerit, non specificando personas. *Cur*, id est, ob quem finem, v. g. an furatus sit ad occidendum, vel inebriandum, vel simile. *Quomodo*, id est, quo affectu, an ex passione, an deliberata voluntate, diu vel parum persistente in actu, intensè vel remissè? *Quando*, An tempore prohibito, nec ne?

VI. Circumstantiæ sunt numero septem.

Dico Primò: *Septenarius ille numerus circumstantiarum est sufficienter traditus.* Est communis. Probatur: Tot sunt & non plures circumstantiæ, quot modis actus humanus per accidens afficitur, sed hoc fit septem illis modis tantùm, ut discurrenti per singula patebit, ergo.

Arguitur Primò: Inter istas non numeratur quoties, cùm tamen sit circumstantia in confessione aperienda. Respond: Non esse circumstantiam, sed potius replicationem ipsius actûs quoad substantiam.

Argui-

Arguitur Secundò : Aristoteles annumerat aliam circumstantiam, scilicet *circa quid*, ergo. Respond: Illam reduci ad circumstantiam *quid*, ut sit idem ac circa quam materiam, quoad quantitatem, vel qualitatem, an scilicet magnam vel parvam, intensè vel remissè.

VII. Circumstantiæ addunt aliquam bonitatem vel malitiam actui.

Dico Secundò : *Tam actus externus quàm internus accipit aliquam bonitatem, vel malitiam à circumstantiis suprà enumeratis*. Est Scoti, D. Thomæ 1. 2. q. 18. a. 3. Et communis, contra Conradum, & alios existimantes actum internum, saltem in individuo, nullas posse habere circumstantias aggravantes, aut minuentes ejus bonitatem vel malitiam. Antequam conclusionem probem; suppono cum communi, quòd, ut circumstantia det bonitatem vel malitiam actui, debet esse aliquomodò cognita, ut mala, vel bona, & etiam voluntaria directè vel indirectè. Secundò suppono ut certum, quòd, ut actus voluntatis quoad substantiam sit simpliciter bonus, non est necesse, ut habeat aliquam circumstantiam accidentalem bonam; sed sufficit, quòd non habeat ullam malam, quia ut rectè Scotus 2. d. 40. ait, *Aliud est actum non habere circumstantias malas, aliud habere circumstantias accidentaliter bonas; secundum simpliciter non requiritur, primum autem sic, quia bonum ex integra causa*. His positis

Probatur conclusio Primò : Res in esse naturali accipit bonitatem & perfectionem aliquam ab accidentibus, ergo etiam in esse morali. Secundò aliquæ circumstantiæ specialiter præcipiuntur, ut amare DEUM ex toto corde; ubi denotatur circumstantia *intensionis*, quæ etiam *formalis* appellatur, utpotè quæ se tenet ex parte actûs, sicut aliæ tenentes se ex parte objecti, dicuntur *objectivæ*, ut non occidere in loco sacro, non percutere Clericum, ergò addunt actui aliquam bonitatem vel malitiam. Probatur Tertiò : Non solùm bonus opus externum, vel internum est dignum prœmio, sed etiam magnitudo vel intensio ejusdem auget prœmium, sicut per oppositum in malo opere, juxta illud : *Juxta mensuram delicti erit & plagarum modus*. ergò.

Quartò Probatur idem specialiter de actu interno : Tum, Quia in illo est prima ratio libertatis & voluntarii : Tum, Quia actus externus non participat ullam bonitatem substantialem, aut accidentalem in genere moris, nisi dependenter ab actu interno, à quo imperatur, ergo quæcunq; bonitas vel malitia substantialis, accidentalis est in actu externo imperato, erit à fortiori in actu interno imperante. Deniq; certum est, quòd velle auferre magnam summam pecuniæ sit gravius, quàm leviter percutere, ergo etiam actus internus accipit bonitatem, aut malitiam à circumstantiis.

Arguitur in contra Primò : Circumstantia non mutans speciem est pars substantiæ actûs, vel quoad ejus durationem, aut intensionem quoad materiam circa quam, ut in furto magno vel parvo, ergo non dat bonitatem accidentalem, sed potius substantialem actui. Respond: neg: antec: nisi impropriè sumatur ly *pars*, pro omni eo, quod aliquomodo pertinet ad aliud, circumstantia enim non est propriè pars, sed accidens respectu actûs.

Instatur : Quod dat bonitatem actui, debet esse volitum, sed intensio, continuatio, non sunt semper volita, ergò. Respond: Directè vel indirectè, virtualiter vel interpretativè, conced: antec: directè semper, nego.

Arguitur Secundò : Illa non sunt circumstantiæ, quæ constituunt novam speciem boni vel mali, sed enumeratæ superius circumstantiæ sæpè constituunt novam speciem boni vel mali, ergo non sunt dicendæ circumstantiæ. Maj: patet : Quia circumstantiæ sunt accidentia actuum moralium, accidentia autem non sunt constitutiva specierum, utpote quæ est substantia : Min: Probatur : Sacrilegium distinguitur specie à furto,

furto, sed non distinguitur nisi per hoc, quòd fiat in loco sacro, vel à persona sacra, ergo illæ non sunt circumstantiæ. Respond: distin: maj: illa non sunt circumstantiæ, & respectu speciei de novo constitutæ, conc: maj: speciei quæ antè præexstitit, & cui talis circumstantia advenit, neg: maj: similiter distin: min: & neg: consequ: per quod patet ad probationem. Nihil igitur repugnat, quò minus aliquid respectu unius sit constitutivum speciei, respectu verò alterius sit circumstantia, sic occisio clerici sit sacrilegium, quod additur super omnem speciem homicidii, quòd autem tunc sacrilegium sit circumstantia homicidii, patet, quia posset esse homicidium, absq; eo, quòd sit sacrilegium.

Dico Tertiò: *Externæ circumstantiæ bonitatis & malitiæ debent esse volitæ, bonitas quidem directè, seu interpretativè.* Hæc sequitur ex dictis suprà, ubi etiam supposui circumstantias debere esse præcognitas, alias non commiteret sacrilegium, qui furaretur in loco sacro, esto ignoraret esse locum sacrum, & quòd pejus sit ibi furari, quàm alibi, ob quam causam S. Augustinus lib: 2. contra Faustum cap. 44. cum aliis Patribus excusat Loth à peccato incestûs secuto ad ejus ebrietatem, eò quòd non præviderit talem malitiam subsecuturam.

Probatur Prima Pars conclusionis: Quia ex dictis de bonitate objecti, quæ debet esse directè volita, ut influat in actum, ergo etiam bonitas circumstantiæ. Probatur Secundò: Quia sufficit, & saltem requiritur, quòd objecti malitia sit interpretativè volita, ergo idem dicendum est de malitia circumstantiarum.

Dixi autem in conclusione *Circumstantiæ extrinsecæ*, quia quæ se tenent ex parte actûs, non debent distinctæ cognosci, quia hæ sunt satis volitæ, & operanti voluntariæ ipso actu, qui se ipso totus est volitus, seu potius voluntarius, quinimò, ut adaugeat bonitatem, nec directè nec reflexè debet intendi per modum objecti, ut sunt intensio, duratio, major libertas actûs. Pro sequenti conclusione

Notandum: Circumstantias damnificantes etiam prævisas dupliciter posse respicere actum *per se* scilicet, & *per accidens*. Illa dicitur *per se* sequi ad actum moraliter, quæ vel ex intentione operantis, vel ex conditione operis apprehenditur, timetur, vel rationabiliter dubitatur eventura, vi talis operis, hinc si aliquis assuetus rixis tempore ebrietatis, dum se inebriare decernit, prævidet, vel timet hujusmodi mala eventura, reus erit omnium, si se inebriaverit, quia per se moraliter sequuntur ad ejus ebrietatem. *Per accidens* verò circumstantia damnificans sequi dicitur ad actum, quæ licèt prævideatur secutura, non tamen ex conditione operis, nec ex intentione operantis, sed solùm ex mala dispositione alterius voluntatis, ut si quis ob notabilem utilitatem, vel necessitatem peteret Sacramentorum administrationem à suo Parocho, quem novit in peccato mortali constitutum, licèt enim tunc administrando Sacramenta prævideat peccatum Parochi, hoc tantùm per accidens est actui petentis, cùm illud non intendat, nec naturalem connexionem habeat cum tali petitione, aut administratione secundùm se.

> 12.
> Circumstantiæ damnificantes dupliciter accidere possunt.

Dico Quartò: *Omnis circumstantia damnificans, seu nocumentum, quod per se sequitur ad actum, modo prævideatur, aut timeatur rationabiliter sequi, communicat ei suam malitiam, si verò per accidens sequatur minimè.* Colligitur ex Doctore 4. d. 5. q. 2. & est communis Recentiorum post D. Thomam 1. 2. q. 20. a. 6. Prima pars patet, Quia talis circumstantia est volita & prohibita, ergo communicabit suam malitiam actui. Probatur Secunda pars: Quia talis circumstantia nec directè nec indirectè est volita, ergo nullo modo voluntaria operanti: Probatur antec: Non directè, quia ut suppono non est intenta.

> 1.
> Nocumentum quod prævidetur secuturum, communicat malitiam actui.

tenta. Nec est volita indirectè, quia nec ex vi operis, nec ex intentione operantis, sed ex mera malitia aliena provenit. Deinde ex opposita sententia sequeretur, Christum male fecisse prædicando Judæis Evangelium, cùm prævidetit eos non credituros, in quo de novo peccārunt, ut ipsemet fatetur. Deinde non liceret condere leges, nec bella justa gerere, quia ex his prævidetur futuros transgressores justitiæ. Ex qua conclusione tanquam ex Regula generali, multa corollaria inferri possunt, & plures casus resolvi.

Hic solet agi à quibusdam de circumstantiis in particulari, sed existimo commodiùs eas referri ad tractatum de Peccatis, ubi agitur de gravitate, & levitate peccatorum, quæ ex circumstantiis tam aggravantibus, quàm mutantibus speciem desumitur, ideò illuc me remitto, sicut & me remisi eò, cùm agerem in quarto sententiarum de Confessione & circumstantiis in ea exprimendis, videat ergo benevolus Lector in tractatu de peccatis. Disp: 4. q. 9. nunc sit

DISPUTATIO SEXTA.

De Bonitate & Malitia Actuum humanorum externorum.

Visa bonitate actuum interiorum liberi arbitrii & humanæ voluntatis, ordine consequenti videndum est, an actus exteriores aliarum potentiarum etiam bonitatem aliquam habeant, sicut & libertatem, non quidem intrinsecam, sed participatam, nam ad tales actus hortatur ipse Christus sæpius, ut Lucæ 11. *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Hortantur Apostoli, hortantur Ecclesiæ Catholicæ Doctores, Augustinum ex illis refero lib: de decem chordis cap. 11. dicentem: *Exercete vos in eleemosynis, in jejuniis, & orationibus, his enim purgantur quotidiana peccata, quæ non possunt nisi surrepere in animam propter fragilitatem humanam. Noli illa contemnere, quia minora sunt, sed time, quia plura sunt.* Et paulò pòst: *Sed dicturi estis, & quis potest sine istis? Ne hoc diceres, quæ habere nemo non potest. DEUS misericors videns nostram fragilitatem, posuit contraria remedia. Quæ remedia? Eleemosynarum, jejuniorum, orationem: Ipsa sunt tria.* Qui actus nisi boni essent, Deoq; grati, nunquam

 ad

Digitized by Google

ad eos eliciendos adhortarentur homines. Itaq; opus est examinare, qualem habeant bonitatem, nam actus internus ipsemet respicit hos actus, primò tanquam objectum, circa quod versatur, & etiam tanquam effectum, quatenus illum, & illos efficaciter imperat, quiq; boni & mali fiunt in ratione effectûs, in quantum bono vel malo fine imperantur, & sic si non aliunde, saltem ex imperio isto voluntatis participant bonitatem. Sit igitur

QUÆSTIO PRIMA.

An actus externus addat aliquid bonitatis & malitiæ actui interno?

I. Bonitas alia entitativa, alia moralis.

Quæstio non procedit de bonitate naturali actûs interioris, & exterioris, certum enim est actum interiorem aliam habere bonitatem naturalem, & aliam actum exteriorem, sunt enim eliciti à potentiis distinctis specie, interior à potentia intellectuali, exterior à sensitiva, ille est spiritualis, hic materialis. Nec etiam est quæstio de illis duobus actibus ab invicem separatis, sed de actu interiori & exteriori, quando simul conjunguntur, & exterior ex imperio voluntatis proficiscitur, & tunc quæritur, an voluntas de se efficax non habens tamen facultatem, vel copiam exercendi opus externum, sit æq; bona, vel mala, cum voluntate efficaci conjuncta cum opere, ita videlicet, si Petrus habeat actum intensum ut sex sublevandi pauperem, non potest tamen id præstare, vel propter inopiam propriam, vel propter aliam causam: Paulus autem habens æq; intensum actum, & actu sublevat pauperem, an æq; meruerint? Vel an Pauli actus externus addat aliquid bonitatis ad internum actum? Et per oppositum de actu malo, Petrus habet efficacem intentionem occidendi hominem, à quo tamen homicidio ab extrinseco impeditur, & Paulus æq; intensam occidendi habet voluntatem, simùlq; occidit hominem, an Petrus tantum demereatur, quàm Paulus?

Circa hanc quæstionem est duplex sententia: Prima est D. Thomæ 1. 2. q. 20. art: 4. Cajetani, Medinæ, Valentia, Vasquez, Ariaga & Thomistarum docentium, actum externum nullam malitiam, aut bonitatem addere actui interno. Opposita sententia est Scoti 2. d. 42. q. 4. n. 1. Quem Scotistæ, Alensis 4. part: q. 77. n. 3. 4. 5. Bassol, Lychetus, & reliqui sequuntur, Herera hìc dist: 33. q. 2. Angles, cum qua tenendo

Dico Primò: *Actus externus ut plurimùm intendit actum interiorem, vel causaliter, vel occasionaliter.* II. Actus externus facit internum intensiorem.

Hæc est extra controversiam & Probatur Primò: Ex D. Augustino lib: de cura pro mortuis gerenda, cap. 5. Ubi dicit: *Orantes de membris sui corporis faciunt, quod supplicationibus congruit, cùm genua figunt, cùm extendunt manus, vel etiam prosternuntur solo, & si quid aliud visibiliter faciunt, quamvis eorum invisibilis voluntas, & cordis intentio DEO nota sit: Nec ille indigeat his indiciis, ut humanus ei pandatur animus: Sed his magis se ipsum excitat homo ad orandum, gemendùmq; humiliùs, atq; ferventiùs. Et nescio quomodo, cùm hi motus corporis fieri, nisi motu animi præcedente, non possint, eisdem rursus exterius visibiliter factis ille interior invisibilis, qui eos fecit, augetur: Ac per hoc cordis affectus, qui, ut fierent ista, præcessit: Quia facta sunt, crescit.*

Proba-

Probatur Secundò Ratione: Primò, Quia homo sæpe interiùs aliquid proponit, & ob impedimentum, vel aliam similem occasionem non facit, quod tamen postea innovato proposito facit, licèt tunc non tam augeatur bonitas vel malitia actûs prioris, qui desinit, cùm accedat nova in novo proposito, seu actu interno, actus intensior factus est. Secundò: Quia ob diuturniorem moram extensivè crescit bonitas, adeòq; meritum, vel quia actus externus diutius durat, adeóq; diuturniorem actûs interni durationem exigit, vel quia ut experientia constat, faciliùs continuatur voluntas, quæ exteriùs occupatur. Deniq; ratione majoris intensionis, ob delectationem enim, aut difficultatem, quæ in exercitio actûs externi reperitur, voluntas frequenter magis accenditur, & intensiùs in objectum fertur.

Dixi autem *quandóq;*: Quia id non semper evenit, seu frequenter contrarium, nam etiam experientia docet per actum externum voluntatis internæ intensionem & fervorem remitti, nam ut dicit Gregorius hom: 36. in Evang: *Corporales deliciæ, cùm non habentur, grave in se desiderium accendunt, cùm verò avidè eduntur, comedentem protinus in fastidium per satietatem vertunt. Idem est de aliis voluptatibus.*

III. Actus externus addit distinctam bonitatem.

Dico Secundò: *Actus externus addit bonitatem distinctam actui interno, sicut & malus malitiam distinctam à malitia interna.* Ita Authores secundæ sententiæ. Probatur Primò: Authoritate S. Scripturæ Matth: 15. dicitur: *A corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, & blasphemiæ, hæc sunt, quæ coinquinant hominem.* Ubi Christus expresè dicit, actus externos coinquinare hominem, nihil autem coinquinat hominem nisi peccatum, ergo actus externi, si sunt contra præceptum divinum, erunt peccata, sicut & actus interni, & si sunt honesti & boni, erunt boni etiam & meritorii.

Probatur Secundò: Ex eadem Scriptura Exodi 20. Ubi distinctis præceptis prohibentur opera externa, & actus interni, ergo etiam in illis sunt distinctæ malitiæ: Probatur antec: Nam primò dicitur: *Non occides: Non mœchaberis: Non furtum facies*, qui sunt utiq; externi. Deinde subjungit: *Non concupisces domum proximi tui: Nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia, quæ illius sunt*, concupiscere autem, & desiderare sunt actus interni, ergò. Probatur consequ: Quia si esset eadem malitia, frustra multiplicarentur præcepta, imò deberent esse ejusdem rationis, quia idem omninò prohiberent. Confirmatur ex Glossa in illud *non mœchaberis* dicente: *Qui opus addit voluntati, iniquitatem addit iniquitati*, quô dictô clarius nihil esse potest. Confirmatur Secundò: Malitia consistit in privatione rectitudinis, quæ deberet inesse secundùm legem, vel præceptum, sed rectitudines multiplicantur ad multiplicationem præceptorum, ergo, cùm diversis præceptis hi actus in eodem contextu prohibeantur, signum est, quòd diversas malitias involvant.

Probatur Tertiò: Ex D. Augustino lib: 13. de Trinit: cap. 5. dicente: *Mala voluntate vel sola, quilibet miser efficitur, sed miserior potestate, qua desiderium malæ voluntatis impletur*, ubi non loquitur Augustinus de miseria pœnæ, quia hæc tanto minor est, quanto magis impletur desiderium, ergo loquitur de miseria culpæ, & per consequens actus interior desiderii adimpletus actu exteriori, supponit distinctam malitiam in exteriori.

Dices cum Vasquez: Ideo Augustinum dixisse: Eum esse magis miserum miseriâ peccati, qui propositum suum opere exequitur, quàm qui sola mente id retinet, quia ferè semper accidit, ut actus internus conjunctus operi externo intensior fiat & diuturnior. Sed Contra ipsa quoq; docet experientia voluntatem

remitti, imò cessare ab actu interno, dum opus completur, & semper ferventiùs ac intensiùs continuari, dum prohibetur ab opere. Unde D. Gregorius de S. Magdalena dicit: Quòd *desideria ejus dilata creverint*, ergo illa major miseria secundùm Augustinum non oritur ex augmento intensivo, vel diuturnitate actûs interioris. Deinde S. Augustinus ibi loquitur de miseria opposita beatitudini, cujusmodi est miseria culpæ, eámq; dicit reperiri non solùm in actibus internis, seu desideriis pravis, sed etiam in externis, quibus adimplentur desideria prava, verba ejus sunt: *Qui nequiter vivit ac turpiter, & nullo prohibente, nullo ulciscente, & nullo saltem reprehendere audente, insuper & laudantibus plurimis, quoniam, sicut ait Scriptura, laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & qui iniqua gerit benedicitur, implet omnes suas facinorosas ac flagitiosissimas voluntates, profectò & quamvis sic esset miser, minus tamen esset miser, si nihil eorum, quæ perperam voluisset, habere potuisset.* Hæc ipse, ex quibus manifestè patet, Augustinum velle, illum non esse tam miserum miseriâ culpæ, qui solo actu interiori peccat, ac qui exteriorem etiam addit.

Probatur Quartò: Ex eodem S. Augustino, qui in Enchirid: cap. 32. & alibi sæpè docet, novam semper gratiam esse necessariam ad exequendum opere bonæ voluntatis propositum, quæ vocatur communiter gratia subsequens, quia sequitur actum internum, & præcedit externum, sed si nulla esset bonitas distincta in opere externo à bonitate boni propositi, nulla esset necessaria nova gratia, quæ tamen requiritur. Et quòd hoc non requiratur ex eo præcisè, quòd actu externo esset affectus interior, ut contendit Vasquez, Patet ex multis aliis Augustini locis, quæ adduxi in materia de auxiliis gratiæ divinæ, ubi prò singulari gratia habet, quòd homo præservetur ab externo actu adulterii, vel similis vitii contra suam efficacem voluntatem, dicens: *Defuit locus, defuit tempus*, volenti scilicet committere adulterium, *Et ut hæc desint, Ego feci, dicit Dominus.*

Probatur conclusio Quintò: Ex praxi Ecclesiæ, qua tenemur tanquam ex præcepto divino confiteri actum externum, ut apertè decernitur in Concilio Cabilonensi II. can: 31. his verbis: *Quidam, dum confitentur peccata sua, non plenè id faciunt, nam interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccatur, solerti indagatione debent inquiri peccata, quæ per corpus, & ea, quibus in sola cogitatione delinquitur*, ergo malitia operis externi est planè distincta ab internæ cogitationis malitia, aliàs enim sufficeret cogitationem internam confiteri, maximè in opinione eorum, qui tenent solas circumstantias speciem mutantes esse confitendas: Probatur hæc sequela ex Tridentino nihil aliud requirente ad integritatem confessionis, quàm expressionem numeri, specierum, & circumstantiarum speciem mutantium, ergo si peccata interiora & exteriora sunt unum peccatum, unámq; tantùm habent malitiam, sufficiet solam cogitationem & peccatum internum confiteri.

Dices: Ideò confitendum esse actum externum, ut melius confessario possit constare de actu interno: Tum, Quia rustici & ignorantes non sciunt explicare actus internos nisi per externorum confessionem: Tum deniq;, ut confessarius faciliùs cognoscat, an adsit obligatio restituendi, scandalum, aut quid simile. Respondet Vasquez, hoc esse frivolum effugium, & meritò rejiciendum: Primò, Quia intensionem actûs non tenemur confiteri secundùm communem opinionem, quia revera paucis, vel nullis est cognita. Secundò, Quamvis rustici & ignorantes ex illo capite tenerentur exprimere actus externos, saltem docti erunt excusati ab hac lege. Deniq; obligatio restituendi non oritur nisi ex materia justitiæ, ergo in aliis materiis non erit necesse confiteri actum externum, imò nec in hac ipsa, si pœnitens ex se sit

fit paratus restitutionem facere, hæc autem sunt absurda & cõtra praxim, ergò. Quare ad argumentum suprà

Dices Secundò cum Vasquez: Ideò actum externum esse confitendum: Tum quia est unum peccatum cum interno: Tum etiam, & maximè quia malitia actûs interni derivatur veluti à radice ab exteriori actu, qui primariò malus est & prohibitus. Sed Respond: Hanc solutionem Vasquez non minus esse frivolam, quàm superiorem: Nam imprimis si actus externus nullam involvit malitiam, quomodo poterit esse unum peccatum cum alio. Deinde casu quo constitueret unum peccatum cum actu interiori, non sequitur esse necessariò confitendum, aliàs omnes actus ordinati ad unum peccatum, homicidii v. g., essent semper confitendi, ut quòd accinxerit se quis gladio, progressus sit tot milliaria &c. hi enim actus unum peccatum moraliter cum homicidio constituunt, & tamen non sunt necessariò confitendi secundùm omnes. Alterum quod dicit Vasquez, est magis absurdum, nimirum quòd externus actus sit primò, & per se malus, & ab eo derivetur malitia in actum interiorem, hoc enim est contra communem sententiam, & ex hoc sequeretur, quòd etiamsi actus internus non adsit, externus tamen ipse sit malus, quod probatur: Quia prius naturà secundùm ipsum convenit malitia actui exteriori quàm interiori, ergo quantumvis non sequatur interior, exterior habebit suam malitiam, quia ex destructione posterioris non sequitur destructio prioris, licèt bene econtra. Deinde cessante actu externo cessaret consequenter malitia actûs interni, quæ ab externo derivatur, hæc autem omnia apparent valde absurda. Deniq; secundùm ipsum malitia desumpta ex fine est primariò in actu interno, malitia verò objecti in actu externo, sed malitia finis est maximè principalis, ergo.

Probatur conclusio Sextò: Propter actus externos v. g. martyrii, virginitatis, & doctoratûs danturà DEO particulares aureolæ, ut tradunt Doctores communiter in tractatu de Beatitudine, sed DEUS non prœmiat nisi actus bonos, ergo opera externa sunt bona.

Dices: Aureolam non esse propriè prœmium, sed dari maximè ob bonitatem aliquam naturalem, quam externus actus addit interno, unde externus est conditio sine qua non daretur. Sed Contrà: Eodem modo dicere possemus de quovis alio opere bono. Præterea S. Bernardus epist: 77. ait: *Licèt ad salutem obtinendam prosit tantum fides sine martyrio, cum illa tamen martyrium ad meriti cumulum antecessit*, ergo actus martyrii est bonus & meritorius.

Dices: S. Bernardum ibidem quoq; habere: *Quòd voluntas reputetur prò facto, ubi factum excludit necessitas.* Respond: verum esse dictum S. Bernardi quoad speciem bonitatis, vel malitiæ, non quantum ad extensionem individualem unius, & alterius.

Probatur conclusio Septimò: Pluribus rationibus congregatis: Tum, Quia ad bonitatem vel malitiam in actu nihil requiritur, quàm quòd sit in nostra potestate, & quòd sit conformis vel difformis legi vel rationi, sed hæc conveniunt actibus externis: Tum, Quia voluntas veluti domina & regina potentiarum tenetur omnem actum, quem habet sub sua potestate & directione elicere, & imperare fieri juxta regulas superioris & legis, sed omnes potentiæ externæ sunt ei subjectæ, ergo, & consequenter si conformes fuerint, erunt actus boni, si difformes, mali. Tertiò: Oratio vocalis, peregrinatio, jejunium, & aliæ externæ mortificationes magis remittunt de pœnà peccatis debita, quàm solum desiderium exhibendi talia, unde etiam Sancti gaudebunt de similibus actibus, sicut de S. Petro de Alcantara legitur, illum apparuisse S. Theresiæ in magno splendore, eiq; indicâsse: *Felicem esse pœnitentiam, quæ tantam sibi promeruerat gloriam*, atqui S. Petrus

trus stupenda pœnitentiæ externæ exempla mundo præbuit, ergo. Quartò: Actus fidei supernaturales secundùm omnes habet propriam bonitatem, quia secundùm Trident: sess: 6. cap. 5. est fundamentum & prima radix nostræ justificationis, sed actus fidei est externus, id est, alterius potentiæ à voluntate, neq; habet libertatem à se, sed solummodò participatam, & à voluntate per motum pium imperatur, ergo. Et nè fortè de actu interno intellectûs & externo facias differentiam, audi Apostolum dicentem: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, ergo etiam ipsa externa confessio ad salutem prodest, nihil autem prodest, nisi sit bonum, ergò. Quintò: Si actus externus solùm dicitur bonus vel malus per denominationem extrinsecam ab actu interno, sequitur, quòd actus externi non sint magis boni, quàm actus indifferentes, nam etiam hi à voluntate participant sæpe bonitatem vel malitiam, ergò. Sed contra conclusionem directè

Opponitur authoritas Scripturæ 2. Corinth: 8. *Si enim voluntas prompta est, secundùm id, quod habet, accepta est, non secundùm id, quod non habet.* Et Marci 12. vidua mittens duo minuta in Gazophylacium præfertur divitibus, qui multum miserunt, ubi Glossa dicit: *Æq; meretur dives dans multum, & pauper dans parum*, ergo ex solo affectu interiori pensanda est bonitas, vel malitia operis. Respond: neg: consequ: Nam in primo loco hortatur Apostolus Corinthios ad dandam eleemosynam secundùm cujuslibet substantiam, unde Chrysost: per ly *Accepta* exponit: *Exigitur*, ut sit sensus, DEUM à quolibet exigere secundùm suum posse, & in hoc sensu vidua Evangelica laudatur, quia contulit juxta suam paupertatem. Quare Glossa supra adducta, vel limitanda est, vel sic intelligenda, quòd circumstantiæ difficultatis & inopiæ in paupere suppleant majorem qualitatem divitis, & sic fervor viduæ ejúsq; inopia, aliæq; circumstantiæ poterant illud exiguum opus reddere pretiosius aliis majoribus.

Opponitur Secundò Authoritas Patrum S. Augustini lib: 2. contra Cresconium Grammat: cap. 12. ubi dicit: *Mundantur* (impii) *& eleemosynis ab illo, qui ait: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Mundantur ipsa, quæ supereminet omnibus charitate ab illo, qui per Apostolum Petrum dixit: Charitas cooperit multitudinem peccatorum: Quæ una si adsit, omnia illa recta fiunt: Si autem desit illa, omnia frustra fiunt. Hæc verò unde sit, audi Apostolum docentem: Charitas, inquit, DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis*, ubi vides S. Doctorem totam bonitatem soli charitati & dilectioni adscribere; Econtra de actibus malis lib: 1. de lib: arbitr: cap. 3. ait: *Si quis habet voluntatem concubandi cum uxore aliena, & non datur facultas, coram DEO tam reus est, atq; si opere complevisset.* Deniq; de bonis & malis simul, epist: 49. super illud Matth: 7. *Qua mensura mensi fueritis* docet: *Voluntatis affectus est mensura factorum, & meritorum omnium.* Chrysost: hom: 26. in Matth: *Sola*, inquit, *voluntas remuneratur pro bono, aut condemnatur pro malo.* Bernardus suprà &c. ergo bonitas & malitia in solo voluntatis actu interno consistit. Respond: neg: consequ: Quia ista, & similia loca solùm probant, quòd bonitas & malitia primariò, & principaliter resideat in actu interiori voluntatis, etiam independenter ab exteriori, quódq; interior etiam secluso externo sit bonus, vel malus; præmiabilis vel punibilis, adeóq; eliciens actum internum malum coram DEO, & quoad mortem animæ, & reatum pœnæ incurrendum tam reus sit, ac si opere externo complevisset, non tamen sequitur, quòd tam intensam pœnam mereatur, aut quòd tam graviter (loquendo de gravitate extensiva) peccet, hoc modo explicant Theologi communiter illud Jacobi 2. *Qui offendit in uno, factus est om-* nium

nium reus, non quòd omnia peccata committat, sed quòd quantum ad interitum animæ perinde se habet, ac si omnia commisisset, & in hoc sensu dicitur affectus voluntatis *mensurâ factorum* remunerari pro bono & malo, atq; reputari affectum pro facto, quia nimirum ipsa sola habet suos, & aliarum potentiarum actus in suo dominio, solàq; principaliter est radix meriti & demeriti, & ex majori, vel minori ejus affectu provenit, quod aliæ potentiæ imperatæ magis vel minus ferantur in objecta.

Instatur: Anselmus lib: de casu diaboli cap. 5. dicit: *Justitia, & Injustitia non est nata esse, nisi in voluntate*, ergò. Respond: distin: antecedt Primariò & tanquam in eliciente vel imperante, conced: Secundariò, nego. Nec refert, quòd exterior non reputetur ad culpam, nisi ratione interioris, quia hoc ideo fit, ex eo, quòd exterior dependeat ab interiore tanquam à principali movente.

Opponitur Tertiò Authoritas Scoti, qui in 2. d. 42. dicit: Actus aliarum potentiarum à voluntate esse peccata materialiter, ergo non formaliter, propter hoc conatur Valentia trahere Scotum pro suâ sententia, sed frustra, nam Respond: neg: consequ: Tantùm enim vult Scotus, quòd illi actus non sint in se formaliter mali seclusa voluntate, utpote à qua habent, quòd sint liberi, adeòq; imputabiles. In quodlib: autem 8. expresse dicit, quòd externus actus conjunctus interno habeat rationem voluntarii, quod sufficit.

Instatur: Actus ut sit bonus, debet ferri in objectum, quatenus honestum est, sed actus aliarum potentiarum non possunt sic ferri, ergo non possunt esse boni. Respond: distin: min: Cum imperio voluntatis, neg: min: sine illo imperio, conced: min: & neg: consequ:

Urgetur: Actus externus non habet distinctam libertatem, ergo nec distinctam bonitatem vel malitiam. Respond: neg: antec: Quia habet libertatem participatam per imperium voluntatis, nam sicut voluntas liberè elicit actum internum, ita liberè imperat externum. Et posito, quòd non haberet distinctam libertatem, neganda esset consequentia: Quia sufficit libertas voluntatis sive nova, sive antiqua, sive mediata, vel immediata, maximè quoad actus imperatos.

Arguitur Quartò: Nullus invitus amittere potest meritum essentiale, sed amitteret aliquis, si deficiente potestate faciendi v. g. eleemosynam, privaretur actu, ergò. Respond: neg: maj: Nec hoc adversatur S. Scripturæ, ut inconsideratè dixit Medina, quia conjugatus impeditur, quantumvis nolit, à merito virginitatis: Rudis à merito Doctoris: Confessor à merito martyrii, quamvis etiam habeat intensum desiderium subeundi illud, uti legitur de S. Martino, & S. P. N. Francisco, quos Ecclesia vocat Martyres desiderio, & tamen in numero Martyrum non recensentur, quia hoc damnum resarcire possunt alterâ viâ per ferventem charitatem, aliásq; virtutes, DEUS enim, qui vult sua dona esse nostra merita, quibusdam dat plura, quibusdam pauciora, aliquibus nulla, velit homo, vel nolit.

Arguitur Quintò: Accipiens & ingrediens ad propriam conjugem putans esse alienam, æq; peccat, ac si accepisset alienam, & tamen opus externum non est æquale, sed sola voluntas, ergo gravitas peccati à sola voluntate pensanda est. Respond: neg: min: pro prima parte: Quia malitia operis sive interni non attenditur secundùm quod se res habet à parte rei, sed secundùm quòd proponitur voluntati ab intellectu, in proposito autem proponitur ipsi propria, tanquam esset aliena.

IV. Actus externus sequens ad voluntatem malam revocatam non est malus.

Dico Tertiò: *Actus externus sequens ad voluntatem malam revocatam non est peccatum.* Ita Corduba lib: 2. q. 18. & q. 23. Henriqu: lib: 5. q. 5. Sanchez, & alii. Et in tali casu proponitur ac intelligitur v. g. Tu præcepisti aliquem occidi, & ante executionem revocâsti, quantum in te fuit efficaciter, neç tamen potes amplius

plius impedire, quin sequatur homicidium, respectu tui non est amplius homicidium. Probatur Primò: Ille effectus est omninò involuntarius tibi, ergo non est peccatum. Deinde sequeretur, eum, qui est in gloria, peccare posse, quia post mortem, & transitum ad gloriam potest sequi malum, quod jussit, & de quo jam pœnituit. Tertiò: Sequeretur, eum, qui causam furiæ vel dementiæ dedit, de quo postea in aliquo lucido intervallo pœnitentiam egit, nihilominus peccare, quoties in furia, vel amentia mutilat, blasphemat &c. ergo.

Arguitur in contra: Talis actus est contra legem: Et talis occisor justè puniretur, etiamsi per revelationem constaret, eum revocâsse talem voluntatem, & pœnitentiam egisse, ut probat Castro lib: 2. de lege pœn: cap. 14. conclus: 1. ergo talis peccat. Respond: ad primum neg: antec: Quia actus in tali casu nec esset contra legem, nec moraliter malus, quia caret libertate requisita. Ad secundum Respond: neg: consequ: Quia Respublica justè punit peccata præterita, etiam si pro tunc nullo modo existant, propter terrorem aliorum.

QUÆSTIO SECUNDA.

An detur Actus indifferens in specie, & in individuo?

I. Actus indifferens declaratur.

Actus dicitur indifferens, qui nec bonus est moraliter, nec malus, dico notanter bonus vel malus *moraliter*, nam certum est Primò, omnem actum positivum voluntatis habere aliquam bonitatem utilem, commodam, delectabilem, vel honestam, quia voluntas non operatur humano modo, nisi ob aliquod tale bonum: Sed quæstio est, an detur aliquis actus absq; omni bonitate morali & virtutis, nec tamen habens ullam malitiam moralem, ita ut sit liber & deliberatus, nec tamen virtus sit, nec vitium, nec pœnâ, aut præmio dignus.

Suppono itaq; bonum virtutis in hoc sensu illud, & tunc esse, quando actus est conformis legi, malum verò quando adversatur lege, sive positivæ, sive naturali. Suppono iterum: Nullum esse actum creatæ voluntatis essentialiter bonum vel malum, secluso prædicto ordine ad legem, tanquam ad regulam morum. Deniq; suppono Tertiò: Malitiam & bonitatem desumi, tum ex objecto, quæ etiam *generica*, & *specifica* dicitur: Tum ex circumstantiis, quæ individualis, & in individuo dicitur, unde quando quæritur hic, utrum detur actus indifferens in specie, idem est ac loqui de bonitate ex objecto, quæ specifica dicitur: Et in individuo est, quando ex fine extrinseco, mediis, & circumstantiis, de utrisq; procedit quæstio. II. Actus nullus essentialiter est bonus.

Est autem materia hæc satis controversa, nam D. Thomas 1. 2. q. 18. Cajetanus, & Thomistæ communiter docent, & tenent, posse quidem dari actum indifferentem in specie, vel ex objecto, nullum tamen in individuo, qui non sit bonus vel malus moraliter. Vasquez hic disp: 82. cap. 1. & sequentibus asserit, Scotum docuisse è diametro oppositam sententiam, quòd videlicet non detur ullus actus indifferens ex objecto, sed benè in individuo, citat Scotum in 2. dist: 41. & quodl: 18. art: 1. Sed perperam, ut mox ostendam, quare

III. Actus indifferens in specie datur.

Dico Primò: *Datur actus humanus, in specie, scilicet ex objecto indifferens.* Hæc est Doctoris d. 41. propè finem, ubi dicit: *Sunt ergo multi actus indifferentes, non tamen secundùm esse, quod habent in specie naturæ* (speciem accipit pro genere) *sed etiam secundùm esse, quod habent in esse morali.* Et postea subdit: *Præter illos actus indifferentes secundùm speciem, dantur alii actus indifferentes in individuo.* Idem tenent Scotistæ communiter. Probatur conclusio: Tum ex Concil: Constantiensi acte 18. ubi damnatur hæc propositio Joannis Hus: *Nulla sunt opera indifferentia.* quod ad minus intelligi debet de operibus in genere, *vel in* specie:

specie: Tum ex Epist: Hieronymi quæ est 11. inter Epist: S. Augustini dicentis: *Bonum est continentia, malum est luxuria, inter utrumq; indifferens ambulare*, ergo ambulare ex objecto nec bonum est, nec malum moraliter: Tum ex Ratione: Quia multa sunt objecta, quæ ex seipsis nec ad vitium, nec ad virtutes spectant, nec ullam dant speciem moralem actui, utpotè de quibus recta ratio nihil dictat quantum ad fugam, vel prosecutionem, qualia sunt ambulare, sedere, stare, &c. Sed in Contra, sic

Opponitur Authoritas Scoti in 2. dist: 7. q. un: §. de primo dico. Ubi docet: Quòd bonum ex genere (seu objecto) & malum ex genere sunt contraria immediata, & ita sicut inter privationem & habitum immediatum non est medium, ita nec inter bonum ex genere, & malum ex genere: Quod sic probat. *Quia actus non potest esse, quin transeat super objectum, illud autem necessariò est conveniens vel disconveniens actui, & ita actus erit bonus, vel malus ex genere.* Respond: neg: consequ: Quia ut Scotistæ communiter illum interpretantur, Scotus ibi determinatè loquitur de actu, secundùm quod ex objecto moralis est, participans ab ipso bonitatem vel malitiam, quia cùm ipse in 1. d. 17. & in 2. d. 40. & quodl: 18. ponat differentiam boni & mali moralis, à bono & malo naturali, per hoc scilicet, quòd morale insit actui mediante rectâ ratione, hinc intelligendus est hìc Scotus loqui præcisè de actu, prout transit super objectum respiciens regulam rectæ rationis, & sic verum dicit Scotus, quòd sub ista ratione moralitatis, non detur medium inter actum bonum & malum, per hoc tamen non negat, quin detur medium, si actus consideretur secundùm se, & etiam objectum secundùm se, & in entitate sua naturali, sine respectu ad moralitatem, & dictamen rationis rectæ, & regulæ morum.

Instatur prosequendo rationem Scoti: Omne objectum vel est conveniens rationi, vel non conveniens, si primum, erit bonum objectum, si secundum, malum, quia recedere à ratione non est hominis rationalis, ergo nullum est objectum indifferens: Ob hoc argumentum citatur Scotus in oppositum. Respond: distin: antec: Omne objectum est conveniens rationi dictanti illud esse positivè prosequendum, vel fugiendum ex præscripto legis, vel non conveniens, scilicet positivè, neg: antec: negativè vel permissivè, concedo antec: Sunt enim multa objecta, de quibus nullum datur præceptum vel prohibitio, & consequenter quæ non sunt positivè bona vel mala, unde neg: consequ: Licèt enim objectum positivè sit indifferens, tamen poterit per circumstantias fieri bonum vel malum, & ita negativè, & permissivè quodcunq; objectum vel est bonum, vel malum, & tantum voluit Scotus loco citato. Solùm enim voluit inter bonum & malum ex objecto, seu ex genere, & in specie, non dari medium accipiendo bonum & malum hoc secundo modo, non verò positivè.

IV. Indifferens actus in individuo quoq; datur.

Dico Secundò: *Potest dari actus humanus perfectè liber, qui per se, & ex natura sua hìc & nunc sit in individuo indifferens.* Est Scoti cit: quodl: 18. Alensis 3. p. 9. 25. memb: 3. D. Bonaventuræ 2. D. 41. art: 1. Richardi, & aliorum. Probatur conclusio Primò: Ex illo articulo Constant: Concil: ubi post verba citata subditur: *Sed quòd hæc sit immediata divisio operum humanorum, quòd vel sint bona, vel mala*, atqui hæreticus ille non tantùm intellexit hoc de operibus in specie, sed etiam in individuo, ergo: Probatur min: ex ipsius ratione, sic ille enim argumentabatur: Si homo sit virtuosus, omnia opera ejus erunt virtuosa, si verò vitiosus, omnia opera erunt vitiosa, ergo nihil indifferens, ubi certum est, eum loqui de actibus, qui defacto producuntur, vel produci possunt ab homine habente virtutem vel vitium, sed omnis actio producibilis defacto ab homine necessariò est singularis

& individua, universalia enim non producuntur extra singularia ergo maximè intendit hic Author nullam actionem in particulari posse esse indifferentem, quod tamen damnat Concilium, ergo datur talis actus indifferens.

Probatur Secundò: Ex Patribus, nam S. Hieronymus loco supra citato addit: *Inter utrumque indifferens est ambulare*, &c. quæ ibi: *Hoc enim nec bonum est, nec malum, sive enim feceris, sive non feceris, nec justitiam habebis, nec injustitiam*, sed facere, & non facere dicit actum in individuo, ergo secundùm Hieronymum hi & similes actus, dum fiunt, sunt ex se indifferentes. Idem expresse docet Nazianzenus orat: 3. ubi tradit secundùm Christianam Philosophiam, quædam esse opera humana nec laude, nec pœnâ digna, sed proprium est operis boni esse laude dignum, mali verò pœnâ dignum, ut habet Philosophus 2. Ethic: 12. & communis, ergò. Confirmatur: Patres agentes contra Pelagium, ad opus veræ virtutis requirunt semper gratiam, fine quâ liberum arbitrium nihil efficiet, cum hoc tamen admittunt posse exerceri liberè opera politica ad societatem humanam conducentia, quæ mala non sunt, ut suprà traditi in materia de auxiliis gratiæ divinæ, ergo talia opera sunt indifferentia. Ant: habet D. Augustinus lib: 4. contra Julianum, & lib: 23. de Civit: DEI cap. 24. & lib: 3. Hypognost: in principio, si tamen ipse est Author, ubi ait: *Esse fatemur liberum arbitrium habens quidem judicium rationis, non per quod sit idoneum, quæ ad DEUM pertinent sine DEO aut inchoare, aut certè perficere, sed tantùm in operibus vitæ præsentis tam bonis, quàm malis, bonis dico, quæ de bono naturæ eliciuntur, ùt sunt velle laborare, velle manducare, velle bibere, velle quidquid bonum ad præsentem vitam pertinet*, &c. vult ergo quòd bona utilia præsentis vitæ possint fieri sine gratia, bona verò virtutis minimè, ergo inter honestum datur medium in Individuo. Cum Augustino sentiunt Prosper lib: contra Collatorem. Fulgentius de natura & gratia, & plures alii.

Probatur Tertiò Ratione: Fricare manus ad sedandum pruritum pellis, vel ambulare ad pellendum frigus &c. nec bona sunt, nec mala moraliter, ergo indifferentia dum fiunt in individuo. Antec: quoad primam partem probatur: Tum, quia finis præfatus est æq; indifferens ac objectum actûs, ergo cùm ex objecto talis actus sit indifferens, etiam ex circumstantia finis erit indifferens: Tum, quia bonum morale est idem quod bonum virtuosum, seu honestum, laude & prœmio dignum, ut docet Aristoteles citatus, unde Trident: Sess: 6. cap. 16. dicit: Omnia bona opera justorum esse meritoria vitæ æternæ, sed ridiculum foret dicere, quòd talis fricatio, vel ambulatio ob præfatos fines sit bonum & meritorium vitæ æternæ, ergò: Tum deniq;, Quia, si hujusmodi opera essent bona moraliter, possent esse materia voti, vel juramenti, quod non concedent adversarii: Probatur secunda pars primi anteced: videlicet quòd deambulatio & similia opera ob fines præfatos, vel hujusmodi non sint moraliter mala seu peccaminosa, quia nulla lege prohibentur talia opera, ergo non sunt peccata, consequentia patet ex dicendis, anteced: constat ex eo, quia nec in scriptura, nec in lege naturæ habetur præceptum de agendo semper propter honestum finem. Sed in contra

Opponitur Primò Authoritas Scripturæ Matth: 12. ubi dicitur: *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii*, id est, ratio exigetur tanquam de re mala, ut patet ex scopo Christi in illo loco, ergo etiam exigetur de rebus & operibus otiosis, si enim secundùm Hieronym: in Psalm: 16. de verbo obioso redditur ratio, quanto magis de operibus? Sed verbum otiosum est, quod caret honesto fine, ergo quidquid honesto fine caret, est malum, ergo non datur actus indifferens

V. Otiosa verba & facta quæ sint.

ferens in individuo. Respond: neg: min: potest enim per verbum otiosum cum nonnullis Patribus, & interpretibus intelligi primò, verbum malum & perniciosum, idq; magis consonat discursui, & scopo Christi, ut patet legenti illud caput, sic Chrysostomus, & alii Græci Patres in hunc locum intelligunt sermonem inferentem mendacium, blasphemiam, vel calumniam juxta contextum, Christus enim reprehendit ibi Judæos, qui dixerunt eum in Belzebub ejicere dæmonia, quod fuit blasphemum & mendacium. Secundò potest intelligi verbum frustra probatum, ut S. Hieronymus ait, sine utilitate & loquentis, & audientis dictum, vel ut Gregorius homi. 18. in Evangel: ait: Quod aut utilitate rectitudinis, aut ratione justæ utilitatis caret. Vel ut Bernardus serm: de triplici custodia dicit, quod nullam habet rationabilem causam: Illud tamen verbum non est otiosum, nec à Patribus taliter vocatur, quod habet utilitatem, aut necessitatem; talem autem utilitatem vel necessitatem habent opera in individuo indifferentia, qua si carerent, essent otiosa. Frequenter etiam juxta D. Bonavent: cit: §. *Ad secundum:* Ea verba, quæ videntur esse inutilia, utilia fiunt, imò honesta, dum ordinantur ad aliquam recreationem Spiritûs, exclusionémq; acediæ, sic refertur S. Bernardum dixisse, cùm quendam fecisset cespitare: *Hoc otiosum fuit factum, sed non otiosè*, quia fecerat ad lætificandum illum, quem viderat mœstum.

Opponitur Secundò Authoritas Apostoli 1. ad Corinth: 10. *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis: Omnia in gloriam DEI facite*, scilicet actualiter vel virtualiter, quod fit vel per expressam relationem operis in DEUM, vel ex natura objecti, vel ex ipso opere, quod cùm honestum sit, eo ipso cedit in gloriam DEI, ergo si omnia ad gloriam DEI fieri debent, nulla erunt opera indifferentia. Respond: cum S. Bonavent: Scoto, & aliis, DEUM non obligâsse nos ad hoc, sed Apostolum id consulere, solùm ergo est præceptum negativum, nè quid faciamus contra gloriam DEI, vel quod in illam referri nequeat, sic ex vi præcepti charitatis obligamur aliquando per actum expressum diligere DEUM super omnia appretiativè, & nunquam facere aliquid repugnans dilectioni. Item vi Providentiæ supernaturalis, & justificationis tantum obligamur ad finem nostrum per actus aliquos tendere, & per nullos ab eo deviare. Respond: Secundò neg: consequ: Nam imprimis in illis verbis, si continetur aliquod præceptum, omnia opera infidelium & ignorantium DEUM essent peccata, quod damnatur in propositionibus Baji. Deinde singulis quasi momentis peccarent etiam fideles faciendo multa in ordine ad suum temporale commodum absq; ulla cogitatione in DEUM, sed hoc absq; fundamento in ipsis damnatur, ergò. Deniq; si levaret quis festucam, vel deambularet ob naturæ commoditatem præcisè, malum esset, & foret sufficiens materia confessionis Sacramentalis, sed non credo ullum adversarium administraturum Sacramentum Pœnitentiæ confitenti solummodò, se ista opera fecisse ob finem utilem tantùm & commodum. Et constat experientiâ, quòd fideles etiam timoratæ conscientiæ de similibus se non accusant, adeóq; talia opera non sunt condemnanda.

VI. Voluntas bona quomodo sit à DEO.

Opponitur Tertiò Authoritas D. Augustini lib: 2. de Peccator: merit: cap. 18. dicentis: *Si nobis libera quædam voluntas ex DEO est, quæ adhuc potest esse vel bona vel mala: Bona verò voluntas* (id est velle in actu secundo) *ex nobis est, melius est id quod à nobis, quàm quod ab illo est. Quod si absurdissimè dicitur, oportet fateantur etiam bonam voluntatem nos divinitùs adipisci, quanquàm voluntas mirum si posset in medio quodam ita consistere, ut nec bona nec mala sit. Aut enim justitiam diligimus, & bona est, & si magis diligimus, magis bona, si*

 minus,

minus, minus bona est: Aut si omninò non diligimus, non bona est. Quis verò dubitet dicere, voluntatem nullo modo justitiam diligentem non modò esse malam, sed etiam pessimam voluntatem? Si ergo voluntas aut bona est aut mala, & utiq; malum non habemus ex DEO, restat, ut bonam voluntatem habeamus ex DEO. In quibus verbis Augustinus clarè videtur docere oppositum nostræ conclusionis, vult enim, quòd voluntas in aliquo inter bonum, & malum non consistat, ergò. Et epist: 19. ait: *Cavendum, nè sicut Philosophi quædam facta hominum media dicamus inter rectè factum, & peccatum*, sed actus indifferens est medius, ergo ille est contra S. Augustini doctrinam. Ad hanc oppositionem Respondet Vasquez Augustinum verè fuisse contrariæ sententiæ, licèt nostra in re sit probabilior, & communior aliorum Patrum, verùmtamen hoc non censeo esse verum, ut patet ex locis pro conclusione citatis, nam lib: contra Julianum cap. 3. admittit opera, quæ fiuntpro indigentia vitæ mortalis nec mala esse, nec bona studiosa, id est honesta.

Respond: Secundò aliter ad primum locum: S. Augustinum solummodò negare medium inter bonum & malum in materia virtutis seu præcepti, disputat enim ibi contra Pelagianos, qui dicebant solam potestatem benè operandi in actu primo esse à DEO, ipsum verò velle tam bonum quàm malum esse ex nobis, hoc patet ex illo cap. 3. & lib: 1. de gratia Christi, & alibi passim, in hoc enim versabatur quæstio, an voluntas operans in materia justitiæ haberet ex suis viribus, quòd sit bona, vel media inter bonum & malum, & Augustinus primo infert contra Adversarios, quòd si voluntas operans esset ex nobis, cùm actus secundus melior sit ex genere meriti, quàm primus, sequeretur illud, quod ex nobis esset melius illo, quod habemus à DEO. Secundò dicit, voluntatem operantem ad justitiam, intelligere prout subest suis regulis, præcepto scilicet, vel prohibitioni non posse in medio quodam consistere, sed fore necessariò vel bonam vel malam, nulla autem fuit controversia cum Pelagio, an detur aliqua materia indifferens, in qua voluntas indifferenter se habere posset.

Respond: Tertiò: Ad secundum locum; Augustinum ibidem nobis magis favere quàm adversari, nam ista verba sibi objicit ipse tanquam repugnantia doctrinæ, qua contra Hieronymum defendebat legis cœremonias post Christi mortem aliquo tempore fuisse licitas, & in sequentibus sat indicat, se dictum Philosophorum non improbare, dum ait, se Philosophorum exemplum non timere, quando aliquid veri dicunt.

Opponitur Quartò: Concilium Arausicanum II. can: 2. *Nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum*, ergo nec quidem actus indifferentes habebimus in nostra potestate. Respond: neg: consequ: Quia Concilium tantùm loquitur de opere ex genere suo pertinente ad justitiam, vel injustitiam, & habentem rationem meriti vel demeriti, intendit enim ibi Concilium definire, quòd homo solis naturæ viribus, sine divina gratia, nihil possit facere ad justitiam & vitam æternam conducens, cum quo stat, eum posse alia opera indifferentia facere. Et hanc esse mentem Concilii patet ex contextu, subdit enim: *Si quis virtutem, vel justitiam habet, ab illo fonte habet, quem debemus sitire in hac Eremo*, Scopus enim Concilii fuit, nihil virtutis à nobis sine gratia fieri &c.

Arguitur Quintò: Recta ratio dictat ambulandum, aut moderatam recreationem appetendam esse, v. g. ob sanitatem conservandam, quam decet ab homine etiam quâ tali servari. Idem est de similibus, ergo si talis actio fiat tali respectu, seu quia recta ratio illam dictat, erit honesta, & consequenter nulla est assignabilis indifferens. Respond: neg: consequ: in casu objectionis posito, non sistitur in bono naturæ commodo, sicut

sicut quæstio supponit, sed in honesto, quod enim quærimus, & de quo controvertimus est, An calefacere se v. g. præcisè, quia frigus corpori molestum est, sit moraliter bonum? Idem de aliis, controvertitur, inquam, de bonis naturæ sensitivæ ut sic, quæ sicut & ipsa natura sunt, bestiis communia, si enim in iis sistere absq; altiori respectu sit honestum, tunc opera præfata nec quidem erunt indifferentia secundùm speciem, sed ex objecto honesta, sicut orare & jejunare. Imò in justo procederent à virtutibus infusis, adeóq; essent meritoria de condigno contra ipsos Adversarios.

QUÆSTIO TERTIA.

De Actu negativo voluntatis. An scilicet voluntas exercere possit suam libertatem per actum negativum, seu per puram omissionem?

I. Actus negativus seu pura omissio dupliciter considerari debet.

ACtus negativus voluntatis, seu pura omissio potest dupliciter cõsiderari, Primò quoad actum externum, quem annexum habet, quiq; eam vel causet, vel concomitetur, & sic non est dubium posse dari puram omissionem, nullum actum annexum habentem, nam possum omittere Sacrum absq; eo, quòd aliquid extrinsecùs operer: Secundò, Quoad actum internum voluntatis, & etiam sic simpliciter considerata voluntas, non est dubium, quin multas habeat puras omissiones necessarias, quas non potest impedire, ut contingit in somno, nam cùm tunc potentiæ sint sopitæ, necessariò voluntas habet multas omissiones. Quæstio autem & controversia est de actu interno, in hoc sensu: An videlicet voluntas non impedita, & sibi relicta possit liberè exercere puram omissionem, sine omni positivo actu, *Omissio enim pura, est negatio omnis actus.* Circa hanc materiam duplex reperitur sententia: Prima est

II. Omissio pura est negatio omnis actus.

Magistri sententiarum lib: 2. d. 35. cum quo tenent D. Thomas, Alensis, D. Bonaventura, Cajetanus 1. p. q. 63. art: 5. & alii, quos sequitur Vasquez 1. 2. d. 92. cap. 2. ubi ait: Nunquam in nobis est peccatum omissionis interioris, vel exterioris sine aliquo actu, qui sit causa & occasio illius. Secunda sententia est affirmativa, quam complectuntur Richardus, Capreolus in 3. q. 10. Suarez disp: 19. metaph: sect: 3. Ariaga, Pontius in lib: de anima disp: 44. Noster Doctor subtilis hanc quæstionem non tractavit ex proposito, pars tamen affirmativa videtur, saltem generaliter loquendo, ipsius principiis conformior, hinc Scotistæ sententiam istam communiter sequuntur, cum quibus

III. Omissio pura dari potest.

Dico Primò: *Voluntas potest exercere suam libertatem per actum negativum, seu per puram omissionem, adeóq; omissio pura in quacunq; materia non repugnat ex principiis physicis, vel metaphysicis.* Est D. Thomæ 1. 2. q. 2. art: 3. & in 2. d. 30. art: 1. Et in re videtur esse communis. Probatur Primò: Libertas voluntatis non solùm est ad contrarios actus Velle & Nolle, sed etiam ad Velle & non velle; Nolle & non nolle immediatè, ob quod vocatur libertas contradictionis, sed pura omissio est unum extremum hujus contradictionis, ergo sicut voluntas potest immediatè liberè velle, poterit etiam liberè non velle, & consequenter purè omittere.

Probatur Secundò: Positis omnibus requisitis ad agendum voluntas non necessitatur ad velle, vel etiam nolle, ergo poterit habere omissionem utriusq;; consequ: est clara, si enim non necessitatur ad unum vel alterum, poterit in medio consistere. Probatur antec: exemplo: Qui intelligit se obligatum ad audiendum Sacrum die festo, non necessitatur ad hoc volendum, ut manifestum est, nec ad nolendum, aliàs ad peccandum necessitaretur, ergo poterit habere puram utriusq; omissionem.

Probatur Tertiò: Ex opposita sententia sequeretur, Quòd si DEUS decrevisset determinatè concurrere ad unum actum, v. g. prosecu-

tionem hujus objecti, & nullo modo ad oppositum, quod, inquam, voluntas viatoris ad illum actum necessitaretur, sed consequens est falsum, ut patet in voluntate Christi, in ordine ad actum præcepti, stante impeccabilitate ejus, & libertate, ergò. Probatur sequela: Ille actus est necessarius, cujus contrarium vel contradictorium non est in potestate voluntatis, sed si omissio pura non esset in potestate volentis, nec contradictorium, nec contrarium illius actûs esset in ejus potestate hìc & nunc, ergo: Probatur min: Non contrarium, quia ex hypothesi non habet concursum DEI ad oppositum,
III. sine quo simplciter operari non potest: Nec contradictorium, quia secundùm adversarios omissio, quæ est contradictoria physicè loquendo, nequit esse absq; aliquo actu positivo eam causante, nullus autem actus est possibilis hìc & nunc, defectu concursûs præter actum oppositum omissioni, quæ cum illo proinde nequit stare, ergò.

Probatur Quartò: Eliciens actum ordinabilem ad finem aliquem, v. g. pœnitentiæ, non necessariò ordinat illum ad eum finem, neq; necessariò habet nolitionem, vel finis, vel talis ordinationis, ergo potest ad tempus deliberare cum pura omissione utriusq;. Item propositis duobus mediis ejusdem finis voliti, potest eligere unum, nullum exercendo actum circa aliud, ergo in his & similibus actibus potest habere omissionem.

Probatur Quintò: Nihil est tam in potestate voluntatis, quàm ipsa voluntas, juxta D. Augustinum lib: Retract: cap. 2. Sed est in potestate voluntatis suspendere aliquam potentiam inferiorem ab omni actu, ita ut illa habeat postea puram omissionem omnis actûs v. g. potentiam visivam, ergo erit etiam in sua potestate suspendere se ab omni actu, aliàs esset aliquid magis in sua potestate, quàm ipsamet voluntas. Confirmatur: Omnis libertas, quæ non implicat, est attribuenda voluntati, sed non implicat ipsam posse puram omissionem habere, ergo est ipsi danda libertas ad puram omissionem liberam: Min: probabitur ex solutione oppositorum argumentorum; quare in contra

Arguitur Primò: Illud, quo mediante formaliter voluntas exercet libertatem, debet esse quid vitale, sed pura omissio non potest esse quid vitale, seu purè agendo omissivè non ageret vitaliter, ergo per illam voluntas non potest exercere suam libertatem. Respond: distin: maj: Debet esse quid vitale, id est, procedens à principio vitali, conc: maj: debet esse secundùm se formaliter vitale, & positivè sensibile, neg: maj: & similiter distin: min: sed pura omissio non est quid vitale positivè, conc: min: negativè & privativè, neg: min: & consequ: In hoc enim distinguitur voluntas à cœteris potentiis & causis naturalibus, quòd non solùm producendo effectum positivum, sed etiam negativè se habendo, & suspendendo omnem actum possit se habere indifferenter ad agendum & non agendum, etiam positis omnibus requisitis, quod aliæ causæ, & potentiæ non possunt.

IV. Omissio pura qua ratione sit voluntaria.

Instatur: In exercitio libertatis necessariò actus secundus debet aliquid addere potentiæ, à quo distinguatur, & cognoscatur esse in actu secundo, sed pura omissio nihil addit super voluntatem, prout sumitur per modum actûs primi, & consideratur in ratione potentiæ, ergò pura omissio non potest dici exercitium libertatis: Probatur min: voluntas in pura omissione nihil est aliud, quàm voluntas, & potentia cum privatione omnis actûs, sed voluntas in actu primo considerata, non est nisi potentia absq; omni actu, ergo pura omissio nihil addit super voluntatem, sumptam per modum actûs primi. Respond: neg: min: ad probationem distin: min: sed voluntas considerata in actu primo non est nisi potentia absq; omni actu, necessariò, conc: liberè, neg: Unde licèt in voluntate sumpta per modum

dum primi actûs, sit omissio talis actûs, illa omissio in actu primò est necessaria, fit autem libera per liberam suspensionem voluntatis, unde exercitium libertatis super actum primum addit illam liberam omissionem.

V. Mutatio quæ fit in pura omissione.

Urgetur: In omni transitu de contradictorio in contradictorium debet esse aliqua mutatio, sed voluntas transiens à non exercitio suæ libertatis, ut est in actu primo, ad exercitium ejusdem, transit de contradictorio in contradictorium, ergo debet immutari: Subsumo, sed omnis mutatio fit per aliquid positivum, ergo voluntas ut mutetur omittendo, debet elicere actum positivum. Respond: neg: subsumptum: Nam contradictoria, inter quæ fit transitus, in proposito est determinatio libertatis ad unum extremum, extrema autem ponenda sunt actus ex una parte, ex altera verò ejus omissio, seu privatio moralis; sicut ergo voluntas positivè & intrinsecè mutatur determinando se ad actionem, ita etiam determinando se ad aliud extremum, mutatur mutatione proportionata isti extremo, quæ mutatio potest vocari privativa, eò quòd voluntas hic & nunc posset habere actum, & tamen non habet. Aliter, posset responderi: Non requiri ad hunc transitum ullam mutationem realem intrinsecam ex parte voluntatis, sed sufficere, quòd ex parte intellectûs concurrentis reperiatur mutatio, voluntas enim nunquam liberè aliquid omittit sine prævia consideratione positiva intellectûs: Exemplum hujus sit secundùm sententiam Thomistarum: Actio est formaliter in passo, & non in agente, & tamen agens agendo transit à contradictorio in contradictorium, fit enim de non agente agens, ergo ad hanc mutationem salvandam sufficit aliquid positivum extrinsecum de novo fieri. Verius exemplum potest haberi in DEO, qui transit à non creante ad esse creantem, nulla in se recepta mutatione intrinseca.

Arguitur Secundò: Ut omissio aliqua sit libera, debet esse ob aliquem finem volitum vel nolitum, ergo non potest dari pura omissio libera. Probatur antec: Quia agens liberum est agens ex proposito, & consequenter agens propter finem, sed nequit agere propter finem, nisi quatenus finis movet, non movet autem nisi mediante actu, ergo. Responderi solet communiter, voluntarium agens semper agere ex proposito, & propter finem, aut formaliter, aut interpretativè, ita scilicet, ut quando voluntas velit exercere suam libertatem per actus positivos debeat tunc elicere tales actus propter finem formaliter sumptum sic cognitum, & moventem voluntatem ad illos actus positivos: Quando autem exercet suam libertatem per actus non positivos, sed per interpretativos, vel puras omissiones, tunc sufficit, quòd agat propter finem interpretativè, & consequenter dicitur agere ex proposito, ac sufficienter exercet suam libertatem. Hæc ut dixi, est communis Responsio, quæ tamen non videtur Pontio nostro sufficiens d. 44. de voluntate, in lib: de anima. Hinc Respond: Secundò aliter: Neg: antec: & distingu: probationis majo: Est agens ex proposito semper, neg: maj: Est agens ex proposito, id est, quod potest agere ex proposito, conc: maj: Itaq; voluntas agit semper ex proposito, id est, mediante intentione alicujus finis, quatenus agit per actionem positivam, seu per volitionem & nolitionem, quia ipsamet volitio, aut nolitio est talis intentio, vel propositum, & sic verum est, negatur tamen consequ:

Arguitur Tertiò: Voluntas in actu primo, seu ut est potentia potens actum ponere, vel non ponere ante omne exercitium libertatis, habet puram omissionem omnis actûs, ergo pura omissio non potest dici libera: Antec: patet: quia ut sic considerata habet negationem omnis actûs, sed talis negatio æquivalet puræ omissioni, ergò. Consequ: Prima

Proba-

Probatur: Quia id, quod est ante exercitium libertatis, ejúsq; actum non potest dici liberum, sed illa pura omissio, ejúsq; actus sic se habet, ergò. Respond: Solutionem hujus argumenti patere ex dictis in prima oppositione, & illius instantia, nè quid tamen desit, Respond: adhuc negando primum antec: ad cujus probationem disting: maj: Habet tunc negationem omissionis liberæ, neg: maj: Necessariæ & per modum subjecti, conc: maj: Omissio autem, de qua in proposito est libera privatio actûs, qui deberet & posset inesse, hinc ad illam requiritur non solùm ut potentia intelligatur nullum habere actum, sed ulterius ut adsit consideratio intellectûs, & reliqua necessaria in ordine ad ponendum hic & nunc actum, quantum est ex parte voluntatis, quæ si adsit omissio, erit negatio liberrima.

VI. Omissio pura peccaminosa potest dari.

Dico Secundò: *Potest defacto dari pura omissio peccaminosa sine actu positivo.* Hæc non est tam controversa, ac sequens. Probatur Primò: Ex Scriptura Proverb: 13. *Vult, & non vult piger*, id est, habet complacentiam boni, non tamen applicat media ob difficultatem, vel resistentiam appetitûs sensitivi, sed talis non habet nolitionem positivam boni, imò potius illud vult, & in isto sensu sibi complacet, ergo talis habet puram omissionem, vel propter negligentiam, vel omissionem mediorum. Probatur Secundò: Quia secundùm Concilium Arausicanum can: 22. Prosperum, contra Collator: cap. 24. Fulgentium, & alios Patres communiter, citatos in materia de gratia, per peccatum originale non est nobis sublata potentia ad peccandum propriis viribus, sed solùm ad benè agendum, sed habens ex propriis viribus potentiam absq; ullo impedimento poterit uti sua libertate contrarietatis & contradictionis, ergo: Probatur min: Voluntas habet plenum dominium suæ libertatis in ordine ad peccandum, ergo sicuti potest positivè nolle bonum, ita etiam privativè omittere.

VII. Omissio pura meritoria defacto non datur.

Dico Tertiò: *Defacto in naturâ corrupta non datur pura omissio moraliter bona, & meritoria.* Est conformis Scoto 2. d. 29. §. *Potest dici*, ubi ait: Voluntatem natam esse condelectari appetitui sensitivo, nec posse sine difficultate retrahi à condelectando eidem, nisi feratur positivè in aliquod delectabilius, undè infert necessitatem justitiæ, vel gratiæ originalis. Ex quo

Probatur conclusio Primò: Difficultas conveniens voluntati, ut est activa in ordine ad benè agendum non vincitur, nisi operando positivè, sed defacto habet difficultatem operando benè, vel vincendo tentationes, ergò non potest eam vincere nisi operando positivè: Probatur maj: Resistentia positiva non vincitur solâ omissione, vel negatione, ergo potentia ut vincat difficultatem, oportet quòd aliquod positivum habeat, quô homo effectum præstet.

Probatur conclusio Secundò: Et est confirmatio prioris: Ex duobus principiis Patrum, Primò ex necessitate gratiæ, nam Concilia, ut Arausicanum II. can: 4. 5. 6. 7. contra Pelagianos, & semi Pelagianos item D. Augustinus lib: de correpts & grat: & alibi, Prosper, Hilarius &c. Nullum aliud agnoscunt bonum in natura lapsa, quod non est bona voluntas, aut bonam voluntatem, ejúsq; initium non sequitur, sed pura omissio mali nec est bona voluntas, nec bonam voluntatem, aut ejus initium sequitur, ergò nequit dici bona: Maj: patet ex dictis de gratia. Probatur min: Per opus intelligunt Patres prosecutionem finis per media ordinata, Per voluntatem intelligunt efficacem intentionem finis: Per initium verò bonæ voluntatis intelligunt primum motum pium à DEO nobis inspiratum, atqui hæc omnia sunt positiva, ergo omissio pura nunc & defacto non erit bona & meritoria, patet min: ista: Quia de opere non potest esse dubium, quin sit positivum, de initio vero operis & bonæ voluntatis est quoq; certum, quia

quia illud initium est pia affectio, prout est à DEO inspirata, ergo. Probatur etiam ex secũdo Patrum principio, nempè ex infirmitate naturæ humanæ ad bonum, sic: Infirmitas naturæ ad bonum radicatur in ignorantia, & maximè in ejus appetitu inordinato ad malum secundùm illud D. Augustini lib: 1. de peccat: merit: & remiss: cap. 7. *Ignorantia igitur, & infirmitas seu concupiscentia vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, nè moveatur ad faciendum bonum, vel ab opere malo abstinendum.* Item de spir: & litt: cap. 29. docet, confugiendum esse ad misericordiam DEI, ut inspirata gratiæ suavitate per Spiritum Sanctum fiat plus delectabile, quod præcipit, quàm delectat, quod impedit, hinc oritur necessitas gratiæ tam ad vincendas tentationes, quàm ad quodvis bonum opus & meritorium, sed gratia actualis Christi consistit formaliter non tantùm in aliqua qualitate positiva ad intellectionem & volitionem, sed in ipsis actibus formaliter, ut multi Theologi probabiliter docent, ex D. Augustino lib: de corrept: & grat: cap. 12. ergo cùm infirmitas naturæ non possit sine his actibus moveri, sequitur, puram omissionem excludentem hos actus non esse bonam. Sed in contra

Arguitur: Omnia illa argumenta opponenda, quæ pro prima conclusione adducta fuerunt, ergo potest dari pura omissio libera, bona & meritoria. Respond: negando consequ: Quia illa probant tantùm potestatem voluntatis, non autem usum in ordine ad bonum, à potentia autem ad actum secundum, non valet consequ:, v. g. in potestate voluntatis est dissentire, vel non dissentire gratiæ, aut eandem rejicere ex Trident: non sequitur autem, ergo dissentiet. Item potest voluntas non ponere actum prævisum à DEO, sed non sequitur, ergo ponet, similiter est in proposito: Est potentia in voluntate nostra omittendi omnem actum malum, non sequitur, ergo omittet, nisi gratiâ præveniatur, si autem gratia adsit, jam non erit purà omissio, vel si contingeret pura omissio absq; gratia, deberet connumerari inter indifferentia, quia nullum bonum in lapsa natura sine gratia ex Tridentino, & aliis Conciliis citatis.

Arguitur Secundò: Exercendo actum furti demeretur homo, ergo si purè omittat (quod videtur ex potentia sine ulla gratia esse posse) merebitur, quia observat per hoc mandatum. Respond: neg: consequ: Quia bonum est ex integra causa, malum ex quocunq; defectu, nec mandatum ab isto observatur propriè, nam & asini abstinent à furto, & tamen non habent omissionem moralem, unde materiale furtum sine ullo actu voluntatis est indifferens, & nullo modo vitiosum, sicut ejus materialis omissio nullo modo est virtuosa, sed indifferens, ergò.

QUÆSTIO QUARTA.

De Actu concurrente, vel concomitante ad omissionem puram, & tempore quo ipsum omissionis peccatum contingit?

POssunt cum omissione varii actus concurrere, vel boni, vel mali ex objecto, si sint mali non est dubium, duplicem esse malitiam omissionis malæ, & actûs concurrentis mali, si verò sint boni, vel indifferentes, quæritur, An habeant, vel contrahant ex omissione specialem malitiam? Ubi sciendum actus concurrentes ad omissionem, vel eam causare, vel solùm comitari, aut sequi omissionem; Causant v. g. si aliquis eo fine omittat audire Sacrum in die festo, ut domi studeat. Comitatur verò actus, si tam longè ab Ecclesia ob venationem recessit, & non animo omittendi Sacrum, quòd non possit tempestivè adesse. Deniq; sequitur, si, postquam deliberato animo constituit omittere Sacrum, domi se exerceat in aliqua occupatione indifferenti, vel honesta, & de his omnibus movetur difficultas. Ad quam 1. Actus tripliciter concurrit ad omissionem.

 Dico

II. Actus causans omissionem malam malus erit.

Dico Primò: *Actus alioquin ex genere suo bonus, vel indifferens, si causat omissionem malam, erit peccatum, sed non distinctum quoad malitiam ab ipsa omissione.* Prima pars est communis; Secunda est contra Henricum quodl: 12. q. 14. & quosdam antiquos, qui tenent esse malitias distinctas, quarum una est peccatum omissionis, altera commissionis. Sed Probatur prima pars: Finis malus, sicut inficit actum ex medio bonum, ita econverso, sed omissio est malum medium, ergo inficit finem quantumcunq; ex genere suo bonum, hinc furari ob finem misericordiæ, ut eleemosynam largiatur, furtum est malum, ergò.

Probatur secunda pars: Malitia est privatio rectitudinis, quæ deberet inesse secundùm legem, sed nulla rectitudo debetur actui causanti omissionem, nisi illa, quæ directè opponitur omissioni, ergo est una utrinq; malitia. Secundò, Tam graviter peccat omittens sine ullo actu elicito, quàm si propter studium illud omittat, ergo studium in tali casu non habet distinctam malitiam: Consequ: est clara, quia si haberet distinctam malitiam, gravius foret peccatum: Antec: verò probatur: Quia finis bonus non auget malitiam medii mali, quin potius aliqualiter minuit, in quantum plus de libertate tollit, is enim, qui ob studium sibi valdè gratum omittit Sacrum, fit minus indifferens ad oppositum, quàm si nullum tale motivum haberet, hinc etiam timorati fideles in confessione solùm confitentur omissionem, & non actum, qui fuit causa ejus, nec confessarius de eo inquisitionem facere debet, modò constet omissionem hìc & nunc fuisse peccatum, vel nisi illa causa excuset omissionem à peccato, quod aliquando posset contingere.

Arguitur Primò contra primam partem: Talis actus non est contra aliquod præceptum, quia non contra aliquod determinatum, ergo non est peccatum. Respond: neg: antec: Est enim contra præceptum affirmativum, quod omittitur

Arguitur Secundò contra secundam partem: Exercitium cujuscunq; actûs habet eandem inordinationem, quam habet ejus volitio, sed volitio studii tempore sacri habet distinctam deordinationem ab inordinatione omissionis sacri, ergo & distinctam malitiam: Probatur min: Illa volitio est contra charitatem, vel obedientiam, omissio verò contra virtutem Religionis, ergò sicut hæ sunt virtutes distinctæ, ita erunt privationes planè diversæ: Probatur antec: Aliquid DEO præferre est contra charitatem, sed istud studium præfertur DEO, ergò. Deinde certum est, omissionem esse contra virtutem Religionis, ergò. Respond: conc: maj: & neg: min: ad probationem neg: antec: & ad ejus probationem distin: maj: Aliquid DEO præferre virtualiter, vel interpretativè est contra virtutem charitatis, in quantum est specialis, & distincta à cœteris, neg: maj: ut enim sit formalis deordinatio contra charitatem, debet comparatio directè fieri inter DEUM, & aliud bonum: In quantum charitas obtinet rationem gratiæ, quæ quovis peccato mortali demeritoriè pellitur, conc: maj: sicut ergo in quovis peccato omissionis v. g. furti non est alia malitia contra charitatem, alia contra justitiam, sic in proposito, cùm sola Omissio sit prohibita per se, etiam studium hìc & nunc non nisi præcisè propter omissionem est malum.

III. Regula ad cognoscendum actum esse causam omissionis.

Ad cognoscendum autem, quando, & quomodo actus sit causa omissionis, Vasquez disp: 34. cap. 2. duas regulas assignat: Prima est hæc: Illa actio exterior, quæ secundùm se alioquin incompatibilis est hìc & nunc cum observatione præcepti, quæ primò ponitur post firmum propositum omissionis, est causa omissionis, adeóq; semper mala, v. g. si postquam aliquis decrevit omittere Sacrum in die festo, debet domi manendo vel cubare, vel dormire, vel studere &c. Prima ergò occupatio,

patio, quam ex his assumpserit post firmum propositum manendi domi, est causa omissionis, & mala, reliquæ verò non, fundamentum hujus ait esse, quia causa omissionis exterioris sola non est propositum omittendi, sed necessariò oportet, ut concurrat aliqua actio externa incompatibilis cum observantia mandati, & consequenter prima actio, ad quam se determinavit voluntas omittens, debet dici omissionis causa. Secunda Regula ejus est: Omnis illa operatio, quæ secundariò eligitur post priorem, vel simùl cum illa, non est causa omissionis, nec ex hoc capite mala. Veruntamen dico, quòd prima regula careat fundamento, & est contra communem sententiam, omissio enim potest sequi, & frequenter sequitur ex motivo incommodi, vel difficultatis, quia videlicet aliquis non potest sine incommodo propositum implere, unde proponit omittere, & vi istius præcisè omittit, quòd si postmodum orationi vacet, frivolum esset dicere, quòd talis oratio sit mala, cùm per illam possit impleri aliud præceptum, v.g. de recitando divino officio. Deinde non est ulla ratio, quòd prima occupatio, quam assumit, sit mala potius, quàm secunda & tertia, quia æq; influunt in omissionem, nec enim propter unam vel alteram fit, ut suppono.

Verior ergo est Regula hæc, Quòd omissio tunc solùm dicenda sit causari ab aliquo actu, quando actus habet vel rationem medii, vel finis respectu omissionis, si enim ordinetur studium v. g., ut omissio sacri sequatur, studium tale erit malum, & econtra etiam, si omissio sacri fiat propter studium.

IV. Actus concomitans non participat malitiam omissionis.

Dico Secundò: *Actus concomitans, vel subsequens omissionem, quantumvis aliàs sit incompatibilis cum observantia præcepti, quando non habet rationem medii, vel finis respectu omissionis malæ, nullam ab ea participabit malitiam.* Hæc est contra Capreolum in 2. d. 35. Probatur: Quidquid advenit effectui determinato quantum ad intentionem & executionem, nullam respectu ejus exercet causalitatem, sed non potest aliundè contrahere naturam omissionis, nisi quia aliquo modo illam causat, vel ut medium, vel ut finis, ergò. Confirmatur exemplo: Melius est homini nolenti audire Missam hic & nunc, nè interim sit otiosus, studere, vel infirmos visitare, quàm suspendere se ab omni actu, maximè cùm similibus posset aliquando impleri præceptum, ut si dum quis omissionem eligit, interim breviarium recitet, ergò: Quia severum esset dicere, quòd tales actus alioquin ex se boni, quantumvis essent incompatibiles cum observatione præcepti, sint peccata.

Arguitur incontra Primò: Accessus ad unum extremum incompatibile, est necessariò causa recessûs ab altero extremo, sed omne opus incompatibile cum observantia præcepti causat recessum ab observantia ejus, ergò causat omissionem malam. Respond: distin: maj: Moraliter vel liberè semper, neg: maj: Physicè, transeat; & similiter distin: maj: Solum enim opus, quod liberè ordinatur ad recessum talem est causa moralis talis recessûs, opus verò concomitans, vel subsequens, non ordinatur sic, sed merè per accidens habetur, nego ergo consequ:

Arguitur Secundò: Sacerdos apud se statuens non recitare horas, & postea projiciens Breviarium in mare, peccat postmodum singulis diebus omittendo horas, sed illa peccata causantur ex impedimento consequente intentionem, & executionem omissionis horarum, ergò quodcunq; tale est malum: Probatur min: Non ex prima nolitione, quia supponamus, quòd eam retractaverit, ergò ex illa sola projectione cogitur, dum navigabit, omittere horas. Respond: distin: maj: Si non pœniteat illius facti, conc maj: Si sic, nego. Similiter distin: min: ex impedimento consequente primam omissionem, conc: consequente alias omissiones, neg: min: Illa verò projectio est antecedens, & causa aliarum

rum omissionum, quæ sequuntur, quia talis prævidet, & prævidere debuit, se non satisfacturum amplius suæ obligationi remoto Breviario. Itaq; projectio est medium ad omissionem, & ex hoc capite est mala, quòd si retractaverit pœnitendo illius actûs, tunc aliæ omissiones non imputabuntur ad peccatum. Progredior nunc ad tempus omissionis, circa quod est controversia, quonam tempore imputatur omissionis peccatum, Marsilius 2. q. 21. art: 2. docet illud imputari præcisè eo tempore, quo implendum erat præceptum, nullo autem modo, dum causa ejus inevitabilis ponitur, & consequenter docet posse aliquem obdormire in gratia, & evigilando habere peccatum mortale, eò quòd tempus impletionis præcepti inciderit in moram illam, quâ dormivit; huic sententiæ videtur favere D. Thomas 2. 2. q. 79. art: 3. Econtra docent alii, tunc tantùm imputari omissionem ad culpam, quando ponitur ejus causa inevitabilis, Ita Alensis in 2. parte q. 113. n. 7. & plures alii. Tertia sententia asserit utroq; modo, & tempore peccari, primò quando ponitur causa liberè: Secundò, quando contingit effectus. Ita Scotus 4. d. 12. q. 1. art: 7. Cajetanus 2. 2. q. 15. art: 4. Ego

V. Tempus omissionis quando imputatur ad culpam.

Dico Tertiò: *Omissio non imputatur ad culpam tunc primùm, quando in effectu contingit transgressio actualis.* Est communis contra Marsilium. Probatur: Omissio actualis, cui data est antè causa, potest contingere in somno, vel in ebrietate, sed pro tunc non est capax malitiæ, ergò: Probatur min: peccatum non committitur nisi per exercitium libertatis, nam ut ait Augustinus, peccatum adeò voluntarium est, ut si voluntarium non sit, peccatum non sit, sed nullum libertatis exercitium perfectum in somno, vel ebrietate habetur, ergò si tunc contingeret adesse tempus implendi præceptum, omissio aliam malitiam non habebit, quàm malitiam derivatam à positione causæ, inde enim libertatem habet. Vel sic formo argumentum: Actus externus tam diu est capax malitiæ moralis, quamdiu est capax libertatis, sed actus contingens in somno, vel ebrietate non est capax alterius libertatis quàm causæ, ergò nec alterius malitiæ, & consequenter positâ causâ planè inevitabili, ponitur malitia omissionis.

Probatur Secundò: Ex opposita sententia sequeretur posse hominem in eodem puncto temporis habere perfectam contritionem, & simul peccare mortaliter, sed consequens est absurdum, ergò: Probatur sequela: Posito casu, quòd injustè alterum lethaliter vulneraverit, aut ei venenum propinaverit, si postmodum de hoc peccato habeat perfectam contritionem, poterit in eodem puncto me nolente is mori, cui dedi causam, ergò si effectus externus imputetur semper ad peccatum, quando contingit, ero reus homicidii, & simul contritus.

Dices: Omissionem tunc non fore malam, quia retractata est volitio, quæ fuit causa ipsius. Contra: Illa volitio, quâ vulneravi hominem, vel quâ impedimentum posui nè audiam Sacrum, omnem effectum, quem potuit habere, habuit, & transiit in præteritum, ergò jam non est amplius in mea potestate, ergò omnem effectum, quem aliàs daret omissioni, aut commissioni revera dedit, & consequenter non obstante illa retractatione omissio habuit totum quod potuit, vel aliàs habuisset. Deinde ex hac ipsa solutione habetur intentum conclusionis, si enim à positione causæ habet omissio suam malitiam, ergò non solùm tunc peccatur, quando ponitur omissionis effectus, sed etiam, & quàm maximè quando datur causa inevitabilis. Quod confirmatur ex sæpè dictis, medium ex se indifferens, si habeat malum finem, vel econverso, semper erit malum, sed causa necessaria transgressionis debet esse, vel medium, vel finis respectu omissionis, ergò malitiam omissionis participabit.

Dico

VI. Omissionis peccatum principaliter ex causæ positione imputatur.

Dico Quartò: *Peccatum omissionis* (*Idem est de quovis habente causam*) *principaliter ponitur ex positione causæ, si non sit in voluntatis potestate talem effectum vel impedire, vel retractare, si verò sit, consummatur ipsa positione effectûs.* Hæc est conformis menti antiquorum, Alensis &c. Eámq; habet Vasquez d. 94. art: 4. Probatur Primò pars: Præceptum obligans ad actum vel ejus omissionem, obligat etiam ad omnia necessariò requisita, & consequenter ad non ponendum obicem tali actui, vel omissioni, sed ad malam omissionem vitandam necesse est, ut ei non detur causa inevitabilis, ergò dando talem causam peccatur inchöativè contra præceptum de non omittendo. Dixi, *si non sit in potestate voluntatis*, &c. Propter dicta in priori conclusione, quod enim non est in potestate, non est capax novæ malitiæ, quòd si sit in ejus potestate, jam non est causa inevitabilis, vel certè liberum erit retractare peccatum agendo pœnitentiam, antequàm effectus sequatur, quod si non fiat, censetur homo velle effectum de novo moraliter, ac per hoc consummatur malitia. Sed in contra

Arguitur Primò: Loth ebrius peccavit peccato incestûs, ergò non requiritur ad malitiam effectûs, qui dum contingit, posset non poni, vel retractari. Antec: Probatur ex S. Ambrosio lib: de Eccles: & jejunio cap. 4. & 5. dicente: *Fuit ebrietas Loth origo incestûs, pessimæ regeneratricis deterior partus.* Ubi secundùm Glossam *cap. Inebriavit distin:* 1. per regeneratricem intelligitur Ebrietas genita à vino, quæ postmodum genuit partum deteriorem, scilicet incestum, sed certum est, Loth non advertisse hoc malum dum contigit, ergò ex positione malæ causæ potest contingere malitia in effectu per se non voluntariò. Respond: Loth excusari à peccato incestûs secundùm Chrysost: hom: 44. in Gen: ubi ait: *Nunc autem & superna dispensatione factum, ita fuisse eum aggravatum vino, ut omninò ignoraret, nè scilicet fieret criminum reus, ea enim peccata nos condemnant, quæ scientes & voluntariè facimus.* Idem sentit Hieronymus epist: 22. de custodia virginitatis, Origenes hom: 5. in Gen: D. Thomas 22. q. 25. art: 4. Idem videtur sentire S. Augustinus lib: 22. contra Faustum cap. 44. ubi ait: *Inebriàrunt filiæ Loth, & eo nesciente se miscuerunt, qua propter culpandus est quidem, non tamen quantum illæ, incestûs, sed quantum illa meretur ebrietas.*

Arguitur Secundò pro Marsilio: Præceptum affirmativum non obligat, nisi pro tempore determinato, ergò quamvis ponatur ante illud ejus causa inevitabilis non fit transgressio, nisi secuto effectu, unde si quis prævideret ex dormitione sua omissionem sacri die festo, evigilaret autem posteà casu, & missam audiret, non peccaret. Respond: distin: antec: Quantum ad exercitium actûs, conc: quantum ad non ponendum obicem, vel impedimentum tali exercitio, neg: antec: & consequ: cum exemplo allato, talis enim verè peccaret inchöativè, & si casu evigilando omitteret, graviùs adhuc peccaret, quia renovaret causam omissionis.



DISPUTATIO SEPTIMA.

DE

Regulis bonitatis & malitiæ Actuum Humanorum.

PROOEMIUM.

EX dictis per decursum hujus tractatûs constat bonitatem, & malitiam humanorum actuum, in genere moris desumendam esse ex conformitate, vel difformitate ad regulas morum, quarum una est remota, scilicet divina voluntas, quæ est lex æterna, ùt dicit D. Augustinus lib: 22. contra Faustum cap. 27. *Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum aliquod contra æternam legem, lex verò æterna est ratio divina, vel voluntas DEI, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.* Et ab hac dimanant cœteræ leges naturales, & humanæ: Altera *proxima, & immediata*, scilicet recta ratio, seu conscientia, applicans & proponens nostræ voluntati legem DEI æternam, cœterásq; ab ea dimanantes. Hinc ad meliorem intelligentiam dictorum de actibus liberi arbitrii, seu humanis in hac disputatione cum communi censeo esse agendum. Unde sit:

QUÆSTIO PRIMA.

An, quomodo, & in quibus teneatur homo se conformare voluntati divinæ?

I. Voluntas humana quatuor modis potest conformari divinæ.

PRo resolutione hujus quæstionis Notandum Primò: Nostram voluntatem cum divina quatuor modis conformari posse: Primò, quatenus voluntas nostra vult idem quod divina: Secundò, quatenus propter eundem finem vult: Tertiò, quatenus vult per eundem habitum, vel formam: Quartò, quatenus vult id, quod DEUS vult illam velle. Constat autem non esse necessarium tertio modo nos conformari divinæ voluntati, quia non semper debemus operari ex charitate, ex qua DEUS operatur, licèt ad hoc obligemur, ut nihil velimus charitati contrarium: Nec etiam secundo modo juxta Scotum, nam non debet homo semper operari propter DEUM, quidquid dicant alii, sed sat est, ut nihil contra DEUM faciamus: Quare tota controversia est circa primum & quartum modum.

Notandum Secundò: DEUM posse tribus præcipuè modis velle nos aliquid velle: Primò, solùm approbando, ut quando volumus aliquid ex se quidem bonum, sed majoris

II. DEUS tribus modis potest velle nos aliquid velle.

joris boni impeditivum: Secundò, consulendo, qua ratione vult omnes amplecti Evangelica consilia; & patet ad hæc duo per se loquendo nos non obligari, nisi aliunde votum, aut præceptum accedat. Tertiò præcipiendo, & tunc constat, nos debere conformare divinæ voluntati. Si vis cum communiori adde quartum modum, scilicet permittendo, sed impropriè, nam ut Scotus 1. d. 47. q. un. n. 3. dicit, quæ DEUS solùm permittit, non vult fieri, sed solùm vult non impedire.

III. Voluntas DEI alia antecedens, alia consequēs.

Notandum Tertiò. Voluntatem DEI inter alias ejus divisiones, quæ in primo sententiarum videri possunt, dividi in *Antecedentem* & *Consequentem*. *Voluntas antecedens* dicitur illa secundùm Damascenum, lib. 2. cap. 8. & 29. quâ DEUS efficaciter à seipso determinatus absolutè aliquid vult, non respiciendo determinationem causæ secundæ, seu nihil præsupponendo ex parte creaturæ, quare ita velit: ex hac voluntate fuit mundi creatio, gratuita primæ gratiæ, & bonorum spiritualium collatio. *Voluntas consequens*, quæ & *Beneplaciti*, & ab aliis dicitur *subsequens*, vel *concomitans*, est illa, qua DEUS aliquid vult non absolutè, sed conditionatè, vel dependenter ab actione causæ secundæ, vel ex præsupposito aliquo ex parte creaturæ, quare ita disposuerit, vel facit, sic DEUS dicitur determinari à nostra voluntate, & cum ea concurrere ad hunc, vel illum actū, per hanc dedit gratiam & infligit pœnam, quia præsupponitur ex parte creaturæ causa, videlicet peccatum: confert similiter gloriam, eò quòd præsupponatur medium, ex his autem quædam vult immutabiliter, ut omnes homines semel mori, & pœnas damnatorum esse æternas, quædam vult conditionatè, & mutabiliter scilicet, nisi hominū industriâ aut præcibus avertantur, sic vult vastationes regnorum, & peccatorem nondum defunctum punire pœnâ gehennæ æternâ.

IV. Voluntas

Notandum Quartò. Voluntatem antecedentem ab aliis aliter explicari: *Antecedens* dicitur: Qua DEUS leges rectas condit, & quantum est de se necessaria auxilia confert ad ipsas implendas, nisi ponatur obex. Hac voluntate *vult omnes homines salvos fieri*, 1. Timoth. 2. *Consequens* verò huic opposita est, quâ DEUS ipsum effectum in particulari tribuit, dando scilicet gratiam & tollendo omnem obicem, & de hac non potest intelligi præfata authoritas Scripturæ, ut supra dixi, quare istæ diversæ acceptiones benè notandæ sunt ad evitandas & solvendas æquivocationes, quæ ex hujusmodi diversitate suboriri solent. His prænotatis — antecedens & consequens aliter explicantur.

V. Homo tenetur se conformari DEI voluntati.

Dico Primò. *Tenetur homo se conformare voluntati DEI præcipienti, vel prohibenti aliquid, quamvis ejus præceptum non sit alioquin signum divinæ voluntatis in re, sed solùm obligationis, quam inducit.* Est communis, & 1. pars patet ex illo Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Secunda pars etiam patet ex illo Gen. 22. ubi DEUS præcepit immolari Isaac, quod tamen re ipsa noluit, ut demonstravit effectus, atque adeò præcepto illo intendit obligare Abraham ad obediendum, ut fides ejus magis ostenderetur, unde Augustinus eleganter hoc explicat lib. quæstio. super Gen. q. 57. & 58. dicens: *Tentat vos Dominus DEUS vester, ut sciat, si diligitis eum, etiam hoc genere locutionis, ut sciat, dictum est, ac si diceretur, ut scire vos faciat: quoniam vires dilectionis suæ hominem latent, nisi divino experimento etiam eidem innotescat . . . modo enim cognovi, quoniam times DEUM tu. Etiam ista quæstio simili locutione solvitur: hoc est enim, nunc cognovi, quoniam times DEUM tu: quod significat, nunc te feci cognoscere.*

VI. Voluntati DEI consulenti possumus non tenemur semper conformari.

Dico Secundò: *Voluntati DEI permittenti, vel consulenti non tenemur conformari, licèt semper possimus licitè velle omne illud, quod DEUS vult servato illo motivo, propter quod DEUS vult.* Est communis. Probatur I. pars: Quia ad sola præcepta

cepta, obligamur, sed consilia non sunt præcepta, nec positiva, nec naturalia, ergò. Secunda pars etiam probatur Matth. 6. docet nos DEUS orare, ut fiat voluntas DEI in omnibus, sed quod licitè oramus, licitè volumus, ergò. Confirmatur ex D. Augustino super Psalm. 100. ubi ait: *Tunc rectum est cor hominis, quando omnia vult, quæ DEUS vult.* Ratio etiam est, quia omnia volita à DEO etiam ipsa permissio peccati sub motivo, quo eam vult DEUS, est bona, & conformis rectæ rationi, sed licet velle omne bonum, ergò.

Dices: Contra præceptum de diligendo proximo facit, qui vult, ut peccet, sed volendo permissionem peccati à DEO volitam, vult ut proximus peccet, ergò. Probatur min. ad illam permissionem sequitur infallibiliter peccatum, ergò volens illam, consequenter vult peccatum. Respond. distin. min. Volendo permissionem ex eo motivo, quo DEUS illam vult, neg. min. sub alio motivo, in quantum est causa inimicitiæ cum DEO, conc. min. Ad prob. neg. conseq. quoties enim antecedens est simpliciter bonum, nullo modo potest esse causa mali consequentis, sic autem est, quod voluntas permissiva DEI sit bona simpliciter, & nullatenus causa malitiæ consequentis, ergò velle ipsi conforme in motivo non potest vitiari per malitiam consequentis: Hinc de damnatione æterna jam alicui facta, potest quis licitè lætari sub motivo justitiæ, ut docet D. Bernardus in Psalm: *Qui habitat.* His verbis: *Ego in interitu vestro ridebo, sanè inquit, quod sapientiæ placuit, sapientibus universis necesse est placere, non quòd quadam immanitate crudelitatis in ipsa ultione complaceant, sed quòd modus divinæ ordinationis super modum oblectet, cùm sit pulcherrimus.*

VII. Voluntati antecedenti debet se homo conformare.

Dico Tertiò: *Quæ DEUS vult fieri antecedente voluntate, ut creare mundum, quòd in æstate sint dies longiores; Et etiam voluntate consequente inevitabiliter in iis, quæ amplius à libero arbitrio non dependent, ut sunt pœna æterna damnatorum, præmiatio justorum, illi voluntati debet se voluntas creata conformare, si non positivè, saltem negativè.* Est D. Thomæ 1. 2. q. 19. art. 10. Probatur quoad I. partem: Omnia, quæ defacto contigerunt, vel contingunt in mundo absque concursu voluntatis creatæ, constat esse efficaciter volita à DEO voluntate antecedente, ergò debet se homo tali voluntati conformare: Probatur conseq. Quia talis homo nolendo efficaciter, quod DEUS vult efficaciter, aut vellet reddere divinam voluntatem irritam, & impotentem, aut certè ei bellum indiceret apertè, quod esset magnæ impietatis, & grandis malitiæ. Deinde Voluntas divina jure creationis & gubernationis habet dominium jurisdictionis in voluntatem creatam, sicut superior in inferiorem, ergò sicut subditus peccaret nolendo efficaciter, quod superior efficaciter vult, ita in proposito; unde etiam Philosophus dixit, quod parum valentes intellectu, ex ipsa natura sint servi eorum, qui ingenio pollent, quia hi debent esse pro regula istis.

Secunda Pars etiam probatur ex D. Augustino lib. 7. de Civ. DEI cap. 24. dicente: Illicitum esse orare pro eo, quem constat esse in inferno, quia hoc esset conari ipsum eripere, & juvare contra efficacem DEI voluntatem, & determinationem. Et in Psal. 35. ait: *Voluntas DEI est, ut aliquando sanus, aliquando ægrotus sis, si quando sanus, dulcis est voluntas DEI, quando ægrotas, amara, non recto corde, & quare? Quia non vis voluntatem tuam dirigere ad voluntatem DEI, sed DEI vis incurvare ad tuam.* Dixi saltem *negativè*, quia si non semper teneor conformari, saltem debet mihi non displicere. Hinc etiam S. Augustinus jam citatus non reprehendit simplicem displicentiam ægritudinis, sed voluntatem absolutam, quòd autem positivè teneremur velle, nullum apparet præceptum tantam inducere obligationem.

Dico

VIII. Voluntati cõsequenti dependenter à nostro consensu non tenemur nos conformare.

Dico Quartò: *Quæ DEUS vult fieri voluntate consequente, dependenter à nostro libero arbitrio, non tenemur in illis nostram voluntatem conformare, sed possumus efficaciter conari contrarium.* Probatur: Quia hæc, cùm sint disconvenientia, principaliter imputantur voluntati creatæ, sine cujus consensu DEUS ista non vellet, ergò. Hinc quando Petrus cognovit permissionem & vaticinium divinum de suo peccato futuro, poterat & debebat nolle illud, & quantum potuit conari ad resistendum. Ratio autem ulterior est, quia cùm DEUS illa non velit absolutè, sed sub conditione, nisi humano intento, & industriâ avertantur, nullo modo repugnat, aut contrariatur ipsius voluntati, qui dictam conditionem conatur ponere, aut ponit, qua positâ DEUS amplius non vult ipsa ponere: hinc patet, quòd si DEUS alicui revelaret propriam damnationem, quòd posset, imò teneretur omnibus precibus illam impedire & orare, nè DEUS illam ponat, quia damnatio dependet à libero arbitrio voluntatis humanæ, & deberet cogitare, quòd comminatoriè DEUS loquatur, sicut Ninivitis subversionem; si tamen non tantùm comminatoriè revelaretur, sed etiam determinatè finalis in peccato permanentia & mors, puto talem hominem non teneri ad impediendam suam damnationem, ratio est, quia ad impossibile nemo tenetur. Docet etiam Vasquez disp. 72. cap. 3. Eum, qui certa revelatione didicit se peccaturum, non debere efficaciter implorare auxilium divinum, nè peccet, sed hoc non videtur sustinendum, quia secundùm D. Bonaventuram semper accipi debent, ut comminatoriæ. Deinde homo secundùm se tenetur conari, nè peccet, ergò potest etiam auxilium alterius petere ad eundem effectum.

IX. DEUS quæ vult efficaciter potest homo non velle inefficaciter.

Dico Quintò: *Illa, quæ DEUS vult efficaciter voluntate antecedente, potest homo nolle inefficaciter.* Probatur, DEUS decrevit efficaciter passionem Christi, sed simplicem ejus displicentiam habuit Christus, dum dixit: *Si possibile est, transeat à me calix iste, &c.* Item D. August. c. 101. Enchir. *Aliquando*, inquit, *bona voluntate homo vult aliquid, quod DEUS non vult, tanquam si bonus filius patrem vellet vivere, quem DEUS bona voluntate vult mori.* Hinc Anselmus lib. de similibus dicit: Discipulos S. Martini fore crudeles, si nolint sanctum mori, quem DEUS voluisse noverunt. Denique ex opposita sententia sequeretur, non licere habere ullam displicentiam de bellis, persecutionibus, & similibus malis pœnæ, quæ tamen DEUS efficaciter vult.

Arguitur in contra: 1. Reg. 16. Reprehenditur Samuel, quòd luxerit Saulem à DEO reprobatum: *Usquequò tu luges Saul, cùm ego projecerim eum, nè regnet super Israël?* non est autem credibile, quòd luctus Prophetæ præcesserit ex voluntate contradicendi efficaci voluntati DEI, ergo ob inefficacem, & simplicem nolitionem illius, quod DEUS efficaciter voluit intelligitur reprehensus. Respond: cum Lyrano nostro, neg. antec: Nulla enim vox reprehensionis habetur in textu, sed tantùm certificatur Samuel de divina dispositione circa Regem Saul, quem ante non cognovit determinatè, vel si est verum, quòd reprehensus fuerit, dic ideò fuisse factum hoc, secundùm Cajetanum, quia excessit in luctu.

Opponitur Secundò: Authoritas S. Augustini in Psalm: 35. suprà citati, ubi videtur improbare displicentiam de infirmitate à DEO immissâ & ab eo volita, ergò. Respond: S. Augustinum loqui de eo, qui habet voluntatem & displicentiam positivam de voluntate DEI, ejúsq; suavissima dispositione, non verò de simplici displicentia; Aut loquitur de eo, qui contra obmurmurat, & impatienter acceptat, vel renuit acceptare, non verò de eo, cui displicet morbus, quatenus naturæ contrarius, placet tamen absolutè, quatenus morbus subest divinæ dispositioni, cui se totum subjicit.

Arguitur Tertiò: Qui vult contrarium ejus, quod vult DEUS, optat saltem implicitè, ut divina voluntas frustretur suo effectu. Resp. neg. assumptum, cum non velit absolutè contrarium illius, quod vult DEUS, sed simplici, vel conditionato affectu, quem divinæ voluntati submittit cum tacita saltem conditione, si DEO placeret, vel nisi DEO aliter visum esset, aut optat divinum decretum non esse positum: aut denique à divino decreto præscindit, & in illa præcisione considerando rem secundùm se, desiderat simplici affectu, morbum non adesse, vel patrem v. g. non esse mortuum.

X. Voluntas DEI ex effectibus cognoscitur.

Quæres: Unde potest DEUM aliquid velle colligi? Respond. Ex omnibus effectibus positivis; partim, si non sunt alia lege prohibiti, nam nihil existere potest illo nolente; antequam autem effectus existant, non potest aliunde colligi, nisi ex revelatione, quæ tamen revelatio, si sit de aliquo futuro, vel damnatione, regulariter intelligi debet in sensu conditionato, vel comminatorio, nisi aliud distinctè & expressè contineatur in revelatione, ut jam supra dixi, quod benè declarat D. Thom. q. 23. de veritat. art. 2.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quid, & quotuplex sit Conscientia?

I. Conscientia est proxima regula actûs humani & variè accipitur.

CONscientia proxima Regula actûs humani & moralis diversimodè accipitur à Patribus, & Authoribus, nam D. Augustin. præfatione in Psalm. 31. circa medium in illud 1. Tim. 1. *De corde puro & conscientia bona*, accipit conscientiam pro spe, quia spes bona ex bona nascitur conscientia dicens: *Finis, inquit, præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, pro spe conscientiam posuit. Ille enim sperat, qui conscientiam bonam gerit. Quem verò pungit conscientia mala, retrahit se à spe, & non sibi sperat, nisi damnationem. Ut ergo speret regnum, habeat bonam conscientiam, & ut habeat bonam conscientiam, credat & operetur, quia quod credit, fidei est, & quod operatur, charitatis est.*

II. Conscientia accipitur etiam pro opere voluntatis.

Secundò accipitur pro ipsa voluntate, seu inclinatione ejus ad bonum, & malum; aut operatione huic inclinationi conformi; aut etiam pro ipso tali opere, juxta hanc acceptionem videtur locutus fuisse D. Paulus ad Hebræos 9. *Quantò magis Sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum DEO, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum DEO viventi*, proprium autem est voluntati emundari, sicut proprium est illi peccato coinquinari, hinc oritur communis loquendi modus, quo dicuntur homines bonæ, vel malæ conscientiæ, sic etiam dicunt confessarii pœnitentibus, ut examinent conscientiam suam, id est, opera & facta, quæ latent in conscientia, & quibus voluntas aggravata est, unde Authores nonnulli sumpserunt occasionem statuendi conscientiam in actu voluntatis, ut Henriquez. Alii in voluntatis habitu, ut videre est apud Vasquez disp. 59.

III. Conscientiæ Ethymologia.

Tertiò, & propriè sumitur Conscientia pro aliquo pertinente ad intellectum, quod etiam Ethymologia nominis indicat, dicitur enim *Conscientia*, quasi *scientia cum seipso*, licèt exterius nihil dicat; vel quasi *cordis proprii scientia*; vel ita dicitur, ut significetur esse scientia cum applicatione principiorum ad particularem actionem; Unde D. Augustin. Enarrat. in Psal. 34. dicit: *Quod alienum est ab opere, alienum est à conscientia, quod alienum est à conscientia, videtur & alienum à scientia.* Vel denique ut loquitur S. Antoninus, ut sit *concludens scientia*, concludens scilicet, quid in particulari sit agendum, dico autem notanter in particulari, ut significetur distinctio à *Synderesi*, quæ dictat de primis principiis generalibus morum, hæc verò de particularibus, & practicis, ex illis deductis conclusionibus. Hinc optimè conscientia dici potest *concludens scientia*, id est, cum alia scientia concludens,

dens, id est, cum Synderesi & recta ratione, nam Synderesis dicit, omne malum est fugiendum, subjungit recta ratio, vel prudentia, adulterium est malum, concludit conscientia, ergo adulterium est fugiendum. Pro quo

IV. Synderesis & Conscientia frequenter pro eodem accipiuntur.

Notandum: Quamvis Synderesis, & Conscientia strictè loquendo inter se distinguantur, prout una respicit principia universalia practica, altera verò conclusiones in particulari ex iisdem deductas, nihilominus sæpè ex communi Patrum usurpatione confunduntur pro eodem, ita ut unius actus, vel officium alteri tribuatur; Et ideò tàm Synderesis, quàm Conscientia dicitur *Lux*, vel *Lumen intellectûs nostri*, Psal. 4. *Signatum est super nos lumen vultûs tui.* Item ab Augustin. & Basil: vocatur *Naturale judicatorium animæ.* Ab Hieronym. dicitur: *Lex naturalis, & scintilla rationis.* Ab Origene vocatur *Spiritus, seu Corrector, & Pædagogus animæ sociatus.* Dicitur etiam *Facies animæ*, quia sicut facies hominis manet semper discooperta cœteris membris occultatis, sic Synderesis vel Conscientia non potest ita cooperiri, quin vel hîc aliquando per remorsum, aut per suos effectus, vel tandem in morte, aut in judicio manifestetur.

V. Synderesis est habitus de principiis primis moralibus.

Dico Primò: *Synderesis est habitus intellectualis inclinans intellectum ad assentiendum primis principiis practicis dictantibus in universali aliquid laudabiliter prosequendum, vel fugiendum.* Probatur: Explicatione singularum partium dicitur: *Quòd sit habitus*, & non actus, quia Synderesis ponitur ab omnibus tanquam quoddam naturaliter inclinans ad bonum, & remurmurans contra malum, & dicitur esse inextinguibile, sed hæc nequeunt convenire actui, cùm sit potius id, ad quod inclinat Synderesis, sitque facilè mobilis ab intellectu. Per eandem rationem patet, quod non sit passio aliqua, cùm hæc sit aliquid consequens ad actum secundum.

Probatur autem quòd sit habitus condistinctus ab ipsa potentia animæ contra aliquos, nam sicut in speculabilibus præter habitum inclinantem ad assensum conclusionis, ponitur alius habitus inclinans intellectum ad assensum primorum principiorum speculabilium, qui ab Aristotele vocatur *Intellectus*, seu Lumen intellectûs, ita à fortiori in operabilibus seu practicis, præter illos habitus, qui inclinant ad assensum conclusionum practicarum, seu qui dirigunt circa agenda in particulari, ponendus est in intellectu alius habitus inclinans & dirigens circa prima principia practica, & hunc vocamus Synderesim. Quòd Synderesis sit habitus intellectûs, & non voluntatis. Probatur I. Quia hæc vocatur ab omnibus lumen, & scintilla rationis, estque quo assentimur principiis practicis, hæc autem sunt propria intellectui, & non voluntati, ergò. Probatur 2. ex Ethymologia nominis, quia Synderesis, vel potius *Syntheresis* derivatur à verbo Græco *Synthereo*, quod Latinè significat attendo, vel considero, quod est proprium intellectûs. Ex his patet Henricum malè derivâsse Syntheresim à *Syn*, quod est *con*, & *hæresis*, quod est *electio*, quasi coëlectio, per hoc volens ostendere, quòd Synderesis ad Voluntatem spectet.

VI. Conscientia non est quid voluntatis.

Dico Secundò: *Conscientia non est actus, aut habitus voluntatis, sed est actus intellectûs.* Ita D. Thomas 1. p. q. 49. art. 13. Scotus 2. dist. 39. q. 2. Prima pars est contra 1. & 2. opinionem, sed probatur secunda pars, ex qua manebit probata etiam prima, ex Scripturâ, Ecclես. 7. ubi dicitur: *Scit enim conscientia tua, quia & tu crebrò maledixisti aliis.* Item ad Rom. 2. *Qui ostendunt opus Legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.* 2. ad Corinth. 1. *Gloria nostra hæc est, testimonium cõscientiæ nostræ*, ubi actus conscientiæ dicitur testimonium, sed scire & testari sunt actus intellectûs, & non

non voluntatis, testis enim debet esse oculatus, & non cœcus, sic Damasc: lib: 2. de fide cap. 12. vocat conscientiam legem intellectûs nostri, alii cognitionem sui ipsius, alii aliter, ut visum est in notabili præmisso. Tandem conscientia dicitur vera, vel falsa, verum autem & falsum ad intellectum spectat, ergò. Sed contra sic

Arguitur: Conscientia dicitur bona, & mala, juxta illud 1. Timoth: 1. *Finis autem præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta*, sed bonum & malum competunt voluntati, ergò conscientia est actus, vel habitus voluntatis potiùs, quàm intellectûs. Respond: distin: maj: Conscientia dicitur bona, vel mala formaliter, seu subjectivè, neg: maj: objectivè, conc: similiter distin: min: & neg: consequ: Unde Nota ex D. Thoma q. 17. de veritate, & aliis, quandoq; conscientiam vocari ipsum intellectum, sic dicitur lumen conscientiæ non extingui, aliquando verò sumitur pro objecto, sic dicitur, quod in confessione aperiamus nostram conscientiam, id est, id quod in conscientia hominem accusabat, sed istæ acceptiones sunt impropriæ, ut suprà dixi, sic etiam dum dicitur bona, vel mala conscientia, intelligitur objectivè, acsi diceretur conscientia de bono vel malo objecto.

VII. Conscientia propriè dicta est actus intellectûs.

Dico Tertiò: *Benè describitur Conscientia propriè dicta, quòd sit actus intellectûs judicantis in particulari aliquid esse fugiendum, vel prosequendum, prœmiô, vel pœnâ dignum ex principiis practicis cum aliqua credibilitate deductis.* Vel breviter, *Conscientia est scientia actualis acquisita inclinans ad assensum Conclusionis deductæ ex principiis practicis universalibus dictans in particulari quid sit agendum.* Utraq; definitio patet, & prima non indiget nisi explicatione. Dicitur *Actus intellectûs judicantis*, ut excludantur non solùm habitus, sed etiam omnis actus voluntatis, ac omnia alia, quæ præcedunt rationalem cognitionem, ut sunt prima apprehensio, consilium, deliberatio, quæ sunt actus intellectûs, aliud enim est apprehendere, consiliari, deliberare de faciendo vel non faciendo, aliud judicare, hoc esse faciendum vel non, per quem actum tamen formatur conscientia. Dicitur *in particulari*, quia ad synderesim spectat judicare, bonum esse amandum. Dicitur, *Ex principiis*, quia cùm conclusio sit de praxi, debet procedere ex principiis ejusdem generis, hinc talis erit conscientia, qualia sunt principia, si erronea; si probabilia probabilis; si certa, certa. Additur præterea *Cum aliqua credibilitate*, Quia conscientia debet adhærere principiis aliquam speciem credibilitatis habentibus, hinc si non apprehendatur credibilitas principiorum, ut sunt, quæ ex mera malitia dicunt bonum malum, & malum bonum (esto vulgi dicantur habere malam cõscientiam impropriè loquendo) nullam habent conscientiam: Ratio hujus est, Quia talis non adhæret conclusioni propter ulla principia, quæ novit esse falsa, sed propter solam suam malitiam, tales sunt, qui hæreses fingunt, scienter spargunt, de quibus D. Paulus admonet suum Timoth: in 1. epist: cap. 1. *Hoc præceptum commendo tibi fili Timothee, secundùm præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam malitiam, habens fidem, & bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt*: Ubi dicit, eos, qui scienter falsam doctrinam tradunt, repellere bonam conscientiam, non dicit autem eos habere ullam. Sed in contra

Opponitur Primò: Authoritas Doctoris subtilis 2. d. 39. q. 2. n. 4. ubi docet, Conscientiam esse habitum principiorum, ergò conscientia non est actus, sed potiùs habitus intellectûs. Respond: neg: consequ: Quia conclusio non negat, quin etiam conscientia possit habere rationem habitûs, sed tantùm asserit propriam & præcipuam rationem consistere in actu, ut patet ex illis particulis ibidem limitantibus, unde ajo cum Doctore, Conscientiam etiam pro dictamine habituali posse accipi, VIII. Conscientia potest etiam dici esse habitus.

nam

nam ab isto denominantur etiam homines dormientes rectæ conscientiæ, qui sunt habitualiter justi & DEUM timentes. Putarem tamen istud habituale dictamen, non esse aliquem unum habitum, qui dicatur conscientia habitualis, sed partim esse ipsam vim potentiæ intellectivæ, & innatam dispositionem, partim multiplicem habitum aggregatione unum, sicut aliqua scientia totalis dicitur una.

Arguitur Secundò: Patres vocant synderesim lumen naturale intellectûs, seu naturale judicatorium, ergò non est habitus superadditus, sed aliquid ab ipsa natura inditum intellectui. Respond: negando consequ: Quia synderesis vocatur lumen naturale &c. non quòd sit à natura nobis congenita, sed vel quia ita facilè acquiritur, ut videatur à natura indita, sicut aliqui quandoq; tam facilè addiscunt artes, ut videantur à natura habere ipsas, unde etiam in communi sermone solemus dicere, hunc à natura esse Musicum, à natura Poëtam &c. Vel certè dicitur lumen naturale, quia ita inclinat ad assensum principiorum sine ullo judicativo medio, ut videatur nihil differre ab ipso intellectu, & ex hoc vocatur *naturale judicatorium*, sicut per eandem rationem Philosophus vocat habitum primorum principiorum in speculabilibus nomine proprio ipsius *Intellectûs*.

Arguitur Tertiò: Synderesis est remurmurare malo, & instigare voluntatem ad bonum: Et Conscientiæ est remordere, nam Glossa super illud 1. ad Corinth: *Nibil mihi conscius sum*, sic exponit: *In nullo me conscientia remordet*, sed remorsus est quidam dolor & passio, ergò pertinet ad potentiam affectivam, qualis est voluntas, & non ad intellectum. Respond: distin: antec: Synderesis est remurmurare effectivè, neg: antec: ostensivè, quia ostendit voluntati esse objectum fugiendum, conc: antec: & neg: consequ: Itaq; hac ostensione habita, voluntas cujus proprium est formaliter fugere à malo, formaliter remurmurat. Eodem modo dico de remorsu conscientiæ: Conscientia enim dictat & concludit ex principiis per synderesim & rationem notis, hoc malum in particulari esse detestandum, quo dictamine posito voluntas formaliter remordet, & detestatur malum.

Arguitur Quartò: Conscientia est potentia animæ, ergò non est actus, aut habitus ejus: Probatur antec: soli potentiæ competit esse subjectum peccati, sed conscientia est subjectum peccati, juxta illud ad Titum 1. *Inquinatæ sunt eorum, & mens, & conscientia*, ergò. Respond: neg: antec: ad prob: trans: maj: & neg: min: ad illud ex ad Titum dico, in tantum dici conscientiam inquinatam, quando non sequitur synderesim, vel conscientiam sic vel sic faciendum dictantem, & in hoc sensu vocatur *Spiritûs Corrector*, non quòd sit ipsa mens, vel potentia animæ, sed quòd sit actus, vel habitus, quò anima seu Spiritus actualiter vel habitualiter corrigit & redarguit hominem.

Venio ad secundam partem tituli quæstionis, nempè Conscientiam primò dividi in actum intellectûs, seu *judicium de rebus faciendis*, quo sensu dicimus nos debere accommodare conscientiæ, & *conscientiam de rebus jam factis*, sic dicimus nos habere remorsum conscientiæ, id est, cognoscit se malè fecisse, aut peccâsse; & è contrario in bonis, ut Paulus ait de Rom. 9. *Testimonium mibi perbibente conscientiâ meâ.* Inter has autem duas significationes hæc est differentia: Quòd Prima sit judicium practicum, id est, dirigens ad operationem. Secunda verò, id est, de peccato jam facto est speculativum, & non deservit ad malitiam moralem, nisi quatenus indè sequitur obligatio postea aliquid faciendi, ut homo exsurgat à peccato, sed tunc necessariò debet sequi judicium illud practicum de faciendis, à quo sumitur immediata regula actionum humanarum, nam contra conscientiam, malum,

malum, secundùm verò illam operari, bonum est.

IX. Conscientiæ officia. Ex data divisione colligitur hæc esse officia Conscientiæ, Primò respectu præteritorum pertinet ad ipsam testificari, laudare, & consolari super benè facta, ut Paulus ait: *Nihil mihi conscius sum*, respectu verò malè factorum est ipsius accusare, reprehendere, & remordere, nempè ostensivè. Secundum officium est in ordine ad agenda, & futura, & tunc ipsius est, ligare, seu obligare, instigare & dirigere voluntatem ad operandum; respectu verò tam factorum, quàm fiendorum, agendorum, & actorum, universaliter pertinet ad conscientiam judicare & dijudicare. Verùm data conscientiæ divisio videtur potius esse ex objectis & actibus, attento autem ejus primo & universali officio ad secundam quæstionis partem

X. Conscientiæ variæ divisiones. Dico Quartò: *Conscientia ut sic benè dividitur in quinq; species.* Quæ sunt *Recta, Infallibilis*, seu *Vera*: *Dubia* seu *Incerta*: *Erronea* seu *falsa*: *Probabilis* seu *Opinativa*: Et *Scrupulosa*. Hæc est communis apud Sayrum, Castro, Sanchetz, Vasquetz, Layman, contra Posnaniensem, Julium Mercorum Dominicanum &c. Antequam conclusionem probem, explico singulos terminos. *Recta* & *infallibilis* est actus deductus ex principiis infallibilibus, ut sunt lex divina, naturalis, divina positiva, atq; etiam humana clarè proposita. *Erronea* est, quæ sequitur principia erronea, cujusmodi sunt conscientiæ hæreticorum, & infidelium in multis, ut dum putant se offendere DEUM, cùm missam audiunt, imagines venerantur &c. ex eo, quòd sibi persuadeant, absq; tamen debito examinæ, hæc accedere ad idololatriam. *Conscientia Probabilis* dicitur ex principiis opinativis, in quibus semper est aliqua formido de opposito. *Dubia* est, quando nulli parti adhæret, sed manet judicium suspensum. Scrupulosa est, quæ licèt adhæreat uni parti, tamen frivolis motivis inquietatur, & rapitur in oppositum magìs per imaginationem, quàm per rationem. His præmissis

Probatur conclusio: Tot sunt, & benè assignantur sub aliquo genere species, quot deprehenduntur differentiæ formales dividentes illud genus, & cum eo constituentes species, sed sub generali nomine, & re Conscientiæ, quinq; assignatæ differentiæ, reperiuntur, ergò &c. maj: patet. Probatur min: Quia intellectus noster ejúsq; judicium vel consistit in veritate, rectitudine, & conformitate cum universalissimis principiis, in particulari hìc & nunc debitè, & rectè applicatis, & voluntatem rectam dirigentibus, cum omnibus, quæ adesse debent: Vel errat in illis principiis judicando illa aliter quàm in se sint, & bona fide credit aliquod objectum esse honestum, quod revera tale non est, & vice versâ existimat inculpabiliter aliquod esse inhonestum, quod tamen in rei veritate est honestum, nam bonitas & malitia in voluntate non attenditur prout res in se sunt, sed prout ab intellectu tanquam conveniens, vel disconveniens proponitur. Subsumo, sed primum judicium constituit Conscientiam rectam, veram & infallibilem; secundum autem Conscientiam erroneam, ergò bona est divisio conscientiæ quoad hæc duo membra. Progredior ulterius: Judicium intellectûs aliquando est ambiguum, fluctuans, neutri parti adhærens, & suspensum manens; Aliquando verò adhæret & assentitur, sed cum formidine de opposito; Aliquando deniq; judicium intellectûs movetur levibus quibusdam fundamentis magis ad unam partem, quàm ad alteram, & hoc ex timore & suspicione: Si primô modô dirigat intellectus operationem voluntatis, est conscientia dubia; si secundo, est conscientia probabilis, si tertio est conscientia scrupulosa, ergò quinq; erunt diversæ conscientiæ, quia tot differentiæ judicium intellectûs dividentes & constituentes.

Brevissimè sic potest fieri argumentum: Veritas, Falsitas, Ambiguitas,

guitas, Opinio, & Suſpicio ſunt quinq; diverſæ ſpecies, ſed hæ ſpecies conſtituunt, & dividunt conſcientiam, ergò tot diverſæ conſcientiæ.

Aliqui addunt adhuc aliam ſpeciem nempè *fatuam*, quam & *hypochondriacam* apellant, quæ ex nullo principio intellectûs, ſed potiùs ex humore aliquo melancholico delirando procedit, adeóq; non meretur nomen conſcientiæ. Suarez, ſupra addit adhuc unam ſpeciem nempè *Temerariam*, à Temeritate ſuam habentem differentiam, ſed quia temeritas ſine fundamento debito precedit non dijudicando, an licitum aliquid ſit vel illicitum? Ideò non inter conſcientias, ſed inter defectus conſcientiæ eſt numeranda, quas etiam in ultima referam quæſtione. nunc ſit

QUÆSTIO TERTIA.

De Conſcientia Recta & Infallibili?

I. Conſcientia Recta deſcribitur.

ILla dicitur Conſcientia infallibilis & recta, cujus principia ſunt recta & infallibilia, ſeu quando judicium intellectûs regulans voluntatem ad proſequendum, vel fugiendum aliquod objectum à parte rei eſt tale, quale proponitur ab intellectu, & ſic conformatur ipſi objecto ſecundùm bonitatem vel malitiam. Certum autem eſt, qui ex illa operatur, benè & meritoriè, ſi cœtera adſint, operari, undè D. Auguſtinus Præfat: in pſalm: 31. circa medium hortatur omnes dicens: *Qui vult habere ſpem bonam, habeat bonam conſcientiam, ut autem habeat bonam conſcientiam, credat, & operetur. A medio imus ad initium & finem, credat & operetur, Quod credit fidei eſt, quod operatur charitatis.* Unde de Conſcientia recta nullæ particulares occurrunt difficultates; ſi quæ ſunt, breviter expediam, &

II. Conſcientiam contra rectam agens peccat.

Dico Primò: *Quiſquis contra Conſcientiam rectam agit, peccat.* Eſt D. Thomæ 1. 2. q. 19. art: 5. & 6. & communis. Probatur Primò: Ex D. Paulo ad Rom: 14. *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, id eſt, ut Patres communiter explicant, omne quod eſt contra conſcientiam peccatum eſt &c. Secundò ex ratione: Quia voluntas toties peccat, quoties non ſequitur regulam ſuam, ſed conſcientia rectè præcipiens, vel prohibens eſt proxima regula voluntatis, ergò ſi non ſequatur illam, peccabit, ſive poſtmodum non ſequatur in actibus ſuis elicitis, ſive in imperatis aliarum potentiarum, nam etiam alias potentias juxta regulas movere debet. Sed quo genere peccati? Exiſtimo ego eodem peccati genere peccare, quo peccat transgrediendo legem & præceptum DEI, & Ratio eſt, quia eadem obligatione, qua tenetur ſervare præceptum, tenetur obedire conſcientiæ præcipienti aliquid fugiendum, vel proſequendum.

III. DEUS non poteſt diſpenſare, ut agat quis contra conſcientiam.

Dico Secundò: *DEUS non poteſt diſpenſare, ut agat quis contra conſcientiam rectam, quà propriè talem, benè tamen auferre præceptum, vel obligationem.* Ita tenet Vaſquez. Probatur, Quia DEUS non poteſt diſpenſare, ut quis peccet, cùm DEUS ſit impeccabilis in ſe & etiam reſpectù aliorum, ſed agere contra conſcientiam eſt peccatum, ergò DEUS non poteſt diſpenſare. Confirmatur: Quia diſpenſando in dato caſu faceret, ut quis peccet, & non peccet, atqui hæc eſt formalis contradictio, ergò. Probatur maj: Quia peccaret, eò quòd ageret contra conſcientiam, non verò peccaret, quia DEUS diſpenſaret. *Benè tamen poteſt*, per quod limitavi concluſionem, tollere præceptum vel prohibitionem, & tunc poſſet quis operari, vel non operari, & tamen contra conſcientiam non ageret.

IV. Conſcientia infallibilis non ſemper requiritur ad operandum.

Dico Tertiò: *Ad benè agendum non ſemper requiritur conſcientia recta & infallibilis, ſed ſufficit quandoq; probabilis.* Eſt communis. Probatur: Plures ſunt caſus, in quibus non poteſt haberi certitudo, ergò tunc ſufficit, ut opinionem probabilem ſequa-

sequamur, vel certè erimus semper perplexi: Antec: est manifestum, nam patet, quòd in resolutione multorum casuum Doctores sibi adversentur, quod non contingeret, si casus esset certus & clarus. Confirmatur: Licet Professoribus docere opinionem probabilem, ergò licet in praxi illam sequi. Antec: patet ad oculum. Probatur consequ: Quia aliàs frustra illam docerent, & non esset regula operandi. Res hæc clarè patebit ex dicendis infra de opinione. Sed in contra

Arguitur: Regula operandi in moralibus debet esse actus prudentiæ, sed virtus prudentiæ est semper infallibilis, ergò: Probatur min: Ad rationem veræ virtutis intellectualis videtur requiri certitudo. Confirmatur: Imprudenter ageret, qui timens sibi aliquid non licere, nihilominus ageret, sed qui sequitur puram opinionem, habet semper timorem de opposito, ergò non licet talem sententiam probabilem sequi. Respond: neg: min: & distinguo prob: antec: debet esse certa, certitudine practicâ, & in regulando, conc: ant: speculativè & assentiendo, nego. Hoc est dicere, ipse assensus respiciens objectum fallibile hic & nunc est fallibilis speculativè, quia tamen judicat operans rationabiliter hic & nunc operandum taliter, tale judicium est practicum habens certitudinem regulæ, quæ opponitur perplexitati & errori: Exemplum sit, controversia est inter Doctores, utrum peregrini teneantur legibus territorii, per quod transeunt, multi affirmant, unde exortum est illud: *Si fueris Romæ* &c. multi alii negant, dicentes: Illud axioma tunc tantùm habere locum, quando ex transgressione legis sequeretur scandalum, vel ejus periculum, si ergò contingat me ire ex domo, ubi non servatur jejunium Sabbathi, & veniam in patriam, ubi servatur tale jejunium, poterit secluso scandalo non jejunare, Primò, Quia incertum est, quæ ex his sententiis speculativè sit verior, certum tamen juxta regulas prudentiæ posse judicare, quòd secunda sit tuta & licita, est enim in possessione suæ libertatis, donec ostendatur, quòd lex ipsum obliget, & hæc est certitudo practica sufficiens ad operandum.

Ad Confirmationem Respond. disting. min. habet semper formidinem intrinsecam, nego; extrinsecam, concedo. *Intrinseca formido* est, quæ reddit operantem anxium & dubium, tollens certitudinem practicam, & cum tali timore & formidine nunquam licet operari. *Extrinseca* verò *formido* est, qua etsi operans in intrinseco judicio resolvit se pro una parte controversiæ rationabiliter amplectendo, ab extrinseco tamen id propter multitudinem Doctorum oppositam scientiam defendentium, vel etiam rationum probabilium, formidat de suo judicio, & hæc formido non impedit, quo minus possit operari aliquis, quòd autem certitudo practica non omnem excludat timorem, patet ex Apostolo ad Philipp. 2. *Cum metu & tremore salutem vestram operamini.* Et Prov. 28. *Beatus homo, qui semper est pavidus.* Sed de his redibit fusior sermo in propria disputatione, cùm de conscientia probabili egero, nunc sit — V. Formido intrinseca & extrinseca.

QUÆSTIO QUARTA.

De Conscientia Dubia.

Rectæ & infallibili Conscientiæ ordine & dignitate proxima est alloquin illa, quæ probabilibus, tutis, & tutioribus innititur principiis, ob quæ communiter vocatur Conscientia probabilis, sed quia materia illa de probabilitatibus fusiorem exigit discussionem, pro nunc transeo, de probabili particularem reservans disputationem, ad fluctuantem, seu dubitantem Conscientiam explicandam, pro quo

Notandum Primò: Dubium non esse assensum, vel dissensum, sed indeterminatam quandam mentis trepidationem, vel metum intelle- — I. Dubium quid sit?

ctûs

ctus ad utramq; partem, propter motiva apparentia retrahentia animum dubitantis à determinatione ad alteram partem, unde dicitur *Dubium æquilibre* de aliqua re, quando æqualiter de ea, & de ejus opposito ob æqualia motiva dubitatur, unde etiam Conscientia dubia ea est, quæ velut in æquilibrio pendens neutri parti contradictionis assentitur, & melius negatio conscientiæ, quàm conscientia vocatur.

II. Conscientia dubia alia speculativa alia practica.

Notandum Secundò: Quòd sicut dubium dividitur primò in speculativum, & practicum, ita etiam conscientia dubia alia est *Positiva*, alia *negativa*. Illa est, quæ dictat propter vim aliquarum rationum neutri parti esse assentiendum. Hæc verò est, quæ absq; ullo fundamento hæret inter partes contradictionis. Item alia est *conscientia speculativa dubia*, quæ respicit ipsam legem, vel aliquid, quod immediatè non ordinatur ad actionem, & contingit non solùm in materia speculativa, ut an astra paria sint? Angeli ejusdem speciei? Sed etiam in materia practica, ut si dubitetur, utrum Religiosus nondum sacris ordinatus teneatur recitare Breviarium? An castitatis votum admiserit? Huic enim dubio non opponitur conscientia, sed potius scientia. Ex his tamen & similibus potest sequi conscientia practicè dubia, seu practica, vel practica dubietas, ut v. g. utrum hic & nunc obliger ad recitationem Breviarii &c. Dubium ergò practicum immediatè respicit ipsam actionem.

III. Dubium aliud est Juris, aliud Facti.

Notandum Tertiò: Aliud est *Dubium Juris*, aliud *Facti*. *Dubium juris* est, quando de ipsa lege dubitatur, authoritate Legislatoris, promulgatione, receptione, an Actus commissus, vel omissus sit contra legem, vel in genere, vel in specie? *Facti*; respicit ipsam actionem; Et utrumq; potest esse antecedens, & concomitans, vel subsequens, v. g. dubitat quis, an sit jejunandum hodie? Hoc dubium vel præcedit transgressionem jejunii, vel subsequitur. Item dubitat quis, an mortale peccatum commiserit? Vel si sic, an fuerit confessus? Et hoc est antecedens, item an jam peccet, vel teneatur in præsenti confiteri? Tria ergò hic quæri possunt Primò: Utrum liceat operari stante conscientiâ dubiâ. Secundò an & quomodo dubium sit confitendum? Et tandem, Quomodo, & qua ratione dubium sit deponendum? Ad primum igitur

IV. Dubio stante speculativo potest quis licitè operari.

Dico Primò: *Licitè potest quis operari cum conscientia dubia speculativè, scilicet de materia operis secundùm se, v. g. dubitat quis speculativè, utrum hæc res, quam possidet, sit sua vel aliena, non dubitat, quin in dubio sit melior conditio possidentis, possitq; post diligens examen rem illam retinere, talis enim non est dubius practicè, quia non decernit, quid sibi agendum est.* Ratio est, quia qui solùm speculativè dubitat, & practicè certum, vel probabile judicium habet, sufficientem etiam habet regulam, cui hic & nunc se posset conformare, quia dubium speculativum, quod hic intervenit hic & nunc impertinenter se habet ad operationem, ac proindè illo non obstante licebit se conformare conscientiæ certò ac probabiliter dictanti hoc esse.

V. Dubio practico stante nunquam licitum est operari.

Dico Secundò: *In nullo casu licet operari manente conscientia practicè dubia, sive postmodum dubium sit positivum, sive negativum, sive juris sive facti.* Hanc tradit Doctor subtilis q. 2. Prologi, & tenent multi Recentiores, ut Suarez, Vasquez 2. 2. disp: 63. cap. 1. Corduba noster lib: 3. q. 5. & alii. Probatur Primò: Ex D. Paulo ad Rom: 14. *Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est: Quia non ex fide. Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est:* Quod D. Hieronymus & alii exponunt de conscientia bona, quod autem ex conscientia practicè dubia non est ex fide, ergò. Confirmatur: Ex illa regula juris, *In dubiis tutior pars est eligenda.* Probatur Secundò à Priori: Quia *bonum est ex integra causa, malum ex quocunq; defectu*, sed ad bonitatem requiritur particulariter & præcipuè cognitio, quæ nisi sit determinata,

minata, non potest esse sufficiens causa, cùm non sit integra, & perfecta illius rei cognitio, ergò quod fit cum dubio, non est bonum. Hæc veritas etiam colligitur ex Scoto 2. d. 25. §. *sed hic occurunt* ubi dicit: *In moralibus quando sunt altercationes de peccato, ut si unus peritus in scientia dicat, quòd licet sic mercari, & alius quòd non liceat, tutius est non procedere sic vel sic, sed expectare, quousq; veritas pateat aliunde.* Probatur Tertiò: Quia, qui agit cum dubio, exponit se periculo peccandi, *qui amat periculum,* dicit Eccles: cap. 3. *peribit in illo.* Quarto: Quia, qui ageret aliquid dubitans, an amicitiam proximi læderet, ageret contra leges amicitiæ, ergò similiter de DEO, qui judicat vel dubitat, an DEUS offendatur, & cum hoc dubio agit, lædit amicitiam, quam habuit cum DEO.

Probatur Quintò: Ab Exemplis, Nam peccat Medicus applicans infirmo medicinam, de qua propter multorum aliorum contrariam opinionem dubitat, quòd inferat mortem, ergò à fortiori idem sentiendum in periculo animæ. Deinde, qui dubitat de vita prioris conjugis peccat exigendo debitum à secunda, ex *cap: Dominus de secundis Nuptiis.* Et secundùm Doctores communiter, non alia ratione, nisi quia agit id, de quo dubitat valdè, & quod securè potest omittere, ergò. Sed in contra.

Opponitur Authoritas Doctoris subtilis 3. dist: 23. ubi dicit, quod fides non excludat omnem dubitationem, sed eam solùm, quæ vincit & trahit in oppositum credibilis. Et dist: 24. dicit: Notitiam Prophetarum infusam fuisse certiorem fide, quia fides, inquit, admittit aliquam dubitationem, illa autem notitia non sic: Ex his sic: Si fides, quæ est multò certior, quàm opinio compatitur secum aliquam dubitationem circa creditum, ergò à fortiori dubitatio potest stare cum judicio opinativo sufficiente ad benè agendum, & consequenter poterit dubium stare cum ipso bono opere, de quo dubitatur, an sit licitum. Respond: omissa expositione Lycheti in prædictum locum Scoti, cum Vega lib: 9. de Justificatione cap. 4. & 27. & Corduba lib: 3. q. 5. Scotum in primo loco loqui expressè de fide actuali acquisita, logica, vel humana, quæ scilicet humanæ innititur authoritati; vel rationi, quia licèt sit assensus certus, & sinè formidine actuali, non tamen credit aliquem adeò certum, ut credat testimonium, cui innititur non solùm non fallere, sed nec fallere posse, & propterea Scotus ibidem dicit, præter talem fidem humanam acquisitam necessariam esse fidem infusam, vel theologicam acquisitam, innixam authoritati divinæ infallibili, quam fidem quidem theologicam Scotus, ubi supra comparat cum revelationibus, & visionibus Prophetarum, dicitq; hos esse quodamodo certiores illâ, in quantum hæc compatitur aliquos motus subreptitios, scrupulos, & dubia levia, non autem pertinacia, & quæ traherent ad oppositum credibilis, ut ipse magis declarat in Respon: 3. dist: 24. q. 1. talia autem non admittit visio, vel revelatio facta Prophetis. Ad propositum ergò concedo, quod sicut fides Philosophica admittit leves dubitationes, ità judicium operativum sufficiens ad benè operandum, adeòque ipsum bonum opus admittit similes leves dubitationes & scrupulos, non autem graves, & suspendentes judicium, de legitimitate operis, de quibus loquitur conclusio.

Dicò Tertiò: *In moralibus, quando sunt altercationes de aliquo, an sit peccatum v. g. si unus doctus dicat: Licet sic mercari, alius non, tutius est non procedere sic vel sic, sed expectare, quousq; veritas pateat aliunde.* Ita Doctor subtilis *in* 3. *d.* 25. §. *sed hic occurrunt.* Probatur: Quia tutior pars est illa, in qua nullum peccatum esse potest, vel in qua, ex duobus malis minus eligitur ad evitandum majus, sed cessando ab opere, de quo dubitatur an sit peccatum, non

VI. In dubiis tutior pars est eligenda, quando fit.

non est periculum peccandi, ergò.

Dico Quartò: *In dubiis quæstionibus quando commodè, vel saltem sine gravi incommodo potest vitari pars minus tuta, quantumvis probabilis, tutior est eligenda.* Ita Faber in 4. d. 14. q. 1. disp: 6. Vasquez 1. 2. disp: 66. eam tradit expressè Scotus 4. *d.* 3. *q.* 2. §. *de* 3. *in fine. Et q.* 2. *Prologi* dicens: *Si possibilitas adest, via tutissima est eligenda, vel si non adest possibilitas, viæ tutissimæ proxima est eligenda*, quam doctrinam, quamvis tradat Scotus circa dubia orientia circa materiam & formam Sacramentorum, v. g. ut ipse exemplificat in 4. dist: 11. q. 6. dubitat quis, an panis confectus ex amylo sit materia consecrabilis, & opinio contraria sit probabilior, peccaret consecrando, nihilominus in omni materia, quantum fieri potest, commodè servanda sunt. Ratio est, Quia servando hanc doctrinam, vel sequendo, nullum vel saltem minus periculum habet peccandi, secus verò faciendo incurrit periculum, qui autem amat periculum, &c. Confirmatur ex *cap. ad audientiam*, & *cap. significasti* in 1. & 2. ubi in dubio homicidii præcipitur abstinendum à ministerio altaris propter suspensionem, aut dubium irregularitatis, cujus rationem reddit Pontifex, cùm *in dubiis tutior pars sit eligenda.* Vide Sylv: verbo dubium q. 4. Navarr: *cap. si quis de pœnit:* disp: 7. à num: 35. ad 41. & alios apud Vasquez.

Dico Quintò: *Quando non ita commodè, aut sine gravi jactura personæ, vel famæ, vel etiam bonorum temporalium non potest quis sequi tutiorem partem, tunc minus tuta eligi potest, si secum habeat sufficientem probabilitatem.* Ita Navar: supra, Faber ubi suprà. Ratio est, Quia oppositum esset nimis durum, nam si oporteret sequi semper viam tutiorem, sequeretur, quòd dubitans an res sua sit sua, teneretur restituere, quandoquidem hoc sit tutius. Item sequeretur, quòd dubitans, an statim, postquam peccavit, teneatur confiteri, deberet confiteri, cùm hoc sit tutius, quod tamen est valdè grave, & sæpè incommodum. Idem dic de eo, qui dubitat, an omnes circumstantiæ, etiam non mutantes speciem sint confitendæ. Item sequeretur, quòd nullibi ferè haberet locum illa altera regula communiter recepta: *In dubiis melior est conditio possidentis.* Deindè, si oporteret semper sequi tutiorem, non liceret unquam recurrere ad consilium peritorum, cùm quisq; facilè per se noscat, quæ sit tutior pars, saltem ut in plurimis. Tandem sæpè pars minus tuta firmioribus nititur authoritatibus ac rationibus, sed regula generalis est, quòd possimus partem probabiliorem sequi, ut docet Scotus q. 2. Prologi, ubi dicit, quòd in rebus dubiis utilis sit labor Doctorum, & Expositorum, & consequenter quando plures Doctores docent aliquam partem esse probabiliorem, quamvis sit minus tuta, possum illam sequi absq; periculo. Et propterea addidi in conclusione, si secum habeat annexam probabilitatem, quia si adhibito peritorum consilio adhuc fluctuat & dubitat, an debeat id facere, debet potius abstinere, vel suspendere judicium, donec per alias vias judicium dubium illud deponat, quia, ut supra dixi, faciens id, de quo valdè dubitat, an sit peccatum, peccat, maximè quando certum est, quòd abstinendo non peccet. Hæc de dubiis nunc breviter dicta sufficiant, plura invenies, in tractatu de probabilitatibus. Quantum ad quæsitum Secundum

VII. Dubium facti in genere non est confitendum.

Dico Sextò: *Nec dubium facti unquam, nec dubium juris in genere est confitendum necessariò.* Ratio patet ex dictis: Quia possessio stat ex parte dubitantis, quoties dubitat an actu commiserit, vel contra legem egerit. Ex quo infertur, quòd sacerdos dubitans, an heri dixerit Breviarium, non tenetur hoc confiteri. Idem dic de similibus multis casibus.

VIII. Dubium concomitans actum est confitendum.

Dico Septimò: *Quando possessio stat ex parte legis dubium grave concomitans actum contra legem militantem, est semper confitendum: Non verò dubium*

bium antecedens, nisi fiat concomitans: Dubium juris consequens, nisi deponatur ante sequentem confessionem obligat. Ratio patet ex dictis: Quia qui dubitat, an id, quod agit, sit mortale vel veniale, peccat mortaliter, quia se periculo exponit. Ratio alterius partis est, quia non obligat, nisi quoties ex illo est operandum, ex dubio autem antecedenti non procedit operatio, nisi in quantum concomitatur actum, si enim deponatur antecedens ante actum, nihil facit ad rem, quòd si non deponatur, jam fit concomitans. De dubio verò juris consequente, ut si quis dubitet, an commiserit hoc vel illud peccatum, patet resolutio, quia possessio est ex parte legis, talis enim scit se obligatum, & nescit, an satisfecerit, ergò stante dubio tenetur legi deferre. Nunc ultimum resolvendum restat, unde

IX. Dubia deponendi modi & via. Dico Octavò: *Dubium in operabilibus triplici via securè deponi potest, nempe per diligens studium, per securam electionem, & per benè fundatam possessionem.* Probatur Prima pars & via Ex *cap. Inquisitioni* 44. *de sent: Excomm:* ubi dicitur, quòd conjux depositâ conscientiâ dubiâ, potest petere & reddere debitum, quia adhibuit diligentiam inquirendo rationes, quibus se resolvit; aut resolvere potuit, unde fit, quòd dubio succedat opinio per studium acquisita. Probatur Secundò: Quia dubitans, an aliquid sit licitum, vel illicitum facere, nè evidenti peccandi periculo se exponat, non potest meliorem viam habere, quàm diligenter studere, per se si doctus sit vel per alios viros timoratæ conscientiæ, ut dubium evincat inquirendo veritatem facti.

X. Electio tripliciter fieri potest in dubiis. Probatur secunda pars: Ex *cap. Ad audientiam* 12. *cap. significasti* 18. *cap. Petitio tua.* 24. & *cap. Juvenis* 3. *de sponsalibus*, ubi dicitur: *In dubiis tutior pars est eligenda*, ergò optima via deponendi dubium est secura electio, in qua exercenda nullum reperitur peccandi periculum, ut v. g. si dubites, an tenearis jejunare, audire Missam, securius eligitur jejunium, & tutius auditur Missa, quia benè operando nemo peccat.

Secundò: Electio tuta & secura fit hoc modò, ut in duobus malis & viis, in quarum alteram incidere necesse est, minus malum eligatur, si discernere sufficienter potest, ex *cap.* 1. *dist:* 13. *cap. Juravit* 4. *cap. non solum* 7. 22. q. 4. ubi tamen Notandum, hanc regulam non valere in malis intrinsecis, in quibus non datur electio, quamdiu non sunt denudata à sua malitia, ut mendacium, fornicatio, idololatria &c.

Tertiò potest secura fieri electio, si duo præcepta concurrant, ut observetur illud, quod magis urget, & evitetur majus peccatum, v. g. dubitat quis, an debeat servire infirmo, vel audire Missam, tutius & securius eligit primum, quàm secundum, quia magis urget, similiter magis urget præceptum superioris majoris, quàm inferioris, ex *cap. Non semper* 92. & *seq:* 11. *q.* 3. *in cap.* 97. ubi dicitur: *Non utiq; contemnis potestatem, si eligis majori servire: Nec hinc debet minor irasci, si major Prælatus anteponatur.*

Probatur tertia pars. De benè fundata possessione, Ex regula Juris 65. *In dubiis melior est conditio possidentis*, quæ non solùm in materia justitiæ, sed etiam aliarum virtutum habet locum, ut dicam infra, & tenet Suarez, Sanchez, contra Vasquez.

Dices: *Possessor malæ fidei nunquam præscribit*, ut dicit alia regula juris, ita ut fundata possessio incipiat à bona fide, sed qui dubitat, non habet bonam fidem, ergò. Respond: distin: Dubitans dubio antecedente non habet bonam fidem, transeat; dubio subsequente, nego. Quia superveniens dubium possessioni non destruit bonam fidem transferendo possessionem in malam fidem, nam dubitatio nequit operari ultra suas vires, dubium enim non egreditur ultra sphæram dubietatis.

QUÆ-

QUÆSTIO QUINTA.

De Conscientia Erronea.

I. Conscientia erronea qualis? Visis iis, quæ ad conscientiam dubiam spectant, de Conscientia Erronea agendum est. Itaq; *Conscientia erronea* est, quæ *ex falsis principiis apprehensis ut veris judicat, aliquid practicè faciendum esse, quod non est faciendum, vel è contra.* Si enim ex nullis principiis credibilibus fingatur judicium practicum, non erit error, sed malitia: Si verò principia apprehendantur ut probabilia, & non ut vera vel certa, Conscientia non erit simpliciter erronea, sed vel opinativa, vel dubia, v. g. aliqui olim certò apprehendebant legalia esse asservanda promulgato jam Evangelio, vel hæreticos esse rebaptizandos, ex quo intulerunt, ergò Christianus jam tenetur circumcidi: Vel Joannes, quem constat mihi fuisse lapsum in hæresim, est necessariò rebaptizandus. Hujus conscientiæ fuit S. Cyprianus, alius autem istius temporis poterat non certò, sed opinativè idem judicare, vel dubitare, & talis haberet conscientiam vel dubiam, vel probabilem, non verò simpliciter erroneam. Deniq; si judicium non sit de opere faciendo hìc, sed tantùm sistatur in materia speculativa, erit potius error contra scientiam, quàm contra conscientiam, hoc Notato quæritur hìc, an conscientia erronea obliget ad sui sequelam, ita ut contra illam agere sit peccatum, vel qualiter sit deponenda?

II. Conscientia erronea proponens tantùm licitum non obligat. Nota autem, extra omnem dubitationem esse, quòd si conscientia proponat erroneè aliquid licitum esse tantùm, & non obligatorium, v. g. furandum, ut possim dare eleemosynam, neminem obligari ad sequelam talis dictaminis, quæstio ergò præcisè potest esse de conscientia dictante hìc & nunc secundùm legem DEI sic, vel sic operandum ex obligatione, & difficultas solùm potest esse, quando error est invincibilis, seu inculpabilis, qui videlicet morali studio, & diligentiâ vinci non potest, si enim error est vincibilis & culpabilis, non est dubium neminem talem licitè sequi.

III. Conscientia erronea invincibilis, obligat ad sui sequelam. Dico Primò: *Conscientia erronea invincibilis actu proponens hìc, & nunc esse obligationem ad operandum vel non operandum, obligat sub culpa mortali, vel veniali juxta dictamen propositum ad sui regulam, seu sequelam.* Probatur Primò: Ex Scriptura ex Apostolo ad Galat. 5. dicente: *Testificor omni homini circumcidenti se, quia debitor est universæ legis faciendæ*, sed hæc obligatio, vel debitum ex sola conscientia erronea processit, ergò talis obligat ad sui sequelam. Probatur min. Apostolus in illo loco argumentatur contra illos, qui dicunt, legem de circumcisione esse observandam, in quo errârunt, & sic argumentatur: qui credit se teneri ad circumcisionem, debet etiam credere se teneri ad omnem legem circumcisioni impositam, ergò clarum facit omni homini circumcidenti se, quia debitor est universæ legis. Confirmatur: Ex eodem ad Rom. 14. ubi ostendit, quòd Judæi circumcisi existimantes erroneè cibos gentilium esse communes, seu immundos, si comedant ex eis peccare: *Confido*, inquit, *in Domino JESU, quia nihil commune, id est, immundum per ipsum, nisi ei, qui existimat, quid commune esse, illi commune est, qui autem discernit*, id est, qui putat cibos gentilium esse immundos, *si manducaverit, damnatus est.* Et ita hunc locum exponunt Origenes, Chrysostomus, Ambrosius, Theophylactus, Theodoretus, Anselmus, & Glossa: *Qui discernit*, id est, qui judicat, vel qui putat, aliquem cibum esse prohibitum, quamvis reverà non sit, peccat comedendo, *quod non est ex fide*, id est, quod non concordat conscientiæ, *peccatum est.*

Probatur Secundò: Ex Canone Cap. *Inquisitioni. de Sent. Excomm.* Et Cap. *Libertas. de Restit. Spoliat.* Et Cap. ultim. *de Præscrip.* ubi damnatur crimine, qui agunt contra conscientiam.

Probatur Tertiò: Rationibus Primò: Regula proxima voluntatis est conscientia proponens illi legem, ergò voluntas illi difformis subvertit debitum ordinem, & exponit se periculo peccandi, & quantum in se est, recedit à recto, ex quo non constat illi de errore intellectûs. Probatur Secundò: Qui agit contra legem superioris creditam, seu apprehensam, & æstimatam, licèt non verè obligantem, contemnit superiorem, & consequenter peccat, sed agens contra conscientiam erroneam, agit contra legem superioris creditam, ergò: maj. declaratur: Nam qui percuteret aliquem existimans esse Regem, hoc ipso reus esset læsæ Majestatis, ergò. Probatur Tertiò: Volitio agentis contra conscientiam erroneam, tendit in objectum malum & prohibitum, ergò est culpabilis: Probatur anteced. Objectum voluntatis præsertim in genere moris tale est, quale per rationem apprehendit, & voluntati repræsentatur, sed ratio, vel conscientia quamvis erronea proponit voluntati tale objectum obligatoriè vitandum, vel prosequendum, ergo voluntas secus faciens tendit in objectum moraliter malum.

IV. Obligatio diversimodo conscientiarum.

Hic tamen notandum ex Corduba: Conscientiam rectam & erroneam, vincibilem & invincibilem diversimodè obligare: Recta enim obligat absolutè ad conformandum se illi faciendo, vel omittendo, eo modo, quo dictat: Erronea verò obligat distinctivè, id est, vel ad conformandum errori, vel ad tollendum eum: Erronea invincibilis, ex quo amplius non potest deponi, quamdiu sic manet, hic & nunc dictans aliquid faciendum obligat absolutè ad se conformandum ei, hoc modo Jacob Genes. 29. cognovit Liam invincibiliter credens suam: Conscientia autem erronea vincibilis non obligat nos ad confirmandum ei, sed tantum ad deponendum illum, & hoc ex vi alterius præcepti divini, vel naturalis, quo quolibet tenetur vitare errorem culpabilem & periculosum, juxta illud Eccles. 17. *Non demoreris in errorem.* Sed contra

Arguitur Primò: Si æstimatio erronea intellectûs induceret obligationem ad non agendum contra ipsum, hoc esset Virtute alicujus legis naturlis, vel divinæ verè obligantis, quam prædictà conscientia erronea notificat nobis, sed conscientia erronea non habet talem virtutem alicujus legis, ergò non obligat: maj. patet: Quia conscientia non obligat virtute propria, sed tantùm ostensivè, & ut præco Regis notificans legem superioris: min. verò probatur: Quia sicut præco Regis non habet à Rege virtutem obligandi homines etiam homines ostensivè per legem promulgatam, nisi verè se conformet præco legi ipsius Regis, quod ex eo patet, quia homines transgredientes falsam legem falsò promulgatam, non puniuntur ut transgressores, ergò similiter conscientia erroneè promulgans voluntati legem superioris, quam superior non statuit, non obligat voluntatem ad non agendum contra illam, maximè quando dictat contra legem verè obligantem, cui magis obediendum est, quàm præconi. Respond. neg. min. ad probationem neg. paritatem, nam aliud sentiendum est in foro humano, & externo, ubi non judicatur de occultis cordium, aliud verò in foro conscientiæ & coram DEO, ut hic agitur, quamvis paritas sit utrobique quoad forum conscientiæ, nam revera, si præco falsus creditur verus, tenentur ei credentes in foro conscientiæ servare ea, quæ tanquam verus præco promulgat, si aliàs sint justa, & non repugnent legi Superioris.

Arguitur Secundò: Voluntas difformando se conscientiæ erroneæ non difformat se à sua regula, nec exponit se periculo, ergò non peccat: Probatur antec. Regula voluntatis humanæ, est ratio proponens legem DEI, vel superioris, sed ratio errans non proponit legem superioris, ergò difformando se ab ipsa non peccatur.

catur. Respond. neg. antec. ad probat. disting. maj. Verè vel apparenter proponens, conc. Verè semper proponens, nego. sufficit enim, quòd ratio æstimet se proponere legem superioris.

Dices: Ergò voluntas conformans se conscientiæ vincibiliter erroneæ dictanti esse furandum, fornicandum, vel mentiendum prò salute corporali proximi, non solùm non peccaret, sed etiam mereretur? Probatur sequela: Quia voluntas tendit in objectum æstimativè bonum, & conveniens, & consequenter conformans se legi superioris æstimatæ meretur. Respond: neg. conseq. ad prob. neg. conseq. Quià ad bonitatem actûs non sufficit, quòd sit circa objectum bonum, & conveniens etiam in re, sed etiam requiritur, quòd sit circumstantionatus aliis requisitis ad bonitatem, cujusmodi in proposito non est talis actus, utpotè qui est circumstantionatus ignorantiâ culpabili, quàm tenetur homo deponere.

Arguitur Tertiò: Ex hac doctrina sequeretur, aliquem fore ita perplexum, ut quidquid agat, necessariò peccet, hoc videtur inconveniens, ergò. Probatur sequela: dato casu, quòd juraverit Petrus, se nullum secretum Paulo revelaturum, interim Petrus secretò revelat Paulo, se velle Pauli parentem occidere, in hoc casu, si tacuerit Paulus, sentit se parricidam; si moneat patrem, ut fugiat, sentit se perjurum, ergò non poterat evadere perplexitatem, si teneatur sequi utramque conscientiam. Resp. neg. sequelam, ad casum illum & similes dico, quoties dictamina contraria decurrunt, esto censeatur malum sequi, vel hoc, vel illud; tamen minus semper est perferendum, sicut duobus præceptis impossibilibus simul occurrentibus oportet præceptum magis obligatorium semper observare, Itaque in illo casu oportet revelare secretum, ut vitetur homicidium, quod fortius prohibetur, quàm perjurium, nec tunc poterit dici perjurium, tamen si conscientia erronea dictet perjurium, oportet illam deponere. Dixi in Conclus. *Conscientia actu proponens*, si enim habitualiter tantùm remaneat error in mente, poterit quis contra errorem agere.

Dico Secundò: *Laborans conscientiâ erroneâ, si vel modica ei suspicio de errore, vel malitia occurrit, tenetur inquirere de veritate, antequam operetur, si verò nulla suspicio vel cógitatio habetur, non tenetur.* Est communis, & ratio est, Quia occurrente tali suspicione conscientia erronea redditur vincibilis, si verò non, erit invincibilis. Modus autem deponendi errorem occurrente illa suspicione, est consulere Authores, si est doctus, vel alios peritos maximè Confessarios, qui sunt animarum directores, secundùm illud Devter. 32. *Interroga Patres tuos, & dicent tibi, majores tuos, & annuntiabunt tibi*; & juxta horum judicium oportet captivari intellectum, faciendo quod jubent contra dictamen illud erroneum, de quo habetur suspicio: & expediret talem formare discursum, cui commissa est cura regendi animam meam, estque alioquin vir doctus, & DEUM timens, is non debet judicari, quòd velit me decipere, aut in errorem inducere, ergò cùm nunc dicit, hoc vel illud esse faciendum, probabile est omninò esse securum ejus dicto acquiescere, & consequenter æstimari debet contrarium judicium erroneum. Sed hic nonnulla pulchra dubia occurrunt resolvenda, quæ pro directione valent conscientiarum.

V. Conscientia erronea debet deponi, si minima subsit suspicio.

Sed hic alia oritur difficultas: An liceat contra conscientiam agere ex præcepto superioris, & legis? Ad quam inprimis respondetur: Certum esse, si conscientia sit erronea, & vincibilis subditum teneri ad præceptum superioris deponere illum errorem, & formatâ bonâ conscientiâ obedire superiori, v. g. superior mandat scrupuloso, erroneè æstimanti, se singulis horis teneri ad reiterandam confessionem, non reiterare toties, tunc tenetur subditus illum

VI. Superiori est obediendum in conscientia vincibiliter ignorante.

lum scrupulum deponere, & obedire superiori, & in hoc sensu intelligendus est S. Bonavent. 2. d. 31. art. 3. q. 3. ad ultimum, ubi dicit: *Plus standum esse præcepto Prælati, quàm conscientiæ*, maximè quando Prælatus mandat id, quod potest, & quod debet. Nec in hoc sensu potest esse amplius difficultas, attamen major est, an subditus teneatur obedire superiori, quando inferior invincibiliter putat esse contra præceptum divinum, vel naturale id, quod præcipit. Ad quod

VII. Superiori non est obediendũ si conscientia sit invincibilis.

Dico Tertiò: *Nullo modo etiam ad præceptum superioris, aut legis, licet agere contra conscientiam invincibiliter erroneam, quamdiu manet.* Ita Corduba lib. 3. q. 10. Probatur primò ex illo ad Rom. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est*, id est, quod fit contra conscientiam, ergò contra jus naturale & divinum, ad præceptum cujuscunque superioris, non licet facere, quamdiu conscientia erronea dictat id non licere. Probatur Secundò Ratione: Ille illicitè operatur, qui vult facere id, in quo judicat se malè agere, sed agens contra conscientiam etiam ex superioris præcepto judicat se illicitè agere in eo, quod agit, ergò talis non potest ad præceptum superioris agere contra conscientiam: min. patet, maj. etiam, quia talis tendit in objectum formaliter malum, vel saltem sub ratione mali sibi præsentatum, & consequenter contra legem naturalem dictantem: *Non esse malè faciendum*, & subvertit debitum ordinem rationis, cui se rectè difformare non potest, ergò talis illicitè operatur. Sed in contra

Arguitur: Plus tenetur subditus sequi opinionem superioris quàm propriam scientiam, vel conscientiam, ergò magis tenetur legi, vel præcepto superioris, quàm suæ conscientiæ: Probatur antec. Quia in Prælato supponitur major scientia, sufficientia, ac discretio, ergò. Respond. disting. antec. Si propria conscientia potest deponi, conc. sin minus, neg. Quia cùm conscientia sit proxima regula agendorum, quamdiu manet, obligat nos ad conformandum ei ex lege naturali. In opinionibus autem probabilibus, dubiis & scrupulis, qui debent & possunt deponi, tenentur obedire superiori. Pro fine

Quæres: An Confessarius teneatur semper liberare pœnitentem ab errore, in quantum potest? Respond. primò affirmativè, quoties-cunque salus æterna pœnitentis id requirit, unde si pœnitens errorem habeat circa media necessaria ad salutem, v. g. quod sine fide, contritione, aut baptismo possit salvari, debet Confessarius ipsum instruere. Ratio est: Quia ignorantia quantumcunque invincibilis horum mediorum non liberat à damnatione. Respond. Secundò: Quoties pœnitens judicat erroneè aliquid esse peccatum, quod planè peccatum non est, vel esse mortale, quod est tantùm veniale, tenetur Confessarius ipsum instruere. Ratio est, quia tenetur liberare pœnitentem à peccato, & periculo peccandi mortaliter, quantum in ipso est, sed periculosum est laborare tali ignorantia, si enim quis ex illa agat, etiamsi materia sit indifferens, vel levissima, peccabit mortaliter, ergò cùm sola informatione hoc possit vitari, tenetur Confessarius hoc præstare. Unde damnandus est quorundam indiscretus zelus, qui pietatis prætextu, ne subditi vel pœnitentes evadant negligentes, vel persuadent illis, quòd aliqua levia, ut violatio silendii, vel alicujus consuetudinis bonæ, sint peccata gravia, aut qui non corrigunt suos pœnitentes existimantes talia esse gravia, & stulta dissimulatione permittunt illos in errore cum periculo sæpius peccandi mortaliter, ubi nullum aliàs foret peccatum, vel ad summum leve, non oportet ergò Christianis in libertatem vocatis graviores sarcinas imponere, quàm imposuit DEUS, & Ecclesia. Resp. Tertiò: Si deprehendatur pœnitens errare circa actus, vel omissiones futuras, judicando scili-

VIII. Confessarius tenetur pœnitentem liberare ab errore.

scilicet se non peccaturum, si hoc vel illud agat, aut omittat, tenetur Confessarius per se loquendo ipsum instruere de veritate contraria, etiam non obstante, quòd pœnitens sit peccaturus, v. g. Petrus vult ducere in uxorem Catharinam, quam invincibiliter esse monialem, vel in gradu prohibito junctam sanguine, ignorat, & ita ad hoc apparet inclinatus, ut si sciret veritatem, non minus eam duceret, tenetur nihilominus Confessarius, vel Superior eum informare de veritate, ejusque malitiæ postmodum tribuendum erit, si non obtemperaverit, maximè cùm nullis adhuc veris angustiis prematur. Veruntamen si Confessarius, vel Superior prævideat pœnitentem in magnis angustiis, & scandali periculo futurum, non ex sua malitia, sed ex aliis circumstantiis, probabile est, quod possit tacere relinquendo Subditum in suo errore invincibili. Declaratur hoc exemplo jam dato, si enim Petrus duxit illam uxorem, & præsumitur, quòd planè nollet eam dimittere, melius videtur, ut habeat errorem invincibilem, quàm notitiam sui peccati, hæc enim circumstantia est à parte rei valdè urgens Petrum, nè dimittat Catharinam propter scandalum, & multa alia; laborare tamen Superior debet vel Confessarius, ut possit legitimari contractus omni modo, quo potest, primum tamen credo esse verius. Imò in simili casu, si practicè contingeret, deberet Catharina criminis conscia vel sanguinis admoneri, nè in tale consentiat matrimonium, cùm nullum sit, sunt & alii modi tales juvandi. Interim sit

QUÆSTIO SEXTA

De Conscientia scrupulosa & fatua.

I. Scrupulus definitur. IN hac quæstione videndum est, quid sit scrupulus? an contra illum agere liceat? quibus modis deponi, quibúsq; remediis curari debeat? & qualiter differat à conscientia fatua. Scrupulus metaphoricè desumptus, à minutioribus lapideis granulis, qui in calceis pedes aliquando molestant, secundùm ethymologiam ex communi Doctorum sententia, est *quædam suspicio, anxietas, vel æstimatio ex levibus orta conjecturis conscientiam torquens, eámq; in agendo aliquomodo dubiam, vel trepidantem reddens*; in hoc enim differt scrupulus à vero dubio, quod dubium suspensum animum teneat ab utraq; parte, scrupulus verò nunc in unam, nunc in aliam partem velut arundinem vento agitatam animum inflectat, pro una quidem parte semper habens rationem probabilem, vel certam, pro altera verò leves & frivolas conjecturas, quibus inconstantia animi redditur homo turbatus, & anxius in sua actione, unde scrupulosus in aliena causa solet plerumq; benè judicare, sed in propria semper vacillat, ex quo colligi poterit, an homo scrupulo, vel dubio laborat, aut ignorantiâ?

Notandum Secundò: Quod scrupulus alius dicatur *Bonus*, alius *Malus*. *Bonus* dicitur, qui est rationabilis, & ducit ad bonum, facítq; hominem timoratum, diligentem, & cautum in rebus honestis. *Malus*, seu *Pusillanimis* dicitur, qui ad malum ducit, qui parit scilicet perturbationem conscientiæ, perturbatio autem sæpè desperationem, & hæc interitum, Quia sicut scintilla crescit in flammam, sic scrupulus crescit in dubium, & indè in opus contra conscientiam. II. Scrupulus est duplex.

Notandum Tertiò: Conscientiam præter alias divisiones suprà, varias adhuc sortiri denominationes: Dicitur enim imprimis *Bona*, quia concordat bonæ voluntati. *Recta*, Quia dictat conformiter ad rectam legem superioris. *Pura*, Quia nullum crimen admittit juxta illud Eccles: 13. *Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia*. Dicitur *Syncera*, ex simplicitate intentionis, sine duplicitate, uti dicebat Paulus: *Studeo sine offendiculo conscientiam habere ad DEUM, & ad homines* III. Denominationes variæ sunt conscientiæ.

 semper.

Per. Act. 20. Dicitur *Tranquilla*, Quia sine remorsu vermis, sine inquietudine, & perturbatione scrupulorum, unde Bernardus lib. 2. de Consideratione: *Quid ditius? quid dulcius, quietius atque securius bonâ & tranquillâ conscientiâ? Nam talis conscientia bona & recta, est radix charitatis, nitor veritatis, ornatus venustatis; retractorium à peccatis, thesaurus honestatis, testimonium & signum bonitatis, convivium delectabile, atque jucundum.* Per oppositum dicitur mala conscientia *Inquinata*, propter peccatum, quod cognoscitur inesse voluntati juxta illud ad Titum 1. *Inquinatæ sunt eorum mens, & conscientia.* Dicitur *Cauteriata*, 1. Tim. 4. *Cauteriatam habentes conscientiam*, id est, læsam, & corruptam, per pravam intentionem & adustam igne malæ conscientiæ, cauterium enim est corruptio carnis igne facta. Dicitur *Inquieta* & *perturbata* ex irrationabilium scrupulorum aculeis, inducentium ad peccatum, aut ex remorsu vermis, nolentium admittere aliquid remedium. His prænotatis

IV. Conscientia ... laus.

V. Scrupulosam contra conscientiam ... cum est agere.

Dico Primò: *Contra scrupulos leves, & propriè sumptos licet agere, imò sæpe utile, atque necessarium est agere.* Hæc est communis. Probatur Primò: Quia ex quo tales scrupuli sunt leves non obligant ad illos sequendum, ergò contra eos agendo non exponit se periculo, nec agit contra conscientiam. Probatur Secundò: Sæpè tales scrupuli impediunt majus bonum, & sunt occasio mali, faciuntque hominem inconstantem in bono, tristem, turbatum, inquietum, ut patet, qui ex scrupulo non vult communicare, vel non tàm forti animo aggreditur opus bonum. Quod autem aliquando necessarium sit agere contra ejusmodi scrupulos, vel eos contemnere patet, Quia quando tales scrupuli impediunt majus bonum, & maximè obligatorium, tunc eadem lege, quâ tenemur ad illud bonum agendum, tenemur etiam ad scrupulos impedientes deponendos. Notat autem Corduba, quòd aliquando licitum, & utile sit agere secundùm conscientiam scrupulosam, modò inde aliàs non relinquatur opus bonum, nec sit causa ad aliud malum gravius, ratio est, quia tunc timoratiùs, humiliùs, cautiùs, diligentiùs prosequimur bonum, & fugimus malum. Major difficultas est de modo deponendi conscientiam erroneam, dubiam, vel scrupulosam, qua de re

Dico Secundò: *Conscientia scrupulosa, & dubia non est temerè, sed prudenter deponenda.* Ita Corduba lib. 3. q. 12. 13. 14. & probatur: Tum, Quia temerè agere est peccatum: Tum, Exponit se periculo agendi contra conscientiam rectam, qualis fortè est, quam sic temerè deponit: Pro quo sciendum, quod quatuor modis contingat temeraria, & culpabilis depositio conscientiæ, & dubiorum; Primò per contemptum, formalem, aut interpretativum ipsius conscientiæ: *Formalem* quidem, quando quis attendens ad dubium, vel scrupulum nihil curat; sed agit contra illud. Per *Interpretativum* verò, quando quis voluntariè avertit intellectum à consideratione actuali conscientiæ contradicentis, vel dubitantis, ut liberiùs peccet. De his ait Job. 21. *Qui dicunt DEO, recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Isaiæ 13. *Qui dicunt aspicientibus, nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt, loquimini nobis placentia*, & hi non verè deponunt conscientiam. Secundò temerè deponitur per culpabilem distractionem, ut si quis probabiliter dubitans se contraxisse matrimonium cum Berta, & postea ex libidine; vel alia causa culpabiliter oblitus, vel inconsideratus tunc ipsam cognoscit, quo casu licèt non peccet contra conscientiam, vel dubium, utpotè quod deposuit; sed peccavit in eo, quia temerè deposuit, & inconsideratè, & hinc dicitur Proverb. 4. *Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.* Tertio modo deponitur temerariè conscientia, per rationes quidem, sed insufficien-

VI. Scrupulosa conscientia non est temere deponenda.

Contemptus formalis & interpretativus.

ficientes ad contrarium suadendum, ut cùm quis considerat insufficientiam causarum, ex quibus prius credidit aut dubitavit, per quas tamen rationes non habet adhuc judicium probabiliter certum & sufficiens ad persuadendum sibi licere id agere. Et hoc modo verè in effectu non est sufficienter deposita conscientia, vel dubium. Quarto modo deponitur, quando quis motus ex irrationabilibus & levibus motivis deponit omninò conscientiam, vel dubium, irrationabiliter existimans sibi licere id, quod antea irrationabiliter æstimabat, aut dubitabat non licere, & hinc licet deponat conscientiam, peccat tamen, irrationabiliter & temerè illam deponendo. Ex his fit conclusio.

VII. Modi liciti deponendi scrupulos ytrois

Dico Tertiò: *Omnis scrupulus, contra quem est licitum agere excepta temeritate culpabili, licitè deponitur quocunq; modo ex illis quatuor.* Ratio est, quia secundùm omnes licet tales scrupulos contemnere, vel per oblivionem, vel voluntariam distractionem, vel ex levi quocunq; motivo, secus est, quando conscientia est erronea vel probabiliter dubia, tunc enim tenetur advertere, nè temerè agat, & ideò addidi excepta temeritate. Ut autem quilibet facilè cognoscere possit, quibus mediis rationabiliter deponi possit conscientia erronea, dubia, & scrupulosa, sequentes assigno modos.

Modus primus deponendi scrupulos.

Primus modus est, debitè se præparare ad gratiam, & favorem divinum propriis, & alienis orationibus, Sanctorum invocationibus, jejuniis, & aliis bonis operationibus, humiliter & devotè quoad DEUM, & homines se habendo.

Modus secundus deponendi scrupulos.

Secundus modus est, de consilio prudentum agere contra scrupulos, eorúmq; causas, ut ex consuetudine eis resistendi fiat homo robustior in via DEI, juxta illud Isaiæ 35. *Confortamini pusillanimes.* Unde Gregor: in Moral: assimilat diabolum Myrmecoleoni, quod animal dicitur Leo formicarum, quia formicis, quæ minutissimæ sunt, insidiatur, & occidit, ab aliis verò majusculis animalibus conculcatur & occiditur, sic diabolus investigat complexiones hominum, & quos videt parvi cordis, seu pusillanimes, aggreditur, ut scrupulis & vitiis occidat, sed à fortioribus spe, & oratione urgentibus, prosternitur & abjicitur contemnendo & contra scrupulos agendo, pro quo

VIII. Scrupulorum origò & causa.

Notandum: Scrupulum, seu pusillanimitatem aliquando oriri ex complexione apta ad timorem, & dubium: qualis est complexio frigida, frigus enim constringit cor, ad quem motum constrictionis imaginatio movetur à timoris dispositione, ita ut apprehendat aliquod malum futurum. Quandóq; ex ægritudine, atra bile, vel melancholia, quæ lædit imaginationem, & indè judicium, rationémq; turbat. Tertiò causatur à Dæmone tranquillitatis inimico, nam sicut aliquando vehemens inflammatio, seu tentatio carnis provenit à dæmone, ut fuit in Paulo ab Angelo Sathanæ illum colaphizante secundùm Doctores, ita potest dæmon permittente DEO movere melancholicos humores in homine, & varia phantasmata, per quæ imaginatio potest turbari, & duci ad timorem inordinatum, gaudium, tristitiam, &c. Quartò causatur aliquando ex immoderata abstinentia, aut vigilia, unde Hieronym: ait: *Rationalem hominis dignitatem amittit, qui vel jejunium charitati, aut vigilias præfert, ut per im̃oderatam abstinentiam, vel indiscretas psalmorum, vel officiorum decantationes incurrat notam amentię, vel tristitię,* i.e. melancholiæ. Quintò causatur ex societate cum scrupulosis. Sextò, Ex ignorantia, quia trepidamus timore, *ubi non est timor.* Septimò, Ex nimia imaginatione, consideratione, sollicitudine nimis intenta ad cavendum plus debito, quod nocere potest in via DEI, sicut qui per locum altum ambulans, si nimis intensè considerat profundum, vel si ei undiq; acclamaretur, cades, cades, cave, ut solet sæpè dæmon, statim turbatur sensus & imaginatio, & cadit, ubi aliàs non caderet. Contra has

has causas præter duos supradictos modos.

Tertius modus est, Medicina contra Melancholiam, & alios malos humores debilitantes.

Quartus, Distrahere cogitationem, & imaginationem à re scrupulosa, ejúsq; causis supradictis, præsertim ab illa parte, ad quam sentit se pronum, v. g. si est timidus ad cantandum, vel legendum coram aliis conetur pellere timorem, & id facere, quod timet: si est iracundus fugiat occasionem: si Zelosus etiam in via DEI, & experitur se cum impetu Spiritûs nimis efferri, laboret cum modestia illum impetum temperare. Et sic de aliis.

Quintus modus est, sollicita, & discreta Prælati inquisitio per se, vel per alios, & opinionis probabilis tuta electio, ad quod etiam juvat, quod scrupulosus debeat cogitare, quale consilium daret ipse rationabiliter alteri in simili casu, & idem faciat in suo statu.

Sextus, & optimus modus deponendi scrupulos, est prudens legum & scripturarum secundùm Epickeiam, seu æqualitatem moderatio, seu interpretatio, pro quo Nota, quòd Epickeia sit idem, quod æqualitas, æqualitas autem est justitia dulcore misericordiæ temperata, ejus actus proprius est in casibus specialibus discedere à verbis legis generalis, servata tamen legis intentione, attentis omnibus circumstantiis. Secundùm hanc ergò virtutem possemus præcepta DEI, Ecclesiæ, Superiorum in dubiis benignè interpretari ad intentionem legis & legislatoris, licèt in verba offendamus, modò id fiat prudenter & rationabiliter, attentis omnibus circumstantiis cum bono animo, & sine contemptu, credentes sic nos faciendo non peccare mortaliter, & parati nullo modo id facere, si putaremus esse mortale.

Septimus, & ultimus modus deponendi scrupulos est Doctorum, prudentum, bonorúmq; virorum, præsertim superiorum, consilio, judicio, vel imperio se humiliter submittere captivando suum intellectum illorum judiciò, quia Proverb: 3. *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* & Deuteron: 32. *Interroga Patres tuos, & dicent tibi, Majores tui, & annuntiabunt tibi.* Per Majores intellige eos, qui multis experientiis eruditi sunt in agibilibus, quorum judicia dicit Aristoteles 1. Ethic: esse recipienda tanquam vera, *propter multa vidisse.* Pro quo facit celebre illud exemplum D. Bernardi apud Gerson 2. parte Summæ Alphabeticæ: Cùm quidam Discipulus S. Bernardi non posset deponere scrupulos, propter quod non audebat accedere ad altare, dixit ei Bernardus: *Vade frater, & in fide meâ celebra*, obedivit illi simpliciter, & sic omnis ejus scrupulus perpetuò recessit. Nec contra hæc facit illud vulgatum: *In dubiis tutior pars est eligenda*: Vel id: *Qui amat periculum, peribit in illo*, quia revera in scrupulis nihil tutius, aut minus periculosum est, quàm prædictas regulas, & modos observare. Nec refert illud D. Gregorii: *Bonarum mentium est agnoscere culpam, ubi non est*, quia verum est in generali cognoscere se peccatorem, & habere peccata alia occulta, non autem in speciali absolutè, & sine conditione. IX. Scrupulosi nihil tuti habent.

X. Remedium pro scrupulosis in confessione.

Visis modis, quibus scrupuli deponi possint, & debeant, nunc videndum restat, quibus remediis curari valeant, & quia eadem medicina non valet æqualiter omnibus morbis, sed particulares specialibus curandi sunt medicamentis, unde potiora hìc assignabo remedia; Et Primò quidem contra scrupulosos reputantes se nunquam fecisse bonas confessiones, vel non sufficienter, dicit Corduba, si talis replicatio confessionis eorundem peccatorum mortalium, vel venialium, magis inquietat ipsos vel alios, quàm tranquillet, tunc consilio peritorum, vel superiorum inhibeatur à confessione illorum peccatorum, de quibus scrupulosè dubitat, an sint mortalia, vel sufficienter confessa, projiciendo se fiducialiter

tialiter ad pedes misericordiæ divinæ potius, quàm in justificationibus suis sperando, quia secundùm Gerson Tract: de remediis contra pusillanimitatem, Nemo per infallibilem, & absolutam certitudinem sine speciali revelatione potest scire an sit in gratia, vel an verè sufficientérq; pœnitens, & ideò non fatiget se homo stultè ad sciendum, vel faciendum impossibile, ad quod non obligatur.

XI. Remedium scrupulosorum in oratione.

Remedium contra eos, qui ob nimios scrupulos in orationibus, vel officio divino, vel sacro, præsertim circa consecrationem replicant toties verba, & videtur eis, quod non dixerint, nec protulerint plenè verba. Tales secundùm Ioannem Gersonem non debent replicare, quod semel dictum est etiam sine actuali intentione, sed ad hoc sufficere virtualem, aut quòd se advertenter, aut per notabilem negligentiam non distraxerint (secundùm communiter Doctores) advertant insuper tales, quòd ex ejusmodi reiteratione non assequantur suum intentum, quia eorum conscientia per hoc non quietatur, sed potius inquietatur, & hoc etiam verum est in reiteratione verborum consecrationis, in quibus sufficit, quòd maneat significatio verborum, quamvis non fuerit exacta pronuntiatio litteræ M, sive alterius alicujus. Imò sæpè fit, ut isti scrupulosi nimis occupando suam mentem ad hoc ut sint attenti, potius evagentur, quàm attendant, quia tunc habebunt attentionem pro objecto intentionis, magis quàm ipsum DEUM, aut reverentiam servandam in Verborum pronuntiatione, cùm tamen hæc debeant esse principaliter intenta.

XII. Remedium scrupulosorum in turpibus cogitationibus.

Remedium contra importunas cogitationes spurcitiarum, blasphemiarum contra DEUM, B. Virginem, fidem, castitatem, & præsertim inter orandum, vel contemplandum. His sic præscribit Gerson tract: contra pusillanimes, & Tract: de Discretis exercitiis devotorum, remedium esse Primò, quod taliter afflicti debeant considerare, quod nunquam est peccatum saltem mortale in talibus horrendis cogitationibus, nisi quando voluntas consentit, aut cùm complacentia & delectatione amplectitur, unde, quando displicent, imputantur potius ad meritum. Secundò, Homo sic tentatus transeat considératè & fortiter in via Domini, non curans talia spurca tentamenta, quæ lædere non possunt nisi consentientem, sicut bellator fortis magis animatur, & prosequitur victoriam, pertransítq; sordes ab inimicis immissas super caput ejus, quia tunc signum est, quòd inimici jam deficientes non habeant alia arma fortiora, quibus ipsum lædant. Tertiò recurrat semper ad auxilium divinum per orationem aliquam jaculatoriam dicens: *DEUS in adjutorium meum intende. Nihil proficiat inimicus in nobis.* &c.

XIII. Remedium nimis timentium.

Remedium contra nimis timentes, nè DEUM in quovis verbo vel opere offendant. Tales considerent Primò per se, vel per alios ad quid sub mortali teneantur secundùm moralem, & probabilem certitudinem, juxta prudentum æstimationem, & hoc sollicitè observare curent, venialia non nimis solliciti sint in speciali confiteri, sed ab eis caveant, quòd si non possunt, non nimis anxientur. Quia sic DEUS promittit Jebusæos & Amorrhæos sub tributo servire, & sæpius rebellare in terra promissionis, ut ex hoc magis timorati & cauti incedamus in via Domini. Secundò, Divertant timidas suas imaginationes, ut suprà dictum est. Tertiò, Considerent DEI misericordiam, & quòd non sit DEUS carnifex, dicántq; cum Psalte 53. *In te Domine speravi, in justitia tua libera me.* Et Psalm: 83. *Beatus vir cujus est auxilium abs te, ascensiones suas in corde suo disposuit*, id est, disponit, & proponit resurgere, & ascendere, & si millies cadat.

XIV. Remedium de sufficienti contritione anxiis.

Remedium contra scrupulosè timentes, An sint in gratia DEI, vel sufficienter contriti cùm sufficienti proposito non peccandi. Similes secundùm doctrinam Gersonis faciant

 Primò,

Primò, quod in se est, secundùm moralem certitudinem, & prudentum æstimationem. Secundò, sic timeant justitiam DEI, ut tamen præponderent misericordiam, quia *misericordia ejus super omnia opera ejus.* Tertiò, Petant à DEO illuminari & confortari. Quartò, Considerent, quòd in hac vita vix aliquis potest sufficienter, & sine omni defectu facere suum debitum. Quòd si quis scrupuletur ex eo, quòd non fecerit, quidquid potuit, cogitet (secundùm Doctores) quòd viator non teneatur facere omne, quod potest, vel omnem possibilem examinationem vitæ suæ, sed solùm ad id, ad quod obligatur in lege, alioquin non daretur ullum opus supererogatorium. Ex quo patet, quid respondendum ad tentationem, quærentem à te, qui habuisti filium ex adulterio tibi gratissimum per omnia: nunquid velles potius carere tali filio, quàm unquam commisisse adulterium? Respondendum est enim sub distinctione, quòd scilicet jam post factum placet filius, utilitas, & effectus bonus per DEI misericordiam secutus, sed displicet causa & peccatum, ex quo secutus est.

XV. Remedium contra prædestinatarios.

Remedium contra nimis timentes, & secum disputantes, an sint præsciti, vel prædestinati? Tales divertant se quamdiu possunt ab ejusmodi cogitationibus ad alia consideranda, scientes, quia *scrutator majestatis obruetur à gloria.* Secundò, Cogitent, quòd quidquid DEUS de illis ordinaverit, rectum sit, & sic faciant, quod in se est, ad promerendum auxilium & favorem divinum. Tertiò, Considerent, quòd DEUS non potest mentiri, & proindè cùm dicat, se non velle mortem peccatoris, sed potius omnes salvos fieri, debet quilibet confidere, quòd sit salvandus, si faciat, quod in se est cum DEI adjutorio. Quartò, Quòd (secundùm Scotum, & communiter Doctores) licèt merè DEUS liberaliter, & sine ullis prævisis meritis prædestinet hunc vel illum ad gloriam, neminem tamen reprobat, nisi propter propria demerita, ideò non est, quod dubitet ex parte DEI, si ipse ex sua parte faciat quod suum est. Quintò, Gogitent, quòd quamvis DEUS ab æterno prævideat, & decernat de hominibus quidquid in tempore videt, aut facit circa eos, v. g. quod salvaberis, vel damnaberis, tamen non decernit ab æterno taliter, ut in exequendo in tempore ejusmodi decretum, excludat nostram cooperationem, sed potius includit nostra opera, tanquam media ad finem illum, opera autem nostra nec bona nec mala sunt, nisi sint libera, & per consequens expedit in hac vita benè operari, ut salvemur in altera.

Quod si urgeat tentatio dicens: DEUS de me decrevit, quidquid est facturus, & jam scit an benè, vel malè sim operaturus, & sic frustrà laboro in benè, vel malè operando, quia necesse est, ut fiat id, quod DEUS de me jam decrevit, vel ordinavit. Vide, num acceptares ejusmodi consilium, si fuisses in deserto, ubi nullus adest cibus comedendus; si diceretur tibi, DEUS scit te comesturum, vel non comesturum, non est ergò quod sis nimis sollicitus de cibo, quia si DEUS videt te comesturum, & si maneas ibi comedes, si autem videt te non comesturum, etsi facias quidquid velis non comedes, mane ergò ibi. Quod si hoc consilium non velis suscipere, nè credas diabolo tibi circa mysterium prædestinationis similem scrupulum suggerenti. Sextò, Consideret talis scrupulosus, quòd ideò damnati nullam habebunt spem salutis, quia non possunt benè converti ad DEUM, nec DEUS eis auxiliatur, & proindè cùm videamus à DEO nobis multas inspirationes, desideria bona, affectus circa salutem, dedisse, Præcepta observanda, debemus colligere, quòd possimus per DEI gratiam facilè salvari, quia hæc omnia frustrà dedisset nobis, nisi vellet nos salvari, nec est verisimile, quòd impiis & perversis tam longam dedisset vitam, nisi expectaret eorum conversionem.

nem. Isaiæ 30. *Expectat Dominus, ut misereatur nostri*, unde dicunt Doctores cum Chrysost: super illud Joann: 8. *Vos in peccato vestro moriemini*, quod etsi absolutè reveletur alicui, quòd sit reprobatus, non est sic absolutè intelligendum, sed comminatoriè, & conditionaliter, scilicet si non convertatur, aut si non finaliter perseveret in bono, & sic Christus statim ibi se explicavit addens: *Nisi credideritis, in peccato vestro moriemini.* Septimò, Recurrat sub alas Christi in cruce pendentis, dicátq; : *In te Domine speravi*, pius est meus Judex Christus JESUS, frater meus, me justificans, pro me mortuus est, in suis meritis salvabor.

XVI. Remedium contra dulcedinem affectantes. Remedium contra nimis sollicitos de quærenda dulcedine spirituali, & valdè tristes, & desperantes, quia illam non sentiunt, sed ariditatem, & indevotionem, atq; nullum ferè affectum ad divina. Istos jubet Gerson sæpè citatus, ut considerent Primò, Quòd illa dulcedo & experientia devotionis non sint efficacia, & infallibilia signa gratiæ, nec econtra ariditas est signum peccati. Secundò, Considerent, quòd licèt illa dulcedo de se juvet ad bonum, tamen propter nostram frigiditatem sæpè est occasio majoris periculi, & præsumptionis, erroris, propriæ affectionis, nimiæ confidentiæ. Tertiò, Quòd cœteris paribus magis meretur quis faciens bonum propter DEI honorem, quàm habens illa dulcia experimenta ratione difficultatis & pugnæ, quam patitur.

Fatua tandem Conscientia non rationibus, vel levibus quidem apparenter, sed planè stultis innititur, & nihil aliud est, quàm delirium quoddam particulare, unde nomen conscientiæ non meretur, nec ulteriorem examinationem. Sit igitur. XVII. Fatuitas est conscientia fatua.

TRA-

TRACTATUS VI.

DE

CONSCIENTIA PROBABILI,

ET

MODO UTENDI PROBABILITATIBUS.

SEU

PROBABILITAS MODIFICATA.

PROOEMIUM.

PROBABILITAS & debitus probabilitatum usus à modernis Scholasticis tam diligenti investigatur exercitio, tam fundamentali examinatur diligentia, ut liberrimè opinantium divagationes intra arctiores disciplinæ cancellos restringantur, postquam enim Alexander VII. pastorali sollicitudine invigilando gregi sibi commisso relaxativas quorundam sententias anathemate perstrinxisset, complures Theologi penitius materiam opinionum discutere cœperunt, & maximo continuârunt fervore, ut quemadmodum Ecclesia in Sanctis, in dilatatione, aliisq; perfectionibus magis magisq; semper clarificatur, & per hæresum oppugnationem stabilius solidatur, ita etiam Theologia Scholastica singulis crescat sæculis in sua perfectione, & veritatis solidiori cognitione, usq; dum ad perfectam claritatis attingat diem, ad cognoscendam omnem veritatem in se ipsa in lucidissimo totius veritatis fonte DEO, nunc enim in fide & ænigmate illius ambulamus, & ex parte cognoscimus per opiniones,

cùm

cùm autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Sicut igitur aliis temporibus diversæ quæstiones acriter ventilatæ fuerunt, ita à principio hujus sæculi usq; ad ejus finem hinc inde plures concertationes tam inter ipsos Theologos, quàm hos & Jurisperitos exortæ fuerunt, & adhuc perseverant, dum aliqui pro libertate humana pugnant, alii pro lege æterna & divina decertant, nam aliqui naturæ humanæ fragilitatem considerantes, piâ commiseratione moti, in benigniorem sensum ad scrupulos sedandos, & conscientias à perplexitatibus liberandas multa excogitârunt, & probabilem opinionem quamcunq; sequi posse docuerunt, unde & *Probabilistæ* vocati sunt, & *Benignistæ* meritò dicuntur: Alii verò fervore accensi, *Zelantes Zelum legis* ad refrænandam nimiam opinandi libidinem, & effrænatam opiniones fingendi libertatem edomandam, omnem penitus probabilitatum usum auferre conati sunt, qui ideò *Severistæ* dici, & *Probabilioristæ* compellari solent & possunt, & non abs re hoc extremo utuntur ad instar Magni Ecclesiæ Doctoris D. Augustini lib: 5. contra Julianum cap. 8. prout eundem citat S. Bonaventura in 2. d. 33. art: 3. q. 1. & hunc Doctor noster subtilis in præfato loco: *Frequenter sancti extinguendo contra se hæreses pullulantes excessivè locuti sunt, volentes declinare ad aliud extremum, & ita multum ponderandum est, contra quos hæreticos sancti sunt locuti: Sicut Augustinus contra Arrium videtur quasi declinare ad Sabellium, & è converso similiter videtur contra Pelagium declinare ad Arrium, & è converso.* Et veritas ista in præclara fundatur Aristotelis doctrina in 2. Ethicor: ubi dicit: *In moribus via deveniendi ad medium, est aliqualiter procedere ultra medium versùs extremum.* Et hac ratione etiam severioris sententiæ Patroni & Probabilioristæ sanctè intendunt, cùm ad alterum extremum contra nimios Benignistas vergunt, ut alii utrumque extremum cognoscentes periculosum, mediâ discant incedere viâ, utrumq; autem extremum esse vitiosum, quis non videt? Nam Benignistæ sub pietatis specie, sub commiserationis titulo, & sub fragilitatis hu-

1. Mach. 2.

manæ prætextu nimis conſcientias relaxant, & quælibet audendi, fingendi, & opinandi liberè remittunt habenas, & dum ſcrupuloſos à deſperationis periculo liberare intendunt, amplum alia ſuaviori & dulciori via introitum pandunt ad barathrum: Severiſtæ verò dum omnem probabilitatum uſum tollunt, humanam nimium conſtringunt fragilitatem, conſcientias terrent, & torquent, jugum exaſperant Chriſti, & quod ipſe leve dixit & ſuave, acerbis involvunt perplexitatibus; mediâ autem nobis incedendum eſſe viâ ſatis inſinuârunt ſanctiſſimi & zelantiſſimi Pontifices Innocentius XI. & Alexander VIII. ille enim laxitatem ſatis reſtrinxit, cùm damnavit, ad prudenter agendum omnem, dummodò probabilitatis terminos non exuat, ſufficere opinionem: Iſte verò quando anathematizavit alteram extremam quòd, *non liceat ſequi opinionem vel inter probabiles probabilisſimam.* Ex quibus clarè conſtat, nec omnem opinionem admittendam, nec rejiciendam omnem, quare ego quoq; his in deciſionibus me fundando mediâ incedam viâ, attentéq; perpendam, nè quid remiſſiùs & benignius ſtatuam, quàm ſalus animarum requirat, nec quid durius aut ſeverius quàm humana ferat fragilitas. Porrò Tractatum hunc in tres diſputationes dividam, quarum prima veluti præambula explicabit naturam opinionis ſecundùm eſſe ſuum phyſicum, & metaphyſicum. In ſecunda examinabo ejus moralitatem, qualiter uſus opinionum probabilium ſit licitus & ſufficiens regula ad actiones humanas dirigendas, ſaltem in ordinariis caſibus, & ad propriam perſonam pertinentibus, oſtendendo idem non valere in Sacramentis, Medicis, judicibus, & univerſaliter in omnibus quæſtionibus facti, unde grave damnum, præjudiciúmve oriri poſſet. Et in tertiâ oſtendam modum, quomodo probabilitate cognitâ ut tali poſſim uti in concurſu opinionis probabilioris, & hæc clariori & breviori methodo, ut ſoleo, devitando ſuperfluas ambages, aliorum cenſuras, & ſolam adducendo rei & veritatis ſubſtantiam. Sit igitur

DISPU-

DISPUTATIO PRIMA.

DE

Natura Opinionis probabilis.

PROOEMIUM.

Cùm conſcientia probabilis ſit illa, quæ deducitur ex principiis probabilibus moralibus, ſeu cùm ſit judicium practicum, quod dictat hîc & nunc eſſe aliquid licitum vel illicitum, poſſe vel non poſſe fieri ſine peccato mortali aut veniali, hinc neceſſarium eſt primò ſcire, quid ſit Probabilitas, ſeu quid ſit probabile, opinio probabilis, & probabile judicium, à quo conſcientia humana poſſit appellari probabilis, ſicut etiam ab opinione quandoq; dicitur opinativa, quare materiæ de actibus humanis, in qua etiam fuit actum de regulis eorundem actuum, tam prima, quæ eſt divina voluntas, quàm de ſecunda & intrinſeca nobis, quæ eſt conſcientia recta de corde puro & fide non ficta, ſubjungo difficultatem, de qua diſceptatur, an conſcientia probabilibus tantùm innixa principiis, ſit ſufficiens regula actuum humanorum, quod in hoc tractatu præſtabo, quem ideò in titulo de conſcientia probabili & probabilitatum debito uſu, & compendiosè *Probabilitatem modificatam* voco, in hac autem diſputatione naturam ipſam opinionis, & probabilitatis examinabo. Pro quo ſit

QUÆSTIO PRIMA.

Quid ſit opinio Probabilis in genere moris?

1. Probabile diverſimodè accipitur.

Nte omnia tanquam certum ſupponendum eſt, Probabilitatem, & probabile nunc apud Theologos & Philoſophos Chriſtianos aliter accipi, quàm olim acceperint Gentiles & Ethnici, nam Ariſtoteles 1. Rhet: cap. 2. probabile vocat, *quod plerumq; contingit* Et Academici, ut refert S. Auguſtinus lib: 2. contra illos cap. 11. dicens: *Id probabile vel veriſimile Academici vocant; quod nos ad agendum ſine aſſenſione poteſt invitare. Sine aſſenſione autem dico, ut id, quod agimus, non opinemur verùm eſſe, aut id nos ſcire arbitremur; agamus tamen. ut verbi cauſa, utrum heſterna nocte tam liquida ac pura, hodie tam lætus ſol exoriturus eſſet, ſi nos quiſpiam rogaret, credo, quod nos id ſcire negaremus; diceremus tamen ita videri. Talia inquit Academicus; mihi videntur omnia, quæ probabilia, vel veriſimilia putavi nominanda;*

quæ tu si alio nomine vis vocare, nihil repugno. In quo multùm diversificant Christiani, nam Academici *sine assensione probabile posse invitare*, Theologi autem docent, probabilitatem veram positivum posse causare assensum; Academici ex isto probabili agebant, non opinantes esse verum, nos autem verum opinamur veritate proportionata ad objectum contingens. Academici probabile suum non deducebant ex rationibus, sed vel ex arbitrio, vel sola imaginatione, unde omne illud, quod sibi videbatur probabile, tale credebant, asserebant, & faciebant. Theologi autem non ex imaginatione, apprehensione, vel arbitrio, sed in solidis rationibus suam probabilitatem fundant, hinc quia diversæ rationes possunt esse secundùm efficaciam & urgentiam, ideo etiam dicimus alias probabilitates esse majores, alias minores, attendendus est enim usus verborum, quo sensu accipiantur in comuni praxi hominum, dico itaq; cum Trigetio Augustini interlocutore loco cit: *Placet nobis, cùm res nota sit, de verbis nullas calumnias comovere.* Unde præliminariter

II. Opinio describitur. Notandum Primò: Opinionem ut sic benè describi, quòd sit *Assensus rationis, adhærens uni parti contrariæ, vel contradictoriæ ex principiis tantùm probabilibus ortus.* Dicitur *Assensus rationis*, quamdiu enim ratio, vel intellectus operantis assensum non præbet propositioni, erit potius dubium, vel resignatio, vel quid simile, non autem opinio. Dicitur *Alteri parti*, quia cùm opinio semper habeat formidinem de opposito, oportet, ut propositio, de qua est opinio, habeat aliquam aliam propositionem contrariam, vel contradictoriam sibi oppositam, assensus enim circa propositionem aliquam disparatam est potius simplex resolutio, quàm opinio in rigore. Dicitur *Ex principiis tantùm probabilibus*, quia si principia sint certa, generabunt scientiam, vel fidem, non opinionem. Conscientia ergò opinativa, vel probabilis est illa, *quæ ex probabilibus principiis judicat practicè in re morali quasi sententiando, posse hic & nunc operari*, si enim quis apud se non formet judicium de probabilitate sententiæ, non dicitur sequi sententiam probabilem, sed tantùm habere forsan scientiam, quidquid alii hac in re sentiant. Hæc definitio est conformis S. Bernardo, qui lib: 5. de considerat: cap. 3. sic definit scientiam, fidem, & opinionem: *Quorum intellectus rationi innititur, fides authoritati, opinio sola verisimilitudine se tuetur. Habent illa duo certam veritatem, sed fides clausam & involutam, intelligentia nudam & manifestam. Cæterum opinio certi nihil habens, verùm per verisimilia quærit potius quàm apprehendit.* Et paulò pòst subjungit: *Possumus singula hæc ita definire: Fides est voluntaria quædam certa prælibatio necdum propalatæ veritatis. Intellectus est rei cujuscunq; invisibilis certa & manifesta notitia. Opinio est quasi pro vero habere aliquid, quod falsum esse nescias, ergo ut dixi fides ambiguum non habet: aut si habet, fides non est, sed opinio.*

III. Veritas duplex, naturalis & moralis. Notandum Secundò: Veritatem & Certitudinem esse duplicem, una est *Naturalis*, seu *Physica*, vel *Metaphysica*; altera *Moralis*. *Naturalis* est conformitas intellectûs cum re intellecta, quæ aliter esse nequit, quia ejus objectum est necessarium, & est tale, quale apprehenditur à parte rei, unde evidenter constat intellectui objectum esse tale, prout fuit apprehensum, & à se judicatum, & ob hanc causam certitudine etiam naturali illi adhæret, quia evidenter cognovit esse verum, quod aliter esse non possit. Veritas & certitudo *moralis* est conformitas intellectûs practici cum re intellecta, non prout est in se, sed prout apprehenditur secundùm motiva rationabilia, quamvis evidentiam non possit habere propter objecti contingentiam, quæ in agibilibus sufficit, cùm scientiam habere non possumus, & hinc non tam firmiter adhæremus judicio tali, quamvis moraliter

raliter certos nos exiſtimemus, nam ſubeſt ei aliqua formido, vel ſaltem ſubeſſe poteſt. Pro quo

Notandum Tertiò: Veritatem hanc duplicem *Naturalem* ſcilicet, & *Moralem*, aliter dici *Speculativam* & *Practicam*: *Speculativa* quidem, quia attingit objectum, prout eſt in re, & præſcindit ab operationibus. *Practica* verò, quia fundatur tantùm in probabili apprehenſione & æſtimatione, ex gravibus motivis orta, unde illa ſpeculativa dicitur, quia eſt ſcientifica & evidens, practica verò non. In hoc autem utræq; veritates differunt, quòd ſpeculativa, cùm ſit de objecto, prout eſt in re, conſiſtat in indiviſibili, unde etiam explicatur per contradictoria, quòd aliqua operatio ſit licita vel non licita. Veritas practica non conſiſtit in indiviſibili, ſed habet latitudinem, & ratio eſt, quia non attenditur ad hoc, quòd ita res ſe habeat, vel non ſe habeat, ſicut enuntiatur, ſed attenduntur diverſæ rationes, media & motiva probabilia, quibus innititur, quæ cùm plura eſſe poſſint, apta nata ſunt majorem vel minorem inducere veritatem probabilem ſeu probabilitatem veram, unde etiam hæc excuſat à peccato, quamvis mala eſſet operatio, quæ fieret ex dictamine practico, quia licèt materialiter malè ageret, non tamen formaliter, ſicut Jacob dum acceſſit Liam, putans eſſe Rachelem.

Dices: Veritatem practicam ſic explicatam abuſivè dici veritatem, ſed potius dicendus eſt error excuſabilis, ſicut in exemplo ſpecificato cum Jacob & Lia contigit, unde dixit D. Auguſtinus in epiſt: ad Donatum: Excepta una veritate non eſt alia veritas, & ita non poſſunt duo veridici veraciter dici, ſicut una veritas naturaliter non poteſt dividi, ergò malè confunditur opinio cum veritate dicendo aliam eſſe ſpeculativam & aliam practicam contra S S. Patres, qui operationes malas ex ignorantia proficiſci dixerunt, non ex veritate practica. Reſpond: neg: antec: Quia veritatis diſtinctio in practicam & ſpeculativam omninò admitti debet in ſenſu explicato, ita ut veritas ſpeculativa ſit, prout eſt res in ſe certa & evidens. Practica verò prout per rationes & motiva gravia proponitur, unde practica dicitur, quòd in operationibus humanis ſit ſufficiens ad rectè operandum. Et hæc veritas, in qua conſcientia probabilis oritur, omninò diſtinguenda eſt ab errore, qui conſcientiam erroneam conſtituit, quia conſcientia erronea ſemper eſt connexa cum errore, dictando aliquid eſſe licitum, quod revera eſt illicitum, & vice verſa. Non ſic autem conſcientia probabilis, quæ in dictamine nunquam habet errorem, licèt quandoq; in re ſit error, unde licèt veritatis nomen non poſſit applicari errori, vel mendacio, poteſt tamen applicari opinioni, vel nec poterit applicari opinioni probabiliori, cui etiam poteſt ſubeſſe falſum, & frequenter ſubeſt, nam Ariſtotele docente: *Multa falſa ſunt probabiliora veris.*

IV. Formido deſcribitur, quæ duplex eſt.

Notandum Quartò: Formidinem, quæ in opinione includitur, eſſe timorem aliquem ſuſpicantem, nè contraria opinio ſit vera, & nè propria opinio ſit falſa; quæ poteſt eſſe duplex *Actualis* ſcilicet, & *Aptitudinalis*, ſeu *Radicalis*. Illa actualiter timet, & exiſtimat contrariam opinionem fortè eſſe veram, quod magis eſt dubitantis & ſuſpicantis quàm opinantis, quia talis non adhæret ſuæ opinioni. *Radicalis* verò eſt illa, quæ actu non occurrit, radicaliter tamen in ipſa opinione continetur, nam cùm objectum ſit contingens, intellectus non poteſt attingere illud, prout eſt in ſe, quod proprium eſt ſcientiæ, ſed tantùm ſecundùm noſtram exiſtimationem, quæ cùm non innitatur principiis evidentibus, ſed tantùm rationabilibus ad opinandum, & credendum ſic eſſe, ideò hìc formido ſubeſſe poteſt, quæ radicalis dicitur, & ſequitur opinionem tanquam propriam paſſionem. Hæc formido dicitur *objecti*, & altera *ſubjecti*, id eſt hominis timentis. His prænotatis

V. Opinio probabilis quæ dicatur.

Dico Primò: *Opinio probabilis benè describitur, quòd sit assensus practicus, verus, & moraliter certus, adhærens uni parti tanquam licitæ vel illicitæ, ad prosequendam vel fugiendam actionem, ortus ex motivis rationabilibus, intellectum opinantis determinantibus, cum aliqua formidine.* Hæc satis patet ex præmissis Notabili 1. & explicatur. Dicitur *Assensus*, Quia sicut conscientia, ita etiam probabilis opinio est actus intellectûs, unde Patres & Doctores, ut D. Thomas, Doctor subtilis, & D. Bonaventura opinionem definiunt per assensum, & quidem ultimus in 3. d. 24. art: 2. q. 2. dicit: Opinio est *Assensio unius partis cum formidine alterius, opinio adhæret rationi propter se, unde deficiente probabilitate rationis, deficit probabilitas opinionis.* S. Augustinus lib: 3. contra Cresconium cap. 75. pulchrè describit probabile dicens: *Probabile quando dicitur, non consequenter est verum, cum ea dicuntur, quæ fieri possunt, ac solent, & ideò probantur, hoc est approbantur, & creduntur, etiamsi facta non sint: quod autem verum est, cùm ostenditur, necessariò probabile est, & illo utiq; probabilius.* Dicitur *practicus*, quia per talem assensum intellectus dirigit voluntatem ad benè & rectè operandum, vel non operandum juxta regulas conscientiæ probabilis. Dicitur *Verus* non veritate metaphysica, sed morali, quia per talem assensum intellectus moraliter certificatur esse licitum id, quod opinatur esse tale, & proindè determinatur ad præscribendum voluntati hoc esse prosequendum vel fugiendum, dico autem esse verum veritate morali, quæ quidnam sit, patet ex Notabili secundo. Dicitur etiam *moraliter certus*, quoniam certus ille dicitur, qui non est dubius, ut dicitur *cap. 20. de præben: in 6. v. Certiores*, sed opinio excludit dubium, ergò. Item certum est, & dicitur tale, quod est verisimile. & tale esse apparet, ut habetur *L. Certum 6. ff. si cert: pet:* sed in opinione apparet certitudo per rationes efficaces, & quasi demonstrantes, ergò. Unde Scotus *in 1. d. 3. q. 4. §. Istæ rationes*, dicit, si non dubitamus de eorum veritate, & non fallimur, ut patet, ergò certi sumus de cognitis per viam sensûs, nam certitudo habetur, quando excluditur dubitatio & deceptio. Tandem ex veritate consequitur certitudo, quò enim judicamus, rem esse veriorem, eò magis sine formidine, quod est esse certius, ei adhæremus. Hinc in descriptione statim subjungitur, *adhærens uni parti.* Quia operari volens debet se determinare & judicare, hoc sibi licere, aut non licere. Dicitur deniq; *ortus ex motivis* &c. nam sine motivis talibus non potest haberi opinio, quæ fulciri & inniti debet firmis & optimis rationibus, quæ possint determinare intellectum, ut hic præscribat voluntati, quidnam sit agendum. Addunt aliqui, *ut non sit difformis aut repugnans legi naturali, vel positivæ.* Hæc particula licèt non sit necessaria, esse tamen convenientem probatur: ultima & principalis regula omnis bonæ actionis est lex naturalis, vel positiva divina, vel humana, ergò sicut qui juxta regulas illas agit, benè agit, ita qui contra illas operatur, aut difformiter ad illas malè operatur, & per consequens illa opinio, quæ est difformis, aut repugnans his regulis, non est probabilis, sed potius erronea. Addunt alii, quod rationes illæ, quibus innititur probabilitas, non solùm debeant esse solidæ *positivè*, sed etiam *negativè*, id est, quòd nulla ratio opposita earum enervet efficaciam, sed existimo hanc particulam non esse necessariam ad constituendam opinionem probabilem, benè tamen ad formandum judicium practicum, ut quis probabilem opinionem sequi possit. Verùm contra veritatem opinionis

VI. Opinio non debet esse contra legem.

Arguitur Primò: Opponendo *Cap. A nobis* 28. de sent: Excom: ubi dicitur: *Judicium autem Ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur, quam & fallere sæpè contingit, & falli, propter quod contingit interdum, ut qui ligatus est apud DEUM, apud Ecclesiam sit absolutus, & qui liber est apud DEUM, ecclesiastica sententiâ sit innodatus,*

datus, ergò opinio non est assensus verus, quod enim fallere & falli potest, non potest esse verum. Respond: neg: consequ: Ex textu enim allegato non probatur intentum, nam quòd aliquando fallatur Ecclesia, id contingit in judiciis, ubi procedit secundùm allegata & probata, unde opinio non sumitur ibi pro assensu vero, & rationibus debitis fulcito, sed pro fide humana, qua credit dictis & factis allegatis & probatis in foro exteriori, & secundùm exteriora, de quibus judicat.

Instatur: Veritas & falsitas sibi opponuntur, ergò si falsum subest, verum subesse nequit: Probatur consequ: Quia una tollit aliam. Respond: distin: antec: Veritas & falsitas physica sibi opponuntur, conc: antec: Veritas moralis, & physica falsitas sibi opponuntur, neg: antec: Quia igitur veritas physica inculpabiliter ignoratur, non nocet veritati morali, cui non physica, sed falsitas moralis opponitur, quæ non reperitur in opinione probabili.

Urgetur: In duabus propositionibus moralibus sibi contrariis necessariò una est vera, altera falsa, quia quod una affirmat, altera negat, v. g. una dicit: *hoc opus est licitum*: altera tenet: *hoc opus non est licitum*, ergò una vera, altera falsa, aut concedi debet, duas propositiones contradictorias posse esse simul veras, quod magis absurdum videtur, ergò. Respond: neg: antec: Quia utraq; potest esse vera, eo enim ipso, quòd utraq; sit opinio, utraq; habet suam veritatem, & suam verisimilitudinem. Et hæc est disparitas à veritate physica, quòd in moralibus unum posset esse diversis modis verum; nam sicut Scripturæ sacræ verba diversimodè possunt esse vera; sic etiam dictamina rationis, textus enim ille *in principio creavit DEUS cœlum & terram*, diversis & oppositis modis interpretatur à Patribus. Illud Joannis: *Expedit ut unus moriatur pro populo, & non tota gens pereat*, aliter intellexit Caiphas, aliter Spiritus Sanctus, & utrumque fuit verum.

Confirmatur hæc doctrina ex D. Augustino lib: 12. Confess: cap. 30. *In hac diversitate sententiarum verarum, concordiam pariat ipsa veritas, & DEUS noster misereatur nostri, ut legitimè lege utamur, præcepti fine, purâ charitate, ac per hoc, si quis quærit ex me, quid horum Moyses ille tuus famulus senserit, non sunt hi sermones confessionum mearum, si tibi non confiteor, nescio, & scio tamen illas veras esse sententias.* Et cap. 31. subdit ibi pulchra: *Ita cùm alius dixerit hoc sensit quod ego, & alius imò illud quod ego, religiosius me arbitror dicere, cur non utrumq; potius, si utrumq; verum est? Et si quid tertium, & si quid quartum, & si quid omninò aliud verum quispiam in his verbis videt, cur non illa omnia vidisse credatur, per quem unus DEUS sacras litteras vera & diversa visuris multorum sensibus temperavit.*

Confirmatur Secundò: Quia etiam in physicis opinionibus & notitiis unum aliquod potest esse pluribus modis verum, pluribus modis probari, & demonstrari, nam DEI existentia demonstratur scientiâ, & scitur etiam fide, quæ dicitur largiori in acceptione scientia. Objecta nonnulla alia demonstrantur ex locis scientificis, & etiam simùl ex topicis seu probabilibus, & quamvis sint diversa media, Physicæ, & Metaphysicæ, seu naturali veritati non opponuntur, nec sibi contradicunt, quia diversitas mediorum omnem tollit contradictionem, sic censeo etiam in moralibus diversis modis aliquid verum esse posse, & quicunq; conformiter ad suum dictamen, & verisimilitudinem agit, benè operatur, unde quoties plures propositiones habent suas efficaces rationes & verisimilitudines, omnes moraliter veræ esse possunt. Sed contra certitudinem opinionis

Opponitur Secundò Authoritas D. Augustini lib: 19. Civit: cap. 18. ubi ait: *De quibusdam rebus, quas neq; sensu, neq; ratione percepimus, neq; nobis*

nobis per Scripturam canonicam claruerunt, nec per testes, quibus non credere absurdum est, in nostram notitiam pervenerunt, sine justa reprehensione dubitamus: sed quæ præter scientiam & fidem cognoscimus, hæc opinamur, ergò ista nullam habent certitudinem, cùm ex mente S. Augustini justè dubitemus. Respond: S. Augustinum sibi loqui de opinionibus speculatis, undè non requirunt aliquam certitudinem, nec excludunt dubitationem, longè diversum est in practicis.

Arguitur Tertiò: Opponendo authoritatem Aristotelis 1. Post: cap. 26. dicentis: *Est enim infirma semper & incerta opinio, usq; ac natura ipsius in hac infirma assensione continetur.* Et lib: 3. Ethic: cap. 2. *Ea opinamur, quæ certò non scimus*, in quibus locis Philosophus ab opinione excludit omnem certitudinem, ergò. Respond: neg: antec: Quia Aristoteles ibi negat opinioni certitudinem physicam natam ex principiis evidentibus, non verò moralem, quæ respectu evidentis potest dici infirma, id est, non tam firma.

Instatur: Implicat contradictionem certum esse, & probabile, quia probabile *est non certum*, unde dicit Scotus 3. d. 24. q. un. §. contra hæc: *Certitudo & non certitudo de eodem sunt extrema contradictionis, igitur sunt incompossibilia*, ergò opinio probabilis non est certa. Respond: neg: antec: si sit sermo de certitudine evidenti & morali, quia non est secundùm eandem rationem, aut respectu ejusdem motivi, sed sunt diversæ certitudines, sicut sunt diversa motiva, ubi enim motiva sunt evidentia, certitudo generatur evidens, ubi motiva obscura, ut in fide divina, oritur certitudo obscura, infallibilis tamen; & tandem ubi sunt principia probabilia, nascitur certitudo probabilis seu moralis, & sufficiens ad prudenter operandum, unde Scotus citatus in 1. supra: Certitudo *conclusionis tantummodò dependet ex certitudine principiorum, & ex evidentia illationis*, unde cùm dicit in tertio, libro in objectione citata, certitudinem & non certitudinem esse contradictionem, intelligendus de eadem certitudine, & ex iisdem principiis generata; sufficere autem quamlibet certitudinem sive evidentem, sive obscuram fidei, sive probabilem, aut ex probabilibus deductam, ad prudenter operandum clarè deducitur ex *cap. Ego solis* §. *Alios autem, dist:* 9. ex D. Hieronymo dicente: *Non ideò verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi per alios Authores, vel canonicas, vel probabiles rationes, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt*, ergò & authoritas, & probabiles rationes persuadere possunt ad prudenter agendum, consequenter habent aliquam certitudinem.

Urgetur: Certitudo est perfecta determinatio ad unum, probabilitas autem est indifferens ad unum, & ad ejus oppositum, ergò nequit esse certitudo, ubi tantùm est probabilitas. Respond: distin: antec: Probabilitas est indifferens objectiva, conced: formalis, nego. Quia probabilitas hæc v. g. determinatur ad unum hoc per suam unam hanc rationem, vel rationes, & probabilitas altera determinatur ad aliud unum per alias suas rationes, ita quòd quælibet probabilitas habet suam propriam, & proportionatam veritatem, & certitudinem. Hinc

Dico Secundò: *Opinio, quæcunq; verè est probabilis, excludit formidinem actualem de opposito, unde solam continet aptitudinalem & radicalem.* Ita Mastrius in 2. disp: 5. q. 2. art: Noster Bordonus. Probatur Prima pars: Quia opinio eò ipsò quòd sit probabilis, reddit securum & tutum operantem secundùm judicium illud probabile, atqui sic securè operari excludit omnem actualem formidinem, ergò: Probatur min: si in tali judicio esset formido actualis, practica saltem, crederet contradictoria simul esse vera, sed hæc non possunt sic credi sub eadem ratione. VI.

Opinio excludit formidinem actualem.

Probatur secunda pars: Quia assentiens ex probabilibus motivis uni

uni parti ex contradictoriis, vel contrariis in tantum dicitur formidare, in quantum rationes illæ intellectum non convincunt, & in quantum non assentitur propter rationes demonstrativas, & convincentes, sed hæc non est nisi radicalis formido, quæ semper in opinione continetur, cùm non sit assensus cum evidentiâ & certitudine aliqua metaphysica, ergò. Confirmatur: Quia eo ipso, quòd sit aliquid opinio, non excludit oppositæ partis formidinem, alioquin non esset opinio, sed evidentia, hæc tamen non debet esse actualis; nam ut aliquis prudenter operetur ad excludendum omne peccatum; sufficit, ut excludat formidinem actualem, credendo id, quod operatur, licitum sibi esse, licèt aptitudinalem retineat formidinem, cùm hæc non excludat determinationem intellectûs; sed solùm firmitatem assensûs, quæ propter motiva & principia, ex quibus oritur, non est tanta, sicut est in assensu evidenti.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quotuplex sit Opinio probabilis?

I. Probabilitas alia speculativa, alia Practica.

VArias omninò divisiones opinionum tradunt Authores, principaliores ego conabor referre: Itaq; opinio probabilis Primò dividitur in probabilem *speculativè*, & *Practicè*: Illa opinio dicitur *probabilis speculativè*, quæ non ordinatur ad dirigendos actus morales, sed in sola veritate indaganda consistit, hujusmodi sunt; An mundus sit ab æterno? An relatio in Divinis distinguatur ab Essentiâ? &c. *Probabilis practicè* est, quæ actionem liberam immediatè, vel mediatè per modum principii respicit; hujusmodi sunt tam conclusiones, quæ dictant hoc vel illud esse faciendum; vel omittendum, quàm principia, ex quibus conclusiones similes inferuntur v. g. circa illam propositionem, an aliquid sit peccatum mortale, vel veniale, potest esse duplex opinio, vel speculativè sistendo in consideratione connexionis prædicati cum subjecto in se, absq; ordine ad aliquod opus. Secundò in quantum ex illa infertur, quòd hoc aut illud sit faciendum, aut omittendum hoc practico discursu: *Omne peccatum est vitandum, hoc est peccatum, ergò est vitandum.*

Unde nonnulli Authores opinionem etiam practicè probabilem, id est, eam, quæ pertinet ad genus morum, dividunt in *speculativè* & *practicè* probabilem, ita quòd illa sit *speculativè probabilis*, quæ in communi & generalibus terminis per modum synderesis dictat aliquid esse licitum, vel non licitum; abstrahendo à circumstantiis, quæ possunt occurrere in praxi. *Practicè probabilem* vocant, quæ consideratis omnibus circumstantiis occurrentibus ostendit opus esse licitum vel illicitum, quæ distinctio, quamvis videatur quibusdam arbitraria, eò quòd omnis opinio speculativa probabilis sit etiam practicè probabilis, si nihil occurrat in oppositum, nihilominus benè est advertenda, contingit enim aliquando; quòd quædam ingenia sublimia inveniant tales rationes apparentes, quibus ostendant, actiones quasdam esse licitas adductis paritatibus, vel solutis rationibus in oppositum, quæ tamen in praxi non sunt probabiles, id est, practicabiles, quod annotare volui ad magis fundamentaliter penetrandos terminos Adversariorum, in quibus quandoque totam suam vim & efficaciam ponunt; aut per similium terminorum ambiguitatem oppositas rationes solvunt, seu veriùs eludunt.

II. Probabilitas alia extrinseca alia intrinseca.

Opinio probabilis Secundò: Dividitur in *Extrinsecam* & *Intrinsecam*. Probabilitas *Extrinseca* est, quæ oritur propter authoritatem dicentium & docentium sententiam aliquam, de qua dicit Aristoteles 1. Topicorum 1. *Probabilia sunt, quæ probantur, aut omnibus, aut plurimis, aut certè sapientibus, & iis aut omnibus, vel plurimis, vel iis, quorum spectata est & perspecta sapientia.* Itaq; opinio *extrinsecè probabilis* est illa, quando assentior alicui propositioni

 propter

propter solam authoritatem dicentis alterius, quem puto esse hominem probum, & doctum, & tali modo opinioni probabili ordinariè assentiunt homines rudes & simplices, nec in illis requiritur, ut assentiant propter aliquam rationem, nam cùm illi simplices sint, non possunt subtilitatem rationum investigare. Sciendum tamen, quòd si aliquis vir doctus unam sententiam doceret absq; ulla prorsus ratione, illa non esset probabilis, sed potius falsa & erronea, quia non infertur ex principiis probabilibus, unde ut opinio probabilis sit, debet saltem Doctor, qui eam docet, pro illa habere aliquas rationes probabiles. Opinio *probabilis intrinsecè* est, dum assentitur opinioni propter rationes, quibus fulcitur, eò autem opinio est probabilior, quò fortioribus nititur rationibus, sicut & quæ debiliores habet rationes vocatur improbabilior. Ex hoc collige, illam opinionem esse improbabilem, quæ nec authoritati, nec rationi innititur, vel si sic, operans, dum operatur, non operatur propter rationem vel authoritatem.

III. Opinio probabilis & probabilior explicantur.

Opinio probabilis Tertiò: Dividitur in *Probabilem* & *Probabiliorem*. Opinio *probabilis*, prout contra opponitur probabiliori, est illa, quæ bonis, validis & firmis rationibus fulcitur. *Probabilior* verò, quæ firmioribus, validioribus, & melioribus rationibus constat, quare à quibusdam Doctoribus & Legisperitis vocatur *Verior*, & in Cap. Capellanus 4. de feriis dicitur *Potior*. Utraq; tamen opinio conveniunt in ratione veritatis, & certitudinis causatæ ab eorum argumentis, & motivis inducentibus probabilitatis rationem, & tantùm differunt in ratione majoritatis & minoritatis, quod proprium est qualitatum, quæ majus & minus natæ sunt suscipere, nec iste excessus unius præ altera destruit rationem veritatis & certitudinis moralis, ut patet de albedine ut quatuor, & ut sex, & insuper liquet, quia comparativum non destruit positivum sed hoc semper præsupponit, nam sanctior non esset, nisi quis foret ante sanctus. Sed contra hanc divisionem

Opponitur authoritas S. Augustini lib: 3. contra Academ: cap. 16. ubi dicit: *Turpe est errare, & ideò nulli rei consentire debemus: sed tamen cùm agit quisq; quod ei videtur probabile, nec peccat, nec errat. Illud tantum meminerit, quicquid occurrit vel animo vel sensibus, non pro vero esse approbandum*, ubi agendo cōtra Academicos existimantes omne, quod animo & sensibus occurrit esse probabile, adeóq; si Juveni ut probabile occurreret insidiandum pudicitiæ alienæ uxoris, eam posse deperire, ergò ex mente S. Augustini probabile idem est quod falsum, imaginarium & phantasticum, ac erroneum, adeóq; nec verum probabile admittit nec magis, aut minus, adeóq; probabile tanquam absurdum habet, unde concludit: *Sed hoc omittamus, minus id ad nos, minus ad vitæ nostræ discrimen, minus ad fortunarum periculum pertinet. Illud est capitale, illud formidolosum, illud optimo cuiq; metuendum, quod nefas omne, si hæc ratio probabilis erit, cum probabile cuiquam visum fuerit esse faciendum, tantum nulli quasi vero assentiatur, non solùm sine sceleris, sed etiam sine erroris vituperatione committatur*, ergò si Augustinus post Aristotelem docet, aliquid esse probabile in alio quopiam loco, accipit tunc pro eo, quod nunc probabilius appellatur, adeóq; nec antiqui Philosophi, nec Patres & Theologi noverunt distinctionem de probabili & probabiliori. Respond: neg: D. Augustinum ibi probabile accepisse pro probabiliori, quod nec ex Aristotele, nec ex alio quopiam Doctore, vel Philosopho comprobari potest. D. Augustinus enim agit ibi contra Academicos, qui probabile vocabant, quod quilibet ex suo arbitrio fingebat, licèt enim tantùm sensui aut phantasiæ occurrebat, unde non erat necesse distinguere inter probabile & probabilius. Opinionem autem probabilem

bilem & probabiliorem nos discernimus per rationes, motiva, & argumenta, inter quæ potest fieri accessus & recessus ab objecto, veriùs & perfectiùs, vel minus perfectè attingendo, unde licèt Philosophi non usi fuerint fortè expresso hoc termino *probabilius*, id tamen satis Aristoteles suprà insinuavit, dum ait: *Probabilia esse, quæ probantur aut omnibus* &c. quæ autem omnibus probantur, omninò probabiliora sunt, quàm quæ quibusdam tantùm, & consequenter ex disjunctione probabilium, benè colligitur Aristotelem sensisse probabilia alia esse magis, alia minus talia. Respond: Secundò: Negando illatum. Videlicet nec antiquos Patres, aut Doctores novisse distinctionem illam opinionis probabilis, & probabilioris, nam primò ex jure civili, ut refert Fagnanus, colligitur idipsum, idq; *ex L. 1. versu, sed verior §. de contrahend: empt: Institut: de empt: §. Item pretium* &c. ubi propositio probabilior vocatur *Verior* &c. Tum ex jure canonico num: *cap. Marthæ. 6. de celebrat: Miss:* Ex tribus propositionibus de conversione aquæ in vinum, affirmativa dicitur probabilior, ubi tamē aliæ duæ non damnantur, ut notat Glossa, adeóq; probabiles relinquuntur. Item *in Clemētina, de Sūma Trinit: §. final.* inter duas opiniones, quarum prima asserit in baptismo remitti parvulis solum peccatum originale, Alteram verò, quæ dicit tam parvulis, quàm adultis in baptismo conferri gratiam & virtutes tanquam probabiliorem esse eligendam, oppositam autem non damnat.

Arguitur Tertiò: Opinio probabilis debet posse movere intellectum ad assensum, sed concurrente probabiliori simul non potest movere, ergò non potest habere rationem probabilitatis: Probatur min: Quotiescunq; concurrunt motiva urgentiora, solidiora, & veriora, intellectus non potest determinari ad assensum à debilioribus motivis, quia debilius nunquam in ratione vincit illud, quod est fortius. Respond: negando min: cum suâ probatione, cujus probat: antec: distinguo: Non potest moveri à debiliori, si fortiora sint evidentia, concedo, si illa fortiora abstrahant ab evidentia, nego. Et ratio disparitatis est, Quia in opinionibus liberè opinamur, in evidentibus verò intellectus necessariò assentiri debet, quòd autem liberè opinemur, patet, nam proposita utraq; opinione voluntas libera est ad unam vel alteram eligendam, & electa una determinat intellectum ad assensum illius, nec tamen intellectus errat assentiendo, quia assentitur vero, proposito suo modo ut tali, licet aliud esset verius, nam *Verum* sub positivo, & non sub comparativo, est intelligibile à natura rationali.

Quartò dividitur opinio in *singularem* & *Communem*: *singularis* est illa, quæ est unius Authoris tantùm, & hoc ratione originis, & principii, nam opiniones quasi omnes prius fuerunt singulares, quæ successu temporis à pluralitate Doctorum factæ sunt communes, sicut omnes res ab uno incœperunt, & in plures excreverunt, ut patet de solo & magno Immaculatæ Conceptionis B. V. Mariæ mysterio, quæ primitùs fuit singularis, nunc autem omninò communis & pientissima est. *Communis* igitur opinio est, quæ plures habet Doctores eam amplectentes, differúntq; solùm per extrinsecam authoritatem, intrinsecam autem probabilitatem potest habere majorem opinio, etiam unius Authoris, si habeat rationem efficaciorem & urgentiorem, prout subtiliora solent adinvenire ingenia, nam ut dicitur *L. 1. Cod: de veteri jure enucl: Potest unius sententia & multos & majores in aliqua parte superare.* Et D. Augustinus docet, non multitudinem Authorum considerandam, sed de rebus ipsis judicandum lib: 19. Civit: c. 3. dicens: *Hæc sensisse atq; docuisse veteres Academicos, Varro asserit, autore Antiocho magistro Ciceronis, & suo, quem sanè Cicero in pluribus fuisse Stoicum, quàm veterem Academicum*

IV. Opinio singularis & communis.

micum vult videri. Sed quid ad nos, qui potius de rebus ipsis judicare debemus, quàm pro magno de hominibus, quid quisq; senserit, scire? Unde sententia illa n. 27. ab Alexandro VII damnata: *Si liber sit alicujus junioris & moderni, debet opinio censeri probabilis*, explicatur à Bordono, quòd intelligenda sit de illa, cujus probabilitas in sola dicentis authoritate consisteret sine intrinseca ratione, quasi verò sola libri impressio faceret authoritatem, vel probabilitatem, quæ tamen nullo modo ad rem pertinet. Et ita intelligendam esse damnationem factam sub distinctione illa probat quinq; rationibus: Primò, Quia alioquin viris doctis præcluderetur via imprimendi novas opiniones hactenus nondum excitatas, quæ tamen semper crescunt. Secundò, Non posset Confessarius in casu novo sibi proposito, nova uti opinione ad animarum salutem, quia unum & idem est de opinione nova, sive sit impressa, sive non. Tertiò, Negata illa distinctione videretur inferri probabilitatem magis ab authoritate quàm ratione desumendam. Quartò, Papa non prohibet distinctionem super illas sententias, ut colligitur ex conclusione Decreti, quod nec verbum prohibens distinctionem habet. Quintò, Quia tota damnatio refundi potest in illud verbum *Debet*, quasi sit debitum tenendi unius authoris sententiam tenendam esse ut probabilem. Admissa ergò hac distinctione, & declaratione, potest his rationibus probari, sententiam unius Authoris, si motivis efficacibus innitatur, esse probabilem Primò, Quia potest aliquis tam perspicacis esse ingenii, & invenire pro aliqua opinione rationes tam nervosas, ut illam probabilem reddat. Secundò, Quia si unius Doctoris contra Theologos omnes opinio benè rationibus fulcita non esset probabilis, sequeretur, quòd paucas haberemus opiniones probabiles, nam vix aliqua opinio est, quam nunc multi tenent, quæ alioquando unius tantùm Doctoris non fuisset, quæ postea rationibus aucta, plurium esse cœpit. Unius Doctoris opinionem esse probabilem hoc argumento probat Caramuel: Opinio, quam docent tres Doctores secundùm communiorem est probabilis, sed plus quàm tres docent unius Doctoris opinionem esse probabilem, ergò unius Doctoris opinio est probabilis. Min: probat multos citando authores, qui id docent.

V. Opinio unius Authoris, quomodo valeat.

Pro hujus divisionis meliori intelligentia Notandum: Communem opinionem esse multùm privilegiatam, nam imprimis in judicando non est facilè ab illa recedendum, ut habet *L. 1. §. sanè crebrior ff. de offic. quæst:* ita quòd judex recedens à communi vocatur ignarus, excipe, nisi singularis haberet aliam legem oppositam, aut efficaciores rationes. Secundò, Opinio communis habetur pro lege. Ita Innocent: *in cap. Veniens. de verbo: signif:* Tertiò, Opinio communis excusat, & facit opus licitum, ut habetur *L. si quis 3, ff. ad senat: Consult: Macedo. Gloss: Marg: L. Athletas, 4. ff. de iis, qui not: infam.*

VI. Opinionis communis privilegia.

Communior opinio est, quæ excedit in numero Doctorum, & in judiciis in numero votantium, secundùm judices omnes hoc tempore suas formant sententias. *Communissima* opinio est illa, quæ nullum ferè habet contradictorem, & in usu apud omnes practicatur.

VII. Opinio tuta & tutissima.

Quintò dividitur opinio probabilis in *tutam, tutiorem*, & *tutissimam. Tuta*, & *secura* est idem, quod probabilis, nam eo ipso, quòd probabilis, demonstret honestatem actionis humanæ, eo ipso est tuta & secura, quamvis periculum aliquod peccati materialiter accepti subesse possit, non subest tamen formaliter considerati. *Tutior* est, quæ est remotior à periculo peccati materialiter accepti, nam formaliter accepti nullum est peccati periculum in sententia & opinione probabili, nam per opinionem probabilem redduntur certi & securi. Ubi notandum, unam opinionem posse esse probabiliorem, & aliam tutiorem, quia probabilior

bilior respicit solam rationem intrinsecam. Tutior autem refertur ad periculum peccati & ejus privationem v. g. posset jurista clarissimè demonstrare possessorem bonæ fidei v. g. non esse obligatum ad restitutionem, si quis tamen restitueret, tutiorem sequeretur opinionem, tutiúsq; ageret. Item probabilior est sententia, quam multi tenent Recentiores, non esse peccatum mortale, si orem divinum officium absq; intrinseca attentione (cujus sententiæ rationes videantur apud Caramuelem in lo: super Regulam D. Benedicti) attamen multò tutior est, quæ docet, esse orandum cum intrinseca attentione, quia in prima potest esse periculum peccandi, non autem in secunda.

QUÆSTIO TERTIA.

An Opinio sit species Prudentiæ?

NEmo potest dici prudenter agere sine prudentia, qui autem opinantur, prudenter se agere dictitant, ac proindè præviè examinandum erit, An opinio sit species prudentiæ, sive consideretur quoad actum, sive quoad habitum, Nam opinio secundùm Aristotelem dicitur habitus verus, pro quo

I. Prudentiæ variæ definitiones. Notandum Primò: Prudentiam ethymologicè derivari à *providendo*, seu à *porro videndo*, teste S. Isidoro lib: 10. Ethym: cap. 15. & D. Augustino in psalm: 73. ubi ait: Prudens enim dictus est porro videns: *Si prudens porro videns: fide videtur porro, oculis vix ante pedes videtur tota die*: Unde idem S. Doctor lib: 1. de lib: arbitr: cap. 13. sic prudentiam definiens ait: *Considera nunc, utrum tibi videatur esse prudentia appetendarum, & vitandarum rerum scientia.* Et in psalm: 83. *Prudentia qua dignoscimus inter bonum & malum.* Et elegantissimè lib: 83. qq. q. 31. *Prudentia est rerum bonarum, & malarum, & neutrarum scientia.* Deniq; nec Philosoph: definitio est hìc omittenda, quam tradit 6. Ethic: cap. 5. sic: *Prudentia est habitus cum ratione vera circa bona humana activus*, ubi alii legunt: est *Habitus verus* &c. unde aliqui ex ipso prudentiam sic definiunt: *Est recta ratio agendorum.* Ex quibus omnibus tanquam quid certum habetur prudentiam esse actum, vel habitum intellectualem habentem pro objecto actiones humanas, juxta cujus dictamen istæ dicuntur veræ vel falsæ, malæ vel bonæ, adeóq; vel fugiendæ sunt, vel prosequendæ.

Notandum Secundò: Objectum prudentiæ esse contingens, nam cùm versetur circa actus humanos, qui non sunt necessarii, nec impossibiles, sed contingenter fieri possunt, & produci, ideò eo modò eos considerat, quo modo fieri nati sunt, nam ut præclarè docet noster Faber dispu: 8. in 1. Metaph: sub init: Ea, quæ sunt necessaria, vel impossibilia, non cadunt sub consilio, ut sunt actus humani, unde Prudentia est virtus consiliativa eorum, quæ sunt amplectenda vel fugienda, & ideò Aristoteles 6. Ethic: cap. 15. dicit: *Ea scilicet, quæ hominibus justa, honesta, & bona sunt, omne agibile per hominem justè ad alterum, sed benè ad semetipsum, immediatè constituunt adæquatum objectum ejus*, supple Prudentiæ. II. Necessaria non cadunt sub consilio.

Notandum Tertiò: Objectum quodlibet habere sibi proportionatas qualitates & entitates, unde sicut non entis non sunt ullæ qualitates, ita etiam objecti contingentis non sunt aliæ qualitates & proprietates, unde neq; habet, aut habere debet veritatem & certitudinem nisi contingentem, non ergò necessariam, ad differentiam objecti necessarii, quod sicut invariabile & aliter se habere non potest, ita etiam requirit necessariam & infallibilem veritatem & certitudinem, quam supra vocavi naturalem, physicam, & speculativam, alteram verò appellavi moralem, vel intentionalem, imò etiam formalis potest dici, prout opponitur objectivæ, in quantum scilicet in ipso intellectu subjectatur, qui credit ita se rem habere, prout rationes occurrentes id insinuant, quamvis

aliquando aliter eveniat. His prænotatis

III. Opinio est species prudentiæ.

Dico Primò : *Opinio est species Prudentiæ, imò analoga Prudentia, vel Prudentiæ soror.* Hanc solam impugnare possunt, qui probabilitates oppugnant, sed nec omnes, qui vel probabiliores admittunt sententias. Probatur conclusio Primò : Ex Aristotele 6. Eth: cap. 4. ubi agens de habitibus acquisitis ex actibus intellectum nostrum perficientibus sic eos enumerat : *Erunt, quibus animus verum prospiciat assentiendo, vel dissentiendo quinq; numero: Ars, scientia, prudentia, Sapientia, Intellectus*, Ex quibus tres versantur circa necessaria, ut *Scientia*, *Sapientia*, & *Intellectus*, & circa contingentia solummodò *Ars*, & *Prudentia*, cum hac tamen differentia, quòd *Prudentia* sit circa contingentia agibilia, *Ars* verò circa factibilia contingentia, hæc per actionem transeuntem, illa per immanentem.

Ex quibus sic argumentor : Habitus intellectum perficientes ad aliquem ex supra numeratis reduci debent, sed opinio est habitus intellectum perficiens, ergò ad aliquem ex dictis reduci debet: maj: patet, probatur min: Tum ex S S. Patribus Bernardo, & Augustino infra sæpè citandis, quorum ultimus lib: de utilitate credendi cap. 11. dicit : *Tria sunt item veluti finitima in animis hominum distinctione dignissima, intelligere, credere, & opinari*, ergò opinari pertinet ad intellectum, seu animum hominis : Tum ex Aristotele lib: 2. Posteriorum cap. 26. ubi sic ait: *Atqui omnes habitus, quibus vera noscuntur, sunt intelligentia, scientia, opinio, & quæ ab his cognominata sunt.*

Subsumo : Sed opinio convenientius ad nullam reduci potest quàm ad prudentiam, ergò : patet subsumptum : Tum, quia hæc videtur fuisse Aristotelis ratio, quòd in primo loco citato omiserit opinionem, & posuerit prudentiam, & in secundo loco omisit prudentiam, & posuit opinionem, quasi prudentia pro opinione, & opinio pro prudentia sumenda esset, ergò : Tum, quia ad nullam aliam convenientius reduci potest, ergò: probatur antec: Quia non ad scientiam, intellectum, vel sapientiam, quia horum objectum est necessarium, opinio verò est contingentiũ. Neq; ad *Artem* reducenda est, quia hæc est factibilium, opinio verò agibilium, & consequenter ad aliam convenientiùs non reducitur, quàm ad Prudentiam.

Dices : Aristotelem distinguere opinionem tanquam particularem speciem ex habitibus ad intellectum, quæ tamen illum non perficit, intellectus verò non perficitur nisi per verum, opinio autem est indifferens ad verum & falsum, ergò non debet reduci ad prudentiam. Respondeo Primò : Distingu: antec: tanquam speciem subalternantem, nego ; subalternatam, seu subjectivam prudentiæ, conc: nam etiam intellectus & scientia ponuntur tanquam species distinctæ, & tamen scientia est habitus, ad intellectum subalternatus, nam conclusiones pertinent ad eandem speciem, quò pertinent principia, ergò sicut scientia ad intellectum, ita opinio ad Prudentiam.

Probatur conclusio Secundò : Quæ habent idem objectum, eandem rationem formalem tendendi in illud, eundémq; finem, sunt ejusdem rationis & speciei, quamvis in aliquibus differentiis particularibus disconvenirent, atqui opinio ut est habitus, vel actus, hæc eadem habet, ergò : maj: patet à pari de Justitia : Quia omnes virtutes, quæ jus suum alteri tribuunt, justitiæ species sunt : Probatur min: Quia opinio versatur circa objectum contingens agibile, sicut prudentia, tendit in illud sub ratione dirigibilitatis, & pro fine habet regulare omnes actiones humanas, sub ratione bonitatis, morales amplectendi, & malitiæ fugiendæ, ergò etiam ad Prudentiam pertinebit.

Probatur Tertiò : Ex D. Augustino lib: 83. qq. q. 31. Prudentiæ partes has enumerat : *Partes ejus, memoria, intelligentia, providentia. Memoria*

moriæ est, per quam animus repetit illa, quæ fuerunt. Intelligentia, per quam ea perspicit, quæ sunt. Providentia, per quam futurum aliquid videtur, antequam factum est: unde communiter Theologi partes prudentiæ integrales assignant; præteritorum memoriam, intelligentiam præsentium, & futurorum prævidentiam, quod non in Aristotele 6. Ethico: q. sed in scriptura sacra Spiritu Sancto Magistro fundatur Deuteron: 17. *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram: & judicium intra portas tuas videris verba variari: Surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus DEUS tuus, veniésq; ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore: quærésq; ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem.* Sed opinio hæc omnia habet, nam præteritorum recordari debet, præsentia debitè examinare, & futura prospicere, ergò erit etiam Prudentiæ species.

Probatur Quartò: Opiniones Physicæ, Medicæ, & Metaphysicæ reducútur ad easdem scientias, circa quarum objectum versantur, ergò etiam opinio debet reduci ad eam virtutem intellectualem, circa cujus versatur objectum nempe Prudentiam: antec: patet, Quia opiniones, quæ circa materiam physicam versantur, ad scientiam eandem reducuntur, & physicæ opiniones appellantur, ac in re sunt, & frequenter evenit, quòd in aliqua scientia sint plures conclusiones opinativæ quàm scientificæ, ut patet per singulas scientias discurrenti, ergò etiam à pari cognitio opinativa circa morales actiones hominis, prudentialis cognitio vocari debet, sicut in rei veritate est. Confirmatur: Quia in experientia & usu videmus eos vocari prudentes & prudentiores, qui meliores & probabiliores rationes, motiva, & argumenta, quamvis nullum sit evidens, sciunt invenire, ergò signum est, opinionem participare veram Prudentiæ rationem. Sed

Opponitur in contra Authoritas Aristotelis 1. Posterior: 26. excludit ab opinione omnem certitudinem dicens, *Est enim infirma semper, & incerta opinio.* Et lib: 3. Ethic: cap. 2. ait: *Ea opinamur, quæ non certò scimus*, sed Prudentiæ objectum & principia sunt certa, ergò opinio non est species prudentiæ, certa enim & incerta in nullo convenire possunt; sicut nec vera & falsa. Respond: distin: majo: Aristoteles excludit ab opinione certitudinem naturalem, physicam, & evidentem, conc: maj: Excludit ab ea certitudinem moralem, neg: maj: demonstrativam ergò certitudinem Philosophus in opinione negat, quia aliàs non esset opinio, sed scientia, certitudinem tamen moralem sæpius adstruit, ut in 1. Ethic: cap. 3. ubi ait: *Non enim in omnibus disputationibus limitatum, accuratúmq; genus similiter requirendum est*, id est, non in omnibus est necessaria demonstratio, quod est accuratum genus disputandi, & perfectissimus modus sciendi: Et infrà concludit: *Ergò satis erit eos, qui ex his & de his rebus verba faciunt, pingui quadam minerva, & subjecta veluti rudi forma, quid in quaq; veri sit, demonstrare*: quale enim est objectum, talis de eo & in eo requiritur veritas proportionata, cùm ergò contingentia propter variabilitatem nō habeant veritatem necessariam, sufficit de iis habere moralem. Respond: ergò etiam ad min: distingu: eandem modo quo suprà, Prudentiæ objectum est certum certitudine morali, conc: certitudine physicâ semper, neg: min: & consequ: Nam prudentia est particularium, quæ nobis non innotescunt nisi per experientiam, ita enim Aristoteles docet lib: 6. Ethic: cap. 8. & 9. *Juvenes quidem & Geometras, & Mathematicos esse, & sapientes in hujusmodi, at prudentes fieri non videntur; hujus causam* (ait) *in singularibus est Prudentia, quæ experimentum nobis innotescunt, Juvenis autem non est expertus, longitudo temporis experimentum facit.* Unde etiam ibi cap. 5. *Prudentia ibi est, ubi est vis opinandi,*

nandi, quare nec prudentiæ objectum est certum, maximè certitudine physica & naturali, benè tamen morali scilicet, quæ *ut* in pluribus contingere solet, ut matres diligunt filium, ut plurimum verum est, licèt quandoq; contingat oppositum, ut plurimum tamen verum est: *Certus enim est, qui non est dubius.* Dicit *cap. 20. de Præbend:* & ut Scotus ait in 1. dist: 3. *q. 4. §. 1. versu secundò apparet: Certitudo habetur exclusis dubitatione & deceptione*, quæ ab opinione procul absunt.

Instatur: Aristoteles docet opinionem esse indifferentem tam ad verum, quàm ad falsum, ergò nullam habet certitudinem. Respond: negando cōsequ: seu prout est communis probabili & improbabili, & sic genericè sumpta, dicitur esse de objecto incerto modò vera, modò falsa, quando autem dico opinionem seu habitum opinativum, & actum prudentiæ esse speciem, non sumo illam genericè, sed pro opinione hac in specie, quæ probabilis est, & probabilibus innititur fundamentis, talis enim non inclinat nisi ad verum, quamdiu rationes, quæ eam probabilem constituunt, perseverant & subsistunt, quod si enervantur, aut reprobantur, evanescit probabilitas, & ipsa ratio opinionis formalis, ergò.

Urgetur: Quod potest de verò transire ad falsum, non potest habere rationem virtutis prudentialis, quia prudentia semper se habet ad bonum, & ad verum, & nunquam ad malum, sed ipsi opinioni probabili ut tali potest subesse falsum, ergò non potest habere rationem virtutis. Respond: negan: maj: Quia ut docemus, communiter habitus virtutum moralium possunt esse nunc vitiosi, nunc virtuosi, mutata lege, vel intentione, aut fine, ergò non est mirandum de virtute opinativa, quamdiu probabilis & virtutis prudentialis rationem habere potest, nam propter opiniones probabiles dicitur homo probus, probatè agere, honestè & rectè vivere, quia tunc semper voluntati proponit operationes sub honestate, & vero apparente, in quantum regulæ prudentiales dictant, quæ majorem certitudinem sæpè non habent, quàm probabilem, eò quòd sint de objecto tam contingente, quàm sit ipsa opinio probabilis. Nam Sapient: 9. dicitur: *Incertæ providentiæ nostræ*, id est, consilia, ex quibus tamen putamus nos prudenter operari.

Arguitur Secundò: Omne dictamen prudentiale debet esse certum excludens formidinem omnem, sed opinio non excludit formidinem, ergò: maj: patet min: probatur, quia formido est proprietas opinionis. Respond: permittendo tacitè transire majorem, distingu: min: Opinio excludit formidinem radicalem, conc: actualem, neg: min: & consequ: nam ut supra insinuavi, & infra sæpius allegare debebo, duplex in opinione reperitur formido, radicalis, quæ aliàs dicitur *objecti*, & actualis, quæ est potius opinantis, & vocari potest subjecti. Radicalis est de intrinseca ratione opinionis propter incertitudinem object & ejus contingentiam, quòd licèt intellectus cognoscat ut verum, potest tamen subesse falsum. Deinde formido est ratio distinctiva opinionis à scientia, quia hæc habet evidentiam, non illa. Formido actualis autem non necessariò inest, nam multa opinamur sine formidine, ut ex antiquis historiis Notariis, Magistris, ex soliditate rationis, ex præsumptione, & ex pietate, ut dicam in disput: 3. q. 1. Itaq; simpliciter dicendum est, formidinem non tollere certitudinem, ratio est, quia formido nullum infert judicium oppositum, cùm sit simplex apprehensio in voluntate, & appetitu rationali, quæ non judicat, consequenter non tollit judicium factum ab opinione, & ratione, adeóq; illud judicium firmum stat, usq; dum per contrarias rationes enervetur, vel per authoritatem tollatur.

Instatur: Dictamen rectæ rationis debet conformari legi æternæ

tanquam

tanquam primæ regulæ, sed dictamen cum formidine non potest conformari legi divinæ, ergò: maj: patet. Probatur min: quia lex divina est incommutabilis, opinio autem formidolosa plenæ mutationi & errori subjacet, ut timor & formido indicat, ergò. Respond: neg: min: cum sua probatione: Quia non obstante formidine assensus opinativus conformatur legi æternæ, eo ipso, quod procedat ex dictamine rectæ rationis, nam lex æterna licèt ipsa sit incommutabilis, non vult alia omnia à nobis incommutabiliter cognosci, sed sic incommutabiliter & proportionatè ad objectum, ut necessaria necessariò, & contingentia contingenter cognoscantur, unde formalis ratio judicii opinativi, per quod conformatur legi æternæ, est, quòd sit assensus firmus ex solidis argumentis & motivis stabilitus.

IV. Opinio potest dici virtus prudentialis. Dico Secundò: *Opinio, seu habitus opinativus potest etiam dici virtus prudentialis.* Probatur Primò ex definitione generali virtutum, nam Philosophus 2. Ethic: cap. 5. dicit, quòd virtus sit *Ea, quæ habentem perficit, ejusdem opus bonum reddit*, cui non absimilem tradit S. Augustinus lib: 2. de lib: arbitr: cap. 19. *Quâ benè vivitur, nemo malè utitur*, dicit enim ibidem: *Virtutes igitur, quibus rectè vivitur, magna bona sunt: Species autem quorumlibet corporum, sine quibus rectè vivi potest, minima bona sunt: potentiæ verò animæ, sine quibus rectè vivi non potest, media bona sunt. Virtutibus nemo malè utitur: cæteris autem bonis, id est, mediis & minimis, non solùm benè, sed etiam malè quisq; uti potest. Et ideò virtute nemo malè utitur, quia opus virtutis est bonus usus istorum, quibus etiam non benè uti possumus.* Ab Aristotele alibi vocatur *Dispositio ad optimum*, & in Ethicis *Moderatrix passionum.* Similem tradit definitionem prudentiæ S. Bernardus serm: 49. in Cantica dicens: *Est discretio non tam virtus, quàm quædam moderatrix & auriga virtutum, ordinatrixq; affectuum, & morum doctrix. Tolle hanc, & virtus vitium erit, ipsáq; affectio naturalis in perturbationem magis convertitur, exterminiúmq; naturæ*, sed opinativus habitus est bona qualitas mentis procedens ab intellectu, & inclinans atq; dictans id, quod honestum est, amplectendum esse, quod turpe fugiendum, secundùm quam etiam rectè vivitur, & quamdiu in probabilitatis terminis subsistit, nemo malè utitur. Est dispositio ad optimum, ad virtutem, est moderatrix passionum, &c. ergò

QUÆSTIO QUARTA.

An, & quomodo duæ opiniones contrariæ possint esse probabiles?

I. Opiniones duæ philosophicæ possunt simùl esse probabiles. QUæstio hæc tam philosophicè & physicè, quàm theologicè & moraliter tractari potest, & negata una parte, neganda profectò erit & altera, nam si duæ propositiones v. g. an idem corpus possit circumscriptivè poni in duobus locis, affirmativa & negativa simul, non possent esse probabiles, id neq; in moralibus contingere posset, ex quo multæ orirentur inconvenientiæ, ut patebit ex probatione 2. & 3. infra. In qua materia Reverendissimus Pater Mercorus docet, repugnare eundem intellectum posse simul assensu opinativo assentire utriq; parti contradictionis, benè tamen si una pars sit probabilis ab extrinseco, & altera ab intrinseco, posset de utrâq; aliquo modo opinari, scilicet de una speculativè, & practicè de altera; Quod si tamen actualiter videret utramque contradictionis partem esse æqualis probabilitatis ad neutram se posse determinare. Pro quo

II. Opiniones duæ sibi contrariè opponuntur. Notandum Primò: Opiniones de eadem materia & objecto oppositas, magis contrariè, quàm contradictoriè sibi opponi, quamvis Doctores antiqui utantur termino contradictionis, & ratio est, quia doctrina tam physica, quàm moralis versatur circa universalia dirigendo ea in particularibus, & maximè in singularibus, propositiones autem in univer-

universali discordantes tantùm secundùm qualitatem, non opponuntur contradictoriè, sed tantùm contrariè, ut docent Logici, & particulares atq; singulares sub eis, dicuntur contineri subcontrariè, propter magnam tamen analogiam, quam ad se invicem habent, pro eodem aliquando accipiuntur, nam contradictoriæ & contrariæ in nulla materia possunt esse ambæ veræ, benè tamen contrariæ in materia contingenti ambæ falsæ. Contradictoriæ verò in qualibet materia una semper est vera, altera falsa.

Notandum Secundò: Has leges veras esse de propositionibus objectivis, & materialibus remotis, non verò de formalibus, eorúmq; motivis eas specificantibus, quæ sunt ipsa media, quibus innituntur, & penes quæ diversificantur, unde sicut ipsa media & motiva sunt diversæ & disparatæ res, ita diversas & disparatas constituunt opiniones in esse entitatis, unde quando authores tenentes unam opinionem speculativam, censurantes alteram de falsitate, non sunt intelligendi de falsitate reali, & à re, sed de falsitate contraria veritati probabilitatis. His prænotatis

III. Opiniones duæ morales possunt esse simul probabiles.

Dico Primò: *Duæ propositiones & opiniones contrariæ, possunt esse simul probabiles, ita quod intellectus possit de illis speculativè utramq; talem judicare.* Ita Reding, Bordonus &c. Probatur Primò ab Experientia, Quia potest aliquis habere opinionem probabilem ab intrinseco ex mediis & motivis rationabilibus atq; efficacibus, & etiam alteram amplecti probabilem ab extrinseco, nam non solùm indocti, sed etiam docti propter authoritatem dicentium & docentium tenent frequenter aliorum opiniones contrarias suis. Ergò unus & idem intellectus potest habere opinari duas opiniones oppositas esse probabiles: antec: patet: ex diversis & oppositis opinionibus Thomistarum & Scotistarum, qui Magistrorum opiniones sequuntur, ex eo, quòd illi urgentia & solida pro sua quisq; opinione habuerit, & licèt impugnentur, quòd ab opposita parte non enerventur, sit casus & exemplum: Est controversia, & dubia quæstio, an judex possit ex allegatis & probatis damnare innocentem, quem ex privata scientia cognoscit esse innocentem. In hac materia tenet S. Thomas partem affirmativam, & Doctor subtilis negativam, potest quis tertius supervenire, & examinatis rationibus pro & contra judicare utramq; opinionem esse probabilem, ergò in eodem intellectu possunt duæ opiniones esse simul probabiles. Confirmatur hæc ratio à paritate duarum opinionum oppositarum, & speculativarum, quarum utraq; ab eodem intellectu potest judicari probabilis v. g. in sententia Peripateticorum & Zenonistarum de compositione continui, de replicatione unius ejusdem corporis, de locis &c. ergò etiam hoc potest in moralibus contingere, unde videmus subtiliora ingenia frequenter suas conclusiones problematicè defendendas proponere, quod non facerent, nisi utramq; viderent esse probabilem.

Probatur Secundò: Illa est opinio probabilis, quæ innititur gravi & solido fundamento, atq; ut talis intellectui repræsentatur, atqui possunt duæ oppositæ opiniones inniti solidis, gravibúsq; fundamentis & motivis, & in eodem intellectu sic repræsentatis, ergò possunt esse in eodem intellectu probabiles. Probatur min: Possunt duo intellectus judicare tales opiniones esse probabiles, ergò & unus ac idem, probatur cõsequentia: Potest unus idémq; intellectus penetrare omnia fundamenta utriusq; opinionis, & cognoscere rationes oppositas, non solvere alteras, sed quamdiu rationes oppositæ unius & alterius non solvuntur, tamdiu manent opiniones probabiles, ergò potest etiam illas ut tales judicare. Confirmatur Conclusio ab Inconvenientia: Quia si duæ propositiones contrariæ non essent simul probabiles, nullus posset relicta opinio-

opinione una amplecti aliam, neq; Confessarius posset, uti debet, relicta sua opinione accommodare se sententiæ & opinioni pœnitentis, quod utrumq; tanquam inconveniens habetur, ergò. Noster Pater Franciscus Bordonus pro confirmatione conclusionis nostræ, & primæ probationis, alia duo exempla allegat & adducit, Primò, quòd liceat emere chyrographum minori pretio, non obstat legi justitiæ, quia cum pecunia absens in chyrographo ematur per pecuniæ præsentis solutionem, quæ magis valet, judicio prudentum, justitia, quæ æqualitatem in contractibus petit, dictat, chyrographum emi posse minori pretio. Aliud exemplum: Licitum est recitare Missam ante Matutinum, quia Rubrica Missalis non est præceptiva, sed tantùm directiva; & Missa cùm non numeretur inter Horas Canonicas, perversio hujus ordinis, cùm non sit intra ordinem earum, nullum est peccatum, si enim perversio ordinis inter ipsas Horas est tantùm venialis, si inversio est voluntaria, si ex causa, nec venialis, ut docet ex communi Bonacina disp: 1. q. 3. p. 4. num: 2. à fortiori nullum erit peccatum recitare etiam voluntariè Missam ante Matutinum. Econtra tamen plures Doctores asserunt esse peccatum mortale, probantes ex consuetudine, & ex Lege Rubricæ præscribentis: *Sacerdos celebraturus Missam, præviâ Confessione Sacramentali, quando opus est, & saltem Matutino cum Laudibus absoluto, orationi aliquantulum vacet.* Stante ergò hac lege contra nostram opinionem, videtur non probabilis, sed improbabilis; sed absit hoc, quia hæc Rubrica non est lex præceptiva inducens peccatum contra transgressorem, sed tantùm directiva, cujus transgressio non est culpa, ut probat per Doctores allegatos à Quarto *sect: 2. p. 2. Procemial. concl. 2.* Ita Bordonus nonnullis mutatis.

Probatur Tertiò: Quia intellectus etiam potest duo contradictoria, vel duo contraria habere pro objecto, sicut defacto habet, quando assentitur huic generali principio: *Idem nequit esse, & non esse tale sub eadem ratione*, ergò potest etiam judicare, *idem potest esse & non esse tale sub diversa ratione*, in quo casu non solùm speculativè, sed etiam practicè moveri potest intellectus per motiva diversa, ita, ut dicere cogatur, hoc respectu talis motivi est probabiliter verum, & hoc respectu alterius motivi est quoq; verum, ergò quamvis non simul & eodem actu utramque possit amplecti, alioquin judicaret duo contradictoria esse simùl vera, potest tamen successivè, ut mox in sequenti Conclusione dicam. Si autem quæras, per quid tunc intellectus determinabitur ad assensum unius opinionis præ altera? Respond: Posse hoc contingere primò per voluntatem determinantem intellectum ad amplectendam unam & non alteram. Secundò per superveniens prudentiale aliquod dictamen & judicium determinativũ intrinsecum, vel extrinsecum; quod qualiter sit necessarium, infra dicam, quo vel ex motivo possessionis in sua libertate, vel ex motivo tutioris partis eligendæ amplectatur hanc vel illam v. g. in casu exempli allegati de Matutino dicendo ante Missam, dicit intellectus Matutinum est dicendum ante Missam, quia propter Rubricas hoc est securius, & tutius; vel dicit Matutinum non est dicendum ante Missam, quia dubium est, an illa Rubrica habeat rationem præcepti, vel solùm consilii directivi, ex quo sum liber in possessione mea, ergò. Sed de hac re plura infra, nunc affero argumenta in oppositum. Pro quo sic

Arguitur Primò ex Philaletho: In nullo casu potest res esse, & non esse, ergò nec per diversa media intellectûs judicare, & opinari potest, quòd res sit, & non sit: Probatur antec: alioquin tu & ego facere possemus, quòd Petrus esset, & non esset, atqui hoc nec DEUS potest facere cum toto mundo, ergò. Respond: distin: antec: Nullo modo potest esse & non esse objectivè, concedo. IV. Opiniones duæ simul veræ non involvunt contradictionem.

(*) Tttt 2 Esse

Esse intentionaliter, & non esse objectivè, neg: antec: Quia sic potest intellectus judicare & opinari, esse aliquid tale, & non esse tale, non per eandem cognitionem & intellectionem, ut falsè supponere Philaletus videtur, sed per diversas cognitiones, diversásq; intentionales tendentias, nam esse objectivum unum est, intentionale & cognitivum duplex, tot scilicet, quot diversa motiva sunt, hinc etiam objectum idem nequit esse, & non esse, possunt tamen plura intentionalia de illo fieri per diversos respectus motivorum, sub quibus objectum illud consideratur, ut autem contradictoria de aliquo verificentur, debent prædicari de illo, secundùm eandem rationem, respectum, & motivum, quod facilè declarari potest exemplo corporis per divinam potentiam replicati v. g. Pragæ & Viennæ, quod Pragæ moveri potest, non tamen Viennæ, ergò similiter potest aliqua actio esse licita sub hac ratione, & sub alia non esse licita diversis motivis, propter quæ cessat omnis contradictio.

Instatur: Ex futuris contingentibus duabus, una est determinatè vera, altera falsa, ut docent omnes Logici, sed agibilia v. g. duo sunt futura, ut supponitur, & contingentia, ergò una est necessariò vera, altera falsa, ergò nequeunt ex quocunq; etiam motivo diverso esse simul veræ. Probatur consequent: quamvis enim probabilia motiva possent ostendere opiniones esse probabiles, veras tamen facere nequeunt, multùm enim differunt esse probabile, & esse verum. Respond: distin: maj: Una est determinatè vera, altera falsa, in rebus physicis, & in esse futuritionis realis & objectivæ, conc: maj: in rebus moralibus & intentionalibus, nego maj: & distin: similiter min: nego consequ: ad cujus probat: dico, eo ipso, quòd aliquæ propositiones sint probabiles, eo ipso sunt veræ, veritate scilicet proportionata ad probabiltatem, non quidem scientifica, evidenti, reali, & objectiva, sed veritate probabilitatis, veritate apparenti, & prout apprehenditur bona fide propter motiva, quæ ex neutra parte vincere sufficienter potest, ab intellectu, ut enim benè & prudenter operetur voluntas, non requiritur, ut ab intellectu proponantur res, prout sunt, sed prout adhibitâ diligentiâ agnoscuntur, unde Cicero definit lib: 1. de Juvent: *Probabile est id, quod verè fieri solet, aut quod in opinione positum est, aut quod habet in se ad hoc, quandam similitudinem.* Confirmatur hoc, scilicet probabilitatem inferre suam proportionatam veritatem: Tum ex definitione opinionis, *Quæ est assensus contradictoriæ unius partis cum formidine oppositæ*, nè fortè opposita sit vera, sed opposita non potest esse vera, nec timeri, quòd sit vera, nisi ex sua probabilitate, ergò etiam opinio v. g. amplexata vera erit ex sua probabilitate, nam oppositorum eadem est ratio & disciplina, v. g. ego teneo unam opinionem probabilem, rem esse licitam, hæc opinio habet formidinem de opposito, nè sit vera: Et tu tenes rem non esse licitam, sed cum formidine, nè oppositum affirmativum sit verum, ergò sicut utræque opiniones conveniunt in probabilitate, ita etiam conveniunt in veritate, quia non minus una dicit formidinem quàm altera, cùm conceptus formidinis æqualiter illis insit, sicut conceptus probabilitatis, adeóq; veritatis. Tùm, quia probabilitas non generat errorem aut falsitatem; quia absurdum omninò videtur probabile & rationabile inferre vel continere errorem & falsitatem, ergò probabilitas infert & generat veritatem sibi proportionatam.

Arguitur Secundò ex Mercoro: Assensus opinativus est, quando intellectus ex se indifferens ad utramq; contradictionis partem determinat se ad unam ex illis, licèt cum formidine, ergò si de utraq; haberet assensum opinativum, utramq; eligeret, consequenter adhuc esset indeterminatus, intellectus enim sicut & voluntas tunc se determinat, quando spreta

sprетâ unâ parte eligit aliam, ergò si de utraq; opinaretur, intellectus esset determinatus, & non determinatus. Respond: neg: maj: Quia assensus opinativus non est, quando se intellectus determinat, sed quando intellectus determinatus adhæret uni parti contradictionis, non enim est intellectûs in moralibus & probabilibus se determinare, sed voluntatis, in scientificis verò necessariò in illa fertur. Deinde frustra dicitur se determinare tunc, quando spernit aliam, seu spretâ aliâ: Tum, quia voluntatis est spernere: Tum, quia relinquens alteram non spernit eam, sed tantùm formidat. Deniq; si admittatur Mercoro, intellectum esse indifferentem ad se determinandum ad unam vel alteram partem, necessariò fateri debebit, tam unam quàm alteram partem esse probabilem, cùm se & ad hanc, & ad illam determinare possit, ergò simul duæ opiniones sunt probabiles speculativè, atq; practicè tam una, quàm altera successivè amplecti potest.

Dices: In diversis intellectibus potest quidem assensus opinativus esse de utraq; parte contradictionis probabilis, sicq; simul judicari, non tamen in eodem intellectu, ergò. Probatur consequ: Quia si unus intellectus utraq; motiva consideret, & examinet, suspenditur ejus determinatio, & manet dubius, atq; æquilibris, sicut si in bilance & statera duo æqualia pondera appenderent, nec hinc nec illinc statera inclinatur, quamvis quodlibet separatim illam trahat deorsum. Respond: neg: antec: Quia si in diverso intellectu assensus opinativus contradictionis potest hinc & illinc esse probabilis, etiam potest hoc esse in eodem intellectu, quia motiva habent suam efficaciam æqualem, tam respectu unius intellectûs, quàm plurium, & intellectus unus habet suam activitatem respectu utriusq; motivi, quòd autem postmodum magis adhæreat uni quàm alteri, hoc provenit ab imperio voluntatis determinantis intellectum ad hoc, vel illud sentiendum, nec ante determinationem manet dubius sed formidolosus, si autem practicè maneret dubius; tunc si opinari vellet, dubium deponere deberet, stante enim dubio operari nequit.

Arguitur Tertiò: Duæ opiniones non ab extrinseco, nec ab intrinseco possunt esse probabiles, ergò nulla ratione: Probatur antec: non ab intrinseco, quia certum est contradictoria & contraria simùl non posse esse vera, vel simùl falsa, sed duæ opiniones, quarum una negat, & altera affirmat, sunt contradictoriæ vel saltem contrariæ, ut dictum est in prænotatis, ergò ab intrinseco non possunt esse simùl probabiles, aliàs possent esse simùl veræ vel falsæ, quod implicat, quia quantò magis unum accedit ad veritatem, tantum alterum recedit: Probatur antec: principale etiam quoad alteram partem, secundùm leges & juridicam praxim, quando duo testes æqualis authoritatis & dignitatis pro parte affirmante aliquid asserunt, & duo alii similis honoris & prærogativæ idem negant, nihil probant, ut habet Glossa *in cap: Licet causam. de probat:* nec Judex potest uni parti magis, quàm alteri assentire, nec potest judicium suum terminare hac viâ, sed alio modo, ergò: Sed in duabus opinionibus possunt sex affirmare aliquid, & alii sex ejusdem doctrinæ & probitatis idipsum negare, ergò non poterunt facere, ut illæ duæ opiniones sint probabiles. Respond: neg: antec: quia duæ opiniones possunt esse probabiles utroq; modo, vel etiam tertio, nempe una probabilis ab intrinseco, altera ab extrinseco, in quantum authoritas Doctorum plurium æquivalet rationi efficaci alterius opinionis. Deinde Respond: ad primam probationem dist: maj: ut supra: Non possunt esse simul veræ &c. veritate vel falsitate physica, aut metaphysica, transeat: morali, neg: maj: & distin: similiter min: neg: consequ: Quia probabilitas habet tantùm veritatem moralem, intentionalem, & non objectivam,

vam, aut physicam, unde cùm in moralibus objecta sint contingentia, & intellectus nequeat ob illam rationem attingere veritatem objectivam ad prudenter agendum, pro hoc statu sufficit habere rationes apparentes, & rationabiles ostendentes hoc aut illud esse prosequendum vel fugiendum. Respond: quoq; ad secundam probationem, neg: consequ: Disparitas est: Quia testes in judicio adhibentur ad attestandum de aliquo facto, seu de quæstione facti, ut infra dicam, ac consequenter si duo affirment factum aliquod, & alii negent, judex necessario redditur perplexus, nec unum nec alterum potest credi verum, quia unum est necessariò falsum, quia unus necessariò mentitur, factum verò non dependet ab alicujus imaginatione, sed à positione effectûs per suam causam. Quando autem duo aut sex authores aliquid affirmant, & totidem alii negant, non versantur in quæstione *facti*, sed *Juris*, nec ibi adhibentur tanquam testes, sed tanquam legum & obligationum interpretes in quæstionibus juris, an opus aliquod sit licitum, vel illicitum, quod vel per rationes demonstrant, unde quò meliores quis adducit rationes, congruentias & motiva, tantò facit opinionem esse probabiliorem, quæ intellectum ad assensum pertrahere possunt, & si sunt æquales per omnia tam in authoritate, quàm in ratione, faciunt utramq; opinionem esse probabilem & sufficientem, ut prudenter quis dicatur agere, sive hanc sive illam amplectatur.

V. Intellectus ex duabus opinionibus æqualibus potest amplecti quam vult.

Dico Secundò: *Ex duabus opinionibus æqualiter probabilibus potest intellectus practicè cuicunq; parti assentire, & primò uni, ac postmodum alteri adhærere.* Ita Authores supra citati. Et Probatur Primò: Ex axiomate legali *Par in parem non habet imperium*, ergò nec par probabilitas opinionis habet virtutem movendi intellectum magis, quàm altera, vel impediendi aut removendi illum ab assensu. Probatur consequ: Quia in æqualitate opinionum nulla potest afferri ratio, cur una debeat magis determinare intellectum quàm altera, ergò intellectus tam potest uni adhærere, quàm alteri, & modò uni, modò alteri. Confirmatur à paritate de duobus põderibus æqualibus in bilance positis, unum non trahit bilancem magis deorsum quàm alterum, ergò etiam duæ opiniones probabiles, quæ pari gravitate argumentorum pollent, una non plus determinabit intellectum quàm altera, consequenter intellectus amplecti poterit quamcunq; voluerit voluntas, vel ipsemet se determinaverit, seu alio pondere motus pertractus fuerit.

Probatur Secundò à Paritate physica: Ita se habet intellectus ad verum & falsum, sicut se habet voluntas ad bonum & malum, sed voluntas potest ex duobus æqualibus bonis, & solùm apparentibus esse talia, eligere sibi quodcunq; vult, ergò etiam intellectus ex duobus veris apparentibus æqualiter propositis potest amplecti quodcunq; voluerit, ab omnimoda paritate, nam sicut voluntas in omne bonum etiam apparens potest ferri actu prosecutionis, ita etiam intellectus potest ferri in verum apparens assensu, qui est ipsius actus prosecutionis. Nec dicas disparitatem esse, eò quòd voluntas in utroq; objecto inveniat rationem boni, non sic intellectus; non dicas, inquam, quia etiam intellectus in utrâq; probabilitate invenit rationem veri, licèt non objectivi, saltem apparentis & rationalis, unde se habet verum reale, verum apparens, & magis verum ad intellectum, sicut se habet bonum, & magis bonum ad voluntatem, & sic omnia ista vera continentur intra latitudinem objecti intellectûs, & hac ratione possunt etiam vocari differentiæ & species veri, ab intellectu cognoscibilis, sicut voluntatis differentiæ sunt bonum verum, apparens, honestum & delectabile.

Dices: Aliam esse disparitatem, quia voluntas est potentia libera, quæ positis omnibus requisitis po-

test agere & non agere, intellectus autem est naturalis, quæ necessariò fertur in objectum prout proponitur. Sed contra: Si intellectus necessariò fertur in objectum, ergò quando duo objecta æqualiter proponuntur vera, æqualiter potest in utrumq; ferri, ergò si intellectus non potest se determinare nullis advenientibus particularibus rationibus determinativis, saltem poterit illâ potentia, cujus est eligere, mandare, ut hanc potiùs quàm illam ex duabus æqualibus amplectatur, & modò unam, ac postmodùm alteram.

Probatur Tertiò: Intellectus potest assentiri prudenter cuicunq; objecto probabiliter vero, & ut tale cognito, sed in concursu duarum opinionum probabilium, utriusq; objectum est æqualiter propositum ut verum, ergò æqualiter potest uni assentiri nunc, modò alteri: Probatur maj: Quia intellectus non habet pro objecto solum verum physicum, & metaphysicum, sed etiam apparens & probabile, sicut illius non est tantum scire, sed etiam credere & opinari, ut docet Augustinus & Bernardus ergò in objectum tale potest ferri sub sua propria & formali ratione. Min: patet ex suppositione, quod duæ propositiones & opiniones sint æqualiter probabiles, consequentia ergò est optima. Sed in contra

Arguitur Primò pro Mercoro. Judicare utramq; partem contradictionis esse æqualis probabilitatis, est judicare utramq; partem non minus apparere veram, quàm falsam, nam quælibet ex proprio motivo apparet vera, & ex motivo suæ oppositæ apparet falsa: unumquodq; enim motivum quantò magis suam partem facit apparere veram, tantò magis suam oppositam facit apparere falsam, ergò cùm ex utraq; parte motiva sint æqualia, utraq; pars apparebit æqualiter vera & falsa, sed nullus potest opinari de opinione, quæ sibi apparet æqualiter vera & æqualiter falsa, cùm opinari sit judicare propositionem veram cum solâ formidine, quòd opposita sit falsa, ergò cùm in casu intellectus judicat utramq; partem contradictionis esse æquè probabilem, de neutra potest opinari. Respond: neg: majo: quia falsum est judicare utramq; propositionem esse æqualiter probabilem, esse facere apparere æqualiter veram & falsam, quia utriusq; assensus primò & principaliter cadit expressè super veritatem utriusq;, supposito, quòd utraq; appareat probabilis ex judicio intellectûs sic opinantis, & sentientis, subsequens autem formido non est actualis, sed aptitudinalis, & radicalis, consequenter illa nullum causat judicium de falsitate unius aut alterius opinionis, neq; facit dubium, nam formido solùm impedit omnimodam certitudinem, non verò determinatum assensum, unde si aliquando contingat quempiam actualiter dubitare, hoc per accidens ex defectu proprii judicii ob debilitatem ingenii, ejúsq; inconstantiam evenit, seu, ut communiter dicimus, ex *ratione opinantis*, non verò ex *ratione ipsius opinionis*, quæ immediatè est nata causare assensum, consequenter falsum est, quòd æquè primò, & æqualiter demonstret falsitatem ac veritatem, cùm falsitas non dicatur inesse, sed tantùm mediatè deducitur ex formidine, nè fortè subsit in opinione amplexata sit falsitas, & in opposita sit veritas, ergò non obstante formidine potest intellectus judicare utramq; esse probabilem, & proportionatè veram, & consequenter successivè unam vel alteram amplecti.

Instat Mercorus, & probat hoc fieri non posse per complura exempla, si mercator pro re vendita exhiberet tibi duas monetas, quarum scires unam esse falsam, licèt apparerent esse æqualis bonitatis, neutram amplectereris, & contractum potiùs rescinderes, ergò idem dicendum de opinionibus duabus, ubi sub una est falsitas. Deindè si tibi navigaturo proponerentur duæ naves æqualiter apparentes bonæ, quarum tamen unam scires naufragaturam, neutram

neutram conscenderes. Tertiò: Si tibi proponerentur duo pocula, quorum unum esset venenatum, ex neutro biberes. Deniq; in bivio, in quo via una esset subjecta latronum periculo, non procederes, nisi de tutiori primò esses securus, ergò etiam in opinionibus duabus probabilibus nullam poteris amplecti, in qua subesse potest, & subest falsi periculum. Respond: negando consequ: nam omnia allegata exempla nihil simile probant, disparitas enim est manifesta, quia ibi expressè supponitur cognitio certa & evidens, quod in uno ex duobus extremis sit infallibile & certum periculum, quod omninò fugiendum esse prudentia dictat, in opinionibus autem probabilibus nullum tale periculum evidens apparet, imò nec probabile, sed solùm timor, formido, & trepidatio quædam, eáq; in confuso & remotè, non quòd periculum subsit, sed subesse possit, unde stante determinatione voluntatatis sine actuali formidine, intellectus hoc vel illud opinari potest.

Arguitur Tertiò: Ex Illustrissimo Fagnano: Ex communi Theologorum sententia, ut quis honestè operetur, necesse est, ut habeat certitudinem saltem moralem de honestate operationis, sed talis certitudo nequit haberi de utraq; contradictoria, in qua ex una parte affirmatur honestas operationis, & ex altera negatur, in casu si utraq; sit probabilis, ergò. Respond: concessa maj: neg: min: cujus falsitas pendet ex radice infecta illius contradictionis suppositæ, quæ tamen negatur in opinionibus probabilibus, nam veritas physica non opponitur veritati morali utriusq; opinionis, sed falsitati physicæ; nam veritas moralis est quidem diversa à veritate physica, non tamen adversa, seu contraria, posse autem circa idem subjectum & objectum versari tam moralis veritas, quàm physica, patet ex eo, quod de eodem possit esse scientia & opinio, per diversa scilicet media, nempe evidentia & topica, & sic quoq; circa idem objectum potest haberi diversa veritas moralis per diversa motiva, ergò.

Instatur: Posito, quòd utraq; sit probabilis, & utraq; vera moraliter propter diversa media, implicat tamen, quòd utriq; vel alterutri possit assentiri, ergò: Probatur antec: Quia implicat, quòd se determinet intellectus probabiliter, certò moraliter, & cum formidine ad duo opposita, ergò. Respond: neg: antec: cum sua probatione, aut potius distinguo, determinet se practicè operando, transeat: speculativè approbando, neg: antec: & similiter distin: probat: in actu exercito operando, transeat. In actu signato judicando, neg: antec: Quia quando duæ sunt probabiles opiniones, æquè probabiles, quarum una sit affirmativa aliquam operationem esse licitam, & alia negativa, utramq; intellectus potest judicare, judicio cadente super ipsas propositiones formales, simultate veritatis esse veras, seu in actu signato, non tamen potest utriq; simultate temporis assentire, & dissentire, sed successivè benè, & non quomodocunq;, sed posteaquam accesserit aliquod aliud motivum qualecunq; sive extrinsecum sive intrinsecum, ratione cujus ipse operans determinetur potius ad hanc quàm alteram amplectendam, nam ut dicam, nequit aliquis bona operari, nisi ipse operãs judicet se nunc & de facto ex dictamine, quod ipse habet in se, posse licitè & benè operari, non verò potest præcisè propter hoc, quòd sciat alios Authores asserere hoc licitè posse fieri. Posse autem voluntatem determinare intellectum, ut hanc vel alteram opinionem amplectatur, etiam sine judicio determinativo, controvertitur, mihi videtur, quod sic, unde.

Dico Tertiò: *Voluntas ex alto suo dominio, quod habet super alias potentias, potest imperare & præcipere intellectui, ut opinetur quamlibet opinionem sive probabilem, sive probabiliorem, sive ambæ sint æquales, vel non.* Hæc est omnium, qui tenent probabi-

VI. Voluntas potest determinare intellectum ad quamlibet opinandum.

probabilem sententiam amplecti posse relicta probabiliori, & Probatur hæc Conclusio Primò: Ex Scriptura Matth. 21. ubi Christus ad Pharisæos & Judæos ait: *Venit ad vos Joannes in via justitiæ, & non credidistis ei: publicani autem & meretrices crediderunt ei: vos autem videntes nec pœnitentiam habuistis postea, ut crederetis ei.* Actorum 17. *Cùm audissent autem resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam verò dixerunt: Audiemus te de hoc iterum. - - - - Quidam verò viri adhærentes ei, crediderunt: in quibus & Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alii cum eis.* Ex quibus sic argumentor: Testimonia fidei & prædicatio Evangelii est magis credibilis (imò & evidenter credibilis) quàm sint omnes probabiles & probabiliores opiniones, sed in propositione objectorum credendorum per prædicationem potest voluntas præcipere, ut credat, vel non credat, assentiat vel dissentiat, ergò etiam potest idem imperare, & præstare in propositione duarum opinionum æqualiter, aut etiam magis, vel minus probabilium, ut unam potius amplectatur, quàm alteram: maj: est certa ex Ps. 118. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Min: liquet ex Scriptura assumpta, nam in primo loco arguit Pharisæos, quòd non crediderint, cùm tamen essent obligati ad credendum, si ergò stante obligatione intellectûs, potest voluntas contrarium præcipere intellectui, multò magis quando homo est, vel credit se esse in libertate. In secundo autem loco clarè ostenditur, quòd aliqui positivè dissenserint, alii actum judicium suum suspenderint, & aliqui assenserint, ergò si in fide potest voluntas imperare, ut hunc potius, quàm alterum actum eliciat intellectus, idem poterit in opinione, & à fortiori.

Probatur Secundò Authoritate S. Augustini lib. de util. credendi. cap. 11. *Tria sunt item velut finitima sibimet in animis hominum distinctione dignissima, intelligere, credere, opinari.* Ex qua authoritate sic argumentor: Voluntas potest præcipere & movere intellectum, ut exerceat omnem speciem operationum, cùm dominium plenum habeat super illam, sed species operationum intellectûs sunt tàm opinari, quàm credere, ergò potest etiam imperare, ut hunc potius actum eliciat, quàm illum, si ipsi proponantur, motiva & rationes convenientes ostendantur: Maj: est certa, min: patet: Tùm ex Augustino & communi Philosophorum opinione, consequentia ergò est optima.

Probatur Tertiò Ratione morali: Actus intellectûs sunt boni & mali, meritorii, & demeritorii, & consequenter liberi, quia nihil bonum aut malum meritorium vel demeritorium est, nisi actus honestus vel inhonestus, liber, ad DEUM relatus, vel à DEO aversus, sed hanc libertatem, aversionem, vel conversionem intellectus non habet, nisi à voluntate, in quantum illi ab ista imperantur, eliguntur, & præcipiuntur, ergò voluntas potest actus intellectûs facere bonos & malos, & consequenter ut eliciat actum quemcunque. Infero ulterius, ergò potest voluntas facere, ut intellectus operetur ex bonis & malis motivis, ex levibus & gravibus argumentis: Probatur hæc consequ: Temerarium judicium est peccatum, unde Christus Matth. 7. dicit: *Nolite judicare, ut non judicemini,* judicium verò pium, seu probum sentimen de proximo est bonum, tàm diu *censendus quis esse bonus, usque dum probetur malus,* sed judicium temerarium innititur levibus argumentis, & bonitas gravibus v. g. possessionis suæ famæ, & bonitatis publicæ, ergò voluntas potest, relictis gravibus rationibus, præcipere intellectui, ut judicet secundùm leviores: An autem hoc benè vel malè fiat, licitè vel illicitè hic præscindo, nam primò in generalibus examino, quid intellectus possit, in sequenti autem disputatione discutiam, an licitè posset volun-

tas minus probabilem opinionem imperare relicta probabiliori. Pro nunc

Dices: Temerè judicantes non judicare ex motivis levibus quà talibus, sed gravibus saltem sibi apparentibus, ergò ex hac ratione non potest colligi, intellectum posse assentire opinioni minus probabili. Respond. neg. consequ: Quia si revera judicantes temerè crederent esse motiva urgentia & gravia, non peccarent, quia laborarent ignorantia, quæ ipsos exculparet, quod tamen dici non potest, alioquin tolleretur peccatum temerarii Judicii. Quod si instas, illos peccare ob pravam dispositionem voluntatis, quia licèt id quandoque contingere possit, quòd ex pravo affectu existiment grave esse, quod revera erat leve, frequentius tamen benè advertunt temerè judicantes, longè majores rationes esse pro innocentia hominis, & opposita indicia non esse tàm solida & fundata, quæ possint movere intellectum ad tàm certum assensum, & tamen tunc temerarium format judicium, ergò ex libertate & imperio voluntatis totum procedit hoc judicium.

Probatur Conclusio Quartò Ratione naturali: Quotiescunque concurrunt plures opiniones æqualiter probabiles, vel etiam magis & minus tales, occurrunt motiva tàm ad assensum quàm ad dissensum, vel etiam ad suspendendum omnem actum, ergò debet determinari ab aliquo, non ab alio, quàm à voluntate, quæ vel præcipit intellectui, ut meliora argumenta exquirat ad assentiendum, vel ut actum suspendat, vel ut dissentire possit, prout ex uno vel altero argumento magis sibi bonum, vel commodum sequi possit, ut pulchrè docet Scotus in 3. d. 36. quæst. un. ubi docet, quòd malitia dupliciter possit excœcare intellectum uno modo privativè, alio modo positivè. Privativè, quia avertit à consuetudine recta: voluntas enim eligens oppositum alicujus rectè dictati, non permittit intellectum diu stare in illo recto dictamine, sed avertit ipsum ab illo, & convertit ad considerandum rationes pro opposito, si quæ possint esse sophisticæ vel probabiles, saltem avertit ad considerandum aliud impertinens, ne stet illa actualis displicentia, quæ stat in remorsu illo, qui habetur in eligendo oppositum dictati.

Arguitur in contra: Implicat, quòd oculus judicet esse objectum aliquod album, quod sibi videtur similius nigro, ergò etiam implicet, quòd intellectus judicet esse verum, quod apparet similius falso: Subsumo, sed in concursu probabilis & probabilioris, probabilis videtur verisimilior falsa, & probabilior verisimilior vero, ergò implicat, quòd intellectus probabilem amplectatur relicta probabiliore. Respond. neg. consequ: Disparitas est: Quia objectum similius nigro cognitum ut tale, facit judicium & cognitionem experimentalem & realem, prout est objectum in se, nec enim unquam contigit similiora nigro esse alba, cognitio verò opinionis probabilis non oritur ex reali subsistentia veritatis, nec ex motivo infallibili, sed fallibili & contingenti, adeoque potest unam & alteram amplecti. Nec unquam contingit similiora nigro esse alba, benè tamen similiora vero esse falsa.

Arguitur Secundò: Voluntas non potest determinare potentias sibi subordinatas nisi ad bonum potentiarum, sed determinare intellectum ad minus probabilem opinionem est determinare ad malum intellectûs, quia est determinare probabilius ad falsum, ergò. Respond. distin: maj: Voluntas rectè & justè operans, conc: maj: voluntas depravata, & sua libertate abutens, aut suum bonum commodum, vel delectabile attendens, neg: maj: nam intellectus frequenter meliora proponit, & voluntas approbat, deteriora tamen sequitur, unde præclarè docet Doctor subtilis citatus stante judicio recto in intellectu, voluntatem posse facere pravam electionem, & etiam

etiam intellectum avertere à cognitione honesti, & imperare intellectui ad inveniendas sophisticas rationes, ad excusandas excusationes in peccatis.

Instatur: Intellectus, quantum est de se, semper adhæret veritati, ad quam naturali pondere inclinatur & fertur, ergo nec per voluntatis imperium potest à probabiliori averti, quam cognovit esse veriorem, vel verosimiliorem. Respond: distin: antec: Intellectus adhæret veritati evidenti, reali, & objectivæ, conc: antec: Veritati contingenti, quæ non nisi probabilibus innititur motivis, neg: antec: & consequ: in his enim voluntas potest imperare, ut amplectatur unum aut alterum, an autem benè faciat & licitè operetur taliter determinando intellectum, in hac quæstione præscidi, sed examinabo in sequenti, hic enim non egi nisi de naturali suo posse, postea de morali licititate, quod enim licitè non facimus, fieri non posse dicimus. pro quo sit

DISPUTATIO SECUNDA
DE
Licito Probabilitatum Usu.

TOtus quasi theologicus Mundus pluribus conclamaverat annis licitum esse probabilitatis usum, non quomodocumque, sed etiam in concursu alterius opinionis probabilioris, ita videlicet, ut si duæ opiniones concurrerent, quarum una staret pro libertate naturæ humanæ, quæ esset probabilis: & altera, quæ staret pro lege, sive æterna, sive temporanea, quæque foret probabilior, licitum esse hanc deserere, & amplecti alteram; Quia tamen nimia ista benignitas, & favorabilis indulgentia plures generavit abusus, Christianæ disciplinæ remissiones, & quasdam planè exorbitantias, ipsimet Benignistæ sententiam libertati contra legem nimiùm faventem diversimodè modificaverunt, & etiam complures viri zelosi tollere conati sunt, inter quos primus solenni scripto hanc sententiam refutavit Candidus Philalethus Presbyter Genuensis, evulgavitq; libellum, & *Disputationem de Praxi opinionum*, in qua 20. argumentis probat, non esse licitum minùs probabilem partem amplecti, relicta probabiliori; edidit suum opus primò Madriti Anno 1645.

2. Antonius Merenda Foroliviensis, Juris Consultus, Papiæ & Bononiæ publicus Juris Interpres, edidit librum intitulatum *Di-*

sputationes de consilio; in quibus invehitur contra tenentes opinionem probabilem relictâ probabiliori, prodiit in lucem Anno 1655. dividit illud in duas partes, quarum primam vocat Præfationem, alteram Disputationem, sed vix ullo servato ordine, qui etiam docet, in nullo casu sequendum esse minùs probabilem, excepto *De duobus malis, minus est eligendum.*

3. Julius - - Mercorus, Natione Cremonensis, professione Dominicanus, officio Jnquisitor Mantuæ, composuit opus eruditum, cui titulus: *Basis totius Theologiæ moralis.*

4. Illustrissimus, ac Reverendissimus D. Prosper Fagnianus, insignis Juris Consultus, Romæ utriusque Signaturæ Referendarius, qui tribus Pontificibus Urbano VIII. Innocentio X. & Alexandro VII. in gravissimis negotiis servivit. Novissimè autem accedit

5. Reverendissimus P. Thyrsus Consalez S. I. Præpositus Generalis in suo fundamento Theologiæ moralis, seu tractatu, *De recto Usu Opinionum Probabilium* edito 1694. cujus tamen opus videre fortunam diu non habui, quod etiam non nisi perfunctoriè revolvere valui, magna tamen satisfactione. Hi omnes licentiosam hanc opinandi libertatem acerrimè oppugnant, quamvis Reverendissimus P. Præpositus Generalis rigorem suum satis modificet, in quo Zelum suum pariter, & discretionem palàm contestatur, itaque ad rem scholastica & ordinaria methodo mea proponendam aggredior; sit igitur:

QUÆSTIO PRIMA.

An Probabilitatum usus sit novus, & recens inventum?

I. Opinionum diversitas circa probabilitatis usum.

IMpugnatores opinionis probabilis jactitant, nullum ex antiquis Patribus, Theologis, juris professoribus doctrinam aliquam tradidisse de libera electione opinionis probabilis in moralibus, eò quòd cognoverint, judicium probabile non posse assumi pro regula rectè operandi, adeóque opinio probabilis non est regula sufficiens actionum humanarum, ita Fagnanus, Merenda, qui ante se vix 30 annis incepisse de probabilitate doctrinam ait; Mercorus, qui pro se & suâ sententiâ, *Peccatum scilicet, esse sequi opinionem probabilem, relicta probabiliore*, non nisi viginti tres Doctores, inter quos sunt quatuor Sancti Patres, citat part: 2. art: 26. & sunt sequentes: S. Augustinus *de doctrina Christiana* lib: 2. S. Antoninus *part: 3. tit: 3. cap:* 10. Armilla *V. Opinio.* Adrianus *de restitut:* 4. Angelus *q.* 1. Antonius Merenda *de Consilio*, Cajetanus *V. Opinio* Comitolus

L. 1.

L. 1. q. 15, Corduba L. 2. q. 3. Corrad: de contr. 1. 7. q. ult. Candidus Philalectus de elect: praxi. Gerson tract: 36 Gravina in Cherubin Paradisi. Henricus quodlib: 4. q. 33. Joannes Major in 4. q. 1. tom: 3. S. Joannes Chrysostomus homil: 4. in Matthæum. Navar. C, 37. Paulus Fraxinellus de obligat: Missar: Pegrinus to: 3. C. 1. n. 10. S. Thomas quodl: 8 art: 13. Tabiena V. Dubium. Scotus in 4. dist: 1. q. 6. & Sotus l. 3. de just: q. 5. & 6.

Pro contraria sententia nihilominus contra se citat sexaginta Doctores, ubi tamen ut suam doctrinam repudiantem opinionum probabilitatem mordicus defendat, aliam ponit quæstionem: An videlicet Authores sui tanquam antiquiores, abstrahendo ab eo, an sint pauciores vel plures sint? majoris authoritatis sint, quàm citati pro opposita parte, & affirmativè respondet, supponendo authoritatis gradus in scriptoribus non esse arithmeticè computandos secundùm ipsorum pluralitatem, sed secundùm qualitatem, & bonitatem, ratione cujus fundant præsumptionem, quòd veritatem doceant, hujusmodi autem præsumptiones sunt sequentes: *Verisimilitudo*, *Synceritas*, *Ratio* & *Concordia* ipsorum in attestanda veritate, quas habere asserit suos Authores, qui omnes asserunt, non esse licitum sequi opinionem minus probabilem minúsque tutam absque pecato mortali, relictâ probabiliore & tutiore.

Præter sexaginta Authores, qui contrarium docent, quosque Mercorus contra se citat, scilicet licitum esse, & absque pecato posse hominem in omni quasi casu sequi probabilem relictâ probabiliore, eandem amplectuntur Caramuel, Sperellus, Vericellus, Castillus, Sotó major, Hurtadus, Passerinus, Armilla, Hermannus Busebaum, Thomas del Bene, Sotus, Sylvester, Angelus Bossius, Spinula, Albertus Magnus, Innocentius *in cap: Ne innitaris* de Constit: aput Spinulam quos citat Bordonus.

Inter has duas extremas sententias est tertia media, docens in actionibus humanis ordinariè occurrentibus, ut prudenter quis agat, posse licitè & rectè sequi opinionem probabilem dictantem aliquid esse licitum & honestum, etiam relictâ probabiliori & tutiori, in rebus tamen valdè gravibus, & magni momenti non licere sequi opinionem probabilem relictâ tutâ & probabiliore, unde diversimodè Authores sententiam suam limitant, aliqui, non licere in materia Sacramentorum; alii ubi damnum versatur tertii; salus corporis aut animæ periclitatur, unde Confessarius, Judex, Medicus, Advocatus dicuntur non posse relinquere tutam opinionem & probabiliorem, & amplecti minùs probabilem. Pro hac sententia citantur Scotus, D. Thomas, & sequuntur Vulpes noster, Mastrius, Pontius, Sannius, Suarez, Vasquez, Sanchez, Medina, Pasqualyus, Tannerus, Salado, Lezana, Valentia, Becanus, Arriaga, Aversa, Amicus, Oviedo & plures alii. His præmissis

Dico Primò: *Probalitatum usus in actu exercito non est hujus seculi inventum novum, nec prioribus temporibus fuerunt pro peccatoribus habiti, qui probabili usi sunt opinione, quamvis in actu signato ipsa doctrina circa finem prioris, & initium hujus sæculi decimi septimi magis clarescere cæperit.* Hæc est contra Merendam, Mercorum, Fagnanum, & est conformis secundæ & tertiæ sententiæ. II. Probabilitatum usus non est inventum novum.

Probatur Primò: Quod est naturæ humanæ seu congenitum, seu ex originali culpa appropriatum, non potest dici novum inventum; sed opinari magis & minus probabiliter est naturæ nostræ pro statu isto proprium: maj: patet: probatur min: Quia per peccatum Adami perdidimus scientiam perfectissimam, quam ipse habuit, & nos habuissemus, si non peccasset, & successit ignorantia; ut est certissimum; quæ defacto statui nostro est propria; ergo etiam opinio est propria: probatur consequ: Quia opinio oritur ex ignorantia, ideò enim opinamur, quia

quia nescimus, & ideò opinio habet sibi annexam formidinem radicalem, quia ignoramus an verum sit, & timemus, nè fortè oppositum verum sit, ergo opinari naturæ nostræ lapsæ quodammodò proprium.

Confirmatur ab Experientia, Quia videmus intellectum nostrum non solùm in moralibus, sed etiam in pluribus naturalibus valdè obtenebratum, unde homines non valentes habere scientiam, ad minus opinantur, constat proindè tantam esse opinionum abundantiam, quanta est scientiarum perfectarum penuria, ita ut vulgò sit proverbium *Mundus opinionibus regitur*. Et hoc benè, nam etiam opinioni sua inest veritas, ut docet Aristoteles 6. Ethic: cap: 9. *Et opinionis, quod rectum est, appellatur veritas. Præterea jam definitum est, & certum id omne, de quo est opinio*, ergo opiniones valent ad regulandas actiones humanas, & ad totum regendum mundum, ex naturæ humanæ conditione pro isto statu.

Nec obstat ignorantia, ex quâ oritur formido, & hæc iterum tanquam propria passio inest formidini, quia hæc ignorantia non est culpabilis, sed potius invincibilis, & inculpabilis, quæ per adhibitam diligentiam vinci totaliter non potest, quamdiu latet physica & naturalis veritas, ac proindè talis operando juxta opinionem non peccat, sed benè operatur, ut docet D. Augustinus lib: 3 de lib: arbitr: cap: 20. *Hanc ignorantiam & difficultatem studiosis & benevolis evincendam ad coronam gloriæ valere*, Deum præstare, & cap: 22. ait: *Non enim quod naturaliter nescit, & naturaliter non potest, hoc animæ deputatur in reatum: sed quod scire non studuit, & quod dignam facultati comparandæ ad rectè faciendum operam non dedit. Loqui enim non nosse, & non posse infanti naturale est: quæ ignorantia difficultásq; sermonis non modò inculpabilis sub grammaticorum legibus, sed etiam humanis affectibus blanda, & grata est.*

Probatur conclusio 2. Non potest dici novum inventum, quod in scriptura sacra invenitur fundatum, ab Apostolis practicatum, & authoritate jurium roboratum, ac à Patribus sanctis frequentatum, sed usus opinionis etiam minus probabilis invenitur in Scriptura sacra, & in juribus tam pontificio, quàm imperatorio, ergo: major patet de se, probatur min: quoad singulas partes, & primò Opinionem usum esse in Scriptura sacra fundatum, nam Danielis 10. fit mentio de Principe Persarum, Principe Græcorum, & Michaële Archangelo auxiliante: *Princeps Regni Persarum restitit mihi viginti & uno diebus*, quod dicit Gabriel Angelus, Custos & Princeps Judæorum captivorum, qui duo Principes Angeli, duas habuerunt contrarias opiniones, nam Princeps Persarum opinabatur, Judæos adhuc detinendos in Perside ex duplici motivo, Primò, ut Persæ à Judæis discerent cultum veri Dei: secundò, ut Judæi meliores fierent in adversis, quàm fuerant in prosperis: Tertiò, ut peccata antiqua afflictionibus & captivitate sua expiarent. Econtrà autem Princeps Græcorum, & Custos captivorum Judæorum opinabatur Judæos esse statim dimittendos, ne in Perside remanentes paulatim diffluerent ad mores Persarum, & relicto verò Deo ad Idolorum cultum se cōverterent, quia opinionem suam una ratione solùm fulcitam tuebatur tanquam veram & justam, ergo usus probabilitatum est planè antiquissimus, & nequaquam novum inventum. Similiter David & Saul erant diversæ opinionis inter se, nam Saul existimabat Davidem esse puerum non valentem resistere Giganti Goliath, & David credebat, seu opinabatur, se esse sufficientem, quia ursum & leonem occidisset. III. Angeli habent diversas opiniones.

Dices cum Merenda: Diversas esse Patrum expositiones de duobus illis Angelis, quæ ad præsentem materiam non faciunt, omnes tamen in eo conveniunt, diversitatem illam sententiarũ ab Angelis Deo pro-

propositam fuisse per modum precationis, quæ sic pendebant à futuris eventibus, ut possent prudenter variare in suis desideriis, quæ DEO absolutè subjiciebant. Sed contra, sive illa Angelorum discordia fuit oratio, sive deprecatio, illa tamen habuit ortum ex diversitate opinionum, rationum, & motivorum, unde quod divinæ voluntati desideria sua subjecerint, etiam facit, quia diversimodè opinati fuerunt, nam ad præsens parum refert, conditionatè vel absolutè operari ad DEUM respectu opinionum, Quia DEUS se accommodat arbitrio hominis, nec illi imputat ad culpam, quando bona fide agit, putans benè operari, dum agit juxta regulam probabilitatis.

Dices Secundò cum Candido: Illos duos Angelos non fuisse opinatos, nam fuerunt duo Advocati Persarum & Judæorum, sed advocati quando causas suorum clientum proponunt, non opinantur, quia definitivè non adhærent, neque judicant, ergò nec etiam Angeli fuerunt opinati, sed tantùm quilibet suam causam coram DEO proposuit. Respond. neg. min. Quòd advocati proponentes causam suorum clientum non opinentur, imò quàm maximè hoc faciunt, quia stabiliunt opiniones suas motivis, & mediis, quibusq; melioribus possunt, unde si illi duo Angeli non fuissent opinati, non fuissent ad se invicem altercati, ut textus loquitur: *Restitit mihi viginti & uno diebus*, & sicut ad advocatos non pertinet ferre sententiam, sed ad judicem, ita non erat Angelorum definitivè adhærere suæ opinioni, quamvis revera sic senserit unus contra alterum, sed ad DEUM, qui ut æquissimus Judex resolvit pro opinione minùs probata, scilicet pro remissione populi Judaici à dura Persarum captivitate.

IV. Petrus & Paulus in opinionibus concordabant, & discordabant.

Probatur Secunda Pars principalis majoris, Ex novo Testamento, nam ut legitur in Epistola ad Gal. 2. Petrus & Paulus in eadem fuerunt opinione, quòd eis simulatè liceret judaizare cum Judæis, & cum Gentilibus conversis ad fidem Christi, & de Petro quidem patet in dicto capite, de Paulo autem ex Actibus Apostolorum cap. 16. ubi legitur, circumcidisse Timotheum, & cum Judæis fuisse purificatum, & uterque faciebat ex hoc motivo, quòd ista simulatio esset utilitas ad conversionem, & secundò, ut Judæi & Gentiles faciliùs ad se invicem convenirent in eâdem lege utriusque Testamenti, postmodùm verò D. Paulus relinquens dictam opinionem Petri, videns talem simulationem amplius non esse necessariam, denegavit illis usum Legalium tanquam perniciosum Evangelio, quia credere potuissent Gentiles, aut observantiam Evangelii non esse necessariam, sed solùm Legis Mosaicæ, vel potuissent existimasse, se obligatos ad utramque Legem observandam, unde postea reprehendit Petrum, & D. Petrus celebravit Hierosolymis Concilium super Legalium observantiam, attamen in priori opinione simul manserunt usque ad annum Christi 51.

Confirmatur ex D. Paulo Apostolo ad Rom. 14. ubi dicit: *Infirmum autem in fide assumite non in disceptationibus cogitationum, - - Nam alius judicat diem inter diem: alius autem judicat omnem diem: unusquisque in suo sensu abundet*; ubi clarè docet Doctor Gentium, infirmum in sua opinione assumendum, & non in disceptationibus cogitationum, nè fortè deserat fidem, & unumquemque dimittendum suæ conscientiæ, ut præclarè Apostolum interpretatur noster Lyranus.

Probatur Tertia Pars majoris principalis ex Jure Canonico, seu Pontificio *Cap. Litteras* 13. *de Restit. Spoliat.* ubi ex allatis duabus propositionibus ibi, neutram reprobat dicens: *Nos autem ad præsens nullam ex prædictis sententiis reprobamus, nec cuiquam illarum aliquod præjudicium ex nostra responsione volumus generari*, ergò usus probabilis propositionis & licitus est, & antiquus. Secundò ex *cap. Ego solis.* 5. *dist.* 9. ex D. Augustino supra cit. q. 1. in solut. argu-

argumenti secundi. Item ex cap. 1. de homicid. in 6. ubi dicit, assasinos probatos tales per probabilia argumenta, eò ipsò incurrere sententiam excommunicationis, dicens: *Et postquam probabilibus constiterit argumentis, aliquem scelus tàm execrabile commisisse, nullatenus alia excommunicationis, vel depositionis, seu diffidationis adversus eum sententia requiratur:* ex quo loco non solùm deduco, probabilitatum usum esse antiquum, sed etiam probabilitatem in positivo esse sufficientem ad mortem alicui inferendam, ergò etiam erit sufficiens ad actiones humanas dirigendas ab omnimodâ paritate.

Dices: In præcitato loco esse sermonem de morte temporali, non valet autem argumentatio à minori ad majus, sed salus & mors animæ major est, & gravior, quàm corporis, ergò ad illam non valet paritas, consequenter licèt ex probabilibus possit mors corporis inferri, nequit tamen mors animæ per usum probabilitatum. Resp. neg. maj. Quia licèt non valeat in mandatis ex jure, & quando est diversa ratio, aut etiam in privilegiis, ut infra dicam in locis topicis opinionum; valet tamen in casibus eandem rationem habentibus, ut hic est, quod clarè colligitur ex *Authent. multò magis, Cod. de SS. Eccles.* Et Glossa, *in Clement. de Religios. & V. Profectò*; & ita docet quoque Farinacius. Deinde negatur suppositum min. per usum probabilitatum inferri mortem animæ, quia eo ipso, quod est opinio probabilis omne mortis periculum aufert ab anima.

Probatur Quarta Pars majoris principalis argumenti, de jure Imperatoris, *l. 1. §. Sed neque. Cod. de veteri jure enuclean.* ubi dicitur: *Sed neque ex multitudine authorum, quod melius & æquius est judicatote, cùm possit unius forsitan, & deterioris sententia, & multos, & majores aliqua ex parte superare*; ergò jam tempore Justiniani, qui cœpit regnare anno Christi 527. jam fuit usus opinionum probabilium, nam in allegato loco clara fit mentio de opinionibus tàm plurium, quàm unius authoris, atq; docet unius authoris sententiam posse superare plurium, quia potest habere solidiores, efficaciores, & subtiliores rationes, quàm plures, in quo consistit probabilitas intrinseca, in numero authorum verò, sola est extrinseca. Adde *l. 1. vers. sed verior. ff. de contrab. Empt. & Instit. ejusdem tit. §. Item pretium*, ubi distinguitur inter opinionem veriorem, & veram, & primam amplectens secundam non reprobat, ergò probabilitatum usus est antiquus.

Probatur denique major argu- V.
menti quoad ultimam partem, nempe Patres etiam tenuisse probabilitatum usum, & unam opinionem post aliam fuisse amplexatos, ex quibus sufficiet Augustinus unus audiri, nam suo tempore duplex erat opinio, una tenens neminem cogendum esse ad fidei unitatem, sed rationibus esse persvadendum; altera verò asserebat, hereticos authoritate seculari non solum posse, sed etiam debere ad fidem compelli, itaque S. Doctor epist. 48. ad Vincentium propè medium, tom. 2. sic de se loquitur: *Mea primitùs sententia erat, neminem ad unitatem Christi esse cogendum, verbò esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincentum, ne fictos catbolicos baberemus, quos apertos bæreticos noveramus, sed opinio mea non contradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis: nam primò mibi opponebatur civitas mea, quæ cùm tota esset in parte Donati, ad unitatem catbolicam timore legum imperialium conversa est, quam nunc videmus ita bujus vestræ animositatis perniciem detestari, ut in ea nunquam fuisse credatur. Ita aliæ multæ, quæ mibi nominatim commemorabantur, ut ipsis rebus agnoscerem, etiam in bac causa rectè intelligi posse, quod scriptum est. Da sapienti occasionem, & sapientior erit.* Vide duplicem opinionem, quarum unam fundatam dicit in verbis, alteram in exemplis, utramque probabilem, neutram falsam, primam tenuit primitus,

Infideles ad fidem possunt compelli, opinio est Augustini.

mitus, postmodum alteram, in nulla tamen erravit. Idem refert aliam opinionem duplicem de baptismo Catechumenorum, de quo infra.

IV. Exempla Regum retinentium DEI cultum.

Unde etiam argumenta oppositæ sententiæ probabilis postmodum in epist. 50. ad Bonifacium circa medium tom. 2. sic solvit: *Quod enim dicunt, qui contra suas impietates leges justas constitui nolunt, non petiisse à regibus terræ Apostolos talia, non considerant aliud fuisse tunc temporis, & omnia suis temporibus agi. Quis enim tunc in Christum crediderat Imperator, qui ei pro pietate contra impietatem leges ferendo serviret, quando adhuc illud propheticum complebatur: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum adversùs Dominum, & adversùs Christum ejus. Nondum autem agebatur, quod paulò pòst in eodem Psalmo dicitur: Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram, servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Quomodo ergò Reges Domino serviunt in timore, nisi ea, quæ contra jussa Domini fiunt, religiosa severitate probibendo atque plectendo? Aliter enim servit, quia homo est, aliter quia etiam rex est: Quia homo est, ei servit vivendo fideliter: Quia verò etiam rex est, servit leges justa præcipientes, & contraria probibentes convenienti vigore sanciendo: Sicut servivit Ezechias lucos & templa idolorum, & illa excelsa, quæ contra præcepta DEI fuerant constructa destruendo. Sicut servivit rex Ninivitarum, universam civitatem ad placandum Dominum compellendo. Sicut servivit Darius idolum frangendum in potestatem Danieli dando, & inimicos ejus leonibus ingerendo. Sicut servivit Nabuchodonosor, de quo jam diximus; omnes in regno suo positos à blasphemando DEO lege terribili probibendo. In hoc ergò serviunt Domino reges in quantum sunt reges, cùm ea faciunt ad serviendum illi, quæ non possunt facere nisi reges.*

Probatur Secunda Pars de actu signato, Quia nec in D. Thoma, nec Scoto, nec aliis antiquioribus Theologis invenitur materia probabilitatum sic examinata, prout moderno emoriente sæculo discutitur, & ventilatur, ergò signum manifestum probabilitatum usum in actu signato cum fine prioris sæculi & hujus principio magis in scholis examinatum, & traditum esse, quàm olim practicatum: Antec. de D. Thoma patet, quia in illo non invenitur altera doctrina circa hoc, nisi quodl. 8. art. 13. ubi resolvendo quæstionem, An ille, qui habet plures præbendas, peccet? Tripliciter respondet, Primò, si talis agat contra legem DEI per magistros propositam, peccat, licèt non agat contra conscientiam: Aut si est vera opinio, quam sequitur, attamen in conscientia contrarium sentit, peccat etiam, quia licèt non agat contra DEUM, agit tamen contra conscientiam. Aut nec contra legem est, nec contra conscientiam est, operatur tamen cum dubio, & tunc etiam peccat, quia propter dubium exponit se periculo; ex quo manifestè patet, illum materiam hanc ex professo non tradidisse. Similiter nihil deprehendo in Scoto, imò in 1. d. 3. q. 4. §. quantum ad secundum amplectitur rationem Philosophi tanquam bonam 4. Metaph. ubi vult, quod oppositum primi principii, scilicet hujusmodi, impossibile est idem esse & non esse, non potest venire in intellectu alicujus: quia tunc essent opiniones contrariæ simul in mente, quod utique verum est de opinionibus contrariis, id est, repugnantibus formaliter, quia opinio opinans esse de aliquo: & opinio opinans non esse de eodem, sunt formaliter repugnantes: aliàs parum vel nihil invenietur in ipso. Similiter nec apud Fabrum, nec Aretinum, Vulpem, & alios antiquiores quidquam particulare inveni, præter Antonium Cordubensem, qui in suo quæstionario Theologico, quod anno 1571. editum fuit, uti colligo ex regio decreto, dato nominato anno, die 26. Januarii, nam ego habeo ad manus editionem Tarvisinam, de anno 1604. ubi lib. 2. q. 3.

 quærit:

quærit: *Utrum sit tutus in conscientia, qui sequitur opinionem aliquorum Doctorum, si contingat, quod eos sequendo erret?* Atque resolvit, & ponit primam conclusionem talem: *Quando opinio probabilior definit, quod secundùm se à parte rei tutum est, & condemnat oppositum, tunc necessariò talis opinio tenenda est* . . . & exemplificatione factâ subjungit: *Et in hoc omnes Doctores consentiunt*, ergò signum est, quòd tunc temporis de probabilitate minori quæstionem nondum examinaverint Doctores, alioquin de opinione probabiliori non posset dicere *omnes consentire*. Quando ergò D. Thomas & Scotus opinionibus probabilibus usi fuerunt relicta probabiliori fecerunt, tunc in sensu, à me in disputatione tertia, explicando, quia ipsi in propria mente judicârunt hoc esse verisimilius, non verò attenderunt ex aliorum mente, sine rationum examinatione & sine diligentia. Quo tamen non obstante progredior ultra, &

VII. Authores recentes æque veraces sunt, ac veteres.

Dico Secundò: *Malè dicitur, sententias & opiniones recentiorum Authorum non habere eandem veritatem, ac etiam majorem, quàm habeat doctrina antiquorum, quamvis in allegatis præsumptionibus sit fundata.* Hæc est omnium Probabilistarum, & Probatur Conclusio Primò: Ex Scriptura Danielis 12. *Tu autem Daniel claude sermones & signa librum, usq; ad tempus statutum: plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia.* In quem locum D. Hieronymus Homil. 9. in Ezechiel. dicit: *Quantò plus approximabit finis sæculi, tantò magis DEUS mittet acutissimos Doctores, quos illustrabit singulari ingenio plusquam prædecessores*, ergò recentiores non minùs æstimandi sunt quàm antiquiores, sed multò magis: concedo quidem in materia fidei & traditionum Apostolicarum, quæ ad nos per manus illorum pervenerunt, Antiquiores utique, qui vicinioribus temporibus Christi & Apostolorum fuerunt, esse præferendos, non tamen in doctrinis aliis, sive physicis, sive moralibus, in his enim isti excellunt.

Probatur Secundò ex Edicto Theodosii Imperatoris ad annum 435. dicentis: *Ubi diversæ sententiæ proferuntur, potius numerus vincat Authorum*, atqui Authores defendentes probabilitatum usum excedunt numero oppositos, nam Mercorus pro se citat solummodò viginti tres authores, & pro nostra opinione ultra sexaginta, quibus Bordonus superaddit alios quadraginta unum, ut habet in suo propugnaculo cap. 6.

Probatur Tertiò: Quia recentiores Authores omnes habent præsumptiones pro se, quas pro suis, ut ait, antiquioribus allegat Mercorus, nam habet *verisimilitudinem*, eo ipso quòd habeant probabilitatem, quia verisimilitudo, & probabilitas idem sunt, nam Cicero lib. 1. de Juvent. dicit: *Probabile esse id, quod habet in se quandam similitudinem ad hoc*, unde etiam verisimilitudo & probabilitas à Gratiano cap. 878. n. 16. dicuntur cognata naturæ, id est, conformia legi naturali & æternæ divinæ. Deinde Doctores recentiores habent etiam *Sinceritatem*, quia indefesso studio scrutantur veritatem; Habent quoque *Rationem*, Quia probabile in opinione excludit dubium, & includit certitudinem, ac veritatem, & consequenter rationem, nullibi enim veritas esse potest absq; ratione, eo ergò ipso opinio probabilis est, rationabilis est & non irrationabilis, adeóque conformis rectæ rationi, ac proindè sequentes opinionem probabilem, sequuntur dictamen rectæ rationis, quæ non potest non dictare de non licitate & honestate objecti, & operationis. Confirmatur: Quia probabile infert veritatem, ergò rationem, quia illa fundatur in ratione: Probatur anteced. Quia si non infert veritatem, ergò falsitatem, sed hoc est absurdum, nimirum quod illud, quod est probabile, sit falsum, quia esset probabile, ex suppositione: & non probabile ex supposita falsitate, ne-

cesse

cesse ergò est, ut probabile inferat verum, & rationem.

Probatur denique, Authores opinionum, & probabilitatum habere quoque *Concordiam*, quam Mercorus requirit, & præsumptionem fundare dicit, quia omnes docent, probabile sub forma probabilitatis univocè convenire probabili opinioni, & probabiliori, & simul docent utramque sub ratione probabilitatis esse sufficientem regulam actionum humanarum, sicut genus prædicatur de omnibus speciebus perfectis & perfectioribus, animal de homine & asino, &c. ergò sunt in hoc concordes, quod verò in tradenda hac probabilitatum doctrina procedant declarationibus, ampliationibus, & restrictionibus juxta materiæ exigentiam, hoc provenit ex natura rerum moralium, quæ pro objecto habent ipsa singularia variis subjecta circumstantiis & conditionibus, consequenter hæc non obstant concordiæ in sensu, & univocationi in rebus. His igitur duabus præmissis conclusionibus, quibus liberavi Probabilitatum doctrinam ab indebitis censuris, nunc ad rem progrediendo, sit

QUÆSTIO SECUNDA.

An Probabilitatum usus sit licitus?

HIc est Scopus totius difficultatis, & præsentis Disputationis, & quidem si opinio probabilis consideretur, separatim, & secundùm se, nemo ambigit, illam esse sufficientem humanarum actionum regulam, cum in moralibus contingentibus, mille varietatibus obnoxiis, certitudo Physica, realis, & naturalis haberi nequeat, prudenter agit, quisquis ex opinione probabili operabitur: Ast controversia est de opinione probabili conjunctim accepta, in concursu alterius opinionis probabilioris, liceat hac relicta alteram amplecti? Ad quod resolutivè

Dico Primò: *Ad regulandas actiones humanas ordinarias sufficit conscientia probabilis, unde voluntas licitè potest inter opinionem probabilem & probabiliorem frequenter eligere quamcunque voluerit, & etiam relinquere probabiliorem.* Hæc est Authorum pro secunda & tertia sententia citatorum, & colligitur ex Doctore subtili in 4. d. 6. q. 8. vers. *Et si dicas*, ubi loquens de opinione probabili excusat à censuris, ergò etiam à peccato. Et d. 13. q. 2. dicit, cingulum sacerdotale non requirere benedictionem, quod tamen minus probabile est. d. 15. q. 2. in fine, ubi dicit: Furantem in extrema necessitate non teneri ad restitutionem in pinguiori fortuna, etiamsi opposita sit tutior, & etiam secundùm aliquos probabilior. Et alibi sæpè nunc hanc nunc aliam amplectitur sententiam, per quod satis insinuat usum probabilitatum esse licitum.

II. *Usus Probabilitatum est licitus etiam in concursu opinionis probabilis.*

Dices: Scotum expresè docere, semper amplectendam esse partem tutiorem, ergò non tenet conclusionem. Respond. neg. anteced. & conseq. Quia Doctor ubi asserit, tutiorem esse amplectendam partem, loquitur in materia & rebus dubiis, quando scilicet adhibitâ Doctorum diligentiâ, & peritorum consiliô, adhuc mens & ratio opinantis manet dubia, & fluctuans, tunc enim certum est, talem non posse operari benè, stante dubio, sed tutiorem debere eligere, sed nec talis censendus est opinans, sed dubitans, assensus autem opinativus omne dubium excludit, & solam radicalem continet formidinem.

Probatur nunc Conclusio Primò: Authoritate SS. Patrum D. Augustini, qui omninò probabilitatum usum approbat, quod clarè patet ex totis Retractationũ libris, in quibus priores opiniones dimittit, & alias amplectitur, quarum non tàm una quàm altera frequenter æq; est probabilis, & expresè id colligitur ex lib. de adulterinis conjugibus cap. 26. ubi inter duas sententias & opiniones: An Catechumenus omni lo-

quela destitutus sit baptizandus? Ipse tenet affirmativam, alteram tamen relinquens, & docens æq; probabilem, & amplecti posse, de qua proinde sic loquitur loco citato: *Catechumenis ergò in hujus vitæ ultimo constitutis, si morbo seu casu aliquo sic oppressi sint, ut quamvis adhuc vivant, petere sibi tamen baptismum vel ad interrogata respondere non possint: prosit eis, quod eorum in fide Christiana jam nota voluntas est, ut eo modo baptizentur, quo modo baptizantur infantes, quorum voluntas adhuc nulla patuit. Non tamen propterea damnare debemus eos, qui timidiùs agunt, quàm nobis videtur agi oportere, ne de pecunia conservo credita improbiùs, quàm cautiùs judicare voluisse judicemur. Satis quippè in talibus respiciendum est illud Apostoli, ubi dicit: Unusquisque nostrum pro se rationem reddet DEO. Non ergò amplius invicem judicemus. Sunt enim, qui vel in his, vel etiam in aliis observandum putant, quod dixisse Dominum legimus: Nolite sanctum dare canibus, neque projeceritis margaritas vestras ante porcos. Et ista Salvatoris verba referentes, baptizare non audent eos, qui pro se respondere nequiverint, nè fortè contrarium gerant voluntatis arbitrium. Quod de parvulis dici non potest, in quibus adhuc rationis nullus est usus. Sed non solùm incredibile est, nec in fine vitæ hujus baptizari Catechumenum velle, verùm etiam si voluntas ejus incerta est, multò satius est nolenti dare, quàm volenti negare: ubi velit an nolit, sic non apparet, & tamen credibilius sit eum, si posset, velle se potiùs fuisse dicturum ea Sacramenta percipere, sine quibus jam credidit non se oportere de corpore exire.* Vide præclaram doctrinam, unde nunc quoque Doctores Catholici non solùm Catechumenis baptismum, sed etiam morientibus Sacramentum pœnitentiæ, quamvis nullum signum dederint, posse absolvi tenent, & communiter docent. Denique D. Augustinus satis superq; insinuat usum probabilitatum esse licitum, cùm de sententiis suis & opinionibus affirmet, eas non sic ab illo proponi, quasi non liceret etiam aliorum sequi, nam lib. de dono perseverantiæ cap. 21. dicit: *Neminem velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis, in quibus me non errare perspexerit. Nam propterea nunc facio libros, in quibus opuscula mea retractanda suscepi, ut nec meipsum in omnibus me secutum fuisse demonstrem, sed proficienter me existimo DEO miserante scripsisse, non tamen à perfectione cœpisse: quandoquidem arrogantiùs loquor quam veriùs, si vel nunc dico, me ad perfectionem sine ullo errore scribendi jam in ista ætate venisse.*

S. Augustino adjungo D. Bonaventuram, & S. Thomam de Aquino, qui in pluribus locis secutus est opiniones minùs probabiles, ut illum citat Bordonus in suo propugnaculo in conclus. n. 95. In 22. q. 88. art. 11. his verbis: *Et ideò in voto solemnizato per professionem Religionis non potest per Ecclesiam dispensari, & rationem assignat Decretalis, quia castitas est annexa regulæ Monachali.* Decretalis est in cap. *Cùm ad Monasterium 6. de Statu Monachali.* Opinio autem S. Thomæ fundatur in hac Decretali, quæ videtur hoc dicere expressè extremis hisce verbis: *Abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeò est annexa regulæ Monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Et sic fundatur in ratione illa, quod castitas est annexa essentialiter regulæ Monachali, & statui religioso. Et S. Thomam sequuntur nonnulli relati à Barbosa ad dict. c. 6. n. 12. Qui *seq. num. 13.* refert, ultra quadraginta Doctores asserentes Papam dispensare posse aliquem religiosum etiam Sacerdotem ad contrahendum matrimonium faciendo illum de religioso non religiosum, quod dicunt dispensare in sensu diviso, unde in ea Decretali negativa accipitur in sensu composito, ut scilicet religiosus remanens religiosus sit indispensabilis, ut Doctores communiter eam Decretalem explicant, quos refert dictus Barbosa *n. 14.* qui *n. 13.* retulerat

rat plura exempla religiosorum sic dispensatorum ex legitimis causis, valdè urgentibus, ubi tamen probabiliter tantùm negat Papam posse dispensare, & tamen altera est probabilior. Aut si dicas D. Thomæ opinionem esse probabiliorem, infero ego, ergò Pontifices approbant probabilitatum usum, etiam in concursu opinionis probabilioris. Secundum testimonium accipit *ex* 22. *q*. 10. *art*. 10. & *part*. 3. *q*. 68. *art*. 10. apud Dianam *part*. 2. *tract*. 15. *resol*. 45. ubi S. Thomas dicit, non licere infantes baptizare invitis parentibus infidelibus, contra opinionem aliorum magis probabilem; quia eorum parentes indigni sunt tali jure quantumvis naturali super filios suos, cùm sit illis valdè nocivum, & exinde nullum possit sequi periculum corporis baptizati, cùm post baptismum educentur apud Catholicos.

III. S. Thomas favet probabilitatibus.

Tertium *ex* 4. *Sent. d.* 27. *q*. 3. *art*. 3. asserit, Episcopum posse dispensare bigamum ad ordines minores tantùm. Contraria autem sententia est multò probabilior, Sanch. *l*. 7. *disp*. 86. *n*. 9. Addit ibidem alia duo testimonia, sed hæc pro nobis sufficiant. Porrò S. Bonaventuram zelantissimum puræ conscientiæ amatorem etiam probabilitatum usum tenuisse, clarè ex ejus deducitur operibus, nam in 4. *dist*. 17. *art*. 2. *q*. 3. agitans quæstionem: An omnes peccatorum circumstantias confiteri teneamur? De circumstantiis intra eandem speciem aggravantibus duas adducit opiniones, primam affirmativam, & alteram negativam, quam reputat probabiliorem, & quamvis hanc secundam teneat, illam tamen quoque admittit, licèt minus probabilem. Et *dist*. 31. *art*. 2. *q*. 3. quærens: An qui concupiscentiæ explendæ gratiâ cum uxore coit, semper mortaliter peccet? Duas adducit opiniones, primam affirmativam, alteram negativam, & quamvis primam dicat esse probabilem, quia tamen in praxi nimis dura videtur, censet secundam esse præferendam. Et *d*. 32. *art*. 3. *q*. 1. Examinans, an mulier tempore menstrui vel reddere, vel petere possit debitum? Tres affert dicendi modos tanquam probabiles, ultimum verò dicit esse probabiliorem, & in solutione objectionum dicit, quòd licèt ultimus modus videatur probabilior, primus tamen est securior, & sanior, quoniam standum est pro matrimonio, & valdè durum videtur, quod mulier viro debitum non reddat instanter petenti, cùm non appareat infirmitas gravis & manifesta, ex quo patet S. Doctorem hìc sequi minus probabilem, licèt magis tutam.

Dices: S. Bonaventuram in locis citatis semper probabiliorem, vel tutiorem amplecti sententiam, & opinionem. Respond. Id quidem verum esse, attamen hoc non fecit, quia sic necessariò est faciendum, nam etiam alias opiniones judicat esse probabiles, & tuta conscientia teneri posse, sed quia melius, & rationi conformius videbatur, & quia quod licet, non semper expedit, propter quæ etiam infra superaddam conclusiones limitativas usûs probabilitatum.

Probatur Conclusio Secundò ex Jure Canonico *cap. Ego solis v. Vel probabiles rationes, dist*. 9. ubi ex Divo Augustino dicitur: *Non ideò verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi per alios authores, vel canonicas, vel probabiles rationes, quòd à vero non abhorreat, persuadere potuerunt*, ubi Glossa in fine opinionem æquiparat Canoni, sed canon est regula certa ad operandum, *ex cap*. 2. *d*. 3. ergò & probabilis ratio, & opinio in probabili ratione fundata. Deinde ex Jure Canonico ille solùm tenetur tutiorem partem sequi, qui versatur in dubio, ut habetur *cap*. 12. 18. 24. *de homicid.* sed opinans probabiliter non dubitat, ergò non tenetur sequi partem tutiorem, sed potest adhærere probabili, quamvis habeat formidinem radicalem de opposito. Probatur min. quia opinio est assensus determinatus, non sic dubium, & hæc duo verè & realiter

ter distinguntur, nec unum cum altero confundi debet.

Dices cum Fagnano: Jura non solùm de dubitante, sed etiam de opinante idem docent, ut habetur *cap. Per suas 35. de Simon. & cap. Inquisitioni 44. de Sent. Excommun.* quia formidans exponit se periculo. Respond. neg. anteced. Quia dicta jura non agunt de opinione, sed de conscientia errante, vel si loquuntur de opinione, tunc opinio sumitur pro credulitate discreta, non verò de opinione solido fulcita argumento.

IV. DEUS non præcipit impossibilia.

Tertiò: Jus Canonicum & Civile docent, DEUM & legem non obligare ad impossibile, ut habetur *cap. Erit autem Lex, dist. 4. l. Titius. §. final. de Excusat. Tutor. l. quæ sub conditione. §. quoties, ff. de cond. Inst. Impossibilium enim nulla lex & obligatio*; ubi inter impossibilia numerantur quoque valdè difficilia & gravia: sed in moralibus non possumus eligere certo scita, ergò sufficiet in actibus humanis invenire aliquam certitudinem, non quidem sicut in demonstrationibus, sed secundùm quod convenit tali naturæ: Probatur min. Quia prudentia humana in moralibus non versatur circa universalia, sed circa particularia, quæ cùm sint contingentia, non potest de eis haberi certitudo demonstrativa, propter variabilitatem singularium, ergò in moralibus possumus habere certò scita; & consequenter ad hæc obligare homines, esset obligare ad impossibilia.

Dices cum Fagnano, negando suppositum totius probationis, quasi verò esset supra humanam facultatem habere certitudinem moralem de omnibus eligibilibus, quia hoc est contra Scripturam, nam Eccles. 37. dicitur: *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum consilium stabile*; ergò non est supra humanam facultatem. Respond. Dominum Fagnanum malè solvere argumentum, dicendo, non esse supra facultatem habere certitudinem moralem, quia proba dicit & loquitur de certitudine Physica, & reali, quam in omnibus habere est supra vires naturæ humanæ, moralem autem libenter concedo, & cum aliis hoc ipsum teneo, ad operandum rectè sufficere judicium verax, & certum, quod habet à probabilitate. Deinde Scriptura allata non est nobis contraria, quia DEUS adhortatur ibi, ut homo sit verax, & non mendax, qui proximum suum decipiat: Et quòd consilium sit stabile, id est, ut bonum consilium & non malum det proximo, ut patet ex antecedentibus, & subsequentibus.

Instabis: Philosophi definiunt Prudentiam, *Esse habitum cum ratione vera circa bona humana activum*, & illius objectum esse verum, ergò non est supra vires humanas attingere: Probatur conseq. Quia non est impossibile attingere veritatem, quam omnes scire desiderant. Respond. dist. antec. quoad secundam partem, verum evidens, & demonstrativum est objectum prudentiæ, nego: verum morale, conced. anteced. & neg. conseq. nec enim Aristoteles, nec alius quispiam Philosophorum aliam veritatem, vel certitudinem in actibus humanis acquisivit præter moralem, nam 6. Ethic. cap. 5. in fine dicit: *Prudentia autem ibi est, ubi est vis opinandi.* Unde etiam comuniter tenetur post S. Thomam: Prudentiam esse *certum*, ad minus, *ut in pluribus.*

V. Prudenter agens non peccat.

Probatur Tertiò Ratione à priori: Qui operatur rectè & prudenter, non peccat, sed sequens opinionem probabilem rectè & prudenter operatur, ergò non peccat: maj de se patet, quia peccare est deviare à rectitudine, cum quâ actus ab agente procedere debet, si ergò rectè & prudenter agit, producitur actus cum sua rectitudine, quæ tàm actui, quàm potentiæ inesse debet: Probatur minor, Quia ratio probabilis causans opinionem, seu in qua fundatur opinio, dicit verisimilitudinem, & magnam veritatis apparentiam, ergò qui secundùm illam agit, rectè

rectè & prudenter operatur, cùm secundùm Ethymologiam nominis probabilitas derivetur *à probatione*, & quasi *approbatione*, vel etiam *à probitate*, unde homo probus dicitur devotus, benè agens, & benè operans. Deinde probatur eadem min. secundò: Propositiones oppositæ & contrariæ debent posse operari contrarios effectus, sicut etiam habent diversas rationes *ex l. final. ff. de edend. leg. l. Qui accusare. ff. de Accusat.* sed qui operatur cùm opinione improbabili, utpotè quæ caret ratione & prudentiâ, peccat, ergò qui operatur cum opinione probabili fundatâ in verâ ratione, non peccabit.

Dices cum Fagnano: Min. esse falsam, quia ad rectè & prudenter operandum non eligendum est probabile, sed verum, quòd est objectum prudentiæ, probabile autem indifferens est ad verum & ad falsum, consequenter ratio nihil probat. Sed Respond. argumentum subsistere, nam eligens probabile eligit verum, non physicum & naturale, sed morale, & prout bona fide ab intellectu voluntati eligenti proponitur, nam probabile habet suam veritatem, cum qua falsitas non miscetur, nam ut dicit Aristoteles lib. 2. poster. cap. 26. *Omnes habitus, quibus vera nascuntur, sunt intelligentia, scientia, opinio, & quæ ab his cognominata sunt*, unde etiam præclarè D. Thomas 22. q. 60. art. 3: in respon. ad 1. dicit: *In humanis actionibus invenitur aliqua certitudo, non quidem sicut in demonstrationibus, sed secundùm quod convenit tali materiæ*, falsum ergò est, quod ait Fagnanus, probabile non esse objectum prudentiæ. Per hoc solvitur etiam responsio Candidi Philaleti.

Dices Secundò cum Candido Philaleto: Ut licitè, rectè, & prudenter agam, non sufficit, ut judicet quis, rem esse probabilem, sed necesse est, ut judicet esse veram, sed in mea potestate non est, ut opiner utramque esse reveram, nec ut opiner esse veram, quam volo, sed ut opiner esse veram, quæ habet fortiora argumenta, qualis est magis probabilis; ergò necesse est, ut sequar magis probabilem, ad hoc ut rectè agam. Respond. maj. instantiæ hujus esse veram, sed neg. min. quia intellectus opinativus liber est ad opinandum verum in opinione probabili, quia etiam ad hoc movetur ab argumentis ejus, ut judicet illam esse veram, nam utraque argumenta repræsentant se potentiæ sub ratione veri, magis & minus, veritas enim in positivo consistit, non in comparativo, & comparativus superadditus positivo non destruit illam, & consequenter nec veritas major minorem, sed potius auget in comparatione opinionis omninò probabilis. Responsiones D. Merenda, & P. Mercori in idem ferè reincidunt.

VI. Probabilitas valet in speculativis.

Probatur igitur Conclus. Quartò: In rebus & objectis speculativis licet absq; erroris & deceptionis periculo opinari, & defendere quascunque opiniones, modò illæ sint probabiles, secundùm quod dicit Apostolus: *Unusquisque in suo sensu abundet*, Rom. 14. Et patet ab experientia opinionum probabilium diversarum in utraq; Schola Reali Thomistarum & Scotistarum, ergò etiam in moralibus idem licebit absq; periculo peccati, cùm sit eadem utrobique ratio. Et Confirmatur: Judicium probabile in actionibus humanis ad mores non pertinentibus est sufficiens ad prudenter operandum, aliàs vix quidquam in rerum natura fieri posset, propter incertitudinem rerum practicarum, ergò idem judicium probabile erit sufficiens in moralibus ad honestè operandum, cùm nulla possit afferri sufficiens diversitas, ergò sicut judicium sufficit in aliis probabile, ita etiam sufficiet in iis, quæ spectant ad mores conscientiæ.

Dices cum Fagnano: Neq; in speculativis licere omnibus Magistris & Professoribus opinari, benè tamen iis, qui onus docendi ex officio non habent, quam distinctionem facit ipsemet S. Bonaventura.

Deinde

Deinde negat paritatem, nam à speculativis non licet inferri consequentiam ad moralia, in illis enim nullum est peccati periculum, benè tamen in istis. Sed contra: Distinctio illa de Professoribus, & non habentibus onus docendi est planè arbitraria, nam non video, quomodo privati debeant esse melioris conditionis, quàm illi, qui ex dono naturæ & gratiæ apti, & vocati sunt ad docendum, quorum libri si legantur, inveniemus eos plenos opinionibus, nec distinctionem datam habet S. Bonaventura 2. d. 7. art. 3. q. 1: num. 52. in resolutione hæc quidem habet: *Dicendum, quod deceptio, & error venit ex deordinatione, seu deviatione judicii: judicium autem duplex est in quolibet ratiocinante, unum, quod est cognoscendorum. quod est veri, sub ratione veri; aliud agendorum, quod est boni, sub ratione boni.* S. autem Doctor ibi agit solùm de dæmonibus, de quibus ita resolvit: *Dæmones in multis speculabilibus, & maximè in contingentibus decipi possunt, cùm eorum intellectus per culpam obnubilatus fuerit; at verò in agibilibus, cùm habeant intellectum practicum omninò subversum dicuntur facti tenebræ*, quæ tamen Professoribus & Magistris applicari nequeunt, cùm supponantur non habere intellectum in speculativis obnubilatum, neque subversum in practicis. Respond. ad alteram instantiam, Illustriss. Fagnanum malè negare paritatem ob periculum salutis, quia utens opinione probabili nullum incurrit periculum salutis, quia prudenter agit, & facit quod in se est, habetq; libertatis suæ possessionem justam, consequenter non peccat, nam invincibiliter ignorat exindè futurum peccatum.

Probatur Quintò à pari: Qui agit secundùm conscientiam invincibiliter ignorantem, non peccat, ut patet ex supra dictis, ergò neq; qui operatur secundùm conscientiam probabilem, Probatur conseq. Quia melior est conscientia probabilis, quàm erronea, nam erronea in infinitum distat à veritate objecti, quod non est tale, quale conceptum fuit ab errante conscientia, probabilis verò non multùm distat à veritate objecti, cui approximatur per prudentiam æstimationem, & verisimilitudinem, licèt fortè physicè non attingat, quia non est sciens intellectus, sed opinans, adeoque contentatur veritate morali, ergò etiam benè operabitur quis ex conscientia probabili, cùm conscientia melior non debeat esse deterioris conditionis, quàm conscientia minùs melior. Hinc Confirmatur: Melior est conditio in opinante, quàm in errante, quia ambo ignorant veritatem naturalem & physicam objecti, cum hac tamen differentia, quod intellectus errans invincibiliter supponatur, nullam adhibuisse diligentiam in indaganda veritate, quod sine ulla dubitatione credidit tale, quale ei prima apprehensione fuit propositum; Intellectus verò opinans ex natura opinionis de formidine oppositi dubitavit, & vicit dubium, cùm per solidas rationes & motiva excusso dubio suam opinionem ut probabilem firmavit, unde magis esset excusandus quàm errans, ergò si errans operando non peccat, nec opinans peccabit.

Dices: Non omnis, qui agit secundùm conscientiā ignorantem, excusatur à peccato, ergò nec qui agit cum conscientia opinante, antec. probatur ex D. Thoma citato, & abundantiùs inferius citando, qui in quodl. 8. q. 13. dicit: *Qui facit contra legem DEI, non excusatur à peccato, quamvis non faciat contra conscientiam.* Respond. neg. anteced. & ad probat. ex Div. Thomâ dico, illum textum satis difficilem, esse necessariò explicandum, & ad mentem S. Doctoris applicandum, quia certum est Angelicum Doctorem non negare, imò affirmare ignorantiam invincibilem excusare, nam 1. 2. q. 74. art. 3. dicit: *Si verò sit talis ignorantia, quæ omninò sit involuntaria, sive quia est invincibilis, sive quia est ejus, quod scire non tenetur, talis ignorantia*

tia omninò excusat à peccato, ergò subsistit nostra paritas etiam in opinione S. Thomæ. Unde Respond. Secundò: Textum illum allegatum intelligendum esse, vel in casu, & de ignorantia vincibili, quia tenebatur quis scire legem DEI, unde ideò culpandus est, quia neglexit scire, licèt tunc actu non agit contra conscientiam, unde dicit D. Augustinus lib. 3. de lib. arbitr. cap. 22. *Non enim quod naturaliter nescit, & naturaliter non potest, hoc animæ deputantur in reatum: sed quod scire non studuit, & quod dignam facultati comparandæ ad rectè faciendum operam non dedit*; qui ergò tenetur legem scire, licèt non agat contra dictamen conscientiæ, peccat, v. g. qui agit contra decem præcepta, & similia, quæ sunt inter fideles nota, & facilè sciuntur, ac sciri possunt, aut quæ ex determinatione Ecclesiæ, & unanimi consensu inter Doctores sunt certa.

VII. Opinio probabilior ex nullo capite magis obligat.

Probatur Conclusio Sextò: Ex refutatione principalis fundamenti Adversariorum, quia tenentes nos non posse sequi opinionem probabilem relicta probabiliore, Ideò est, Opposita vel est tutior, vel probabilior, vel tutior & probabilior simul, in quibus omnibus abest periculum peccandi, ita quòd si tale periculum timeretur, nec tunc talis posset amplecti, sed ex nullo dictorum capite tenemur semper sequi opinionem probabiliorem, ergò fundamentum adversariorum est nullum: maj. est illorum: Probatur min. quoad singulas partes: Non ideò, quia opposita probabili est tutior, quia non semper tenemur sequi opinionem tutiorem, quod probo: Quia tutius est diebus festis dolere de peccatis, confiteri circumstantiam diei festi, confiteri statim post lapsum, ex mutuo ratione lucri cessantis nihil accipere, juramentum in re levi ad mortale obligare, lucrum ludi prohibiti restituere, & alia multa, quæ omnia sunt tutiora, nec tamen tenemur ea amplecti, ergò. Probatur min. etiam quoad secundum, nempe nec nos teneri, quia est probabilior, quia inter probabilem opinionem & probabiliorem non intercedit notabile discrimen, nam nec major probabilitas in ista atttingit physicam certitudinem, & naturalem veritatem, nec minor in illa attingit dubium, sed licitum est sequi opinionem probabiliorem licet non sit tutior, ut modò dictum est, ergò licebit quoque sequi probabilem, etiamsi non sit probabilior. Confirmatur hoc: Quia si non liceret sequi probabilem relicta probabiliori, hoc esset, quia operans cum probabili operaretur cum formidine oppositæ partis, sed si hæc ratio valeret, urgeret etiam de opinione probabiliori, quia formido est de ratione opinionis, prout à scientia distinguitur. Probatur deniq; minor principalis quoad tertiam partem: Quia cùm non teneamur sequi opinionem tutiorem, vel probabiliorem disjunctim, non tenemur quoque conjunctim.

Dices: Probabiliorem eligendam esse, quia magis removet à periculo. Respond. disting. antec. Removet à periculo peccandi materialiter, transeat; formaliter, neg. anteced. & conseq. Quia sequendo opinionem probabilem removeo me æque à periculo peccandi formaliter, quàm probabiliorem, quæ non nisi materialiter magis removet, quia tale periculum excluditur per judicium prudens, quo hic & nunc mihi id licere sentio, & tunc ad summum me expono periculo faciendi rem materialiter malam, sicut invincibiliter ignorans hodie esse Vigiliam SS. Simonis & Judæ, si comedit carnes, dicitur facere rem materialiter malam, quia est in se prohibita, non autem formaliter, quia hic & nunc non imputatur ratione invincibilis ignorantiæ. In hoc ergò sensu comedens in die jejunii ad collationem sex uncias, & non octo, est magis tutus à peccato materialiter, quàm qui comedit octo, non tamen formaliter, supposita probabilitate utriusque sententiæ.

VIII. Opinio tutior & probabilior non se invicem inferunt.

Pro majori intelligentia notandum: Hos terminos tutum & tutius probabile & probabilius comparativè ad se sumptos benè se invicem inferre, non tamen isti duo tutior & probabilior, unde probabile non infert tutum, nec tutum probabile, quia proveniunt à diversis extremis & mediis. Ratio tuti & tutioris à minori vel majori carentia periculi peccandi: Ratio verò probabilis à motivis demonstrantibus probabilitatem opinionis, cùm ergò sint diversa, unum ab alio inferri non potest, quia ex diversis non fit illatio, quare potest dari, & de facto opinio tuta, & etiam tutior, & tamen minus probabilis.

Probatur Conclusio Septimò: Ex multis absurdis, quæ sequerentur, Primò, si non liceret sequi opinionem probabilem relicta probabiliori, peccarent omnes Doctores & Professores, tradentes in Scholis opiniones probabiles, quia præberent occasionem peccandi utentibus illas. Deinde frustranei essent omnes labores Theologorum & Summistarum, qui casus conscientiæ tradunt & explicant, nunquam enim liceret illis aliquam opinionem probabilem evulgare, asserentem, actionem aliquam esse licitam, si extaret opposita opinio tenens esse illicitam, quia si tutum est non facere, illa sola opinio deberet evulgari, quia maximè distat à peccandi periculo. Tertiò, frustra Theologi dividerent opinionem probabilem & probabiliorem, quia non esset admittendum unum membrum cum destructione alterius, data enim opinione probabiliori, necessarium est etiam dari opinionem minus probabilem, non tamen improbabilem in comparatione alterius magis probabilis, comparativum enim non est ad seipsum, sed ad alterum, cùm comparatio fiat inter duo, quæ participant eandem formam qualitatis secundùm magis & minus. Quartò sequeretur, quòd quilibet teneretur facere quod melius & perfectius est, sed nemo tenetur facere quod melius est, & perfectius, ut habet Glossa V. *Qui præstantior. cap. licet.* 15. 8. *q.* 1. ergò. Probatur sequela, quia facere melius & perfectius est tutius, ergò. Probatur min. Tum, quia nemo tenetur vovere, neque esse castus, vel virgo, cùm potest ducere uxorem, neque jejunare sine voto, licèt hoc sit melius: Tum, quia objectum rectitudinis, quia nemo peccat, est bonum secundùm esse positivum, non secundùm esse comparativum, ergò quandocunq; actus habet hanc bonitatem & rectitudinem, per illum operans satisfacit suæ obligationi, & non peccat, ergò tutâ conscientiâ potest sequi opinionem in positivo probabilem relictâ probabiliori, & quavis meliori, vel si non licet, tenebitur facere, quod melius & perfectius est.

II. Nemo tenetur facere quod perfectius.

Dices cum Fagnano contra primum: Doctrinam de libera electione opinionis esse in Ecclesia novam, & hoc decimo sexto Sæculo introductam, nam antiqui oppositum docuerunt; essetque consultius à modernis recedere, & veteribus numero pluribus adhærere, juxta illud Job. 12. *In antiquis est sapientia. Et quod à pluribus sapientibus quæritur, facilius invenitur.* Verum tamen Respond. Fagnanum hic imposturam committere, nam ut supra ostendi, usus probabilitatum est antiquissimus. Deinde plures ex antiquioribus eundem admiserunt, quàm oppugnârunt, imò Recentiores moderni in antiquis se fundârunt, unde modernorum opinio est probabilior quàm eorum veterum, quos Fagnanus pro se allegat, quod facilè contra eundem convincitur ex proprio suo principio: *Quod à pluribus sapientibus quæritur, facilè invenitur*, sed exquisitior Recentiorum est diligentia, & diligentior inquisitio eorundem, maximè dum ab opposita sententia negantium gravius impugnatur, opposita enim juxta se posita magis elucescunt. Fateor equidem, quorundam Recentiorum factum esse audaciâ, quod plures

plures sententias nimis habenas laxaverint, & ad interitum viam straverint, qui jure cavendi sunt, damnandi, & reprobandi, verumtamen, juxta vulgatum axioma, *usus* est relinquendus, & *abusus* tollendus, prout etiam tales Ecclesia & Pontifex vigilantia pastorali debitis censuris perstrinxit, ut patet ex tot Sententiis à Summis Pontificibus damnatis, nam Alexander VII. Anno 1665. feria V. die 24. Septem. damnavit 28. Propositiones, & Anno 1666. die 18. Martii, feria V. septemdecim alias simul 45. Innocentius XI. An. 1678. feria V. die 2. Martii, damnavit alias 65. & Alexander VIII. Anno 1690. feria V. die 7. Decembris 31. Proposit. quas omnes pro directione & cautela infra referam.

Ad locum autem illum ex Jobo allatum dico, illum loqui de sapientia & prudentia, quæ in nobis non nascuntur, aut ex ingenii subtilitate & fœcunditate oriuntur, sed experientiâ longi temporis acquiruntur, de quibus dicitur: *Ars longa, vita brevis*, nos autem loquimur de prudentia, quæ argumentis & rationibus acquiritur; Et si verum est, quod Fagnanus docet, Antiquum esse, qui excedit quinquagesimum annum, certum est Probabilitatum defensores jam complures esse antiquatos, ut patet de Sanchez, Suarez, Vasquez, &c.

X. Mandata DEI non sunt gravia.

Probatur Octavo ex aliis Inconvenientiis: Tum, quia intolerabile onus foret, multisque scrupulis expositum, & verè contra suavem DEI providentiam, atque doctrinam CHRISTI dicentis: *Jugum meum suave est, & onus meum leve*: Matth. 11. & Joan. epistol. 1. cap. 5. *Mandata ejus non sunt gravia*, si opiniones probabiliores investigare, atque in maximas angustias conjicerentur homines, ergò sufficit minus probabilem eligere. Probatur conseq. Quia DEUS non exigit plus quàm humanæ vires admittunt, ergò cum in præsenti statu non possimus evidenter, & certè omnes veritates assequi, satis erit & prudentiæ consonum facere id, quod viri docti affirmant, rationes probabiles suadent, & homo ipse judicat esse licitum: Tum, quia non obligamur ad id, quod perfectius & tutius est, ut demonstravi supra, sed sufficit id, quod in praxi judico rectum & tutum, alioquin teneremur ad consiliorum observantiam, ergò satis erit sequi opinionem, asserentem, actum illum esse rectum, neq; erit necesse amplecti tutiorem, vel probabiliorem.

Dices cum Philaleto, antecedens primum non esse verum, quia sufficit diligentia moralis, & juxta gravitatem & difficultatem dubii occurrentis proportionata, prout fit in negotiis sæculi, in quibus proindè cùm adhibeamus magnam diligentiam, examinemus exactè causas, discutiamus consilia, & adhibeamus advocatos, cur non deberemus etiam in negotio salutis animæ ea omnia, & majori cum sedulitate præstare. Sed Respond. Revera non obstantibus allegatis, intolerabile foret onus, si in qualibet actione morali, quæ privatis frequenter occurrere solent, in quibus Authores passim discrepant, nam quòd unus, v. g. Mastrius, dicit esse probabilius, hoc negat Pontius, & ubi à multis Mastrio dicitur excellentior, à Patribus Hibernis præfertur Pontius, & quis inter ipsos erit Judex? Nec obstat, quòd in sæcularibus causis major adhibeatur diligentia, quia hoc tantùm denotat hominum majorem ad temporalia effectum, non aliquod præceptum, vel obligationem, nam etiam in rebus & negotiis DEI, viri spirituales magnam adhibent diligentiam, & solent metuere culpas, ubi non sunt, hoc tamen non fit ex præcepto.

Dices Secundò cum eodem neg. conseq. Quia opinio minus probabilis, simpliciter non est probabilis, quia non potest generare probabilem assensum, quare qui illam sequitur, agit contra judicium, & dictamen rationis, & sic peccat non solum ex negligentia, sed etiam

ex malitia. Respond: neg. anteced. Quia opiniones probabiles non solùm secundùm quid, sed simpliciter sunt probabiles, quia in se habent rationem formalem probabilitatis, hoc enim ipso, quòd denominatur probabilis à forma ei inhærente, unde etiam in opinante potest generare effectum probabilitatis:

Dices Tertiò: Cum Merenda, si diceretur opinionem probabiliorem, *ut sic* eligendam esse homines posse in aliquas conjici angustias, quia multis modis accidet, difficile esse cognoscere, quæ sit probabilior, si verò dicatur, non esse eligendam probabilem, donec gravem videtur difficultatem pati, nulla oritur angustia, & ratio est, quia in conclusione practica & opinabili, major procedit à prudentia, quæ habet sua generalia principia, quæ facilè possunt sciri: minor autem in præmissis assumitur ab habilibus virtutum, ad quas materiæ ipsæ spectant, circa quas debet fieri operatio, & in his potest quidam esse aliqua obscuritas, quæ tamen per regulas prudentiæ facilè dispellitur. Respond. seu unum seu alterum dicatur, semper grave onus manebit hominibus, si debent examinare, quando consurgat & oriatur sufficiens probabilitas, nam quòd dicat majorem in conclusione practica procedere ex prudentiæ principiis generalibus, verum est, sed falsum alterum, quòd minor procedat ab habitibus aliarũ virtutum, quia procedit etiam à prudentia, quia minor semper fit de homine, vel actione aliqua singulari, ergò si in uno erit difficultas, etiam erit in altero.

XI. Pontifices dispensarunt in voto castitatis & matrimonio rato.

Probatur Conclusio Nonò: Ex praxi Pontificum, nam non obstante Decretali *cap. cum ad monasterium in 6. de statu Monach.* ubi dicitur: *Abdicatio proprietatis sicut & custodia castitatis, adeò annexa est regulæ monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Quam sententiam etiam tenet S. Thomas 2.2.q.88.art.11. nihilominus plures Pontifices cum solemniter professis dispensârunt sæpius, tenentes oppositam opinionem affirmativam, nam Cælestinus dispensavit cum Constantia, filia Rogerii Moniali professa, ut cum Henrico VI. matrimonium contraheret, ex quo genuit Fridericum II. Alexander III. cum Justiniano monacho professo, ut à Religione ad nuptias transiret. Similiter dispensarunt in matrimonio rato, ut enim legitur in lib. Additionũ ad manuale Navarri, Pius V. dicitur quater dispensasse: Gregorius XIII. tredecim vicibus, & alii in aliis casibus, cùm tamen negativa opinio sit tutior, quia magis removet peccati periculum. Ex quibus colligitur, Pontifices præposuisse opinionẽ affirmativã negativæ, spectatis rationibꝰ, & argumẽtis reddentibus illas probabiles secundũ magis & minus.

Probatur Conclusio Decimò: Ex communi usu Doctorum: Quia illud censetur esse magis probabile, quod majori & potiori Doctorum parti apparet tale, quando nimirum illis proponuntur utriusque partis motiva & argumenta, eaque debitè examinant, sed majori & potiori parti Doctorum hoc Sæculo videtur, quod possit quis sequi tuta conscientia opinonem probabilem, etiam concurrente probabiliore, ergò. Hoc argumentum putant aliqui esse demonstrativum, sed mihi non videtur, nam opinio in majori & minori diversimodè accipitur, in majori enim capitur supra singulas practicas opiniones cadentes super agibilia, quæ in praxi & usu tales manent, quales olim fuerunt; In minori autem sumitur opinio speculativè, prout solùm doctrinam respicit, & nullo modo praxim, seu aliquod agibile, nisi mediatè & genericè, adeoq; non censeo esse demonstrationem, Quia objectum hujus controversiæ, de sequenda vel non sequenda opinione probabili, est ipsa opinio minus probabilis in actu signato concepta, & in comuni præscindendo à praxi hujus vel illius in actu exercito, clarum autem est, ab actu signato ad exercitum nullam debitam fieri consequentiam.

Dices:

Dices: Cum Candido acerbo opinionum probabilium, ususq; earum impugnatore minorem argumenti esse falsam: Tùm, quia si spectes argumenta intrinseca partis negantis, licitum esse sequi opinionem minùs probabilem, nondum sunt soluta à Doctoribus partis affirmantis, quantumvis ea solvere sint conati: Argumenta verò pro parte affirmante evidentem continẽt æquivocationem, & sic nihil probant: Tum, quia pro parte negante sunt gravissimi Authores, ut Augustinus, Chrysostomus, D. Thomas, ex quibus citat Chrysost. hom. 44. in cap. 23. Matth. ubi dicit: *Si vestimentum empturus unum gyras negotiatorem, & alterum, & ubi meliores vestes inveneris, & pretio viliori ab illo comparas; quando non oportet populum circuire omnes Doctores, & inquirere, ubi sincerè veritas Christi venumdatur, & ubi corrupta, & veritatem eligere plusquam vestimentum.* Verùm Respond. tàm facilè me probare illam minorem, quàm facile illam Candidus negat, nam imprimis doctissimi viri solverunt exactè tàm Candidi, quàm Mercori, atque Merendæ argumenta, quorum nullum video esse conveniens, nec ab authoritate, nec à ratione, nam Candidus sua potissimum fundat in Aristotelis dicto: *Non est nobis liberum oppinari*, 2. de anima. textu 153. Necesse est enim verum aut falsum dicere, ex quibus multa inconvenientia deducit, cùm tamen Aristotelis genuinus sensus sit iste, quod opinari liberum non est nobis eô modô, quo imaginatio libertatem habet, fingendi scilicet sibi objecta quæcunque vera & falsa, chymeras, & alia non entia, unde etiam S. Augustin. lib. 3. contra Academicos cap. 16. redarguit Academicos sic somniantes, & imaginariè opinantes, intellectus autem verè, & realiter opinans hanc libertatem non habet, sed determinatur ad intelligendum ab objectis minus fortibus quàm fortioribus, & à voluntate imperatur ad hoc, vel illud opinandum.

Quoad Authores autem à se citatos reverentiam eis exhibeo debitissimam, sed nullum ex SS. Patribus adduxit Candidus, qui expressè docuisset, non licere nobis sequi opinionem minus probabilem, vel debere sequi magis probabilem relictâ minus probabili, ad locum igitur ex D. Chrysostomo adductum Respond. & dico, eum benè loqui, si tamen quis diligenter attendat, videbit illum non suadere electionem verioris opinionis, sed præscribit, nos debere sequi verum intellectum sacrarum Scripturarum, non falsum, nec alienum ab interpretatione SS. Patrum, quod præceptum est SS. Conciliorum, unde facit comparationem à re corporali & materiali ad spiritualem intelligentiam Scripturarum, si enim in illis comparandis omnem diligentiam adhibemus, magis in spiritualibus.

Instabis: Illa particula, *oportet*, satis significat præceptum & obligationem sequendi etiam in moralibus veriorem opinionem, ergò. Respond. Particulam, *oportet*, non semper significare præceptum, sed aliquando honestatem, ut tenet *Glossa V. oportet, cap.* 1. 25. *q.* 1. *cap. Ep.* 7. *dist.* 64. Aut si in authoritate allegata significat præceptum, illud cadere super articulos, & propositiones fidei, non verò super opiniones, quin unam possimus sequi potius quàm aliam, per hoc satis probata manet conclusio nostra affirmativa, & potiores argumentorum solutiones ab adversariis factæ manent enervatæ, atq; rationes nostræ tantò fortius roboratæ.

Dico Secundò: *Ad hoc, ut quis utatur opinione probabili, relicta probabiliori, necessarium est, ut ad minus judicium probabilitatis ante electionem præcedat.* Hæc est communis inter Benignistas, & Probatur, Quia opinio vel assensus probabilis, consequens factum nihil confert ad propositum. Exemplum sit: Aliquis post actum comissum antequam ad confessionem accedat, apud quem ser- XII. Opinio probabilis debet præcedere electionem.

vantur authores, reperit opinionem probabilem defendentem factum illud à peccato, talis opinio inventa non excusabit præcedens factum à peccato, si ante operationem non fuit adhibita diligentia debita, ut sciretur, an actus esset licitus, an illicitus, & consequenter illa opinio sequens actum, hominem non justificat, valebit tamen pro futuris actibus excusandis, quod est valdè notandum, & hinc sequitur, quod Advocatus videns causam, quam sumit defendendam, esse injustam, postmodùm tamen pervolvens Corpus Juris, invenit sua subtilitate argumenta, quibus illa causa reddatur probabilis, graviter peccet, quia hæc diligentia, cùm sit sequens contractum, non influit in actum præcedentem, quo malâ conscientiâ sumpsit defendendam iniquitatem. Itaque universaliter ut quis licitè procedat secundùm opinionem probabilem, necesse est, ut de ipsa probabilitate intrinseca, vel extrinseca judicium formet, antequam operetur, si enim hoc non facit, operatur vel ex ignorantia, vel ex dubio, quod planè non licet. Et ob hoc in Conclus. dixi, id *minus judicium probabilitatis* antecedere debere, nam inferius dicam, etiam judicium de intrinseca probabilitate præcedere necesse esse, seu judicium subjectivum, non objectivum, proprium, & non alienum; progredior nunc ad solvendas oppositiones, itaque sit

QUÆSTIO TERTIA.

An usus Probabilitatum sit contra Sanctos Patres & Doctores, veteresq; Theologos.

1. PRobabilioristæ rigidiores, seu Severistæ, qui gravissimè oppugnârunt probabilitatum usum, sunt præcipui R. D. Candidus, & alii supra enumerati, qui plurimas congerunt authoritates, & rationes ad ostendendum usum probabiltatum non esse licitum, atque esse novum commentum, & hoc sæculo inventum, quorum autem combinare sensum perdifficile est, nam dicunt sanctos Patres prioribus sæculis opinionum usum semper impugnâsse, & tamen ajunt, hoc inventum esse recens, quæ sibi contradicere videntur, si enim novum hoc esset commentum, quomodo ergò Patres impugnârunt, quod nondum erat natum: si autem oppugnârunt, ergò jam tunc aliqui fuerunt, qui probabilitatum usum defenderunt, ac tenuerunt, adeoq; nihil novum; Aut si Benignistæ novi sunt, profectò Severistæ adhuc recentiores, nam illi primitùs his hodernis temporibus Benignistas impugnare cœperunt, videntes aliquos excessisse limites, quos nec ego approbare, vel sequi præsumo, sed omnes conscientiæ relaxationes damno, ac media incedere viâ intendo, unde nunc Severiorum argumenta, quoniam frequenter coincidunt, sine citatione nominum, aut ordine, quo ab ipsis proponuntur, sed methodo mea ordinaria incipiendo ab authoritatibus, iisque urgentioribus, potissimas proponam difficultates.

Opponitur Primò: Authoritas Scripturæ sacræ, Eccles. 37. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum consilium stabile.* Ex quo Merenda potissimùm deducit, & infert, ante omnem operationem bonam debere judicium certum moraliter de rectitudine actus præcedere, nisi enim hæc adsit, non potest judicium stabile, & verbum verax dici, unde etiam authores & interpretes dicunt, in operationibus sequendum esse judicium non quodcunque, sed veris rationibus stabilitum, atqui probabilis opinio non innititur veris & rectis rationibus, ergò. Secundò: Prov. c. 2. *Si intraverit sapientia cor tuum, & scientia animæ tuæ placuerit, consilium custodiet te, & prudentia servabit te, ut eruaris à via mala, & ab homine, qui perversa loquitur*, sed opinio probabilis nequit inducere in cor hominis operantis rectum consilium & prudens, quia hic est effectus proprius sapientiæ & prudentiæ, II.

Consilium stabile excludit dubitationem.

stentiæ, ut dicit Scriptura, unde idem sapiēs videtur carpere Doctores Probabilitatū, quando c. 14. dicit: *Est via, quæ videtur homini justa: novissima autem ejus deducunt ad mortem.* Tertiò ibidem, cap. 28. *Viri mali non cogitant judicium; qui autem inquirunt Dominum, animadvertunt omnia*, ergò viri religiosi, & salutis suæ studiosi, ut benè operentur, debent omnia prius inquirere, consequenter non possunt quamcunq; sententiam probabilem amplecti. Respond. nego conseq. omnem, quæ ex his authoritatibus deduci posset, quia reverà nullus sacræ Scripturæ locus ex allegatis aliquid probat, vel reprobat opinionē probabilem, concedo ergò consilium stabile & verbum verax præcedere debet operationem; sed non veracitati naturali, sed morali, non entitativa, sed rationabili, non evidente, sed verisimili, seu quæ habet fundamentum in ratione prudenti, in authoritate gravi, & similibus, alioquin nec ipsi possent sequi opinionem probabilem, quia nec hæc habet evidentiam, nec superat probabilem, nisi secundùm magis & minus, in reliquo habet etiam annexam formidinem, nè subsit falsum, & etiam subesse potest, satis ergò erit consilium stabile, si excludat dubitationem. Ad secundum locum dico, Salomonem ibi in proverbiis accipere sapientiam & scientiam pro quacunq; prudenti cognitione, quæ stultitiam temeritatemque excludit, ita ut etiam opinionem comprehendat, in quantum scilicet hæc etiam consilium rectum & prudens inducit, si enim loquitur de sapientia & scientia propriè dicta, prout natæ sunt attingere veritatem naturalem objecti, nempè per media certa & evidentia, tunc æq; concluderetur opinio probabilior, ac probabilis, quia neutra sic objectum suum attingit, unde illud, quod 14. dicitur, convenit benè opinionibus, temerariis, præsumptuosis, stultis, & imaginariis illorum authorum, quibus inest quælibet audendi potestas, non tamen opinionibus verè probabilibus, quæ hinc inde examinant debitè rationes & motiva utriusq; partis, quibus deferenda est utendi facultas, reliquas verò censeo ut temerarias & incertas omninò rejiciendas. Quare ob eandem rationem concedo illud, quod quarto loco ex Proverbiis adducitur, si enim quispiam non examinet rationes & difficultates opinionis suæ, quod semper assero necessarium ex infra dicendis, peccabit, quia operabitur non ex probabili sententia, sed ex vincibili ignorantia.

III. Periculum amans, quomodò pereat in illo.

Opponuntur Secundò plures Authoritates Scripturæ ex antiquo Testamento, Eccles. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo*, ex quo sic argumentantur: Qui non vitat periculum peccandi materialiter, quantum potest per diligentiam humanam, iste amat periculum, & perit in illo, seu peccat formaliter, atqui qui sequitur probabilem opinionem, non vitat, quantum potest & quantum tenetur periculum, ergò à maj. patet. Probatur min: qui eligit monetam, non habentem veram rationem monetæ valentis, non adhibitâ diligentiâ debitâ, & servus, qui emit equum domino suo, non habentem signa boni equi, nec fecit diligentiam in emendo bono equo, peccat, ergò à pari. Secundò Eccles. 19. *Qui citò credit, levis est corde*, id est, in rebus dubiis, non tàm facilè est præstandus assensus, sed inter duas opiniones probabiles, qui citò unam amplectitur, facilem præbet assensum in rebus dubiis, quia ex duabus talibus in unâ necessariò subest falsitas. Tertiò, Job. 29. dicitur: *Causam, quam nesciebam, diligentissimè investigabam*, scilicet non ob aliam causam, quàm ut assequeretur quod verum & rectum esset, sed qui amplectitur opinionem probabilem, non diligenter inquirit causam, ergò: min. probatur: Quia si duo in bivio existentes unus ostenderet mihi peregrinanti hanc viam, alius alteram, manerem dubius, nec quo me verterem, scirem, quantùm enim faceret unus viam credibilem, tantùm alter faceret incredibilem; atqui

atqui in opinionibus hoc idem evenit. Denique lib. 3. Reg. cap. 12. legitur: *Respondítq; Rex populo dura, derelicto consilio seniorum, quod ei dederant*, propter quod Roboam reprehenditur, eò quòd consilium deterius juvenum apprehenderet, sed qui sequitur opinionem probabilem, derelicta probabiliori sequitur consilium Juvenum, relicto sapientum & seniorum, ergò.

Respond. Nec istas omnes Authoritates nec divisim, nec collectivè sumptas, aliquid contra probabilitatum usum probare, & ut singulas ex ipsis illationes solvam, ad primum Respond. neg. minor. quia supponit, & ait, in opinione probabili esse periculum, quod nunquam adhuc probatum est. Aut si est aliquod periculum, illud est remotissimum, adeoq; in consideratione non habendum, quod Sanchez lib. 1. cap. 9. n. 14. vocat materiale & imaginarium, intelligitur ergò Ecclesiastici dictum de periculo proximo. Ad probat. min. dico: illum, qui bonam pro mercibus monetam accipit, bonumque equum pro Domino emit, non peccare, sed satisfecisse suæ obligationi, licet potuisset meliorem accipere, nisi negligentiam aliundè commisisset, quod longè abest ab opinione probabili; unde exemplum allatum de moneta, videtur esse pro opinione probabili, nam in *l. custodiam. 3. ff. de periculo, & com. rei.* quod quis in rebus alienis exactiorem debeat habere diligentiam, quàm in suis, ergò si servus recipiens monetam bonam, licèt potuisset accipere meliorem, non peccat, ergò nec peccat, qui amplectitur opinionem probabilem. Respond. ad 2. neg. min. Nam errant omnes, qui existimant in opinione probabili includi dubium, in intellectu sano opinante, potest quidem aliquando præcedere dubium, sed illud est deponendum, ut monet S. Thomas quodl. 5. cap. 4. potest quidem aliquando incidere scrupulus, quòd hoc sit illicitum, sed hoc contingit ignorantibus, differentiâ inter scrupulum & dubium, quare absolutè negandum est, eum, qui sequitur opinionem probabilem, citò credere, id est, imprudenter & temerè, eo enim ipso quòd moveatur firmis rationibus, quibus probabilis innititur opinio, quásq; examinavit, & præmisso diligenti studio cognovit ut tales, & ex eo, quòd non sit improbabilis, nec temeraria, non dicitur citò credere, sed ex ratione fundata, consultò ac prudenter, & consequenter Scriptura illa hic non habet locum, sensus ergò illius Scripturæ est: Qui citò & facilè credit homini, aliquid de proximo suo narranti, & maximè eidem detrahenti, is levis est corde, & *minorabitur*, id est, patietur detrimentum famæ & existimationis suæ. Quod autem in isto, & non alio sensu sit Ecclesiasticus intelligendus, audi quid Apostolus dicat: *Charitas omnia credit, omnia sperat*, id est, sicut omnia sperat à DEO promissa, id est, bona æterna, non temporalia, quia scit, DEUM fallere non posse; sic etiam omnia credit DEO, id est, quæcunque DEUS revelavit, vel per se, vel per Ecclesiam suam, ea statim indubitanter omnia suscipit & credit, & tamen qui ex charitate citò credit, & sperat, non est levis corde, ergò nec qui post debitam diligentiam veritatis inveniendæ, opinatur, levis est corde. Respond. ad 3. neg. min. Quia aliud est, quod diligentissimè Job inquisivit, quia causam penitus ignorabat, ideò usus fuit superlativo, qui autem opinatur, non ignorat, sed scit, se prudenter operari & benè, si tamen ignoraret causam, etiam diligentiam adhibere deberet ad inveniendam causam, non talem quidem, quam ille sanctus vir & præfectus adhibuit in superlativo, sed in positivo, unde in eodem libro Baldad cap. 8. dicit: *Interroga generationem pristinam, & diligenter investiga Patrum memoriam*, ubi Jobo loquens jubet, eum tantùm diligenter investigare Patrum & Seniorum memoriam; & tamen quod diligentiam in positivo ponat, propter hoc non reprehenditur. Exemplum

emplum allatum non est ad propositum, quia si duo illi viri me instruere deberent, v. g. hìc Pragæ de via Viennam versùs, quam scio sitam ad Orientem, & unus diceret, me debere ire per Egram, quæ est versùs Aquilonem, & alter juberet ire per Znoymam, quæ etiam est versùs Orientem, statim colligerem primum dicere falsum, veritatem autem secundum, & consequenter non est paritas, vel aliqua similitudo de opinione probabili & probabiliori; Esset tamen exemplum ad rem, si ex duobus illis unus mihi diceret, via Viennam bona est per Znoymam, brevior, sine montibus iter planum & commodum; alter autem assereret, via Viennam est melior Fratri Minori per Novam domum, licèt sit longior, est propter Conventus commodior, licèt sit difficilior; si primam complectar, ibo viâ planâ per opinionem probabilem, si secundum per opinionem probabiliorem & difficiliorem, & sic est exemplum ad propositum, sed nihil contra opinonem probabilem, ut examinanti patebit.

IV. Consilium juvenum, de se non est malum, qui e aliis.

Respond. ad Quartum Perperam illam comparationem fieri de consilio juvenum, cum usu & electione opinionum probabilium, nec propter consilium juvenum, qua juvenum reprehenditur Roboam, quia juvenes ætate, senes quandoq; sunt, & cani sensibus, unde dicit David Psalm. 118. *Super senes intellexi, & super omnes docentes me intellexi*, sed reprehenditur Roboam, quia secutus fuit consilium impium & iniquum juvenum, quod manifestè tale esse colligitur ex contextu, nam in eodem capite sic habetur: *Et dixerunt ei juvenes, qui nutriti fuerant cum eo: sic loquèris populo huic, qui locuti sunt ad te, dicentes: Pater tuus aggravavit jugum nostrum, tu releva nos. Sic loquèris ad eos: Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei. Et nunc pater meus posuit super vos jugum grave, ego autem addam super jugum vestrum: Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus.* Quis autem non videt perversum & plenum crudelitatis hoc esse consilium? Senum verò fuit justum & rationabile propter sublevationem populi.

Opponuntur Tertiò Authoritates Scripturæ ex D. Paulo ad Galat. 4. *Opus autem suum unusquisq; probet*, opus autem probare est, illud examinare, & velut bonum approbare, quod non facit, qui sequitur opinionem probabilem. Deinde ad Ephes. 4. *Ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris*, nulli autem magis circumferuntur ventis doctrinarum, nisi qui probabilitates sectantur. Et cap. 5. *Videte itaq; fratres, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Ubi benè notanda est particula *cautè*, quam non videtur opinio probabilis curare, quia non cautè ambulat, qui cum periculo & formidine de oppositâ falsitate incedit. Denique in epist. 1. ad Thessalonic. cap. 5. sic exhortatur omnes: *Omnia autem probate: quod bonum est tenete, ab omni specie mala abstinete vos*, in quo loco Doctor Gentium monet: *quod bonum est* tenendum, non quid videtur bonum, ergò non probabile, sed à parte rei verum, unde pro majori energia subdit: *Ab omni specie mali*; quid autem magis habet speciem mali, quàm opinionem probabilem præferre probabiliori, ergò.

Respond. Nec hæc loca enervare argumenta pro usu & probabilitatum defensione, concedo enim omnia nostra opera examinanda, in dandis consiliis doctos debere incedere cautè, Prædicatores & Confessarios vitare speciem mali, non relaxare hominibus habenas, cum natura humana absque hoc ab adolescentia sua sit in malum prona, ex quo tamen non sequitur, quin aliquando in concursu probabilioris etiam probabilis opinio possit adhiberi, maximè si post diligens exa-

men sine affectu pravo cognoscat, quis opinionem verè esse probabilem: Unde ad primum locum dico, benè Paulum docere ibidem, non esse absolutè bonum semper sequi minus probabiles opiniones, quia per tales relaxaretur nimis vita mortalis. Porrò in secundo loco D. Paulus non loquitur de opinionibus probabilibus in genere prudentiæ, sed de falsis doctrinis falsisque dogmatibus, quæ obtrudebantur veræ fidei à Philosophis, ut illam destruerent, & hoc omninò est reprobandum, sicut etiam reprobo omnes opiniones, quæ ut probabiles circumferuntur, & tales non sunt; Mea opinio solùm in hoc consistit, licitum est quandoque in privatis prudentiæ operibus sequi opinionem probabilem, relicta probabiliori, dummodò illa fuerit verè probabilis cognita, id est, rationibus, argumentis & motivis efficacibus munita, non verò superficialibus, vanis, acutis & lusoriis, in verbis meris subsistentibus, has enim reprobo, & omninò rejicio. Ad quartum denique locum Div. Pauli pariter Respond. ibi non reprobari probabilitatum usum, sed adhortatur, ut in omni nostra actione simus circumspecti, & cauti, quantum scilicet sufficit ad evitandum peccatum, & si quid ultra prætendere videretur, hoc magis foret consilium, quàm præceptum. Nec D. Paulus per ly *quod bonum est*, intendit physicam & naturalem bonitatem, sed prout conscientia operantis bona fide repræsentat, alioquin nec probabilior esset amplectenda, quia nec ista evidenter attingit objectum, ut est à parte rei, & eidem potest subesse falsum; Deniq; per opinionem probabilem vitamus omnem mali speciem, quia sub specie boni illam conspicimus, & bona fide, quod bonum & rectum est, in quantum cognoscitur, proponit, ergò

V. Opinio plurium quando sit præponenda. Opponuntur Quartò plura loca Juris Canonici, ut *cap. in Canonicis d. 19.* ubi ex D. Augustino dicitur: *In illis scripturis, quæ non ab omnibus recipiuntur, præponendas eas esse, quas plures, gravioresq; recipiunt, his quas pauciores, minorisq; authoritatis Ecclesiæ admittunt*, ergò semper juxta majora & graviora motiva est judicandum, atqui probabilior sententia habet graviora motiva, ergò. Secundò: In Clement. Unica de Summa Trinit. determinatur esse eligendam magis probabilem, dicens: *Opinionem secundam tanquam probabiliorem, &c. duximus eligendam.* Tertiò: *Cap. Capellanus, de Feriis*, dicitur: *Sed posterior sententia meliori & subtiliori nititur ratione;* ergò utiq; & semper probabilior est eligenda. Respond. neg. conseq. Juribus enim istis oppono textus alios citatos in quæstione priori in conclusione prima. Et particulariter ad primum locum dico: Ibi nec mentionem esse de probabili vel probabiliori opinione, sed de libris Canonicis sacræ Scripturæ, quia forsan nondum erat determinatum, quinam pro talibus essent habendi, unde benè docetur illos præferendos, qui à pluribus & gravioribus, majorisq; authoritatis Ecclesiis recipiuntur, si tamen ad materiam præsentem velis applicare, dicam etiam tunc nobis non præjudicare, sed utriq; favere, quia opinio probabilior erit illa, quæ à pluribus & gravioribus authoribus recipitur, minus probabilis quæ à paucioribus, & minoris authoritatis admittitur, atqui sententia defendens probabilitatum usum à pluribus & gravioris authoritatis admittitur, ut petet ex supradictis, quàm sint Philaletus, Merenda, aut Mercorus, ergò. Deinde assero quoque, aliud esse opinionem probabiliorem esse præferendam minus probabili, sed aliud quoq; est, probabiliorem esse de necessitate sequendam, primum gratis concedo, secundum vero simpliciter nego.

Ad secundum locum Respond. in Clement. priorem opinionem haberi pro improbabili, cùm posterior à quampluribus habeatur pro fide, nec obstat, quod Papa posteriorem appellet probabiliorem, ac proinde

proindè videatur priorem tenere probabilem, quia in toto illo discursu nec vocat illam probabilem, & ideò duxit eligendam posteriorem, quasi excludendo priorem à probabilitate. Denique in *Cap. Capellanus*, &c. Papa non interrogatur super usu opinionum, sed quænam illarum sit probabilior, & respondet prædictam, vide supra citatam in priori quæst. nullam eorum reprobando, reprobatio enim non præsumitur, nisi expresse de eo constet, ut infra dicam.

Instatur: *Cap. Proposuit de Cleric. Excom. ministr.* dicitur, quòd probatio plenior absorbet, & confundit minus plenam directè oppositam, ut etiam tenet Glossa *V. Mentionem. cap. In nostra. de Procurat.* ac proindè testes numero plures prævalent paucioribus, similiter in discordia plus valet judicium plurimorum, & duæ rationes vincunt unam, una fortior superat debiliorem & minus fortem, ac consequenter probabilior excedit probabilem, ergò. Respond. neque ex his textibus, & rationibus aliquid concludi, quia totus discursus procedit de probationibus, non de opinionibus, in quibus proceditur per rationes, non verò per testimonia, præsumtiones aut conjecturas, ut faciunt Juristæ, opinio enim non pendet ab authoritate dicentis, vel credentis, sed ab efficacia rationis, per quam in esse probabilitatis primò constituitur, si postmodum authoritas accedat, auget eandem, sed ab extrinseco tantum, ergò.

VI. Papinianus quomodo præferendus.

Opponitur Quintò: Jus Civile in edicto Theodosii, quod sic sonat: *Ubi diversæ sententiæ proferuntur, potior numerus vincat Authorum, vel si numerus sit æqualis, ejus partis præcedat authoritas, in qua excellentis ingenii vir Papinianus emineat, qui ut singulos vincit, ita cedit duobus*, ergò si opinio probabilior ex principio extrinseco præferenda, à fortiori sequenda est illa, quæ ex utroque principio est probabilior. Hinc etiam praxis omnium Judiciorum, Regnorum, Imperiorum, Rerumq; publicarum jam obtinuit, atque hodie etiam obtinet, quòd omnes controversias definiant per suffragiorum pluralitatem, ita ut nunquam duo vel tres cujuscunq; ingenii vel authoritatis fuerint, prævaleant illos, qui numero sunt plurimi, ergò id multò magis practicandum est in causa salutis animæ, ita quòd pudere deberet Theologos, quòd ad duorum, vel trium hominum sentimina tantæ molis negotium decidant. Confirmatur *ex Instit. de Emptio*: ubi definitur: *Sed Proculi sententia dicentis, Permutationem esse propriam speciem contractûs, meritò prævaluit*, quæ sententia *in ff. de contract. Empt.* etiam dicitur *verior*, ergò in contrarietate opinionum prævalere debet probabilior & verior sententia. Respond. neg. conseq. Quia prima authoritas solummodò procedit in casu, ubi in suffragiis dandis ex sola assertione votantis sine ratione & argumento fertur sententia, adeoq; non est multùm ad propositum nostrum, qui loquimur de opinione fundata in ratione, sine qua non potest opinio esse probabilis, adeò quòd authoritas carens ratione, non faciat aliquid ad opinionem. Deinde edictum hoc non invenitur in Corpore Juris, & posito quòd ibi esset, Jus Civile non est regula actionum humanarum quoad animam. Denique si verum est in materia conscientiæ valere pluralitatem votorum, ergò sententia nostra est amplectenda, quæ in hac controversia sine comparatione habet majora & plura vota, tot scilicet, quot Authores probabilitatum usum defendunt. Ad Confirmationem dico, antiquitus fuisse utramq; opinionem probabilem, scilicet emptionem esse permutationem, & emptionem esse particularem speciem contractûs, postmodù autem indagatione perfectiore facta deprehensum esse distinctas species, adeoq; cessavit prioris probabilitas, nec exindè contra nos aliquid inferri potest, qui versamur in materia conscientiæ & animæ

VII. Scire qui conatur, à peccato excusatur.

Opponitur Sextò Authoritas S. Augustini, quem sparsim per omnes suos tractatus adducunt Probabilioristæ, ego ejus sententias hic simul colligam, Primò Enarrat. in Psal. 35. ubi dicit: *Aliud enim est, quando quis conatur aliquid intelligere, & per infirmitatem carnis non potest, aliud autem, quando perniciosius agit adversus seipsum cor humanum, ut quod possit intelligere, si bona voluntas accederet, non intelligat*; ubi S. Doctor distinguit inter simplices, & doctos tales sese venditantes, primi, id est, indocti excusantur, quod opiniones & doctrinas existimantes sequantur per infirmitatem carnis, inculpantur verò docti per defectum bonæ voluntatis, qui nolunt indagare veritatem per media talia, quibus moraliter uti possent. Secundò, in Psal. 39. ait: *Voluntas DEI nostra regula est, illa autem integra manet, regula enim est incommutabilis*, si ergò voluntas DEI est regula incommutabilis, uti est, ergò quidquid mutabiliter agitur, non conformatur regulæ æternæ DEI, atqui probabilitas mutabiliter tàm ad verum, quàm ad falsum se habet, ergò, unde benè. Pro Tertiò: In Psalm. 110. Probabilistas sic alloquitur: *In regula non vos agnosco, novi enim regulam justitiæ meæ, non illi congruitis, declinatis ab ea, distorti estis*, non alia ratione, nisi quia regula æterna est incommutabiliter vera, probabilitas autem indifferens, tam ad verum & falsum, semper habens annexam formidinem, nè oppositum sit falsum, ergò. Denique lib. de utilitat. credendi cap. 3. dicit: *Rectè factum nullo modo esse potest, quod à recta ratione non proficiscitur, porrò recta ratio est ipsa virtus, cui autem hominum virtus nisi sapientia animo præsto est? Solus igitur sapiens non peccat*, quod autem rectæ rationi, & incomutabili veritati absolutè non convenit, non potest spectare ad virtutem sapientiæ & prudentiæ, ergò nec probabilitas, &c.

Respond. Admissis Authoritatibus illis negando omnes ex eis deductas illationes; nam si legitimè perpendantur singulæ, non plus impugnant Probabilistas, quàm Probabilioristas, nam quoad distantiam ab incommutabili veritate, omninò æquales sunt, nulla enim absolutam, veram, & physicam rei veritatem attingit, nam differunt solùm secundùm magis & minus. Quantum ad formidinem de falsitate, quæ subesse potest, sunt quoq; pares, formido enim opinionis, non opinantis, seu formido ex objecto, non ex subjecto, est quædam opinionis proprietas necessariò eam sequens. In probabilitate pariter conveniunt, nam principia intrinseca, & motiva, quibus innituntur, solam habent certitudinem moralem, eamq; nunquam excedunt, ergò tantum contra ipsos adversarios, quantum contra nos valent textus illi allegati, si quid probant. Veruntamen Resp. Specialiter ad singulos, & ad primum dico, S. Augustinum ibi agere de ignorantia crassa, affectata, & malitiosa, unde & ibidem statim subdit: *Non quia difficile est, sed quia voluntas adversa est. Hoc autem fit, dum amant peccata sua, & oderunt præcepta DEI. Sermo enim DEI adversarius tuus est, si tu amicus sis iniquitatis tuæ.* Et paulò post: *Sunt enim homines, qui quasi conantur quærere iniquitatem suam, & timent illam invenire, quia si illam invenerint, dicitur illis: Recedite ab illa. Hæc fecisti, antequam scires, iniquitatem fecisti cùm esses in ignorantia. Dat DEUS veniam, modo cognovisti eam, dimitte illam, ut facile possit ignorantiæ tuæ venia dari: ut libera fronte dicat DEO: Delicta juventutis meæ, & ignorantiæ meæ ne memineris. Hæc illam quærit, hac timet, nè inveniat illam: dolosè enim quærit. Non sciebam, quia peccatum est, quando dicit homo? Cum viderit, quia peccatum est, & destiterit facere ipsum peccatum: quod ideò faciebat, quia ignorabat. Verè sic voluit nosse iniquitatem, ut inveniret & odisset. Nunc autem multi dolosè agunt, ut inveniant iniquitatem suam, id est, non ex animo agunt invenire & odisse, sed quia in ipsa*

VIII. Stultus debet sequi consilium sapientum.

ipsa inquisitione dolus est, in inventione defensio iniquitatis erit.

Dices: Sed Probabilistæ nolunt uti omnibus mediis pro invenienda veritate, quibus moraliter uti potuissent, & ex eis colligere, doctrinam probabilitatũ, secundùm quam consilium dare debent, tam graves pati difficultates, ergò habent ignorantiam culpabilem. Respond. neg. conseq. Quia ad evitandam ignorantiam culpabilem sufficit adhibere omnem diligentiam, quam homo debet, & qualis sufficit ad evitandum peccatum, & peccati periculum, non verò quam moraliter potest, quia hoc esset nimis durum. Quando tamen occurrit casus, & necessitas dandi consilium, sum hujus opinionis, vel non licere, vel non expedire, dare illud idiotis juxta probabilem relicta probabiliori, vel saltem teneri quoq; probabiliorem illis aperire, quibus consulunt, maximè cùm contrarias difficultates non sufficienter solvunt, nam ut infra dicam, ut quis probabilitate utatur, & secundùm illam operetur, debet ipse utens judicare, eam esse talem judicio determinativo & practico, & intellectum quasi convincere suum, & hoc bona fide, sine ullo pravo affectu, quòd si non faciunt juxta probabilem non consulunt, sed juxta improbabilem, & temerariam, quia probabilitas adversas difficultates solvere debet, ut operans sine dubio saltem practico operari possit.

Instabis: Ut quis benè operetur, aut benè consulat alteri ad operandum rectè, non solum practicum dubium, sed etiam speculativum debet excludere, quia inaniter est ista distinctio excogitata, ergò. Respond. neg. antec. cum sua ratione, quia ista distinctio est receptissima in omni schola, contingere enim potest, quod operans nulli ex duabus propositionibus contrariis speculativè adhæreat, ut veræ, quia forte non potest illam assequi mediis evidentibus & certis, ac proindè judicium suspendit, & dubius manet speculativè de veritate, quo dubio non obstante; potest postmodùm ratione ab extrinseco ascita, vel ratione suæ libertatis, vel aliundè determinare se practicè ad adhærendum uni magis, quàm alteri parti, ad dubium enim practicum expellendum sufficiunt rationes probabiles morales, ad speculativum autem requiruntur rationes necessariæ & demonstrativæ.

Respond. ad secundum locum S. Augustini, in principali oppositione allatum, illum æqua lance militare contra Probabilioristas, nam innumeræ opiniones, quæ olim erant probabiliores, nunc factæ sunt minus probabiles, ut patet de Immaculatæ Conceptionis mysterio, & aliquæ planè à Sede Apostolica reprobatæ, unde licèt divina lex sit incommutabilis in se, potest tamen aliqua ratione mutari in modo proponendi illam, uti factum est cum lege Mosaica, & aliquando etiam fit ex debilitate intellectûs nostri, qui pro hoc statu nequit omnem veritatem debitè & clarè attingere, unde cùm ipse sit regula proxima actionum nostrarum, sufficit, quòd ille bona fide & absque pravo affectu proponat, quantum potest. Per hoc idem patet, quid dicendum sit ad tertium & quartum, aut dicito, omnia illa pertinere ad virtutem prudentiæ, quæ rectæ rationi vel speculativè, vel practicè, vel physicè aut moraliter conveniunt, dictamina autem opinativa licèt aliquando speculativè & physicè non conveniant rectæ rationi secundùm veritatem naturalem, conveniunt tamen practicè, & secundùm veritatem moralem.

IX. Opinio quæ non sit sine vitio.

Opponitur Septimò alia Authoritas D. Augustini, lib. de mendacio ad Crescentium cap. 11. ubi relatis tribus operationibus intellectûs *intelligere, credere*, & *opinari*, ait, *tertium nunquam sine vitio est*, ut etiam citat Philaletus, imò pro adversariis ex eodem Augustino ibidem subjungo, opinionem planè appellare errorem, & ab errore originem trahere, ait enim: *Quod intelligimus igitur,*

tur, debemus rationi: quod credimus, authoritati: quod opinamur, errori. Sed intelligens omnis etiam credit: credit omnis & qui opinatur: non omnis, qui credit, intelligit: nullus, qui opinatur, intelligit. Respond. nego conseq. Quia S. Augustinus non loquitur de opinionibus in eo sensu, quo defacto à Theologis accipitur, sed de opinione scientiam prætendente, vel scientiæ comparante, existimando certum esse, quod est incertum, atque sæpè falsum, & ideò opinio cum existimatione scientiæ nunquam sine vitio esse dicit, unde ipsemet post paululum causam addit, quare non sit sine vitio dicens: *Opinari autem duas ob res turpissimum est: quod ediscere non potest, qui sibi jam se scire persuasit, si modò disci illud potest: & per seipsa temeritas non benè affecti animi signum est.* Imò inferius magis judicat opinandum, ut nos accipimus defacto, quia suadet sapientibus esse credendum, in iis, quæ nescit, atqui sapientibus credere est opinionem ab extrinseco probabilem sequi, ergò, ita enim ait: *Nam qui dicunt, nihil esse credendum, nisi quod scimus, id unum cavent nomen opinationis, quod fatendum est turpe ac miserrimum: sed si quis diligenter consideret plurimum interesse, utrum se scire quis putet, an quod nescire se intelligit, credat aliqua authoritate commotus: profectò erroris & inhumanitatis atque superbiæ crimen vitabit.* Et tandem concludit: *Quæ cum ita sint, quis mediocriter intelligens, non planè viderit stultis utilius atque salubrius esse præceptis obtemperare sapientium, quàm suo judicio vitam degere? Nam omne factum, si rectè factum non est, peccatum est. Nec rectè factum ullo modo esse potest, quod non à rectâ ratione proficiscitur. Porrò recta ratio est ipsa virtus. Cui autem hominum virtus, nisi sapientis animo præsto est? Solus igitur sapiens non peccat. Stultus ergò omnis peccat, nisi in iis factis, in quibus sapienti obtemperaverit, à recta enim ratione talia facta proficiscuntur, nec, ut ita dicam, dominus sui facti stultus existimandus est, cùm est tanquam instrumentum ministeriumq; sapientis.*

Opponitur Octavò ultima, eaq; secundùm Adversarios urgentissima Authoritas D. Augustini lib. 3. contra Cresconium, cap. 73. docentem, comparativum semper præsupponere positivum, si ergò probabilius quid est, ergò alterum probabile, quem sic alloquitur: *Tu verò callidus examinator, appensorq; verborum, doces nos quid valeat comparativus gradus, & tanquam victor exultas, quòd non possem dicere, traditionem probabilius nos vobis objicimus, nisi vos nobis eam probabiliter objicere confiterer.* Si enim vos, *inquis*, probabilius, nos ergò probabiliter. *Et hoc doces*, quia sic est probabiliter & probabilius, ut si dicas, verè & verius: & quia gradus iste quod ante positum est auget, non quod ante dictum est improbat. *Adjungis alia verba, quibus hoc evidentius intelligamus: ac dicis, sic est benè & melius, malè & pejus, horribiliter & horribilius, sic esse ostendens probabiliter & probabilius. Unde colligi putas, quia si ego probabilius, quod falsum est, objicio, superest, ut vos probabiliter quod verum est objecisse confirmes. Hic ego nunquid dico, quod in quæstione vel disputatione ecclesiastica nos artificiali grammatica docere conaris, quid valeat comparativus gradus, quia id quod ante positum est, auget, non quod ante dictum est improbat? Video enim quàm hoc ineptè tibi objiciam, quod tu videre noluisti, quando mihi antecategoriam velut ex arte Rhetorica objiciendam putasti, quod genus quæstionis ubi dicitur, non ego feci, sed tu fecisti, etiam in authoritate Prophetica demonstravi.* Quam objectionem sibi factam S. Doctor solvit duplici via, primò ex Scriptura, cap. 74. dicens: *Considera tamen diligentius, nè fortè invenias in latinæ locutionis authoribus, quibus grammaticorum artificialia serviunt, non semper istum gradum, quod ante gradum positum est augere, sed aliquando contrario superferri. Cujus locutionis exemplum, interim mihi ex Apostoli Epistola*

Epistola occurrit, quam scripsit ad Hebræos, cùm enim loqueretur de benedictione terræ, quæ acceptâ pluviâ fructum reddit, deindè subjecit, Proferens autem spinas & tribulos, reproba & maledictioni proxima est, cujus finis in ustionem. Quod ne illis, quibus loquebatur optasse videretur. Confidimus autem, inquit, de verbis fratres charissimi, meliora & hærentia saluti. Attendis certè, quomodo hic dixerit, meliora: non quia bona erant, quæ supra dixerat, proferre spinas & tribulos, & ustionem mereri; sed magis, quia mala erant, ut illis devitatis meliora eligerent & optarent, hoc est, bona tantis malis contraria.

Secundò hoc idem refutat per Authoritatem Grammaticam ex Virgil. lib.3. Georg. desumptam cap.75. *Quanquam nec secundùm Grammaticos in verbo me errasse reprehenderes, si saltem verborum ipsorum authores vel attendere, vel memoriter recolere voluisses. Pueriles enim habent literæ, sed non à puero imperito dictum:*

Dii meliora piis, erroremq́ hostibus illum:
Discissos nudis laniabant dentibus artus.

Quomodo ergò meliora piis, quasi bona essent istis, ac non potius magna mala, qui discissos nudis laniabant dentibus artus? Jam vides certè, quia sicut iste piis potuit optare meliora, quamvis illa, in quorum comparatione optabat, non essent bona: sic & ego potui dicere, traditionem probabilius vobis objicimus, quamvis eam vos nobis non probabiliter objiceretis, ergò probabilius idem est quod probabile. Respond. Quanquam D. Augustinus agendo contra Cresconium impugnaverit ejꝰ falsam illationem, ex eo, quod Augustinus dixerat, se probabilius suas traditiones demonstrare, ergò, intulit Cresconius, nos demonstramus nostras probabiliter, consequenter & veras habemus, sicuti vos, quamvis habeatis illas paulò verius, nihilominus S. Doctor nec docet probabile, & probabilius sumi pro eodem, nec negat, ubi aliquando probabilius quid est, ibi quoque non esse, vel non præsupponi etiam probabile, nam postquam retulisset varias opiniones, ait: *In hac diversitate sententiarum, &c.* supra de baptizandis parvulisve, sed in diversitate sentent. una est probabilior alterâ. Imò D. Augustinus assumit eandem regulam pro se ad confutandum Cresconium dicens: *Sed ut omittam, quia & probabile quando dicitur, non consequenter est verum; cum ea dicuntur, quæ fieri possunt ac solent, & ideò probantur, hoc est, approbantur & creduntur, etiamsi facta non sint: quod autem verum est, cùm ostenditur, necessariò probabile est, & illo utiq; probabilius.* Deindè secundùm aliam regulam S. Augustini in communi disputatione non attendendꝰ est tàm rigor Grammaticus verborum, quàm consuetudo & usus populorum, prout verba accipere consueverunt, & intelligere sunt assueti. Deniq; si probabile idem est quod probabilius, infero ergò ego, sed probabiliorem opinionem sequi possumus, ergò & probabilem, quia idem est.

Tandem Augustinus ipsemet usus est termino probabili, & probabilitate ad confutandos Hæreticos, nam lib.2. contra Academicos cap.3. alloquens Romanianum, dicit: *Itaque jam cum Alpio, te Fautore, confligam, & tibi facilè persuadebo quod volo, probabiliter tamen*, ergò Div. Augustinus absolutè non improbat terminum probabiliter, sed illomet utitur, & re ipsa, ut jam supra annotatum est. Ultimò dico, Augustinum si quando probabile impugnat, non reprehendere illud in sensu Christianorum, sed in, & secundùm errorem Academicorum, qui nullum verum agnoscebant, & probabile dicebant, quod uniuscujusq; imaginationi incidebat, putantes hoc sufficere ad prudenter agendum.

Adducunt Adversarii plures alias Authoritates ex eodem S. Doctore, sed in veritate rei nihil probabilitatum usum in nostra acceptione impugnat,

pugnat, nam semper loquitur de opinione, quâ quis putat se scire, quæ quamvis in hoc vitium habet, quod à temeritate procedat, eam tamen excusat à mendacio, & peccato, ita enim docet lib. de mendacio ad Crescentium cap. 2. *Quisquis autem hoc enunciat, quod vel creditum animo, vel opinatum tenet, etiamsi falsum sit, non mentitur. Hoc enim debet enunciationi suæ fidei, ut illud per eam proferat, quod animo tenet, & sic habet, ut profert.*

I. Bernardus S. non tollit probabilitate.

Opponitur Nonò: Pro Patre Mercoro, authoritas S. Bernardi, quem citat super regulam S. Benedicti, verùm ego deprehendo illum locum in tractat. de præcepto & dispensat. ille allegat cap. 38. ego invenio in 14. ubi ait: *Ego verò, ut interior oculus verè simplex sit, duo illi esse arbitror necessaria, charitatem in intentione; & in electione veritatem. Nam si bonum quidem diligat, sed verum non eligat: habet quidem zelum DEI, sed non secundùm scientiam: & nescio, quemadmodum judicio veritatis vera esse possit cum falsitate simplicitas:* ubi S. Bernardus ad rectitudinem conscientiæ requirit electionem veritatis, sed eligens opinionem probabilem relicta probabiliori, non eligit veritatem, quia talis doctrina est magis dubia, quàm vera. Confirmatur ex eodem S. nam ibidem subdit: *Patet ergò laudabilem illam, & à Domino laudatam simplicitatem absque his duobus non esse bonis, benevolentia atque prudentia, ut oculus videlicet cordis non solùm pius, qui fallere nolit, sed & cautus sit, qui falli non possit:* ubi Mellifluus docet, oculum operantis debere esse cautum, ut falli non possit, sed qui eligit minus probabilem, falli potest, quia talis opinio non minus potest esse falsa, quàm vera.

Respond. neg. conseq. Quia S. Bernardus in illo capite tractat quæstiunculam: Cur conscientia errans non æquè convertat malum in bonum, uti bonum in malum? cum utrumque fiat ex fide, seu ex conscientia, & tantùm videtur posse operari oculum simplicem quoad bonum, quàm oculum nequam quoad malum, & resolvit, utrumq; esse peccatum, dicens: *Utrumq; proindè complectitur præsens capitulum, omne quod non est ex fide, peccatum est, &c. & cæcam videlicet malitiam, & deceptam innocentiam, quia quod à nesciente fit, & bonum prorsus condemnat intentio prava, & malum non penitus excusat recta. Sive itaq; malum putes bonum, quod fortè agis, sive bonum malum, quod operaris, utrumque peccatum est, quia neutrum ex fide, licèt sanè levius admodum peccetur, ubi sana intentione sola reprehensibilis actio foris apparet, quam ubi maligna latet etiam in mala actione intentio.* Sed dic, quæso, quid faciunt ista ad opinionem probabilem, ubi recta intentio simplex oculus ad rectam operationem inclinat, dirigit, & efficit: Nam illa, quæ ex authoritate subsumuntur, jam sæpè sunt refutata, nempe quod probabilitas non habeat suam veritatem, aut quod relinquat hominem dubium, undè cùm dicit, oculum simplicem duo facere, nempè benevolentiam & prudentiam, utramq; autem habet opinio probabilis, nam per *benevolentiam* neminem fallit; per veritatem verò non fallitur, quare per opinionem probabilem in mea limitatione, cautè quilibet ambulat, licèt ille, qui sequitur probabiliorem, ambulat cautius, satis autem est esse cautum, consequenter nihil contra nos. Imò im præcitato tractatu S. Bernardus multa docet in favorem subditorum, quibus superiores non possunt præcipere ea, quæ sunt præter, aut supra regulam. Cap. namque 5. post discussionem longam, à Prælatis legem obedientiæ non esse extendendam, hanc facit Conclusionem: Ergò *Prælati jussio vel probibitio non prætereat terminos professionis. Nec ultra extendi potest: nec contrahi citra. Nil me Prælatus probibeat horum, quæ promisi, nec plus exigat, quàm promisi. Vota mea nec augeat sine mea voluntate: nec sine certa necessitate.* In quo loco satis favet Mellifluus opinioni probabili,

probabili, non volens obligare subditos ad sectandum illud quod perfectius est, quod melius, quodque probabilius, sed ad bonum, perfectum, & probabile, indubitatum enim est, obedire superiori illimitatè, etiam in iis, quæ supra vel præter regulam sunt perfectius esse, quàm limitatè intra regulam, in priori enim etiam materiale peccandi periculum abest, in posteriori fortè posset timeri aliquod remotum periculum, sed de hoc instituam inferius sermonem, ubi acturus sum, quomodo subditi habeant se in opinionibus conformare voluntati superiorum in obediendo perfectissimo modo.

Omitto hic etiam plures opponere Patrum Authoritates, quia si benè perpendantur, aliud non intendunt, quàm nos debere esse cautos, in via DEI sollicitos, quia quilibet actus licèt ex objecto & intentione bonus, facilè ex circumstantia vitiari potest; quòd autem debeamus sequi viam veritatis, aut viam justorum, totum quoque verum est, sed semper negatur viam probabilitatis non esse viam veritatis, aut viam justorum, licèt non sit perfectorum.

XI. Opinari non est in nobis, sicut imaginari. Opponitur Decimò Authoritas Aristotelis, in quo se quàm maximè fundant Mercorus, Philaletus, Fagnanus & reliqui Adversarii, nam 2. de Anima, textu 152. dicit: *Intelligere in quo est rectè quidem prudentia, & scientia, & opinio vera, non rectè autem contraria horum.* Rectè autem intelligere est sequi opiniones veras, qui autem sequitur probabiles, ut plurimum sequitur falsas, nam ratione naturali discernimus, quid sit bonum, quid sit malum, quia signatum est super nos lumen vultûs DEI, & hoc lumen est lex naturæ, quæ est impressio divini luminis in creatura rationali. Deinde text. 153. dicit: *Non est eadem phantasia, & opinio, imaginari namq; possumus, cùm libet, & fingere quidquid volumus, opinari autem non est in nobis, necesse enim est, aut verum, aut falsum dicere,* ergò si intellectus non habet libertatem opinandi, nec habebit minus probabilem opinandi, sed cogetur plura & fortiora motiva sequi, nam sicut statera inclinat in eam partem, in qua gravius est pondus, ita intellectus, dum æqua lance librat utriusque opinionis rationes, violenter trahitur ad partem illam, in qua præponderant graviora motiva.

Respond. neg. conseq. Quia Aristoteles benè loquitur, verum enim est, quòd sic intellectus ducatur à prudentia, à scientia, à vera opinione, quod non aberret à veritate, si tamen contrariis afficiatur, decipitur, ut explicant illum Conimb. V. *Non igitur idem.* Certum autem est, quod opinio probabilis habeat in se veritatem, eo ipsô, quòd est probabilis, vel si non habet, probabilis non erit, unaquæq; enim habet suam veritatem, sicut habet probabilitatem, & sicut veritas non est indifferens ad rectum & obliquum, ita nec probabilitas, sed semper determinatur ad rectum, & quæ non sic determinatur, illa est improbabilis, & falsa opinio. Ad rationem, quæ primæ authoritati subjungitur, dico, quòd lumen naturæ, quod est lex naturæ, nos inclinat ad cognitionem boni & mali, ut illud amplectamur, & hoc fugiamus, non tamen abstergit à nobis ignorantiam, cum qua nascimur, sed indigemus labore, quo etiam cum diligentia adhibito vix unquam in moralibus transimus ab opinione ad scientiam, lumen ergò naturale inclinat nos quidem ad cognitionem veri, sed non semper manifestat nobis claram & evidentem veritatem.

Respond. ad Secundum: Qui est potissimus Achilles, quo omnes arietant probabilitatum usum, & dico, nec istum textum 153. absolutè in nobis negare opinionem, sed solùm distinguere imaginationem ab opinione, quia nobis est liberum imaginari quod volumus, dicit enim Aristoteles ibidem, ut citant eum Conimbric. *Ante oculos ponere, perinde ac ii faciunt, qui artificiosæ memoriæ*

moriæ comparatis, atque dispositis locis, imagines fingunt, ac simulacra collocant, At opinari in nobis non est situm, scilicet sic opinari, ut nobis imaginemur; In imaginatione enim non est assensus, sicut in opinione, & ideò debemus opinari eo modo, quo nos movet ratio tribuens opinioni probabilitatem veram, quâ inclinamur ad assensum verum, necesse ergò est, quòd intellectus opinando dicat verum, vel falsum, juxta illud, quòd ratio movet illum ad assensum, unde ex authoritate illa Aristotelis nihil probatur contra opinionem probabilem, Imò ex eâ sequeretur, quòd nec intellectui liberum esset opinari probabilius, quod est contra Adversarios, cùm & hoc sit opinari simpliciter. Ad rationem & comparationem hic allegatam dico à materialibus ad spiritualia non valere argumentum, cùm ex diversis rebus non fiat debita illatio, ut etiam jura docent. Deinde sicut si unus in statera addat pondus, mutabit judicium in libra mutata, sic addita ratione & authoritate mutatur opinio. Deniq; dici potest, intellectum non esse liberum ad opinandum, quia debet præstare assensum juxta exigentiam rationum propositarum, attamen regina potentiarum voluntas potest ei imperare, ut eliciat assensum opinionis minus etiam probabilis, eo ipso quòd sit probabilis, & vera veritate morali, quod non contingit in libra, quæ naturaliter inclinatur ad hanc vel illam partem, qui tamen eam regit, potest ita disponere, ut nunc ad dextram, nunc præponderet ad sinistram.

Instatur: Cicero dicit lib. de Senect. *Magnæ felicitatis est veras opiniones in senectute saltem assequi*, sed veras assequi non possumus per evidentiam, ergò debemus conari, ut saltem magis probabiliter veras assequamur, & non minus probabilibus inhærere. Respond. neg. conseq. nam Cicero gentilis fuit, adeoq; non habuit hæc fundamenta, & principia ad veras opiniones cognoscendas, sicut nos habemus supposita fide, unde nos cognoscendo probabiles etiam cognoscimus veras, non per demonstrativam evidentiam, sed per moralem certitudinem, nam qua ratione adversarii cognoscunt magis probabiles, nos cognoscimus probabiles, quæ suam quoq; habent veritatem & proportionatam certitudinem, nam veritas, ut sæpè dictum est, non desumitur à comparativo, sed à positivo, nam comparativum supponit suum positivum in esse, ad quod illud sequitur, & quod auget, juxta doctrinam Aristotelis *in Præd. qual. & 2. Topic. loco.* 41. ubi etiam docent Juristæ, Jason *in l. Stipulationum quædam ff. de verb. signif.* Farinac. & alii, adeóque opinio probabilis in gradu positivo suam habet honestatem, & licitum usum, antequam adveniat gradus comparativus, qui sicut non destruit positivum, sic nec tollit probabilitatem, sed tantùm auget. XII. Veritas consistit in positivo

Deinde probabilitas à principio quando constituit propositionem probabilem, vel est otiosa, vel operativa, non otiosa, nec inutilis, ergò operativa, consequenter statim operatur, & producit suum effectum, antequam augeatur vel minuatur. Hæc doctrina tota confirmari excellenter potest per D. Augustinum, qui lib. 3. de Trinit. cap. 2. & tract. 74. in Joann. ubi docet, quod prius cuilibet rei sit esse in natura, quàm ut hoc sit vel illo modo, aut quod augeatur, vel minuatur, in ultimo enim loco sic ait: *Proinde non solùm non habenti, verum etiam habenti non in cassum promittitur: non habenti quidem, ut habeatur: habenti autem, ut amplius habeatur. Nam nisi ab alio minus, ab alio amplius haberetur, sanctus Heliseus sancto Heliæ non diceret, Spiritus qui est in te, duplex sit in me.* Et paulò pòst subdit: *Erit in eis, ut maneat, non manebit ut sit: priùs est enim esse alicubi, quàm manere.*

Urgetur: Aristoteles docet 6. Ethic. cap. 3. Opinionem probabilem esse indifferentem ad verum & falsum,

falsum, sed innumeræ sunt controversiæ morales, quibus tribui non potest dispositio ad verum, ita ut non tantùm contingat aliquando esse falsas, sed etiam quandoque convincantur de falsitate, ergò nec in positivo, secundùm Aristotelem, opinio habet veritatem. Respond. disting. maj. ex authoritate Aristotelis opinio est indifferens ad verum & falsum, in ratione objectiva ipsius rei physica & naturali, concedo maj. est indifferens in ratione morali per rationes proportionatas intellectui nostro, secundùm apparentiam demonstratas, nego. In primo sensu locutus est Aristoteles, quia invincibiliter ignoramus, quale sit objectum, & res in se ex ratione suæ contingentiæ, In esse autem morali benè attingit intellectus objectum illud per cognitionem sibi proportionatam, secundùm quam prudenter per sua motiva à nobis apprehenditur, adeoque tunc respicit veritatem, ita tamen ut mutari possit adveniente aliqua ratione fortiori, aut etiam tolli per inhibitionem, ut benè docet Illustrissimus Caramuel in sua Theologia fundamentali.

XIII. Scotus 2 I. citatur cōtra probabilitatum usum.

Opponitur Undecimò Authoritas Doctoris subtilis pluribus in locis, ita quòd Bordonus ex Merenda adducat 28. loca & textus, qui tamen omnes, si benè perpendantur, vix à longè probant, aut improbant probabilitatum usum, itaq; in fine quæstionis 2. prologi, dicit Scotus: *Multa in actibus humanis sunt dubia, utrum peccata sint mortalia, etiam suppositis omnibus doctrinis Doctorum & Expositorum, tamen non est dubia via salutis, quia à talibus tanquam periculosis debet homo sibi cavere, & se custodire, ne, dum exponit se periculo, incidat in peccatum, quòd si noluerit quærere salutem, sed non curando exponit se periculo, ubi fortè actus de genere suo, non est peccatum mortale, tamen peccabit mortaliter sese periculo exponendo.* Ubi ait Merenda, hoc argumento semper fuisse usos Doctores impugnantes probabilitatem, nam in controversia, an actus sit licitus, nec ne, adhærere propositioni affirmanti, semper est periculosum. Secundò affert locum ex 4. d. 11. q. 9. his verbis: *Hic breviter potest dici, farinam tritici purgatam, secundùm communem purgationem esse materiam convenientem ad faciendum panem consecrabilem, & dubium sit, an amydum sit hujusmodi materia, & pars negativa multis sit probabilior, non sine peccato quis exponit se tali dubio, maximè ille, qui præparat hostias consecrabiles*: ubi Scotus manifestè dicit, ex duabus propositionibus probabiliorem esse eligendam, nam quòd amydum non sit talis materia, *multis* videtur probabilior, non tamen *omnibus*, vel *plerisque*, quod propterea inducit periculum peccandi, licèt opinio contraria sit probabilis, nisi enim opposita quoque esset probabilis, non diceret *multis*, sed *omnibus*. ergò. Tertium locum assumit ex tertio sentent. d. 36. q. un. lit. G. ubi sic habet: *Malitia potest dici, quod excæcat intellectum dupliciter: uno modo privativè, alio modo positivè: Privativè, qui avertit à consideratione recta: Voluntas enim eligens oppositum alicujus rectè dictati, non permittit intellectum diu stare in illo recto dictamine, sed avertit ipsum ab illo, & convertit ad considerandum rationes pro opposito, si quæ possint esse sophisticæ, vel probabiles; saltem avertit ad considerandum aliud impertinens, ne stet illa actualis displicentia, quæ stat in remorsu illo, qui habetur in eligendo oppositum dictati.* His postremis verbis ait, Scotum expressisse diversitatem recti dictaminis manifestam habentis rectitudinem, & dictaminis etiam habentis illam non adeò manifestam, ut non possit probabiliter impugnari: Cùm verò adversarii admittant velut probabilem omnem doctrinam adhærentem rationi probabili, utiq; fateri debent, Scotum comprehendere eos, qui avertunt intellectum à consideratione graviorum rationum pugnantium pro malitia actûs, ut insistant speculationi rationum probabilium

babilium pugnantium pro bonitate actûs, quod continere peccatum apertè docet, ita Merenda. Sed

Respond. Primò generaliter ad omnes tres authoritates simul: Has non improbare probabilitatum usum, benè tamen abusum, quasi verò liceret uti opinionibus in omni materia, & quocunq; casu, ut complures Recentiores nimis licentiosè docuerunt, verumtamen ostendant adversarii, ubi Scotus unquam impugnaverit opinionem illam probabilem, quæ quando adhibetur tanquam opportunum remedium ad tollendos scrupulos pusillorum, in hoc enim sensu nec Scoti authoritatem, nec alicujus Patris adducere poterunt, nec ipsi intendere rationabiliter valent. Nunc specialiter

XIV. Via salutis nõ est nobis dubia.

Respond. ad primum locum: Merendam non benè citare Scotum, nam in loco allegato combinat ipse tàm objectionem, quàm responsionem, sic autem genuinè habet Scotus: *Et si objicias, multa in actibus humanis sunt dubia, utrum sint peccata mortalia, etiam suppositis omnibus doctrinis doctorum & expositorum: Respondeo, non est dubia via salutis simpliciter, quia à talibus, tanquam à periculosis, debet homo sibi cavere*, & cœtera ut supra, unde tamen non sequitur impugnatio probabilitatum usus, imò magis astruit illum, nam intentio & finis authoris attendi debet, nam Scotus, ibi docet multas veritates in Scriptura explicitè non contineri, adeoq; non esse inutilem laborem Doctorum & expositorum, quos proindè operans consulere debet, quando plures occurrunt rationes pro affirmativa, si autem negativam semper tenere mur amplecti dicentem non esse actum aliquem licitum, non esset opus consulere Doctores, hoc enim negativum quilibet facilè cognoscit, & hoc etiam maximè removet omne periculum peccandi tàm formaliter, quàm materialiter. Deindè Scotus manifestè & apertè ibi docet, viam salutis nobis non esse dubiam, licèt multa sint dubia in actibus humanis, an sint peccata vel non? quo non obstante via salutis non est dubia, quia stante dubio non est ulli operandum, nam hoc etiam modo cavetur omne peccatum, quamvis res alioquin non esset peccatum, tamen propter dubium fieri potest peccatum, adeóq; qui vult operari, dubium deponere debet, & tunc transit dubium in opinionem, quam quilibet sequi potest, si est verè & realiter probabilis, & post sufficiens examen cognoverit ut talem.

Respond. ad secundum: Etiam in hoc loco Merendam textum Scoti alterâsse, nam ponit: *Pars negativa sit multis probabilior*, cùm tamen non sic sit, sed *multùm probabilior*, ut quilibet in fonte quærendo videre potest, mihi fol. 177. & ideò oppositam planè videtur excludere à probabilitate, unde contrariam accepit pro non opinione, seu pro opinione improbabili, sicut etiam sumitur in Clementina unica, ubi inter duas opiniones vocat unam probabiliorem, quamvis altera nec quidem sit opinio, sed planè secundùm potissimum, contra fidem, sic quoque in præsenti materia opinio de amydo, seu de amylo, non est opinio, sed error, quia contra Florentinum, quod in decreto Eugenii dicit: *Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cujus materia est panis triticeus, & vinum de vite.* Deindè Scotus hìc egit de materia Sacramentorum, in quibus nulla ratione potest omitti via certa, & amplecti, aut adhiberi dubia, vel opinativa, nam in 4. d. 3. q. 2. §. Tertio de forma dicit: *Universaliter in omnibus dubiis quantum ad materiam, & formam baptismi sunt tres maximæ: prima est ista, si possibilitas adest, via tutissima est eligenda: secunda, si non est possibilitas, viæ tutissimæ proxima est tenenda: tertia est ista, cessante impossibilitate, cautè est supplendũ, quod impossibilitas probibebat.*

Instabis: Scotus ibi non loquitur de dubio strictè sumpto, quando scili-

do scilicet intellectus nulli parti adhæret, sed de dubio largè considerato, pro quacunq; materia controversa, quando pro utraq; parte sunt rationes probabiles, antiqui enim Theologi omnia sic controversa vocabant dubia, unde etiam Scotus ait: *Universaliter de omnibus dubiis, &c.* ergò etiam in quacunq; materia controversa est licitum operari. Respond. Transe. anteced. Quidquid sit, utrum Scotus de uno dubio magis locutus fuerit, quàm de altero, quod sicut faciliter asseritur, ita non difficulter negaretur, attamen distinguo consequens, ergò non est licitum operari stante dubio, concedo: dubio converso in opinionem, & judicium practicum, nego conseq. Nec enim ego sentio aliquem posse operari cum dubio, etiam largè sumpto, nec cum opinione probabili, quæ non solvit sufficienter rationes pro altera parte urgentes, sive ergò sit dubium strictum, quando scilicet intellectus propter motiva utrimq; æqualia in nullam partem inclinat, sed manet suspensus & anceps: sive dubium largo sumatur modo, hoc est, pro ipsa materia controversa, quando intellectus examinatis rationibus utriusq; partis, licet ex pondere rationum in unam inclinet, nondum tamen determinatum præbeat assensum, eò quòd prematur adhuc gravitate alicujus rationis pro altera parte militantis, ratione cujus judicium adhuc fluctuat, tunc enim opinio nondum pervenit ad statum perfectæ probabilitatis, sed manet intra lineam suspicionis potius, quàm probabilis opinionis, quod contingit, quando post superatas & solutas oppositas difficultates intellectus determinat & judicat, se hic & nunc licitè posse operari, quamvis fortè maneret adhuc aliquod dubium speculativum, dummodò nullum adsit practicum, unde Scotus in q. 6. citata dicit: in administratione Sacramentorũ Ecclesiam semper tenere consuetudinem, *quæ conformis est institutioni Christi, & promulgationi factæ per ejus Vicarium Petrum.*

XV. Opinio probabilis debet vincere rationes oppositas.

Respond. ad tertium: Neq; hic propositiones probabiles damnari, earumque usum, nam Scotus expressè docet in concursu manifestæ rectitudinis, & manifesti dictaminis voluntatem non posse convertere se ad probabilem & non manifestam opinionem, seu dictamen, aut si convertet, tunc voluntatem facere ex malitia, & ut suam mentiatur iniquitatem quærere rationes sophisticas & probabiles, itaque Scotus ibi intendit docere voluntatem ex sua libertate posse se à recto dictamine avertere, & convertere ad sophisticum, juxta vulgatum Poëtæ dictum: *Video meliora proboq;, deteriora sequor*, ita videlicet, ut dictamine recto stante in intellectu, per quod habitus prudentiæ in illo generari potest, adhuc tamen non sequatur in voluntate virtûs moralis, eò quòd ex malitia velit oppositum illi, quod per rectam rationem fuerat dictatum.

Opponuntur iterum aliæ authoritates ex Scoto. Primò in 4. d. 6. q. 8. lit. A. ubi ait: *Eadem est ratio de omnibus istis, quia talis dat operam rei illicitæ, de qua re debet scire, quòd sit illicita (quod contingit, quando est illicita ex præcepto divino) & si nesciat (esse illicitam, vel ei à jure divino, vel humano esse inflictam pœnam) nullo modo debet illam exequi, quousq; consulat peritos, per quos posset scire, illam esse illicitam*, ergò nullo modo est licitum secundùm probabilitatem operari. Secundò in eodem 4. dist. 9. quæst. un. ubi dicitur de accedente ad sacram Synaxim: *Tenetur enim se examinare secundùm diligentiam nostræ fragilitati possibilem, antequam communicet. Si autem non sit negligentia crassa, puta quia præcessit examinatio sufficiens & nullum occurrit peccatum, de quo non fuerit, vel sit contritus, & confessus prius; non peccat communicando, licèt forte aliquid lateat, vel traditum fuerit oblivioni.* Vide qualiter Scotus doceat esse negligentiam crassam, si non præcedat diligens examinatio, & insuper considera, quòd examen illud

diligens extendat usq; ad possibilitatem nostræ fragilitatis, ergò etiam Probabilistæ committunt negligentiam crassam, dum non adhibent diligentiam usq; ad posse fragilitatis nostræ in quærenda veritate probabiliori, & consequenter peccant, quod confirmant, dum assertum suum tertiò probat: *Quia tunc non esset Sacramentum viatoris: quia talis certitudo non convenit viatori. Propter hoc dico, quod diligenti inquisitione facta secundùm possibilitatem nostræ fragilitatis, & præmissa contritione & confessione, quantum videtur homini sufficere; si tunc communicet, non peccat: immò si qua alia peccata lateant, per istud Sacramentum etiam remittuntur.* Limites ergò nostræ diligentiæ extenduntur usq; ad possibilitatem fragilitatis nostræ Tertiò in 1. d. 17. q. 2. dicit: *Respondeo, quod bonitas moralis est integritas omnium conditionum in actu & circumstantiarum: & hoc præcipuè, ut illæ conditiones dictantur à recta ratione, debere inesse actui simpliciter, ergò est necessarium ad bonitatem actus moralis, quod eam præcedat dictamen completum rationis rectæ, cui recto dictamini conformetur tanquam mensuratum mensuræ*, sed dictamen completum non potest esse quamdiu durat controversia de honestate actûs, sicut durat in opinionibus probabilibus, ergò illæ non habent dictamen completum, consequenter ex illis nemo operari potest.

Respond. Nec istas authoritates aliquid contra nos concludere, Et primus quidem non, quia ibi loquitur de reiteratione baptismi, resolvendo ignorantiam juris non excusare rebaptizantem ab irregularitate, unde concludit talem dantem operam rei illicitæ, quam scit, aut scire debet, esse illicitam, non posse illam exequi cum tali ignorantiâ, sed debere consulere viros peritos, est enim ibi sermo de hominibus simplicibus & idiotis: qui nequeunt habere judicium proprium determinatum conscientiæ suæ sine formidine alterius partis, quod procul abest ab opinione probabili, quæ ignorantiam crassam excludit propter diligentiam sufficienter adhibitam, pellitq; omnem formidinem per rationes graves, quæ intellectum determinant ad assensum, ergò.

Respond. ad Secundum: Scotum in dicto loco aliquid non intendere, nisi illum, qui sufficienti examine præmisso communicat, si postea recordetur alicujus peccati obliti, non peccare communicando, quia peccatum oblitum remissum fuit per Sacramentum, ut dicit in confirmatione, & tertia sua probatione, ubi ait, non esse necessarium, quòd communicaturus certò sciat, se esse in charitate, quia talis certitudo non convenit viatori; Ex quo contra adversarios potius deducitur, veritatem practicam stare posse cum falsitate à parte rei, objectiva & naturali, quam alii vocant speculativam, nam Scotus dicit, quod comunicans præmisso examine diligenti esse actum honestum, moraliter bonum, etiamsi à parte rei lateat aliquod peccatum, aut oblivioni fuerit traditum, quæ est falsitas à parte rei, seu speculativa, sed sufficit, quod conformetur veritati practicæ, & morali existimationi, seu opinioni, se esse in gratia & sufficienter dispositum, nec requiri certitudinem majorem, quia aliàs non esset Sacramentum viatoris. Et sic quoq; dico in usu probabilitatum, necessarium esse præmittere diligens examen de sufficiente probabilitate.

Quanta autem debeat esse diligentia, ut sit secundùm possibilitatem fragilitatis nostræ, quod Scotus requirit, varia variè dicunt, ego puto etiam in probabilitate tunc sufficientem esse adhibitam diligentiam, quando quis per rationes & motiva ad tantam certitudinem pervenit, ut excludat omnem anxietatem & sollicitudinem, de quocunq; malo possibili, unde quando quis pervenit ad illum gradum certitudinis, ut pro hoc statu major & amplior haberi XVI. Diligentia in probabilitate adhibenda, quæ sit

beri non possit, quamvis sit absolutè major in re, tunc sufficere probabilitatem ad moraliter benè operandum, nec tunc tenetur ad ulteriorem inquisitionem, alioquin jugum CHRISTI nimis grave esset, & conscientiæ infinitis implicarentur anxietatibus, de qua re inferius plura, cum agam de judicio ad probabilitatem necessariò.

Respond ad tertium: Dictamen practicum opinionis probabilis omninò debere esse completum, in hoc sensu, quatenus actus, ut dicatur esse moraliter bonus, debet esse conformis ad rectam rationem plenè dictantem de omnibus circumstantiis illius actûs, quòd videlicet sit proportionatus ad potentiam, ad objectum, ad tempus, ad finem, ad locum, ad modum, quoniam bonum ex integra causa, in qualibet autem opinione probabili reperitur sic dictamen completum ex motivis, quibus opinio vocari potest dictamen completum, non verò vult Scotus, quod debeat esse completum taliter, ut non maneat ulla controversia de honestate actûs, alioquin ne probabilior haberet dictamen completum, quia semper contra eandem militant rationes opinionis oppositæ, quæ quandoq; non plenè solvuntur.

Instatur. Scotus q. 2. Prologi, ait: *Assertiones non videntur fuisse sine mendacio, si asserens non fuit certus, quia asserere dubium, vel est mendacium, vel non longè est à mendacio*, ergò quicunq; aliquid asserit, de quo non est certus, ut non sunt Probabilistæ, mendacium committit, vel mendacio proximus consequenter nequit cum tali incertitudine, & durante controversia operari. Respond. neg. conseq. Quia ibi Scotus loquitur de articulis fidei in Scriptura contentis, revelatis Prophetis & Apostolis, qui inspirati Spiritu Sancto locuti fuerunt, & cùm illi maximè damnent mendacium, signum est, eos non fuisse mentitos, qui enim aliquid asserit à DEO dictum, vel revelatum, si non est sic, profectò mentitur, unde pulchrè S. Augustinus supra de mendacio ad Consentium cap. 3. opinantem non mentiri dicit: *Quisquis autem hoc enunciat, quod vel creditum animo, vel opinatum tenet, etiamsi falsum sit, non mentitur. Hoc enim debet enunciationi suæ fidei, ut illud per eam proferat, quod animo tenet, & sic habet, ut profert.*

Instatur adhuc: Scotus in 4. d. 17. q. un. dicit: *Ubi est via facilior, id est, magis in potestate hominis, & certior ad gratiam recuperandam, tenetur quilibet ad illam viam, ita quod non omissa illa attentet aliam difficiliorem, & incertiorem, quia tunc exponeret se periculo salutis suæ, & videretur esse contemptor propriæ salutis*, sed si ad gratiam recuperandam necesse est sequi certiorem & faciliorem viam, ut Scotus docet, ergò etiam ad conservandam per opera honesta, moralia, & actus humanos, consequenter non est licitum sequi opinionem probabilem, quæ est minus certa, & minus secura. Respond. conc. totum usque ad ultimam illationem: Quia Scotus ibi agit de confessione Sacramentali, quam probat necessariò esse amplectendam ad remittenda peccata, & gratiam recuperandam, quamvis sit alia via, per quam recuperari possit, scilicet per contritionem, quia tamen via confessionis est facilior & certior, ideò est sequenda, per quod non reprobat opiniones probabiles, sed tantùm demonstrat necessitatem Sacramenti Pœnitentiæ, imò Scotus ibi magis videtur approbare probabilitatum usum: Tum, quia dicit, viam faciliorem esse eligendam, sed via probabilitatis est facilior, ergò. Tum, quia Scotus ibidem tenet attritionem cum Sacramento conferre gratiam, quæ est utiq; via facilis & certa, atq; eligenda, quamvis altera via sit multò certior, & securior, accedere ad confessionem cum contritione, quàm cum sola attritione, ergò Scotus adhuc ibi sequitur viam facilem relicta securiori, & certiori.

Oppo-

XXII. Scotus fuit usus probabilioribus.

Opponunt Probabilioristæ adhuc plures textus ex Scoto, sed hi sunt potiores, reliquique nihil amplius probant, unde solutiones ex suprà dictis facilè dari poterunt, sive loquantur de dubio, sive de controversia, sive de securitate & certitudine, sive aliquid aliud. Porrò Doctorem nostrum subtilem usum fuisse probabilibus opinionibus, jam supra ostendi, & etiam Bordonus c. 17. plura allegat loco primò, in 4. dist. 8. q. 2. n. 8. tenet contra D. Thomam, & alios essentialia verba consecrationis esse hæc tantum: *Hic est calix sanguinis mei.* Et licèt hæc sit verissima opinio, & communissima, tamen nemo negabit eam, quod docet D. Thomas, sequentia quoque verba pertinere ad eandem essentiam consecrationis, esse tutiorem & securiorem.

Secundò dist. 9. q. un. n. 4. ubi ait: Non oportere venialia delere ante communionem, cùm tamen tutius & securius sit illa delere.

Tertiò in 4. d. 14. q. 2. n. 14. ubi ait: ad Sacramentum absolutionis sufficere attritionem ut talem cognitam, contra plures alios, qui eam admittunt putatam tamen contritionem, quod est tutius, & securius.

Quartò in 4. d. 15. q. 1. num. 14. §. *vel si omninò*, & *d. 17. quæst. un. num.* 22. §. *continet etiam*, in quibus locis Scotus ait: Esse absolvendum eum, qui negat acceptare pœnitentiam, paratus eam solvere in purgatorio. Hæc opinio tunc temporis erat probabilis, multò probabilior contraria, vide citatos à Bonacina q. 5. de pœnit. sect. 3. part. 4. initio.

Quintò in 4. d. 15. q. 1. num. 15. Scotus tenet, quòd opera satisfactionis facta in peccato conducunt ad satisfactionem, contra communem cum D. Thoma ibi, quam esse securiorem nemo negat.

Sextò in 4. d. 17. q. un. num. 20. circumstantias solùm aggravantes non esse necessariò confitendas, esse tamen tutius & utile, ex sententia aliorum esse necessariò aperiendas in confessione. Opponunt pariter multa loca ex S. Thoma, sed hæc discipulis Angelici Doctoris solvenda, vel manutenenda relinquo, mihi sufficit eum in favorem esse probabilis opinionis, superius demonstrasse, progredior igitur ad solvendas rationes, pro quibus sit

QUÆSTIO QUARTA.

Quid rationis habeant Probabilioristæ contra usum Probabilitatum:

I. Adductis potioribus Patrum, Doctorumque authoritatibus, iisq; debitè solutis, nunc examinandæ sunt rationes, quibus severiores Probabilioristæ omnem probabilitatum usum tollere & enervare conantur, si enim abusum quorundam nimis relaxantium impugnare intendunt, facilè porrigerem manus, nam nec ego quemlibet opinionum usum admitto, sed nec omnem proscribere valeo, ne sapiam ultra, quam oportet sapere, medio tutissimus ibo. Itaque contra probabilitatum usum pro adversariis, Ex ratione

II. Eligere probabilem non est minus tutum. Arguitur Primò: Opponendo principalem Adversariorum Achillem, qui analogizat cum nostra præcipua probatione ex rationibus assumpta. Dicunt itaque: Ad hoc, ut quis in operationibus practicis & moralibus prudenter agat, & rectè, debet habere probabile judicium, & determinatum de honestate materiæ, circa quam agit, seu quòd sit licitum illud, quod agit, sed in concursu duarum opinionum, quarum una sit probabilis, altera probabilior, non potest quis habere tale judicium determinatum, ergò non potest tunc agere & licitè operari, maj. patet, & est quoq; ex mente nostra, nam in quâlibet electione alicujus operationis, debemus primò habere judicium dictans actionem esse licitam, & secundò esse licitam

citam per hanc opinionem, perquam pro tertio formamus nobis judicium, quod conscientiam vocamus, & determinamus hic & nunc nos licitè operari: Probatur ergò minor principalis: Tum ex authoritate Aristotelis supra citati: *opinari non esse nobis liberum*, sed intellectum debere sequi, ubi sunt plures rationes, argumenta & motiva, sed in minus probabili non sunt talia, sed in magis probabili, ergò. Tum, quia si eligo minus probabilem, judico, me eligere illud, quod est minùs honestum, quia opposita sententia probabilior dicit alterum esse magis honestum, & si hoc non judico, saltem dubius sum, & dubius reddor, quod probabiliter eligam illud, quod minus est honestum & tale dicitur: vel denique convincor saltem non amare magis honestum, quàm inhonestum, quia non tantùm probabilem sentio quam ego sequor, sed etiam alteram æstimo probabiliorem, vel saltem æq; probabilem, ergò tantum amo inhonestum, quàm honestum.

Respond. disting. major. Debet habere judicium determinatum, determinatione facta per aliqua evidentia motiva, & physicè certa, neg. major. per motiva moralia practicè certa & vera, veritate apparente, conc. maj. & neg. min. ad cujus primam probationem jam suprà responsum est, atque etiamnum dico Aristotelem docere, non esse nobis liberum nobis opinari sicut imaginari, v. g. pro libitu fingere in aura aureos montes, urbes & arces, &c. Deinde non est quoque nobis liberum opinari verum pro falso, & falsum pro vero, quia intellectus debet opinari & judicare secundùm motiva, & rationes, quæ illi proponuntur, à quibus etiam determinatur. Ad secundam minoris probationem, quoad primam partem, Respond. cum M ultrio, disting. antec. Si stante judicio, quo judico oppositam opinionem esse probabiliorem, sequor minus probabilem, judico me eligere, quod minus honestum est, intelligendo hoc de honestate materialiter sumpta, transeat anteced. nam potest esse actio honesta, licèt tendat in objectum, quod à parte rei est malum, dummodò ab intellectu proponatur ut honestum: stante judicio &c. si hoc intelligatur de honestate formaliter sumpta, neg. anteced. Quia posito judicio probabili, tàm de honestate objecti, quàm inhonestate, formamus judicium conscientiæ practicè certum, quòd actio sit honesta, quia illam exerceo ut bonam per judicium superveniens, quo determinor magis ad hanc vel illam eligendam, sicut semper fieri debet. Vel Respond. Secundò: disting. antec. Judico me eligere quod minus honestum est specificativè, transeat: quod minus honestum est reduplicativè, nego antec. Quia reduplicativè eligo minus probabilem tanquam securam, & reduplicativè bonam, non attendendo ad alterius propositionis specificationem, à qua jam debet finaliter intellectus abstrahi. Unde Respond. etiam ad secundam probationem, disting. antec. In tali casu saltem manet intellectus dubius practicè, neg. antec. speculativè, transeat anteced. nam cùm intellectus propter rationes & motiva utriusque sententiæ probabilia non habet judicium certum & evidens, nulli assentitur tanquam veræ speculativâ & physicâ evidenti veritate, benè tamen morali, & practicâ, ergò.

Instatur: Ex dictis tenetur homo, vel saltem sufficit, ut amplectatur in operationibus moralibus veritatem practicam tanquam regulam honestæ operationis, sed amplectendo minus probabilem magis à veritate practica recedit, & amplectendo probabiliorem ad veritatem magis accedit, ergò etiam sub hac distinctione tenemur eligere magis probabilem, & non possumus eligere minus probabilem. Respond. disting. major. Si veritas practica est certò cognita, & evidenter cognoscibilis, conc. maj. si veritas est solum

probabiliter & opinativè cognoscibilis, neg. maj. in moralibus autem hoc posteriori contingit modo, adeóq; homo non tenetur credere probabilius esse verius, quàm quod est probabile; cùm nulla pars sit evidens, & frequenter contingat, ut docet Aristoteles 1. Ethic. 3. *frequenter falsa esse probabiliora veris.*

III. Falsa quãdoq; probabiliora veris.

Urgetur: Raró accidit in moralibus, quod falsum sit verisimilius vero, quia in istis principia universalia sunt nota, & facilè applicanda, érgò in veritatibus practicis non solùm veram, sed & veriorem practicè tenemur eligere, sed quæ est probabilior, est practicè verior, ergò. Respond. neg. antec. Quia si principia universalia practica essent adeò nota & certa, non contingeret, nec oriretur in moralibus tanta opinionum diversitas, quanta vix in speculativis reperitur. Ad consequentiam importunè illatam Respond. negando subsumptum, loquendo de veritate opinativa & practica, nam speculativa, & objectiva, seu physica in indivisibili consistit, nam quod est probabilius, non est semper verius, sed tantùm apparet verius, quare licèt teneremur sequi, quod verius est, non tamen quod tantùm verius apparet. Hinc aliud formo pro adversariis argumentum, quô sic

IV. Verũ quale est necessariò sequendum.

Arguitur Secundò: Ut licitè agam in operationibus practicis non sufficit me sequi, quod judico esse probabile, sed etiam necesse est, ut sequar quod est verum, & quod opinor verum, sed non est in mea libertate, ut opiner veram utramq;, nec ut opiner veram, quam volo, sed necesse, ut opiner veram, quam deprehendo habere fortiora motiva, alioquin mihi esset liberum facere prout vellem, & esset mihi liberum opinari, sicut vellem, cum totus mundus sit plenus opinionibus, atqui probabilior talia habet præ opinione probabili, ergò necesse est, ut magis probabilem sequar, quàm minus: Probatur maj. (minor enim in priori argumento est ostensa) Quia cum utraq; opposita sit probabilis, necessariò una est vera, altera falsa, sed non possum promiscuè sequi tàm verum, quàm falsum, multò minus quàm magis rationabiliter falsum existimo, aliàs convincerer me amare æquè falsum, ac verum, ergò inter duas probabiles teneor magis sequi, quæ habet fortiora argumenta. Respond. loquendo de veritate morali & practica, conced. maj. & neg. min. Quia intellectus ex imperio voluntatis liber est, ut opinetur unam præ altera, si utraque sit verè probabilis, non quod unam existimet falsam, & alteram veram, sed propter motiva argumenta, quibus movetur, ut eam judicet esse veram moraliter, unde cùm utraque opinio sua repræsentet argumenta, unam eligere potest, quam voluerit, nec per hoc habemus libertatem faciendi & opinandi quod volumus, sine enim gravi argumento & efficacibus fundamentis rationis, vel authoritatis, nó est nobis liberũ nobis opinari, quia sine talib9 non erit opinio probabilis, sed improbabilis, non sequenda, sed reprobanda, nec talis erit actus prudẽtiæ, sed temeritatis, vera enim prudentia requirit judicium necessariò practicum, rectam finis intentionem, & omnium circumstantiarum debitam circumspectionem, sine quibus judicium non erit plenè perfectum, nec sufficiens ad rectam operationem, per quod patet, non esse nobis liberum quomodocunq; velimus opinari, sed debere nos opinari, prout argumenta & motiva repræsentantur.

Respond. Secundò: Loquendo de veritate speculativa, & objectiva, neg. maj. ad cujus probationem dico, falsum esse ex duabus probabilibus necessariò unam esse falsam, quia utraq; reputatur vera veritate practica, quia si ambæ sint æqualiter probabiles, non est major ratio de una, quàm de altera, quod sit falsa, cùm ex æqualitate illa non possint deduci, nisi æqualitas, idem enim semper producit idem, non

diver-

diversum, si verò sint inæquales, & una magis, & altera minus probabilis, sit minus vera, & probabilior sit magis vera, quia comparativum supponit positivum, nam, secundùm Philosophum, omne illud dicitur probabile, quod à multis creditur verum, probabile ergò verum est probabiliter, aut probabile non est.

Instatur: Ad rectè operandum necessarium est judicium probabile dictans hoc opus, seu hanc actionem esse licitam, ergò non sufficit judicium dictans probabile esse, hoc esse licitum, ratio est, quia ista duo judicia sunt valdè diversa, nam judicium dictans probabile esse hoc esse licitum, non est judicium probabile, seu opinativum, sed est scientificum, nam certò scitur hoc esse probabile, quod innititur probabili fundamento, ast verò judicium dictans hanc operationem esse licitam, est solùm probabile & opinativum, quia non scitur certò hoc esse licitum, sed est in opinione tantùm, ergò non sufficit illud judicium scientificum dictans illud probabile esse, hoc esse licitum, sed oportet habere ulterius judicium opinativum dictans hanc operationem esse licitam, seu, ut brevius dicam, necesse est habere judicium opinativum de veritate hujus, hoc esse licitum, non de probabilitate, nempè probabile esse, hoc esse licitum.

Hanc instantiam & argumentum, quod Philaletus pro confirmatione majoris supra negatæ affert, multis ambagibus, & intricatis verborum involucris, magis obscurat, quàm fortiter arguat, quæ ex professo dimitto, nam satis hęc sunt permixta, unde ad substantiam præcisè attendendo. Respond. Distinctionem illam judicii scientifici de probabilitate, & de veritate rei per judicium opinativum omninò voluntariam excogitatam frustra & sibimetipsi contrariam, nam qui judicat per judicium scientificum, quod sit probabile, illud esse licitum, simul & semel opinatur esse tale illud, quale judicatur, ergò judicium scientificum idem est ac opinativum, Tum, quia utrumque judicium habet pro objecto aliquid opinabile: Tum, quia judicans aliquid esse probabile, simul & semel judicat esse licitum, quia illud judicium procedit ex actu prudentiæ: Tum, quia esse probabile, & esse licitum in ordine ad opus coincidunt, nam hoc esse probabile judicat posse fieri sine peccato, ac proinde probabile infert esse licitum, quia quod est illicitum, non potest fieri sine peccato. Absolutè ergò tenendum est, ad benè operandum necessarium esse judicium practicum, seu probabile de licitate rei agendæ, non verò est necesse, quod certò sciat, & evidenter rem illam esse licitam à parte rei talem, sed solùm apparenter per motiva certitudinem apparentem producentia aliter, si evidentem haberet veritatem rei prout est, non esset judicium opinativum seu probabile, sed scientificum & ex conscientia recta procedens.

Arguitur Tertiò: Non possumus promiscuè sequi tàm verum, quàm falsum, & maximè illud, quod rationabiliter magis falsum existimamus quàm verum, sed sequendo minus probabilem, sequimur illam, quam magis falsam rationabiliter existimamus, ergò non est nobis licitum illam amplecti. Respond. concessa maj. neg. min. Nam licèt verum sit, nunquam nos licitè posse sequi quod falsum est, sive à parte rei sit, sive quod ab intellectu proponatur tale, possumus tamen sequi & amplecti id, quod à parte rei falsum est, si tamen ab intellectu & prudenti judicio sine prava affectione proponatur verum, & bonum, nam ut benè docent Theologi, non solùm judicium certum & evidens, probabile & opinativum, sed etiam errans est quandoq; sufficiens regula actionum humanarum, tàm in ordine ad malum, quàm in ordine ad excusandum à peccato, cùm enim bonum & malum non

V. Falsum, qua tale nunquam possumus sequi.

moveant voluntatem prout sunt à parte rei, sed prout ab intellectu repræsentantur, consequenter operatio non desumit bonitatem vel malitiam à bono & malo reali, sed à bono & malo apprehenso, & existimato.

Instatur: Qui sequitur opinionem probabilem apprehendit, & ab intellectu repræsentatur ut magis probabiliter falsum; ergò etiam talis nec ob apprehensionem potest amplecti tanquam bonam, & tanquam licitum opus. Respond. disting. antec. specificativè & speculativè, transeat; reduplicativè & practicè; neg. antec. & similiter disting. conseq. non potest amplecti reduplicativè quâ falsam, conc. specificativè, quæ falsa, neg. conseq. Itaq; sicut voluntas, cùm fertur ex libertate sua in minus bonum, relicto majori bono, non reduplicativè quatenus minus bonum est, sed quatenus ejus minor bonitas continetur intra sphæram objecti adæquati voluntatis, ità etiam intellectus ex imperio voluntatis potest acceptare opinionem minus probabilem, quam tamen cognoscit, & judicat probabiliter veram relicta probabiliori, non quatenus minus vera, vel magis falsa reduplicativè, sed quatenus ejus minor veritas, vel probabilitas continetur intra sphæram intellectûs, habens sufficientia fundamenta ac rationes, quæ intellectum convincunt & determinant ad pertrahendum & se determinandum ad assensum, ergò.

Urgetur: Probabilitas ut duo sive reduplicativè sive specificativè sumatur, non habet sufficiens motivum in præsentia probabilitatis ut quatuor, ut intellectus possit se determinare ad assensum, ergò nulla solutio. Respond. neg. antec. Nam cum neutra probabilitas, id est, nec major, nec minor, nec æqualis convincat intellectum, quando omnes simul proponuntur illi cum suis rationibus & fundamentis, relinquunt adhuc illum indifferentem, ut amplectatur hanc vel illam juxta voluntatis imperium, solius enim veritatis accidentis hæc est prærogativa, quòd intellectum convincat, & quando illa adest, intellectum ad illud determinat, quod possunt præstare omnes probabilitates, & consequenter dum voluntas noluit acquiescere majori probabilitati, potest imperare minorem tanquam sufficientem, ut intellectus in illam feratur, & tanquam veram, quam sine peccati periculo amplecti possit, hocq; judicio præmisso semetipsum ad illam voluntas se determinet.

Arguitur Quartò: Ille non licitè agit, qui non sequitur dictamen rationis, sed qui utitur probabili opinione, non sequitur dictamen rationis, ergò. Probatur min. Ille non sequitur dictamen rationis, qui non sequitur inclinationem rationis ad assensum, quod hoc sit faciendum, vel non faciendum, sed qui sequitur minus probabilem relictâ probabiliori, non sequitur inclinationem rationis ad assensum, ergò maj. patet, quia dictamen rationis est inclinatio ejusdem ad assensum, sive illa inclinatio & assensus sit cum evidentia, ut in scientia, sive cum formidine, ut in opinione. Probatur min. secundi argumenti, Quia inclinatio ad assensum fit eo ubi sunt plura & fortiora motiva, sed in minus probabili perpensa cum magis probabili non sunt plura & fortiora, sed potius pauciora, & infirmiora motiva, ergò, qui hanc sequitur, non sequitur inclinationem intellectûs ad assensum, seu assensum ipsum, nam illi intellectus assentitur, quod fortius movet, & in quod fortius inclinatur, cùm non sit liberum opinari, quamvis fortè possit assentiri minus probabili, cum non proponitur simul magis probabilis. Respond. neg. min. ad cujus probationem disting. maj. Inclinatio naturalis, ubi fortiora sunt argumenta convincentia, conc. probabilia tantùm & opinativa, nego in istis enim eo inclinatur, quo à voluntate determinatur, cum omnes probabilitates intelle-

VI. Inclinatio intellectus est ad verum.

intellectum relinquant indifferentem, donec voluntas veniat & determinet illum ad unum vel alterum extremum amplectendum, nec hic amplius immorandum eſt, nam totum argumentum innititur illi principio Ariſtotelico, quod *opinari non ſit nobis liberum*, quod ſæpè refutatum eſt.

Quamvis etiam arguens aliud adhuc ſupponat falſum, quaſi verò in intellectu opinativo ſit libertas, dicendo, quòd poſſit aſſentiri minus probabili, cùm non adeſt oppoſita probabilior, quod videtur ſignificare, eſſe liberū opinari inter æquales, ergò jam admittit ſemel in nobis liberum eſſe opinari, & conſequenter, ſi ſemel admittitur, ſemper debet concedi, ex dictis ſupra, cùm nulla probabilitas quantumcunq; magna convincat intellectum, quâ non obſtante poſſit voluntas imperare prout voluerit, ſi tamen intellectus prių rationes omnes benè cognoverit ut ſufficientes.

Arguitur Quintò: Inter præcipua argumenta partis adverſæ, ſeu Probabiliſtarum hoc putatur eſſe, nè jugum Chriſti aggravetur, conſcientiæ plurimis oneretur gravaminibus, & multis implicentur ſcrupulis, ſi obligati eſſemus ſequi ſemper conſcientiam magis probabilem, ſed ex doctrina Probabiliſtarum nullum ſequitur hujuſmodi inconveniens, ergò cum aliundè ratio dictat, viam ſemper ſecuriorem in cauſa ſalutis eſſe eligendam, magis tenebimur ſequi magis probabilem ſententiam: major eſt noſtra. Probatur minor: Quia docendo probabiliorem eſſe ſequendam, non requiritur major obligatio, quàm cauſa animæ requirat, non enim requiritur, quòd pæcedat dictamen & judicium demonſtrativum, quod omninò eſſet perdifficile & oneroſum, requiritur tamen, ut præcedat examen accuratum juxta exigentiam materiæ, & ſubjecti capacitatem, ut hic & nunc quis prudenter operetur, ſed ſequendo ſententiam & opinionem minus probabilem, non adhibet ſufficiens examen ad prudenter agendum, & omne peccatum morale vitandum, ergò obligando homines ad debitam & moralem certitudinem habendam, nullum eſt onus grave, nec animarum illaqueatio. Reſpond. neg. min. cum ſua probatione, quatenus dicit requiri exactum, & accuratum examen quantum materia requirit, & ſubjecti capacitas ſuffert, quia hoc dicendo nullus erit finis ſcrupulorum, ad quos tollendos, & animas afflictas ſublevandas præciſè reſpiciunt Probabilioriſtæ, quia quamdiu maneret adhuc aliquis gradus inquirendæ amplioris veritatis, tam diu anxia conſcientia non quietaretur, nam etiam hoc invento ſuboriri poſſet dubium, & alius ſcrupulus non ſatis fuiſſe inquiſitum, & adhuc ſupereſſe poſſibilem majorem certitudinem. Hoc equidem fateor, pro diverſitate materiarum diverſam adhibendam eſſe diligentiam, ſcilicet in majoribus majorem, in minoribus non tantam, non tamen ſumus obligati quærere, ſemper pervenire ad ſummam poſſibilem; qualis autem & quanta etiam in graviſſimis adhibenda ſit, dixi jam ſupra, nempe eam poſſe dicere ſufficientem, quæ omnem excludit negligentiam culpabilem, & quæ in humanis ſolet excludere omnem ſollicitudinem & anxietatem animi in quovis malo imminenti, quamvis graviſſimo, & prout Maſtrius ex Pallavicino part. 2. tom. 1. diſp. 9. q. 4. exemplificat, v. g. ſi filius ægrotabat, & vir fide dignus renuntiet patri, eum omninò convaluiſſe, eò quòd talia & talia medicamenta adhibuerit, medicos peritiſſimos conſuluerit, & ipſæ medicinæ præſcriptæ deſideratum fecerit effectum, quas ipſe pater cognoſcit eſſe efficaces, ita ut nulla appareat particularis ſuſpicio, quæ fidem illi adimat in hac materia, licèt hæc narratio poſſit eſſe falſa, tamen pater ſolet deponere omnem ſollicitudinem, natura enim ſic animam humanam compoſuit, ut quandoquidem de pleriſq; non poſſit habere

VII. Diligentia adhibenda in opinionibꝰ quanta.

 eviden-

evidentiam, non sollicitetur, quando pervenit ad eum gradum certitudinis, quo major plerumque vix haberi, aut sperari potest, sic est in proposito.

Instatur: Ex modo dictis, in negotio animæ adhibenda est tanta diligentia, quanta adhiberetur in quocunque negotio gravissimo temporali, ut de salute filii fuit exemplificatum, sed in negotio temporali nemo dicitur adhibere sufficientem diligentiam ad præcavendum imminens damnum, quando applicat media minùs sufficientia, & relinquit efficacia, quæ habere potest, ergò nec ille, qui relicta probabiliori minus probabilem amplectitur sententiam. Respond. concessâ maj. & min. negando conseq. nam imprimis certum teneo, quòd in negotio, & causa animæ maxima debeat adhiberi diligentia præcepta, & major quàm in rebus temporalibus, quia in his tractandis non requiritur judicium metaphysicè evidens, in moralibus autem requiritur practicum judicium moraliter evidens, quale est quodcunq; probabile, verâ probabilitate, nec tamen requiritur in tali judicio gradus comparativus, sed sufficit positivus, unde videtur judicio & dictamini practico probabili applicari posse illud, quod dicitur 2. Paralipom. 19. *Sit timor Domini vobiscum, & cuncta cum diligentia facite*, ubi non dixit, *cum maxima diligentia*, sed *cum diligentia*. Deinde est etiam alia disparitas, quia in negotio temporali ordinariè pendet consecutio finis ab applicatione mediorum, prout sunt à parte rei, & in natura ipsamet, ideoq; omnis possibilis diligentia adhiberi debet, si quis non velit falli, in negotio animæ autem non dependet à mediis, prout physicè existunt in natura, sed prout ab intellectu benè ordinato, sine affectu pravo, & mala intentione proponuntur, & sic licet contingat error operanti, non imputatur, nec illi nocet, quia inculpabiliter ignorat, cùm propter habitudinem intellectûs melius non potuerit penetrare. Hinc tertia est disparitas, quia in negotio temporali si quis operatur cum errore, illi nocet, sive sit error formalis, sive materialis, in negotio verò animæ solùm nocet error formalis, non verò materialis. Deniq; si valeret instantia, sequeretur, quòd nec probabilior sententia amplecti possit, si alia minus probabilis, magis tamen tuta concurreret, quia semper deberet adhiberi, quæ magis à peccato removet, prout certò facit magis tuta, licèt sit minus probabilis.

Urgetur: Qui scit, se non adhibuisse moralem diligentiam, quam debet, ad cognoscendum, quod sit verum vel falsum, & in agibilibus quod sit licitum vel illicitum, peccat, sed qui sequitur minus probabilem, relicta probabiliore non adhibet moralem diligentiam in inquirendo, ergò peccat, quia ignorantia affectata nunquam excusat à peccato. Respond. neg. min. Quia sciens & sufficienter examinans opinionem aliquam esse probabilem, quam etiam examine facto cognoscit esse talem, diligentiam moralem & sufficientem adhibet ad licitè & rectè coram DEO operandum, nec enim diligentia in comparativo aliquo secundùm majoritatem requiritur, benè tamen in positivo requiri eam diligentiam, qua ex sincero corde, & fide non ficta, sine aliquo pravo affectu cognoscendi veritatem saltem moralem, & hanc necessariam esse, & ego teneo, doceo, & profiteor ex Glossa *in cap. licet ergo*, 15. 8. q. 1. *verb. Præstantior*; cùm ergò per talem diligentiam satis certificetur, non requiritur amplius, nam ut dicit regula juris: *Qui certus est, certiorari ulterius non debet.*

Arguitur Sextò: Qui ex opinionibus contrariis dubitat aliquid esse licitum, vel illicitum, si facit, peccat, sed qui sequitur probabilem, non abstulit dubium de illicito practicè, nisi judicetur practicè esse licitum, sed qui sequitur minus probabilem, non habet, unde formet hoc judicium, quòd sit licitum, ergò non VII. Dubium per opinionem tollitur.

Digitized by Google

non tollit dubium; maj. patet, min. probatur: Quia peto unde formet hoc judicium? an quia licitum est sequi opinionem probabilem, quæ asserit esse licitum, cùm sit probabilis opinio, sed hinc non potest formari illud judicium, quia hoc est manifestè petere principium, nam de duabus probabilibus oppositis quæstio est, an possit sequi quamcunq; ex illis probabilem. Deinde ad dubium tollendum videre oportet, quodnam erat, non enim erat dubium, an opinio utraq; esset probabilis, sed ultra quæ esset vera, an illa, quæ asserit esse licitum, an illa, quæ negat licitum, & asserit illicitum, sed cum hoc quod sit probabilis utraque adhuc remanet dubium, quænam ex illis vera sit, ergò per hoc solum, quòd sit probabilis, non est sublatum dubium, & sic non licet illam sequi, Respond. neg. min. suæ probationis, fateor enim cum communi, nullam opinionem esse sufficientem regulam rectè operandi, quamdiu est permixta dubio, nec tunc habere veram opinionis rationem dico, quousq; non excluditur omne dubium ab opinante, unde sequens opinionem probabilem excludit omne dubium, quia ipsa natura opinionis illud excludit, unde ille, qui opinionem probabilem, & etiam probabilissimam cum dubio sequitur, insipienter agit, & revera nescit, quid sit opinio, & quid dubium, nam dubitans neutri assensum præbet, opinans autem assentitur uni parti ex duabus contradictoriis, vel contrariis. Aut si aliquis in sequenda opinione probabili habet aliquem remorsum vel fluctuationem mentis, est potius scrupulus, seu dubium speculativum, quàm verum dubium reale, quia dubium reale tollitur per ipsam opinionem, quam nunc & defacto eligit tanquam probabilem, cuique in præsenti præbet assensum.

Hæc quoad substantiam argumenti, quando igitur Dominus Candidus, & quiscunq; Probabiliorista, prout erat in oppositione, quærit judicium, quale illud sit, per quod tollitur dubium, & sicut illud putat non posse responderi sine petitione principii, dico falsum esse, quia judicium illud, quod tollit dubium, non est propositio illa dicens & docens esse licitum sequi opinionem probabilem, sed est effectus ab illa propositione tanquam à causa procedens, per quam tanquam præmissam formatur conclusio judicans hunc actum, & hanc operationem esse licitam, v. g. volo contractum aliquem facere, de quo est controversia, an sit licitus, eò quòd una opinio affirmet, altera neget, stante dubio neutram sequi possum, ast affirmativam amplecti velim, perfectissimum judicium & ultimum ad omne dubium pellendum sufficiens est formare hunc Syllogismum:

Maj. *Licitum est in quibusdam actionibus humanis sequi opinionem probabilem relicta probabiliori, si benè sit fundata & rationibus munita:* IX. Syllogismus per quem tollitur dubium.

Min. *Sed opinio dicens, hunc contractum, v. g. esse licitum est, optimè rationibus fundata, quas cognosco ut nervosas & efficaces:*

Conseq. *Ergò mihi licitum est hic & nunc defacto sequi & amplecti.* In quo Syllogismo judicium ultimum determinans intellectum est conclusio evidenter deducta secundùm formam optimam syllogisticam, adeoque non per petitionem principii, sed per judicium evidenter deductum pello omne dubium. Ut autem pateat Syllogismum præmissum, ex quo ultimum formatur judicium, & evidenter concludere, debet operans primò in majori certò judicare sibi licere sequi opinionem probabilem relicta probabiliori, quia nempe in hujusmodi rebus Doctores communiter solent docere, posse hominem tutâ conscientiâ sic operari, doctrinam esse in praxi tutam, quod probant quoque fundamenta valdè gravia & rationabilia, ex quo discursu major fit evidens, & certa moraliter, non quidem quoad veritatem in se spectatam,

tam, sed quoad probabilitatem & certitudinem moralem. Deinde debet etiam in minore formare judicium certum, quod talis opinio, quam vult sequi, sit benè fundata rationibus, si enim id non sciret moraliter certè, non posset tuta conscientia illi fidere, potest autem hoc certò scire simili modo isto, quia videt eam gravi fundamento authoritatis & rationis niti, quam ipse neq; solvere potest, neq; replicare, & sentit se omninò inferioris judicii ad infringendam, semper loquendo de certitudine probabilitatis, non verò prout est in se, unde tandem ex majori & minori evidenter moraliter certis, sequitur ultimum judicium practicum certum & evidens, quòd actio hic & nunc exercenda sit licita & honesta, non quidem prout est in se, sed prout rationes & motiva dictant.

Instatur: Per totum istum discursum non evitatur petitio principii, nec sufficiunt præmissæ illæ ad judicium ultimum debitè formandum, quia propositiones illæ sunt tantum moraliter, & probabiliter veræ, adeoque nihil probant, ergò. Respond. neg. antec. quoad utramque partem, nam per causam probare effectum, nulla est principii petitio, præmissæ ergò se habent tanquam causæ, per quas deducitur tanquam effectus ultimum judicium, nisi quis velit dicere, argumentum à definitione ad definitum esse principii petitionem. Quoad alteram partem dico quoque illud irrationabiliter negari, cùm enim in moralibus plerumq; contingat, nos non habere certam, & exploratam rerum veritatem, & dedisse DEUM disputationib9 nostris totum mundum, unde ad aliquid concludendum, & maximè in moralibus non possumus assumere nisi rationes moraliter, seu probabiliter veras, & certas, nec ipsi probabilioristæ plus habent, aut plus pro se prætendere possunt, quâ ratione ergò illi dicunt non sufficere rationes probabiliter veras, dicam ego nec sufficere rationes probabiliter veriores.

Urgetur: Ex opinione probabili sequi non potest judicium certum & firmum, cum ipsa tali certitudine & firmitate careat, ergò. Respond. neg. antec. Quia opinio probabilis licèt quatenus fertur in objectum non evidens, non sit certa & firma, in ratione tamen objecti probabilis est certa, nam evidens est, eam esse probabilem, eo ipso, quòd nitatur gravi fundamento authoritatis vel rationis, unde judicium ejus veluti reflexum super ejus probabilitatem potest esse certum, & quia penes hoc alteri innititur principio certo, quod homo sequens probabilem propositionem practicè non peccet, intellectus inde deducit ultimum judicium certum de actione hic & nunc licitè exercenda, quando enim utraq; præmissa est, conclusio fit quoq; certa. Denique ajo, si instantia valeret, urgeret quoque contra probabiliorem, nam etiam ipsa certitudine & veritate physicâ caret, quamdiu manet intra limites probabilitatis.

Arguitur Septimò: Sequeretur, quod medicus curando infirmum, sciens se habere duas curandi vias, & duo diversa medicamenta, quorum unum minus probabile judicat profuturum, & alterum quod magis probabile profuturũ existimat, posset relicto hoc probabiliori sequi minus probabile, quia hoc videtur absurdum, nullus enim ægrotus quidem probabilista vellet habere talem medicum, qui probabilius non curaret, & non curando permitteret mori. Et sic etiam sequeretur, quòd dare posset medicamentum, quod magis probabiliter obesset, & minus probabiliter prodesset, & sic probabilius occideret. Respond. interim ad favorem probabilitatum, cum Sanchez & Suarez negando maj. Quia medicus tenetur ex charitate succurrere ægroto, quantum potest, non tamen ex justitia aut ex officio. Sed contra Sanchez, &c.

Instatur: Aphrodiseus dicit: *Medici officium est, ut omnia agat, quæ*

quæ possit, ut ægroti corpus sanet, quod etiam Aristoteles docere videtur, dum 1. Rhet. cap. 1. in fine dicit: *Medici est sanitatem inducere, quoadusque possibile est*, ubi benè nota particulam *quoadusque possibile est*, ergò non est licitum Medico post inventam speculationem, & probabilitatem cessare, sed debere laborare, quantum possibile est, ut sanitatem inducat, & consequenter minus poterit ex officio suo minus probabilia medicamenta adhibere, quando præstò sunt magis probabilia. Respond. neg. conseq. exinde deductas, quia Aphrodiseus & Aristoteles aliud non volunt, quàm quòd Medicus talem ac tantam adhibeat diligentiam, qualis & quanta sufficit ad omnem negligentiam culpabilem excludendam, non autem voluit, quòd ad majorem, & plusquam sufficientem obligetur, alioquin vix unquam operari possit, cùm in speculabilibus vix sit inveniendus finis, & deinde hoc nimis grave onus foret; ut ergò quis officio suo satisfaciat, sufficit, ut prudenter & circumspectè agat, non autem stultè & temerè, supponit ergò instantia duo falsa, nempe medicinam probabilem obesse, & necare ægrotum, est enim improbabile & extra verum asserere; medicamentum minus probabile nocere, & afferre mortem, nam tàm probabile, quàm magis probabile medicamentū habet vim & efficaciam sanandi, solumque differunt secundum magis & minus, adeoque nullum absurdum hinc sequitur; plusquam in illo, qui nullam vellet sumere medicinam, sed parcè vivendo DEO se totum commendare; sicut Carthusiani recusant comedere carnes tempore infirmitatis gravissimæ, quamvis magis probabiliter dicatur eis, se evasuros mortem si comederint, uti ordinatum est in capitulo 4. secundæ partis novarum constitutionum, quemadmodum citat Dionys. Carthus. de laude sui Ordinis art. 11 & art. 2. allegat plures rationes in sat fuso discursu, totum autem discursum claudit Gerson: Deniq; generaliter est conclusum, ut nullus Frater Ordinis illius unquam comedat carnes, imò si petat, ei negetur. Ratio sunt verba Isidori: Lex illa rationabilis est censenda, quæ convenit Religioni, congruit disciplinæ, proficitque saluti. Aliundè medica licentia vescendi carnibus tempore infirmitatis paulatim fieret occasio magni & multiplicis mali: Decrescet fervor, dum putabitur indigentia. Ex quo sic formo argumentum pro defensione probabilitatum, etiam magis Benignorum: Medicus non magis obligatur curare sanitatem infirmi, quàm ipse infirmus teneatur eandem sibi procurare, quia quidquid agit Medicus, facit in gratiam infirmi; sed infirmus non tenetur sequi opinionem pro se probabiliorem ad conservandam salutem corporalem, ergò nec Medicus pro ipso: maj. patet; Probatur min. Tum ex usu Carthusianorum, qui potius periculum mortis subeunt, quàm carnes in infirmitate manducent: Tum ex eo, quòd multi etiam Medicum non quærunt, sed DEO se committunt, parcè vivunt juxta illud Eccles. 29. *Initium vitæ hominis, aqua, & panis, & vestimentum, & domus protegens turpitudinem.* Imò multi sunt Religiosi, qui pretiosiora medicamenta licèt probabiliora sumere respuunt ob amorem paupertatis, nam ut dicit Dionysius Carthusianus citatus: *Quod fit ex summa charitate, non adimit charitatem*, unde nec isti, nec illi ab aliquo redarguuntur, nec aliquis sibi propter hoc scrupulum facit, quia ad servandū præceptum dilectionis sui ipsius sufficit, quòd quis se non occidat, nè se mutilet, non se malè tractet, directè quærendo mortem, alioquin si omnia, quæ indirectè nocent corpori, deberent esse mala, esset & illicita professio Fratrum Minorum propter jejunia, frigora, nuditates, & his similes mortificationes, unde pulchrè dixit S. Bernardus Serm. 30. in Cantica: *Quid verò prodest temperare à voluptatibus, & investigandis diversitatibus complexionum, cibo-*

(*) Cccc rumq;

rumq; varietatibus exquirendis, quotidianam expendere curam? Legumina (inquit) ventosa sunt, caseus stomachum gravat, lac capiti nocet, potum aquæ non sustinet pectus, caules nutriunt melancholiam, choleram porri accendunt, pisces de stagno aut de lutosa aqua meæ penitus complexioni non congruunt. Quale est hoc, ut in totis fluviis, agris, hortis, cellariis vè reperiri vix possit, quod comedas? Puta te, quæso, monachum esse, non medicum, nec de complexione judicandum, sed de professione. Quæ in favorem probabilitatum dicta sunt. Quo non obstante dicendum est, medicum teneri dare medicamenta magis certa, & si iis caret, quæ sunt probabiliora relictis minus probabilibus, aliàs ægrotum exponit evidenti periculo mortis, cùm incertum remedium possit esse mortiferum, agendo non solùm contra charitatem, sed etiam fidelitatem sui officii, quod infideliter exercet contra infirmum, qui se commendavit suæ curæ, ut tenent Sayrus, Layman, Vasquez. Sed hinc

Urgetur argumentum pro Probabilioristis: Sacerdotes à Patribus frequenter vocantur, & comparantur medicis, unde etiam in Sacramento Pœnitentiæ jubentur pœnitentibus injungere salutares & medicinales pœnitentias, ergò si medici tenentur in curandis corporibus probabiliores adhibere medicinas, etiam id tenebuntur præstare animarum medici, & tantò magis, quantò plus anima suis prærogativis excellit corpus, cùm sit longè gravius negotium perdere animam, quàm corpus, unde Christus etiam dicit: *Nolite timere qui occidunt corpus;* & iterum: *Quid prodest homini, si totum lucraretur mundum, animæ verò suæ detrimentum pateretur.* Respond. neg. conseq. Primò, Quia medicina adhibenda corpori, quæ non cognoscitur certa & apta ad sanandum corpus, eo ipso est improbabilis, cùm potius mortem, quàm sanitatem sit allatura, medicina verò animæ consistens in opinionis usu, habet suam certitudinem, quòd allatura sit sanitatem secundum magis & minus, id est, excusationem à peccato, qualiscunq; enim medicina opinionis sit, sive probabilis, sive probabilior, continet securitatem à peccato, & est in sanitate conscientiæ tutus, nam ut docet Castropalaus disp. 2. p. 2. n. 3. dicit: Inter opiniones unam non esse aliâ tutiorem, imò omnes esse æq; tutas & securas; & Caramuel disp. 6. Regular. n. 58. docet idem, & omnes opiniones probabiles vocat tutissimas, quia per eas operans non peccat mortaliter, nec venialiter.

Secundò est aliâ quoq; disparitas inter medicinam corporalem, & opinionem probabilem, nam depulsio morbi & restitutio sanitatis dependet ab efficacia reali physica, & entitativa ipsius medicinæ, unde nunquam acquiritur propter medici opinionem & existimationem, quantumcunq; prudentem, sed per realem illius efficaciam, aliter autem se habet ùsus probabilitatum in materia conscientiæ, & causa salutis nostræ, quia in his dependet tota salus, & consecutio finis intenti à prudenti judicio, & æstimatione prudentis, quia DEUS solummodò cor hominis petit, id est, rectam & prudentem intentionem: *Fili præbe mihi cor tuum*, unde DEUS acceptat bonam voluntatem & placet sibi, quando quis prudéter existimat actionem aliquam esse honestam, & DEO placentem, licèt à parte rei non esset ita, & hæc est genuina differentia, quare pro directione conscientiæ sufficiat, non verò probabilis medicina pro salute corporis, quia hæc à physica entitate, illa verò ab intentionali rectitudine dependet. Quòd autem Patres comparent Sacerdotes medicis, eò quòd vulnera curare debeant animarum, & præcavere, nè per peccata moriantur, alioquin ipsi eos suscitare non poterunt, unde S. Augustinus Enarrat. in Psalm. 87. circa finem dicit: *Quantumlibet ergò existant excellentes verbi prædicatores & veritatis,*

tatis, etiam per miracula sua fortes, tanquam magni medici agunt cum hominibus, si mortui sunt, & tua gratia non revixerint : nunquid mortuis facies mirabilia, aut medici exsuscitabunt, & hi, quos exsuscitabunt, confitebuntur tibi? Hæc enim confessio indicat vivos.

Urgetur adhuc: Deplorandum videtur esse, quòd in adhibendis medicinis corporalibus adhibeatur, & adhiberi debeat accurratior diligentia, quàm in spirituali animarum profectu, cùm tamen ab illa perpetua salus tàm animæ quàm corporis, æterna vita vel mors, & sempiternum supplicium vel gaudium dependeat, ergò si in illis tenetur medicꝰ probabiliorem, etiam in istis. Respond. neg. antec. & suppositum ejus, quasi verò propter probabilem opinionem non adhiberetur accurata & tàm sufficiens diligentia, quàm ad animæ sanitatem conservandam vel recuperandam, quàm adhibetur in corporali medicamento probabiliori, nam quælibet opinio probabilis est præservativa & curativa, quare si appareat aliquando minor, non est formaliter minor, sed tantum materialiter, quia medicus non potest attingere suum effectum intentum per probabilem tantum, sed debet habere probabiliorem, quia ab ipsa re, & ejus efficacia entitativa dependet, non sic autem medicina spiritualis. A medico progredior ad istum casum magis, & ad plures similes fusiùs examinandos, sit igitur

QUÆSTIO QUINTA.

An in omni materia licitus sit usus opinionis probabilis relictâ probabiliori?

Usum probabilitatum nemo condemnare potest, nam cùm in rebus moralibus, utporè, quæ sunt purè contingentes, nulla physica certitudo haberi possit, probabilitas certa ad actiones humanas regulandas sufficit, unde hactenus probabilitatum usum satis probavi licitum, quia tamen in conclusione tertia, quæst. 4. sat notabilem indicavi modificationem & restrinxi, *ad actiones humanas ordinarias regulandas* sufficere, nunc videndum restat, quales sint illæ actiones exceptæ? Et ordinariè controvertitur de istis, An videlicet Sacerdos in administrandis Sacramentis, in materia & forma, relicta probabiliori, possit minus probabilem sequi? An medicus, de quo paulò ante incidentalis fuit sermo, relicto probabiliori medicamento possit minus probabile assumere ad infirmum curandum? An judex in decidendis causis, & ferendis sententiis teneatur juxta probabiliora argumenta judicare? An Rex ob jus probabile tantùm & non certum, possit alteri regi inferre bellum? Et universaliter quando timetur grave damnum in præjudicium tertii, licitus sit probabilitatum usus? In qua materia Marcus Vidalis, tract. de opinione probabili, Inquis. 2. affirmat in quavis materia pro implenda obligatione ex charitate præstita, licitum esse usum probabilis opinionis relicta probabiliori, cujus opinionis videtur quoq; esse Oviedo controv. 3. &c. Ante resolutionem

Prænotandum Primò : Circa opinionũ probabilitatem tria communiter ab Authoribus, & Theologis supponi tanquam certa. Primò, licitum esse sequi conscientiam probabilem afferentem, aliquid licitè fieri cum facta diligenti inquisitione & sufficienti diligentia, alia tutior & probabilior non apparet : Deinde certum quoque est, hominem non semper teneri sequi tutiorem sententiam, sed posse sequi minus tutam, si illa sit probabilior, & veritati conformior. Tertiò denique certum supponitur, quod si opinio minus probabilis ex ratione, seu motivo intrinseco fiat probabilior, & magis certa ex motivo extrinseco, seu ab authoritate docentium, quod licitè & tutè possit quis eam

sequi, quia tunc est absolutè probabilior.

III. Quæstio alia juris, alia facti.

Prænotandum Secundò: Materiam, circa quam versari potest opinio probabilis, duplicem esse: *Juris*: & aliam *Facti*. *Juris* dicitur, quando controvertitur de honestate alicujus actionis, an videlicet actus sit conformis legi æternæ, & tunc tota conformitas dependet totaliter à prudenti judicio, & existimatione operantis, per quam eidem lex æterna præcipiens, vel prohibens proponitur, & periculum quod tunc timeretur ex usu opinionis minus tutæ est periculum operandi contra propriā conscientiam, quod cavetur ex ipso, quod operetur ex opinione probabili, quia non adeò rigidè obligavit nos DEUS ad honestatem actuum, quòd teneamur eos conformare cum objecto, vel subjecto, quoad entitatem physicam, cùm rarò pro hoc statu exactam rerum possimus habere veritatem. *Materia Facti* verò dicitur, quando agitur de valetudine actûs alicujus, quando actus non dependet à judicio nostro, quantumvis prudenti, sed aliunde, nimirum vel ex alterius institutione, & voluntate, sicut valor Sacramentorum, qui dependet præcisè ab institutione Christi, vel ab esse physico, & naturali, quam res naturales habent sibi à natura congenitam, ut valor medicaminis, & remedii infirmo applicandi, atq; ideò in hac materia facti relinquere viam certam, & tutam, quæ haberi potest, & amplecti minus probabilem, omninò est contra prudentiam agere, quia prudentia dictat in tali materia eam actionem esse in praxi adhibendam, quæ omne periculum mali, quod potest timeri, tollat, maximè si habeatur, & commodè applicari possit. Hoc prænotato

Sacramenta semper materiam certam & tutam ac...

Dico Primò: *In conficiendis Sacramentis eâ formâ, & materiâ utendum est, Per se, quâ communiter utitur, & uti mandat Ecclesia, relictâ quacunq; opinione aliâ quantumcunq; probabili.* Est Scoti in 4. d. 11. q. 6. & communior. Probatur Primò: Ex Decreto Innocentii XI. emanato 1679. ubi prima propositio ex damnatis ab eo hæc est: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiori, nisi id lex vetet, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi, hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis, aut episcopalis.* Probatur Secundò: Aliquis utens in hac materia opinione probabili relicta probabiliori, exponit se periculo & peccato non obediendi Christo, qui illas sacras ceremonias, seu Sacramenta instituit, & sanctè tractanda mandavit. Deindè opponit se Ecclesiæ, quæ illas materias & formas adhibendas esse declaravit. Tertiò, facit injuriam proximo, quia privatur fructu Sacramenti, qui à nullius opinione dependet. Et tandem videtur esse contra justitiā, quia suscipiens petit ex jure suo, ut Sacramenta modo infallibili sibi ministrentur, sed hæc aut sunt contra reverentiam Sacramento debitam, vel contra utilitatem vel suam, vel proximi, apparetq; adesse aliquis contemptus, ergò. Probatur major: Effectus Sacramenti non dependet ab ulla opinione probabili, sed alligatur signis Sacramentalibus à DEO institutis, estque quæstio in materia facti, non juris, ubi liberum non est opinari, cùm res summi sit momenti, in quo si errandi periculo se quis exponat, graviter peccat, ergò cùm certum sit ex declaratione Ecclesiæ hanc assignantis, vel illam formam contrariam esse difformem formæ à DEO institutæ, periculo se exponit peccandi, utendo aliâ formâ, quantumcunq; opinione probabili innitatur.

Dices pro Probabilistis, & Vidali, utendo probabili nullam fieri Sacramento irreverentiam, sicut nec fit irreverentia legi æternæ per usum probabilitatum, aut si quæ est, non est nisi materialis. Deinde etiam utendo probabiliori exponit se tali periculo, nisi planè amplecta-

tur

tur certam. Respond. neg. conseq. Quia magna est differentia in quæstione juris: *An aliquid liceat?* & in quæstione facti: *An aliquid fiat?* Nam cùm quæritur, an aliquid liceat, quod incertum est, sufficit judicium probabile de licito, ad hoc ut illud ex alia regula generali justissimè fiat, quia ut aliquid liceat, non tenemur, nec possumus in rebus moralibus certitudinem habere, quia vix unquam habere possumus: At verò in quæstione facti, an aliquid fiat? Effectus non à judicio nostro, sed à determinatione seu institutione alterius dependet, ita ut hinc non ideò aliquid fiat, quia ita judicamus, si institutio alterius, seu determinatio, aliter se habet, unde in priori quæstione juris nulli me expono periculo faciendi illicitum, quia scio esse licitum agere cum illo probabili judicio, sed in secundo expono me periculo non faciendi, sive minus sive magis probabilem sequar, si possum habere regulam certam, adeoq; imprudenter ago in re gravi, qualis est Sacramentorum confectio, unde non solùm ex ratione charitatis, sed etiam ex reverentia Sacramento debita, sequi teneor certiorem & tutiorem quam habeo, ne irritum faciam Sacramentum.

Hinc cùm Ecclesia ex verbis DEI assignet formam baptismi: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti*, non debet uti illâ: *Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque*, quantumcunq; sit probabilis: Item cum Ecclesia doceat, baptizandum esse in aqua naturali, non licet in rosacea baptizare, quantumcunque hæc opinio sit probabilis, nisi fortè extrema urgeret necessitas, si v. g. infans agonizaret, & nulla alia aqua adesset, tunc possem baptizare, quia inter duo incerta, Ecclesia judicat potius Sacramentum incertitudini effectûs committendum, quàm hominem in periculo damnationis relinquendum, talis tamen si viveret, rebaptizandus esset sub conditione. Idem dic de absolutione danda homini moribundo, nulla signa contritionis exhibenti, sed Christianè viventi, ob quæ in Conclusione dixi, *Per se*. Sed

Arguitur: In præcepto de succurrendo proximo per eleemosynam possum sequi opinionem minus probabilem, & minus tutam, ergò etiam in ministratione Sacramenti, quâ succurro proximo, & medicamentum præbeo spirituale, imò etiam possit ita argui pro medicamento corporali à paritate. Respond. distjng. anteced. Si sit periculum proximi, & possum absq; meo gravamine sequi magis securam, neg. antec. deficiente tali periculo, vel stante gravamine, conc. antec. & neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia in istis, & similibus sum possessor meæ libertatis, antequam constet, me teneri ad amplectendam illam opinionem: In administratione autem Sacramentorum, lex est in possessione, quia constat præceptum esse de iis debitè administrandis, & absq; periculo privandi eâ suo effectu, quando nihil impedit me ad hoc faciendum.

Instatur: Ergò falsum est, posse aliquem sequi opinionem minus probabilem relictâ probabiliori. Respond. disting. conseq. ergò falsum est, quantum ex se, neg. quantum est ex mandato DEI Sacramenta instituente, & Ecclesia sua consuetudine tali formâ & materiâ utendum esse, mandante, conc. quod melius ex sequentibus patebit.

Arguitur Secundò: Ex Conclusione sequeretur, non posse aliquem absolvi habentem opinionem probabilem, existente aliqua opinione de eadem re probabiliori, sed hoc est contra supradicta, ergò. Probatur seq. maj. Ideò non satisfacit, & peccat contra charitatem Medicus dando medicinam minus certam, cùm possit dari magis certa, & Sacerdos applicans formam probabilem, cum possit applicare certam, sed sic est de opinione probabili re-

spectu magis probabilis in quacunque materia, ergò. Respond. neg. seq. maj. & probatam paritatem, sed ulterior disparitas est, quòd effectus Sacramentorum non dependet ab ulla ratione probabili, sed ab institutione Christi, & forma, qua Christus nos uti voluit, quænam autem ista sit, sufficienter declaravit Ecclesia. Idem dic de secundo, nam vita proximi non dependet à remedio probabili, sed certo, secus autem dicendum est de opinione probabili in aliis materiis, nam cùm non constet de certa, possum sequi quamcunq; probabilem, nam quæ meo judicio est probabilis, alteri potest videri probabilior. Deinde ego sequendo opinionem probabilem, sum moraliter certus me non peccaturum, Medicus sequendo minus probabilem, non est certus moraliter infirmum non moriturum.

Arguitur Tertiò: Ordinatio Episcopi debet fieri à tribus Episcopis, qui similiter sic fuerunt ordinati, & ita constitutum extitit ab ipsis Apostolis, & postmodùm particulari decreto stabilitum in Concilio Carthaginensi est, cui interfuit S. Augustinus, qui can. 39. sic loquens introducitur: *Aurelius Episcopus dixit: Forma antiqua servabitur, ut non minus quàm tres sufficiant, qui fuerint destinati ad ordinandum Episcopum*; quod etiam in aliis canonibus juris Pontificii refertur & statuitur, qui videntur legitimi ministri, & necessaria forma ad Episcopum aliquem consecrandum, sed non obstante hac Apostolica, & Canonum ordinatione. Gregorius Magn' concessit Augustino, Episcopo Angliæ, ut solus consecraret ibidem Episcopos, idem fecit Gregorius XIII. cum Patriarchis Æthiopiæ, & Pius V. hoc ipsum indulsit in India, ergò etiam in administratione Sacramentorum, licitum est uti opinione probabili relicta probabiliori, quia certum est, priorem opinionem esse probabiliorem, quàm posteriorem indulgentiam, & Pontificum dispensationem. Respond. disting. maj. Episcopi ordinatio debet fieri à tribus Episcopis, nisi dispensetur à summo Pontifice, ob graves & urgentes necessitates, conc. si dispensentur, neg. maj. & concef. min. neg. conseq. quia quoad valorem Sacramenti sufficit ad ordinationem Episcopi unicus Episcopus, sicut etiam ipsimet Apostoli alios ordinaverunt soli, unde tres solummodò adhibentur, vel ob majorem reverentiam & decentiam tantæ dignitatis, vel ad testimonium collatæ jurisdictionis & privilegii Episcopalis.

Instatur: Ad Sacramentum pœnitentiæ administrandum sufficit attritio seu dolor de peccatis ex motivo aliquo supernaturali, cum tamen tutius sit adhibere contritionem seu dolorem ex motivo charitatis, ergò etiam in Sacramentis administrandis potest quis sequi opinionem probabilem relicta tutiore. Respond. conc. antec. disting. conseq. quando illa probabilis opinio est conformis menti sanctæ matris Ecclesiæ, conced. quando est difformis, neg. conseq. nunc autem attritionem sufficere ad Sacramentum pœnitentiæ clarè docet Tridentum, Sess. 14 cap. 4. dicens: *Quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad DEI gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit. Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem plenam terroribus, pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetrârunt.*

Urgetur: Confessarii absolvunt etiam attritos, licèt non sint moraliter certi, quod pœnitens formalem & veram habeat attritionem, dummodò habeant probabilia signa, ergò in hoc Sacramento tantùm probabilitatem sequuntur, & relinquunt opiniones tutiores, quales sunt quæ requirunt contritionem vel saltem attritionem formalem. Respond. neg. suppositum antec. quasi verò confessarius non esset moraliter certus per signa illa probabilia, nam cùm nec ipse pœnitens

nitens sciat, an sufficientem dolorem realem habeat, vel tantùm putatum, nec confessarius ad majorem certitudinem vel notitiam adstringi, hæc enim utiliter ignorantur, ut homines magis se humilient, magisq; cum timore & tremore operentur suam salutem.

V. Medicus tenetur & [illegible]

Dico Secundò: *Medicus in præscribendis medicinis tenetur probabiliorem, & tutiorem sequi sententiam.* Ita Navarrus. Probatur Primò ex Scoto in 2. d. 14. q. 3. in fine, ubi dicit: Est conveniens, & necessarium, quòd bonus medicus habeat scientiam Astronomiæ: possunt enim propinare aliquo tempore medicinam, quæ interficit, quæ tamen alio tempore liberaret, ergò ex Scoti doctrina medicus debet esse accuratissimus, ut tempus propinandi medicinam, ejusque qualitatem, infirmi statum, & alia concurrentia exactè perpendat, nisi velit occidere infirmum.

Dices: Si Medicus tenetur sequi tutiorem, & probabiliorem ob periculum mortis infirmi; ergò etiam quilibet in materia honestatis & virtutis exercendæ ob periculum occidendi animam tenebitur probabiliorem sequi. Respond. neg. conseq. Quia in materia honestatis & virtutis cavetur omne periculum per opinionem probabilem, quia est materia juris, non facti, sicut est medicina, quoniam nullum judicium potest facere efficacem, sed illam à natura habet, & DEO ejus authore, unde si non adhibeantur omnia ingredientia ad efficaciam, nihil efficit medicus, adeoq; ille ad singula attendenda, & benè perpendenda obligabitur. Hinc

Probatur Conclusio Secundò: Tum, quia periclitatur vita proximi, si sequatur minus probabilem, quia medicus ex charitate tenetur proximum juvare modo, quo optimè potest: Tum, Quia medicina non est materia juris, sed facti, quæ non à prudenti judicio alicujus hominis, sed à naturali efficacia & veritate physica dependet, & consequenter tenetur probabiliorem sequi. Nota tamen, quod si jam desperatum esset de infirmo, posset tunc medicus dare ipsi medicinam, quam dubitat in præcepto charitatis & justitiæ esse conformiorem; in eo enim casu, ut docet Corduba q. 5. post. 1. concl. Nam tunc prudenter simul, & audacter medicandum est, ut admonet Galenus, nè ægrotus incuriâ medicorum moriatur; Et secundùm alterum aphorismum: *In desperato morbo, extrema medicina adhibenda est.* Sed pro Vidali sic

Arguitur: Quia leges charitatis & justitiæ erga infirmos obligant, ut applicent ea remedia, quæ prudenter credunt profutura, sed has leges secundùm totum adimplent medici applicando remedia juxta minus probabilem, & minus tutam, ergò: major patet, probatur minor: Cùm enim talis opinio prudenter judicetur vera, alioquin probabilis non esset, creditur etiam ex consequenti, quòd remedium juxta illam applicatum sit salutiferum, & profuturum, quidquid enim ex probabili opinione contingit, non est temerarium, quia conforme cum recta ratione, adeoque etiam non erit peccaminosum, ergò erit licitum sequi. Respond. neg. min. Quia depulsio morbi & sanitas introducenda non pendet à medici opinione quantumcunque probabili, sed præcisè ex natura medicinæ, tales qualitates operativas habente à parte rei, & ideò, licèt sibi videatur hoc aut illud esse probabile, atque etiam ita judicet, hoc judicium non faciet ita se habere in rei veritate, unde ex officio suo tenetur non solùm formale cavere periculum, sed etiam materiale, quia ex tali periculo materiali sequitur irreparabile damnum tertii, quod non contingit in quæstionibus de honestate actûs.

Instatur: Hinc sequeretur neq; licere in medicina adhibere etiam probabiliorem sententiam, si sit minus tuta, & consequenter erit eligenda magis tuta, licèt sit minus probabilis. Respond. conc. quidem

sequelam,

sequelam, sed negando suppositum, quasi verò in medicina detur magis tuta, quæ sit tamen minus probabilis, eo ipso enim, quod est medicina magis tuta, est quoq; magis probabilis, & cùm in ea nunquam omittere liceat remedium certum & tutum, quando est in promptu, quòd non sit certum præ manibus, tunc quoque tenetur medicus accipere remedium illud, quod est certo, & tuto proximius, & tunc concurrente alia minus probabili, ista censeretur esse probabilior. Ex quo argumento omnes aliæ difficultates solvi poterunt, quas Marcus Vidalis contra Probabilioristas opponit. Veruntamen adhuc generaliter sic pro eo

Arguitur Secundò: Eligens opinionem probabilem prudenter operatur, & juxta dictamen rectæ rationis, alioquin opinio probabilis non esset, ergò tutâ conscientiâ ex ea operatur in omni materia, sive sit facti, sive juris, sive opera procedant ex justitia, sive ex charitate: Probatur conseq. Quia non est major ratio, quare opinio probabilis sit recta operandi regula in una materia magis, quàm in altera. Et hoc est argumentum, quod etiam in qualibet materia currit, & ubique urget, concessa semel majori, quòd recta operandi regula sit opinio probabilis. Respond. disting. maj. prudenter operatur in quæstionibus de honestate actûs, conced. In quæstionibus de materia facti, neg. maj. Et ratio disparitatis est, quia in quæstione de honestate vel turpitudine actûs, honestas & licitas dependet totaliter à prudenti judicio, & existimatione operantis: ast in quæstionibus facti, & materia de valore facti non sic dependet ab operantis judicio, sed à voluntate alterius ordinantis, statuentis, & determinantis, vel etiam ab ipsa natura rei, unde in materia Sacramentorum, medicinæ, & judiciis certam vel tutam opinionem sequi debet, aut si hæc non patet, secundùm Doctorem subtilem, certæ & tutæ proximior via est eligenda, quia per solam hanc ad certitudinem rei pertingere potest.

Instatur: Hinc sequeretur, quòd in materia Sacramentorum, medicina, & judiciis nulla daretur probabilis opinio, quia nemini licet ei unquam uti, imò non essent opiniones probabiles, sed improbabiles, quod est contra communem Doctorum sensum. Respond. neg. maj. aut si mavis distingue: nulla darentur opiniones probabiles speculativè, neg. practicè conc. Ratio est, quia ex illis non possum formare judicium practicum, quod dictaret, hic & nunc esse licitum omittere absque ulla causa rationabili modum certum, vel saltem tutiorem & probabiliorem, sicut licet in quæstionibus de honestate actûs, vel obligatione, ut constat de re inventa, cujus dominus ignoratur, de restitutione facienda in extrema necessitate, cùm quis venit ad pinguiorem fortunam; de confitendo statim post peccatum commissum, habita copia confessarii, nam via certa & ab omni periculo immunis est restituere, & confiteri, & tamen hac relicta nobis licet sequi oppositam opinionem probabilem minus tutam, quod tamen in aliis de materia facti nobis non licet.

Arguitur Tertiò: Operans prudens ut talis non requirit summam rei certitudinem, sed moralem tantùm pro capacitate materiæ, ergò nec etiam in opinionum electione requiritur, ut probabilior & tutior eligatur: antec. patet, probatur conseq. Quia dum probabilis opinio eligitur, prudenter operatur, ergò licitè, quoniam prudentia est actionum humanarum vera regula. Respond. disting. conseq. In materia, ubi per solam probabilem ad talem gradum certitudinis moralis perveniri potest. conc. ubi per eam solam non potest perveniri, nego conseq. In casibus autem & quæstionibus facti non potest per solam probabilem perveniri ad debitum certitudinis gradum, sed debet ulterius

ulterius inquirere de institutione, & voluntate alterius, sicut semper Ecclesia in administratione Sacramentorum, teste Doctore subtili in 4. d. 11. adhibuit modum, facto & institutioni CHRISTI magis conformem, vel promulgationi per ejus Vicarium magis concordanti. Similiter in medico, perpetuo hominum usu, & consuetudine ab omnibus gentibus observata, ac proindè jure gentium introductum est, ut quamvis sint plures opiniones de medicina probabiles, tamen probabiliorem & tutiorem semper tenetur medicus amplecti. Idem constat de Judice ex juribus infra abundè allegatis præcipientibus, quòd judex secundùm allegata & probata procedat. Eadem quoq; est in casibus aliis, ubi agitur de irreparabili, vel gravi damno in præjudicium tertii.

Instatur: In occursu plurium opinionum probabilium una magis accedit ad rei veritatem quàm altera, sed supponimus in quæstione, quòd utraque sit probabilis, ergò utraq; eligi potest, cùm una opinio magis ad veritatem non accedat quàm altera. Respond. disting. anteced. quando una & altera est æq; probabilis, transeat: quando una est magis probabilis quam altera, neg. antec. Quia illa propositio & opinio magis accedit ad veritatem, quæ melioribus & efficacioribus nititur argumentis, quamvis enim aliquando falsa sint probabiliora veris, hoc tamen non contingit, si utrinq; argumenta ex visceribꝰ causarum benè perpendantur. Sed.

Urgetur: Ille accessus non potest cognosci, nisi etiam ipsa veritas cognoscatur, sed cognita veritate altera opinio non manet amplius probabilis, sed falsa, ergò stante probabilitate utriusque una potest tàm benè eligi, quàm altera. Respond. disting. maj. Accessus ille non potest cognosci, nisi cognitâ veritate in se & à priori, conc. arguitvè & à posteriori, neg. antec. Itaq; rationes probabiles non nisi arguitivè, & à posteriori deducunt ad veritatis cognitionem. Similiter distinguo minor. sed cognita veritate in se & à priori, conc. min. à posteriori, neg. minor. & consequentiam.

Urgetur adhuc: Improbabilis opinio nunquam potest amplecti, ergò opinio probabilis semper: probatur conseq. Quia aliàs sequeretur, quòd probabilis & improbabilis non opponerentur contradictoriè, si quod de una negatur, de altera non affirmaretur, sed probabilis & improbabilis contradictoriè opponuntur, ergò si improbabilis nunquam est licita regula, probabilis semper erit. Respond. cum Mastrio neg. conseq. cum sua probatione, quia non est necesse, quod quidquid de uno negatur contradictorio, affirmetur de alio, nam de asino, v. g. negatur intellectio, & tamen non necessariò intellectio affirmatur de non asino, nam in multis reperitur hæc negatio, quæ non sunt intellectionis capacia, unde non valet arguere, asinus non est intelligens, ergò non asinus est intelligens.

Dico tertiò: *Judex in ferendis sententijs tenetur sequi opinionem probabiliorem secundùm allegata, & probata.* Est Doctoris hic in 3. d. 19. q. un. §. *Hic dico.* Sequitur Vasquez 1. 2. disp. 64. cap. 2. & ita definivit Innocentius XI. in Decreto suo edito anno 1679. die 2. Martij damnat sequentem propositionem: *Probabiliter existimo judicem posse judicare juxta opinionem, etiam minus probabilem.* Idque Probatur 1. Ex S. Scriptura Exodi 18. *Provide autem de omni plebe viros potentes, & timentes DEUM, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam, & constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos.* Devteron. 17. *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram: & judicium intra portas tuas videris verba variari: surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus* VI.

Judex debet sequi tutiorem in judicando.

nus DEUS tuus, veniéſque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem qui fuerit illo tempore, quæréſque ab eis, qui indicabunt tibi judicij veritatem. Et cap. 19. *Stabunt ambo, quorum cauſa eſt, ante Dominum in conſpectu Sacerdotum & judicum, qui fuerint in diebus illis, cúmque diligentiſſimè perſcrutantes invenerint falſum teſtem dixiſſe contra fratrem ſuum mendacium.* Job 29. *Pater eram pauperum: & cauſam, quam neſciebam, diligentiſſimè inveſtigabam.* In quibus omnibus locis præcipitur judicibus diligentia, æquitas, juſtitia &c. ergo.

Probatur ſecundò: Ex juribus in 6. Reg. 41. ubi ſic habet: *Inſpiciendum in obſcuris; quod eſt veriſimilius, vel quod plerumque fieri conſuevit.* Deinde in L. *ob crimen.* ff. *de Teſtibus* ſic præcipitur: *Si teſtes omnes ejuſdem honeſtatis, & æſtimationis ſint, & negotij qualitas, ac judicis motus cum his concurrat, ſequenda ſunt omnia teſtimonia, ſi verò quidam ex his quid eorum aliud dixerint, licet impari numero, credendum eſt quod naturæ negotij convenit, & quod inimicitiæ & gratiæ ſuſpicione caret. Confirmabitque judex motum animi ſui ex argumentis & teſtimonijs, quæ & re ipſa aptiora, & vero proximiora eſſe compererit, non enim ad multitudinem reſpici oportet, ſed ad ſinceram teſtimoniorum fidem, & teſtimonia quibus potius lux veritatis aſſiſtit.* Ubi judices jubentur judicare ſecundùm veriſimilius, & probabilius.

Probatur tertio: Quia in litigijs, & in judicio formando à judice tres concurrunt perſonæ, nempe *Judex*, *Actor*, & *Reus*, & ultimis duobus tenetur judex adminiſtrare juſtitiam, ſecundùm quod hæc virtus exigit, nempe unicuique ſuum reddere, & ſic reddendum eſt id, de quo litigatur, illi, qui habet potiora jura, quia clarè apparet rem eſſe hujus, & non illius contra quem jura clamant, ſed in ferendis ſententijs judex tenetur ſervare æquitatem, ut habet *L.* 9. 1. *ff. de Regul. juris*, quam non ſervaret, ſi faveret habenti minora merita in cauſa, deviaret enim à recto tramite juſtitiæ, cujus præcipuè proprium eſt æquitas ex *Ciceron.* 1. *offic.* ergo. Deinde Judex non ſecundùm conſcientiam, ſed ſecundùm allegata & probata judicare debet, *L. Illicitas* 6. §. *Veritas de offic. præced.* Judex eligens opinionem minus probabilem potius agit ex conſcientia ſibi formata, quàm ſecundùm jus, allegata, & probata, quæ ſuadent judici ad faciendum habenti potiora jura; Ipſe enim judex, ſicut cum partes conveniunt, debet ſequi eorum voluntatem in ferendo ſententiam, *L. ſi convenerit.* 26. *ff. de Re jud.* ita etiam debet ſequi voluntatem habentis potiora merita in cauſa, jure enim merito petit ſibi miniſtrari juſtitiam contra adverſarium habentem minora jura: Judex autem ferendo ſententiam non fecit jus, ſed illud declarat, *L. Leges* 9. *C. de legibus. L. ſicuti.* 8. §. *ſed ſi quæratur. ff ſi ſervitus vend.* Jus autem præcipit, ut unicuique ſuum reddatur, conſtat autem habentem potiora jura habere pro ſe ſententiam favorabilem ex interpretatione juris, ergo judex tenetur pro eo ferre ſententiam.

Dices: In alijs quoque materijs honeſtatis & virtutis occurrunt partes ad ſe invicem litigantes, nam ſunt lex Honeſti hinc, & humana libertas illinc: Item eſt DEUS Legislator exigens honeſtum, & homo, qui ſæpè ſuum commodum quærit, unde DEUS apud Prophetam Iſaiam cap. 41. dixit: *ſimul ad judicium propinquemus*: DEUS itaque & homo ſunt partes, ergo reddendum eſt Cæſari quod eſt Cæſaris, & DEO quæ ſunt DEI, ſecundùm quod majora vel minora ſunt merita cauſæ, ſed qui ſequitur minus probabilem, nō ſequitur ſecundùm majora merita, nam in materia honeſti, majora merita ſunt motiva majora, ergo etiam hìc ſecundùm probabiliorem procedere homo debet. Reſpond. neg. antec. Quis enim

enim rationabiliter dicere posset, DEUM esse partem, qui totius est Dominus, & universalis Legislator, contra quem ergo litigabit. Et si D. Paulus ad Rom. 11. justè quærit: *Quis consiliarius ejus fuit?* quasi diceret nullus, multò magis possum quærere, *Quis judex ejus erit?* Nemo profectò! quia ipse est Judex vivorum & mortuorum, qui etiam justitias judicat, Psal. 74. Itaque in alijs non invenitur judex inter actorem & reum, nam intellectus præcisè regulat voluntatem dictando & præscribendo ei, quòd possit sequi opinionem, quam mavult absque peccandi periculo sine relatione ad alteram personam, quæ sit actor vel reus, ideoque intellectus præscribendo voluntati opinionem minus probabilem, non præjudicat alteri, judex tenetur judicare secundùm allegata & probata, & magis voluntatem litigantium sequi, intellectus non procedit secundùm allegata & probata, sed secundùm conscientiam.

Probatur conclus. quartò: Quia Respublica constituit judicem, ut dirimat causas litigantium, non quomodocunque, sed prout melius deprehenderit, & æquius judicaverit, adeoque non est in libertate ejus favere illi, qui minora habet merita, nam si hoc præstaret, esset personarum acceptor, quod tam divino jure quàm positivo inhibetur, nam Proverb. 18. *Accipere personam impij non est bonum; ut declines à veritate judicij.* Et Regulá 12. *in Reg. juris in 6. & cap. Novit. 13. de Judic.* Acceptio autem personarum est iniquus favor unius non merentis, contra alium benè merentem, ergo judex non potest favere habenti minora merita causæ, quia talis favor verè esset iniquus. Sed

Dices: Si Respublica tale judicium exigit à judice in causis minoris momenti, quales sunt res temporales, majori titulo DEUS à nobis tale judicium exiget in causis gravioribus animæ, cùm DEUS sit æquissimus veri, rectique amator, ergo etiam in alijs tenebimur semper sequi probabiliorem sententiam secundùm majora merita, seu majora motiva. Respond. neg. antec. Quia DEUS ex abundantia pietatis & bonitatis suæ non præcepit nobis, ut semper faciamus, quod melius est, nam Matth. 19. dixit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata: Et si vis perfectus esse, vade, vende*, &c. non dixit perfectior, satis ergo est DEO, ut agamus, quod bonum ac perfectum est, judicibus verò præscripserunt Respublicæ, ut in ferendis sententijs melius sequerentur, & hac ratione obviarent malitijs, & ne essent in judicijs acceptatores personarum, ut habetur in juribus paulò ante allegatis, & *in cap. Final. de judic.* 3. q. 9. ubi dicitur, quòd unicuique tribuendum est, quod suum est, æqualitate servata, qualicunque, & quantacunque authoritate sit prædita altera persona, ita ut alteri parti nullum adferatur præjudicium, quale utique affertur, si judex in favorem ejus judicat, qui minora habet merita.

Instabis: Sequendo opinionem probabilem in alijs materijs majori ratione habetur acceptatio personarum, ergò si in litigiis & judiciis est iniqua, etiam in materia aliarum virtutum erit iniqua: Probatur antec. quia in gratiam hominis miseri, seu protervi, nolentis obedire, præteritur major & æquior ratio DEI jubentis ut fiat licitum, quantum possibile est per nos cognosci. Respond. neg. antec. Quia hæc acceptio est merè imaginaria, & fictitia, ut benè perpendenti patebit, nam cui quæso fit injuria, si dicatur, hodie in festo esse licitum per horam laborare; in vigilia SS. omnium &c. propter has & illas rationes non esse obligatum jejunare, aut si generaliter doceo, licitum esse sequi opinionem minus probabilem relicta probabiliore. Deinde gratis fingitur DEUM offendi, vel postponi homini quando sequitur opinio-

opinionem probabilem, cùm tamen ex jam sæpè dictis usum probabilitatum esse licitum, & nullum habere admixtum peccati periculum, ergò

VII. Judici quid faciendũ, si causa utrimq; est æqualis.

Ex his sequitur Primò: Quòd si judex non possit discernere, quando opinio esset probabilior secundùm allegata & probata, debet judicio cedere. Sequitur Secundò: Quòd si utraque sententia sit æquè probabilis, debet judex dividere materiam litis æqualiter, & existimo etiam ad hoc teneri, quando non potest discerni, quæ probabilior sit sententia. Quòd si judex ex privata scientia videat unam partem esse certam, dubitatur an secundùm allegata possit procedere, adjudicando rem alteri? Affirmat Vasquez, negat Layman, asserens debere judicem in eo casu remittere causam ad alium judicem, ibiq; agere advocatum, vel testem pro veritate, quod in causis viduarum & pupillorum concedit etiam Vasquez debere fieri, in aliis non. Sententia Layman est probabilior. Sed in contra

Arguitur: Judex prudenter agit judicando secundùm opinionem probabilem, quia judicat verum & licitum illud, quod affirmat talis opinio, cùm certò sciat in humanis actionibus, & moralibus rarò reperiri certitudinem physicam, ergò agendo juxta illam prudenter operatur, sicut in omnibus aliis materiis virtutum, & consequenter licitè, ergò. Respond. neg. antec. Ratio est, quia ille non prudenter agit, qui lædit jus alterius, quem tenetur ex obligatione servare indemnem, atqui judex hoc tenetur facere vi sui officii à Republica accepti, ergò prudenter non agit, cum non tribuat unicuiq; quod suum est, neque valet recurrere ad paritatem aliarum materiarum, quia in aliis non læditur proximo, nec lex, nec DEUS, nam persona privata in honestate suarum actionum procuranda sibi soli providè tenetur ad evitandum peccati periculum, & offendendi DEUM, quod ex opinione probabili assequi potest, quoniam hoc à solo ejus prudenti judicio, & non aliundè dependet.

Instatur: Opinio probabilis ut talis veritatem includit, ergò judex potest eam tutè amplecti, anteced. patet, nam statim ac probabilis, est vera, cùm intrinsecè falsitati opponatur: Probatur conseq. Quia sicut nemo tenetur eligere, quod securius & perfectius est, ita etiam nemo tenetur eligere, quod verius & tutius est. Respond. neg. anteced. cum sua ratione, quia nec opinio probabilis ut talis veritatem includit à parte rei, alioquin esset eo ipso opinio vera, & opposita falsa, sed probabilitas includit apparentiam veritatis ex rationabili fundamento, & intrinsecè opponitur improbabilitati, non autem falsitati physicæ,

Urgetur: Hinc sequeretur respectu judicis nunquam dari posse duas opiniones probabiles, ita ut sit una minus probabilis, & altera probabilior: sed &c. ergò: Probatur sequela: Quia si per decisionem causæ juxta minus probabilem injustè judicat lædendo jus tertii, ergò opinio, asserens, causam posse juxta hanc opinionem decidi, est improbabilis & falsa, cùm dictet illicitum: Si verò dicatur adhuc eam esse probabilem, poterit justè judex eam sequi, quia opinio probabilis ut sic, est recta & prudens agendi regula. Respond. disting. major. Nunquam poterunt dari duæ opiniones probabiles practicè, conc. maj. speculativè, neg. tales autem duæ opiniones apud judicem essent tantum speculativè probabiles: Exemplifico, v.g. probabile esse potest rem, quam tu justè possides ex præscriptione sufficienti, alio titulo esse meam, sed hæc probabilitas est tantùm speculativa, non practica, ita ut possit esse recta regula, & mensura actionis, non enim datur opinio probabilis, quæ dicat hic & nunc posse à me licitè auferri rem, quam tu justè possides ex sola probabilitate, quod sit mea alio titulo

minus

minus probabili, quia ratio & conditio possidentis est melior, debetq; cœteris præferri. Quòd si autem contingeret coram judice rem æqualiter probari benè, tunc judex illud, de quo controvertitur, dijudicare debet, ut paulò suprà dixi. Sed

VIII. Advocatus potest sequi opinionem probabilem.

Quæres: An eadem sit ratio habenda de Advocato, ac de judice? Respond. cum Vasquez. Banez, Fabro, Vulpe, Amico, negativè. Resolutio ista desumitur ex D. Augustino epist. 54. ad Macedonium propè finem, ubi ait: *Non ideò debet judex vendere justum judicium, aut testis verum testimonium, quia vendit advocatus justum patrocinium, & jurisperitus verum consilium. Illi enim inter utramq; partem ad examinà adhibentur: isti ex una parte consistunt. Cùm autem judicia & testimonia, quæ nec justa nec vera vendenda sunt, iniqua & falsa venduntur, multò sceleratiùs utique pecunia sumitur, quia sceleratè etiam quamvis à volentibus datur.* Ratio est, quia ejus officium non est definiri, seu jus dicere inter partes contendentes, sed uni parti litigantium assistere, & patrocinium ferre, quare si advocatus causam non manifestè iniquam, sed probabilem judicet, potest licitè ejus patrocinium suscipere, quamvis causam oppositam probabiliorem existimet, attamen debet tunc suum clientem certificare de minori probabilitate, ne clientem in superfluas & inanes inducat expensas, alioquin erunt ad restitutionem obligati ex eodem S. Doctore supracitato, dicente: *Verumtamen si justitia syncerius consulatur, justius dicitur advocato: Redde quod accepisti, quando contra veritatem stetisti, iniquitati adfuisti, judicem fefellisti, justam causam oppressisti, de falsitate vicisti.*

Quæres Secundò: An inter duos Reges, qui sunt supremi terrarum judices, possit dari justum hinc inde bellum? Respond. & dico primò: *Justa bella* à Div. Augustino lib. 6. quæst. in Josue q. 10. *definiri solent, quæ ulciscuntur injurias, si qua gens, vel civitas, quæ bello petenda est, vel vindicare neglexerit, quod à suis improbè factum est, vel reddere, quod per injurias ablatum est. Sed etiam hoc genus belli sine dubitatione justum est, quod DEUS imperat, apud quem non est iniquitas, & novit, quid cuiq; fieri debeat. In quo bello exercitus, vel ipse populus non tàm author belli, quàm minister judicandus est.* Hinc putant aliqui, posse dari bellum ex utraq; parte justum, si opinio versetur circa jus, quia cùm ex parte rei sit ignota veritas physica, à nobis invincibilis, ideò in hoc casu attendenda est opinio, quæ respectu utriusquè partis est vera moraliter, adeoquè ex hac ratione justum bellum; & ita tenent quatuordecim Doctores cum Diana, parte 1. tract. 13. Resol. 8. de Lugo, Soncius, Bassæus, & alii. Mastrius tamen existimat, Reges posse uti opinione probabili ad inferendum alteri Regi vel Principi, unde ait: Si unus Rex occuparet alterius Regis tyrannicè regnum ad se pertinens, nolletque illud restituere, posse primum indicere secundo justè bellum, directè quidem ad acquirendum sibi regnum injustè ab illo occupatum, & indirectè ad occidendos sibi resistentes; Quandò verò clarè non constat, regnum ab uno occupatum de jure pertinere ad alterum, sed pro utraq; parte sunt rationes probabiles, tunc unus Rex adversùs alium Regem, vel Principem supremum sibi non subjectum non potest causam examinare, sententiam ferre, minus bellum alteri indicere, ut secundùm rectum dictamen practicum conscientiæ inferat alteri bellum justum, sed debent Reges & Principes arbitros admittere Pontificem, vel Imperatorem, eorumque judicio acquiescere, quod utinam intelligerent Reges & Principes, non tam horrendis bellis Christianitatem affligerent, distraherent, & amplam portam subjugandi nos Ottomannicæ tyrañidi aperirent, quod sanguineis penè lacrymis est deplorandum.

IX. Justum bellum utrinq; esse potest.

Quæres Tertiò: An Regum & Principum Theologi, & universaliter omnis

Confessarius potest sequi opinionem sui pœnitentis.

ter omnis confessarius debeat sequi opinionem pœnitentis contra suam propriam, quam existimat probabiliorem? Respond. Quoad judicium Sacramentale teneri confessarium conformare se pœnitentis opinioni, si verè sit probabilis quamvis minus tuta. Ratio est, Quia judicis est procedere juxta allegata & probata, id est, secundùm dictum testis, accusatoris, & advocati, neq; licet ipsi ex privata scientia judicare, sed pœnitens in hoc foro solus est testis, accusator, & advocatus, ergò ejus opinioni credendum est, dummodò illa opinio sit probabilis. Quòd si videat ex illa sequi proximum periculum peccandi, esto pro præteritis, & confessis illam admittere debeat, tamen tenetur illam prohibere in futurum propter illud periculum, per quod redditur eo ipso improbabilis in praxi; Unde responsio mea est limitata.

Dices: Hoc esse destruere Sacramentum pœnitentiæ, & rationem ejus essentialem mutando variare, ergò: Probatur antec. Quia si confessarius sequitur opinionem pœnitentis, ipse desinit esse judex, & ille evadit judex non amplius reus, quod propriè est mutare Sacramentum pœnitentiæ; & insuper maximum absurdum. Respond. neg. anteced. cum sua probatione: Quia pœnitens semper manet reus, & nullatenus fit judex, per hoc enim quod rogat, non cogit confessarium ad absolvendum, qui tamen tenetur cœptum judicium perficere in favorem pœnitentis, secundùm sua allegata & probata, eo ipso quod aliàs probatur dignus, & nihil ipsi deficiat. Nam ut suppono, pœnitens nihil prætendit ex iis, quæ respiciunt potestatem ministri, nec quæ respiciunt essentiam Sacramenti, nec quæ respiciunt necessariam dispositionem pœnitentis, in his enim nulla potest admitti opinio probabilis, & quæcunq; illa fuerit, reputanda est potius erronea & falsa, sed resolutio est de iis, quæ personam pœnitentis secundum se respiciunt circa sua agibilia, v. g. de obligatione jejunii, restitutionis, belli justi, reservationis, &c. An peccatum ad aliquid sit mortale vel veniale, in his enim non solùm potest se accommodare pœnitentis opinioni, sed etiam tenetur cum secundùm illam absolvere, quia est benè dispositus, habens omnia requisita ad absolutionem, opinio enim eo ipso, quod est probabilis, non facit pœnitentem indispositum, neque indignum absolutione. Et ita sentiunt Pontius, Valentia, Sanchez, Sayrus, Soncinus, qui disp. 33. n. 54. citat plusquam quadraginta Authores.

Dices Secundò: Si Confessarius (ponamus quòd sit Severista) tenetur absolvere talem Probabilistam pœnitentem, ergò Confessarius ipsemet tenetur & tenebitur uti opinione probabili, quod tamen negant. Respond. neg. illatum: Quia hoc non est sententiâ & opinione minus tutâ uti positivè, sed tantum permissivè se habere, ut pœnitens utatur tali opinione, quam ipse judicat veram, quod non posset permittere, si sciret, quod etiam pœnitens judicaret falsam esse, vel debere sic judicare, nam potest contingere casus, quòd confessarius aliquis examinans honestatem alicujus actionis, deprehendat pro & contra tales rationes, ita quòd non possit in alterutram partem resolvere, stante tali dubio confessarius non posset operari, si tamen pœnitens se determinâsset ad unam partem, ille non posset negare ipsi absolutionem, quia indeterminatio confessarii non debet præjudicare pœnitentis libertati, ergò nec etiam licèt determinâsset se confessarius ad unam partem, & pœnitens ad alteram, neganda erit, si alioquin bonus & dispositus esset.

DISPU-

DISPUTATIO TERTIA
DE
Modo utendi Probabilitatibus.

Multa quidem, imò *omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*, ait D. Paulus, & alibi: *sed non omnia ædificant.* Quæ sunt illa? Non vanitas, non esca, non potus, non scientia, nam *scientia inflat, charitas autem ædificat.* Ast causam immediatè subdit Doctor Gentium: *Si quis autem se existimat scire aliquid, nondum cognovit, quemadmodum oporteat eum scire.* In quem locum eleganter, & mellifluo modo suo D. Bernardus Serm 36. in Cantica dicit: *Vides quoniam non probat multa scientem, si sciendi modum nescierit? Vides, inquam, quomodo fructum & utilitatem scientiæ in modo sciendi constituit? Quid ergò dicit* modum sciendi? *Quid nisi, ut sciat, quo ordine, quo studio, quo fine, quæque nosse oporteat? Quo ordine? ut id prius, quod maturius ad salutem. Quo studio? ut id ardentius, quod vehementius ad amorem. Quo fine? ut non ad inanem gloriam, aut curiositatem, aut aliquid simile, sed tantùm ad ædificationem tuam, vel proximi.* Possem & ego dicere fructum & utilitatem probabilitatum, sicut scientiæ in modo opinandi consistere, sicut enim scire malum non est, ita nec opinari, cùm scire non datur nobis, nec possumus scire, inculpabiliter: Sed opinari cœco modo ad alienum verbum, scriptum, lectum, non considerato ordine, non adhibito studio, non fine, non fundamentis & rationibus perpensis, & debitè consideratis, hanc in viris literatis doctis, & scire profitentibus relaxationem conscientiæ puto magis quàm opinionem, libertatis effugium quàm veritatis studium, & probitatis exercitium; in priori disputatione ostendi cum communi licitum esse opinari, restrinxi ibidem, illud non semper expedire, nunc autem, quod licere dixi, exhibendum est, quo modò id liceat, in quo nec Benignistas omninò deseram, nec Severistis totum deferam, ut dicere valeam, quid simile Martiali Poëtæ: *Difficilis, facilis, Benignus, acerbus,* * *& idem.*

1. Corinth. 6. v. 10.

Idem c. 8.

* Severus.

QUÆSTIO

QUÆ[illegible]O PRIMA.

De modo formandi judicium practicum opinativum, sufficiens ad prudenter operandum, in concursu opinionis probabilis cum probabiliori.

1. Numerus, mensura, modi in spiritualibus.

NEc enim mensura, & numerus, & pondus in lapidibus tantummodò, ait S. Augustinus lib. 4. de Genes. ad litt. cap. 4. *Et lignis atque hujusmodi molibus, & quantiscunque corporalibus, vel terrestribus, vel cœlestibus animadverti & cogitari potest. Est etiam mensura aliquid agendi, ne sit irrevocabilis & immoderata progressio, & est numerus & affectionum animi & virtutum, quo ab stultitiæ deformitate, ad sapientiæ formam decusq; colligitur, & est pondus voluntatis, & amoris, ubi apparet quanti quidq; in appetendo, fugiendo, præponendo, postponendoq; pendatur: sed hæc animorum atque mentium mensura alia mensura cohibetur, & numerus alio numero formatur, & pondus alio pondere rapitur.* Isti sunt tres perfectissimi modi, quibus omnes actiones humanæ gubernantur & moderantur, quòd si tamen aliquis hæc vocabula respuat, atque uti abnuat: *Dummodò hoc intelligatur, quod intelligendum est, non magnoperè curandum est, quod vocetur*, ait idem S. Doctor ibidem. Ego mensuram opinionum cum eodem voco, nec nimis licentiosè diffluat, sed opinandi facultatem intra limites modestiæ, prudentiæ, & serenæ conscientiæ contineat; Numerum appello rationum & authoritatum legitimam combinationem; & Pondus nomino amorem veri cognoscendi, ut enim idem S. Doctor alibi dicit: *Amor meus pondus meum, illo feror, quocunque feror*: unde hoc idem erit, *quomodo? quo ordine, & quo fine?* juxta D. Bernardum, quare in hac quæstione examinabo: An eodem modo opinari possint, & opiniones probabiles sequi viri docti sicut simplices, aut in quo magis obligentur? Secundò: Qualem modum docti adhibere debeant, qualemq; diligentiam in inquirenda veritatis notitia? Pro quo

Notandum Primò: Magnam differentiam faciendam esse inter viros doctos, & inter viros pios, simplices, & idiotas; non esset enim bonus modus utrosq; eadem mensurare mensurâ, qui plus enim accepisse videntur, gravius etiam ab Authore mundi judicabuntur, quoniam obligatiores erunt ad reddendam rationem. In simplicioribus autem sufficit, ut faciant quod in se est quantum ex parte industriæ humanæ, unde isti in opinandi modo faciliùs à DEO excusabuntur, quia ad tantum non obligantur ac viri illuminati in donis naturalibus, & gratuitis. II. Doctum inter & indoctu differentia est facienda.

Notandum Secundò: Opinionem probabiliorem quandoq; dici illam, quæ habet plures authores eam sequentes, ita ut tunc probabilior vocetur eadem, quæ communior, verùm hæc est probabilitas multùm extrinseca: Ast in rei veritate illa dicenda est probabilior, quæ habet meliores rationes, efficaciora argumenta, quamvis habeat pauciores Authores, dummodò doctos, probos, & magnæ authoritatis, nam ut noster Corduba dicit lib. 2. q. 3. Si Doctores sint interessati, & ex amore vel passione unam amplectantur, & aliam sequantur, non est tanta adhibenda fides, nam amor & odium pervertunt judicium, 2. Rhetor: *Amantibus & odientibus non eadem videntur.* Plus econtrà credendum est illis, qui majorem diligentiam in proposita materia aliqua enucleanda adhibuerunt, nam ut dicitur 1. Ethic. *Horum quisque est bonus judex, quæ novit.* Et tertiò Sanctis, probitate & vita excellentioribus magis etiam est deferendum, nam Eccles. 37. dicitur: *Anima viri sancti enuntiat aliquando vera, quàm septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum.* De III. Authores qui meliores.

reliquo

reliquo, paribus cœteris, deferendum est pluribus.

IV. Objectivè & subjectivè probabilis.

Notandum Tertiò: Præter alias quoque divisiones supra dictas ex subjecto, cui inhæret, opinionem probabilem dupliciter posse quoq; dici probabilem *objectivè* & *subjectivè*. *Objectivè* dicitur talis, quando est opinio aliorum, fundata authoritate Doctorum eam tenentium, & firmitate rationum ad eam amplectendam persuadentiũ, quæq; Doctores illos, qui eam tenuerunt, senserunt, & fuerunt amplexati, persuaserunt ad eam sequendam, estq; tunc sermo de opinione aliena. *Subjectivè* verò opinio probabilis est judicium practicum physicè in intellectu operantis existens, quo non solùm propter aliorum authoritatem, sed & propter rationes illas, aut alias quis judicat actionem licitam & honestam, sine ulla dubitatione vel formidine, unde hic in quæstione quæritur, an ad operandum benè & honestè liceat viris doctis & illuminatis sequi opinionem probabilem *objectivè* relicta probabiliori, sive illi sic sentiant, sive non, sive judicent oppositam veram vel falsam? An verò ipsimet debeant sibi formare judicium non reflexum super probabilitatem opinionis, sed directum super honestatem actionis per opinionem propositam, seu ut breviter dicam, quæritur: An sufficiat ad judicium practicum, quod sciam esse opinionem Authorem docentium actionem esse honestam, v. g. Contractum quendam non esse usurarium, An verò mihimet ipsi formare judicium sit necessarium, actionem illam esse honestam, v. g. contractum non esse usurarium.

Notandum Quartò: Certitudinem moralem, quam habere debet opinio, esse duplicem, *objectivam* & *subjectivam*: *Objectiva* est, quam habet propositio ex suis terminis motivis & rationibus. Certitudo *subjectiva* est ipsa firma adhæsio intellectûs, seu est ipsum judicium, quo unam propositionem alteri præfero, quamq; absolutè & determinatè absq; ulla ambiguitate, hæsitatione, aut dubitatione amplector tanquam veram, eique, ut tali, firmiter adhæreo, non curando, quidquid aliqui dicant in oppositum, dummodò certus sim, quod non habeant argumenta fortiora, quam habeat opinio, quam ego sequi intendo.

V. Dubiũ inter & formidinem quæ differentia?

Notandum Quintò: Differentiam magnam esse inter dubium seu hæsitationem, & inter formidinem: Dubium enim & hæsitatio est, uti supra dictum est, mentis fluctuatio inter duas propositiones contradictorias, nulli illarum determinatum præbendo assensum, eò quòd intellectus non deprehendat motiva sufficientia in uno & altero extremo, quæ illum determinent. Formidò autem in eo consistit, quòd intellectus perpendens rationes unius de extremis advertat eas rationes & argumenta, quibus assentitur, non habere evidentiam, sed solummodò probabilitatem, & ideò putat fieri posse, ut in re ipsa pars opposita vera sit, quamvis hoc rationes pro illa allatæ non ostendant. Et hæc formido, ut supra dixi, duplex est: aptitudinalis, seu radicalis, & actualis, & neutra excludit determinatum assensum, sed nec impedit ipsum, benè tamen omnis fluctuatio, & dubitatio, cum qua nemini operari est licitum.

VI. Formidine sine quadrupliciter possumus opinari.

Notandum Sextò: Nos opinari posse sine formidine quadruplici ratione, & modo: Primò ad modum rudium, sicut rudes, qui à viro docto instructi de licitate rei opinatæ, absolutè firmiter credunt sine ulla formidine, sic ego quoque credo in Thracia esse Constantinopolim, in Africa magnum Cairum, Mexicum in India, & de his temerarium esset habere formidinem, & hoc fit ob authoritatem humanam dicentium & universaliter asserentium ita esse, sicut etiam acta Notariorum, Parochorum non vocantur in dubia. Secundò sicut Docti, quando aliquis ita firmiter adhæret suæ

(*) Eeeee opinioni

opinioni, propter rationes, quæ sibi efficacissimæ videntur, ut nullam concipiat formidinem de opposito, licèt ex natura rei fundamentum sit opinabile, ac proindè radicaliter formidabile propter contingentiam objecti, quemadmodum Thomistæ & Scotistæ suis adhærent fundamentis & rationibus, securi suam tenentes opinionem, ita, ut de opposito nullam habeant formidinem. Tertiò sicut obstinati, quales sunt hæretici, qui ita firmiter adhærent suis opinionibus, ut oppositum judicent impossibile, atq; ab opinione tollant formidinem etiam radicalem, qualem tamen auferre nec possunt, nec debent: Et isti non merentur nomen opinantium, sed temerè judicantium. Quartò, sicut devoti & pii homines, qui in obsequium alterius, veluti fideles in scripturis facere debent, captivant in obsequium fidei intellectum suum. Primi habent certitudinem moralem ab authoritate humana originatam, seu ab extrinseco: Secundi habent certitudinem moralem ab intrinseco, seu à rationibus physicis, & motivis efficacibus, quibus innituntur. Tertii à malitia, quâ perversè adhærent suis dogmatibus absque diligenti studio & desiderio debito veritatis inquirendæ. Quarti à pietate & reverentia. His prænotatis

VII. Indoctus potest sequi opinionem in concursu probabilioris.

Dico Primò: *Vir indoctus & non literatus nesciens in aliquo casu esse varietatem Doctorum, aut dubium inter Doctores: Aut si audit dici, vel scribi plures esse opiniones, quarum alia dicitur probabilis, & alia probabilior, credens autem suam bona fide, sine affectu pravo, quam sequitur, esse æquè probabilem, vel probabiliorem, tutâ conscientiâ potest amplecti minus probabilem objectivè.* Hæc est Medinæ, Navarri, & plurium aliorum apud nostrum Cordubam lib. 2. q. 3. in suo Quæstionario Theolog. Et Probatur Primò: Ex Devteron. 17. *Si quid quæstionis, &c.* Matth. 23. *Supra Cathedram Moysi, sederunt Scribæ & Pharisæi, quæcunque dixerint vobis, facite*; sed qui facit aliquid authoritate Legis, non peccat, *cp.* 23. *q.* 4. ergò. Unde Albertus Magnus videtur dicere, quod frater simplex, vel quilibet homo cum salute potest sequi in consiliis quamcunque voluerit opinionem, dummodò alicujus magni Doctoris sequatur, & si ipse nesciat penetrare rationes, causas, & motiva, quæ contra possent opponi; Et hoc confirmatur ex Glossa in Extravag. Joan. 22. *Inter nonnullos. de verb. signif.* §. *c. v. Deinceps*, ubi ait: Quod opinio alicujus magni Doctoris inducit causam probabilem, & excusat à culpa erroris, quod intelligendum est, si talis homo nescit ibi esse opiniones, aut nescit earum causas, vel motiva, & fundamenta examinare, & bonâ conscientiâ putat se agere, quod agit, aut omittit, paratus oppositum agere, si sufficienter, esse sibi illicitum, probaretur.

Probatur Secundò ex primo posterior: *Oportet discentem*, idem est de illiterato & indocto, *credere, donec melius sentiat*; & 6. Ethic. *Non minus inhærendum est expertis & senioribus, vel prudentum opinionibus & sententiis sine demonstratione, quàm demonstrationibus ipsis, veluti enim per oculum experientiam habentes principia discernunt.* In moralibus autem idem valet experientia quod demonstratio, ergò si discens, aut idiota nescit ibi esse opiniones diversas, vel si nescit motiva discernere, rectè & prudenter operabitur.

Probatur Tertiò Ratione: Quia ubi deficit ingenium proprium ex naturæ rationalis propensione, obligatus est quis sequi alienum judicium, ita quòd ingeniosiores ex natura simplicibus pro gubernio sint præponendi: undè Augustinus supra, dixit stultis, insipientibus & idiotis idem est de talibus debere gaudere, & optare sapientes sibi dominari, ita enim ait lib. de utilitate credendi. cap. 12. dicens: *Quare si omnibus hominibus non peccare quam peccare melius est: melius profectò stulti*

stulti omnes viverent : si servi possent esse sapientium. Atque hoc si in minoribus rebus, ut in mercando vel colendo agro, in uxore ducendâ, in suscipiendis, educandisq; liberis, in ipsâ deniq, re familiari administranda expedire nemo ambigit, multò magis in religione. Quòd si verò contingat, quòd consulens, aut magister docens aliquid doceat, quod sit contra legem DEI, non potest ille, qui audit & percipit, sequi, quia, ut præclarè S. Thomas docet quodl. 3. art. 10. Alioquin illi discipuli, qui secuti fuerunt Arium, Nestorium, & alios Hæresiarchas, immunes fuissent à peccato, in quo tamen non excusantur, adeoque si Magister aliquid contra manifestum Scripturæ testimonium, vel expressam Ecclesiæ traditionem docet, nemo potest talem tutè in conscientia sequi, hinc est illud Devteron. 17. Præceptum : *Si difficile & ambiguum apud te judicem esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram : & judicum intra portas tuas videris vel bavariari, surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus DEUS tuus* : id est, consules Sapientes & Sacerdotes, quamvis ibi locus sit præcisè de summo Pontifice, attamen etiam huc benè quadrat, unde etiam in probatione adduxi, licèt totum textum non produxerim. Similiter peccat illiteratus, qui audit plures Doctorum esse opiniones de honestate alicujus actionis, circa quam prudentiores vacillant, si ipse quoq; non dubitet, sed absq; ulla consideratione & examine illius operetur, sive res sit licita, sive non.

Hinc præclaram doctrinam tàm pro præsenti, quàm sequenti conclusione tradit in summa cap. 27. n. 283. Quod cum bona conscientia potest quis tenere unam opinionem, & secundùm eam operari, excluso saltem scandalo, si talis opinio pro se habet notabiles Doctores, & non sit contra expressam authoritatem S. Scripturæ, aut contra determinationem Ecclesiæ, & dummodò ex contrarietate talium opinionum, non tamen ducatur ad dubitandum, sed bonam sibi conscientiam formet de eo, quod credit tanquam de probabiliori parte, & præcipuè quando quis adhibet diligentiam inquirendo veritatem, nec invenit aliquid, quod eum sufficienter moveat ad credendum, quod sit illicitum hoc, quod ipse sequitur, secundùm illam opinionem. Hæc ille. Et in idem concidit Henricus Ganden in 4. quodl. q. 33.

VIII. Vir doctus in concursu probabilioris non potest secui objectivè probabilem.

Dico Secundò : *Vir doctus & literatus sciens circa honestatem alicujus actionis esse plures opiniones, quarum una affirmet probabiliter, & altera probabilius neget illam esse licitam, dicendo, esse illicitam & peccaminosam, non potest tutâ conscientiâ relicta probabiliori sequi opinionem, quam scit esse objectivè probabilem solum.* Hæc est conformis principiis nostri Cordubensis supra, & Navarri paulò ante citati. Probatur Primò Eccles. 37. *Qui sophisticè loquitur, odibilis est : in omni re defraudabitur : non est illi data à Domino gratia : omni enim sapientiâ defraudatus est*, sed talis sophisticè loquitur, id est, deceptoriè, ergò. Probatur min. Ex illo fundamento Caramuelis : *Opinio asserens licitum esse sequi opinionem minus probabilem, est probabilior, sed licitum est sequi opinionem probabiliorem, ergò licitum est sequi minus probabilem in praxi*, sed in isto argumento est verum sophisma, ergò nihil in ipso de sapientia, & consequenter insipienter agit, quia, ut ait D. Augustinus ep. 29. ad Hieronym. *Sunt enim quædam vitia virtutibus aperta discretione contraria, ut imprudentia prudentiæ.*

Probatur Secundò ex eodem S. Augustino lib. 2. de doctrina Christian. cap. 31. ubi docet, disputationes esse utiles ad intelligentiam Scripturarum, cavendam tamen rixandi libidinem & ostentationem : *Sunt enim multa, inquit, quæ appellantur sophismata, falsæ conclusiones rationum, & plerumque ita veras imitantes, ut non solùm tardos, sed ingeniosos*

niosos etiam minus attentos decipiant. Proposuit enim quidam, dicens ei, cum quo loquebatur: Quod ego sum, tu non es. At ille consensit: Verum enim erat ex parte, vel eo ipso, quod iste insidiosus, ille simplex erat: Tunc iste addidit: Ego autem homo sum. Hoc quoque cum ab illo accepisset, conclusit, dicens: Tu igitur non es homo. Quod genus captiosarum conclusionum Scriptura, quantum existimo, detestatur illo loco, ubi dictum est: Qui sophisticè loquitur, odibilis est. Ubi benè perpendatur Syllogismus sophisticus D. Augustini, quem condemnat, & apparebit, quòd similis sit illi, quem Caramuel pro opinione probabili defendenda allegat, ubi à probabilitate formali arguit, ad probabilitatem objectivam, & ab actu signato ad actum exercitum: A probabilitate doctrinæ, ad probabilitatem operationis & exercitii.

Probatur Tertiò: Quia operans ex sola scientia, quod detur talis opinio, agit sophisticè & non prudenter, ergò tale judicium non sufficit ad regulandam actionem honestam: Probatur antec. Quia sophisticè & lusoriè agit, qui non timet ubi est timendum, nec dubitat ubi est dubitandum, nam tum ex Aristotele 4. ex nimia audacia committitur excessus vitiosus formalis vel interpretativus, & consequenter temeritas, ergò sophisticè & imprudenter agit. Confirmatur: Quia talis agit cœco modo, ergò non prudenter, quia cœco modo agit quilibet, quicunque ob dictum alterius operatur, nec adhibet diligentiam sufficientem ad indagandam veritatem, cùm sciat plures doctiores sentire, & tenere contrarium, quoniam non semper illud verius est, quod multi dicunt, sed quod meliores rationes ostendunt. Deinde talis est propriè *levis corde*, qui citò credit, antequam cognoscat rationes, quibus authores ad illam opinionem sequendam permoti fuerunt.

Probatur Quartò: Quia judicium sufficiens ad regulandam actionem honestam debet esse verum & certum, sed qui solùm scit opinionem de licitate alicujus actionis apud authores extare, non habet judicium verum & certum, ergò: Probatur min. quia talis habet judicium certum de existentia opinionis, non de licitate & honestate actionis, ergò.

Probatur Quintò: Quia talis est temerarius, & salutis suæ incurius, imò habens affectatā ignorantiam, nolens veritatem de honestate actionis inquirere, insuper planè monstrat pravum affectum, atqui hæc omnia sunt motiva evidentia, quòd talis licitè non operetur, talis enim affectat nescire, habetq; cor non rectum cum DEO, quia est paratus ad sequendam opinionem, sive sit contra legem DEI, sive non, solo contentus, quòd sciat alios hoc dicere. Dixi autem in conclusione *apud viros doctos*, nam apud rudes habent hujusmodi opiniones vim certificandi eos, unde ille, si sequatur opinionem probabilem, non peccat, quia bona fide credit esse verum, sicut simplices credunt confessariis, prædicatoribus, &c.

Probatur Sextò: Impossibile est virum doctum non dubitare de honestate actionis, si sciat contra suam opinionem, quam probabilem putat, esse alios Authores gravissimos, acutos & illuminatos, qui negant honestatem actionis, & absolutè illicitam docent, sed non solùm peccatum est agere contra conscientiam, sed etiam contra dubium de mortali peccato, ergò talis non potest licitè operari per hoc solum, quòd sciat esse opinionem probabilem, cùm sciat etiam concurrere aliam probabiliorem de opposito, adeoq; debet majorem diligentiam adhibere, & investigare rationes, quibus dubium illud vincat; Et insuper ut se determinet ad unā opinionem magis amplectendā quam alteram. Ad hoc autem assequendum valet plurimum tale judicium, quia rationes alterius scio dissolvere, vel credo, per alios posse dissolvi, aut solubiles esse, nec omninò efficaces

Digitized by

ficaces, licèt ego eas dissolvere nescirem, vel etiam ex ignorantia invincibili rationabiliter vel inculpabiliter æstimem hanc magis esse veram.

Probatur Septimò: Non est licitum viro prudenti consilium dare interroganti de licitate alicujus actionis secundùm sententiam aliorum probabilem, quando ipsam judicat esse falsam, vel non adeò veram & certam, ergò neque licitum erit alicui operari ex opinione objectivè scita probabili: Probatur antec. quia talis absolutè mentiretur, non affirmaret ad extra esse licitum, quod tamen in mente illicitum, ergò non est licitum sic suadere vel consulere. Et ratio insuper est: Tum, Quia mendacium vulgò dicitur intrinsecè malum: Tum, quia hoc plurimum noceret honestæ conversationi humanæ & publico bono: Probatur Primò conseq. qui sequitur opinionem minus probabilem relicta probabiliori, quam scit solum esse probabilem de mente aliorum præscindendo ab eo, an vera sit vel falsa, seu nulla habita ratione veritatis, per quam conformatur legi æternæ, vult eam sequi, sive sit conformis illi legi, sive contraria, sed nemo potest sic tutâ conscientiâ operari, ergò neq; licitum erit sub tali ratione opinionem objectivè probabilem sequi: Probatur min. quia taliter agens contemnit legem æternam, quod simpliciter est illicitum. Sed in contra

Arguitur ex eadem ratione: Ille operatur prudenter, qui sequitur consilium prudentum, ergò etiam ille operatur prudenter, qui sequitur opinionem objectivè probabilem, quia idem est, sequi consilium Doctorum, ac doctrinam eorum, & solùm differunt, quòd in consilio communiori stylo verbotenus mentem suam declarent, doctrinam autem eandem scriptotenus exprimant, & posteritati, forsan gratæ, relinquant, ergò. Respond. dist. maj. qui sequitur consilium prudentum, quatenus prudenter consulunt, conced. anteced. præscindendo ab ipsis consiliis cognitis & veris, & debitè penetratis, neg. anteced. & conseq. nam cum prudentia sit virtus intellectualis, semper dicit verum, ex 6. Ethic. cap. 3. hoc est, semper eligit quod est eligendum hic & nunc, secundùm dictamen rectæ rationis, quod formare nemo potest, nisi reduplicativè cognoscat rationes moventes procedere à prudentia, ac esse veras, & convincentes probabiliter intellectum. Respond. Secundò: Philosophum 1. Topic. 1. dicere, probabilia esse, quæ videntur aut plurimis, aut sapientibus, & his vel omnibus, vel maximè familiaribus & probatis, ubi non ex sapientum authoritate prudentiam deducit, nam hoc modo posset virtus decipere. Nec simpliciter dicit authoritatem sapientû inducere probabilitatem, sed limitatè, si omnes in eandem consentiant, aut major pars, aut celebriores, aut probatiores, quis verò ex probatis & conscientiosis Theologis dicet, solam scientiam de existentia probabilis objectivè opinionis esse sufficiens judicium ad regulandam actionem humanam, quin potius omnes requirere videntur, necessarium esse judicium de honestate actûs in se, quam non nego, multum adjuvare authoritatem & extrinsecam probabilitatem, & hoc maximè in viris prudentibus & doctis, ac in casu, de quo controvertitur, quando concurrit alia opinio probabilior, quàm eo ipso, dum cognoscit esse probabiliorem, non potest alteram sequi, quia fit necessariò dubius, anceps, aut planè ex affectu pravo & passione operatur, adeoq; illicitè.

II. Modus utendi probabili opinione in concursu probabilioris.

Dico Tertiò: *Optimus modus utendi probabilitate in concursu opinionis probabilioris est, opinionem aliorum probabilem facere suam, seu ad licitum usum non sufficit viro docto, ut sciat opinionem aliquam esse objectivè in mente aliorum probabilem, sed in concursu probabilioris, insuper necessarium est judicium moraliter verum & certum, quo post dili-*

gens examen, & seriam veritatis inquisitionem sine affectu pravo judicet hic & nunc opinionem, quam vult amplecti, esse solidè fundatam, & nullum adesse peccandi periculum, sibiq; licitum operari, tàm benè ac securè, quàm cum altera. Hæc est expressa doctrina S. Thomæ 2. 2. q. 17. art. 2. dicentis: *Homo in iis, quæ ad propriam personam pertinent, debet formare conscientiam ex propria scientia.* Et ista mihi videtur securissima regula, & optimus modus concordandi Benignistas cum Severistis. Huic modo favent Sylvester in *Summa v. Opinio* q. 1. Conradus, Corduba noster, Suarez, &c. Navarrus, item Mastrius 2. d. 5. per totam, eo ipso quod dicat in titulo quæstionis, conscientiam probabilem esse regulam sufficientem actionum humanarum, adeoq; sentit tunc opinionem probabilem adhiberi posse, quando facit conscientiam bonam, rectam, benè fundatam, & firmis rationibus innixam, quod sine judicio, præmisso diligenti examine fieri nequit, ergò.

Probatur Conclusio Primò: Ex Patribus Augustino, & Bernardo, nam D. Augustinus lib. 22. de Civit. DEI cap. 23. ubi exhortatur, nè concupiscentiis consentiamus, sed conemur eos subdere spiritui, dicens: *Excubantes: nè opinio verisimilis fallat, nè decipiat sermo versutus. nè se tenebræ alicujus erroris offundant: nè quod bonum est malum, aut quod malum est bonum esse credatur: nè ab his, quæ agenda sunt, metus revocet: nè in ea, quæ agenda non sunt, cupido præcipitet.* Rationem porrò addit S. Pater Serm. 12. de tempore, dicens: *Nam propensio voluntatis authoritatem vitiis quærit; & quo malum est bonum, aut bono proximum suadet*, ergò ad hoc, ut prudenter quis agat, excubandum est, & diligenter inquirendum absq; affectu pravo & passione, an hoc licitum sit, nec nè, nè dum ad solam notitiam de probabilitate habitam, authoritatem vitiis videamus magis quærere quàm veritatem, quam si probabilem quoq; absque culpa sua agnoverit, in illa opinione, quam authores probabilem afferunt, tutâ conscientiâ sequi poterit. D. Bernardus eandem veritatem quoque clarè satis docet Serm. 36. in Cant. ubi in illud Apostoli 1. ad Corinth. 5. *Qui se*, inquit, *putat aliquid scire, nondum scit, quomodo oporteat eum scire. Vides quoniam non probat multa scientem, si sciendi modum nescierit: vides, inquam, quomodo fructum & utilitatem scientiæ in modo sciendi constituit? Quid ergò dicit modum sciendi? Quid nisi ut scias, quo ordine, quo studio, quo fine quæque nosse oporteat. Quo ordine, ut id prius, quod maturius ad salutem: Quo studio, ut id ardentius, quod vehementius ad amorem. Quo fine, ut non ad inanem gloriam, aut curiositatem, aut aliquid simile, sed tantùm ad ædificationem tuam vel proximi.* Ubi perpende benè, eum non docere sufficere scire, quid alii dicunt Authores, sed quid judicium proprium sentiat, quamvis non negem ex authoritate dicentium ab extrinseco opinantem confirmatum iri. Deindè comparat scientiam cibo corporali, dicens: *Ac si per similitudinem dicat, sumenti cibum & non digerenti, perniciosum est ei. Cibus siquidem indigestus, & qui bonam non habet decoctionem, malos generat humores, & corrumpit corpus, & non nutrit: ita & multa scientia ingesta stomacho animæ, quæ est memoria, si decocta igne charitatis non fuerit, & sic per quosdam artus animæ mores scilicet atque actus transfusa atq; digesta, quatenus ipsa de bonis quæ noverit vita attestante & moribus bona efficiatur: nonne illa scientia reputabitur in peccatum, tanquam cibus conversus in pravos, noxiosq; humores? An non malus humor peccatum? an non mali humores pravi mores? an non inflationes & torsiones in conscientia sustinebit, qui hujusmodi est, sciens videlicet bonum & non faciens?* Hoc ultimum benè est notandum. Ex quo sic argumentor: Sicut habet se cibus corporalis ad profectum & nutrimentum corporis, ita se habet scientia & opinio ad profectum

ctum & nutrimentum animæ, seu salutis æternæ, sed cibus corporalis non benè digestus nihil prodest, ergo nec scientia & opinio, nisi benè examinentur; subsumo: sed digestio cibi, intellectûs, scientiæ, opinionis, &c. fit per debitam examinationem, debita examinatio parit judicium perfectum, ergò ad benè nutriendam animam necessariū est judicium formatum ex bona & debita examinatione, ut cognoscat actionem per opinionem propositam esse licitam & honestam.

Probatur ex Aristotele 1. Ethic. cap. 4. supra etiam citato: *Veritatem debemus inquirere, & sequi quantum possumus*; & lib. 6. cap. 5. definit prudentiam, quòd sit *habitus agendi vera cum ratione, circa quæ sunt bona homini atque mala*, ergò vera debet haberi ratio ad operandum prudenter, seu ex opinione. Nunc progredior ad rationes, quibus

Probatur Primò: Primarius effectus opinionis est, præbere vel facere assensum, quo affirmet objectum esse honestum, & licitum, si sit vir doctus, (de iis enim est sermo hic) sed hujusmodi assensus non potest fieri, nisi judicet per directam cognitionem, hoc objectum esse verum & certum, ergò ad hoc requiritur judicium in mente ipsa, nisi velit insipiens esse, aut cum dubio, & peccaminosè agere, nam eo ipsò, quo vir litteratus scit esse etiam alios authores contrarium sentientes, non potest securus & absq; formidine aut dubio esse, nisi cognoscat rationes, quibus authores, quos sequitur, moti fuerint ad sic sentiendum, & cognoscat rationes illorum fuisse & esse urgentes, adeoque etiam simile sibi judicium formet probabile, quo dubium & formidinem excludat saltem actualem, licèt non radicalem, hæc enim licèt adsit, non tollit certitudinem moralem & veritatem ab objecto opinato, quia formido radicalis tantùm opponitur veritati & certitudini naturali, non verò morali, & hoc ex ipsa natura opinionis, illam enim formido facit differre opinionem à scientia, quæ omnem omninò excludit formidinem ob evidentiam sui objecti, unde opinio radicalis alio modo vocatur *ex objecto*: formalis verò dicitur *ex subjecto*, illa inest opinioni ex natura suâ intrinseca tanquam passio, propter contingentiam objecti, quamvis illi intellectus absq; formidine adhærere possit, undè dicitur etiam *formido opinionis*: Actualis quæ adest, quando operanti in memoria occurrit, & vocatur *formido operantis*, quæ, ut dixi supra, quadrupliciter impediri potest, nè exeat in actum: Primò, quia ut plurimum res vera est, & ideò assentimur sine ulla formidine, quod mater diligat filium, quod vera sint ab antiquis historicis narrata, Attestatum Parochi, vel Notarii nemo trahit in dubium. Secundò à forti rationum impressione, ut contingit in Thomistis & Scotistis. Tertiò in temerariis, quæ, oritur à temeritate & præsumptione, ut in hæreticis: de quibus ait Aristoteles, tales fortius adhærere suis erroribus, quàm sapientes veris doctrinis: & Quartò ab affectu particulari in Magistros, vel à pió motu erga superiores, sic fermè omnis Ecclesia credit B. V. Mariam esse sine macula conceptam.

Probatur Conclusio Secundò: Quia ad rectè & honestè operandum requiritur dictamen conscientiæ propriæ dictans, hic & nunc actionem non esse contra legem prohibentem aliquam, aut æternam, contra quam nemo potest prudenter aliquid velle, & consequenter esse licitam, sed dictamen conscientiæ propriæ est judicium illud & opinio physicè inhærens intellectui tanquam suo subjecto dictans hìc & nunc licere operari, ergò tale requiritur: Probatur minor. Quia nulla opinio potest mihi dictare, & me regulare in operatione mea, nisi mihi repræsententur ejus fundamenta, rationes, & motiva, ex quibus cognoscam opinionem esse veram, in tantum, quòd possim

possim eam contra impugnantes defendere, & ostendere, quòd sit omninò probabilis, alioquin si hoc non scirem præstare, justè viderer ab omnibus, & justè culparer, & quàm maximè à Judice severissimo Christo de nimia levitate, & incuria mea, sed defendere opinionem aliquam contra oppugnantes, & ostendere veritatem probabilitatis meæ non possum nisi ipsemet rationes cognoscam de actûs licitate, ergò. Confirmatur: Quia frequenter contingit, & saltem contingere potest, quod opinio authoribus suis repræsentata ut probabilis per fundamenta eorum, si mihi repræsentetur, videatur omninò improbabilis, ergò ut licitè operer, ipsemet debeo habere judicium de actûs honestate: Patet antec. ex pluribus libris & opinionibus, quia videmus aliquos Authores ita acriter urgere, & potenter defendere suas conclusiones per motiva, quæ ipsis videntur, si non convincentia, saltem stringentia & urgentia, quæ tamen aliis Doctoribus proposita videntur levia, solutionis facilis, & nullam vim habentia, ergò ex eo, quòd aliqui authores assensum præbuerint, & rem esse probabilem judicaverint, non sequitur quòd etiam ego in fide eorum possim benè, & tuta conscientia operari.

Probatur Tertiò ex definitione conscientiæ: Tum, quia conscientia dicitur à D. Thoma *Applicatio scientiæ ad aliquem actum*: Tum, quia conscientiæ officia sunt testificari, ligare, & instigare, quæ consequuntur applicationem alicujus nostræ cognitionis, vel scientiæ ad aliquem actum, ergò nemo potest formare conscientiam ex aliena opinione, quin prius faciat suam per assensum, ergò: Probatur min. quia nemo potest uti re, quam non habet, dum non habet, ergò nec etiam opinione, nisi illam habeat in suo intellectu, quia prius est habere opinionem de honestate objecti, vel actionis, quàm illa uti, ergò nemo potest operari ex judicio alieno, sed ipsemet sibi tale formare debet per diligentem inquisitionem, & intentionem non offendendi DEUM.

Probatur Quartò: Si absque omni meo judicio de honestate actionis possem sequi opinionem probabilem objectivè, sequeretur, quòd talis opinio esset sufficiens regula in quacunque differentia temporis, loci, personæ, dummodò ut probabilis proponeretur, sed hoc non potest esse, ergò: Probatur min. quia circumstantia loci, temporis, personæ & cœteræ quæ fecerunt viris illis doctis & probis opinionem istam probabilem, potuerunt esse totaliter mutatæ, ergò tunc non potest esse amplius regula mihi sufficiens, nisi etiam cognoscam omnes illas circumstantias in esse, nam ut docet Doctor subtilis q. 2. prologi sub litt. P. ut actus dicatur moraliter bonus, debet esse conformis ad rectam rationem plenè dictantem de circumstantiis omnibus debitis illius actûs, ita quòd sit proportionatus ad potentiam, ac objectum, ad tempus, ad finem, ad locum, & modum, sed dictamen hoc plenum nemo habere potest, nisi in proprio intellectu illa omnia consideret, ergò judicium illud debet esse subjectivè in intellectu operantis, & non sufficit, quòd sciam aliquam esse probabilem, vel probabiliter ab aliis authoribus defensam. Argumentum Scoti est optimum.

Probatur Quintò ex definitione opinionis probabilis, nam ut definitur à Div. Bonaventura in 3. d. 24. artic. 2. *Quòd sit assensio unius partis cum formidine alterius, opinio adhæret rationi propter se, undè deficiente probabilitate rationis, deficit probabilitas opinionis*; sed assensio & assensus est actus intellectui adhærens, ergò qui vult opinionem probabilem sequi, debet ipsemet sibi formare tale judicium, nec sufficit, quod sciat alios esse, qui ita sentiant, quia ut præclarè Scotus dicit: *Assentire nemo potest perfectè dictis ejus, quem novit posse falli, & fallere in his, quæ dicit*, 3. d. 23. q. un. ergò neque

que scriptis, quia omnes isti authores possunt & poterant falli, & consequenter non sufficit assensus, quo judico vel scio alios sic sentire, sed quia ego cum allis sentio sic, & judicium illud, quod alii habuerunt, ego quoque habeo, ex eo, quòd eædem rationes me permoveant, & quodammodo convincant.

Probatur Conclusio Sextò; Nemo potest prudenter operari, nisi judicet actionem, quam intendit, esse conformem legi æternæ, quæ est prima regula actionum humanarum, sed per hoc solum, quòd sciam aliquos authores hoc dicere, non judico, actum illum esse conformem legi æternæ, ergò: Probatur min. Scientia dicens esse opinionem non applicat mihi immediatè & convincendo intellectum in concursu probabilioris opinionis, legem æternam, quia in tantum in quantum affirmans dicit esse conformem legi æternæ, tantùm hoc negat opinio negans, & quidem ex supposito probabilius, ergò per hoc solum quod sciam esse opinionem probabilem, non sufficienter mihi applicatur regula æterna, & consequenter ulterius est necessarium judicium, quo cognosco rationes & motiva illius opinionis esse talia, quæ mihi ostendant legem æternam, v. g. non obligare. His rationibus benè perpensis, stat firma Conclusio. Attamen

Probatur Septimò: Nemo potest dici prudenter agere sine prudentia, sed qui agit absq; tali judicio intellectûs in concursu sententiæ, & opinionis probabilioris agit absq; prudentia, ergò non agit prudenter: maj. patet: Quia talis actio qualia sunt principia, & talis conclusio quales præmissæ, ergò ad hoc, ut aliquis prudentem efficiat actionem à prudentia actuali vel habituali, de qua dicit Aristoteles 6. Ethic. cap. 5. quòd sit *habitus agendi vera cum ratione circa ea, quæ sunt bona homini, atque mala*, tanquam à principio procedi debet: Probatur minor. Et suppono, unam esse sententiam probabilem ut duo per authoritatem, quam tenent Doctores sex graves, qui pro probabili sufficiunt, & aliam probabiliorem ut sex, quam tenent penes suas rationes nervosas authores triginta, in concursu harum duarum opinionum, vel utramq; cognoscis cum gradibus suis probabilitatum, vel non cognoscis, si non cognoscis, ergò nullum potes judicium formare, nec operari, quia hoc est cœco & stulto modo agere? Si cognoscis cum suis gradibus, ergò non est agere cum prudentia, seu prudenter, sed temerariè, & imprudenter, relinquere probabiliorem cum suis gradibus & rationibus, & amplecti minus probabilem, cùm prudentiùs debeam & possim judicare illos sex authores potius errâsse, quàm illos triginta, qui æq; docti, pii, ac probi supponuntur, sed sequi errantes est operari sine prudentia, & cum magna temeritate, aut certè debebis omnes rationes ita penetrare illius minus probabilis, quæ tibi in tantum videantur efficaces & urgentes, ut exindè tibi judicium de probabilitate honestatis actionis moralis formare possis, & hoc intendit conclusio, nam eò quòd semel admiserim probabilitatum usum, tunc dico, rationes illas, quæ faciunt probabilitatem, deberi in intellectui operantis repræsentari tanquam veræ & certæ, excludentes quodcunq; dubium, & etiam omnem formidinem actualem, alioquin non poteris prudenter operari.

Probatur Octavò: Nemo agit prudenter: qui legem DEI contemnit, ejusque amicitiam & gratiam parvi pendet, sed qui in concursu probabilioris eligit minùs probabilem, legem DEI contemnit, & amicitiam ejus ac gratiam aspernatur, ergò imprudenter agit, quia sciens & volens exponit se periculo agendi contra id, quod à DEO est graviter prohibitum vel præceptum? Probatur min. A pari, si quis amicus vellet esse Regis, & in casu, quo una

by Google

actio omitti vel fieri deberet, & proponerentur pro exercitio rationes satis apparentes, pro omissione autem multò urgentiores & efficaciores, ille amicus prætensus certè contra leges amicitiæ ageret, si minora motiva apprehenderet, & relinqueret majora, & Rex gravius offenderetur per actionem, quàm per omissionem, ergò etiam in casu nostro respectu offensæ divinæ, talis saltem gravi peccati periculo se exponeret, & consequenter actu peccaret, ergò.

Confirmatur: Qui propter urgentes rationes hinc inde in casu aliquo occurrentes de licitate actionis dubius existeret, & operaretur, ille peccaret, si cum hoc dubio operaretur, quia temerè & imprudenter exponeret se peccandi periculo, ut docet Scotus, & D. Thomas, quia talis, v. g. magis amaret bonum temporale, quàm ipsum Legislatorem tale lucrum inhibente, ut v. g. in casu duarum præbendarum, de quo agit D. Thomas, ergò etiam in omni alio casu, quando urgentiora motiva concurrunt, si illis relictis minora apprehendat, graviter peccabit, nisi formet sibi ipsi illud judicium, quod authores habuerunt, qui illam sententiam minus probabilem docuerunt, & agnoscat etiam rationes illas tanquam convincentes, ergò à primo ad ultimum opinio probabilis non sufficit apud virum doctum ad opinionem probabilem amplectendam, nisi ipsemet probabilitatem subjectivè in intellectu habeat.

His omnibus addo clarum textum D. Augustini lib. 3. contra Academicos cap. 16, ubi impugnat illud Academicorum principium: *Turpe est errare, & ideò nulli rei adhærere debemus: sed tamen cùm agit quisq; quod ei videtur probabile, nec peccat, nec errat;* graviter impugnat probando, quod si hoc admittatur tanquam morale, & prudentiale principium actionum humanarum, quod omnibus sceleribus & vitiis patentissima aperietur janua dicens: *Te te consulo M. Tulli, de adolescentium moribus, vitaq; tractamus, cui educandæ atque instituendæ omnes illæ litteræ tuæ vigilaverunt. Quid aliud dicturus es, quàm non tibi esse probabile, ut id faciat adolescens? At illi probabile est. Nam si ex alieno probabili vivimus*, notet hoc benè amicus Lector, *nec tu debuisti administrare Rempubl. quia Epicuro visum est non esse faciendum. Adulterabit igitur ille juvenis conjugem alienam. Qui deprehensus si fuerit, ubi te inveniet, à quo defendatur: quanquam etiam si inveniat, quid dicturus es? Negabis profectò. Quid si tam clarum est, ut frustrà inficiere? Persuadebis nimirum, tanquam in Cumano Gymnasio atq; adeò Neapolitano, nihil eum peccâsse, imò etiam nec errâsse quidem. Non enim faciendum esse adulterium, pro vero sibi persuasit, probabile sibi occurrit, secutus est, fecit: aut fortassè non fecit, seo fecisse sibi visus est. Iste autem maritus homo fatuus, perturbat omnia litibus pro uxoris castitate proclamans, cum quâ forte nunc dormit, & nescit. Hoc illi judices si intellexerint, aut negligent Academicos, & tanquam crimen verissimum punient, aut eisdem obtemperantes, verisimiliter bominem probabiliterq; damnabunt, ut jam quid agat iste patronus prorsus ignoret. Cui enim succenseat non habebit, cùm omnes se nihil errasse dicant, quando non assentientes id, quod visum est probabile, fecerint.* Ubi particulariter notandæ sunt illæ particulæ: *Si ex alieno probabili vivimus*; Ex quibus profectò clarè colligitur, ad rectè operandum non sufficere alienam probabilem opinionem, seu scire, quod detur talis opinio, quæ dicat, quòd actio sit licita, nec sufficere, quòd appareat ei verisimilis, sed insuper requiritur, quòd post diligentem inquisitionem ex amore veritatis, & sinceritate non offendendi DEUM cognoverit opinionem illam tanquam veram, & à peccati periculo alienam.

Probatur Conclusio Nonò: Quia aliud est judicare opinionem aliquam

quàm esse probabilem, & aliud judicare probabiliter verũ esse illud, de quo est formata illa opinio, v. g. an contractus ille sit licitus, primum judicium est scientificum, secundum verò est opinativum: primum judicium non potest esse regula actionis humanæ, cùm judicium nihil de actione affirmet, sed totaliter cadat super propositionem in actu signato existentem. Deinde opinio debet esse assensus rei tanquam probabiliter veræ, cum formidine de opposito, sed judiciũ, quo judico probabilem esse propositionem, non est assensus rei, quam veram existimarem, sed assensus propositionis, quam probabilitatem habere judico, certum autem est, quòd nos sæpè habeamus assensus de similibus propositionibus, quas probabiles judicamus, non tamen existimamus rem per illam assertam esse veram, nec ipsam sequimur. ¶ Hinc ulteriùs pro tertio, certum est, quod quando judicamus unam propositionem esse probabilem, possumus imò judicamus sæpè alteram quoq; contradictoriam esse probabilem, & tamen tale judicium non est sufficiens regula, ergò. Probatur anteced. Exemplo: *Probabile est emptionem chyrographi minori pretio esse licitam*; &: *Probabile est emptionem chyrographi minori pretio non esse licitam*, sed implicat, ut hoc judicium sit regula actionum humanarum, cùm neutri subjecto præbeat assensum, sed de ipsa tantùm propositione agitur, nam ut dicit Aristoteles 4. Metaph. cap. 1. *Impossibile est, eundem arbitrari esse, & non esse, simul etenim haberet opiniones contrarias, qui de ea re haberetur mendax*, ergò.

His benè ponderatis, ac æquâ libratis lance, ego ut candidè dicam, quod sentio, si ex opinione aliorum præcisè, quod sic dicant, operari deberem sine eo, quòd rationes eorum cognoscerem, quibus ad sentiendum fuerunt moti, quietus non essem, sed dubius & anceps semper suspicando, an fundatè docuerint, an non passionatè & culpabiliter ad demonstrandam solam ingenii subtilitatem, quo lenocinio verborum adducti alii extrinsecè probabilem fecerunt, cum ex Div. Bernardo sciam multos esse, qui scire volunt, ut ab aliis videantur, ita enim dicit Serm. 36. in Cantica citato: *Sunt namq; qui scire volunt eo fine tantùm, ut sciant, & turpis curiositas est. Et sunt, qui scire volunt, ut sciantur ipsi, & turpis vanitas est. Qui profectò non evadent subsañantem Satyricum, & ei, qui ejusmodi est, decantantem:*

Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.

Et sunt item qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, verbi causa pro pecunia, pro honoribus: & turpis quæstus est. Sed sunt quoque qui scire volunt, ut ædificent, & charitas est. Et item qui scire volunt, ut ædificentur, & prudentia est. Horum omnium soli ultimi duo non inveniuntur in abusione scientiæ, quippè qui ad hoc volunt intelligere; ut benè faciant. Denique intellectus bonus omnibus facientibus eum. Unde Severioristæ non video quomodo impugnare possunt Benignistas & Probabilistas, si dicant, opinionem minùs probabilem esse illam, quam sequuntur Authores sufficientes, qui propter rationes & motiva judicârunt eam probabilem, & tutam in conscientia illis Doctoribus, atque etiam talem fuisse in mente eorum; Et simul esse sufficientem regulam extrinsecam, quam mihi assumere valeam, si ego deprehendero rationes esse convincentes vel urgentes, habuerintq; illum statum, quem apud authores illos habuerint, & si sic intelligant, etiam alii Benignistæ revera impugnari non debent à Severistis, quia tunc non erit discrepantia inter eos nisi nominalis, & certè sic dicendum est.

Oppositiones, quæ contra has conclusiones fieri possunt, sunt omnes illæ, quæ supra factæ sunt contra probabilitatum usum, & facilè solvuntur per judicium internum,

num, quo judico absque fraude, dolo, absq; passione & pravo affectu, cum seria intentione non offendendi DEUM, & sufficienti diligentia ad inquirendam veritatem, hic & nunc talem actionem esse licitam & honestam, consequenter talis tutâ conscientiâ operari potest, etiam in concursu opinionis probabilioris, quam scit probabiliorem esse tàm ex authoritate, quàm ratione, unde licèt quandoq; reliqua formido exurgat, non poterit tamen major esse, quàm scrupulus esse solet, quæ etiam tanquam talis facilè repelli potest. Veruntamen restant solvenda sophistica argumenta, quibus laxiores probabilioristæ magis abutuntur, quàm utuntur. Itaque

Arguitur Primò pro R. D. Caramuele, quondam nostro Officiali Pragensi, qui in sua Theologia fundamentali n. 443. hoc subtile conficit argumentum pro probabilitate objectiva: *Opinio probabilior est licita in praxi, sed opinio asserens, licitum esse sequi minus probabilem, est probabilior, ergò est licita in praxi*, & hoc argumentum putat esse demonstrativum. Respond. Primò: Hoc Caramuelis argumentum esse planè sophisticum, ut satis insinuavi suprà, sophisma autem & fallacia in eo consistit, quod transeat à probabilitate directâ ad honestatis objectivæ probabilitatem reflexam honestatis formalis, ideoque in omni forma habet quatuor terminos mentales sub tribus vocalibus, quorum unus æquivocus est: Probabilitas directa est exercitè in judicio practico directa, affectum directum dirigente, quod debet esse active in dirigente, seu immediatè prudens subjectivè, non verò passivè & mediatè per denominationem extrinsecam à prudentia judicii reflexi dirigentis imperium reflexum, potest autem esse unum judicium, sine altero, ergò etiam una probabilitas sine altera, posse autem esse sine invicem, manifestè patet in confessario absolvente pœnitentem contra propriam opinionem, secundùm pœnitentis opinionem, ubi confessarius directè habet, aliud judicium de honestate actûs, & aliud judicium reflexum de probabilitate opinionis in pœnitente, & juxta opinionem pœnitentis, quam novit objectivè & signatè probabilem, absolvit illum contra proprium judicium directum, quod est totum contrarium, & quo exercitè judicat actionem illam non esse licitam vel honestam.

Respond. Secundò: Distinguendo maj. Licèt opinionem probabilem minus tutam eligere formato judicio practico & prudenti ante opinionis usum directum, conced. non sic formato tali judicio, neg. Quia non licèt minus tutam contra conscientiam sequi, vel ex conscientiâ dubia, vel impudente aut vincibiliter ignorante. Et disting. min. Probabilior opinio nimirum reflexa asserit licere utramq; vel utramvis electionem, si ante usum partis minus tutæ facias, quod facto opus est, hoc est, elicias directam opinionem prudentem de honestate ipsius actionis, conc. si hoc facere negligas vel non possis, neg. min. & exinde conseq. Nulla enim opinio facere potest, ut sine hoc judicio partem non tutam sequi possis, nimirum ultima voluntate, & ultimo judicio determinante. Et per hæc solvi possunt etiam aliæ objectiones æquivocæ, quæ ex multiplicitate terminorum, & diversa acceptione eorundem sumuntur, nihil enim probant contra judicium directum de honestate ipsius actionis, quia agunt tantùm de judicio alieno, objectivo, & signato, non de exercito, proprio, & subjectivo cuilibet inhærente.

Instatur pro aliis: Ex Syllogismo isto, v. g. *Licèt sequi quamcunq; opinionem probabilem, sed hæc opinio, quòd talis aut talis actio sit licita, est probabilis, ergò licet eam sequi.* Ex hoc, inquam, Syllogismo licitũ formari potest honestè operandi judicium, sed hoc non est nisi de probabilitate reflexa & objectiva, ergo: major Syllogismi primi patet, quia omnis,

omnis, qui operatur prudenter, non peccat, sed omnis, qui utitur opinione probabili, operatur prudenter, ergò non peccat, & consequenter licet sequi qnamcunq; opinionem probabilem. Respond. neg. major. ex illo videlicet Syllogismo formari sufficiens judicium ad honestè operandum, quia ipse Syllogismus ille falsis nititur principiis, primò enim non est universaliter verum, licitum esse quamcunque opinionem sequi, sed benè opinionem practicam, & practicè dictantem, aliquid esse licitum, adeoque ab hac universitate excluduntur opiniones speculativæ. Secundò, distinguenda est maj. licitum est sequi quamcunque opinionem probabilem, si post diligentem investigationem citra omnem culpam & inordinatum affectum, & ex sincero animo non offendendi DEUM, appareat tibi tuta & vera, aut verior, quàm sua opposita, conced. maj. si appareat illi minus verisimilis, vel dubia, aut incerta, vel vera & certa, sed ex negligentia culpabili & affectu depravato, neg. maj. similiter disting. minor. sed talis opinio est probabilis aliis, transeat, mihi, nego. Vel aliter : Est probabilis, si ejus fundamenta, motiva, & rationes cognovero, ut vera, certa, certitudine saltem probabilitatis, conc. Eo præcisè, quod alii eam doceant, & objectivè talis dicatur, neg. min. & consequent. Tum, quia non possum esse certus de opinione, nisi sim certus debitam me adhibuisse diligentiam : Tum, quia potest aliqua opinio esse probabilis authoribus in certis circumstantiis, quæ defacto non sunt tales, aut ex rationibus, quas ego non penetravi, nemo autem debet operari præcisè ex eo, quod authores aliqui dicant, ut docet Augustinus epist. 19. ad Hieron. cap. 1. dicente : *Ego fateor charitati tuæ*, vide suprà. Et lib. 3. de Trinit. in Procemio dicit : *Noli meis literis quasi scripturis canonicis inservire, sed in illis, & quod non credebas cùm inveneris incunctanter crede, in istis autem quod certum non habebas, nisi certum intellexeris, noli firmiter retinere. Ita illi dico : Noli meas literas ex tua opinione vel contentione, sed ex divina lectione vel inconcussa ratione corrigere. Si quid in eis veri comprehenderis, existendo non est meum, at intelligendo & amando, & tuum sit & meum. Si quid autem falsi conviceris, errando fuerit meum, sed jam cavendo nec tuum sit nec meum.* Unde pulchrè dicit Durandus 2. dist. 36. q. 5. *Modus loquendi ac scribendi in cœteris, quæ fidem non tangunt, est, ut magis innitamur rationi, quàm cujuscunque Doctoris authoritati, & parvi pendatur omnis authoritas, quando per rationem elucescit contraria veritas.*

Urgetur hic Syllogismus : *Licitum est cuilibet facere quod prudenter judicat non esse probibitum : sed possum hìc & nunc prudenter ob authoritatem Doctorum id dicentium, actionem aliquam non esse probibitam judicare, ergò mihi erit licitum hìc & nunc operari* ; hic, inquam, Syllogismus est judicium sufficiens ad benè & honestè operandum, ergò. Respond. neg. anteced. Quia iste Syllogismus non differt à priori, nisi quod hic procedat negativè, alter verò affirmativè, unde currit eadem distinctio hìc, & superiùs data, licèt enim major in illo Syllogismo sit regula Synderisis, tamen minor non est vera, nisi etiam cognoscantur fundamenta asserentium non esse prohibitum, stante opinione opposita affirmante esse prohibitum, licèt enim sit fundamentum probabile absolutè & comparativè ad intellectum illorum, qui illud benè penetrârunt, non est universaliter verum ad intellectum fundamenta nescientem, vel investigare nolentem, & stante quod opposita motiva appareant sibi probabiliora, hoc enim semper in ista materia est supponendum, nam de indoctis, qui aliorum acquiescunt consilio, & judicio, aliter est sentiendum.

QUÆSTIO SECUNDA.

De modo utendi probabilitatibus in concursu probabilioris, & tutioris opinionis.

SApiens Prov. 23. admonet virum probum & probatum: *Prudentiæ tuæ pone modum*, non quòd ipsa prudentia sit moderanda, ut interpretatur illum locum D. Thomas 2. 2. q. 47. art. 3. *sed quia secundùm prudentiam aliquis est modus imponendus* etiam inter tutiores & probabiliores operandi vias, *sapientia enim in mediis semitis stat*, cùm igitur suprà combinaverim opinionem probabilem in positivo cum probabiliori in comparativo: in hac autem quæstione colligo duas comparativas opiniones, non ab eodem positivo, sed à diverso originatas, nam *tutior* derivatur à tuto, & utrumq; excludit secundùm magis & minus peccandi periculum: Et *Probabilior* à probabili, quod non respicit directè amotionem periculi, sed attendit ad rationes, à quibus secundùm magis & minus recipit probabilitatem majorem vel minorem. Quare hìc resolvam, quid sentiendum sit, quando duæ opiniones, quarum una est probabilior, & altera tutior, concurrunt. Pro quo

I. Prudentiæ modus qui imponendus.

II. Opinio tuta & tutior explicantur.

Notandum adhuc: Opinionem tutam vocari illam, quæ caret omni periculo peccandi formaliter, non verò materialiter: tutior verò quæ utroq; periculo caret, v.g. est quæstio: An sit licitum accipere aliquid ultra sortem propter lucrum cessans? tutior opinio est non accipere. Aut est quæstio: An obliger ad restituendum ex turpi lucro acquisita? In primo casu tutius est non accipere, & in secundo tutius est restituere, quia per similes actus excluditur omne periculum peccandi formaliter, & materialiter, opposita autem opinio erit quidem tuta, sed materialiter peccandi periculum non excludit propter naturam opinionis, quæ non excludit à se formidinem omnem, saltem radicalem & fundamentalem, quamvis actualem propellat ille, qui scit benè opinari. Itaque

Dico Primò: *In concursu opinionis probabilioris asserentis aliquam actionem esse licitam cum tutiore, negante licitum esse, quod altera affirmabat, quamvis hæc magis secura sit & tuta, altera tamen opinio probabilior amplecti potest.* Hæc est communis Benignistarum, & etiam plurium Severistarum, eam etiam tenet noster Antonius Cordubensis.

III. Probabilior eligi potest opinione relicta tutiore.

Probatur Primò: Authoritate Alexandri VIII. damnantis illam sententiam: *Non licet sequi opinionem vel inter alias probabilissimam*, ex qua sic argumentor: Si in concursu tutioris & probabilioris nó licet sequi opinionem probabiliorem, sed debeo amplecti tutiorem, sequitur quòd nec inter probabiles liceat sequi etiam probabilissimam, nisi etiam sit tutior, atqui non posse nos sequi opinionem etiam probabilissimam est damnatum, ergò & illud, ex quo sequitur: Probatur sequela, nam quâ ratione non liceret sequi probabiliorem, eâdem ratione non liceret & probabilissimam, quia probabilior est quandoque etiam probabilissima, ista autem sequela esset profectò onus importabile gratìs excogitatum, & sine fundamento solido aliquo humanæ fragilitati impositum, nam nequit ostendi lex aliqua, unde illa tanta obligatio orirerur, imò videtur potius esse conficta lex.

Probatur Secundò: Authoritate Scripturæ & Patrum, nam Eccles. 7. dicitur: *Nolo esse justus multùm, neq; plus sapiens, quàm necesse est, nè obstupescas*: Profectò autem velle hominem obligare ad omnia tutiora amplectenda, est velle plus sapere quàm oportet, ergò. Unde D. Gregorius in Psal. 118. *Non sit ergò irrationabilis timor, nec est sapientia sine timore DEI, ita timor sine sapientia non debet esse*; si ergò semper tutiora deberemus quærere, esset certè sine sapientia, nam talis nimis scrupulosus

pulosus & ridiculosus diceretur, & quilibet horreret hujusmodi accedere pro consilio, & ipsemet ab omni deberet abstinere operatione, nè peccaret.

Probatur Tertiò: Ex facto Pontificum, qui dispensârunt in voto castitatis solemni, & matrimonio rato, ut suprà adduxi disp. 2. q. 2. n. II. ex quo sic arguo, spectatis rationibus & argumentis, negativa sententia plurimorum posse dispensare Pontifices est omninò tutior, quàm affirmativa, quia magis removet omne peccandi periculum tàm formale quàm materiale, sed hoc non obstante Pontifices dispensârunt, quia altera opinio affirmans gravibus quoq; innititur motivis & fundamentis, tàm à ratione, quàm ab authoritate solidis, ergò in quocunque casu in concursu probabilioris & tutioris licitum est sequi probabiliorem.

Probatur Quartò: Nemo agens conformiter ad rectam rationem peccat, & tantò securior est, quò ratio recta est certior & firmior, sed opinio probabilior est ratio recta, firmior, & certior, ergò nemo sequendo illam peccat: major patet, probatur min. Quia ideò dicitur aliqua opinio certior & rectior, quia æstimatur, & creditur, quòd sit rationabilior & validioribus nitatur motivis & argumentis, quibus facilius potest noster intellectus convinci, ergò opinio probabilior est rectior, & certior.

Probatur Quintò: Probabilior opinio magis attingit veritatem realem & objectivam, ita quòd si illam planè non attingat adæquatè minus errat, & si errat, invincibiliter hoc contingit, sed possum tutâ conscientiâ sequi illud, quod recta ratio magis mihi dictat verum, ergò: Probatur min. Quia omnes in sectandis opinionibus tenentur in quantum possunt quærere, & investigari veritatem, ut docet S. Augustinus lib. 1. contra Academicos cap. 3. & docet, vel à Tergitio dicta approbat his verbis: *Quisquis minus instanter, quàm oportet, veritatem quærit, is ad finem hominis non pervenit. Quisquis autem tantum, quantum homo potest ac debet, dat operam inveniendæ veritati, etiamsi eam non inveniat, beatus est. Totum enim facit, quod ut faciat, ita natus est. Inventio autem si defuerit, id deerit, quod natura non dedit. Postremò cùm hominem necesse sit aut beatum esse, aut miserum; nonne dementis est eum, qui dies noctesq; quantum potest, instat investigandæ veritati, miserum dicere? Beatus igitur erit* : beatitudine scilicet temporali & inchoatâ, sciens se non malè operari, quod est hominis magna felicitas, & perpetuæ felicitatis quædam prognosticatio, sicut scire se malè agere magnum est supplicium, & mala conscientia tortor immensus.

Probatur Conclusio Sextò: Ex D. Thoma quodl. 8. q. 13. citata sæpius, ubi loquendo de pluralitate præbendarum, concludit tandem: *Aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, & sic non committit se discrimini, nec peccat*, contrariæ autem opiniones tunc erant una affirmans licitum esse habere plures præbendas: altera negans, & hæc absq; omni dubio est tutior, cùm omne periculum peccandi formaliter & materialiter removeat, nam habens unam tantùm præbendam, nec imaginarium sibi periculum facere potest, in prima autem opinione potest subesse periculum peccati materialis, quo tamen non obstante angelicus Doctor concludit, si talis de duabus præbendis in nullam adducitur dubitationem, non se committere discrimini, nec peccare. Sed in contra

Opponitur Glossa in illud Matth. 1. *Hoc eo cogitante*, ubi dicit: *Hic docemur, diu deliberandum esse, de incertis, nè peccato levitatis peccetur*, sed si tutior concurrit, certius est non esse peccatum, quàm in probabiliori, ergò tutius est eligendum, quod confirmatur ex D. Augustino suprà; & refertur *dist. 7. de Pœniten. cap. Si quis.* IV. Certum tenendum, dimittendum incertum.

quis, dicente: *Tene certum, dimitte incertum*, ergò. Respond. præfatas authoritates non obstare conclusioni, nam prima dicit, diu deliberandum esse, ne quid incertum amplectamur, quod libenter concedo, quia eligens probabiliorem jam deliberâsse sufficienter supponitur, eò quod invenerit tot, tantasq; rationes, quæ intellectum suum convicerit ad dijudicandam hanc esse opinionem probabiliorem. S. Augustinus quoque non loquitur universaliter de quocunq; actu humano, sed de Sacramentis, & maximè de pœnitentia, quam monet, non esse differendam usq; ad ultimum vitæ instans & periculum, sed tempestivè feudam: *Pœnitentia enim sera, raró est vera*, ut idem docet. Respond. 2. Illas authoritates aliter explicando, ibi per incertum intelligi omne illud, quod est carens certitudine tàm speculativa, quàm practica, vera, reali, quàm verisimili, tàm objectiva, quàm intentionali, seu formali & apparente. Talis autem incertitudo tunc habetur, quando propter rationes in æquilibrio subsistentes intellectum reddunt ancipitem, dubium, & ambiguum, & tunc tenendum est certum, & dimittendum incertum; Quando verò Aliquid est tantùm incertum incertitudine demonstrativa, certum autem certitudine morali, formali, verisimili, & opinativa, non est necessariò dimittendum, sed benè & tuta conscientia amplecti potest, nam ut dicit Aristoteles 1. Rheto. 1. *Verum & verisimile ejusdem videtur esse facultatis, homines autem ad veritatem compositi sunt, & eam plerumque consequuntur, & ille ad probabilia sectanda benè se habet, qui verisimiliter se habet ad veritatem.* Unde idem 1. Ethic. cap. 3. dicit: *Disciplinati est in tantum certitudinem requirere secundùm unumquodque genus, in quantum ejus natura patitur;* Indisciplinati ergò velle ubiq; persuasionem & demonstrationem habere.

Opponitur Secundò Authoritas S. Scripturæ Matth. 7. *Quam angusta porta & arcta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam*, sed relinquere opinionem tutiorem, & amplecti probabilem vel probabiliorem, est via lata & spatiosa, & sicut multi intrant illam, ita pereunt per eam. Hinc antecedenter Moyses dixit Devter. 4. *Custodi animam tuam sollicitè*, ubi præclarè docet, non satis esse hominem se custodire, sed & addidit *sollicitè*, satis insinuans, homini non sufficere adhibere diligentiam, sed magnam accuratamq; esse adhibendam, quod non fit nisi per electionem opinionis tutioris, ergò. Ad similem industriam adhortatur Div. Paulus ad Ephes. 1. *Videte itaq; fratres quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes*, atqui qui eligit probabilem, vel probabiliorem, non cautè ambulat sicut ille, qui amplectitur tutam, ergò. Respond. Has omnes authoritates nihil probare contra conclusionem, quia fateor arctam esse viam, quæ ducit ad vitam, sed hæc arctitas non est coarctata ad unum tantùm modum, sed habet suam latitudinem, sicut est suavitas legis, & levitas jugi Christi, unde licèt via laxa foret si concederem in quolibet casu, & quacunq; occurrentia posse uti probabili relicta tuta & probabiliori, cùm tamen supra exceperim omnes casus de quæstione facti, & insuper dixerim, quomodo judicium sit formandum, ideò via nostra non est relaxata, sed satis coarctata, quamvis contra Severioristas mitigata, & maximè quoad præsentem conclusionem, ubi non quamcunq; probabilem, sed probabiliorem præfero tutæ, sed non multùm probabiles. Ad secundum locum ex Devteron. 4. dico: Nec Moysen, nec Spiritum S. velle, semper nobis quærendas esse tutiores vias, sed tutas; nec ait custodi animam tuam sollicitissimè, sed sollicitè, nam in superlativo gradu adhibere in omnibus diligentiam videtur excedere vires, humanamq; nostram fragilitatem, & similiter Respond. ad locum S. Pauli. Sed

Instatur:

Instatur: Psalm. 188. dicitur: *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis*, id est, cum magna diligentia & sollicitudine, ut explicat noster Lyranus, Landulphus, Jansenius, ergò non sufficit diligentiam adhibere quamcunque, & consequenter semper tuta via est amplectenda, unde ait Hieronymus: *Non tepido corde, nec dissoluto animo, sed fortiter & attentè sua mandata docet custodire.* Et Matth. 22. dicitur: *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua;* quod etiam Moyses ante docuit Deuteron. 6. Respond. neg. conseq. Quia ly *nimis* non significat summam & exactam diligentiam circa investigationem & sequelam tutioris sententiæ, seu non requiritur summa diligentia intensivè, sed sufficit extensivè, id est, ut nihil omittatur ex mandatis, quod non observetur, unde Landulphus dicit, Ita diligentiam esse adhibendam in observandis præceptis divinis, ut nec jota prætereatur, aut sine culpa præteriri posse. Idem docet Hugo Cardinalis, & Genebrardus ait, etiam quantumcunque parvam transgressionem obligare ad pœnam, nam prout D. Jacobus docet: *Qui in uno deliquit, factus est omnium reus*, unde D. Augustinus concion. 4. in Psalm. 118. ait: *Cum itaque utile sit in vita & moribus, ut amplius quam oportet nihil faciamus, profectò veram esse sententiam, nè quid nimis, fateri potius, quàm negare debemus:* ad tutam autem opinionem semper nos obligare velle est quid nimis.

Ad secundum locum eleganter respondet S. Bonavent. 3. d. 27. d. 3. cum sic glossando: *Ex toto corde*, id est, *ex toto intellectu*, sine errore: *ex tota anima*, id est, *tota voluntate*, sine contradictione: *ex tota mente*, id est, *ex tota memoria*, sine oblivione, unde postmodum addit, hæc tria conveniri illi dicto D. Pauli 1. Timoth. 1. *Ex corde puro, conscientia bona, fide non ficta*, quæ omnia conveniunt opinioni probabiliori, nam talis operatur sine errore in intellectu, sine pravo affectu in voluntate, sine oblivione in memoria, quia volens sequi probabiliorem in intellectu, ab ignorantia, quantùm pro hoc statu fieri potest, & in voluntate, ab omni pravo affectu debet esse depuratus, alioquin nec probabilem, minùs probabiliorem poterit habere opinionem. D. Bernardus aliter explicat illud præceptū Matth. 22. dicens: *Ex toto corde*, id est, *diliges dulciter, seu affectuosè, diliges prudenter, diliges fortiter;* ita Sermone 29. de triplici Dilectione. Unde postmodùm Sermone 20. in Cantica fidelem exhortatur: *Disce, ô Christiane, à Christo quemadmodum diligas Christum. Disce amare dulciter, amare prudenter, amare fortiter. Dulciter, nè illecti: prudenter, nè decepti: fortiter, nè oppressi ab amore Domini avertamur. Nè mundi gloria seu carnis voluptatibus abdicaris, dulcescat tibi præ his sapientia Christus. Nè seducaris spiritu mendacii & erroris, lucescat tibi veritas Christus. Nè adversitatibus fatigeris, confortet te virtus DEI Christus. Zelum tuum inflammet charitas, informet scientia, firmet constantia. Sit fervidus, sit circumspectus, sit invictus. Nec tepores habeat, nec careat discretione, nec timidus sit.*

Opponuntur Tertiò Authoritates Patrum: S. Gregorii lib. 16. Moral. cap 16. dicentis: *Hæc est sollicitudo justorum, ut actus suos quotidiè juxta vias veritatis examinent, & eas sibi regulas proponentes à rectitudinis earum tramite non declinent:* sed qui tuta relinquunt, etiamsi probabiliora amplectantur, declinant à rectitudinis tramite, quia ad incertum se convertunt. S. Ambrosis in Psal. 1. ait: *Noli recedere de via, si in via ambulans vix tutus est à latrone, quid facies, si te extra viam vagantem invenerit, precare, ut Dominus dirigat vias tuas*, sed qui probabilitatibus etiam majoribꝰ utitur, extra viam veritatis vagatur, ergò periculo se exponit peccandi & diaboli latrocinio. Hieronym. super cap. 2. Lament. Jerem. Prophet. ait: *Cavendum est, nè pro veritate sequamur men-*

mendacium, nè pro lumine tenebras, multæ enim sunt viæ, quæ hominibus videntur rectæ, & novissima eorum perveniunt usque ad profundum inferni, sed qui reliquit tutam sententiam,& amplectitur probabilem,relinquit veritatem pro mendacio,seu pro probabilitate,quia manifestum mendacium amplecti est absoluta malitia, nec pro illo vitando opus est ultrà scripturam exhortari,ergò idem amplectitur tenebras pro lumine, quia omnes probabilitates non sunt nisi tenebræ, ergò tales malè agunt. Respond. Nec has authoritates sive collectivè, sive divisim sumptas,aliquid contra nostram probare conclusionem,nam ad primam neg. min. subsumptam, quia cùm probabilior opinio melioribus innitatur fundamentis & rationibus, qui talem amplectuntur, non declinant à rectitudine formali & intellectuali, licèt contingere posset ob contingentiam objecti declinare à materiali veritate, quod nihil impedit,unde D.Gregorius ex suo sancto zelo nos exhortatur sæpius, ut benè & consideratè nostra opera faciamus, quia frequenter contingit, opus ex substantia bonum, ex circumstantia, & mala intentione depravari, malumq; fieri. Ad S. Ambrosium Respond. disting.min.Extra viam veritatis *practicæ* vagatur,neg. min. aliquando speculativæ, transf. min. Nam licèt aliquando objecto materiali disconvenire possit probabilior opinio, utpotè quæ latitudinem certitudinis moralis non egreditur, attamen ad prudenter operandum sufficiens est regula, quod declaro exemplo: Hinc Pragâ usq; Viennam sunt duæ viæ: una regia, altera postaria: Regia est longior,sed tutior, postaria (fingamus hoc) est brevior & latronibus infesta, si tamen adhibeam diligentiam de veritate investiganda, & deprehendam viam postariam nunc esse à latronibus liberam, absq; dubio huic viæ me committere possum, sic est de duabus viis opinionum tutioris & probabilioris, licèt illa removeat omne peccandi periculum etiam materiale,si tamen adhibitâ diligentiâ cognoscam hic in probabili via nullum esse peccandi formale periculum, tutâ conscientiâ eam ingredi possum.

Ad S. Hieronymum Respond. neg. min. & dico,quòd S. Doctor loquatur ibi de mendacio, quod annexam habet ignorantiam culpabilem & crassam, quæ à peccato non excusat, non verò loquitur de mendacio habente annexam probabilitatem, quia licèt hic sit ignorantia aliqua annexa, quia pro hoc statu nec scimus nec scire possumus veritatem objecti contingentis, hæc ignorantia non est culpabilis, quia invincibilis, nam quantamcunque adhibeamus diligentiam, vincere nequimus.

Arguitur Primò: Qui amplectitur opinionem etiam probabiliorem relictâ tutâ, exponit se probabili peccandi periculo, atqui qui se sic exponit, peccat, nam *qui amat periculum, peribit in illo*, dicit sapiens, ergò. Respond. breviter, solutionem hujus oppositionis patere ex dictis, Quia talis exponit se periculo tantum peccandi materialiter,non verò formaliter, unde disting. maj. & min. periculo materiali, transeat; formali, neg. min. & conseq. Quia licèt absolutè subesse possit in actione aliqua inhonestum, quam ego puto honestam esse, major tamen spes affulget, me honestè operaturum propter rationum efficaciam & energiam, hinc prudenter & honestè operor,seu ut Aristoteles loquitur, est periculum *agendi injustum*, non verò *agendi injustè*, sicut etiam pulchrè quondam distinxit S. Bernardus, dum melancholicum fratrem cespitare fecit,dicendo: *Hoc est otiosum factum, sed non otiosè!*

Dico Secundò: *Consilium sanctum & salutare est non modò in dubiis, sed etiam in opinionibus concurrentibus sequi tutiorem partem & nunquam uti probabili opinione, relictâ non modò certâ & infallibili, sed etiam tutiori & probabiliori, quando usus* V. Consilium optimum nunquam uti probabilitatibus in concursu probabilioris.

usus hujus absque magno gravamine est in nostra potestate. In re videtur esse communis, & colligitur ex Scoto in 4. d. 3. q. 2. §. *de forma*, ubi ait: *Et universaliter in omnibus dubiis quantum ad materiam, & formam, sunt tres maximæ. Prima est ista, si possibilitas adest, via tutissima est eligenda. Secunda, si non adest possibilitas, viæ tutissimæ proxima est tenenda. Tertia est ista, cessante impossibilitate, cautè est supplendum, quod impossibilitas prohibebat.* Et dist. 15. q. 14. sub N. ait: *Respondeo bonarum mentium est culpam agnoscere, ubi culpa non est*, dist. 5. *& ideò multò magis, ubi dubitatur, an sit culpa, & qualis culpa, bonæ mentis est agnoscere culpam, & ideò tali casu datum est post talem negotiationem pœnitere indistinctè de hoc, de tali, quale est, utpotè sub tali conditione si mortale, tanquam de mortali*; quod verissimum est in administratione Sacramentorum, de qua ibi agit Doctor, & in hoc sensu intelligendus est D. Thomas, & Cajetanus, docentes, nunquam nos posse sequi opinionem probabilem relictâ probabiliori. Idem docet Vasquez disp. 26. & probatur ex cap. Si quis: de Pœnit. d. 7. ubi dicitur: *Certum tenendum est, incerto relicto*: quod desumptum est ex D. Augustino, ex quo ulterius probatur eleganti unâ regulâ, dicente: *Certum esse peccatum, certis incerta præponere*; ita enim dicit lib. 1. de baptismo contra Donatistas cap. 3. *Hic ergò securus accipiat, ubi & esse, & accipi rectè certus est, illic autem non accipiat, quod esse quidem ibi dicunt, sed ibi accipiendum esse non dicunt, quorum sententiam decrevit eligere: quanquam etiam si dubium haberet, non illic rectè accipi, quod in catholica rectè accipi certum haberet, graviter peccaret in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel eo solo, quòd certis incerta præponeret.* Et cap. 5. *Accipere itaque in parte Donati, si incertum est esse peccatum: quis dubitet, certum esse peccatum, non ibi potius accipere, ubi certum est non esse peccatum*: ubi expresse habet regulam allegatam. Et ratio patet: Quia opposita sententia est certa, quamvis contraria opinio speculativè videri possit probabilis, in praxi tamen est improbabilis, unde eam sequens exponit se manifesto periculo peccandi.

QUÆSTIO TERTIA.

De modo utendi probabilitatibus in dubiis, seu: An in dubiis semper tutior pars sit eligenda?

EX principalioribus argumentis, quæ Sevoristæ contra Benignistas, seu Probabilioristæ contra Probabilistas adducunt, est illa regula juris: *In dubiis tutior pars est eligenda*, ex qua Merenda, & Mercorus, ergò in omni opinione inferunt, quæ semper dubium habet annexum, & admixtum, tutiorem partem seu probabiliorem esse eligendam; Econtra verò sunt gravissimi Theologi, qui docent, illam regulam non esse ultra dubium extendendam, sed intra sphæram dubii continendam, ac consequenter non comprehendi in illa regula opiniones, & ita docent Sanchez lib. 2. disp. cap. 41. n. 9. Suarez de Consil. disp. 40. sect. 6. n. 9. Sayrus, Castropalaus, Vasquez, Azorius, Bonacina, Angelus, *V. opinio*, propè finem. 1

Alii autem celebres Doctores docent, illam regulam juris habere vim præcepti in dubiis practicis tantùm, alioquin esse tantùm consilium sequi tutiorem partem, & ita tenent D. Antoninus part. 1. tit. 3. cap. 10. sub 6. Regula. Navarrus in cap. si quis autem. n. 35. Pasqualigius disp. 64. n. 65. Layman. de conscientia §. 2. n. 8. quibus etiam accedunt Sanchez, Suarez & Castropalaus, qui supra. II. Dubium in genere aliud & aliud specificum

Pro Resolutione hujus dubii de Dubiis, Prænotandum: Aliud est esse controversiam de aliqua actione, an sit licita & honesta, vel turpis, quod vocatur dubium in genere, quia videlicet in aliqua communitate est

(*) Ggggg 2 concer-

Digitized by Google

concertatio inter sapientes de re illa, v. g. an contractus N. N. sit licitus, an verò sit usurarius & illicitus, nam aliqui ex Doctoribus negant, affirmant alii, & sic contractus ille est dubius. Aliud autem est dubium speciale & specificum, respectu ipsius operantis, quando nimirum operans attentis unius & alterius partis fundamentis manet anceps & dubius, quænam ex illis sit vera, & ferre non potest judicium pro una parte potiùs, quàm pro altera, quia rationes & fundamenta unius & alterius opinionis sibi videntur & apparent æqualia, & de hoc dubio sentio regulam illam, *In dubiis*, &c. sequendum esse partem tutiorem, nec posse operantem amplecti illam, quæ suæ libertati magis favet, nisi post diligens & sine passione adhibitum examen, judicet illam esse veram, & quasi tutiorem alterâ, non verò intelligenda est regula illa de dubio in genere, quia alioquin quilibet in Communitate teneretur abstinere ab illo contractu, non solùm quando illi apparet contractum esse probabilius licitum, sed etiam quando appareret illi esse certum, nam quod ego putem esse licitum, non per hoc tollo controversiam inter Doctores, an licitus sit, vel illicitus, ergò.

III. Personarum de dubiis attendendum est quod benignius.

Prænotandum Secundò: Aliam quoq; esse regulam priori similem: *Respicimus in obscuris quod est verisimilius*, ab utroq; jure in variis locis receptum, quæ regula est in dubiis, *de rebus, seu objectis, rerum seu objectorum*, non verò *de dubiis personarum. Dubium de personis est*, quando dubitatur, an aliqua persona sit nocens vel innocens in aliquo delicto, & adsunt indicia, quæ faciunt rem dubiam, tunc in dubiis ea dicitur tutior pars, quæ in favorem personæ innocentis facit, nam tunc huic favent aliæ juris regulæ, tum quia, *quando partium jura sunt obscura, reo potius favendum est quàm actori.* Tum, quia in simili casu *Dubia sunt in meliorem partem interpretanda.* Unde ad judicandum hominem aliquem esse reum, non sufficit judicare quod probabilius est, seu secundùm regulam: *Respicimus in obscuris quod verisimilius est:* sed debet manifesta veritate constare, nam ut eleganter S. Thomas docet 2. 2. q. 60. art. 4. Aliud est judicare de rebus, & aliud de hominibus: In judicio enim, in quo de rebus judicamus, non attenditur bonum vel malum ex parte ejus rei, quam judicamus, cui non nocet sive hoc sive alio modo de illa judicetur, sed attenditur solum bonum vel malum ipsius judicantis, si benè vel malè judicet, in judicio verò, quò judicamus de homine, attenditur bonum vel malum ipsius hominis, nam si malum de illo judicatur, redditur contemptibilis & infamis, si benè autem, tunc habetur pro viro honorato & honesto, unde quando occurrit casus, quo de homine dubium oritur aliquo actu peccaminoso, vel infami, de quo judicari debet, potius in favorem hominis judicandum est, nisi delictum esset manifestum, ut nulla tergiversatione celari possit, ut conservetur ejus innocentia, quia in tali casu tutior est pars, & minus malum falli, & nocentem æstimare pro innocente, quàm innocentem pro flagitioso & criminoso condemnare, nam quòd aliquis fallatur, nemini fit injuria, si autem innocentem condemnet, graviter injuriatur proximus, tunc enim valet altera regula juris 30. *In obscuris minimum est sequendum.*

Prænotandum Tertiò: Seu potius huc revocandum ea quæ supra dixi, de multiplici dubiorum divisione, nempè *speculativo* & *practico juris* & *facti*, quodque in nullo casu liceat operari stante dubio practico, ubi etiam complures regulas & documenta assignavi, qualiter in dubiis semper sit tutior pars eligenda, quòd autem hic controvertitur particulariter est. *An opinio cadat sub rationem dubii*, ita ut sicut in dubiis semper est tutior pars eligenda, ita etiam sit sentiendum in opinionibus, an semper in illis sit tutior eligenda. Pro qua difficultate

Dico

IV. Regula in dubiis tutior non est ita universalis.

Dico Primò : *Illa regula* : In dubiis tutior pars est eligenda ; *non est ita universalis, quin etiam aliquando benignior possit amplecti*. Hæc est mihi certa, , & Pobatur Primò : Quia *in l. Benignius. ff. de Legibus*, dicitur : *Benignius leges interpretandæ sunt, quo voluntas earum conservetur*. Et *l. semper de Regulis Juris. Regula 55. semper in dubiis benigniora præferenda sunt*. Et *cap. finali de Transactoribus*, dicitur : *Opinio benignior & suavior præferri debet* : qui omnes textus juxta Glossam in dictam regulam 55. ad minus intelligendi sunt de dubiis juris & facti, & in pœnis infligendis, in his enim semper benignior pars est tenenda, ut docet 11. Regula Juris in 6. *Cùm sunt partium jura obscura, reo favendum est potius quàm actori*, & Lex ipsa *Benignius*, rationem reddit, nempe ut voluntas legis & legislatoris conservetur, quæ alioquin non conservabitur, quia lex, quæ non est justa, non est lex, adeoq; deünit ejus conservatio.

Probatur Secundò Authoritate S. Augustini, qui Serm. 202. dicit : *In istis ergò & in his similibus, quæ utrum bono an malo animo fiant, scire non possumus, melius est, ut ad partem dexteram nostrum animum declinemus : quia tolerabilis est, nos in hoc præfiniri, ut eos, qui mali sunt, bonos esse credamus, quàm ex consuetudine judicandi etiam de bonis quod malum est suspicemur. De istis ergò, quæ sunt DEO nota, & nobis incognita, periculosè nostros proximos judicamus.*

Probatur Tertiò Ratione : Quia quisq; favet actori magis exponitur se periculo condemnandi innocentem, qui verò favet reo exponitur periculo absolvendi delinquentem, condemnare autem innocentem est intrinsecè malum, quod in DEUM cadere non potest, absolvere verò delinquentem, non est ex se malum, quod DEUS ordinariè præstat peccatoribus, Illius enim *proprium est misereri & parcere*, ergò.

Probatur Quartò : Quia leges humanæ nequeunt sic adæquatè constitui, & proportionari omni hominum statui & tempori, ut eodem modo semper maneant, cùm de contingentibus sunt, quæ infinitis modis variari possunt, ideò legislatores disposuerunt, ut quoties in casu particulari circumstantiæ occurrentes ostenderent legem non fore justam, si ad amussim, & punctualiter servari deberet, disposuerunt tunc, inquam, ut leges benigniùs interpretarentur, vel planè non obligarent, quod per virtutem Epikeiæ, seu justam potest fieri interpretationem, quod tamen in lege divina fieri tam facilè non debet, cùm DEUS ponendo legem omnes præviderit occurrentes casus & circumstantias, ut benè annotavit Abulensis.

V. Regula illa in dubiis tutior ad dubia tantùm extendenda.

Dico Secundo : *Illa regula, in dubiis tutior pars est eligenda, intelligenda est tantummodò de dubiis, prout termini jacent, adeoq; locum non habet in opinionibus*. Ita omnes Benignistæ, quam noster Bordonus deducit ex D. Thoma quodl. 8. q. 13. ubi hæc habet : Dicendum est ergò, quod quando duæ sunt opiniones contrariæ de eodem, oportet esse alteram veram, & alteram falsam. Aut ergò ille, qui facit contra opinionem Magistrorum, utpotè habendo plures præbendas, facit contra veram opinionem, & sic cùm faciat contra legem DEI, non excusatur à peccato, quamvis non faciat contra conscientiam. Aut illa opinio non est vera, sed magis contraria, quam iste sequitur, ita quòd verè licet habere multas præbendas, & tunc distinguendum est, quia aut talis habet conscientiam de contrario, & sic iterum peccat contra conscientiam faciens, quamvis non contra legem ; aut non habet conscientiam de contrario, sed certitudinem, sed tamen in quandam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum, & sic si manente tali dubitatione plures præbendas habet, periculo se committit, & sic

procul dubio peccat, utpote magis amans beneficium temporale, quàm propriam salutem. Aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, & sic non committit se discrimini, nec peccat: in quo loco primò dicit S. Thomas, unam opinionem esse oportere veram, alteram falsam, veritate scilicet physica & objectiva, non verò morali. In posterioribus autem verbis clarè colligitur, ex duabus opinionibus dari electionem earum, quæcunque illa sit, sive probabilis sive probabilior. Postmodum subjungit Prætendarium dubitantem de liceitate duarum præbendarum, talem contra conscientiam agere stante dubitatione, & se periculo comittere peccādo, actuq; mortaliter peccare, si dubio perseverante retineat illas præbendas. Et tandem concludit, quòd si dubium propriè dictum excluserit retinendo opinionem unam de duabus præbendis, nulli se exponere discrimini, & periculo peccandi, ergo illa regula de tutiori via eligenda ex mente S. Thomæ tantummodò restringenda manet ad verum dubium positivum, & non ultra ullum dubium, & consequenter nec ad opinionem probabilem verè talem.

Probatur Secundò ex pluribus Juribus, ut Reg. 15. de Reg. Juris in 6. & cap. 22. de Elect. in 6. *Odia restringi & favores convenit ampliari;* hic autem odiosum dubium ampliaretur. Et Paulus in l. 10. §. 1. ff. de manu: Test. *In obscuris favorabilibus est sequendum, & libertas prævalet.* Et Imperaror Justinianus l. 14. Cod. de fideic. lib. *In ambiguis sensibus melius est humaniorem amplecti sententiam.* Et clarissimè docet Mariellus in lib. 3. in med. ff. de his quæ in test. dele. *In re dubia benigniorem interpretationem sequi, non minus justius est quàm tutius*, ergò etiam in verbis dubiis illius regulæ, atqui dubium est, an ad opiniones extendi debet, ergò benignius tenendo, negativè scilicet, non minus justius erit quàm tutius. Tandem quia si legislator voluisset comprehendere sub hac regula opiniones, expressisset sub verbis opiniones, & non tantùm sub nomine dubii, juxta illud: *Si voluisset, expressisset*; ut dicitur *cap. ad Audientiam. 12. de Decim. l. si servum 70. §. Prætor ait. v. Non dixit ff. de acquirenda hæred. l. unica* §. *ubi autem.* ad finem, nam si contrarium volebat, non erat difficultas conjunctim ea disponere, *Cod. de Caduc. tollenda.* quare si Pontifex voluisset comprehendere opiniones cum dubiis, illas cum dubiis conjunxisset, quod cùm non fecerit, signum evidens, opiniones sub dubiis non contineri. Tantum enim Bullæ & Decretales Pontificum litteræ valent, quantum verba sonant.

Opponit contra hanc conclusionem Merenda plures Juris Canonici textus & casus, quos Pontifices resolvendo non tantùm in dubiis, sed etiam in opinionibus tutiorem secuti fuerunt, adeoq; infert, regulam illam non solùm de dubiis expressè, sed etiam de opinionibus esse intelligendam. Itaq; primò adducit Cap. *Ad audientiam. 12. de Homicidio*, ubi infertur iste casus: *Quidam Presbyter volens corrigere de familia sua, cingulo, quo cingi solebat, ipsum verberare tentavit, contigit autem, quod gladius de vagina, quæ cingulo adhærebat, elapsus eum in dorso aliquantum vulneraverit. Postmodum verò cùm ille vulneratus aliquamdiu vixisset, & à vulnere convaluisset, alia ut dicitur, graviore infirmitate percussus viam universæ carnis ingressus est. Quia verò utrum occasione vulneris decessisset, dubium haberet, vestræ discretioni duximus respondendum, quòd cùm in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, vos convenit injungere Presbytero, &c. nempè ut injuncta pœnitentia competente, ille à Divinis abstineat.* In hoc casu, ait Merenda, fuisse controversiam inter Medicos, quibusdam asserentibus, eum ex vulnere mortuum fuisse. aliis id negantibus, in hac ergò opinio- VI. Casus de dubiis ve- niex [illegible]

num

num diverſitate determinat Pontifex tutiorem partem eſſe eligendam, & Presbyterum debere ab altaris miniſterio abſtinere.

Secundum locum adducit ex *cap. ſignificaſti.* 18. *de homicidio contra furem*, ubi ſic legitur: *Presbyter Eccleſiæ, Canonicus Regularis, præfatum iniquitatis filium foſſorio inſtrumento arrepto percuſſit, quem Parochiani videntes ornamenta Eccleſiæ aſportantem, arreptis gladiis & fuſtibus in eodem loco protinus occiderunt.* Et infra: *Si diſcerni non poteſt ex cujus ictu percuſſus interierit, in hoc dubio tanquam homicida Sacerdos debet haberi, & ſi fortè homicida non ſit, à ſacerdotali officio abſtinere debet, cùm in hoc caſu ceſſare ſit tutius quàm temerè celebrare.* Si ergò res erat dubia, utrimq; aderat probabils opinio, ergò in opinionibus tutior eſt eligenda, alioquin Pontifex non diceret illum Presbyterum temerè eſſe celebraturum.

Tertiò ex *cap. final. de homicidio*, ubi ad caſum propoſitum reſpondit Pontifex: *Unde cum pro eo, quòd aliquos percuſſiſti irregularitatem metuas incurriſſe, ſi de interfectione cujuſpiam tua conſcientia remordet, à miniſterio altaris abſtineas reverenter, cùm ſit conſultius in hujuſmodi dubio abſtinere, quàm temerè celebrare.* In quo caſu conſilium petens habuit opinionem pro ſe, quòd poſſit celebrare, verumtamen Pontifex reſpondit, conſultius eſſe abſtinere à celebratione, ergò illa regula juris non ſolùm de dubiis veris, ſed etiam de opinionibus eſt intelligenda.

VII. Dubitans de homicidio non poteſt celebrare.

Reſpond. ad omnes textus neg. conſeq. Quia in omnibus illis locis ſermo eſt de dubio preſſo non de opinione, ut patet eos legenti, unde nihil contra nos faciunt, qui verſamur de opinione, non de dubio, cum quo jam ſæpè dictum eſt, nunquam licere operari, ex quo tamen malè infertur non ſic licere, quando hinc indè ſunt utrimque opiniones probabiles practicè, tunc amplecti licebit, quæ ſibi magis urgentes viſum fuerit habere rationes, ex quibus judicium practicum formare poſſit hanc actionem hìc & nunc eſſe ſibi licitam, nam ut vulgatum tenet axioma: *Non eſt in dubio, qui probabilibus rationibus ad unam flectitur partem*, quia in tali caſu ex pondere rationis tenet ſe pro una parte moraliter certum, formato tali judicio, quod ſufficit ad prudenter operandum, & hæc reſponſio generalis, ut communis eſt, ita etiam ſufficiens foret, attamen etiam particulariter ad ſingulos textus.

Reſpond. & ad primum dico, ibi omninò expreſſam mentionem eſſe de dubio, nullam verò de diverſitate opinionē inter medicos, nam ita text⁹ loquitur: *Quia verò utrum occaſione vulneris deceſſiſſet, dubium habetur*, ideò reſpondit Pontifex, quod Presbyter ille à celebratione debeat abſtinere, undè particulariter notandum eſt, ibi Pontificem multùm favere probabiliſtis, quia concludit ibidem: *Si verò ille ex alia obierit infirmitate, poterit divina officia celebrare*, ſed non celebrare eſt tutius quàm celebrare, ergò Pontifex annuit minus tutum nos poſſe ſequi relicta tutiore.

Ad ſecundum locum Reſpond. etiam illum caſum manere in linea dubii, non verò eſſe inter terminos opinionum, nam Pontifex expreſsè dicit: *In hoc dubio tanquam homicida Sacerdos debet haberi*, nec valet dicere ſuppoſitò dubiò, utrimque ergò ibi eſſe opinionem, quia ſtante dubio nulla ſit opinio, nec aſſenſus ullus, ſed primò dubium per rationes efficaces & nervoſas debet deſtrui, unde ex illis benè conſideratis & perpenſis judicium practicum formare intellectus ſibi poſſit. Nec valet etiam diſtinguere caſus illos fuiſſe reſolutos pro foro interno conſcientiæ, non verò pro foro externo; nam perperam illa diſtinctio adinventa eſt, Decretales enim exeunt, tàm pro foro interno, quàm externo, cùm utriuſque fori idem ſit judicium.

Ad ter-

Ad tertium locum patet quoq; ibi sermonem esse purè de dubio, nam ait Papa: *Tua conscientia remordet*, ergò dubitat consulens: Et insuper additur, *in hujusmodi dubio*, ast opinio nec conscientiam remordet, sed potius consolatur, & quietam reddit: Nec dubium practicum compatitur, sed securum operantem facit, & consequenter talis *nec temerè* celebrat, qui cum opinione probabili divina officia administrat, unde adhuc

Respond. Tertio: Quod si in opinionibus etiam tutior pars esset eligenda, hinc sequeretur, quod nec liceret sequi opinionem probabiliorem in concursu minus probabilis, quando hæc esset tutior, posito enim casu, quòd de morte illius servi occisi disceptarent medici, & peritiores dixissent illum ex tali vulnere non fuisse mortuum, minus periti verò asseruissent, illum fuisse mortuum de vulnere dicto, & tamen Pontifex huic parti minus probabili favet decernendo talem debere abstinere à divinis, cùm nihilominus Severistæ doceant in concursu minus probabilis & magis tutæ cum probabiliori licitum esse relinquere tutam, & probabiliorem amplecti, adeoque decretum & responsum Pontificis est contra ipsosmet Severistas.

Respondetur Quarto: Textus illos omnes loqui vel dubio strictè sumpto, quando scilicet intellectus nulli parti determinatè præbet assensum, ob defectum rationum sufficientium, quæ illum pertrahere possint ad assensum determinatum, vel de dubio minus strictè sumpto, eo quòd rationes pro utraque parte sint tales, quod ex pondere unius partis in illam inclinet, nondum tamen plenè intellectus assentitur, quia gravitate rationum pro altera parte adductarum sic premitur, & urgetur in tantum, quòd adhuc fluctuet, eò quòd rationes dictas non benè sibi solvere possit, adeoq; nondum pervenire potest ad verum probabilitatis statum, unde in casibus allatis potest esse mentio vel de dubio strictè sumpto, vel largè accepto, & quodcunq; ex illis fuerit, & sit, nunquam stantibus illis dubiis licitum est operari.

Respond. Quintò: Concessò casu Canones illos loqui de duabus opinionibus ibi concurrentibus, negando conseq. ex illis deductam vel deducibilem, quia cum casus illi versentur circa materiam Sacramentorũ optimè resolvit Pontifex propter eorum reverentiam esse abstinendum ab altaris ministerio, in talibus enim casibus ex speciali obligatione non licet uti opinione minus probabili, relicta probabiliori, & tutiori, ut dictum est jam supra.

Opponuntur Secundò: *Cap. 4. de Clerico Excommun.* ubi legitur, Episcopum quendam Ecclesiâ propriâ relictâ, sine licentia aliam occupasse, ac proindè Papa commisit Archi-Episcopo Magdeburgensi, ut eum excommunicaret, nisi intra 20. dies recederet ab Ecclesia occupata, quod cum facere omisisset, excommunicatus fuit, & re ad Pontificem delata, sic Episcopus ille se excusavit: *Cum dictus Magdeburgensis non esset judex ordinarius ejus, non crediderat, quòd monitione non præmissa, authoritate delegata posset procedere contra ipsum, aut sententiam aliquam in ipsum promulgare: unde cum nec ante factum monitorias, nec pòst, aliquas accepisset, peccare non credidit, si divina officia quantumcunq; solemniter celebraret, præsertim cùm non nisi ei per famam de sententia in eum prolata constaret.* Ubi Papa respondet: *Licèt autem in hac non videatur omninò culpabilis extitisse, quia tamen in dubiis via tutior est eligenda, & si de lata in eum sententia dubitaret, debuerat se tamen potius abstinere, quàm Sacramenta Ecclesiastica administrare.* Qui textus si punctualiter perpendatur, videbitur, utrimque fuisse opiniones Episcopum excusantes & incusantes, nam Pontifex ipse testatur: *Non videtur omninò inculpabilis*, quibus VIII. Dubitata de Censura non potest divina agere.

non

non obstantibus, resolvit partem tutiorem esse eligendam.

Secundò: *Cap. 3. de Clerico non baptizato:* Refertur casus, quendam Clericum scientem se non fuisse baptizatum, postea ab Episcopo baptizari: hoc facto, disputatio oritur de ejus legitima ordinatione & Sacerdotio, atque casu ad Pontificem delato sic respondet: *Cumq; super ordinibus diutius fuisset disputatum, quidam in eam inclinaverunt sententiam, ut cùm baptismus sit fundamentum omnium Sacramentorum ante baptismum nullum suscipiatur Sacramentum.* Recenset deinde oppositum: *Quia verò in Concilio apud Compendium legitur constitutum, quòd si quis in Presbyterum ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur. Nos circa Latorem præsentium in dubitabili casu, quod tutius est sequentes, mandamus, quatenus ipsum per singulos ordines promovere procures.* In quo casu manifesta cernitur opinionum diversitas pro & contra sentientium, quibus tamen non attentis Pontifex non definit ob majorem vel minorem unius aut alterius probabilitatem, sed secundùm id, quod tutius est, ergò etiam in opinionibus semper tenendum quod tutius est.

Respond. Nec ex his locis aliquid contra probabilitatum usum deduci, quod vim haberet & efficaciam, unde quamvis superiores responsiones etiam hìc sufficerent, & debitè applicari possent, nihilominus adhuc claritatis gratiâ dico ad primum locum, in illo absolutè sermonem esse de dubio facti, ut colligitur ex illis verbis: *Et si de lata in eam sententia dubitaret*, quod enim solùm per famam notitia ad eum pervenerat, exprimunt antecedentia, unde meritò respondit Pontifex, illum debuisse à divinis abstinuisse, quia in dubio facti tutior est eligenda, & non est contra conscientiam agendum. Quòd verò Pontifex videatur illum excusare per illam particulam: *Non videtur omninò culpabilis*, exindè non infertur fuisse pro illo opinionem probabilem, sed solam allegat excusationem ejus, respectu cujus non fuit tam culpabilis, sicut fuisset, si hoc certò cognovisset; quem textum Doctor noster subtilis quoque allegat in *4. d. 13. q. 2. n. 20. verbo: Ignorantia facti*, & docet ibi fuisse dubium tantum, non verò ullam opinionem; unde post supra allegata hoc addit: Et in fine subditur: Cum eo misericordiam facientes, pœnam, quam canon his, qui post excommunicationem divina præsumpserunt celebrare, infligit, non duximus infligendam. Ex hoc patet, quod misericorditer relaxat dubitanti pœnam, quam incurrit ex canone, qui celebravit divina, postquam innotuit sibi per famam de excommunicatione in eum lata.

Ad alterum locum *ex cap. 3. &c.* Respond. Nec in illo loco adferri duplicem opinionem, quasi ex illis una esset affirmans, altera negans, sed unicam veram & certam referri sententiam, scilicet ante baptismum ordinatum, susceptô baptismô, iterum debere ordinari, nam quod disputatum fuerit, non infert duplicem ibi fuisse opinionem, sed à quibusdam dubia quædam fuisse mota, nam ibidem textus habet: *Porrò econtra videri posset* nulla facta mentione sententiæ, vel opinionis contrariæ, quia legi claræ non datur opinio adversans, & ideò tò *videri posset*, merum importat dubium, unde dicit Rota vol. 3. lib. 2 decis. 11. n. 3. verbum *videor*, esse dubitativum, quare etiam nostri Antesignani Magistri Div. Thomas, & Scotus, cùm per modum dubitationis sibi difficultatem aliquam objiciunt, semper utuntur verbo *Videtur*: Et postea primò referunt opiniones, si quæ sunt: In casu ergò allegato Papæ decidit casum secundùm legem antiquam, non obstante dubio speculativè inserto, quamdiu enim non decidit, manet res dubia, cum ad ipsum similes materias circa Sacramenta resolvere pertineat,

tineat, & in istis non sit liberum unicuique opinari prout vult, sed prout Scotus supra docet, semper tenenda sunt illa, quæ Christus instituit, & quæ ab Ecclesia per Petrum & suos Vicarios magis institutioni divinæ conformia esse declaravit, nihil ergò concludit contra nos.

IX. Dubitans de morte conjugis non potest petere debitum.

Opponitur Tertiò *Cap. 2. de secundis Nuptiis*, ubi referuntur litteræ Lucii M. & Pontificis, ad universos Christianos in captivitate Saracenorum positos, in quibus decidit, quomodo gerere se debeant volentes transire ad secundas nuptias, si nondum sint certificati de morte alterius conjugis, dicens: *Si verò aliquis, vel aliqua, de morte prioris conjugis adhuc sibi existimet dubitandum, ei, qui sibi nupsit, debitum non deneget postulanti, quod à se tamen nullatenus erit postulandum.* In quo loco Pontifex non potuit qualitatem uniformem dubitationis supponere, cùm ageret de multis huic dubitationi obnoxiis, ergò cùm ad omnes idem decidat, sequitur quoad omnes idem esse fundamentum, quale fuit in casu, quia quilibet habebat probabilem rationem putandi conjugem suum non esse mortuum, quamvis fortè aliqui habuerint magis probabiles rationes, quibus non obstantibus decidit, non posse petere debitum, nisi fuerint certificati de morte conjugis, ergò signum est, non licere uti opinione probabili in concursu tutioris. Respond. neg. conseq. Nam omnes concedunt, me posse uti probabiliori relicta tutiore, alioquin commisso peccato aliquo statim tenerer confiteri, quia hoc est tutius. Deinde assumptum quoque falsum est, Pontificem dubium illud, seu casum illum, quoad omnes æqualiter decidere, sed decidit tantùm quoad illos, qui dubitabant de morte prioris conjugis, & hos dicebat, non posse petere debitum conjugale, sicut revera nequit, qui dubitat mortuum priorem conjugem, quia agit contra conscientiam ex probabili causa, ut inquit Glossa V. *Nullatenus exigendum:* nam ut habet vulgatum axioma: *Probabilis credulitas, idem operatur quod veritas*, adeoq; si aliquis habuit probabilem credulitatem de superstite conjuge, operabatur quod veritas, & consequenter justè Pontifex inhibuit petitionem, quia in dubiis tutior est pars eligenda. Tertiò dico caput illud secundum, duplicem involvere casum: Primò, si alter ex conjugibus dubia fide contraxit matrimonium. Secundò, quando uterq; dubia contraxit fide. In primo casu dico, talem non posse petere debitum, posse tamen reddere juxta decisionem hujus capitis. Ad secundum dico neutrum existentem in mala fide posse petere, aut reddere debitum.

X. Credulitas probabilis idem operatur quod veritas.

XI. Regula Seraphica quomodo secundum tutiora exposita est.

Opponitur Quartò: *Clementina. Exivi*: ubi declaratur Regula nostra Seraphici P. N. Francisci, ubi habentur hæc verba: *Nos itaque, qui in sinceris eorum conscientiis delectamur, attendentes, quod in his, quæ animæ salutem respiciunt ad evitandos graves remorsus conscientiæ, pars securior est tenenda, &c.* sed in casu resolutionis erant in Religione nostra viri docti, qui hinc inde diversa opinabantur, atque quilibet suam opinionem tuebatur. Et erant quoque viri probi & simplices, qui ob diversitatem opinantium meris agitabantur scrupulis, nescientes, in quam partem se inclinarent, aut determinarent, quorum quieti & saluti consulens Pontifex regulam interpretatur, & dicit, in his opinionibus tutiorem partem esse tenendam, ergò non solùm in dubiis, sed etiam in opinionibus Regula illa: *In dubiis tutior. &c.* locum habet. Respond. negando consequent. Non enim Pontifex in illa Extrav. probabilitatum usum damnat, sed altercationes & contentiones uniformi observantiæ repugnantes cassat, diversitas enim idem servandi statutum imperfectionem denotat magnam, quo magis enim viri Religiosi unius Instituti se invicem elongant ab unitate, se elongant à charitate, & DEO, qui non est dissensionis,

fensionis, sed pacis & unitatis DEUS, quod etiam attendens Pontifex dictas altercationes inter opinantes tollere voluit, tanquam turpes, inquietativas conscientiarũ, & discordiarum fomenta, unde posito quod fuerint opiniones inter aliquos, quas Pontifex ex allegatis motivis tanquam viris religiosis inconvenientes damnat, non tamen sequitur Pontificem universaliter probabilitatum usum reprobare: fuisse autem hanc Pontificis intentionem, & rationem manifestè liquet ex contextu, nam in illa *Extrav.* §. *Ex præmissis*, dicit: *Volentes itaque conscientiarum prædictorum fratrum providere quieti, & his altercationibus finem dare, declarando dicimus, &c.* voluit itaque Pontifex altercationibus sublatis suborta Regulæ dubia declarare, & uniformem in Religionem observantiam inducere determinavit dubia illa sequendo tutiorem partem, per quod tamen probabilitatum usum non reprobavit, nec Regula Juris citata ad aliud, quàm ad dubia extendi debet.

XII. Conscientiam dubiam nemo sequi potest.

Arguitur Quartò: Nullus potest tuta conscientia sequi conscientiam dubiam, quia, qui ita operatur, exponit se periculo peccandi, & offendendi DEUM, nam *qui amat periculum, peribit in illo*, Proverb. 6. sed sequens minus probabilem relicta tutiori operatur ex conscientia dubia, ergò non potest tutâ conscientiâ hoc facere, sed tenetur in dubio eligere tutiorem partem: Probatur min. Quia intellectus tàm diu dubius est & anceps, quamdiu sunt pro utraque parte rationes & motiva æqualia, vel etiam ex una parte majora, sed in concursu probabilioris tutioris, & probabilis sunt talia motiva, excedentia, ergò intellectus manebit dubius. Hoc est argumentum Rev. P. Mercori, quod contra nostram conclusionem sic melius formaretur: In dubiis sumus obligati sequi tutiorem partem, sed qui sequitur opinionem minus probabilem, est in dubio, ergò tenetur meliorem & tutiorem sequi partem: veruntamen sive hoc, sive alio modo proponatur, in idem redit. Unde Respond. concessa maj. neg. min. cum sua probatione: Tum quia æqualitas vel inæqualitas motivorum non faciunt dubium in opinione probabili, quam aliquis vult amplecti, supponitur enim jam motiva utriusque partis esse debitè examinata, & in minus probabili objectiva, per judiciũ & probabilitatem subjectivam in intellectu opinantis omne dubium exclusum, unde argumentum probat volentem opinari, seu sequi opinionem probabilem prima fronte posse suspicari, & dubitare quænam sit amplectenda, postquam autem judicium practicum sibi formavit, cessat omne dubium, unde argumentum valet contra Benignistas illos, qui dicunt objectivam, opinionem probabilem esse sufficientem regulam, non verò contra me, qui teneo subjectivam esse necessariam, tunc enim opinio amplexata habet & veritatem & certitudinem moralem, & omnia alia, quæ ad opinionem requiruntur.

Instatur: Ex opinionum æqualitate intellectus nescit resolvere, quam ex illis proponat voluntati sequendam, ergò adhuc intellectus dubius hæres & anceps. Respond. neg. antec. Quia potest intellectus voluntati proponere utramq; cum suis probabilitatum rationibus, addendo simul motivum, quo indicat se magis inclinare in hanc, v. g. quàm in illam, & consequenter voluntas rectè operari volens illam amplectitur, aut nolens mandat intellectui, ut diligentiorem adhibeat investigationem ad inquirendam veritatem, pro amplectenda altera parte. Respond. Secundò negando consequent. Quia in casu proposito si remanet aliquod dubium, illud non esset practicum, sed tantùm speculativum.

QUÆSTIO QUARTA.

An semper in dubiis sit melior conditio possidentis?

I. Dubiis in melior est conditio possidentis.

SIcut Severistæ plurimum se fundant in regula superioris quæstionis, ita Benignistæ per hanc se multùm tuentur, quod in dubio sit melior conditio possidentis, undè operæ pretium est, hanc quoque specialiter examinare. Illi pro lege æterna DEI zelant: isti pro fragilitate humana, ejusque libertate pugnant: illi obligationes adaugent; *Alligant onera gravia*, ut Christus ait apud D. Matth. 23. *& importabilia, & imponunt humeris hominum:* Isti excutiunt talia, & dicunt: *Jugum Christi suave est & onus ejus leve:* Illi pro veritate concertant, isti pro libertate bellant, cùm enim homo ex natura sua liber sit, & libertate, qua Christus nos donavit, non censent jugum imponendum nobis, quod nec nos, nec patres nostri portare potuerunt, discussâ igitur superius regulâ Severistis favente, etiam de illa Benignistis patrocinante, agendum erit.

II. Regula in dubiis melior habetur in utroq; jure.

Nam Severistæ omnes docent, hanc regulam solummodò locum habere in virtute & materia justitiæ, ita Fagnanus, Mercorus, Conzalez, Merenda, &c. Econtra Sanchez lib. 2. disp. 41. n. 32. Suarez, de Censuris disp. 40. sect. 5. n. 15. & alibi sæpè. Villalobos, Garcias, Filliucius, Diana, citans plures alios, Bonacina de *Restit. disp. 1. q. 2. p. 2. §. Incidens*, ubi citat Henriquez, Sotum, Rebellium, &c. affirmant Regulam illam non solùm in Justitia, sed etiam in aliis virtutibus subsistere. Pro decisione igitur

Notandum Primò: Regulam illam: *In dubiis melior, &c.* esse ab utroque jure emanatam, fundatam, & acceptatam, nam in Canonico in 6. Reg. 65. dicitur: *In pari delicto, vel causa potior est conditio possidentis.* In civili verò sæpius, ut Leg. Si Debitor 10. ff. de Pignor. L. uti frui 5. ff. Si usus fruct: petat: L. Is qui destinavit 25. ff. de rei vindicat: L. Si servus 91. §. Sequitur, ff. de verb. obligat. Regula 171. ff. de Reg. Juris: *In pari causa possessor potior haberi debet.* Regula 197. ibidem: *Cùm par delictum est duorum, semper oneratur petitor, & melior habetur possessoris causa.*

III. Possessio duplex.

Notandum Secundò: In rebus corporalibus duplicem posse considerari possessionem, seu posse sub duplici consideratione spectari, nempe *materialiter*, & *formaliter*; seu *physicè*, & *moraliter*. *Physicè* & *materialiter* accipitur, quando de se constat, quòd quis quidpiam possideat, nec opus habet probare eam, cùm manifestè constet se rē detinere. *Formaliter* verò & *moraliter* accipitur, quãdo possessio sub suo titulo justo consideratur, unde ista primo intuitu non est manifesta, sed aliunde probari debet, nam non sequitur, ego istam rem detineo & teneo, sed quærendum etiam est, an benè vel malè, justè vel injustè. Et hæc possessio sola est communis omnibus virtutibus, non enim sufficit dicere, possideo libertatem, sed ultrà requiritur investigatio, & causa justæ & licitæ investigationis. Hinc

IV. Possessionem ad requiruntur duo.

Notandum Tertiò: Duo requiri ad hujus regulæ veritatem, ut possessio sit justa & licita, Primò quòd possidens bona fide possideat, nullus enim possessor justus fieri potest, nisi bona fide incœperit, nam ut Regula Juris 2. in 6. dicit: *Possessor malæ fidei nunquam præscribit*, & hoc currit etiam in materia aliarum virtutum, quia homo sicut nascitur liber naturaliter, ita etiam bona fide incœpit possidere libertatem suam, quæ tàm diu durat, usque dum ex supremo DEI dominio subjicitur legi & præcepto, lex enim tunc dicitur incipere possessionem suam contra hominis libertatem, in quo tamen differt à materia justitiæ, quia hæc est indifferens ut possessio æquè vel iniquè incipiat, in homine autem libertas semper justè incipit.

incipit. Secundò requiritur ad justam possessionem, quòd possessor diligentiam debitam adhibeat ; ad investigandum & sciendum justum titulum suæ possessionis, si eâ adhibitâ adhuc dubitat, an res sua sit, vel an verè possideat libertatem, potest tutè credere rem suam esse, & justè possidere libertatem ; quia *In dubiis melior est conditio possidentis*, quod etiam de legibus aliarum virtutum dici potest, justificatur itaque possessio per diligentem inquisitionem, bona fides roboratur, & tandem melior conditio confirmatur.

V. Libertatis possessio non valet in omni casu.

Notandum Quartò : Neminem posse prætendere possessionem libertatis suæ in quolibet casu, nam aliquando ipsa lex est in manifesta possessione, quando de ejus existentia evidenter constat, nec ulla ratiò efficax adferri potest, quare homo hìc & nunc debeat censeri à lege: si verò efficaciter probaretur in hac circumstantia subditum non posse constringi , nec legem in casu illo velle obligare, nec legislatorem id desiderare vel prætendere, tunc stat possessio libertatis pro homine, v. g. est lex certa Ecclesiæ de audienda Missa diebus festivis, si homo infirmetur, eximitur à lege illa obligante, & liber absolvitur. Similiter est lex divina certa, vovendum esse & reddendum, si quispiam dubitaret de voto facto , si non habet efficacem rationem ostendentem votum esse nullum, tenetur & obstrictus manet voto, si verò demonstret clarè, votum fuisse nullum, in libertatis possessionem redit, unde universaliter semper requiritur magna diligentia ad sciendum & inveniendum justum possessionis titulum. His prænotatis

VII. Regula: Melior est conditio habet locum in omni virtute.

Dico Primò : *Regula illa :* In dubiis melior, &c. *quamvis principaliter emanata sit pro materia justitiæ, benè tamen etiam extenditur ad materias aliarum virtutum, quibus prudenter etiam accommodari potest.* Ita Authores Benigniores suprà. Et prima pars patet : Quia omnia illa jura in notabili primo citata expresse loquuntur in casibus & justitiæ rebus, adeoq; primariò illam respicit materiam. Probatur Secunda Pars ex Scriptura Proverb. 3. *Gloriam sapientes possidebunt.* Item cap. 4. *Posside sapientiam, posside prudentiam, nè obliviscaris, neque declines à verbis oris mei.* Eccles. 51. *Possedi cum ipsa cor ab initio : propter hoc non derelinquar. Venter meus conturbatus est quærendo illam : propterea bonam possidebo possessionem :* in quibus locis dicitur sapientia, prudentia, & scientia possideri, sed hæ non sunt res materiales, ergò etiam possessio benè extenditur ad rem immaterialem, quamvis non sit possessio rigorosè & propriè dicta , quia non est corporalis detentio, est tamen intentionalis , unde si quis ea justè privaretur & spoliaretur, talis gravem pateretur injuriam, & spolians ad restitutionem pro posse teneretur. Item : Quia lædens famam alicujus, peccat plus, quàm qui furatur rem alterius, & injuriam facit illi, eò quòd famæ ejus, quam justè possidet, detraxit, ergò.

Confirmatur : Nam Proverb. 22. *Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ : super argentum & aurum gratia bona*, ubi in utraq; parte sententiæ idem ferè significatur, nam per nomen bonum intelligitur fama bona, sic & gratia bona dicitur benevolentia, quam ei bona fama & vitæ innocentia conciliat, apud homines, significat , ergò sapiens censet bonam famam, & benevolentiam hominum pluris esse æstimandam quàm multas divitias, & thesauros auri & argenti , ergò tàm benè possidetur fama & nomen bonum, quàm possideatur aurum & argentum. Deinde hæc sententia destruit vulgi opinionem; apud quem ferè pluris æstimatur divitem esse quàm boni nominis & famæ. Deniq; ostendit, quàm grave sit detractionis vitium, quod tamen à multis parvi æstimatur, nam si bonum nomen præstantius est opibus , igitur & detractio famæ

læditur deterior est furto, quo pecunia aufertur, eo enim deterius est quodvis peccatum, quo majori bono, quod possidet, hominem spoliat, unde breviter hoc formari potest argumentum: vera est possessio aliquorum bonorum, quorum potest fieri injuriosa spoliatio, sed bonorum famæ, nominis, sapientiæ potest fieri injuriosa spoliatio, ergò ibi in illis homo habet veram possessionem, &c.

VII. Verba dubia, quomodo accipienda.

Probatur Secundò: Universalis regula est, quod in obscuris possimus sentire, opinari, & dicere quid volumus, ergò etiam quando lex obscura est, obscurè proponitur, possumus sentire illud, quod magis naturali libertati nobis congenitæ est conveniens, seu tunc censetur possessio legitima, quando lex obscura est ambigua, sed in omni materia cujuslibet virtutis contingit leges & præcepta quandoque obscurè & ambiguè proponi, vel quoad ipsam substantiam, vel quoad modum, circumstantiam, & intelligentiam ipsius legis, ergò in omni materia habet suam veritatem, *In dubiis melior est conditio possidentis*: Probatur maj. ex pluribus juribus, Tum in superiori quæstione citatis Concl. 1. Tum quia in omni materia *obscurè dictum habetur pro non dicto*, Gloss. V. *Dubium Cap. in præsentia* 8. *de probat. Et obscurè scriptum pro non scripto habetur*. Ibidem *per L. 2. ff. De iis, quæ pro nobis*. Item *Obscurè respondere & nihil respondere paria sunt*. L. de ætate 12. §. Nihil interest, ff. de Inter. Act. Iterum *Verba generalia pariunt ambiguum sermonem*. L. in tradend. 8. ff. Communia præd. *Et in ambiguo sermone non utrumque dicimus, sed id duntaxat, quod volumus*. L. in ambiguo 3. de rebus dub. sed hæ omnes regulæ currunt in qualibet materia cujuslibet virtutis, ergò in obscuro & dubio sumus in possessione, ut possimus quod volumus, consequenter in perfecta libertate. Hinc

Probatur Conclusio Tertiò Ratione: Quia possessio est communis titulus omnibus virtutibus, ergò debet etiam suffragari omnibus virtutibus: Probatur antec. Quia objecta omnium virtutum possunt teneri, & non teneri, tàm benè in aliis virtutibus, quàm in justitia, nam licèt in aliis non sint objecta corporalia, sunt tamen incorporalia, quæ etiam possideri possunt, si non per possessionem rigorosam, quæ est realis & physica detentio, est tamen *quasi possessio*, ut eam de facto Canonistæ vocant *Cap. Conquestus*. 16. *De foro compet.* Ib. Glossa V. *Quasi possessionem*. Et hæc possessio incorporalium non acquiritur, ut dicit Bordonus, nisi data scientiâ, & patientiâ illius, contra quem prætenditur acquisita possessio. Itaq; homo, cùm ex natura sua nascatur liber *L. summa 3. ff. de statu hom.* eam possidet, si non constet oppositum legem esse in tali possessione. Quòd autem sit modus alius possidendi incorporalia quàm corporalia, non obstat, modus enim non variat, nec mutat substantiam & naturam possessionis.

Confirmatur: Verè possidentur spiritualia beneficia, jurisdictiones, &c. ergò etiam eadem ratione possunt dici possideri potestates, libertates, & alia hujusmodi spiritualia, & consequenter etiam legibus, votis, juramentis, quando videlicet facta diligenti examinatione hominem se non obstrinxisse, nec aliunde legem accepisse sibi constat, nam cùm ex natura liber sit, eamq; cum nativitate accipiat, manet in eadem usque dum oppositum pateat. Sed incontra

Opponitur Primò: *Cap. Ad audientiam* 12. *Cap. Significasti* 18. *Cap. Petitio tua* 24. *Cap. Illud* 5. *de Cleric. Min. Cap. Juvenis* 3. *de Sponsal.* ubi habetur opposita regula, de qua supra: *In dubiis tutior pars est eligenda*, ergò regula, *In dubiis melior est conditio possidentis*, non videtur suffragari in materia aliarum virtutum. Respond. Jura illa allegata jam in priori quæstione esse explicata, adeoque certum nihil contra nos facere,

facere, unde hic breviter, nego conseq. Nam prima tria capita loquuntur de homicidio, quòd in dubio debeat se quis tenere irregularem ob reverentiam, quâ mysteria divina altaris mundè & purè sine omni suspicione alicujus maculæ tractari debent. Ad casum de Episcopo ministrante dico, illum culpabilem fuisse, quòd non adhibuerit diligentiam, quodque temerè egerit, & in tali casu indubitatum teneo, neminem posse habere possessionem bonam suæ libertatis, qui non adhibet diligentiam ad sciendum justum, & honestum possessionis moralis titulum. Respond. Secundò: Illam regulam, *In dubiis tutior*, locum tantùm habere in casibus à jure expressis, nam in dubio de homicidio debet se quis irregularem tenere, in aliis autem casibus nemo tenetur sequi tutiorem partem, supposito, quòd quis adhibuerit diligentiam, maximè cùm plures graviores authores doceant, ibi tantum positum esse consilium non præceptum, ut tenent Sanchez, Navarrus, Castropalaus, &c. Et universaliter tenendum est, illam regulam non habere locum in opinionibus, sed tantùm in dubiis, ut dictum est supra.

Arguitur pro R. P. Mercoro: Ideò possessio in materia justitiæ favet possessori, quia facit præsumptionem, quòd possessor sit verus dominus, nam ut plurimum possessor est verus dominus, sed in dubiis aliarum virtutum possessio non facit præsumptionem de veritate, pro parte quæ possidet, ergò nec possessio ei favere debet in aliis virtutibus: maj. patet, probatur min. Tum, quia dubitans an emiserit votum, quando erat infirmus, non tenetur, non ex eo, quòd sit in possessione libertatis, quia hoc est dictum merè verbale; non faciens præsumptionem, sed ideò, quia in dubio non præsumitur vovisse, cùm de eo non recordetur: Tum, quia vovens jejunare in Vigiliis B. Virginis, aut dare in casu transgressionis eleemosynam, dubitans an jejunaverit, tenetur ad solutionem eleemosynæ; ergò dubium non præstat ei libertatis possessionem. Respond. distin. maj. Ideò possessio &c. materialiter sumpta & accepta, neg. maj. quia ad rem materialem possidendam homo est indifferens ut mala & bona fide possideat, & videmus latrones & fures quandoq; etiam possidere. Possessio formaliter sumpta facit præsumptionem, nempè postquam adhibita fuit diligentia de justo titulo & possessionis honestate invenienda; & hæc est ratio, quæ facit præsumptionem, & justam possessionem firmat. Similiter Respond: ad min: nequando scilicèt, quòd post adhibitam diligentiam in aliis virtutibus non inveniatur præsumptio justæ quasi possessionis, hæc enim diligentia efficit, ut vovens & dubitans maneat in possessione libertatis à voto emisso, cùm non inveniat rationes convincentes eum de præstito, per quod est soluta prima proba. Ad secundam dico quoq;, quòd ille, qui est certus de jejunio, incertus verò de ejus satisfactione dubitando, posita diligentia, si adhuc dubitat, tenetur ad eleemosynam, tunc enim lex voti est in possessione potens voventem obligare. Quòd si verò per diligentiam & rationes, v. g. eò quòd semper aliàs jejunaverit, nec in illa vigilia fuerit impeditus, nec habuerit rationem non jejunandi & similes, tollatur dubium, & probabiliter credat se satisfecisse voto, non tenetur ad eleemosynam, quia possessio in eo casu stat pro utroque, nempe pro lege voti, in quantum obligabat voventem ad solvendam eleemosynam, & etiam pro subdito, quia probabiliter constat, satisfecisse voto, adeoque liber est à solutione eleemosynæ.

VII. Possessio in materia justitiæ facit præsumptionem.

Instatur: Quando princeps jubet subdito sumere arma, & dubitatur de justitia belli subditus tenetur obedire, ut docent Doctores communiter ex D. Augustino mox citando, sed tunc possessio stat pro libertate subditi, quia non pro principe,

cipe, qui non potest jubere nisi quæ justa sunt, ergò obligatio obediendi in subdito non sumitur ex possessione, sed ex præsumptione, quia præsumitur, quòd princeps justa præcipiat. Respond. neg. min. Quia vice versa debet dici possessionem stare pro principe ex jure principatûs quod habet, & stante hac possessione subditus præsumere debet, principem suum justa præcipere. Et hoc docet D. Augustinus lib. 22. contra Faustum Manichæum cap. 75. ubi ait: *Interest enim quibus causis, quibusq; authoribus homines gerenda bella suscipiant; ordo tamen ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli authoritas atque consilium penes principem sit, exequendi autem jussa bellica ministerium milites debeant paci, salutiq; communi.* Et paulò post subdit: *Cùm ergò vir justus si fortè sub rege, homine etiam sacrilego, militet, rectè possit illo jubente bellare civicæ pacis ordinem servans: cui quod jubetur, vel non esse contra DEI præceptum certum est, vel utrum sit certum non est: ita ut fortaßè regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi.* Itaque principe bellum gerente subditus tenetur obedire, sicut enim constat de principis potestate & possessione, ita etiam de obedientia præstanda à subdito, qui proindè in tali casu dubium debet deponere, quilibet enim officialis præsumitur officium suum rectè exercere, ut habetur *L. 1. Cod. de suscept. Præposit.*

VIII. Possessio ex parte hominis dubitantis quando est.

Dico Secundò: *In omni materia, quando rationabiliter de legitima institutione, promulgatione, receptione legis, vel authoritate legislatoris, vel etiam de ipsa transgressione præcepti, manente dubio invincibili, seu inculpabili dubitatur, possessio adjudicanda erit in favorem dubitantis.* Ita Scotus, Svarez. Probatur: Tam lex, quàm præceptum sunt quoddam gravamen & servitus respectu hominis, sed quilibet est in possessione suæ libertatis, & liber à gravamine, antequam constet sibi de onere imposito, ergò dubitans in hoc casu, an sit lex obligans, est possessor suæ innocentiæ & libertatis, donec probatum fuerit onus esse impositum. Confirmatur: Nemo debet subire pœnam, antequam probetur reus, *L. absentem. ff. de pœnis*, sed pœnale est suscipere obligationem, antequam sciat de lege, ergò nemo tenetur ad hanc pœnam, antequam constet legem hìc & nunc obligare. Præterea judex in foro externo non potest aliquem condemnare, vel obligare dubitans, an sit condemnandus, vel obligandus, sed similter debet se habere Judex in foro interno, ergò cùm quis sit judex suarum actionum, non debet judicare se esse obligatum, vel formare talem conscientiam ex eo, quòd occurrat dubium, an sit ita? *In dubiis* enim, ut habet regula, *est favendum reo magis, &c.*

IX. Dubitans de voro non tenetur ad illud.

Ex hoc infertur, quòd bona fide accipiens rem alienam, dubitans postea, an sit aliena, non tenetur eam restituere, donec constiterit verè alienam esse: secus dicendum, si mala fide eam accepit, (etiamsi per tempus, quo currere solet præscriptio, eam possederit, quia ut dicitur *Possessor malæ fidei nunquam præscribit.*

Deniq; quando aliquis dubitat, utrum præceptum quodcunq; violaverit, manente dubio, possidet suam innocentiam juxta Regulam juris: *Quilibet est innocens, donec probetur nocens.* Et in hoc potest fundari regula generalis, quòd nemo tenetur confiteri peccatum, nisi certò aut probabiliter affirmare posset, se illud commisisse, & confessum non esse. Præterea qui percussit clericum, ignorans esse talem, si postmodum intelligat & dubitet, an excommunicationem incurrerit, non tenetur se gerere pro excommunicato, quia non est sibi conscius, quòd transgressus sit legem particularem, quæ prohibet sub excommunicatione percutere Clericum. Plurimi alii similes casus inferri possunt.

Dico

I. ...e est in ...ssione ...x facto ...ntr.

Dico Tertiò: *Quando certò constat de legis acceptatione, vel valore, vel de facto contra legem, vel transgressione legis, solum verò dubitatur, an lex abrogata sit vel cessaverit, vel an transgressio fuerit ex indeliberatione in materia levi, vel gravi, possessio stat ex parte legis.* Probatur: Lex semel acceptata est in possessione contra libertatem; ergò quamdiu non probatur cessare, censetur spoliatus libertate agendi contrà legem, & consequenter si agat contra legem, & dubitet de aliqua circumstantia, in hoc dubio debet favor exhiberi legi offensæ, & non reo, ergò.

III. Casus in quibus lex est in possessione.

Ex hoc infertur Primò: Quòd sciens se novisse aliquid, & dubitans an deliberatè, stante dubio tenetur ad implendum votum: quia vovendo sua libertate se spoliavit, dans legi agnitæ possessionem. Secundò, si constat alicui, quòd verè peccaverit, dubitat autem, an mortaliter, an venialiter, tenetur ad subeundum examen de qualitate & quantitate peccati. Tertiò, constat abstinentiam in vigilia Paschæ, & quovis Sabbatho obligare usque ad mediam noctem, si ergò quis dubitet, an medium noctis pertransierit, tenetur ad jejunium, econtra verò die Jovis quia constat abstinentiam non obligare nisi à medio noctis sequentis, dubitans, an sit ultra medium noctis, potest adhuc vesci carne, quia possessio hìc stat ex parte dubitantis, cùm non constet adhuc legem obligare. Infiniti propè similes casus servatâ hac regulâ possunt resolvi. Nota tamen, me semper loqui, si dubium permaneat; quia si per rationes probabiles in unam vel alteram partem dubitans inclinetur, aliter dicendum erit.

QUÆSTIO QUINTA.

De Locis topicis, & Regulis Opinionis probabilis.

I. Modis tribus DEUS investigatur.

DEUS, *& qui cum eo sunt beati Spiritus* (sicut & omnis veritas) *tribus modis*, ait S. Bernardus lib. 5. de considerat. cap. 3. *veluti viis totidem nostrâ sunt consideratione vestigandi opinione, fide, intellectu. Quorum intellectus rationi innititur, fides authoritati, opinio sola verisimilitudine se tuetur. Habent illa duo certam veritatē, sed fides clausam & involutam, intelligentia nudam & manifestam. Cæterum opinio certi nihil habens, verum per verisimilia quærit potius, quàm apprehendit*: quod etiam communiter Patres & omnes Theologi docent, per scientiam enim evidenter cognoscimus res, per fidem divinam infallibiliter, quamvis obscurè, per opinionem autem nec evidenter, nec infallibiliter, eò quòd principia nec claritatem, nec infallibilitatem habent, sed solam verisimilitudinem, quæ quia approximatur veritati physicæ, magnam habet potentiam in probationibus quibuscunqve, ut docet Menochius lib. 2. de Arbit: casu 85. unde etiam Aristoteles definit: *Verisimile est, quod plerumqve fit.* Ac proinde Glossa V. *Verisimiliter Clement. 3. de Elect*: dicit: quòd *illa sit inspicienda*, & si ratio est, quia est cognata naturę, & instar præsumptionis juris, ita ut quod non est verisimile, habet imaginem falsitatis, ex Baldo in Cod: De servis fugit.

Vt ergo sciamus, inveniamus, & habeamus certum opinandi modum, atqve principia, motiva, & argumenta, unde hujusmodi verisimilitudines desumendæ sint in opinionibus probabilibus, inquirendi sunt fontes eorum, qui ab Aristotele 2. Reth: cap: ult: vocantur *Elementa, & loci*, ex similitudine elementorum, quæ licet in se simplicia sint, sunt tamen multorum mixtorum origo, sic etiam locus est multorum argumentorum fons & scaturigo, qui à Cicerone appellatur *sedes argumenti*, & Boethius locum talem definit: *Quòd sit id, unde ad propositam quæstionem conveniens trahitur argumentum.* II. Locus topicus describitur.

Dialectici & Logici pro parte sua Topica viginti duos assignant, nempè

(*) Iiiii

nempè locus definitionis, notationis, partium, totius, causarum, effectuum, antecedentium, consequentium, præcurrentium, concomitantium, subsequentium, similium, majorum, minorum, parium dissimilium, oppositorum, repugnantium, authoritatis divinæ & humanæ. De quibus satis fusè egi in prima parte Introductoria ad Philosophiam disp. 4. q. 4. n. 7. & sequentibus, sed illis omissis tanquam facilioribus, quæ difficiliores videntur & necessariæ adhuc ad Theologiam pertinentes, solùm adducam. Inciperem quidem ab ultimo, quia DEUS Alpha & Omega est, verùm dicta DEI infallibilitatem faciunt, non probabilitatem, ideò ab humanis.

III. Legis authoritas primus locus probabilitatis.

Primus locus probabilitatum est authoritas legis, si enim lex extat, sive sit statutalis, sive pœnalis, servanda est, si verò non invenitur, nihil obligationis inducit, quia si hoc legislator voluisset, expressisset, ut habetur *cap. 2. §. Sed neque de Transl. Episc. Et Glossa.* Prout citat Laymannus de Legibus tract. 4. cap. 18. n. 9. Ab authoritate ergò legis valet argumentum tàm positivè, quàm negativè, ad obligandum & absolvendum, cùm enim leges omnes casus, qui contingere & evenire possunt, non contineant, nec comprehendere valeant, sed tantùm, qui plerumque accidunt, ideò bona est argumentatio ad similia inferenda. *L. non possunt. 12. ff. de legibus:* undè dicitur, qui pro se habet verisimilitudinem, habet legis decisionem.

Ubi breviter notandum: Ad legem requiri, quòd sit rationabilis, *Ratio enim est anima Legis*, ut est vulgatum Legisperitorum axioma, nam, quæ non est rationabilis, nec justa esse potest. Debet etiam esse clara, hæc enim est ejus proprietas ex Authen. de Testam. Imperfect. §. 1. undè quæ plures sensus habet, non est clara, sed dubia, & consequenter non obligans, nam quod multipliciter intelligitur, ignoratur, ut docet Balda *L. Data opera. C. qui accusari non possunt.* Navarrus & alii, si tamen sine hæsitatione duos sensus recipere potest, benignior & mitior eligi debet. Ex *L. Benignius.* suprà. Tertiò: Lex debet etiam esse promulgata, nam promulgatio est de essentia Legis, ut communiter docent omnes, & habetur *L. Leges Sacratiss. C. de Legibus Cap. 1. de Postulat. Prælat.* Item utplurimum requiritur acceptatio populi, quando contingeret, quod haberet justam causam non acceptandi, quæ latuisset Legislatorem, alioquin non requiritur, ut determinavit Alexander. 7. proposit. 28. cujus rei exemplum habemus in Scriptura Sacra, nam Exodi 24. cap. legitur: *Assuménsque volumen fœderis, legit audiente populo, qui dixerunt: Omnia, quæ locutus est Dominus, faciemus, & erimus obedientes*, si ergò DEUS pro suis legibus acceptionem populi requisivit, mágis dicendum erit de humanis, si subesset justa causa, aliàs non.

IV. Authoritas Doctorum est locus topicus opinionis.

Secundus locus est authoritas Doctorum, qui secundùm legem & Canones loquuntur, ut habetur ex *cap. Cùm baberet. De eo, qui duxit matrim. cap. omnes. 4. de major.* nam authoritas Doctorum ubi deficit lex, pro lege habenda est, si placet. *L. Si idem cum eodem. ff. de jurisdict. omn. Judic.* ut etiam tenent Hostiensis, Angelus, Bordonus. Additur tamen, *si placet*, quia non est necessariò sequenda, quia Doctor, opinionem concipiens, non potest facere legem, quæ obliget. Et hi loci sunt extrinseci.

V. Ratio potissimus fons opinionis.

Tertius & principalissimus locus est *à Ratione:* Hæc enim est *anima legum*, ut dicit D. Augustinus, & fundamentum omnium opinionum, per rationem enim naturalem discernimus, quid sit bonum, quid sit malum, quia signatum est super nos lumen vultûs DEI, undè D. Augustinus tract. 40. in Joann. dicit, nos esse *nummos DEI*, impressam illius habentes imaginem, quod est secundùm operationes intellectûs & voluntatis. Imò lumen illud dicitur lex naturalis, quæ dictat, quid agendum, vel omittendum, quid sit licitum, vel

vel illicitum. Undè D. Augustinus lib. 2. de serm. Domini in monte cap. 9. ait: *Quis enim scribit in cordibus hominum naturalem legem nisi* DEUS? *De qua lege Apostolus ait: Cùm enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt, hi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, contestante conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationum accusantium, aut etiam excusantium, in die, quâ judicabit Dominus occulta hominum. Quapropter si omnis anima rationalis etiam cupiditate cæcata, tamen cùm cogitat & ratiocinatur, quidquid in ea ratiocinatione verum est, non ei tribuendum est, sed ipsi lumini veritatis, à quo vel tenuiter pro sui capacitate illustratur, ut verum aliquid in ratiocinando sentiat.* Et S. Thomas 1. 2. q. 67. art. 1. Lumen naturale nihil aliud esse, nisi manifestationem veritatis, & quamvis non semper ostendat illam clarè & evidenter, inclinat tamen ad eam cognoscendam, *omnis enim homo scire appetit*, licèt ergò lumen illud ignorantiæ lutum, cùm quo nascimur, non sic abstergat, quin laborare ad veritatem indagandam opus sit, per quod ab opinione possimus transire ad veritatem, quamvis non semper, frequentius tamen nunc quàm olim, ut dicit S. Augustinus tract. 40. in Joan. *Signatum est super nos lumen vultûs tui Domine. Moneta* D E I *sumus. nummus à thesauro aberravimus. Errore detritum est, quod in nobis fuerat impressum, venit qui reformet, quia ipse formaverat.*

Hinc valet optimum argumentum: *A paritate rationis*, nam ut docet Sanchez, Suarez, Peyrinus, ubi est eadem ratio, ibi dicitur esse eadem lex, non extensivè, sed comprehensivè. Et in *l. Illud.* 32 *ff. ad L. Aquiliam.* dicitur, *Casus, quos nectit, paritas æquitatis, & identitas rationis, non sunt sperandi quoad dispositionem juris*: ubi enim sunt æquales rationes, ibi etiam debet idem jus, dicit Barbosa. Et per consequens valet etiam quandoque argumentum à majoritate rationis, ut idem Barbosa docet; Dico tamen *quandoque*, nam ut idem dicit, hoc non valet quoad leges pœnales, nam istæ quoad pœnas potiùs pendent à voluntate, quàm à ratione, & ideò in istis non valet argumentum à pari, à simili, ab identitate, vel majoritate rationis, nec valet in privilegiis, nec in feudis, nec in substitutionibus, ex eodem, undè melius & verius ille locus intelligendus est tantummodò in favorabilibus.

Quartus locus *est similium*: à simili enim valet optimè argumentatio; maximè si fit omnimoda similitudo, hic locus fundatur in *Cap. Cùm secundùm.* 16. *de Præbendis. Cap. per Venerabilem*, 13. *Qui filii sint legitimi*, quod autem debeat omnimoda esse similitudo, docet Abbas, in *cap. Inter corporalia. de transl. Episc.* & alii, assignatâ enim diversitate nihil probat. Nec hic locus est universalis, nam fallit tam in privilegiis, dispensationibus, pœnalibus, ut docent Doctores communiter, & Glossa, V. similia. cap. multi. 18. 2. qu. 1. ait: *Dictum de aliquo specialiter, non extenditur ad similia.* VI. Similia & dissimilia opinionem fundant.

Ad locum similium reducuntur verisimilia, ab his enim quasi in omni materia valet argumentum, ex *L. Non est verisimile. ff. de eo, quod metus*, Cap. Quia verisimile, de Præsumpt. uti etiam docent Farinacius, Barbosa, Bordonus &c. Dixi autem, *quasi in omni materia*, Quia excipiuntur materiæ exorbitantes, conditiones voluntariæ, & causæ criminales, ubi verisimilitudo nihil contra reum præstat, sicut etiam non valet, quando accedit rationis disparitas. Ad similium locum possunt quoque reduci exempla.

Quintus locus est, *Majorum & Minorum*: A majori enim ad minus valet argumentum, maximè si minus sit connexum, vel inclusum in majori. Et hic locus fundatur tum in juribus in *cap. Si ergò.* 15. 8. *q.* 1. *Cap. Si Paulus.* 11 32. *q.* 5. *L. in suis. ff. de liber. & posthu.* Tùm in authoritate Aristotelis, qui lib. 2. Eth. cap. 4. dicit: VII. A Majori ad minus quando valeat argumentum.

tit: *Si enim id, de quo magis videtur inesse, non inest, ergò nec id, de quo minus.* Undè tota argumentatio hæc est negativa.

Sicut contra argumentatio à minori ad majus est positiva, seu affirmativa; valere autem hunc argumentandi modum, probatur: Tùm ex Scriptura, nam D. Paulus hoc loco utitur in epist. 2. ad Corinth. cap. 3. ostendens ministros Novi Testamenti debere esse in honore, quia Sacerdotes Levitici Ordinis in honore fuerunt habiti, qui minus sunt, ita enim dicit: *Nam si ministratio damnationis gloria est, multò magis abundat ministerium justitiæ in gloria - - si enim quod evacuatur, per gloriam est: multò magis quod manet, in gloria est.* Tùm ex Jure, *Authent. Multò magis. Cod. de Sacros. Eccles.* Uterq; tamen locus non est universalis, nam primus fallit in dispensationibus, privilegiis, & jurisdictionibus, secundus, quando non est eadem utrobique ratio, & uterque fallit in mandatis.

VIII. Oppositio valet ad fundandã opinionẽ.

Sextus locus est *Oppositorum*, seu illorum, quæ à contrario sensu inferuntur, hic locus habetur *in cap. Qualis. dist. 25. cap. Cùm Apostolica. 7. De his, quæ fiunt à Prælat.* & fundatur in illa Maxima: *De quocunque affirmatur unum oppositorum, de illo negatur alterum*; quæ Maxima debet strictè accipi, & in eodem genere, ac sub eadem ratione, & insuper debet semper attendi contrarietas causæ finalis, & hunc modum adhibuit Christus Dominus, quando hortatus fuit fideles, ut arctam amplecterentur viam, Matth. 7. dicens: *Intrate per angustam portam: quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam. Quàm angusta porta & arcta via est, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt, qui inveniunt eam.* Benè infertur, arcta ducit ad vitam, ergò laxa ad interitum, quod sibi Benignistæ nimis laxi notare possunt & debent.

IX. Accidentium locus, & à fieri solitis.

Septimus locus est *Accidentium*, seu ab illis, quæ communiter accidere solent, & habetur *L. Certi conditio. §. si nummos. ff. si cert. pet. Gloss. fin. in L. Neque Natali. Cod. de probat.* & plures alii authores apud Barbosam, non valet tamen argumentatio ex hoc loco, si contingens sit valdè rarum. Huc apponi potest etiam argumentum *à fieri solitis*, quod tamen licitè, & justè fieri constat, nam *consuetum fieri dicitur necessarium*, ex Baldo *L. Quicunque. ff. de serv. fugit.*

Omitto hic locum *causarum, effectuum, circumstantiarum, accidentium, & consequentium*, quia hæc motiva sunt magis obvia, quia magis communia, tàm scientiæ quàm opinioni.

Huic septenario Locorum numero adjungo alium septenarium Regularum, ex quibus colligi potest, an hi loci fuerint, & sint benè adhibiti ad faciendam opinionem probabilem: Itaque prima Regula est ista, si opinio sit præcepto charitatis conformis, colligitur semper esse opinio probabilis, & eo probabilior, quò conformior. Ratio est: Quia totus scopus omnis legis est charitas, & dilectio juxta doctrinam Christi, Matthæi 22. *Hoc est maximum & primum mandatum, secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet & Prophetæ.* Undè D. Augustinus Epist. 52. dicit: *Quanquam & in hac vita virtus non est, nisi diligere quod diligendum est. Id eligere prudentia est: nullis indè averti molestiis fortitudo est: nullis illecebris temperantia est: nulla superbia justitia est. Quid autem eligamus, quod præcipuè diligamus, nisi quo nihil melius invenimus? Hoc DEUS est.*

X. Opinionis probabilis septem Regulæ.

Secunda Regula est: Omnis sententia & opinio devians à Sacra Scriptura traditionibus, & consensu Ecclesiæ, eo ipso est improbabilis, quia Ecclesia est *Columna veritatis*, & ita expressè docet S. Augustinus epist. 7. dicens: *Si ratio contra divinarum Scripturarum authoritatem redditur, quamlibet acuta sit, fallit verisimilitudine, nam vera esse non potest. Rursus si manifestissimæ certæq; rationi velut Scripturarum sanctarum objicitur autori-*

ctoritas, non intelligit, qui hoc facit, & non Scripturarum illarum sensum, ad quem penetrare non potuit, sed suum potius objicit veritati. Nec quod in eis, sed quod in seipso, velut pro eis invenit, opponit. Huic authoritati adjungit S. Doctor authoritatem Ecclesiæ lib. 4. contra Epistolam *Fundamentum* dictam: *Ego Evangelio non crederem, nisi me authoritas Ecclesiæ firmaret, & moveret.* Postmodum subjungit authoritatem Traditionum, nam lib. 5. contra Donatistas cap. 26. ait: *Quod autem nos admonet* (Cyprianus) *ut ad fontem recurramus, id est, ad Apostolicam Traditionem, & indè canalem in nostra tempora dirigamus, optimum est, & sine dubitatione faciendum.* Et serm. 191. de tempore dicit: *Ecclesiæ regula sanctaque Patrum traditio atque judicia in perpetuum firma, solidaque permaneant.* Hinc opinio Alberti Magni, & aliorum dicentium, quemcunque panem usualem sufficientem esse materiam Evcharistiæ. Similiter opinio Martini de Magistris dicentis: fornicationē simplicem non esse peccatum mortale, & aliæ plures similes sunt improbabiles & falsę, quia primæ contrarium docet Concilium Florentinum, & secunda repugnat Legi divinæ in Scriptura nobis propositæ, suntque nunc damnatæ: *Tam clarum videtur fornicationem secundùm se nullam involvere malitiam, & solùm esse malam, quia interdicta, ut contrarium omninò rationi dissonum videatur.* Hanc damnat Innocentius XI. in suo Decreto edito Anno 1679. die 2. Martii.

XI. *Regulæ cognoscendæ opinionis probabilis septem sunt.*

Tertia: Interpretatio & sensus Doctorum ab Ecclesia approbatorum reddit opinionem probabilem, eò quòd Ecclesia, quæ falli non potest, agnoscat eos pro Patribus & Doctoribus, undè D. Augustinus lib. 2. contra Julianum Pelagianum circa finem, sic illum alloquitur: *Ipse dixisti, quòd omnes judices ab odio, amicitia, inimicitia, ira, vacuos esse deceat, pauci tales potuerunt inveniri. Sed Ambrosium aliosque collegas ejus, quos cum illo commemoravi, tales fuisse credendum est. Verum etsi tales non fuerunt in his causis, quas ad se delatas & inter partes cognitas, cùm hic viverent, suo judicio definierunt, ad hanc tamen causam tales erant, quando de illa sententias protulerunt, nullas nobiscum vel vobiscum amicitias vel attenderunt, vel inimicitias exercuerunt. Neque nobis neque vobis irati sunt, neque nos, neque vos miserati sunt. Quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt: quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt. Nondum vobiscum apud istos judices aliquid agebatur, & apud eos acta est causa nostra. Nec nos, nec vos eis noti fueramus, & eorum pro nobis latas contra vos sententias recitamus, nondum vobiscum certabamus, & eis pronuntiantibus vicimus.*

Quarta: Sensus Doctorum Theologorum, quorum doctrina in Ecclesia authoritatem obtinet, quatenus non inveniuntur repugnare communi consensui Ecclesiæ, reddit sententiam probabilem extrinsecè, in tantum, quod extrinseca regula ad formandum per illam & per rationes ejus judicium rectum, ultimò determinativum, opinativum tamen: undè egregiè dicit S. Augustinus lib. 1. de moribus Ecclesiæ cap. 1. *Quis mediocriter sanus non facilè intelligat, Scripturarum expositionem ab his petendam esse, qui earum Doctores se esse profitentur: fierique posse, imò semper accidere id, ut multa indoctis videantur absurda, quæ cùm à Doctoribus exponantur, eò laudanda videantur elatius, quò abjectius aspernanda videbantur, & eò accipiantur aperta dulcius, quò clausa difficilius aperiebantur.*

Quinta: In materia juris positivi humani illa opinio est semper probabilis, quam approbat consuetudo piorum, quia hæc *est optima legum interpres*, ut habetur L. de interpretatione. 37. ff. de legibus, & ex Aristotele est *Altera natura*, & quando consuetudo est rationabilis, derogat legi, contra quam est introducta, & sufficit decennium, quia

 ad eum

ad eum requiritur longum tempus, secundùm jus civile autem longum tempus est decennium. L. finali. C. de præscriptionibus. In Jure verò Canonico quadrigenium, attamen & hoc disputatur, & plures referunt ad præscriptionem præfatum annorum requiri. Itaque consuetudo facit licitum, quòd aliàs erat illicitum, ut habet *Glossa in cap. Mala. 3. dist. 8.* Hoc autem est observandum, quod allegans consuetudinem contra legem tenetur eam probare, ut ex Puteo, refert Bordonus: *Est enim consuetudo quid facti. cap. de Constitut. in 6.*

XII. Doctores, qui sint meliores. Quoad Doctores verò in hâc materia Recentiores sunt magis præferendi, eò quòd hæc jura sæpius mutentur. In iis autem, quæ ad divinam legem spectant antiquiores cœteris paribus sunt præferendi, quia viciniores tempori datæ legis, quæ mutabilitati non est subjecta, qui autem inter Doctores semetipsos excellant, dixi in quæstione 1. notat.

Sexta: Nullas admittendas esse opiniones probabiles de lege divina, quantum ad substantiam præceptorum, quia de ea non licet dubitare, benè tamen quoad aliquas circumstantias actionum. Neque contra istas leges, nempè divinam & naturalem, ulla admittenda est consuetudo, ut habetur, cap. Eccl. 10. de const. Et cap. 2. de foro compet. potest tamen addere, minuere, aut distinguere, ut habet Innocentius, in cap. final. de consuet. Sanchez lib. 7. disp. 4. n. 11.

Septima: In pœnalibus vel gravaminibus, quando sunt duæ opiniones, benignior est amplectenda, juxtà regulam juris in 6. His deficientibus communior opinio, non numerositate Doctorum, sed nervositate rationum est amplectenda, & semper magis adhærendum Theologis, quàm Jurisperitis, quia hi non interrogant, an lex sit justa vel conformis charitati, sed solùm an actus sit conformis Canoni: sive Canon sit justus, sive injustus.

Et hæc de Probabilitate Christiana sufficiant, omnia humiliter submittendo totum Censuræ S. Matris Ecclesiæ, & Doctiorum judicio, undè præsumo assumere, & subjectissima propositione meæ exiguæ personæ ad tantum Ecclesiæ Doctorem cum S. Augustino epist. 7. ad Marcellinum Disputationem hanc claudere: *Si aliquid vel incautius, vel indoctius à me positum est, quod non solùm ab aliis, qui videre id possunt meritò reprehendatur, verum etiam à me ipso, quia & ego saltem postea videre debeo, si proficio, nec mirandum est, nec dolendum, sed potius ignoscendum atque gratulandum, non quia erratum est, sed quia improbatum. Nam nimis perversè se ipsum amat, qui & alios vult errare, ut error suus lateat. Quantò enim melius & utilius, ut ubi ipse erravit, alii non errent, quorum admonitu errore careat. Quod si noluerit saltem comites erroris non habeat.*

APPENDIX.

De prohibitione, & damnatione Opinionum; atque recenter à tribus Pontificibus damnatorum Catalogo.

1. ARchiotam, seu Archivistam hic magis agere videbor, quàm Probabilistam, & Notarium publicum quàm Theologum, dum opiniones recenseo prohibitas, frustraneum tamen non credo futurum laborem, cùm enim sententiæ illæ sint multùm nocivæ, & jam ab omni probabilitate exutæ, utile & proficuum erit easdem simul habere collectas, ut facilè inveniri possint ab iis, qui vel citare deberent, oppugnare, aut dissuadere sequi volentibus, aut putantibus sequi posse, quæ enim in minoribus imprimuntur foliis leviter distrahuntur, & difficulter conservantur.

Antequam tamen eas referam, Prænotandum Primò: Propositionem hodie veram & probabilem posse fieri cras falsam, ut docet atq; fate- Opinio hodie vera, cras potest esse falsa.

fatetur Illustrissimus D. Caramuel Eximius Benignistarum Fautor, in sua Theologia Fundamentali n. 1577. & allegat rationem, Quia Pontifex eam prohibere potest: Verùm quia Acta & Decreta Pontificum semper solidis nituntur fundamentis, & in columna veritatis, ideò ratio fundamentalis est, quam etiam habet Aristoteles. 6. Ethic. 3. Quia opinio ut sic se habet indifferenter ad verum & falsum, id est, in ordine ad veritatem falsitatem objectivam rei, quia ignoramus invincibiliter quale sit illud objectum in se ob suam contingentiam, non verò est indifferens sic opinio probabilis (quidquid sit de opinione, ut sic abstrahendo ab improbabili & probabili) quia hæc habet suam certam determinatamque veritatem formalem, intentionalem & moralem ex motivis ortam, secundùm quæ apprehendimus objectum illud, & quia ista motiva & rationes non semper æqualiter attinguntur, sed aliquando obscurius, aliquando clarius, sic etiam opinio hodie probabilis propter solida quædam fundamenta, fit cras improbabilis propter efficaciores & urgentiores rationes, quæ ostendunt priora fundamenta fuisse insufficientia, & his solutis magis convincentes adducunt, & sic veritas formalis mutatur. Hinc

II. Opinionē mutare quilibet potest.

Notandum Secundò: Non solùm per Pontificem propositiones prohiberi posse, sed etiam quemlibet prudentem & timoratum opiniones mutari posse, & maximè de minus probabilibus & tutis ad probabiliores & tutiores, de quo supra consului, & de se, ac Eminentissimis Cardinalibus Palavicino, aliisq; præclaris viris testatur Reverendissimus P. Præpositus Generalis Societatis Jesu, ratione usûs probabiliorum sententiarum, sed etiam aliquando magis probabilem in minus talem, si id notabilis ratio, circumstantia, præjudicium tertii, grave nocumentum proprium famæ vel bonorum superveniat, tunc minus probabilis obsimiles rationes reddetur magis probabilis, & Legi æternæ DEI conformior, semper tamen opinio, quam amplecti in commutatione volumus, debet cognosci ut vera veritate necessaria, & sufficiente ad prudenter operandum.

Notandum Tertiò: Ut volens mutare aliquam opinionem, quam antea tenuit, attendat, ut eligenda sit conformis juribus naturali, divino, humanis, aut in horum ignorantia & defectu consuetudini piorum, & timoratorum. In causis matrimonii, testamenti, juramenti, & reorum semper laboretur ut manuteneantur, nè pereant, nam ut dicitur L. 64. ff. de Reg. Juris. *Opinionum varietate stante, ea sequenda est, quæ magis æquitati convenit.* Præferenda quoque est, quæ majori nititur pietate, ut habet Glossa 11. *Humanius. cap. Si quis.* 41. q. 1. Item magis eligenda, quæ favet immunitati Ecclesiasticæ ex Gratiano Cap. 88. & Diana. & tandem *Opinio illa amplectenda est, per quam in dubio evitatur peccatum.* Ex Extravag. de sponsal. cap. 15. Vide supra Regulas, & Locos topicos. III. Opinio qualis eligenda.

Notandum Quartò: Non ideò opinionem aliquam damnari, quia Pontifex tenet oppositam, ut patet ex Clement. V. in Concil. Viennensi cap. Fidei Catholicæ, de Summa Trinitate, ubi ait: "*Opinionem secundam tanquam probabiliorem & dictis Sanctorum ac Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam & concordem Sacro approbante Concilio duximus eligendam;* unam eligens, alias tamen non reprobat. Et ratio est, Reprobatio enim non præsumitur, sed de ea clarè constare debet. IV. Papa sequens unā; non per hoc damnat alteram opinionem.

Notandum Quintò: Opiniones quando à Pontifice damnantur, non solùm damnari quoad praxim, seu quoad usum earum, sed etiam quoad speculativam veritatem, quod clarè colligitur ex proœmio Decreti damnativi Alexandri VII. non solùm damnans, sed etiam inhibens disputationem in Scholis, super illas à se damnatas. Et ratio est, quia propositio in tantum damnatur, in quan- V. Opinionē à Papa damnantur quoad praxim & speculationē.

quantum probabilitas non cognoscitur talis, qualis reputata fuit à Doctoribus eam tenentibus, nam Papa per Doctores & cum assistentia Theologorum examinat non solùm illas practicè licitas, sed etiam speculativè probabiles, ut patet ex Clement. *V. in Cap. Capellanus. de Feriis.* Cùm enim meminisset duarum propositionum ait: *Nobis & Fratribus nostris apparuit*: id quoque manifestum ex omnibus Decretis citandorum Pontificum, qui omnes ex matura deliberatione & consilio illas damnârunt, & consequenter non solùm quoad practicum usum, sed etiam quoad speculativam veritatem, contra D. Caramuelem existimantem tales propositiones practicè prohiberi, interdicto earum usu, relicta tamen speculativa veritate. Ita in sua Theologia fundamentali n. 316. Itaque sequuntur Decreta & Propositiones damnatæ.

PROPOSITIONES DAMNATÆ ab ALEXANDRO VII.

1.

VI. Opiniones damnatæ recensentur.

HOMO nullo unquam suæ vitæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, nè timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia afferens bullam Cœnæ, solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est Anno 1629. 16. Julii in Consistorio Sacræ Congregat. EE. Cardinal. visa & tolerata est.

4. Prælati regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscunque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione ob eam incursa.

5. Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur incitâsse in Confessione, ac proin non est denuntiandus.

7. Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.

8. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti etiam partem specialissimam fructûs ipsimet celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII.

9. Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur per alium satisfacere collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retentâ.

10. Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & unum Sacrificium offerre: neque etiam est contra fidelitatem, si promittam promissione etiam juramento firmatâ danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtentâ ad id Episcoporum facultate.

13. Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato.

14. Qui facit Confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15. Pœnitens propria authoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

16. Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in confessarium simplicem Sacerdotem ab ordinario non approbatum.

17. Est licitum Religioso vel Clerico calumniatorem gravia crimina

de se vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso vel ejus Religioni publicè & coram gravissimis prædicta impingere, nisi occidatur.

18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes ac etiam Judicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si aliâ viâ innocens non potest damnum evitare.

19. Non peccat maritus occidens propriâ authoritate uxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio à Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam Judicis declaratoriam, eò quòd sit pœna.

21. Habens capellariam collativam, aut quodvis aliud beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit obligationi suæ, si officium per alium recitet.

22. Non est contra justitiam beneficia non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod ibi conferre non tenebatur.

23. Frangens jejunium Ecclesiæ ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult subjicere se præcepto.

24. Mollities, Sodomia, & bestialitas sunt ejusdem speciei infimæ peccata, ideoque sufficit dicere in confessione, se procurâsse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit præcepto confessionis dicens, commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

27. Si liber sit alicujus junioris authoris & moderni, debet censeri opinio probabilis, dum non constat rejectam esse à Sede Apostolicâ tanquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.

29. In die jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, & si notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

30. Omnes Officiales, qui in Republica laborant corporaliter, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

31. Excusantur absolutè à præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando utcunque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.

32. Non est evidens quòd consuetudo non comedendi ova & lacticinia in quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascunque eleemosynas, quas antea beneficiarius de fructibus beneficii sui fecerit.

34. In die Palmarum recitans Officium Paschale, satisfacit præcepto.

35. Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti & crastino.

36. Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expressè revocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie sunt revalidatæ.

38. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi *quamprimum*, est consilium non præceptum.

39. Illa particula, nempè *quamprimùm*, intelligitur, cùm Sacerdos suo tempore confitebitur.

40. Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantùm veniale osculum habitum ob delectationem carnalem & sensibilem, quæ ex osculo oritur

secluso periculo consensûs ulterioris & pollutionis.

41. Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii vulgò regalo, dum deficiente illa nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilis inveniretur.

42. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro animâ relictum non durat plus quàm per 10. annos.

44. Quoad forum conscientiæ reo correcto ejusmodi contumacia cessante, cessant censuræ.

45. Libri prohibiti usque dum donec expurgentur possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.

AB INNOCENTIO XI. DAMNATÆ PROPOSITIONES.

feriâ 5. die 2. Martii 1679.

I.

NON est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relictâ tutiori, nisi id lex vetet, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi, hinc sententia probabili tantùm utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis & Episcopalis.

2. Probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

3. Generatim dum probabilitate sive intrinsecâ sive extrinsecâ, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exigatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili.

5. An peccet mortaliter, qui Actum dilectionis DEI semel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga DEUM.

7. Tunc solùm obligat, quando tenemur justicari, & non habemus aliam viam, quia justificari non possumus.

8. Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modò non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpâ ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno & formali.

11. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12. Vix in sæcularibus invenies etiam in Regibus superfluum statui, & ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tantùm tenetur, tantùm ex superfluo statui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de alicujus vitâ tristari, & de illius naturali morte gaudere, illum inefficaci affectu petere & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquid temporale emolumentum.

14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.

15. Licitum est filio gaudere de parricidio parentis à se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias indè ex hæreditate consecutas.

16. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale & secundùm se.

17. Satis est, actum fidei in vita semel elicere.

18. Si à potestate publica quis interrogetur fidem ingenuè confiteri, ut DEO

ut DEO & fidei gloriosum consulo, tacere ut pecaminosum per se non damno.

19. Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.

21. Assensus fidei supernaturalis & utilis ad salutem stat cum notitia solùm probabili revelationis, imò cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus DEUS.

22. Non nisi fides unius DEI videtur necessaria necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.

23. Fides latè dicta ex testimonio creaturarum similive motivo ad justificationem sufficit.

24. Vocare DEUM in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem.

25. Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi sive res sit sive levis sive gravis.

26. Si quis vel solus, vel coram aliis sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocunque alio fine jurat, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum revera non mentitur, nec est perjurus.

27. Causa justa utendi his amphibologiis quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens & studiosa.

28. Qui mediante commendatione vel munere ad magistrum vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu vel ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis causa justa est Sacramentorum administrationem simulandi.

30. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit, idem quoque dicendum est, si quis impingat alapam vel fuste percutiat, & post impactam alapam vel fustis ictum fugiat.

31. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32. Non solùm licitum est defendere defensione occisivâ, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.

33. Licitum est tàm hæredi, quàm legatario contra injustè impedientem, nè vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut & jus habenti in cathedram vel præbendam contra eorum possessionem injustè impedientem.

34. Licèt procurare abortum ante animationem fœtûs, nè puella deprehensa gravida occidatur aut infametur.

35. Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere animâ rationali, & tunc primùm incipere eandem habere, cùm paritur, ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

36. Permissum est furari non solùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37. Famuli & famulæ domesticæ occultè possunt surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant solario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub pœnâ peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcunque sit magna summa totalis.

39. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio non tenetur ad restitutionem damni illati istius.

40. Contractus mohatra licitus est etiam respectu ejusdem personæ cum contractu retrovenditionis præviæ initio cum intentione lucri.

41. Cùm numerata pecunia præstiosior sit numerandâ, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quàm futuram; potest creditor aliquid ultra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usurâ excusari.

42. Usura non est dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia & gratitudine debitum, sed solùm si exigatur tanquam ex justitia debitum.

43. Quidni nonnisi veniale si detrahentis authoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere.

44. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam & honorem defendat, & si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solùm gratuita compensatio pro spirituali aut econtrà.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spiritale. Imò etiamsi sit finis ipsius rei spiritalis, sic ut illud pluris æstimetur, quàm res spiritualis.

47. Cùm dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium vel primò videtur digniores per hoc non aliud significare velle nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo. vel secundò locutione minus propriâ ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos. Vel tandem tertiò loquitur, quando fit concursus.

48. Tàm clarum videtur fornicationem secundùm se nullam involvere malitiam, & solùm esse malam, quia interdicta ut contrarium omninò rationi dissonum videatur.

49. Mollities jure naturæ prohibita non est, unde si DEUS illam non interdixisset, sæpiùs esset bona & obligatoria aliquando sub mortali.

50. Copula cum conjugata consentiente marito non est adulterium, adeoque sufficit dicere in confessione se esse fornicatum.

51. Famulus, qui submissis humeris adjuvat scienter herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties ei deservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, ne à Domino malè tractetur, nè torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum servandi festa, non obligat sub mortali seposito scandalo, si absit contemptus.

53. Satisfacit Præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor simùl à diversis celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare matutinum & laudes, potest autem & reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens Confessio & Communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, est signum prædestinationis.

57. Probabile est sufficere naturalem attritionem modo honestam.

58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

59. Licèt sacramentaliter absolvere dimidiatè tantùm confessos ratione magni concursûs pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis aut indulgentiæ.

60. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem DEI, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodò ore proferat se dolere & proponere emendationem.

61. Po-

61. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest & non vult omittere, quin imò directè & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta, non fugiendi occurrit.

63. Licitum est quærere occasionem proximam directè peccandi pro bono spirituali vel temporali nostro vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium Sanctissimæ Trinitatis & Incarnationis Domini nostri JESU CHRISTI.

65. Sufficit illi semel mysteria credidisse.

AB ALEXANDRO VIII. DAMNATÆ PROPOSITIONES SUNT HÆ,

Feria quinta, die 24. *Augusti A.* 1690.

I.

Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali, Formalis verò in conformitate actûs cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè: *Hunc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis.*

2. Peccatum philosophicum, seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi, Theologicum verò & mortale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum quantumvis grave in illo, qui DEUM vel de DEO actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa DEI, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam DEI, neque æternâ pœnâ dignum.

3. In statu naturæ lapsæ, ad peccatum mortale, & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & voluntate Adami peccantis.

4. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris Naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat à peccato formali.

5. Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam.

6. Dedit semetipsum pro nobis oblationem DEO, non pro solis electis, sed pro omnibus & solis fidelibus.

7. Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omninò accipiunt à Christo JESU influxum, adeoque hinc rectè inferes, in illis esse voluntatem nudam & inermem sine omni gratia sufficienti.

8. Gratia sufficiens statui nostro non tàm utilis quàm perniciosa est, sic ut proindè meritò possimus petere, *à gratia sufficienti libera nos Dominè.*

9. Omnis humana actio deliberata est DEI dilectio vel mundi, si DEI, charitas Patris est, si mundi, concupiscentia carnis, hoc est mala.

10. Necesse est infidelem in omni opere peccare.

11. Revera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura sine ullo ad DEUM offensum respectu.

12. Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, merè ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec DEO placens.

13. Omne quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.

14. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiamsi videatur credere, non est fides divina, sed humana.

15. Quisquis etiam mercedis æternæ intuitu DEO famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licèt beatitudinis operatur.

16. Timor gehennæ non est supernaturalis.

17. Attritio, quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ DEI propter se, non est bonus motus ac supernaturalis.

18. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio naturæ rei idipsum quodammodo dictantis.

19. Per illam praxim mox absolvendi ordo Pœnitentiæ est inversus.

20. Consuetudo moderna quoad administrationem hujusmodi pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet authoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.

21. Homo debet agere totâ vitâ pœnitentiam pro peccato originali.

22. Confessiones apud Religiosos factæ, pleræque vel Sacrilegæ sunt, vel invalidæ.

23. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi & incongrua pœnitentia, seu satisfactione ob quæstum seu lucrum subsidii temporalis.

24. Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.

25. Similiter arcendi sunt à communione, quibus nondum inest amor DEI purissimus, & omnis mixtionis expers.

26. Oblatio in templo, quæ fiebat à B. V. Maria in die Purificationis suæ per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccatis, sufficienter testantur, quòd indiguerit purificatione, & quòd Filius, qui offerebatur, etiam maculâ Matris maculatus esset secundùm verba legis.

27. DEI Patris simulacrum, nefas est Christiano in templo collocare.

28. Laus, quæ defertur Mariæ ut Mariæ, vana est.

29. Valuit aliquando baptismus collatus in nomine Patris &c. prætermissis illis, *Ego te baptizo.*

30. Valet baptismus collatus à ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus verò in corde suo apud se resolvit, non intendo quod facit Ecclesia.

31. Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium œcumenicum authoritate, atque in fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.

32. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenere, & docere non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

33. Bulla Urbani VIII. *in Eminenti* est subreptitia.

TRACTA-

Digitized by Google

TRACTATUS VII.

DE

PECCATIS PRIMORUM PARENTUM.

ADAMI, & EVÆ.

AC

POSTERORUM,

tàm Originali, quàm Actuali.

Cum primus homo, ait S. Augustinus, *conditus esset à DEO, & libero arbitrio muneratus, præceptumq; ei positum esset, si custodisset, quæ ei DEUS præceperat, morte non corporis neque animæ mulctaretur, sed ille inobediens mandato DEI, atque elatus superbia, suasioni serpentis obediens, DEI præcepta contempsit.* Grande facinus omnipotentis Numinis justum contemnere præceptum! Grande peccatum, per quod ipse exul effectus, continuat idem sanctus: *Stirpem quoque suam* (loquitur de Adamo) *quam peccando in se tanquam in radice vitiaverat, pœna mortis & damnationis obstrinxit: ut quidquid prolis ex illo & simul damnata, per quam peccaverat, conjuge, per carnalem concupiscentiam, in qua inobedientiæ pœna similis retributa est, nasceretur, traheret originale peccatum, quo traheretur per errores, doloresque diversos ad illud extremum cum desertoribus Angelis vitiatoribus & possessoribus & consortibus suis sine fine supplicium.* Grande malum, quod corpus

Dial. 65. quæst. q. 4.

In Enchirid. cap. 26.

pus & animam non modò tot tantisque spoliavit bonis, poenis afflixit innumeris, sed & prudentissimorum torquet ingenia virorum, ipsa sola explicandi malum illud cogitatio, quod patet ex multiplicatis ejus definitionibus, concertationibus, de naturali constitutione &c. &c. de quibus Authores volumina magna, ut grande hoc complectantur malum, implent. Et hoc ordinariè post Magistrum Sententiarum in secundo Sentent. à dist. 21. usque ad dist. 23. & aliis variis in locis, vix enim de aliquo bono est sermo, ubi hoc incidentaliter non subrepat malum ejusque necessariò explicatio. D. Thomas de Peccatis agit 1. 2. à qu. 71. usque ad 89. Scotus in 2. à dist. 30. usque ad 37. inclusivè, & à dist 42. usque in finem. Quare ego quoque Tantos imitando Magistros hîc de eo sum acturus. Sit itaque

DISPUTATIO PRIMA.
DE
Lege Primordiali data Adamo.

QUÆSTIO UNICA.

Qualis Lex, qualéve fuerit hoc præceptum Adamo datum?

Ad Rom. 7. *PEccatum non cognovi*, inquit Apostolus, *nisi per legem, nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces: Non furaberis, non occides, non comedes &c.* Nam Regum, Principum, & Dominantium est præcepta statuere, & leges condere, hinc

In Gen. cap. 13. q. 284. *DEUS vetuit homini*, ait Tostatus, *in paradiso de ligno illo edere, non ob aliquam causam ex parte ligni, quia in illo esset aliquod malum, sed ut manifestaret Dominum suum super hominem præcipiendo aliquid, quod facere teneretur.* Itaque primordialis lex, &

1. Lex primordialis quæ? primum mandatum tàm primitate Authoris, quàm primitate temporis, ac primitate periculi, primo homini datum, hoc est: *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas.* Gen. 2. In qua lege die ac nocte meditari debuisset cum Psalto primus Parens, si in justitia perseverare voluisset, Lex enim justum ab injusto decernit, obedientiam ab inobediente. Præceptum autem hoc de non edendo pomo vetito esse primam legem, clarè docet S. Augustinus serm. 45. de tempore, ubi examinans illud Pauli ait: *Condelector enim legi DEI secundùm interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis, ait: tunc nata est ista lex, quando & transgressa est prima lex. Tunc nata est, inquam, ista lex, quando contempta est & transgressa prima lex. Quæ est prima lex? Quam in paradiso accepit primus homo. Nonne nudi erant, & non confundebantur? Quare nudi erant, & non confundebantur? nisi quia nondum erat lex in membris repugnans legi mentis.* Si naturam aliarum legum spectes, deprehendes profectò hanc legem, utpote cùm ad unum

unum Adam, tanquam omnium hominum caput, directa fuerit, potius pacti cujusdam rationem habuisse, quâ DEUS paciscebatur cum illo, totius naturæ humanæ loco, quòd si non ederet ipse, omnésque posteri ejus in justitia originali conservarentur, quòd si eam transgrederetur, sibi filiisque suis universaliter deperderet. Circa hanc legem quæritur Primò: An hoc fuerit verè præceptum, an sola quædam admonitio? Secundò: Cur data? Tertiò: An fuerit illius transgressio contra aliquam specialem virtutem moralem; nam inobedientia currit in omni præcepto, cujuscunque virtutis, v. g. furti, fornicationis, intemperantiæ: Quartò: An ambobus, id est, tàm Adam, quàm Evæ fuerit injunctum? Quoad primum deprehendo exoticam cujusdam Authoris sententiam, qui solitâ ludendi in Scripturâ & verbis lasciviâ, existimat ex Scripturâ non posse deduci illud fuisse tàm rigidè præceptum & vetitum, sicut alia nostra, neque datum illis in materia meriti & demeriti, qui quamvis protestetur, se non sentire cum hæreticis illis, qui dicebant, illud nullum fuisse præceptum, quos refutat Bellarminus lib. 3. de amissione gratiæ cap. 1. certè proxima est & sat propinqua quocunque modo se extricare conetur. Itaque

II. *Ne comedas, vera fuit lex, eaque primordialis.* Dico Primò: *Illa Lex, illudque præceptum*, de Ligno scientiæ boni & mali nè comedas, *verum & rigorosum fuit præceptum.* Ita Patres & Theologi communiter, & est ipsiusmet genuinus Ecclesiæ sensus. Probatur Primò ex Scripturâ, Genes. 3. ubi serpens Evam alloquitur: *Cur præcepit vobis DEUS &c.* Et ipsa Eva respondens serpenti dicit: *De fructu ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis DEUS, nè comederemus, & nè tangeremus illud, nè fortè moriamur.*

Probatur Secundò: Ex Patribus: Augustino lib. 14. de Civit. cap. 12. ubi ait: *Non ideò debet quis existimare leve, ac parvum fuisse illud commissum, quia in esca factum est, non quidem mala nec noxia, nisi quia prohibita. Neque enim quicquam mali Deus in illo tantæ felicitatis loco crearet, atque plantaret. Sed obedientia commendata est in præcepto, quæ virtus in creatura rationali mater quodammodo est omnium, custosq; virtutum: quandoquidem sic facta est, ut ei subditam esse sit utile: perniciosum autem suam, non ejus, à quo creata est, facere voluntatem.* Et postmodum concludit: *Tantò majore injustitia violatum est, quantò faciliore posset observantia custodiri.*

Probatur Tertiò Rationibus: Tùm ex comminatione mortis, damno, & pœnâ inflicta Adamo, per cujus prævaricationem natura nostra sic mutata est, dicit Augustinus suprà, *ut tantæ corruptioni, quantam videmus atque sentimus, & per hanc subjaceret & morti, ac tot & tantis tamque inter se contrariis perturbaretur & fluctuaret affectibus; qualis in paradiso ante peccatum, licèt in corpore esset animali, utique non fuit.* Tùm, Quia Adam & Eva transgrediendo hanc legem mortaliter peccârunt, ut fides habet, nam Concilium Tridentin. Sess. 5. Can. 1. anathematizat eos, qui non confitentur primum hominem Adam, cùm mandatum DEI in paradiso fuisset transgressus statim sanctitatem & justitiam amisisse, atqui hæc non amittitur, nisi per peccatum mortale, ergò. Tùm si hoc non fuit verum & grave præceptum, vix aliquid in Scriptura invenies, quod etiam non possis eludere: Tùm denique, Quia licèt materia illius Legis videatur levis secundùm se, veruntamen ut substabat divino præcepto & voluntati, per quam abstinentia illa imposita fuit, videlicet in signum particularis subjectionis, recognitionis divinæ Majestatis, tanquam supremi Domini & Creatoris; gravissimè fuit obligatoria, & ad peccatum mortale sufficientissima. Sed

Dices: Non fuit data Lex vera Adamo, ut comederet de omnibus lignis paradisi, licèt dicatur Gen. 2.

Præcepit ei dicens : Ex omni ligno paradisi comede, ergò nec quando dixit : *De ligno scientiæ boni & mali nè comedas*, ab omnimoda paritate. Respond. neg. consequ: Quia congruenter dicitur ly *Præcepitque* appellare suprà de ligno scientiæ boni & mali nè comedas, & alterum *ex omni ligno*, &c. habet se per modum interjectæ parenthesis. Secundò, negatur paritas, quia ex contextu apparet, hoc fuisse grave præceptum, illud meram indulgentiam, facultatem, & concessionem usûs lignorum, quia ibi nullam, sicut hîc magnam adjecit cominationem: *In quacunq; die comederis, morte morieris.*

III. Legem primordialem DEUS dedit propter summum suum dominium.

Dico Secundò : *DEUM illam legem dedisse Adamo, ut per hoc suum supremum demonstraret dominium, & ille recognosceret per obedientiam suam obligationem & subjectionem.* Ita Patres, communiter Div. Augustinus con: 2. enarrat. in Psalm. 70. ubi dicit : *Bona est arbor, nolo tangas, Quare? Quia Dominus sum, & servus es. Hæc tota causa est. Si parva est, dedignaris esse servus. Quid autem tibi expedit, nisi esse sub Domino? Quomodo eris sub Domino, nisi fueris sub præcepto? Porrò si expedit tibi esse sub Domino, & sub præcepto.* Et paulò pòst : *Si autem debuit aliquid jubere, ut te, quod tibi expedit, sentires esse sub Domino, ab aliqua re prohibendus eras : non propter illius arboris malitiam, sed propter tuam obedientiam. Non potuit DEUS perfectius demonstrare quantum sit bonum obedientiæ, nisi cùm prohibuit ab ea re, quæ non erat mala. Sola ibi obedientia tenet palmam, sola ibi inobedientia invenit pœnam.* Et Chrysost. hom. 14. in Genes. *Hoc faciebat, DEUS, quasi Dominus aliquis liberalis domum magnam alicui concredens, ut dominium sibi salvum maneat, parvam tantùm pecuniam dandam ab illo præscribat.*

IV. Transgressio legis primæ qualem malitiam participavit.

Dico Tertiò : *Transgressio illius legis certissimè participavit malitiam inobedientiæ, & probabiliter malitiam quoque intemperantiæ, quamvis non sit certum, an non etiam injustitiæ, magis tamen certum esse, fuisse contra charitatem suimetipsius.* Et prima pars de se patet, nam Patres omnes clamant, Adam peccâsse non obediendo DEO, unde Div. Augustinus lib. 14. de Civit. cap. 15. dicit : *Sicut enim Abrahæ non immeritò magna obedientia prædicatur, quia ut occideret filium, res difficillima est imperata : ita & in paradiso tantò major inobedientia fuit, quantò id, quod præceptum est, nullius difficultatis fuit.* Ex qua authoritate generale desumitur argumentum pro reliquis conclusionis partibus, nam illa obedientia Abrahæ habuit quoque annexam virtutem Religionis, fidei, quia credidit, adeoque ei reputatum fuit ad justitiam, ergò etiam obedientia Adæ habuit annexas alias virtutes, contra quas fuit ejus transgressio, & esus vetiti pomi.

Probatur ergò de Temperantia: Quia nullum genus virtutum est, in quo magis propriè reponi debeat abstinentia ab edendo, quàm in illa temperantiæ, ut per se patet, illa autem lex tetendit ad abstinentiam à cibo, ergò ad nullum genus virtutis sive servatæ, sive violatæ, aptius reduci potest actio circa illud exercita, quàm ad illam temperantiæ. Ad minus certum mihi videtur Evam absolutè peccâsse peccato intemperantiæ, quia illa ducta fuit voluptate edendi, nam vidit mulier, *quòd lignum esset bonum, & delectabile ad vescendum*, ergò.

Tertia pars de injustitia sic probatur, quia nimirum illa est rei alienæ usurpatio, invito Domino, id autem fecit Adamus, idque in illa actione, ergò & injustitiam. Fateor tamen rationem etsi videri possit evidens, quippè à definitione ad definitum, non sufficere probationi, cujus causa est, quia ad veram justitiam non sufficit usurpâsse aliquid invito domino, nisi dominus ille sit invitus, sive nolens ut dominus proprietatis, ac non tantùm ut dominus jurisdictionis, si Episcopus præciperet populo abstinentiam unius diei à carnibus, & famulus ejus illo die vescere-

sceretur illis in domo ipsius peccaret, sed intemperantiâ, non injustitiâ, licèt usurparet rem alienam invito domino, quia nimirum illud edictum emisit Episcopus ut dominus jurisdictionis, non ut dominus proprietatis, nam respectu totius populi aliud dominium non habuit. Ita similiter prætendi potest de DEO, quòd licèt habeat utrumque dominium, tamen præcepta ejus procedunt solùm ex dominio jurisdictionis, non item ex illo proprietatis; quo posito violatio eorum non erit vera injustitia, quia tamen DEUS habet utramque potestatem respectu omnium omninò, & omnes respectu ejus sumus sicut famulus ille Episcopi in eo casu, timeri potest meritò, ne interdictum ejus fuerit exercitium dominii etiam proprietatis, adeoque conclusio quoad hanc partem est tuta.

Dices: Non videtur, homines aut ullam omninò creaturam posse facere injustitiam propriè Domino DEO, eò quod per nostram actionem res non ponantur extra dominium ejus: fur v. g. qui aufert chlamydem Petro, peccat injustitiâ contra Petrum, quia rem ponit extra dominium ejus, contra DEUM non item, quia non ponit rem ullam extra dominium ejus, tàm enim subest Dominio DEI chlamys illa, quando est apud furem, quàm quando est apud Petrum. Respond. neg: consequ: Quia Adamus non solùm usurpavit rem, transferendo eam ad se, sed utendo eâ, cùm tamen illa ipso usu destrueretur; nam usus rei comestibilis est comestio, quæ destruit cibum, quia convertit in aliam substantiam destructâ illâ cibi. Hæc sunt acumina, in quibus non expedit ubique laxari, sufficit, quòd omnia reddant probabile saltem fuisse esum injustitiam.

Probatur ultima pars: Quia nimirum lex, sive interdictum illud apud Legislatorem processit ex tali motivo, ut constat ex tenore legis & serie historiæ: *De ligno scientiæ boni & mali nè comedas: in quacunque enim* (nota causalem) *die comederis ex eo, morte morieris*, atque ita DEUS tulit illam legem eo fine, nè homines exciderent sua immortalitate, ac proindè dilexit eos plus quàm ipse homo se. Idipsum redit in relatione Evæ, quæ respondens quæstioni serpentis: *Cur præcepit vobis DEUS, nè comederetis ex omni ligno paradisi?* ait: *De fructu lignorum, quæ sunt in paradiso, vescimur, de ligno autem scientiæ boni & mali præcepit nobis, nè comederemus, & nè tangeremus illud* (observa causam) *nè fortè moriamur.*

Dices: Hinc sequitur, quòd arbor illa habuerit vim physicam, & à DEI natura inditam sibi, occidendi edentes, nam si ex Decreto DEI illam habuerit, & ipse DEUS noluit eos excidere suâ immortalitate, potuit aliter providere, scilicet auferendo arbori illam vim mortiferam, quam ipse indidit ei: Si autem potuit auferre, nec abstulit, signum est, quòd non voluerit hominis immortalitatem, sed quòd arbor illa habuerit hanc physicam vim occidendi, quasi venenum quoddam, ergò. Respond. certum est, quòd DEUS non voluerit absolutè, & voluntate consequenti hominis immortalitatem, benè tamen voluntate antecedente, & absolutè, sed conditionatè, sicut nec decuit ipsum aliter velle, sic enim nil relinqueret homini ipsi in sua causa procurandum: Et minus decuit eum omittere legem suam ob rationes suprà positas; fecit ergò quòd ipsius erat, & magis cavit hominibus quàm sibi ipsi: Nego ergò hinc sequi, quod DEUS non optaverit hominis immunitatem, nam admonuit Adamum de periculis, si autem intenderet hominis ruinam, id non egisset, sed oppositum, quia, ut egregiè Augustinus, *nemo ferire volens dicit, observa.*

Dico Quartò: *Illa lex fuit utriq; tàm Adam, quàm Evæ data, immediatius tamen soli Adamo.* Patet ex ipso sermone Evæ, *Præcepit nobis Deus:* Et id clarissimè docent SS. Patres, Augustinus lib. 8. de Gen. ad litt. cap. 17. ubi utrumque proponit modum, dicens:

V. Lex primordialis utriq; Protoplastæ data, & quâ ratione.

dicens: *Meritò sanè quæritur, utrum hoc præceptum viro tantùm dederit* DEUS, *an etiam fœminæ?* Subjungitque: *Verba enim Scripturæ sic se habent: Et præcepit Dominus Deus Adæ dicens: non dixit, præcepit eis. Deindè sequitur: Ab omni ligno, quod est in paradiso escam edes: non dixit edetis. Deindè adjungit: De ligno autem cognoscendi bonum & malum, non manducabitis de illo: Jam hîc tanquam ad ambos pluraliter loquitur, & pluraliter præceptum terminat dicens: Qua die autem èderitis ab eo, morte moriemini. An sciens, quod ei facturus erat mulierem, ita præcepit ordinatissimè, ut per virum præceptum Domini ad fœminam perveniret;* Ergò Lex & præceptum fuit utrique datum, sed Evæ per Adamum.

DISPUTATIO SECUNDA.

DE Peccatis Adami & Evæ, pœnisque pro iis inflictis.

QUÆSTIO PRIMA.

De Tentatione Evæ.

I. Peccati initium per mulierem.

Nitium Peccati factum est à muliere, ait Ecclesiasticus cap. 25. *& per illam omnes morimur*, quare de peccatis Protoplastorum acturus, à tentatione passiva mulieris sumo initium, circa quam complures occurrunt difficultates.

Primò: An verus serpens in paradiso fuerit? nam videtur creditu durum, quia venenosa & carnivora animalia in pardiso non sunt permissa, nè qua vi, aut veneno læderetur illa hominis immunitas ab omni adversitate. Licèt verò illa DEI providentiâ & potentiâ niteretur, tamen credi debet suaviter præstita, neque ad omnes occasiones & occursus multiplicata miracula pro Adami defensione, sed potiùs à principio omnia talia ab illo horto exclusa, qui aliàs non foret plenè paradisus voluptatis, sed partim etiam timoris ac formidinis, quæ certè plenæ felicitati repugnant, nam *timor pœnam habet*.

Secunda difficultas est, quomodo Eva non horruerit serpentem non admirando ejus loquelam, propter quam sibi cavere debuisset, & rem totam habere suspectam?

Tertiò: Quomodo verum sit illud Scripturæ assertũ, quod serpens fuerit, & sit callidior cunctis animantibus terræ? Quoad primam difficultatem Rupertus putat, serpentem locutum esse Evæ extra paradisum, dum in communi terra ambularet. Alphons. Tostat. scribit, eum non fuisse continuè in paradiso, sed inductum illuc operâ dæmonis, & DEI permissione. Gregorius autem Magnus putat probabile, quòd serpens in paradiso remanserit, ex quo inducta eo fuerunt omnia animalia, ut nomen ab Adamo acciperent. Verumtamen omnes isti modi non placent. Nam, ut ab ultimo incipiam, tenendo cum S. Gregorio, videtur improbare DEI providentiam, quasi serpens eo incauto, aut nesciente remanserit in angulo aliquo, aut inter virgulta paradisi. Rupertus autem divinat, undè enim ille accepit, quòd Eva paradisum excesserit, nam quid illa alibi expectaret amplius oblectamenti. Tostatus autem facit Dominum DEUM utcunque authorem, certè autem complicem tentationis, dum ipso annuente & concurrente instrumenta tentandi ab hoste

ab hoste congeruntur, sicut qui permitteret arma inimici inferri arci, quæ est expugnanda. Itaque

II. Serpens in paradiso qualis fuerit. Dico Primò : *Incertum omninò esse qualisnam fuerit serpens : si littera simplex attendatur, naturalis fuit, si verò acta ejus benè perpendantur, probabiliter dici potest serpentem illum fuisse fictitium, à dæmone ad hoc productum, sicut alias formas & species animalium, & inanimatorum producit.* Prima pars est indubitata; Secunda de se patet, quia Scriptura loquitur de serpente tanquam de animali naturali. Tertia autem probatur: Tùm: Quia omnes fatentur dæmonem sub tegumento serpentis tentâsse Evam, atqui hoc stante convenientiùs dicitur, illum etiam figuram serpentis sibi formâsse, & ad fallendum assumpsisse, ergò: Probatur min: Quia in paradiso non videbantur fuisse bestiæ ullæ nocivæ, intoxicantes, nec carnivoræ, ergò. Tùm ex refutatione aliorum modorum: Tùm denique, Quia per hoc salvantur convenientiùs Scripturæ aliæ, quæ serpenti attribuunt, quæ illi propriè convenire non possunt. Sed in contra

Opponitur Primò authoritas: Gen. 3. ubi dicitur: *Sed & serpens callidior erat cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus DEUS*; nam juxta hunc textum serpens ille erat animal, alioquin non rectè fieret comparatio, aut adhiberetur excessus ejus ultra alia animalia, atqui fictitius ille serpens non esset animal, neque enim Angeli possunt producere vera animalia, sed solùm apparentia, ut suprà ostendi, ergò. Respond. Si ego propter hanc replicam dixero, serpentem illum fuisse verum ac naturalem, non proindè liberabo textum à difficultate. Superest enim respondendum, quomodo serpens fuerit callidior cunctis animantibus terræ, cùm constet, multa esse callidiora, sive magis astuta & ingeniosa serpente, vulpes est, simia est, formica est, videtur, nè quid dicam de ipso homine, qui certè est animal, & quidem terrestre, quia non aquaticum, vel aëreum.

Instabis: Per hæc non evadi, nam si verus serpens non superat cœtera animantia astu, multò minùs id faciet fictus. Respond. Assumi falsum, quia fictus ille pro anima habet Angelum, qui certè astutior est omnibus animalibus non semel, sed centies, prout clarè docet S. Augustin. lib. 11. Genes. litt. cap. 2. ubi dicit: *Quamquam iste serpens non irrationali anima sua, sed alieno jam spiritu, id est, diabolico, posset sapientissimus dici omnium bestiarum. Quantumlibet enim prævaricatores Angeli de supernis sedibus suæ perversitatis & superbiæ merito dejecti sint, naturâ tamen excellentiores sunt omnibus bestiis propter rationis eminentiam.* Sed

Urgebis: Eo modo inferri vim textui, qui absolutè pronuntiat fuisse serpentem. Respond: Negando assumptum nimis enim est notum, quod familiare sit Scripturæ appellare res nominibus eorum, in quarum specie apparent. In hac ipsa Genes. cap. 18. *Apparuerunt* Abrahæ *tres viri stantes propè eum*, qui tamen omnes fuerunt Angeli. Act. 1. ascendente Domino in cœlum coram Apostolis: *Ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis*, neque tamen viri fuerunt, sed Angeli, sicut & ille *juvenis*, quem mulieres *viderunt in monumento Domini sedentem à dextris coopertum stolâ candidâ.*

Arguitur Secundò: Quandò Angeli formant, & assumunt corpora ad aliquod ministerium, eo absoluto illa phantastica corpora evanescunt, & resolvuntur in auras, ex illis enim formata sunt, sed serpens tentator non evanuit peracta tentatione, sed remansit, ergò non fuit fictus. Respond. Hanc objectionem non solvi per hoc, quòd si quis dixerit serpentem fuisse verum, nam etiam verus serpens potuit se subducere statim, neque ex veritate naturæ sequitur subsistentia ejus in loco, quod confirmatur; quia apud nos hinc indè constat, quod Angelus occupaverit & invaserit illum, sive verum,

rum, sive pseudo-serpentem: quis autem dubitet Angelum illum potuisse præripere eum indè, & aliò inferre, idque raptum, nisi majori vi vetaretur. Quare existimo DEI providentiâ tactum esse, nè serpens disparerer, aut discederet à loco diabolus, qui eum invasit, sed potiùs vel invitus expectaret processum juridicum, quem DEUS voluit instituere, ac deindè damnare ipsum imprimis serpentem.

Instatur: Pœnæ, quas DEUS inflixit serpenti, non quadrant insictum, ergò serpens ille non fuit fictus, patet antec: ex ipsis terminis, nam terram comedere, supra pectus gradi, &c. à vero serpente fieri solent, à ficto non possunt. Respond. Hoc negotium fuisse quasi in theatro per plures personas gestum. Et sicut actores in scenis supponunt pro illis personis, quas repræsentant, ita serpens ille personatus supposuit pro vero, & quæ juridicè interim acta sunt in ipsum quadrant. Hæc est bona solutio, quia non desunt, qui dicant DEUM jam tunc non apparuisse aut exercuisse judicium, sed Angelum, qui ejus personam sustinebat, adeoque etiam dicere possum neque verum serpentem fuisse, sed ejus loco Angelum, etsi perversum.

III. Bestiæ non fuerunt cicures in statu Innocentiæ.

Quoad secundam difficultatem plures censent, Evam non horruisse serpentem, quia probè sciebat, nulla animalia homini tunc fuisse noxia, sed omnia addicta & obsequiosa, sed ego hæc obsequia & miracula brutorum fassus sum nulla ei nocitura, negavi nulla fore noxia, tanquam aliquis ea cicuráffet, id enim foret, ut alibi notavi, ponere in bestiis justitiam originalem, quam cùm in ipso homine difficulter sustinere possimus ad subjiciendam partem animalem ejus alteri rationali, quomodo feremus concessam bestiis, ab ipso homine realiter, loco ac tempore, & toto supposito distinctis? & tamen hanc viam incesserunt ex priscis, Chrysost. Basilius, Damascenus, & ex Recentibus Salianus, & Cornelius, quia ut demus totum esse verum, non sufficit: nam sive noceat, sive non, etiamsi non posset nocere, tamen homo illum horret maximè mulieres, quod ita verum est, ut etiam ad mortui cadaver commoveantur illis humores, ut experientiâ notum est, sicut agni lupum, quem nunquam viderunt, nec à quoquam docti sunt illum esse sui generis inimicum.

Venerabilis Beda, & ex eo noster Seraphinus Doctor ad præveniendum hunc horrorem, censuit serpentem illum habuisse faciem muliebrem: quod etiam incredibile magis quàm impossibile est, cùm constet, aliqua animalia ejus vultum præ se ferre. Harpyæ illæ, quæ se Æneæ apud Strophadas objecerunt, tales erant:

Virginei volucrum vultus fœdissima ventris Virgil. 3. Æneid. v. 216.
Ingluvies, uncæque manus & pallida semper
Ora fame.

Sed ut dixi, hoc non videtur dignum fide, nam in negotiis facti non licet divinare, huic autem historia Genes. nullum præbet fundamentum, licèt totum habeat historia scholastica Petri Comestoris. Sed unde hoc accepit Venerabilis? Comestor & Seraphicus ex ipso accipere potuerunt, cùm uterque fuerit eo posterior, unus centum nonaginta annis, alius quingentis triginta. Sed & eo concesso adhuc magna pars difficultatis incumbit ei, quia etiam magna deformitas, cùm solus vultus esset ad instar Harpiæ, & reliquum corpus serpenti illi fuerit vipereum. Et denique ipsa monstruositas tàm diversarum partium potuit augere horrorem & timorem. Verumtamen

IV. Eva non horruit serpentem propter blandimenta ejus.

Dico Secundò: *Evam probabiliter horruisse serpentem in principio, si verus fuit, deposuisse tamen horrorem, eò quòd laudibus illam demulserit, & in forma composita comparuerit, vel denique qualiscunque serpens fuerit, quia in operando non dependebat à phantasmate.* Hæc patebit declarando singulas particulas, Et Prima quidem

dem à simili, nam Matth. 26. Marci 14. quibus locis refertur Christus ut Dominus in suprema cœna apprehenso pane dixerit Discipulis: *Manducate, hoc est corpus meum.* Similiter & calicem, de quo disertè pronuntiavit: *Hic est sanguis meus*, ad quem etiam bibendum invitavit convivas, sed hæc omnia discipuli tranquillè audierunt, neque turbati sunt, cùm tamen res ipsa, & verba essent admiratione digna, cujus causa videtur ista, quia antea aliquoties audierunt Dominum hæc promittentem, atque explicantem, ut patet Joann. 6. fusè, ita hìc, credo enim Evam turbatam fuisse, & horruisse à principio aspectum serpentis, deindè tamen deposuisse horrorem, sicut Apostoli, quod vel indè judicare debemus, quia Apostoli fuerunt Judæi, & quidem è turba: scimus autem quàm turbata sit illa turba, cùm primò audierunt Dominum ista asserentem: *Litigabant* enim *ad invicem, &c.*

Secundò assero, serpentem illum (qualiscunque fuerit) dum ista ageret, diceretque non repsisse humi pro more, sed erecto corpore, aut stetisse in aëre, aut certè incubuisse trunco alicujus arboris, spiris suis implicatum, atque indè Evam allocutum esse parem ei altitudine, id enim omne potuit ei præstare spiritus, qui intro illum animabat, & credi potest fecisse ob hoc ipsum, puta ad minuendum audienti fœminæ horrorem, neque verò hoc novum est scriptu aut creditu, quia ante mille centumque annos Procopius Gasæus, in hunc locum Gen. sic scribit: *Quapropter cùm res ita movere videbatur, diabolus præter naturam ipsius erexit serpentem, ut verisimile est, & ex adverso mulieris eum consistere voluit, deindè cum muliere per serpentem diabolus sermocinatus est.* Quem secutus Eugubinius in Cosmopeia: *Credendum est*, (inquit) *fuisse draconem pulcherrimum, crystatum, sublato pectore, & colloqui speculatus formosissimam fœminam per paradisum exulantem, eam minimè occupatam invasit. &c.* Certè S. Joannes in Apocalyps. cap. 20. dum diabolum serpentem dicit, vocat draconem. Itaque quòd non horruerit Eva serpentem, dum ista diceret, causa erat, quia ille jam ante multa dixit, quibus etiam minuit sui horrorem, dum blandiretur fœminæ eâ prosopopœia laudum. Deindè, si fuerit draco elegans, ut censuit Eugubin. aut tergoris varietate, & squammarum nitore insignis, ut mavult Pererius, exclusa est causa horroris, certè qui apud Augustinum leget vetitum esse diabolo alia animalia corripere ad hunc finem, puta oves, columbas, agnos, sed esse arctatum ad serpentes, ut ita homines horrerent magis, & execrarentur, is, inquam, facilis credet, quòd diabolus in genere sibi permisso illam speciem serpentum elegit, quæ minus redderet eum odibilem & execrandum.

Tertiæ denique partis ratio esse potest, quia nimirum scivit illa eum esse fictum: vel etiamsi sciret verum, tamen hærebat in aspectu aut cogitatione illius, sed pergebat intellectu ad spiritum intro manentem. Et denique tale fuit hoc negotium serpentis cum Eva, & vicissim, quale cum pueris atque adultis aliquando, cùm quis induit exuvias vel pellem ursi, aut leonis, & in ipsis terret pueros, atque alios nescios imposturæ, viros autem provectos, qui fraudem norunt, non terret, quia sciunt non subesse, quod apparet, puta ursum & aut leonem, sed adesse hominem, qui latet.

Per hæc patet etiam solutio aliorum duorum, nempè, cur Eva non sit mirata serpentem loqui? Nam Christus Dominus plus sapuit quàm ipsa, quàm maritus & omne genus hominum, & tamen miratus est. Sed inquies, nihil hujus in historia legitur. Hoc tamen non obstat, nam quæro, an legatur, quod non sit mirata, tamen certum est alterutrum contigisse, cùm neutrum referatur. Denique ad illud, quod quæritur, cur mulier non judicaverit cavendum sibi à monstro illo? Hinc etiam evade-

evadetur, nam quòd non caverit à consiliis, in promptu causa est, quia nimirum videbatur ei opportuna, salutaria, & in suum ac mariti favorem suadere.

X. Serpentem esse sapientiorē cunctis animātibus difficile est.

Dico Tertiò: *Tenendo serpentem fuisse naturalem, difficile est salvare, quomodo serpens sit sapientior cunctis animantibus terræ; facilè verò, si dicatur serpentem fuisse fictitium.* Prima pars probatur ex natura simiæ & vulpis, & ex historiis, nam legitur de simia quadam, quæ in Ægypto, dum feles simiam quandam insequerentur, hæcque omni avolans, cùm aufugere non posset insequentium celeritatem, arbores conscendit; quo cùm feles adhuc eam insequerentur, tunc ipsa ad arboris summitatem cucurrit, ubi ab extremis ramorum fastigiis tàmdiu pependit, donec feles, qui eò ascendere non audebant, descendentes ad aliam venationem regrederentur, & tamen hujusmodi inventionum vulpes est magis fœcunda. Nam narrat curiosus quidam Author in suis Canicularibus Distractionibus sequens vulpis stratagema: Innatabant alveo cujusdam fluvii anates, dispares mole ac ætate, pulli matribus immixti, utq; non audebant gurgiti se credere, ripam legebant, has è vicino conspicata vulpes, & votis omnibus prosecuta, statuit si quo modo posset intercipere, & gulæ suæ mancipare. At enim faciliùs est vota concipere, quàm parere: Quid ageret, nè illæ venientē agnoscerent, agnitam vitarent, sed ipsa fœcunda fraudum invenit, quo se etiam in publico occultaret, juncos hinc indè sparsos & in fascem ligatos invenit, ligatis caput suum intrudit, ut illi illabentes tergo ejus oculos spectatorum ab ipsa, nedum suspicionem arcerent, ergò illa jam non illa, sed junceus fascis, alveum lentè tranat, tanquam non iret, sed laberetur, cùm interim anates suspensæ eam exspectarent quippè peregrinum quid, cui colluderent insidentes, tandem illa appulit, cumq; anates incautæ circum eam natarent, illa personam exuit, vulpem induit, & monstravit, quæ, quot ipsarum comprehendere potuit, rapuit vorandas. Ita ille. Hæc autem, & his similia quis unquam vidit à serpente exhibita.

Secunda pars etiam patet: Quia sine dubio angelus ille malus, qui corpori illi apparenter serpentino inerat, superavit calliditate omnia animantia terræ, adeoque complexum ex ipso, & corpore illo ab eodem formato, verè dici potuit callidius.

Dices: Per hæc quidem afferri rationem contra serpentem verum, cur ei præferri debeat fictus, non tamen contra serpentem verum, ab angelo occupatum, de tali enim recurrit ratio mea, quòd ob spiritum illi immanentem fuerit callidior, certè enim complexum ex vero serpente & spiritu immanente fuit sapientius & astutius omnibus, ergò. Respond. posse quidem id prætendi, sed non æquè ac illud de serpente ficto, quia nimirum serpens verus constat corpore & anima physicis, & componentibus illum, ibique desinit: undè quidquid superadditur, non est aliquid serpentis, sed serpens fictus constat tanquam altera parte angelo, non enim habet animam sicut verus, adeoque de illo verius dicetur, quod fuerit callidior omnibus animantibus, licèt etiam huic desit aliqua proprietas in componendo æquè ac dicendo.

Instabis: A Scripturâ hìc comparatur serpens quoad calliditatem aliis animalibus veris, adeoque ipse debuit verum fuisse animal, & calliditas ejus fuisse animalis bestialis, aliàs ineptè fieret comparatio. Insulsè enim dixeris gallinam esse sapidissimam omnium piscium, taurum esse robustissimum omnium volatilium, &c. quia neque taurus est volatile, neque gallina piscis, nè ergò Scripturam Sacram accusemus ineptiæ ac improprietatis, dicendum erit, quòd serpens ille fuerit naturalis & sapientia ejus serpentina, non autem angelica. Respondeo: Adversarios hos, & similes plus sapere, quàm oportet,

portet ſapere, ſive laboràſſe in evadenda difficultate, quæ ipſos non premebat, nam quod Scriptura in præſenti refert (loquor de editione vulgata, quæ ſola facit fidem) etiam in Grammatica proprietate, eſt verum, non enim habet noſter textus, quòd ſerpens fuerit ſapientiſſimus vel callidiſſimus omnium animalium, tunc enim pateretur exceptionem Toſtati, ſed dicit, quòd fuerit ſapientior ſive *callidior cunctis animantibus terræ*, quæ aſſertio ſervat ſuam veritatem, quamvis ſerpens non fuerit animal, non enim in ſimilibus neceſſe eſt, ut extrema collationis ſint homogenea, ſed talis poteſt fieri in diverſiſſima ac diſparata, nemo enim carpere poteſt dicentem, quòd Dominus DEUS ſit ſapientior Angelo, Angelus homine, & tamen clarum eſt, quòd neque Dominus DEUS ſit Angelus, aut ejuſdem naturæ cum eo, neque Angelus homo, Scriptura ipſa eſt his tenoribus plena, Proverb. 22. *Melius eſt nomen bonum, quàm divitiæ multæ.* Et tamen non in eodem genere ſunt fama & pecunia, & tamen hîc unum alteri comparatur, & præfertur, ut ibi & Eccleſ. 24. *Spiritus meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel & favum.* Ubi vides ſpiritualia terrenis comparari & præferri. Imò etiam profani authores, eâdem phraſi uſi ſunt ſine vitio. Mar. Cicero in reſponſ. ad Saluſt. *Neque quidpiam domi tuæ turpius, quàm tu*, ubi (vides) comparat perſonam rebus, nam tò *turpe* ſumit neutraliter, & ſubſtantivè, nullum ſexum indicans.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Peccatis primorum Parentum, ADAMI & EVÆ.

1. Evæ transgreſſiones enumerantur. INcipio ab Eva, non quòd dignior ſit Adamo, ſed quia præivit illi in peccando, & quia plures commiſit transgreſſiones, nam imprimis videtur dubitàſſe de veritate DEI illis verbis: *Ne fortè moriamur*; cùm DEUS abſolutè pronuntiaverit eos morituros. Itaque hìc videtur fuiſſe rea infidelitatis, & quaſi hæreſis cujuſdam, fortuitum ac dubium inquiens, quod DEUS affirmavit certum, & licèt hoc excuſari poſſit, ut infrà. Deindè tamen videtur abſolutè incredula DEO, credula ſerpenti de eo, quòd non moreretur, ita Hugo à S. Victore ſentit, & Magiſter poſt ipſum.

Secundò peccavit protrahendo Dialogum cum ſerpente, quem audivit palàm, & impudenter improperàſſe DEO mendacium, ſive falſitatem dicti: Debuit enim ſubitò repellere impoſtorem & inimicum Domini ſui, item ſuum ac mariti, undè quodammodò peccavit comedendo priusquam comediſſet, quia *qui amat periculum, peribit in illo*, ipſa autem objecit ſe periculo diſputando cum faferrimo, & callidiſſimo hoſte, cum eſſet fœmina fragilis. Ita Chryſoſtomus.

Tertiò peccavit ſimiliter, dum luſtraret ambitiosè pomum, incerta an eſſet eſura, & quaſi volens ab objecto diſcere, quid foret factura, neque certa obedientiæ DEO exhibendæ.

Quartò peccavit concupiſcentiâ pomi, nam *concupiſcentia cùm conceperit, parit peccatum.* Jacobi 1.

Quintò peccavit graviſſimè invitando maritum ſuum ad idem flagitium, nam & ille reſpondit invitanti, ac comedit.

Sextò videtur peccàſſe appetitu quodam Deitatis.

Septimò ac ſupremè peccavit homicidio ſui ac totius poſteritatis, id eſt, univerſi generis humani, quia *per illam omnes morimur*; omitto excuſationem ſui à cæde patrata, quia fuit poſterior principali peccato.

Hîc jam diſputatur ab Interpretibus, quo ex peccatis peccaverit primò Eva? Quæ res non eſt tanti momenti, & poterant parcere labori ac tempori, quantum enim refert id didiciſſe? nam ad hunc locum non

pertinent, nisi peccatum illud edendi de ligno vetito, sicut nec alia Angelorum peccata pertinebant ad judicium ferendum de ipsis, nisi illa, quæ perpetraverunt postquam admissi sunt ad viam, sive statum merendi ac demerendi beatitudinem supernaturalem. Quia tamen lis locum accepit in libris, ac scholis, decidam eam utcunque, eò magis, quòd authores aliqui credunt, per fásque, nefásque volunt primum illius peccatum fuisse superbiam, vertitur autem lis vel maximè inter ipsam & infidelitatem sive incredulitatem DEO, de quo

II. Eva an inciderit in hæresim, incertum est.

Dico Primò: *Non esse certum, quòd Eva inciderit in hæresim, sive infidelitatem veram, benè tamen analogicam.* Probatur. Quia postquam serpens peroravit totâ rhetoricâ suâ apud illam, ipsa à Moyse refertur comedisse allecta pulchritudine ac suavitate fructûs illius, nam post relatam tentationem serpentis, subitò subdit. *Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum & pulchrum oculis &c. & tulit de fructu ejus.*

Dices: Apostolus in epist. ad Corinth. ait: *serpens decepit Evam.* Item *Mulier seducta est in prævaricatione*, ergo habuit errorem. Responderi tamen potest ad hoc, quòd Eva habuit errorem, sed non contra fidem, quia scilicet fuit de eo, quòd acquireret scientiam boni & mali, de quo fides nihil dictabat, & proindè circa illud non potuit esse hæresis. Probatur. 2. p. Quia nimirum Eva quamvis crederet se acquisituram scientiam boni & mali, non proindè comederet, si se morituram judicaret, atque ita credidit, quòd comedendo non incurreret mortem, quod fuit hæresis, nam oppositum ore DEI est pronuntiatum: Eleganter idem notat D. Augstinus lib: 11. Gen: lit: cap: 30. ubi ait: *Denique verbis non contenta serpentis consideravit lignum, viditque bonum ad escam, & decorum ad aspectum, & non credens posse se inde mori, arbitror quòd putaverit DEUM alicujus significationis causa dixisse, si manducaveritis, morte moriemini: atque ideò sumpsit de fructu ejus & manducavit, & dedit etiam viro suo secum.*

III. Evæ error primus fuit prolixa cum serpente conversatio.

Dico Secundò: *Primum Evæ errorem tum fuisse sermonem protractum cum serpente, quod autem positum est primo loco, item sexto, esse dubia errata, non autem certæ malitiæ.* Prima pars sequitur ex secunda, si enim errores, & peccata suprà recensita in quæstionis principio, & maximè quòd primo loco positum est, non sit certò peccatum, tunc secundum erit primum, quia *fortè* potest pati explicationes, quas Recentes aliqui ei adhibent bono numero. Deindè appetiisse scientiam boni & mali non videtur ex se vituperabile, sed laude dignum. Cùm etiam Sancti & DEUS ipse eam habeant, intelligo totum non descendendo ad particularia sive ad scientiam experimentalem, quæ in textu non exprimitur. Cœtera sequuntur eo ordine, quem quisque videt, & facilè corriget, si quando videatur inordinatus.

IV. Eva peccavit peccato superbiæ, an autem hoc primò sit, est incertum.

Dico Tertiò: *Eva peccavit quoque peccato superbiæ, an tamen hoc primum fuerit ex Scriptura evidenter convinci non potest.* Prima pars est D. Augustini lib. 11. de Gen. litt. cap. 30. ubi ait: *Quando his verbis crederet mulier à bona atque utili re divinitus se fuisse prohibitos, nisi jam inesset menti amor, ille propriæ potestatis, & quædam de se superba præsumptio, quæ per illam tentationem fuerat convincenda & humilianda.*

Probatur secunda pars: Nam si ex aliqua Scriptura probari posset, maximè ex duobus locis, quorum unus est illud Tobiæ 4. *In superbia omnis perditio sumpsit initium.* Alter Eccles. 10. *Initium omnis peccati superbia:* Quæ loca videntur rectè procedere de peccato Evæ, nam cùm ipsa primò peccaverit in genere humano, primum illius peccatum est absolutè primum, adeoque debet esse superbia. Sed per istos duos textus probari nequit, peccatum Evæ fuisse superbiam, quia nimirum illud non fuit absolutè & simpliciter pri-

primum, propterea quòd ante ipsum & ante omne genus humanum peccaverit Angelus: Et in hac ipsa historia sine dubio prius peccavit serpens, sive quisquis loquebatur per eum.

Dices: Hæc non suffragari mihi, qui in tract. de peccatis Angeli mali dixi, primum illius non fuisse superbiam. Respond. dupliciter: Et imprimis nego, me hoc negâsse, sive docuisse, quòd primum peccatum Angeli fuerit superbia, imò censui fuisse talem (licèt non propriè & presse sumptam) idque cum Scoto. Iterum Respond. Saltem Adversarios exarmari per istam probationem: nam illi mordicùs tenent, quòd primum Angeli peccatum fuerit superbia, ergò ista & similia loca salvantur egregiè per peccatum Angelorum, nam cùm illlorum peccatum & pravitas fuerit causa nostræ miseriæ, si fuit superbia, jam clarum evadit initium omnis peccati fuisse superbiam, & quòd à superbia omnis perditio sumpsit initium, nostra enim sumpsit initium ab illa Angelorum, si ergò illa sumpsit initium suum à superbia; & consequenter superbia non est ad Evam detorquenda, tanquam primum peccatum.

Probatur Secundò: Quia initium in Sacra Scriptura non semper est exordium, aut principium, ad quod alia sequuntur, sed sæpè idem est, quod principale. Dicitur enim Sap. 12. *Initium fornicationis est exquisitio idolorum*, quod non potest ita accipi, ut idololatria fuerit primum peccatum hominum, cùm non cœperit, nisi multis sæculis post ipsos, sed debet sensus esse, quòd sit principale, id est, gravissimum peccatum, quo anima adulteratur à suo vero Sponso DEO. Ecclesi. 11. *Initium vitæ hominis panis* &c. græcè est ἀρχὴ, id est, principatus, sicut etiam illud ejusdem: *Brevis in volatilibus apis, & initium dulcoris habet fructus ejus*, cujus sententiæ sensus est, quod summa dulcedo sit illa mellis, ut cuique patet. Similis amphibologia apparet in illo Pauli 1. Timoth. 6. *Radix omnium malorum cupiditas.* An igitur Recentes hinc elicient cupiditatem, aut concupiscentiam esse primum peccatum, sed malè, quoniam in authographo est φιλαργυρία, id est, avaritia, aut amor pecuniarum, quas certum est, non posse esse primò & ante alias amatas, unde denique sensus est; non quòd avaritia sit primum peccatum, sed quod omnia ex ipsa oriantur, vel fundentur, aut subsequantur. Undè D. Augustinus lib. 11. de Gen. ad litt. cap. 15. docet, quod si illud D. Pauli Radix omnium malorum est cupiditas, debeat intelligi de radice, & primitate originationis, id accipiendum fore metaphoricè, prout per cupiditatem potest intelligi quidquid amatur dicens: *Specialis est autem avaritia, quæ usitatius appellatur amor pecuniæ. Cujus nomine Apostolus per speciem genus significans, universalem avaritiam volebat intelligi dicendo: Radix omnium malorum est avaritia. Hinc enim & diabolus cecidit, qui utique non amavit pecuniam, sed propriam potestatem. Proindè perversus sui amor privat sancta societate turgidum spiritum, eúmque coarctat miseria jam per iniquitatem satiari cupientem. Hinc alio loco cùm dixisset, Erunt enim homines seipsos amantes: continuò subjecit, amatores pecuniæ, ab illa generali avaritia, cujus superbia caput est, ad hanc specialem descendens, quæ propria hominum est.*

V. Adæ peccatum primum non fuit superbia.

Dico Quartò: *Primum Adæ peccatum non fuit superbia, quâ divinitatem aliquam, vel æqualitatem saltem in scientia appetivisset.* Hæc est Doctoris subtilis, & Scotistarum communiter. Probatur. Primò ex Scriptura: Quia Gen. 3. post peccatum commissum vocavit DEUS Adam ad judicium, *Ubi es?* & interrogatus ac quæsitus, quare comederit ex pomo vetito, confessus est, *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi*: Ubi notandum, quòd non dixerit, mulier, quam mihi dedisti sociam, decepit me, sicut mulier respondit: *Serpens decepit me, & comedi*, ex quo manife-

stum videtur, quòd in Adamo quoad præsens negotium nulla deceptio contigerit, neque ille errore, sed amore peccaverit, Eva verò econtra non amore serpentis, seu Sathanæ, sed errrore & fraude circumventâ. Probationes ex Patribus adferet sequens conclusio. Igitur

Probatur Secundò Ratione: Non potuit Adam tale quid appetere, ergò non peccavit appetendo, consequ: valet. Antec: ergò probatur: Non potuit Adam divinitatem vel æqualitatem illam appetere, nisi errâsset in judicando, non potuit errare in judicando, ergò non potuit appetere; vel subsumo, si placet, non erravit, ergò non appetiit. Maj: hujus est evidens, quia non potest appeti saltem efficaciter, sive procurari, nisi quod censetur esse possibile, ut ergò Adam appeteret divinitatem illam, qualemcunque, debuit judicare, eam esse possibilem, sed hoc judicium esset erroneum, & falsitas explorata, quam nemo de turba incurret, nisi quis remotæ mentis, quanto minus Adamus, quem Adversarii adeò extollunt in sciendo tanquam omni sapientiâ instructum ab ipso proximè DEO, ut Magistro.

Dices: Non potuisse tunc errorem cadere in Adamum, antequam peccâsset, sed quia peccavit nimio amore uxoris, propterea incidisse in hunc errorem tanquam pœnam peccati. Respond. Hoc esse nihil dicere & dupliciter confutari potest, imprimis, quia quamvis peccâsset decies, non proindè incurreret tàm infamem ignorantiam, nam neque nos, qui sumus centies peccatores, possumus tale quid nobis persuadere. Secundò, Quia (ut supra aliquoties asserui) scientia, immortalitas, impudentia: & alia dona statûs innocentiæ non pendebant ab omni peccato Adæ, sed ab uno, neque à quolibet uno, sed tantùm à determinato illo esu ligni vetiti, ergò quidquid Adamus egerit, non potuit ante esum illum perdere scientiam, atque ita nèc esum ipsum exercere exerrore, aut illo, aut alio.

Instabis: Si hoc verum est, sequitur quòd neque Eva appetiisset illam similitudinem DEI, quia nimirum nondum spoliata fuit dono illo scientiæ, neque potuit tàm crasso errore laborâsse. Respond. proindè Eva seducta sive decepta fuit, & inducta in errorem, Adam non item, ut ex Paulo audivimus, & hoc est utriusque discrimen in isto negotio.

Dico Secundò cum Seraphico Doctore S. Bonaventura: Multò sapientior erat Lucifer sive primus Angelus quàm primus homo, si ergò Lucifer cum tota sapientia sua voluit esse sicut DEUS, neque sapientia impedivit superbiam, multò minùs videtur, quòd hoc sapientia impediret humana. Sed Respondendum est, hæc non posse vincere, quia nimirum fide constat, quòd Adam non erraverit, sive non sit deceptus in sua prævaricatione, non autem constat de fidé, quòd Lucifer non erraverit, adeoque jam habemus rationem disparitatis, quam etiam arguens tenetur admittere. Deindè etiam aliter argumentum solvi potest, quia nec Lucifer ambivit saltem non procuravit, aut secundùm Deitatem, quam scivit impossibilem, aut unicam, quam vidit de facto in alio, adeoque de hoc appetitu Luciferi consulenda sunt, quæ dixi tract. 2. de Angelis, atque hæc de valore rationis à me assignatæ pro conclusione, nunc contra ipsam in se directè

Opponitur locus ille Genes. 3. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum & malum*, quæ sententia ironica est & illusoria, ut advertunt communiter SS. Patres, & Interpretes loci; ejusque author planè vult ab audientibus intelligi, quòd oppositum contigerit scilicet Adam, cùm vellet esse sicut DEUS, nec quidem ipsam humanitatem in sua perfectione retinuerit, adeoque loquens, qui erat DEUS, insinuat & supponit Adamum voluisse esse sicut una

una ex personis divinis, id enim est sicut unus ex nobis, quod non fieret, nisi accipere voluisset aliquam divinitatem. Respond. neg. consequi Quia, ut advertit S. Anselmus Cantuar. tò *Adam* in Scriptura non esse semper, quod vulgò creditur, nomen viri, hoc est, hominis in masculino sexu, sed comprehendere utrumque, ita ut tò *Adam* significet etiam Evam, ut patet ex illo Genes. 5. ubi ita legitur: *Hic est liber generationis Adam, in die qua creavit DEUS hominem ad similitudinem DEI fecit illum, masculum & fœminam creavit eos, & benedixit illis, & vocavit nomen eorum Adam, in die, quo creati sunt*, ut non possit censeri res nupera, sed jam ab initio facta, atq; ita Adam meritò, & verè dicitur concupivisse similitudinem DEI, si concupivit illam Eva.

Instabis: Quamvis tò *Adam* possit esse utrique commune, ut probat hæc littera, tamen quando accipitur masculinè necessariò significare virum, quem enim alium? num fortè fœminam? Respond. negando assumptum, causa est, quoniam illa vox significat utrumque conjunctè, quia autem aliqis articulus, sive sexus adjungendus est ei, meritò adhibetur masculinus ob dignitatem ejus, quod etiam Grammatici monent, & præcipiunt dicendum, Rex & Regina beati. Itaque Adam est quodammodò nomen speciei, & significat totam illam, unde illud: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*, illudit toti illi, & est, ac si diceret: Ecce homo, sive natura humana in individuis suis. Quod confirmatur ex alio textu Scripturæ ibidem: *Et emisit eum Dominus de paradiso voluptatis*, ast non solùm virum emisit & exclusit Paradiso, sed utrumque, & in illis totum genus sive ut majus totam speciem: *Ejecitque Adam, & collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim & flammeum gladium ad custodiendam viam*: Nec indè arcendus fuit ab illo Angelo & versatili ense solus vir, sed etiam fœmina, nam Cherub ille non admissurus esset eò mulieres, adeoque est verum, quod Adam ibi sit idem quod latinè *homo* complectatur utrumque sexum, & nequaquam dicat idem quod tò *vir*, quod est nomen sexûs, ac non tantùm naturæ sive speciei. Risit ergò Dominus Deus hominem; sive totum genus, quia appetitu Deitatis perdidit ornamenta humanitatis, nam fœmina eo amore cæca peccavit, induxitque virum ad peccandum, per quod factum est, ut uterque & totum genus non modò Deitatem, sed & ipsa quodammodò humanitate exciderit nudi, & quoad externum habitum instar jumentorum pellibus eorum induti, quasi feræ personatæ.

VI. Adæ peccatum primum fuit inordinatus amor uxoris.

Dico Quintò: *Primum Adæ peccatum sunt inordinatus amor, seu amicabilis benevolentia erga conjugem, nè delicias suas contristaret, id est, nè Evam offenderet.* Probatur Primò ex eadem Scriptura, & responsione Adami, ut suprà, nam ad quæstionem de causa sui peccati, respondit: *mulier &c.* hæc ergò fuit ei causa lapsûs, & hodie est filius ejus, quod confirmatur: Quia DEUS, quem nihil latet, approbavit responsionem, idque in sua sententia: *Quia*, inquiens, *audisti vocem uxoris tuæ, & comedisti*, &c. significans palàm comestionem factam ab obaudiendũ vel obediendum uxori. Confirmatur 2. Quia si DEUS vidisset causam lapsûs ejus fuisse superbiam, aliter formaturus erat sententiam, & aliam causam scilicet superbiam ei affixisset sic, vel similiter, *quia rapinam arbitratus es fore te æqualem DEO, &c.* id autem non fecit, ergò signum evidens est, quòd comestio orta sit ex affectu in fœminam, non autem ex ullo in divinitatem amore, certum enim est, quòd ille judex attulit veram causam culpæ.

Dices: Si ita sit, tunc Adamus accusavit se excusando, attulit enim affectum in mulierem, qui fuit peccaminosus ad excusandam comestionem. Respond. Primò: Retorquendo argumentum, si enim attulisset superbiam suam, & assignâsset in cau-

causam comestionis, quæro, an non excusaret unum peccatum alio? an fortè superbia & præsumptio ipsius etiam Deitatis non est peccatum? Respond. Secundò: Ideò Adamo visum est allegare uxorem ad excusandum se, non quasi benè gesserit se erga illam, sed quia malè gessisse est magis tolerabile ac veniale propter inclinationem naturalem viri in mulierem, quæ quò difficilius vincitur, eò magis excusat factum, nam magis peccat, qui facilius potuit vitare peccatum.

Probatur Secundò ex Div. Augustino lib. 11. de Gen. ad litt. cap. 42. ubi dicit: *Salomon vir tantæ sapientiæ, numquid nam credendum est, quòd in simulacrorum cultu crediderit essee aliquid utilitatis? Sed mulierum amori ad hoc malum trahenti resistere non valuit, faciens quod sciebat non esse faciendum, nè suas quibus deperibat atque diffluebat mortiferas delitias contristaret. Ita & Adam, posteaquam de ligno prohibito seducta mulier manducavit, eique dedit, ut simùl ederent, noluit eam contristari, quam credebat posse sine suo solatio contabescere, si ab ejus alienaretur animo, & omninò illa interire discordia. Non quidem carnis victus concupiscentia, quam nondum senserat in resistente lege membrorum legi mentis suæ: sed amicali quadam benevolentia, quâ plerumque fit, ut offendatur* DEUS, *& homo ex amico fiat inimicus, quod eum facere non debuisse, divinæ sententiæ justus exitus indicavit.* Et lib. 14. de Civit. cap. 11. comparat illum cum eodem Salomone, & Aarone dicens: *Sicut enim Aaron erranti populo ad idolum fabricandum non consensit inductus, sed cessit obstrictus: nec Salomonem, credibile est, errore putâsse idolis esse serviendum, sed blanditiis fœmineis ad illa sacrilegia fuisse compulsum: ita credendum est, illum virum suæ fœminæ uni unum, homini hominem, conjugem conjugi, ad DEI legem transgrediendam non tanquam verum loquenti credidisse seductum, sed sociali necessitudine paruisse.*

Probatur Tertiò Ratione Scoti: Primum peccatum Adami non fuit ex amore sui, adeoque nec superbia: Assumptum probat ille ex differentia, quæ est inter Angelum & hominem, quia Angelus per suam essentiam intelligit se primo, & homo prius intelligit objecta sensibilia ante se, & ideò non potuit primò peccare nimio amore sui, hinc autem infert, quòd peccaverit nimio amore uxoris, quia nullum fuit objectum sensibile, quod magis ad peccandum incitaret, *hæc ferè ille*; quæ ego ut non contendo esse demonstrativa, ita nego esse levissima, nam demonstrativè probat, quòd primus actus hominis non potuit esse amor sui, adeoque nec primum peccatum, nisi velis hominem peccare, sive malè agere antequam quidquam agat, quòd autem de facto ejus primum peccatum fuerit circa hoc objectum sensibile probabiliter ostendit, quòd in subjecta materia est satis.

Pro coronide hujus Quæstionis, sicut in principio Evæ, ita in fine adjungo culpas, & transgressiones Adæ, quæ communiter illi imputantur, prout habet Bellarminus lib. 3. de amissione gratiæ.

Prima fuit superbia sive ambitus Deitatis; sed hæc non subsistit. VII. Adæ peccata quo ordine recenset Bellarminus.

Secunda: Amor conjugis inordinatus; hanc ego dico esse primam.

Tertia: Infidelitas, quia non credidit DEO dicenti: *Morte morieris.*

Quarta: Curiositas, quâ experiri id voluit, cùm videret fœminam acceptâ escâ non esse mortuam, quæ nota est etiam Div. Augustini lib. 11. Gen. ad litt. cap. 30. dicens: *An fortè nec suaderi jam opus erat viro, quando illam eo cibo mortuam non esse cernebat?*

Quinta: Expressa Inobedientia, comedendo de ligno, sive fructu ejus vetito.

Sexta: Excusatio peccati cum quadam accusatione fœminæ, ipsius etiam DEI: *Mulier, quam dedisti mibi*

mihi sociam, dedit mihi &c. Ita D. Augustinus lib. 14. Civit. cap. 14. *Sed est prior damnabiliorque superbia, quâ etiam in peccatis manifestis suffugium excusationis inquiritur, sicut illi primi homines, quorum & illa dixit: Serpens seduxit me, & manducavi, & ille dixit: mulier, quam dedisti mihi, hæc mihi dedit de ligno, & edi. Nusquam hîc sonat petitio veniæ, nusquam imploratio medicinæ.*

Septima: Damnum totius humanitatis, quam illo esu occidit, quia in Adam omnes moriuntur, undè D. Bernardus hom. 2. super *Missus est*, dicit de Protoplastis nostris: *Sicut omnium parentes, ita omnium fuistis peremptores, & quod infelicius est, prius peremptores, quàm parentes.* Denique addo D. Augustinum in Enchirid. cap. 45. quasi in uno corollario enumerare omnia peccata, quæ ex illo esu subsequuntur dicendo: *Quamvis & in illo peccato uno, quod per unum hominem intravit in mundum, & in omnes homines pertransiit, propter quod etiam parvuli baptizantur, possint intelligi plura peccata, si unum ipsum in sua quasi membra dividatur singula. Nam & superbia est illic, quia homo in sua potius esse, quàm in DEI potestate dilexit: & sacrilegium, quia DEO non credidit: & homicidium, quia seipsum præcipitavit in mortem: & fornicatio spiritualis, quia integritas mentis humanæ serpentina suasione corrupta est: & furtum, quia cibus prohibitus usurpatus est: & avaritia, quia plus, quàm illi suffi.ere debuit, appetivit: & si quid aliud in hoc uno admisso diligenti consideratione inveniri potest.* Verumtamen primam culpam non censeo Adamo imponendam, secunda est magis vera, & omnium verissima est quinta & sexta, reliquæ sunt divinationes.

QUÆSTIO TERTIA.

De gravitate peccatorum primorum Parentum.

I. Quæstionis difficultas.

COmparatio gravitatis potest institui vel de facto, vel de possibili cum aliorum peccatis. Deindè etiam inter ipsosmet duos: potest enim quæri, utrum hoc peccatum superaverit in malitia omnia, & singula, quæ de facto creaturæ rationales, puta Angelus & homo commiserunt, præterea etiam omnia, quæ committere poterant. Deindè quæri potest, utrum ipsi ambo Protoplasti fuerint in peccando pares? an verò alter? & quis alio sceleratior, puta Adam an Eva? mas an mulier? quibus præmissis, mirum est, quomodo nonnulli authores accusent primos parentes suos, quàm graviter condemnent, atque ex speculativa doctrina, quæ quotidiè crescit, imponant illis atrocia facinora, quasi referret ipsorum habere parentes reos, & sceleribus contaminatos, tàm argi sumus in alienis erroribus, qui in nostris cœcutimus. Ego rem simpliciter proponam. Undè

II. Adæ peccatum non est gravissimum omnium.

Dico Primò: *Peccatum primorum hominum in se, quod deindè ad cœteros transivit, non fuisse omnium gravissimum, sed magis mediocre.* Hæc est Doctoris subtilis in 2. d. 21. qu. 2. Dico autem notanter in se, quia quoad nocumentum extrinsecum quod causavit, fuit maximum. Probatur Primò ex Scriptura: Sapient. 10. *Hæc* (scilicet Sapientia) *illum, qui prior formatus est pater orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodivit illum, & eduxit illum à delicto suo:* Ex quo loco, esum ligni illius in Adamo sapiens vocat delictum, ast delictum, si propriè loqui velimus, nec rectè abuti Scripturis, aut linguarum proprietate, ex genere suo non est gravissimum, est enim dictum *delictum*, quasi *derelictum*, quippè omissio aut negligentia quædam. Deindè *ubi non est lex nec prævaricatio*, ad Rom. 4. Quod si verum sit, ut est certissimum, tunc ubi lex parum aut parcè est peremptoria, etiam parva est prævaricatio, sed in hoc negotio lex talis fuit, nam Gen. 3. ubi nos legimus: *Cur præcepit vobis DEUS, nè comederetis de omni ligno paradisi.* Hebræi Codices, qui sunt autographum historiæ, non habent nisi: *Cur dixit*

dixit vobis DEUS &c. quod certè non est austerè præcipere. Nec refert, quod Eva respondens quæstioni dixerit: *Præcepit nobis:* nam illa fœmina addidit, quæ non vetuit DEUS: *Præcepit*, inquit, *nobis, nè comederemus, & nè tangeremus illud.* Quod secundum de suo addidit, non enim DEUS præcepto suo inclusit, ne tangerent.

Dices: Potuit etiam verum fuisse, quòd incluserit: Quis enim novit exactè tenorem præcepti, silentium Scripturæ super hoc non probat, eum id non dixisse, est enim argumentum negativum, ergò. Respon. imprimis odia esse restringenda, valdè autem odiosum est homini auferri sibi libertatem in ullo genere: Protoplasti illi oderunt præceptum de ipso esu ligni, quantò magis illud de esu & tactu. Deindè arguo Secundò contra sic: Si DEUS præcepisset illis, nè tangerent fructum ligni, tunc illi violâssent præceptum solidum & positivum priusquam comederent, sed hoc est falsum, ergò: sequela probatur, quia sufficiebat tactus ad illud violandum, illi autem certissimè tetigerunt, antequam comederent, ergò. Jam verò falsitas min: indè habetur, quoniam oculi eorum non sunt aperti, nisi postquam comederunt, ergò.

Probatur Secundò ex D. Augustino, qui sæpius hoc peccatum nominat inobedientiam, & comparat cum obedientia Christi Domini, ita lib. 14. de Civit. cap. 15. dicens: *Sicut obedientia secundi hominis eò prædicabilior, quo factus est obediens usque ad mortem: ita inobedientia primi hominis eò detestabilior, quo factus est inobediens usque ad mortem, Ubi enim magna est inobedientiæ pœna proposita, & res à creatore facilis imperata, quisnam satis explicet, quantum malum sit, non obedire in re facili, & tantæ potestatis imperio, & tanto terrenti supplicio? Denique ut breviter dicatur, in illius peccati pœna quid inobedientiæ, nisi inobedientia retributa est?* Quæ autem illa sit inobedientia fusè & eleganter ostendit esse legem repugnantem menti suæ, concupiscentiam, libidinem, appetitum irascibilem & concupiscentem, quæ ibi videri possunt.

Hinc desumo argumentum secundum pro conclusione: Ex pœnis, quæ huic peccato à judice assignatæ sunt, si enim non sint gravissimæ illæ, neque peccatum erit, utique enim apud æquum judicem *juxta mensuram delicti erit & plagarum modus;* sed ille non fuerunt adeò graves, non accesserunt, nè propè quidem, ad aliorum criminum pœnas, ergò immeritò censetur gravissimum illud peccatum, cui ab judice inflictæ sunt, vis est in min: quæ sic probatur. Imprimis enim istæ sunt tantùm pro hac vita, Gen. 13. *In laboribus comedes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ.* Et iterum ibidem: *Donec revertaris in terram, de qua sumptus es.* Et admisso etiam quod pœnæ illæ essent pro futura vita, ita quod per mortem, mors secunda intelligatur, adhuc non obstant, quia pœnæ peccati originalis tantùm sunt pœnæ damni, aliorum autem peccatorum pœnæ sunt tàm damni, quàm sensûs.

Dices: Assumi falsum, Quia Adamo inflictæ sunt pœnæ sensûs positivæ: talis enim est labor, est sudor, ipsa denique mors & morbi præcedentes sine dubio sensum præcellunt, ergò Adam punitus est pœnâ sensûs. Respond. Non est dubium, quin sensus Adami, item filiorum, ac filiarum ejus doleant aliquando vehementer, cùm etiam in sententia fœminæ expresè adhibeatur: *In dolore paries*, adhuc tamen minor vera est, quoniam illæ pœnæ illatæ sunt Adamo per modum damni, devenerunt enim ad eum per ablationem justitiæ originalis & donorum eam sequentium, quod est propriè & formaliter damnum, sive ablatio & perditio alicujus. Quod etiam metaphysicè confirmatur, quia non est credendum, quòd DEUS aliquid frustra & per consequens imprudenter agat, sed frustra fiunt per plura,

plura, quæ fieri possent per pauciora, sed ablatâ justitiâ originali frustra inferrentur ista incommoda Adamo, nam seipsis cum invaderent, ipsa ejus natura erat illis obnoxia & opprimenda, sicut si quis globum æneum filo pensilem vellet in pelvim, aut pavimentum decidere, haberet tantummodò filum truncare, nec opus esset globum impellere, nam hic seipso rueret, vel si quis aquas cataractis inclusas, aut aggere repulsas vellet effundere, sufficeret ei solvere cataractas, aut aggerem perrumpere, subitò enim aquæ illæ vicina spatia se ipsis inundarent.

Confirmatur Primò: Quia alia peccata hominum & Angelorum plectuntur pœnis alterius vitæ, & quidem æternis, nota nimis est illa judicis sententia, Matth. 25. *Ite in ignem æternum*; causam quæris? habes: *Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare &c.* Hoc autem peccatum non item, sed suam pœnam solvit & accipit in hac vita. Considera singulas, & videbis hic accipere finem omnia, ipsius etiam serpentis: exempli causa: *Maledicta terra in opere tuo.* Item: *In sudore vultûs vesceris* &c. quæ virum concernunt, quæ etiam fœminam. *In dolore paries*; item, *sub viri potestate eris* &c. reverâ enim summè mirandum est iratum Judicem, atque omnia scientem, si destinâsset hujus peccati reos alterius vitæ, hoc est æternæ, pœnis, non meminisse earum in sententia sua, cùm centies digniores memoriâ, quia & duriores essent pœnis hujus vitæ, quas ille latâ sententiâ quasi quodam fulmine vibravit in reos & complices ad ostensionem justitiæ & iræ suæ, si ergò ille earum non meminit, censendum esse, quòd non sint infligendæ reis; quamvis non negem etiam has fuisse inflictas, attamen earum nullam expressam facit mentionem.

Confirmatur Secundò: Quia, qui hoc solum peccatum habent, nullam in altera vita pœnam patiuntur, sed fruuntur ea felicitate, quam natura illis præstare potest, & sunt parvuli, qui secundùm ipsos Adversarios nullam in altera vita molestiam patientur ab igne, à dæmonibus &c. ut est probabilis, & benigna sententia plurium Patrum, & Doctorum, cùm tamen omnes illas pati cogantur, quicunque vel uno solo peccato ex aliis affecti migraverint ex hac vita, ergò iterum nulla est comparatio pœnarum in acerbitate.

Probatur Conclusio Tertiò: Quia nimirum tantò peccatum aliquod est gravius, quanto excellentiori virtuti opponitur, illius enim bonitate privat suum subjectum, sed alia peccata plurima majoribus & melioribus virtutibus opponuntur quàm istud, ergò sunt graviora: min: patet in plurimis, imò in omnibus ferè recurrit, nam hoc opponitur vel maximè, & quasi soli intemperantiæ, aut inobedientiæ, quæ est potentialis tantùm virtutis moralis, alia autem multa sunt, quæ eidem virtuti, puta justitiæ, propriè ac directè opponuntur, ut injuria, furtum, homicidium: alia opponuntur ipsis theologicis virtutibus directè, ut infidelitas, desperatio &c. ergò jam certum esse debet, quòd hoc peccatum non possit esse gravissimum, imò nec propriè tale.

Probatur Quartò: Quia absque dubio deteriora sunt illa, à quibus inseparabilis est malitia, quàm ea, quibuscum separabiliter & contingenter conjungitur, ea, quibus intrinseca & quasi essentialis est malitia, quàm alia, quibus omninò extranea accidentalis, & quasi fortuita est. Sed alia peccata plurima, ut mendacium, perjurium &c. nè quid dicam de odio DEI, blasphemia, hæresi &c. habent inseparabilem diversitatem, & intrinsecam sibi, neque ullius authoritate fieri potest, nè perperam fiant, sive committantur. Istud autem factum primorum hominum, hoc est, esus vetiti fructûs, contingenter tale, sive peccatum fuit, potuitque non esse tale, sive sine peccato committi, malitiam separabilem sive contingentem habuit. In summâ, priora illa ideò vetita sunt,

(*) Nnnnn quia

quia mala, istud autem ideò malum quia vetitum.

Arguitur Primò: Christus Dominus principaliter venit in redemptionem originalis peccati, & magis quàm in illam actualium, ergò peccatum originale est gravius actualibus, non modò singulis, sed omnibus, utique enim major erat morbus, qui egebat tali medico, neque tolli nisi per ipsum potuit. Nec refert Respondere, quòd venerit etiam ob actualia, nam & hæc tolluntur per ipsum, neque ab alio tolli possunt, omnesque Theologi tenent, quòd principaliter venerit propter originale. Respond. pro nunc transeat assumptum de motivo adventûs Christi Domini, super quod videatur tomus terius meus, sed nego hinc illatum, quod proindè originale sit gravius, alia est enim causa, cur magis ob originale venerit quàm ob actualia, quia nimirum originale omnes omninò infecit, & proindè ipse tollendo illud, dicitur & est Redemptio Mundi, ast non omnes inficiuntur actualibus peccatis, sed multi sunt mundi saltem à gravibus, ergò. Per quæ credo satisfactum esse argumento atque ejus difficultati. Et nihilominùs adhuc plus addo, quia nimirum pro actualibus suis quisque conari potest, & adhibere diligentiam, quo satisfaciat DEO de ipsis, sed originale est supra cujusque vires, & alio remedio eget, non enim deleri potest per contritionem, quasi verò hæc eodem modo feratur in illud, sicut in actualia, quia non est commissum proprio hominis consensu, ergò. Tertia denique disparitas est, quòd originale omnes omninò etiam parvulos involvit, hi autem certissimè egent alienâ operâ, ut liberentur, quia se ipsos juvare non possunt.

Arguitur Secundò: Quia baptismus est omnium Sacramentorum principale quoad delenda peccata, ita ut videatur in hoc genere quodammodò non tantùm summum, sed solum, undè illud Symboli Constantinopolitani: *Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum*, & tamen baptisma institutum est in remissionem peccati originalis, & solum ipsum in hoc genere juvat, alia enim Sacramenta pœnitentiæ & extremæ unctionis nihil possunt ad deletionem originalis, ergò si baptismus excedit omnia Sacramenta, sequitur, quòd originale excedit omnia peccata. Respond. tamen, nec hæc quidem omnia sufficere Adversariis, imò esse quodammodò impertinentia, agimus de peccato commisso ab Adamo protoplasto in esu fructûs vetiti, & similiter de illo Evæ simili, sed hoc peccatum in Adamo non fuit originale, sed actuale, & in Eva similiter, ergò jam impertinenter adfertur remedium originalis peccati huc.

Dices: Peccatum originale posterorum est ipsum Adami, ergò quod convenit peccato posterorum originali, convenit actuali parentis. Respond. Peccatum hoc atque ejus gravitatem derivari non à nepotibus in parentes, sed à patribus in nepotes, atque ita videndum est, quale ac quantum sit in parente, ac deindè primùm formanda sententia de illo in sequentibus filiis, quibus præmissis in forma Respondeo: Baptismum esse potissimum Sacramentorum, non quia delet gravissimum peccatum, sed quia delet universale, quod proindè ab utroque Joanne tàm Baptista, quàm Evangelista dicitur peccatum mundi. Præterea etiam, quia ipse Baptismus delet etiam actualia peccata, atque ita quodammodò est instar omnium Sacramentorum. & per illud reddimur Christiani, imò quasi Christum expresse referentes, tàm mortem, quàm resurrectionem ejus, ut notavit accuratè & scripsit ad Rom. Apostolus cap. 6. dicens: *An ignoratis, quia quicunque baptizati sumus in Christo JESU, in morte ipsius baptizati sumus; consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.*

Dico

III. Adæ & Evæ peccatum in ratione formali est æquale.

Dico Secundò: *In primario peccato, & huc pertinente, nempè esu pomi vetiti, utrumque protoplasten æqualiter peccâsse, id est, Adamum & Evam considerando peccatum præcisè secundùm suam rationem formalem.* Hæc vix ullum habet pro se, sed non refert, non est tamen contra Doctorem subtilem, nam ille modò unum, modò alium magis accusat, ut videatur denique eos relinquere impariter pares, & facere (quod ajunt) excedens & excessum.

Probatur Primò ex Scripturâ: Quia conferendo pœnas, quas illa recenset, utrique inflictas, invenientur similes, scilicet sicut excedens & excessum, sive impariter pares, nam dolor, in quo parere debet mulier, æquat sudores viri, subjectio ejus despotica ferè ad eundem videtur æqualis resistentiæ, quam terra facit viro &c. sic de cœteris, sed quæ apud æquum judicem pariter puniuntur, videntur paria in pravitate.

Probatur Secundò ex Authoritate Div. Augustini: nam lib. II. de Gen. ad litt. c. 35. de duobus loquens: *Peccaverunt*, inquit, *impari sexu, sed pari fastu, non facto*, ut describit ex eo Suarez: Ecce peccatum æquale, ecce fastum parem.

Probatur Tertiò Ratione: Quia peccatum illud videtur constitisse in indivisibili (loquor semper de peccato proprio hujus loci, scilicet esu vetito) quod sic probatur, quoniam, aut comedit quis ex illo fructu, quantum sufficeret ad bolum, aut non comedit: si comedit, reus est, si non comedit, innocens, non enim crescit peccatum crescente materia, ut qui plus comederet, plus peccaret, v. g. ego teneor in die jejunii non comedere secunda vice, si comedam secunda & tertia, non violavi jejunium tertia comestione, sed tantùm secundâ, deinceps enim jejunium sicut servari non potest, ita nec frangi.

Vis totius est in textu præsenti: *De ligno scientiæ boni & mali nè comedas*, Gen. 2. per quem apparet, quòd ad violationem præcepti non erat necesse comedere sive sumere fructum aliquem illius arboris, puta malum, ficum, aut nucem, sed sufficiebat aliquid illius edere, ut patet ex illis *de*, & *ex*, ibi *de ligno scientiæ boni & mali nè comedas.* Item: *In quacunque die comederis ex eo*, atque ita unus morsus, unus bolus sufficiebat, sed comestio non potest exerceri minus quàm uno bolo, ergò.

Dices: Adamum plus peccâsse, quia majori sententiâ præditus peccavit, quia majori fortitudine quàm mulier, quia majori conatu actum vetitum elicuit, ergò. Respond. neg: consequentiam: Quia licèt fortè Adam elicuisset actum vetitum conatu, ut quatuor, Eva autem conatu ut tria, quæro, aut Legislator inhibuit actum elici oppositum suæ legi conatu ut quatuor, aut conatu ut tria, aut nullum gradum intensionis determinavit? Si conatu ut quatuor, tunc Eva nullo modo peccavit, quia supponimus, quod non peccavit conatu ut quatuor, sed tantùm ut tria, si conatu ut tria, tunc Adam non peccavit gravius, quàm Eva, quia gradus ille quartus est extraneus, & impertinens præcepto, si nullum expressit, sequitur, quòd sub præcepto non cadit nisi unus, id est, primus gradus, quia eo solo simpliciter & absolutè sit oppositum præcepto.

IV. Adæ peccatum ex parte gravius illo Evæ.

Dico Tertiò: *Considerando circumstantias peccati primorum Parentum ex una parte Adæ peccatum erat gravius illo Evæ, & ex alia Evæ gravius Adami.* Hæc confirmat priorem, & reconciliat alias opiniones, quorum alii Adæ simpliciter excessum, alii Evæ attribuunt. Probatur de circumstantiis Adami Primò ex Scriptura, nam D. Paulus Apostolus ad Rom. 5. expresè dicit; quòd *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors*; si autem per Evam etiam intraret mors, jam non per unum, sed per duos, ut evidens est, ergò. Præterea licèt Eva sit etiam una, tamen hinc excluditur, cùm dicitur *per*

 unum,

unum, nam illa tametsi habeat unitatem, non tamen unus. Deindè ad Corinth. 15. iterum Apostolus pronuntiavit: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur*, ubi vides expresè pro causa mortis omnium adferri Adamum, ergò. Possum etiam uti duobus locis hujus libri Geneseos: Primus habetur cap. 2. *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris*, quæ verba soli viro dicta sunt, & sunt ea, quæ inferunt mortem: Similiter ejusdem cap. 3. *Pulvis es, & in pulverem reverteris*, est enim sententia lata à DEO separatim in Adamum, nam alia longè diversa lata est in Evam, ergò.

Probatur idem allegando expresè circumstantias: Primò est fortitudo & præstantia virilis sexûs supra fœmineum: Secundò est major sapientia ejus, qui proindè debuit plus resistere fraudibus insinuantis: Tertiò, quia ille immediatè accepit præceptum à DEO: Quartò, quia debuit Evam corrigere: Quintò, quia peccavit ut publica persona, & vicem gessit omnium omninò hominum, nam omnes in eo continebantur ac proindè ille culpam & pœnam in eos derivavit, undè & omnes occidit. Non sic Eva, sed tantùm peccavit ut privata persona, nam mors inducta est ab Adamo in cœteros non ab Eva.

V. Evæ peccatum ex alia parte gravius Adæ.

Secunda pars est Doctoris ex D. Augustino 2. d. 21. q. 2. §. De tertio dico, ubi ait: Evæ peccatum fuit gravius multò plus quàm peccatum Adæ, pro eo, quòd voluit sibi usurpare æqualitatem Divinitatis, undè habens aviditatem æqualitatis DEI, & scientiæ divinæ, fuit seducta; Vir autem non fuit seductus; & ideò sic appetendo non peccavit, sed ex inordinato amore; propterea peccatum mulieris fuit gravius. Deindè, Eva fuit causa peccati viri, & ideò gravius addendo peccavit. Imò S. Augustinus eleganter ostendit utrumque Adamum & Evam fuisse deceptum, quamquam in alio genere & sub alia ratione, & si non æqualiter uterque peccavit, aut deceptus fuit, æqualiter tamen ambo capti sunt, & à diaboli laqueis implicati, ita docet lib. 14. de Civit. DEI. cap. 11. libeat benevolo lectori gratiosum ejus legere discursum, ita enim dicit: *Non frustra dixit Apostolus: Adam non est seductus: mulier autem seducta est: nisi quia illa, quod ei serpens locutus est, tanquam verum esset, accepit, ille autem ab unico noluit consortio dirimi, nec in communione peccati, nec ideò minus reus, sed sciens prudénsque peccavit. Unde & Apostolus non ait, non peccavit, sed non est seductus. Nam utique ipsum peccasse ostendit, ubi dicit: Per unum hominem intravit peccatum in mundum: & paulò post apertius in similitudinem, inquit, prævaricationis Adæ. Hos autem seductos intelligi voluit, qui id, quod faciunt, non putant esse peccatum, ille autem scivit. Alioqui: quomodo verum erit, Adam non est seductus? Sed inexpertus divinæ severitatis in eo falli potuit, ut veniale crederet esse commissum. Ac per hoc in eo quidem, quo mulier seducta est, ille seductus, sed eum fefellit, quomodo fuerat judicandum, quod erat dicturus: Mulier, quam dedisti mihi sociam, ipsa dedit mihi, & manducavi. Quid ergò opus est pluribus? Et si credendo non sunt ambo decepti, peccando tamen ambo capti sunt, & diaboli laqueis implicati.*

QUÆSTIO QUARTA.

De Pœnis primorum Parentum.

I. Serpens sine examine sententiatur.

Sequor ordinem Scripturæ, & ipsius DEI in ferenda sententia contra Protoparentes, incipiendo à serpente, ubi Div. Augustinus animadvertit & ait: *Jam serpens non interrogatur, sed prior excepit pœnam, quia nec confiteri peccatum potest, nec habet omninò undè se excuset*, ideoq; sine examine illo DEUS in ipsum tulit sententiam istam: *Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ: super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ, &c.* circa quam sententiam explicandam graviter authores

thores & Interpretes controvertunt, nam aliqui existimant, quòd DEUS dæmoni de novo nullam inflixerit pœnam, utpotè cùm jam sit in termino, & extra statum merendi, nec possit pœna hic propriè explicari, ut possit dæmoni convenire nova pœna; serpens autem, quem assumpserat seu effinxerat dæmon, sicut non peccavit, sic non debebat, nec poterat propriè puniri, & quod attribuitur illi pro pœna, convenit ipsi ex conditione naturæ, scilicet gradi super pectus, & comedere terram, cùm enim rerum naturæ per peccatum non sint mutatæ, sic gradiebatur ante ut modo. Hinc alii existimant DEUM non novam dictâsse serpenti pœnam, sed insinuâsse, & significâsse Adæ & Evæ statum dæmonis, ut magis caverent sibi ab eo, prout etiam sentire videtur S. Augustinus: Et pro secundo, ut haberent spem illum superandi: *Ipsa conteret caput tuum*, quod utique displicebat dæmoni esse primò notificatum hominibus, à quibus hæc notitia traderetur posteritati toti, & quia DEUS accepit occasionem significandi hoc hominibus ob deceptionem fœminæ, optimè dictum est: *Quia fecisti hoc, &c.* Itaque

II. Pœna serpenti dictata refertur ad diabolum.

Dico Primò: *Allegoricè refertur pœna serpenti dictata à DEO ad diabolum, litteraliter tamen ad serpentem corporalem, totamque ejus speciem, quem seu assumpsit, seu effinxit.* Probatur prima pars ex Div. Augustino lib. 2. de Gen. contra Manichæ. cap. 17. & 18. ubi sic dicit: *Dicitur ergò huic*, id est, serpenti, *pectore & ventre repes. Quod quidem & in colubro animadvertitur, & ex illo animante visibili ad hunc invisibilem inimicum nostrum locutio figuratur. Nomine enim pectoris, significatur superbia, quia ibi dominatur impetus animi. Nomine autem ventris, significatur carnale desiderium, quia hæc pars mollior sentitur in corpore. Et quia his rebus ille serpit ad eos, quos vult decipere, propterea dictum est, pectore & ventre repes. Et terram, inquit, manducabis, omnibus diebus vitæ tuæ, id est, omnibus diebus, quibus agis hanc potestatem, ante illam ultimam pœnam judicii. Hæc enim vita ejus videtur, de qua gaudet atque gloriatur. Terram ergò manducabis, duobus modis intelligi potest. Vel ad te pertinebunt, quos terrena cupiditate deceperis, id est, peccatores, qui terræ nomine significantur. Vel certè genus tertium tentationis his verbis figuratur, quod est curiositas.*

Probatur secunda pars: Quia tota historia Genesis usque huc semper à Patribus litteraliter fuit intellecta, ergò etiam illa, quæ de serpente dicuntur, cùm verba maledictionis in illum benè quadrent, non tamen quòd propriè sit pœna respectu serpentis corporalis, utpotè qui non peccavit, sed impropriè tantùm, ad quod sufficit ipsum fuisse instrumentum verum, vel repræsentativum diaboli, ut demonstret DEUS, quantum detestetur hoc scelus hominis, & ut ipse homo idem considerans sui lapsûs admoneatur, sic etiam nunc judices sues, qui infantem devorant, aliásque bestias, canes & vaccas, quibus homines mali abutuntur, jubent comburere in detestationem crudelitatis, & sceleris. Serpens igitur dicitur maledictus inter omnia animantia, id est, præ omnibus animantibus terræ, inflixitque ei gressus super pectus, & comestionem terræ.

Aliqui putant, serpentes antè ambulâsse erectis pedibus, eosque esse illi in pœnam sublatos, quod tamen credibile non est, cùm peccatum non mutet naturas rerum, utpotè solum quid morale, ad immutationem autem, physica eaque vehemens requiritur actio DEI, quam nec in Angelis, nec in hominibus adhibuit, multò minus in serpente, qui non nisi instrumentaliter, non formaliter peccavit, quare nec credendum est, serpentes antè habuisse alium incedendi modum, v. g. subsiliendo, ut putat noster Felicius d. 21. q. 6. qui ibidem addit, serpentes ante peccatum comedisse herbam sicut cœtera animantia, quibus indefinitè illæ III. Serpens nunquam habuit pedes.

illæ erant datæ in pabulum. Imò ulterius existimat, illum caruisse veneno, quod nunc ex terra sugunt. Verùm dicendum, hæc omnia illis naturaliter infuisse, quo tamen non obstante post peccatum cœperunt habere rationem pœnæ, vel quasi pœnæ, quatenus hæc ipsa cesserunt serpenti apud homines in æternum opprobrium, odium & execrationem, qui enim antea non fuisset homini vilis, invisus & execrabilis, jam talis effectus est, quare etiam homo odit illum præ omnibus animantibus terræ.

IV. Mulieris pœnæ triplices.

A pœnâ serpentis progredior ordine Scripturæ & Sententiarum ad pœnam mulieris, quam DEUS sic contra illam pronuntiavit: *Mulieri quoque dixit: Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: In dolore paries, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui,* Genes. 3. Ecce summam sententiæ, & compendium pœnarum, quæ ad tria capita reducuntur: Primum est multitudo conceptuum: Secundum est dolor partûs: Tertium subjectio ad virum.

Et quidem duo ultima facilè capi possunt, primum autem facessit negotium: Quia multiplicabo conceptum, non videtur numeranda in pœnis, cùm sit benedictio, & contrarium ejus signum irati Numinis, ut habetur Deuteron. 7. *Benedictus eris inter omnes populos, non erit apud te sterilis utriusque sexûs, tàm in hominibus, quàm in gregibus tuis,* cujus veritatis experimentum in duabus sororibus legitur Gen. 30. nam cùm Lia aliquoties concepisset: *Hoc,* inquit, *pro beatitudine mea, beatam quippe me dicent mulieres.* Rachel autem pulcherrima & dignissima filiis, cùm nullos susciperet ex viro, penè crepuit, undè & ad illum inquit: *Da mihi liberos, alioquin moriar.* Hac difficultate pressi Jacobus Salian: & Cornel. à Lapide, dicunt illud *ærumnas & conceptus* esse idiotismum Hebraicum, qui apud Latinos dicitur Hendiades, quo etiam usus est Princeps Poëta Virgil. 2. Georg. v. 192.

Hic fertilis uvæ
Hic laticis, qualem pateris libamus, & auro.

Id est, pateris aureis, cui & illud simile: *Chalibem frænosque momordit,* hoc est, frenos ex chalibe, ita hic ajunt: idem esse ac conceptos ærumnosos, undè intendunt conceptus non esse malum, sed ærumnas, at certè illi non habent secum exempla allata, nam in primo illo Trojani, sive pastores, quicunque fuerint, ipso auro utebantur in immolando, ac non tantùm formâ pateræ. Idemque est de chalibe & frenis, non enim unum sine altero patiebatur morsum, aut dentes equi; si ergò sit simile etiam conceptus fæminarum, censendi sunt in pœnis, ac non tantùm ærumnæ. Præterea etiam non rectè argumentantur ex fœcunditate ad conceptum: nam fœcunda non dicitur illa, quæ concipit, sed quæ parit, cùm possit fœmina post conceptum pati abortum, nec parere. Et Scriptura, quam proferunt, non procedit de conceptu, sed de partu, ut constat ex textu, imò est de partu alieno: nam Selpha peperit, & Lia se beatam pronunciavit. Quare salvo meliorum, & doctiorum judicio

V. Conceptuum multiplicatio quomodo pœna sit.

Dico Secundò: *Verba hujus pœnæ convenienter sic explicari possunt, multiplicabo ærumnas conceptuum tuorum ita, ut maledictio vel pœna non sit in conceptu quantumvis multiplicato; sed in ærumnis.* Probatur: Quia fœminæ non habent pro pœna, sed pro felicitate conceptum, uti & viri suam sementem. Unde erraret, qui crederet, congressum genitalem virorum ac mulierum esse relictum illis ad supplicium, & rideretur ab ipsis viris, cùm constat eos pericula tot & sumptus subire ob ipsum, & maxima pars peccatorum hujus mundi in hoc genere perpetretur.

Dices: Apparet aliqua violentia expositionis, nam in conceptu ad fœminas nulla est ærumna, sed summa voluptas, quam illæ multò pretiò emunt, ærumnæ autem sunt in partu. Respond. tamen esse aliquas ærum-

ærumnas ante partum, & illas spectare ad conceptum: talis est tumor & uteri gestatio: impotentia ad opus maximè ad iter, nausea ciborum &c. Deindè in primo congressu, cùm deflorantur virgines, fit divisio continui, quæ non contingit sine dolore.

Instabis: Non posse sententiam judicis per hanc impleri, quia ista defloratio semel tantùm contingit, pœna autem judicis sæpè, ait enim: *Multiplicabo ærumnas tuas*: Respondeo: Verum hoc esse, ac proindè ærumnæ censendæ suntillæ suprà recensitæ, neque tamen quicquam prohibere potest, quin etiam illa sit una. Denique in omni conceptu est aliqua passio, licèt sit etiam voluptas, sicut cibos edere est delectabile, habet tamen conjunctum aliquid laboris, novit id uxor Levitæ, quæ passa viros tota una nocte, denique impar tot conceptibus expiravit. Judic.9. Ita sic accipienda esse puto hæc, ut prima pœna sint ærumnæ, secunda dolor, tertia subjectio. Prima in conceptu contingit, Secunda in partu, Tertia est continua. Prima secundam seminat: Secunda mensuratur per primam, nam tormentum partûs respondet voluptati conceptûs: undè sola illa, quæ sine voluptate concepit prolem, etiam sine dolore eam peperit Virgo Mater MARIA, Domina nostra.

Aliqui volunt conceptuum multitudinem esse pœnam, quia in tanto numero multi nascuntur damnandi, sed maledictio sic sumpta pertinet ad proles, non ad matres, sicut silva lignifera est sua laude digna præ alia sterili, licet ligna ejus in fornacibus urantur. Potius censerem multitudinem conceptuum esse maledictionem & pœnam mulieribus, præter jam assignatam explicationem, quia ad conceptum sequitur partus, in quo dolores sustinentur.

Dices: Dolores illos pertinere ad partum, & esse secundam pœnam, adeoque immeritò transferri ad primam. Respond. habere locum utrobique: nam in dolore parere pertinet ad modum, & quasi qualitatem ac speciem partûs: multiplicatio conceptuum ad numerum ejus pertinet, quæ semel peperit, sensit secundam maledictionem, non autem primam. Unde prima pœna est veluti repetitio secundæ, & ambæ differunt sicut species, & individua ejusdem.

Dices: Adhuc contra omnes explicandi modos: In ipso statu innocentiæ multiplicarentur conceptus, ergò multiplicatio hæc non est pœna peccati. Deindè secundò: pœnæ hîc impositæ pertinent ad totum genus humanum respectivè, id est, mulieri datæ, ad omnes mulieres, non ad viros, sed multæ sunt mulieres, quæ non concipiunt, nec semel quidem, ergò. Respond. in statu innocentiæ futuros fuisse conceptus, sed non ærumnosos, neque mirum est, pœnam hanc primam desiisse in statu innocentiæ, quia defiit secunda, quæ est principalis. Ad secundam autem pulchrè respondet Angelicus Doctor, has pœnalitates viri ac mulieris non esse pœnas per se, tanquam à judice taxatas, in quibus, æqualitas serveturcum proportione ad legem & delictum, sed esse pœnalitates consequentes ex illa primaria pœna privationis justitiæ originalis. Undè per accidens contingere potest, ut in diversis fœminis inæquales sint, licèt peccatum originale sit æquale, sic rebellio concupiscentiæ est à peccato originali, & tamen cùm peccatum illud in omnibus sit æquale, tamen concupiscentia magis rebellat in uno, quàm in alio.

Dico Tertiò: *Altera pœna à DEO mulieri inflicta, est dolor partûs.* Hæc pœna est nota nimis, atque adeò acerba & molesta, ut patet in Rachele, quæ tàm avida etiam importunè prolis cùm cœpisset partum, pœnituit & ait: *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere*, & tamen fœminæ ad hunc equuleum, sunt damnatæ, ut omnes singulæque sortem ejus subeant, quæ cùm parturiret: *Egrediente anima præ dolore*, & VI. Dolor in partu est altera pœna.

re, & iminente morte vocavit nomen Bennoni, id est, filius doloris mei. Præter quæ meritò Scriptura, & ipse imprimis DEUS cruciatum illum dixit antonomasticè dolorem; *in dolore paries*: scilicet ita excellenti, quasi sit solus, & alii comparatione ejus vix sunt dicendi. Causa hujus apud omnes est angustia meatuum, quos fœtus transire debet, laxanda enim sunt claustra muliebris uteri, & sejungenda in partu, quæ quia inter se valdè cohærentia sunt & compacta, non potest fœmina id ferre sine acerrimo dolore, & omnium minimè mulier, quæ tactum habet magis mollem, corpus tenerum & infirmum, ac sensui doloris obnoxium. Atque hæc quidem omnes capiunt, nam & viri aliquid simile experiuntur in egerendis excrementis, quæ cùm intumuerunt, & riguerunt, non emittitur sine patientia & dolore. Sed quomodo fœminæ nostræ hunc cruciatum evaderent in statu innocentiæ? *Hoc opus, hic labor est*, quia nimirum causæ omnes, quæ hodie sunt hujus doloris, tunc etiam adessent angustiæ meatuum genitalium, perruptio violenta eorum, non enim huc faceret arbor vitæ, aut esus fructuum illius, & multò minus illa scientiæ boni & mali, cujus gustus omnes has miserias invexit.

D. Augustinus aliam movet difficultatem lib. 2. de Gen. cont. Manich. cap. 19. & quærit, quomodo dolor possit esse pœna mulieris, cùm etiam fœminæ in pecoribus patiantur dolores, & tamen non peccârunt, & finaliter concludit, hanc esse maximam, quod ex immortali vita ad hanc mortalitatem Protoplasti sint ejecti, ita enim discurrit in loco supra citato: *De pœna mulieris nulla quæstio est: manifestè enim multiplicatos dolores habet, atque suspiria in hujus vitæ calamitatibus, & quod in doloribus pariet filios, quamvis & in ista visibili muliere compleatur, tamen ad illam secretiorem consideratio revocanda est. Nam ut in pecoribus fœminæ cum doloribus pariunt filios, & hæc est in illis mortalitatis conditio potius quàm pœna peccati. Potest ergò fieri, ut etiam in fœminis hominibus mortalium corporum sit ista conditio. Sed hoc est magnum supplicium, quod ad istam corporum mortalitatem ex illa immortalitate venerunt.* Adeoque donum impassibilitatis in statu innocentiæ fuisset causa sine dolore pariendi, aliam allegare fateor me nescire, sed credo, has esse pœnas, quia DEUS dixit, & peccantibus in pœnas inflixit.

Dico Quartò: *Tertia pœna mulieris est despotica subjectio ad virum.* VII. Subjectio despotica est 3. pœna mulieris.
Probatur: Quia civilis etiam innocenti mulieri incumberet, sicut etiam foret tunc subjectio filiorum ad patres, & reverentia juniorum erga senes, discipulorum erga doctores. Hinc enim mulier non est desumpta ex capite viri, nè putaret se caput viri, neque ex calce quasi contempta subigenda, sed ex latere veluti medio quodam, ut aliquid viri supra se haberet etiam adhuc innocens. Itaque nec in paradiso quidem mulier fuit major vel æqualis viro, quippè à natura jam tunc facta animo & corpore infirmior, atque ita minus idonea ad gubernandum, sed indigens viri directione, quæ sine aliqua subjectione esse non potuit.

Propter quæ hæc mulieris subjectio difficilis evadit, aut enim sermo est de civili subjectione, & quasi directiva, aut non, sed de despotica vel violenta? Si primum, non potuit esse pœna fœminæ reæ, cum fuerit affectio innocentis. Si secundum, sequitur quòd DEUS sit author peccati & injuriæ, quòd ipse pronunciaverit peccatum esse perpetrandum, quia illa subjectio mulierum despotica & violenta, quâ à viris opprimuntur, est in ipsis viris peccaminosa, si ergò illa intelligenda sit in præsenti, jam DEUS latâ sententiâ pronunciavit, peccatum esse committendum.

Alphonsus Tostatus scribit, ista à DEO dicta esse propheticè, scilicet prædicendo futura, non approbando facienda. Sed importunè, ni fallor, non enim est judicis prophetare, & quam-

& quamvis contingat ambo munia in eodem convenire, tamen actiones unius omninò distinguendæ sunt, ab illis alterius, nam illæ prophetiæ sunt theoreticæ & speculativæ, quæ indicant tantùm existentiam rei, illæ autem judicis sunt practicæ, & imperant positionem alicujus in esse. Melius Respondet D. Thomas, quòd subjectio fœminæ modò sit pœnalis, quia necesse est illi sæpè contra propriam voluntatem conjugis voluntati parere; ad quod capiendum est notandum, quòd propterea in primo statu hominum subjectio fœminæ ad virum non haberet rationem pœnæ, quia spontanea esset, & sine coactione, sicut Apostolus ait: *Legem non esse justo positam*, non quia desit lex, sed quia justus spontè facit ea, quæ sunt legis; Præterea etiam, quia ipsa fœmina nihil concupisceret, nisi quod foret rationi, adeoque etiam marito conforme, cujus voluntas semper esset rationabilis, alioquin ipse non maneret in statu innocentiæ, sed in illo peccati, nunc verò solutâ hac aureâ vita, contingit illos in diversa ferri, & velle opposita, cúmque fœmina subsit viro, & verè cogatur subesse, hæc subjectio meritò dicitur, & est pœnalis, atque per hanc DEI sententiam inflicta.

VIII. Pœnæ Viri sunt tripli-ces.

Progredior nunc ad pœnas ipsiusmet viri Adami, quas DEUS sic illi hac sententia veluti judex inflixit, Gen. 3. *Quia audivisti vocem uxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, nè comederes, maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, spinas & tribulos germinabit tibi, comedes herbam terræ: In sudore vultûs tui vescéris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua productus es, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Ita Gen. 3. Ex qua sententia tres quoque pœnæ Viri communiter deducuntur, & explicantur, sed aliter & aliter distinguuntur: Quidam incipiunt secundam ibi: *In laboribus* &c. Alii illis: *Spinas & tribulos germinabit tibi.* Ego existimo, primam esse maledictionem terræ, atque indè oriundos labores agriculturæ & sudores. Secundam, Germinationem spinarum ac tribulorum. Tertiam, Esum herbarum terrestrium. Moveor ad hoc, quia illud de morte non tàm indicitur hîc, quàm memoratur, & quasi aliundè citatur huc, tanquam caput & causa unius ex prædictis: *Quia pulvis es, & in pulverem reverteris.*

Porrò ad explicandas has pœnas, graves oriuntur difficultates, nam per ly *maledicta terra in operè tuo*, utique significat sterilitatem, sicut benedictio dicit ubertatem, ac fœcunditatem, sed non potest dici, quod ob peccatum Adami terra incurrerit sterilitatem, nam nullius natura immutata est per peccatum illud, non viri, non fœminæ, nec ipsius quidem serpentis, qui primariò & efficienter peccavit, quantò minùs illa terra, quæ non intervenit in hoc negotio, neque ullas partes egit. Verùm Respond. non esse ad subsistentiam hujus maledictionis, quòd natura terræ immutata fuerit, verificatur enim in eo, quòd primi homines ejecti sint de paradiso, terrâ fœcundissimâ, cujus cultura non foret onerosa, in terram istam, cujus durities laboribus & instrumentis est perrumpenda. Itaque non terra naturam mutavit, sed homo locum. Et hæc quidem solutio est bona, sed difficultas nondum evacuata, nam incertum est, an homo, si produxisset innocentiam suam, semper victurus esset in paradiso, contrarium enim, id est, negativa pars, colligitur ex Scriptura Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris &c. universæque terræ.* Et iterum ibidem: *Crescite & multiplicamini, replete terram, & subjicite eam.* Certè enim hæc subjectio & præfectura terræ non sine aliqua actione hominum circa ipsam potest intelligi, & minus exerceri, atque ita primi homines haberent etiam tunc agere cum terra.

IX. Sterilitas terræ, qua ratione sit pœna.

Dico Quintò: *Maledictio terræ, seu sterilitas sic intelligenda est, sicut pœna inflicta mortis, doloris, puerperii &c. quæ quidem secundùm se sunt naturalia, nunc verò sunt pœna peccati: Similiter enim sterilitas terræ secundùm se naturalis est, & ex influxu physico corporum cœlestium, modò autem est pœna peccati.* Probatur: Quia si duraret status innocentiæ, homines eam non paterentur, quia nimirum non egerent agricultura, semente, aut messe, sed alerentur spontè nascentibus ex terra, quod clarè colligitur ex Gen. citata, & divina providentia circa homines illius statûs: nam simùl ac positi sunt in eo, DEUS assignavit illis alimenta, quibus voluit, eos vesci, dicens: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & universa ligna*, id est, arbores, *quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam.* Vides cibum homini adhuc innocenti assignatum fuisse spontaneum terræ, sive qui ab ipsa terra sine externa cultura prodiret, undè Augustinus lib. 1. de Gen. contra Manichæos. *Germinet terra herbam virentem*, legit: *Germinet terra herbam pabuli.* Itaque sterilitas terræ erat impertinens ad victum illius temporis. Deindè etsi homines extra paradisum viverent, DEUS illis provideret, nè ullibi sterilitatem terræ experirentur, intellige, quamvis viverent ex fructu suæ sementis. Sed in contra

Arguitur: In eadem sententia Domini DEI dicitur: *Spinas & tribulos germinabit tibi.* Ex quo sic argumentor: Aut ante hominum transgressionem terra tribulos & spinas fructicabat, & tunc non potuerunt esse pœna peccati, quæ præcesserunt ipsum? aut non fructicabant, & tunc manifestè mutata est natura terræ à peccato deinceps. Sed Respondeo juxta dicta superiora, & cùm objicitur proindè fatendum esse, quòd natura elementorum sit mutata per nocentiam, quod perindè est ac mutari per peccatum. Dicendum est, non posse evadi, quin durante statu innocentiæ natura in multis foret coërcita; concupiscentia, quæ nunc militat in membris nostris naturaliter, tunc non militaret. Dolor partûs, qui vehementissimus est, tunc non afficeret fœminas: nullus erubesceret nuditatem, compositum ex contrariis non necessariò solveretur, loquor de hominis corpore, ut alia omittam, adeóque etiam hîc, licèt terra ex se foret ferax spinarum. Id tamen ita faceret, ut Adam non noceret, imprimis enim in paradiso non essent ista: Tùm verò, licèt Adam fortè excederet illo, & accederet alias partes orbis, non offenderet spinas, quæ eum pungerent, neque lacerarent ei vestes, quas non habebat, sed coërcerentur in dumetis, neque passim occurrerent, sed à peccato deinceps denunciavit DEUS ea passim videnda, ac si diceret, non in senticetis tantùm pullulabunt, sed in agro aut horto tuo, fietque, ut quæ severis malignè proveniant; quæ non severis copiosè nascantur, suffocabunt sementem tuam, cruentabunt te, lacerabunt vestes, &c.

Arguitur Secundò: Tò *Comedes herbam terræ*, hoc ante peccatum fiebat, nam ut jam proximè dixi, ex Gen. 1. DEUS dedit homini, & assignavit in cibum *herbam virentem*, ergò illud ibi beneficium hîc adfertur in pœnam. Respond. tamen huic magis solidè fortassis, quàm in loco superiori: DEUM damnâsse hominem ad esum herbarum, & meritò, volo dicere, id fuisse ei pœnale, quia antea vescebatur voluptuosè fructibus lignorum, quæ erant in paradiso malorum punicorum, granatorum, aureorum, &c. jam verò abjectus est in terram, ut eadem sit mensa & culina ejus, ut crudas comedat, ut malesanas & minus sapidas, conjungendo etiam hanc pœnam cum præcedenti, magis premit. Est enim ac si diceret: ut vel herbas colligere possis tuo victui opportunas, debebis imprimis spinas ac tribulos evellere, debebis non sine labore tuo ac dolore cum aculeis illis luctari. . . .

Insta-

Instatur: Etiam ante peccatum fuerunt arbores fructiferæ, ac non tantùm herbæ, adeoque poterat homo comedere fructus, quomodo ergò hîc damnatur ad herbas? patet assumptum ex Scriptura, & die tertia Mundi, in qua dixit DEUS, *& factum est ita, & protulit terra herbam virentem, lignúmque pomiferum &c.* Ergò jam utrumque aderat homini ad vescendum, adeoque non potest jam damnari ad unum, si permittatur ei terra ad habitandum, ergò. Respond. assumi omnia vera, quia nimirum homo conditus est extra paradisum in communi terra, quo loco & statu vesceretur communibus fructibus & herbis, cùm autem translatus est in paradisum, sicut mutavit mensam, ita videtur mutâsse statum, & accepisse illa dona divina justitiæ originalis, immortalitatis &c. Tantum ergò differebant herbæ & fructus illi paradisi ab herbis terræ, quantum ipse homo à se in primo, & secundo statu, hoc est immortalis à mortali, rectus ab obliquo &c. atque ita magna pœna illata est homini, quando exclusus à prima mensa coactus est esse contentus secundâ, spoliatus delitiis paradisi abjectus est ad ea, quæ terra etiam maledicta proferret.

X. Pœna universalis est mors quadruplex.

Dico Sextò: *Pœna universalis & generalis est privatio Justitiæ originalis, plurium que donorum eam constituentium, vel concomitantium, quæ est nuditas moralis; erubescentia in nuditate corporali, & ipsa denique mors, eaque quadruplex.* Primum patet ex Tridentino Seff. 5. Secundum ex Genesi cap. 3. & Tertium docet S. Augustinus lib. 13. de Civit. DEI. cap. 12. inquiens: *Quando dixit DEUS primo illi homini, quem in paradiso constituerat, de cibo vetito: Quacunque die ederitis ex eo, morte moriemini: non tantùm primæ mortis partem priorem: ubi anima privatur DEO: nec tantùm posteriorem, ubi corpus privatur animâ: nec solùm ipsam totam primam, ubi anima & à DEO & à corpore separata punitur: sed quidquid mortis est usque ad novissimam, quæ secunda dicitur, & qua est nulla posterior, comminatio illa complexa est.*

DISPUTATIO TERTIA.

DE

Naturâ & Proprietatibus Peccati.

Vidit *DEUS cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona,* Gen. 1. ubi nulla excluditur entitas, nam *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*, id est, interprete S. Augustino, *Peccatum,* quod nihil est, & hominem ad nihil redigit. Porrò cùm Philosophus dicat, non Entis nec naturam esse, nec qualitates, videntur frustra Theologi fatigari in essentia & natura hujus nihili inquirenda, nam ut iterum S. Augustinus dicit: *Mali nulla est natura.* Veruntamen, quia ut idem S. Doctor subjungit: *Omissio boni, mali nomen accepit*, & naturam, vel hæc ipsa boni omissio examinanda erit,

Joan. 1.

Lib. 11. Civit. 9.

quæ indagatione est difficillima, ut patet ex tot Scholasticorum altercationibus. Ego inhærendo principiis Scholæ nostræ progrediar. Sit igitur:

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit peccatum tàm quoad esse materiale, quàm formale peccati?

I. Delictum, peccatum, malum variè accipiuntur.

PRo resolutione Quæstionis prænotandum: Nomina ista, *Malum*, *Peccatum*, *Culpam*, *Crimen*, *Scelus*, *Flagitium*, *Facinus*, *Delictum*, *Vitium* variè à variis accipi, & usurpari: Aliqui dicunt, malum esse defectum in quacunque re, Peccatum verò solùm in operatione, ac proindè malum esse quid superius ad peccatum, & hoc iterum esse superius ad culpam, quæ dicitur defectus moralis & imputabilis, quod quidem verum est, si in abstracto planè loquamur, sed si sit sermo de his, ut ad moralia spectant, æquè latè patent, nec est cur unum dicatur superius cœteris. Sed

II. Peccatum variè accipitur.

Notandum Secundò: Peccatum variè sumi, Primò pro defectu naturæ, ut monstra, quæ deviant à fine intento à natura. Secundò pro defectu artis, ut artefactum v. g. pictura non attingens perfectè exemplar. Tertiò, & propriè pro defectu in genere moris, seu, quod idem est, pro deviatione à rectâ ratione, & de peccato hoc modo sumpto hîc agitur: unde omitto alias diversas acceptationes, quæ per decursum occurrent, ut quod per Metonomyam accipiatur pro incentivo peccati, vel effectu peccati, prout appellatur concupiscentia ab Apostolo; Item, in simili metaphora appellatur *hostia pro peccato*, peccatum, ut 2. Corinth. 5. *Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum factus est.*

III. Crimen, Flagitium explicantur.

Crimen vocatur id, quod est accusatione, & condemnatione dignum, ac proindè significat peccatum grave, undè Criminatores dicuntur, qui peccata publicè propugnant, & impingunt aliis. *Flagitium*, *Facinus*, *Scelus* sonant enorme peccatum, sed quod sensu percipitur, dicitur Flagitium.

Delictum ex vi vocis, est quasi derelictum, & sæpè sumitur pro omissione, quod quasi contra præceptum affirmativum sit relictum. IV. Vitium quid sit.

Vitium significat habitum malum, undè Aristoteles 7. de Moribus cap. 8. Vitium comparat Hydropisi, quæ est sitis permanens. Et D. Augustinus lib. de perfect. Justitiæ cap. 4. dicit, vitium esse simile curvitati tibiæ, peccatum verò ipsi claudicationi. Sumitur etiam vitium pro carentia perfectionis alicujus competentis alicui naturæ, undè D. Augustinus lib. 4. de lib. arbitr. cap. 14. ait: *Quod perfectioni naturæ deesse perspexeris, id voca vitium.*

Notandum Tertiò: Peccatum à Patribus diversimodè describi, nam D. Ambrosius lib. de Paradiso cap. 8. sic ait: *Peccatum est transgressio divinæ legis, & inobedientia cœlestium mandatorum.* D. Anselmus lib. Cur DEUS homo: *Peccatum est DEO non reddere debitum.* D. Augustinus complures tradit elegantes descriptiones, ex quibus tantùm tres solummodò adduco, primam habet lib. 1. de diversis quæst. ad Simplicianum q. 2. sic: *Peccatum hominis est inordinatio atque perversitas, id est, à præstantiore Conditore aversio, & ad condita inferiora conversio.* Secunda est in lib. de duabus animabus cap. 11. *Peccatum est retinendi voluntas, & consequendi quod justitia vetat, & undè liberum est abstinere, quanquam si liberum non sit, non est voluntas, sed malui crassius, quàm scrupulosius definire eam rem. Nec hi libri obscuri mihi scrutandi erant, undè discerem neminem vituperatione supplicióve dignum, qui aut id velit, quod justitia velle*

V. Peccati descriptiones variæ.

velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non potest. Tertiam habet in lib. 22. contra Faustum cap. 27. *Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum aliquod contra æternam legem: lex verò æterna est ratio divina, vel voluntas DEI, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.* Et hanc tertiam omnes Theologi amplectuntur. Cum quibus resolvendam primam quæstionis partem

VI. Peccati propria definitio. Dico Primò: *Peccati materialiter sumpti definitio à D. Augustino data, quod sit dictum factum &c. est bona.* Hæc est communior inter viginti descriptiones, quas refert S. Bonavent. 2. d. 35. in Expositione textûs Magistri dub. 6. Probatur explicando eam: Nam per *Dictum, Factum, Concupitum*, insinuatur materiale peccati, scilicet ipse actus, vel omissio libera, ut enim peccatum omissionis contineatur, debet sub *dicto* etiam intelligi, *non dictum*: sub *facto*, *non factum*: sub *concupito*, *non concupitum*, ut benè monet S. Thomas 1. 2. q. 71. art. 6. Item *dictum factum* solùm sumptum est materiale remotum; *Concupitum* verò est materiale proximum, nam significat hic idem ac voluntarium, undè dictum, factum semper includere debent concupitum, ut sensus sit, quòd omne peccatum sit aut *dictum & concupitum*, aut *factum & concupitum*, aut *concupitum tantùm*. Dicitur *contra legem æternam*, per quod explicatur formale peccati, ut benè utrumque notat Doctor subtilis 2. d. 37. q. 1. n. 11. Quia peccatum est formaliter transgressio legis, ita ut generaliter verum sit illud ad Rom: 4. *Ubi non est lex, nec est prævaricatio.* unde etiam idem D. Augustinus lib. 2. de confess: Evangelist: cap: 4. Peccatum definit per *transgressionem legis.* Nomine autem legis æternæ intelligitur divina ratio & voluntas, quâ aliquid jubet, vel prohibet fieri, huic con-

VII. Veniale peccatum etiam est aliqualiter contra legem DEI. trariatur omne peccatum etiam veniale, quia etiam hoc est aliqualiter contra legem DEI; licèt non contra gravem & principalem, neque contra finem legis, qui est charitas, quam peccatum veniale compatitur, hinc gravissimi Authores dicunt, peccatum mortale esse per antonomasiam contra legem DEI. Omne etiam peccatum, quod adversatur legibus positivis humanis in conscientia obligantibus est pariter remotè, & radicaliter contra legem DEI, scilicet æternam, quæ jubet, ut obediamus præceptis superiorum etiam hominum, unde D. Augustinus voluit definire per legem æternam, quia agit de eo prout adversatur fini nostro, & creaturæ rationali, quæ ad DEUM tendere debet, nam lex æterna est communissima, cui omne omninò peccatum adversatur. Est tamen lex divina remotior regula, ut in tractatu de actibus humanis dictum est, quæ debet applicari per rectam rationem, & conscientiam, & applicatur eo ipso, quo ratio dictat aliquid esse malum, cùm ratio divina judicet, & divina voluntas jubeat omne illud esse fugiendum. Peccata verò, quæ omni lege divina seclusâ committerentur contra dictamen rationis naturalis dictantis ea esse mala, dicuntur à quibusdam *peccata philosophica*, per quod significant peccatum theologicum, scilicet prout est theologicæ considerationis, sumi debere per ordinem ad legem DEI, ut modò dictum est. His tanquam magis facilibus præmissis, Quoad secundam partem tituli progredior. Et

Controversia maxima est inter Authores, in quonam consistat formalis ratio peccati ut sic, in qua omissis pluribus reducibilibus opinionibus, tres Scholasticorum potiores invenio sententias. Prima docet rationem formalem peccati consistere in aliquo positivo; Ita Medina 1. 2. q. 71. a. 6. Vasquez ibidem, disp: 95. cap: 9. Cajetanus. q. 18. art: 2. Verùm Authores isti multùm diversificant inter se, nam aliqui dicunt, illud positivum esse relationem realem difformitatis ad legem: Alij relationem disconvenientiæ. Alij ut Vasquez esse relationem rationis extrinse-

trinsecam in actu ad naturam ipsam rationalem, eámque vocat relationem disconvenientiæ ad naturam: Cajetanus hac in parte ita obscurè loquitur, ut dubium sit, an senserit illud positivum esse aliquid distinctum ab ipso actu, necne?

Secunda sententia est eorum, qui dicunt consistere in positivo simul & privativo, pro qua falsò annumeratur S. Bonaventura. Tertia ponit rationem formalem in privatione, in hac classe est Scotus noster 2. dist. 37. q. 1. § *Istæ quæstiones*, quem sequuntur Scotistæ communiter, Lichetus, Tartaretus, Rada tom: 2. controv: 16. Faber in 4. dist. 14. q. 1. D. Bonaventura in 2. dist: 34. art: 2. q. 3. Alensis 2. p. q. 94. Antisidorensis lib: 2. summæ, tract: 7. cap: 1. Navarrus in Manuali, præludio 7. n. 14. & alii multi. Ast hi quoque Authores non conveniunt in assignando bono, cujus peccatum est privatio, nam aliqui dicunt esse privationem gratiæ: alii privationem virtutis acquisitæ, tam actualis, quàm habitualis; alii denique esse privationem rectitudinis debitæ inesse.

VIII. Manichæorum error de malo principio.

Pro resolutione hujus partis ad intelligendos SS. Patres, quos adducere intendo, Notandum olim inter Sanctos Ecclesiæ Doctores, & Manichæos hæreticos, fuisse controversiam, An darentur plura rerum principia, ut sæpè dictum est, Unum ex natura sua bonum, & causam omnis boni; alterum verò malum, & causam omnis mali, & hoc ideò, quia videbant Manichæi in mundo esse multa bona, & etiam multa mala, hinc illi sic argumentabantur: Malum debet habere aliquod primum principium, sed non DEUM bonum, ergo aliquid, quod est ex natura sua malũ, adeóq; erit unus Deus malus: & ita refert Justinus Martyr in refutatione responsionis non rectæ. Ad hoc ergo Manichæorũ argumentum SS. Patres respondebant, malum non esse aliquam naturam, sed meram privationem, adeóque non habere aliquod principium effectivum, sed defectivum, quod supponit Concilium Lateranense in *cap: Firmiter, de sum: Trinit: & Fide Cathol:* ubi postquam definivisset, DEUM esse principium universorum, excludit peccatum, dicendo, quòd dæmones & homines non sint à DEO, quâ peccatores & mali sunt. Hoc præmisso

IX. Peccatum pro formali consistit in pura privatione.

Dico Secundò: *Peccatum pro formali probabiliùs consistit in pura privatione rectitudinis debitæ inesse.* Ita D. Thomas 1. 2. q. 18. a. 1. Scotus suprà, & Authores ibidem citati, contra primam & secundam sententiam. Probatur conclusio 1. Tum ex Scriptura Sacra, quæ frequenter explicat peccatum per hoc, quòd sit infirmitas, imbecillitas, cæcitas, defectus, & hujusmodi, quæ negationem, vel privationem important: Tum ex Patribus & potissimum Augustino super illud Joann: 1. *Et sine ipso factum est nihil: Videte*, inquit, *ne sic cogitetis, quia nihil aliquid est, solent enim multi malè intelligentes, sine ipso factum est nihil, putare aliquid esse nihil, peccatum quidem non per ipsum factum est, & manifestum est, quia peccatum nihil est.* Et in Enchirid: cap: 11. *Quid est autem aliud, quod malum dicitur, nisi privatio boni.* idem habet lib: 2. contra epistol: fundam: cap: 35. & lib: 11. Civit: cap: 9. in fine ubi dicit: *Mali enim nulla natura est, sed amissio boni mali nomen accepit.* Et lib: 83. qq. q. 6. hanc facit rationem: *Si peccatum est aliquid, aut est corporeum, aut incorporeum: Corporeum autem sensibili, incorporeum insensibili specie continetur, ubi autem aliqua species est, necessariò est aliquis modus, & modus aliquid boni est, summum ergo malum nullum modum habet, carret enim omni bono.* hæc ille. Et lib: de natura boni adversus Manichæos cap: 38. sic habet. *Nam nec ignis ipse æternus, qui cruciaturus est impios, mala natura est, habens modum & speciem & ordinem suum, nulla iniquitate depravatum: sed cruciatus est damnatis malum, quorum peccatis est debitus. Neque enim & lux ista, quia lippos cruciat oculos, mala natura est.* supple sed bona, ita quoque discurro de natura mali moralis, si natura & entitas est positiva,

positiva, licèt disconveniens homini sit, in se tamen non est mala, quia DEUS author est ejus, qui nullius mali principium esse potest, adeoque videtur esse contradictio apud Augustinum, quod natura, seu quidditas mali moralis, id est, peccatum sit entitas positiva, & non sit à DEO.

Dices cum Vasquez: Hæc solùm probare, quòd peccatum habeat sibi annexam privationem alicujus boni, non autem quòd in se sit formaliter privatio, nam Patres ob quatuor rationes peccatum appellarunt privationem; Primò, Quia opponitur DEO, qui est Ens infinitum; quidquid autem opponitur DEO, potest quodammodo dici nihil. Secundò Quia impedit summum bonum animæ, scilicet Beatitudinem, & sic potest dici nihil, id est non proficuum. Tertiò: Quia, si est mortale, opponitur gratiæ. Quartò: Quia Patres loquuntur contra Manichæos dicentes esse quasdam supstantiales naturas essentialiter malas, & ideò per oppositum Patres dixerunt peccatum esse privationem, seu nihil, in quantum nihil supponit pro carentia naturæ substantialis. Sed Contra 1. Si Patres æstimàssent peccatum esse aliquid positivum, & non formaliter privationem, ergo impropriè loquuntur, cùm absolutè negant, ipsum esse naturam, esse actum, vel effectum, esse ens aut aliquid, sed potius dicunt esse privationem, defectum, omissionem, nihil, & similia. Contra 2. Falsum assumitur, Patres ob rationes allegatas negare peccatum esse quid positivum, Nam primæ tres sunt omninò frivolæ, quia Manichæi, contra quos argumentabantur Patres, non dubitabant peccatum esse contra DEUM, esse impeditivum beatitudinis, destructivum gratiæ, ergo non negârunt in hoc sensu sat accommodato peccatum esse nihil, unde argumentum Manichæorum fuit tale: Constat malum esse in mundo, quod est contrarium DEO bono, Beatitudini, gratiæ, ergo cùm sit res aliqua, debet habere principium distinctum à DEO bono: Ad hoc argumentum non negabant Patres antecedens Manichæorum, sed ejus suppositum, scilicet quòd peccatum sit res aliqua, asserebantque illud potius esse defectum, privationem, nihil &c: si enim SS. Patres admitterent peccatum esse ens positivum, Manichæi urgerent, & inferrint: *Ergo peccatum habet aliquam causam positivam malam*, & illa aliam, & sic semper, donec venirent ad primam causam, cùm autem DEUS bonus non possit esse causa mali, inferrent ulterius, *Ergo debet admitti præter DEUM bonum DEUS malus.*

Et per hoc excluditur etiam quarta ratio, seu evasio adversariorum, Malitia enim accidentis refundi debet ultimatè in substantiam, ergò rectè colligerent Manichæi, videntes in mundo accidens ex natura sua malum, dari etiam substantiam naturâ suâ malum, cujus argumenti vim perpendens D. August. lib. 12. Civit. cap. 7. dicit: *Nemo ergò quærat efficientem causam malæ voluntatis, non enim est efficiens, sed deficiens, quia nec illa effectio est, sed defectio, deficere namque ab eo, quod summè est, ad id quod minus, hoc est incipere habere malam voluntatem.* ex quo sic infertur consequentia, ergo si peccatum esset effectio, jam ejus daretur causa efficiens. Et subdit ibidem D. Augustinus: *Causas porrò illarum defectionum, cùm efficientes non sint, ut dixi, sed deficientes, velle invenire tale est, ac si quisquam vellet videre tenebras, aut audire silentium, quod tamen utrumque nobis notum est, neque id nisi per oculos, neque hoc nisi per aures cognoscimus, non sanè in specie, sed in speciei privatione:* Ubi S. Doctor ponit comparationem inter tenebras, silentium, & peccatum & dicit utrumque esse privationem, nec tamen causam efficientem habere, ac proinde solidè & fundamentaliter respondet Manichæis rejiciendo Deum malum ex serie Entium.

Probatur conclusio Secundò: Authoritate Scoti propter nostrum

P. Pon-

P. Pontium, qui ab hac opinione ponente in privatione formalitatem peccati declinat, hic in 2. dist: 37. q. 1. n. 3. dicit, *Quòd peccatum sit privatio boni, ostenditur per authoritates adductas, & per rationem talem: quia agens inferius tenetur in agendo conformare se agenti superiori, & si hoc sit in potestate ipsius, non conformari illi est peccatum.* Et paulò pòst: *Iste igitur actus, qui est in potestate discordantis, si esset concors, vel saltem non discors, non esset peccatum, ergo in illo actu præcisa ratio peccati, est privatio illius concordiæ.* & n. 6. *Concedo, quòd peccatum sit corruptio rectitudinis in actu secundo, voluntas enim, inquit, est debitrix, ut omnem actum suum eliciat conformem regulæ superiori secundùm divinum præceptum, & ideò quando agit discorditer ab illa regula caret justitia actuali debita, & hæc carentia in actu voluntatis deficientis est formaliter peccatum actuale:* ac tandem n. 7. *Cum istis*, inquit, *consonat ratio: quia esse peccatum est injustitia formaliter, & tale peccatum talis injustitia, & per consequens privatio talis justitiæ, ergo*, inquit, *peccatum actuale est privatio justitiæ actualis, quæ deberet esse in actu.*

Probatur Tertiò Ratione: Pòtest unus idémque actus in sua entitate physica invariatus de bono, aut etiam indeterminato fieri malus, sed malitia de novo tunc adveniens ipsi non est ulla entitas positiva, ergo: mai: constat in rustico, qui inculpabiliter ignorans diem festum laborat, & superveniente postmodum notitia festi inculcante obligationem legis de cessatione à labore continuando istum eundem laborem peccabit, ergo malitia ipsi de novo accedens per notitiam legis, non est ulla entitas positiva: similiter volitio, quâ vult Petrus Religiosus jejunare aliquo tempore sibi libero est bona, & virtuosa, sed eadem numero continuata post formale præceptum superioris in contrarium, est mala & vitiosa, ergò malitia ipsi de novo adveniens non est entitas positiva volitionis, cùm hæc de novo non producatur, sed antecedenter ad tale præceptum fuerit producta & in se bona. Nec valet dicere, istam primam actionem non esse in se malam, sed potius voluntariam ejus continuatinnem, quia præterquam quòd continuatio non sit actio distincta à prima rei productione, saltem nulla entitas positiva producitur in tali volitione continuata de novo, à qua diceretur mala, ergo non dicitur volitio Petri mala de novo ab ulla entitate positiva nova.

Dices pro P. Pontio nostro: Laborem, & volitionem talem ante notitiam legis & prohibitionis esse à parte rei realiter malam, non tamen formaliter quoad denominationem, aut imputationem, donec accedat notitia legis. Sed Contra: Nullus actus est verè, aut à parte rei peccaminosus, nisi sit contra aliquam legem divinam vel humanam obligantem in oppositum, sed nulla lex divina aut humana obligat ante sufficientem ejus promulgationem & notitiam, ergo nullus actus ante talem notitiam elicitus erit realiter malus, aut peccaminosus. Quæro ergo, an malitia formalis, quæ advenit isti operi post notitiam legis, sit aliqua entitas positiva nova vel non? Si primum, ergo ex notitia legis producitur aliqua entitas positiva nova in tali opere, quam ante non habuit, & à quà de novo dicitur malum opus, quod videtur peregrinum. Si secundum, ergo relinquitur, quòd non dicatur de novo malum ab ulla entitate positiva nova vel antiqua, quia tota ejus entitas fuit producta ante notitiam legis, & consequenter bona vel indecens, ergò ejus malitia consistit in privatione rectitudinis debitæ, seu conformitatis ad legem noviter agnitam, nisi dixeris ab ipsa cognitione legis, denominari formaliter actum malum, quod videtur falsum, quia forma, à qua denominatur actus malus & peccaminosus, debet esse in se mala & prohibita, sed cognitio legis non est quid tale. Nec valet dicere aliam esse tendentiam

dentiam actûs in objectum ante & post prohibitionem, aut cognitionem legis, quia planè videtur, quòd uniformiter voluntas continuet suum actum, & tendat in objectum ante & post cognitionem, ergò sine ullâ entitate positiva nova per solam privationem rectitudinis debitæ dicitur actus de novo malus, & peccaminosus.

Confirmantur hæc omnia: Peccatum commissionis & omissionis conveniunt univocè in ratione formali peccati ut sic, sed peccatum omissionis consistit in sola privatione, cùm nullus sit actus positivus, in quo constituatur, ergo & peccatum commissionis: probatur maj: Quæ conveniunt in iisdem passionibus & proprietatibus, conveniunt in essentia, sed peccatum commissionis & omissionis conveniunt in iisdem proprietatibus, ut in repugnantia ad virtutem, & rectitudinem secundùm legem debitam; in privatione gratiæ; in reatu pœnæ æternæ; in offensa DEI; in ratione maculæ & demeriti, in constituendo inimicum DEI & filium gehennæ. Denique malum ut sic transendens, & commune malo naturali & morali, consistit in privatione, ergo & malum morale: antec: patet. Nam malum in communi excludit omne bonum, sed omnis entitas positiva est aliquod bonum, cùm ens & bonum convertantur: probatur consequ: Nihil oppositorum potest contrahi per differentiam sui oppositi, nulla negatio per affirmationem, nulla privatio per quid positivum, ergo differentia contrahens malum ut sic ad malum morale non est quid positivum.

Probatur Quartò: Est declaratorium argumenti primi ex Patribus desumpti, Si peccatum esset quid positivum, sequeretur, DEUM esse causam peccati contra fidem ex Trident: sess. 6. can. 6. ubi anathematizatur dicens, DEUM non tantùm permissivè, sed & propriè operari peccata, ergo. Probatur sequela, DEUS est causa omnis entitatis positivæ creatæ, ut suprà benè arguebat Augustinus, & hoc verè & propriè, ergo & peccati, si hoc est ens positivum. Probatur antec. Quia omnis entitas creata, qua talis dicit essentialem dependentiam ad DEUM, ut ad causam primam, & independentem, sine quâ nulla causa secunda quidquam efficienter operari potest, ergo omnis entitas positiva verè & propriè est à DEO.

Dices: Ex Cano, sequelam primam negandam esse, & probationem ejus distinguendam, nempè DEUM esse causam physicam, & naturalem omnis entitatis positivæ, non tamen esse entitatis positivæ causam moralem, peccatum autem soli naturæ morali imputatur, utpotè quæ sola est subjecta regulæ superioris, operatúrque præcipiendo, suadendo, consulendo, quomodo DEUS non causat peccatum, cùm nec sit subjectus legi, nec præcipiat, aut consulat actum peccati. Sed Contra 1. Hæc solutio saltem admittit, DEUM esse causam physicam effectivam peccati, ac proindè eum propriè & per se operari in hoc genere mala opera contra Tridentin: citatum. Contra 2. Plus est in agente liberè physicè concurrendo operari malum, quàm solùm suadendo aut præcipiendo, ergo si DEUS physicè, & quidem ut causa magis principalis, causat rationem formalem peccati, verè censendus est esse causa peccati. Patet antec: Quia plus causat furtum, qui per se & physicè furatur, quàm qui solùm suasit, ut alter furetur, ergo. Contra 3. Ut DEUS verè sit causa moralis, non requiritur, quòd ipse sit causa moralis, sicut ut causet effectus naturales, non requiritur, ut ipse sit agens naturale, sed liberum, ex eo enim, quòd adjuvet causas naturales, dicitur causare earundem effectus naturales, ergo similiter si adjuvat causas morales physicè cum eis concurrendo ad omnem entitatem positivam, erit vera causa omnis entitatis positivæ ab eis causatæ, adeóque causa peccati, si hoc sit formaliter positivum.

Dices cum Medina, Peccatum quâ tale esse ens positivum deficiens, ac proindè qua tale non produci à DEO. Sed Contra 1. Vel ly *Deficiens* addit ad ly *Positivo* aliquid positivum, vel puram negationem, si Primum, ergo frustra multiplicat terminos, nec difficultatem tangit: si secundum, ergo perindè est, ac si diceret peccatum esse ens positivum negativum, quæ sunt extrema contradictionis. Addo, quòd defectus sit negatio & carentia alicujus rei, ergo quidquid est in actu peccaminoso, præter illum defectum est à DEO, ergo nihil relinquitur in illo actu, quod habeat rationem formalem peccati, præter illum defectum seu carentiam.

Probatur conclusio Quintò: Bonum & malum opponuntur privativè, sed bonum formaliter est aliquid positivum, ergò malum est privatio illius boni, ergò cùm peccatum sit formaliter malum, necesse est, quòd sit formaliter privatio alicujus boni.

Dices: Bonum & malum naturale opponi privativè non verò morale. Sed Contra: Bonum naturale & morale conveniunt in ratione comuni entis ut sic, ergo etiam in ratione boni ut sic, ergo sicut bonum ut sic opponitur privativè malo ut sic, ita bonum morale malo morali, ergo cùm bonum morale sit formaliter aliquid positivum, nimirum conformitas ad rectam rationem, similiter malum morale non erit formaliter aliud, quàm privatio hujus conformitatis.

Probatur conclusio Sextò: Illud, quo secluso non intelligitur ratio formalis peccati, & quo posito, ac secluso omni alio intelligitur sufficienter ratio peccati, est formalis ratio constitutiva peccati, sed seclusâ ab actu homicidii v. g. privatione rectitudinis debitæ, & posito quocunque alio, non intelligitur ratio peccati, ut patet, & secluso omni alio actu præter illam privationem, intelligitur sufficientissimè ratio peccati, nam hoc ipso quòd actus privetur debita rectitudine est peccaminosus.

Hæ rationes impugnant generaliter omnes Authores tenentes peccatum esse aliquid positivum, sive illud sit ab solutum sive relativũ, sive reale, vel rationis, in quo inter se discrepant, cùm enim DEUS sit propriè causa omnis entitatis positivæ creatæ sive absolutæ sive relativæ, realis, vel rationis, & ex alia parte non sit causa peccati, consequens est, peccatum non esse formaliter aliquid horum. Attamen septimò

Probatur Conclusio specialiter contra eos, qni dicunt, peccatum formaliter esse relationẽ realem, sive ad legem, sive ad objectum dissonum, Quia facere contra legem solummodò apprehensam ut dissonum, est verè peccatum, sed isto actu ad legem, vel ad objectum tantummodò apprehensum, non potest esse aliqua relatio realis, ergo ratio formalis peccati ut sic non potest consistere in relatione reali. maj: patet. Probatur min: Quia relatio realis petit terminum ad quem realem, utpotè à quo specificatur, sed lex vel objectum, quâ apprehensum, non est ens reale, ut patet, ergo. X. Peccatum non est relatio realis.

Probatur Octavò: Contra ponentes rationem peccati formaliter consistere in relatione rationis, fundata in operatione humana ad naturam rationalem; Tum, Quia illa relatio, si quæ est, non dependet ab operatione illius: Tum, Quia extrema illius sunt ambo realia, nimirum operatio, in qua fundatur, & natura rationalis, ad quam terminatur, ergo potius dicenda esset relatio realis, quàm rationis: Tum denique, Quia ideò dicitur peccatum inconveniens, vel dissonum naturæ, quia in se est malum privans naturam bono aliquo sibi convenienti, ergo ratio formalis malitiæ in peccato præsupponitur ad relationem dissonantiæ à natura. XI. Relatio rationis non est peccatum.

Probatur conclusio Nonò: Peccatum non constitui ex positivo, & negativo simul, ratio formalis peccati XII. Peccatum non positivum & privativum simul.

peccati ut sic convenit univocè p eccato commissionis & omissionis (prout nunc suppono) sed in peccato puræ omissionis non potest intelligi aliquid positivum, ergò ratio formalis peccati ut sic non dicit aliquid positivum, & sic saltem habetur, quod ratio formalis peccati, quà tale sufficienter salvetur absque aliquo positivo: Et ex alia parte ponendo peccatum commissionis esse formaliter aliquid positivum, difficilè salvatur, quomodo DEUS non sit verè causa peccati, ergò tutius est asserere peccatum quodcunque pro formali nihil dicere positivum. Sed in contra

Opponitur Authoritas D. Augustini supra definientis peccatum, esse dictum, factum, & concupitum contra legem æternam, sed ista important aliquid positivum, ergò. Respond. distin: min: pro materiali, concedo; pro formali, neg: min: formale enim in peccato est difformitas, seu carentia conformitatis ad legem, & rectam rationem.

Opponitur Secundò: Authoritas Aristotelis in Postprædicam. cap. de oppositis dicentis: *Bonum & malum opponi contrariè, sicut justitia, & injustitia*, ergò malū & injustitia sunt quid positivum, aliàs non contrariè, sed privativè vel contradictoriè sibi, opponerentur bono & justitiæ: Respond. neg: consequ: Quia Aristoteles tantùm vult bonum & malum, justitiam & injustitiam materialiter sumpta opponi contrariè, formaliter enim sumpta opponuntur privativè vel contradictoriè, quia secundùm eundem Philosophum contrarietas secum infert contradictionem, quia alterum contrariorum implicitè dicit privationem alterius.

Instatur: Ipse Doctor subtilis *Quodl.* 18. §. *de prim. dico*, videtur expressè admittere aliquam malitiam, qua talem opponi contrariè bonitati morali, nam ibi malitiam dividit in contrariam & privativam, & loquitur de malitia formaliter sumpta, ergò secundùm ipsum datur malitia etiam formaliter sumpta, quæ est opposita contrariè bonitati, adeoq; consistens in positivo. Respond. Scotum non velle, quod detur aliqua malitia, quæ in se sit aliquid positivum, aut contrariè oppositum bonitati morali, sed solùm esse malum contrariè in hoc sensu, quia scilicet habet circumstantiam positivam, quâ carere debuit, v. g. cùm das eleemosynam ob vanam gloriam: aliquando etiam est tantùm privativè malum, quia scilicet caret circumstantiâ positivâ, ut cùm das eleemosynam non ob bonum finem, nec etiam apponis malum finem, aut circumstantiam malam, solùm ergò vult Scotus fundamentum proximum malitiæ, quandoque aliquid esse positivum, quandoque verò defectum positivi, quod apponere debebas.

Arguitur Tertiò: Si peccatum esset formaliter privatio, non possent distingui variæ species peccatorum, consequens est absurdum, ergò: probatur sequela. Quia secundùm ipsum Scotum privationes speciе diversæ sumunt suam distinctionem â formis, quas privant, sed dantur multa peccata specie distincta, quæ tamen non opponuntur privativè nisi uni speciei virtuti, seu rectitudini, ergò in sententia Scoti, vel ista non distinguuntur specie, vel certè eorum ratio formalis non consistit in privatione rectitudinis debitæ. Min: probatur: Quia avaritia & prodigalitas opponuntur soli liberalitati, temeritas & timiditas soli fortitudini, & sic de aliis. Respond. neg: sequel: maj: ad probat. concef. maj: dist: min: Dantur multa peccata specie distincta, materialiter sumpta, quæ opponuntur eidem rectitudini, conc: formaliter sumpta, neg: min. Ad exemplum de prodigalitate & avaritia dico, quòd ista non distinguantur specie, nisi materialiter sumpta, avaritia enim pro materiali importat habitum vel actum quendam positivum ex nimio amore divitiarum refugientem non solùm à superfluis, sed etiam à necessariis sumptibus; prodigialitas verò importat

pro materiali, seu fundamentali actum vel habitum positivum ex nimio contemptu divitiarum inclinantem ad superfluos sumptus, liberalitas verò in medio se constituit, moderatisque illis passionibus inclinat in sumptus necessarios, & refugit à superfluis, ita ut tàm prodigalitas, quàm avaritia pro formali dicat solùm privationem liberalitatis, licèt diversimodè, una nimirum per defectum, ut avaritia, altera per excessum. Potest etiam Secundò Responderi, quòd etiam formaliter sumpta specie distinguantur, ob diversum scilicet modum privandi eadem rectitudine. Vel Respondeatur Tertiò: Liberalitatem non esse speciem atomam, sed continere sub se diversas virtutes, unam dandi quod oportet dare, in quo opponitur avaritiæ, alteram retinendi quod oportet, in quo opponitur prodigalitati, & similiter dicendum de aliis virtutibus habentibus medium.

Arguitur Quartò: Sequeretur peccatum commissionis, & omissionis circa idem objectum, & contra eandem virtutem non differre specie, consequens est falsum, ergò: probatur sequela, quia actus odii DEI (si sit possibilis) & omissio amoris DEI instante præcepto, opponuntur eidem virtuti charitatis, & eodem modo privant illa charitate, quia ambo per defectum, & sunt circa idem objectum, ut patet, ergò in nostra sententia nullo modo differunt. Respond. Primò, juxta communem solutionem neg: sequel: ad probat: neg: antec: Quia sicut virtus charitatis includit virtualiter diversa dictamina in genere moris, specie distincta, unum scilicet non odire positivè DEUM, alterum amare illum certis temporibus, ita actus commissionis oppositis primo dictamini, distinguitur specie à peccato omissionis opposito secundo dictamini. Responderi potest Secundò: Quòd commissio & omissio in tali casu sint ejusdem speciei, licèt commissio sit gravius peccatum quàm omissio, sicut gravius est negare positivè fidem, quàm illam non confiteri.

Instatur: Hinc sequeretur, sufficere in confessione exprimere, peccavi contra charitatem, vel contra fidem divinam, non exprimendo an committendo, vel omittendo peccaverim. Respond. neg: sequel: Quia commissio est longè gravius peccatum, & ideò exprimenda tanquam circumstantia vehementer aggravans.

Urgetur: Negatio fidei facit infidelem, non confessio autem fidei non facit infidelem, ergò differunt specie. Respond. trans: antec: neg: consequ: Quia etiam peccatum mortale & veniale circa eandem materiam, puta grave & leve mendacium sunt ejusdem speciei, & tamen veniale non facit hominem simpliciter inimicum DEI, nec expellit charitatem, mortale autem utrumque facit: Similiter certum est contra fidem peccari quandoque venialiter tantùm, ut ex indeliberatione, & tamen hoc peccatum, licèt non faciat infidelem, est ejusdem speciei cum infidelitate, quæ simpliciter destruit fidem.

Arguitur Quintò: Peccatum commissionis opponitur præcepto negativo; ergò saltem peccatum commissionis non est formaliter privatio: patet consequentia, quia una privatio non opponitur alteri. Respond. distin: antec: per se & formaliter, nego, materialiter, transeat: Quia peccatum directè & per se non opponitur præcepto formaliter, sed rectitudini debitæ inesse actui, supposito præcepto, possunt enim plures actus virtutum unico præcepto præcipi.

Instatur: Peccatum commissionis essentialiter includit conversionem ad creaturam, sed hæc conversio est aliquid positivum, ergò. Respond. conc: maj: in peccatis commissionis, non tamen ita, ut conversio ad creaturam sit formale, seu ratio formalis in illo actu, sed tantùm materiale peccati, formale peccati enim consistit in aversione à DEO contra rectam rationem.

Urge-

Urgetur : Conversioni correspondet propria pœna, scilicet sensûs, sicut aversio pœna damni, ergò conversio ad creaturam habet propriam malitiam distinctam à malitia aversionis. Respond. neg: consequ: Quia ut conversio ad creaturam puniatur, satis est, quòd inficiatur malitiâ aversionis, sicut ut actus externus puniatur, vel prœmietur, sufficit quòd participet libertatem actûs interni.

Arguitur Sextò : Error in intellectu est aliquid positivum, ergò & peccatum in voluntate. Consequ. patet à pari. Probatur antec: Quia in hoc differt error ab ignorantia, quòd hæc sit mera carentia scientiæ, error verò formaliter quid positivum, ergò. Respond. neg: antec: ad probat: neg: antec: Sed in hoc, quòd error pro materiali dicat aliquid positivum, cui annexa est carentia scientiæ, ignorantia verò sit tantùm pura privatio scientiæ, non dicens pro materiali aliquid positivum.

Arguitur Septimò : Rectitudo opposita peccato furti est pura omissio furti, sed pura omissio est negatio, ergò peccatum illi oppositum est quid positivum : patet hæc consequ: quia negationis non datur negatio. Respond. neg: consequ: ad probat. dico, non esse absurdum admittere negationem negationis non solùm in moralibus, sed etiam in physicis, nam revera materiæ primæ informatæ forma ignis inest privatio, vel negatio privationis ejusdem formæ, illa ergo rectitudo opposita peccato furti pro materiali dicit omissionem furti, pro formali verò conformitatem ad legem, & ad regulas rectæ rationis, cujus conformitatis privatio constituit formaliter peccatum furti.

Instatur : In furto illud est malum, & peccatum formaliter, quod prohibetur per præceptum *Non furaberis*, sed actus positivus furti prohibetur, ergò ille actus est formaliter peccatum. Respond. distin: maj: Quod prohibetur tanquam materiale tantùm, & inductivum peccati, nego, quod prohibetur formaliter & ultimatè, conc: maj: In proposito autem actus furti prohibetur tanquam materiale peccati tantùm, ipsa verò malitia formalis prohibetur formaliter, cùm enim finis & motivum præcepti sit rectitudo virtutis, ideò non tantùm præcipit media ad illam, sed etiam prohibet retrahentia ab illa, undè actus furti licèt non opponatur formaliter virtuti, habet tamen repugnantiam physicam cum materia virtutis, materia enim virtutis, v. g. Temperantiæ est cibus moderatus, intemperantiæ verò cibus excessivus, & ideò prohibetur non ratione sui præcisè, sed ratione privationis, quam inducit.

Arguitur Octavò : Dantur multi actus intrinsecè mali, ut adulterium, odium, DEI, &c. Sed privatio non est intrinseca alicui actui positivo, ergò malitia istorum actuum non consistit in privatione. Respond. Istos & similes actus dici intrinsecè malos in genere moris, non quòd simpliciter, essentialiter, & seclusa omni lege sint tales, sed quia seclusa quacunque lege positiva, manente sola lege naturali, nascitur in illis malitia, seu privatio rectitudinis debitæ secundùm legem naturalem, in quo differunt ab aliis actibus, qui ex sola lege positiva habent suam malitiam, ut comedere carnes diebus prohibitis &c.

Instatur : In actu Odii DEI, infidelitatis, nulla debet esse, nec potest esse rectitudo, nec intelligi potest, qualis inesse his actibus possit; ergò privatio rectitudinis non est formale peccati in illis. Hæc instantia revera est difficilis, sed non premit nos Scotistas tantùm, sed omnes Theologos docentes in peccato quocunque reperiri saltem secundariò privationem rectitudinis debitæ inesse, adeòque etiam in odio DEI, quare ut solutio clarior evadat, sic.

QUÆSTIO SECUNDA.

In quo subjectetur immediatè privatio rectitudinis debitæ inesse, & an illa sit Aversio à DEO, vel Conversio ad creaturam?

I. Peccatum est privatio rectitudinis debitæ inesse.

PRæmittendum hîc foret examen debitum, cujus boni sit privatio, nam Authores pro tertia sententia citati, in hoc multùm diversificant, cùm aliqui putent esse privationem habituum naturalium, alii supernaturalium, alii vulnerationem in natura, ego interim suppono, *esse privationem rectitudinis debitæ inesse*, quod ex sequentibus quæstionibus clariùs patebit, nam in quæstione sequenti dicam, non esse privationem naturalis alicujus boni, seu non esse vulnerationem in natura, quod idem est, quod autem non sit physica privatio habituum supernaturalium. Dixi in tractatu de Justificatione: nunc ergò ad solvendam ultimam instantiam multùm laborant, in quonam immediatè subjectetur illa privatio rectitudinis debitæ inesse, in qua Scotistæ communiter constituunt rationem formalem peccati, vel quæ secundùm alios sequitur necessariò rationem formalem peccati, in qua materia Guilielmus Occam, pluresq; gravissimi Authores, & ex Recentioribus noster Cavellus, Medina &c. docent, privationem illam immediatè subjectari in ipsamet voluntate, vel in quavis alia potentia, quæ actum peccaminosum elicit, & quidem dictus Cavellus in suis M S. addit, in peccatis commissionis illam privationem subjectari in voluntate, cum dependentia ab actu positivo, quo voluntas redditur inhabilis ad rectitudinem habendam. Alii ut Rada tom. 2. Controv. 16. Herera tom. 2. Disp. 29. q. 2. & alii quamplures dicunt, privationem illam immediatè subjectari in ipso positivo peccati, cum quibus

II. Privatio rectitudinis subjectatur in actu.

Dico Primò: *Privatio rectitudinis debitæ inesse in peccatis commissionis immediatè subjectatur in ipso actu substrato.* Ita expressè Scotus 2. dist. 37. q. 1. n. 6. ubi dicit: *Concedo igitur, quòd peccatum est corruptio rectitudinis in actu secundo.* Et infrà: *Hoc enim modo peccatum est formaliter privatio rectitudinis in actu secundo, quæ opponitur illi rectitudini, ut privatio habitui, non quidem rectitudini, quæ inest, quia tunc duo opposita simùl inessent, nec quæ prius infuit illi actui, quia actus non manet, ut possit alterari de opposito in oppositum, sed quæ deberet inesse.* Et infrà: *Hæc est justitia, quæ deberet inesse actui, & non inest.* Ex quibus sic Probatur Conclusio Primò: Privatio rectitudinis & ipsa rectitudo opponuntur privativè, ergò in eodem subjecto proximo, & immediato, debet esse privatio, in quo est rectitudo privata: Consequ: patet discurrendo per omnia, nam in eadem materia prima inest privatio formæ substantialis non minus, quàm visûs, & sic de aliis: tunc sic, sed rectitudo formalis proximè & immediatè subjectatur in actu secundo, ergò in eodem subjectari debet privatio ei opposita. Antec: probatur: Quia rectitudo est relatio conformitatis ipsius actûs ad rectam rationem, denominatque formaliter actum rectum, ergò in ipso actu formaliter est rectitudo, & per consequens eidem nata est inesse privatio opposita.

Probatur Secundò: Actus odii DEI, v. g. in genere moris est formaliter malus, ergò illi inest malitia moralis: tunc sic, Illa malitia secundùm Scotistas est formaliter privatio alicujus bonitatis, vel saltem importat secundariò talem privationem, ut volunt alii: Jam quæro, an dicat privationem bonitatis impossibilis sibi inesse? an verò possibilis, & sibi debitæ inesse? si secundum habetur intentum, scilicet quod actui odii DEI debeatur aliqua rectitudo, & consequenter quòd sibi insit privatio illius rectitudinis: Si primum dicatur, tunc ego sic arguo: Implicat aliquid dici moraliter malum, aut privatum propter carentiam

tiam formæ sibi impossibilis inesse, sicut implicat meam voluntatem dici moraliter malam, eò quòd careat actu amoris infiniti, quem non potest elicere, ergo si actui odii, vel infidelitatis non potest inesse rectitudo, multò minus potest dici moraliter malus, & consequenter voluntas talem actum eliciens non erit moraliter mala, cùm hæc non dicatur mala, nisi vel quia elicit actum malum, vel quia non elicit actum bonum.

III. Odium DEI debet habere in actu suam rectitudinem.

Superest modò explicare, quomodo ergo ejusmodi actibus possit inesse rectitudo? Rada noster sic explicat: Quia, inquit, odio DEI debetur rectitudo, non quidem secundùm quod est odium DEI cum suis conditionibus particularibus, sed prout consideratur secundùm rationem communem, in quantum scilicet est actus humanus & moralis nolitionis de objecto, quod recta ratio præcipit diligi, vel non odiri, actus enim nolitionis ex genere suo debet esse circa malum, & non circa bonum, sicut volitionis circa bonum, nunc ergo actus odii DEI secundùm suam rationem genericam debet habere rectitudinem, quam cùm non habet, eà privari dicitur: & adducit P. Rada exemplum de talpa, quæ considerata secundùm rationem genericam animalis non dicitur cœca, quia secundùm quod animal est, deberet habere visum, considerata verò secundùm rationem propriam & specificam dicitur cœca, quia qua talis est, non competit illi visus.

Hic modus explicandi non videtur sufficiens, quia actus odii DEI, non solùm secundùm rationem genericam consideratus est malus, sed etiam secundùm rationem specificam & numericam, ergo non solùm genericè, sed etiam numericè est malus, exemplum de talpa posset in oppositum duci, quia revera implicat, quòd secundùm rationem genericam sit capax visûs, & secundùm specificam incapax, sicut implicat, quòd homo secundùm rationem genericam sit sensibilis, & secundùm specificam insensibilis: Talpæ ergo etiam secundùm rationem specificam non repugnat simpliciter videre, sed secundùm quid, scilicet quia non habet organum visûs sufficienter dispositum ad operationes potentiæ visivæ eliciendas; & secundùm hoc non est perfectum animal, nec tamen proindè dicitur propriè cœca, magis quàm catulus ante nonum diem, quia sicut catulus ante illum diem secundùm communem cursum causarum non habet organum visûs ita perfectè dispositum, ita ante illud tempus non debetur sibi visus, sic similiter talpa toto tempore vitæ secundùm cursum communem causarum non habet organum visûs benè dispositum, & proindè non debetur illi visus, & sic secundùm communem modum loquendi non debet dici cœca.

IV. Ratio recta dictat, bonum non esse odiendum.

Quare ut iste modus explicandi melius intelligatur, Notandum, quòd voluntas habeat quasi duo genera actuum ***Nolitionem*** scilicet, & ***Volitionem*** nunc non disputo, an voluntas possit velle malum, quâ malum, & nolle bonum quâ tale, de qua & supra egi, & infra quædam repetam, hoc pro hic sufficit mihi, quòd recta ratio præscribat generaliter hanc regulam voluntati, videlicet, quòd nunquam eliciat ullum actum genericum, vel specificum, vel numericum nolitionis seu odii circa bonum quâ tale, nec amoris circa malum, unde habetur, quòd actus odii non solùm secundùm rationem genericam, sed etiam specificam & numericam debeat secundùm rectam rationem non esse circa bonum quâ bonum, & multò minus circa summum bonum, ex quo sequitur, quòd actui odii DEI etiam secundùm rationem numericam debeatur sua rectitudo, quæ in hoc consistit, quòd talis actus circa tale objectum non sit elicitus, quam rectitudinem & potest & debet habere, non quidem in ipso actu manente in rerum natura, sed in quantum voluntas, à qua efficienter dependet bonitas

bonitas & malitia actuum, potest & habet illum actum circa tale objectum non elicere. In actu ergo odii DEI duo sunt, & quod sit, & quòd sit contra rectam rationem, primum est materiale, secundum formale, ita quod primum secluso secundo nullo modo esset malum in genere moris, si enim per possibile & impossibile nulla esset lex naturalis, aut positiva de non odiendo DEUM, odium DEI non esset formaliter malum in genere moris. Rectitudo ergò debita illi actui est, quod recta ratione prohibente non sit circa tale objectum, vel quod recta ratione dictante sit circa objectum sibi proportionatum, scilicet circa malum, per hæc patet ad ultimam instantiam præcedentis quæstionis, negandum enim est simpliciter antecedens.

V. Aversio à DEo duplex est.

Pro majori intelligentia sequentis conclusionis Notandum, in quolibet peccato reperiri duo, scilicet *Aversionem* à DEO, qui est Bonum incommutabile, & ut D. Augustinus lib. 2. de lib. arbitr. cap. 19. loquitur, & *Conversionem* ad creaturam, quod etiam in scriptura clarè continetur, nam Jeremiæ cap. 2. dicitur. *Duo enim mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Ubi primò allegatur derelictio DEI, & post conversio ad creaturam, per to *foderunt sibi* &c. prima, seu *Aversio* est duplex, *Formalis* & *virtualis*; *Formalis* est, quâ primò, & immediatè à DEO avertitur, sive positivè eum odiendo, sive negativè, Eum non diligendo, quando voluntas eum diligere tenetur, & hæc aversio in solis istis duobus peccatis reperitur. *Virtualis aversio* est, quâ primò quis avertitur ab aliquo necessario ad consecutionem ultimi finis, si sit peccatum mortale, à quo se avertendo virtualiter avertitur ab ipso fine, DEO scilicet, sicut infirmus dicitur averti virtualiter à sanitate, quando formaliter avertitur à potione amarâ, sine quâ non potest haberi sanitas, & hæc aversio reperitur in omnibus aliis peccatis mortalibus, quoties enim quis propter delectabile aliquod bonum avertit se ab observantia præceptorum DEI, virtualiter avertitur à DEO Itaque

VI. Privatio rectitudinis consistit in aversione à DEO.

Dicò Secundò: *Peccatum seu privatio rectitudinis, in qua consistit ratio formalis peccati, consistit in aversione vel formali, vel virtuali à DEO, non autem in conversione ad creaturam.* Ita Scotus 2. d. 37. q. 1. n. 8. & communis contra Cajetanum 1. 2. q. 18. a. 5. Probatur Primò: Authoritate D. Augustini lib. contra Secundinum Manichæum cap. 15. ubi dicit: *Solus defectus voluntatis est culpabilis, quo anima rationalis ad ea, quæ infra illam sunt condita, Conditore suo deserto, declinat affectum: hoc est enim, quod peccatum vocatur: Cæteri autem defectus, qui non sunt voluntarii, vel pœnales sunt, ut peccata puniantur moderatrice summa, atque ordinatrice justitia: vel mensuris rerum infimarum interveniunt, ut præcedentia succedentibus cedant, atque ita omnis temporalis pulchritudo vicibus suis atque genere suo agatur.* Et cap. 16 *Peccat anima, & peccando fit mala, si consensionem dilectionis, quam superiori DEO debet, inferiori corpori adjungat.* Et lib. 1. de lib arbitr. cap. 26. *Quocirca licet nunc animavertere & considerare, utrum sit aliud malè facere, quàm neglectis rebus æternis, quibus per seipsam mens fruitur, & per se ipsam percipit, & quas amans amittere non potest, temporalia & quæ per corpus hominis partem vilissimam sentiuntur, & nunquam certa esse possunt, quasi magna & miranda sectari.* Ubi expressè præponit semper aversionem â DEO, rebusque divinis in iisdem asserens consistere peccatum, ergo.

Probatur Secundò: Nullus actus dicitur virtuosus, aut moraliter bonus, nisi per conversionem ad finem virtutis ultimum, vel ad aliquod bonum ordinatum ad illius finis consecutionem, ergo per oppositum nullus actus dicitur moraliter malus nisi per aversionem ab illo fine,

Digitized by Google

fine, vel ab aliquo per se ordinato ad illum finem. Probatur Tertiò: Conversio ad creaturam ex genere suo non est mala, cùm omnis creatura sit bona, ergo aversio illa in tantum est mala, in quantum est incompatibilis cum conversione ad finem ultimum, vel ad bonum aliquod ordinatum ad finem v. g. furari in tantum est malum, in quantum est incompatibile cum observantia præcepti naturalis & divini de non furando, ex his patet, quod conversio ad creaturam non sit nisi materiale in peccato, cujus formale est aversio à DEO. Sed in contra

Arguitur Primò: Si aversio esset ratio formalis peccati, peccata non distinguerentur specie, sed &c. ergo. Probatur sequel. maj. Quia sicut finis, à quo contingit aversio, est ejusdem rationis, ita aversiones ab eodem sunt ejusdem rationis, ergo. Respond. negando sequel. ad probat: Dico, quod licet conversio formalis ad DEUM, sicut aversio ei opposita sit ejusdem rationis, conversio tamen virtualis, & aversio ei opposita non est ejusdem rationis in omnibus actibus humanis, sicut enim diversarum virtutum diversæ sunt materiæ, ita aversiones ab illis, & à motivis, ac dictaminibus sunt diversæ rationis.

Arguitur Secundò: Illud est peccatum in actu, quod est magis voluntarium, sed conversio ad creaturam magis est voluntaria, quàm aversio à DEO, ergo in conversione ad creaturam magis consistit ratio formalis peccati. Respond. neg. maj. Sed sufficit, quòd sit voluntarium sive magis sive minus; sive formaliter, sive virtualiter, aut interpretativè, licet enim voluntas convertendo se ad bonum delectabile non intendat directè & formaliter aversionem à DEO, interpretativè tamen & virtualiter censetur velle illam aversionem, quando vult illud, cui annexa est moraliter talis aversio.

QUÆSTIO TERTIA.

An, & quomodo peccatum sit contra Naturam rationalem?

Quæstio hæc procedit tam de substantiali naturæ corruptione, consummando videlicet aliquam partem ad eum ferè modum, quo ærugo corrumpit ferrum, & tinea atterit pannum, quàm etiam quasi accidentali nempe de congenita naturæ inclinatione secundùm appetitum rationalem; an videlicet contra hunc ita sit, ut prives eum suo proprio fine, & incipiendo ab hoc ultimo.

Notandum Primò: In homine esse duplicem appetitum *sensitivum* scilicet, & *rationalem*, qui est ipsa voluntas. In qua iterum duplex est appetitus, nempè *Innatus*, & *Elicitus*. *Innatus* est ipsa inclinatio naturæ, seu propensio ad suam perfectionem ipsi realiter identificata, nobisque cum rebus animatis & inanimatis communis, sic enim bos naturaliter appetit pabulum: grave deorsum: leve sursum: materia formam. *Appetitus elicitus* est actus productus ab aliqua potentia vitali tendente in suum objectum; & est communis omnibus potentijs vitalibus. Et hic iterum duplex est *Naturalis*, & *Liber*. Ille est, qui producitur à potentia agente cum determinatione ad unum, cujusmodi sunt actus intellectûs, & potentiarum sensitivarum. *Liber* est actus elicitus à potentia intrinsecè libera, de quibus satis in superiori tractatu. Veruntamen I. Appetitûs variæ divisiones.

Notandum Secundò: Ex suprà sæpè dictis in voluntate esse duplicem Affectum, *Justitiæ* nempe, & *Commodi*: *Affectus justitiæ* est, secundùm quam voluntas tendit in bonum honestum, quâ in se bonum. *Affectus commodi* est, quâ voluntas tendit in bonum utile, & delectabile, sed etiam quod est sibi commodum, & sic in voluntate est duplex inclinatio, una, quâ sequi- II. Affectio duplex in voluntate; justitiæ & commodi.

tur commodum, altera, quâ prosequitûr honestum. Insuper voluntas potest considerari secundùm se sola, & secundùm propriam inclinationem, vel secundùm quod conjuncta est appetitui sensitivo, cui nata est condelectari. Nunc ulterius

III. Peccatum formaliter sumptum est contra voluntatis inclinationem.

Suppono tanquàm certum, Peccatum formaliter sumptum, seu malitiam, quæ inest actui, esse contra inclinationem voluntatis, adeóque naturæ rationalis, quomodocunque consideretur: Ratio est, Tum, quia malitia non est aliqua perfectio in natura: Tum, quia ut commune fert axioma: *Nemo intendens in malum operatur*, imò nemo est, qui non vellet malitiam esse separatam ab omni suo actu, difficultas ergo est de peccato materiali, seu pro substrato, cui annexa est malitia moralis, qua in re si voluntas consideretur, ut est potentia libera tam quoad specificationem, quàm quoad exercitium, & secludendo affectionem justitiæ, non est contra ejus inclinationem, elicere actum vitiosum, quia voluntati sic consideratæ quælibet determinatio ex usu libertatis proveniens, est exercitium suæ libertatis, & per consequens non est illi violenta. his præmissis

VI. Peccatum materialiter sumptum non contra voluntatis propensionem.

Dico Primò: *Peccatum materialiter sumptum non est contra inclinationem vel elicitam, vel innatam voluntatis, ut conjunctæ appetitui sensitivo, & secundùm affectum commodi, secluso affectu justitiæ.* Est communis, & colligitur ex illo ad Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*, ubi per legem membrorum Apostolus intelligit concupiscentiam apetitûs sensitivi, cui natus est condelectari appetitus rationalis, nisi reguletur per affectionem justitiæ, & hoc est, quod dicitur Gen. 8. *Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Hoc etiam confirmat quotidiana experientia, qua videmus voluntatem relicto dictamine justitæ consentire appetitui in prosequendo delectabili, & in tristabili fugiendo. Sed in contra

Arguitur: Sodomia, bestialitas, & quædam alia crimina dicuntur specialiter peccata contra naturam, non solum quia sunt contra naturam rationalem, quod est commune omnibus peccatis, sed etiam contra animalem, id est, appetitum sensitivum, ergò ejusmodi peccata etiam materialiter sumpta sunt contra naturalem inclinationem voluntatis etiam ut conjunctæ appetitui. Respond. neg. consequ. Quia ista dicuntur specialiter contra naturam etiam animalem & sensitivam, non quòd sint contra inclinationem appetitûs, utpotè qui propendet in quodcunque delectabile secundùm sensum, sed quia sunt contra finem & ordinem à natura & ab Authore naturæ intentum scilicet contra generationem.

Arguitur Secundò: Si voluntas ut conjuncta appetitui inclinatur ad malum, cùm ista inclinatio sit à DEO, DEUS erit author mali. Respond. neg. sequel. Quia inclinatio hujusmodi secundùm se spectata non est mala in genere moris, neque ad malum tendit, benè tamen in quantum subest libero consensui voluntatis deficientis à regula rectæ rationis, & hoc modo ista inclinatio non est à DEO.

Instatur: Ipse appetitus sensitivus abhorret malum sui suppositi, adeoq; peccatum, ergo voluntas etiam conjuncta appetitui abhorret idem. Respond. Quòd sensus & appetitus sensitivus abhorreat malum sui suppositi per sensum repræsentati, cujusmodi non est malum culpæ, sed pœnæ, quam etiam abhorret voluntas.

Dico Secundò: *Peccatum est contra naturalem inclinationem voluntatis consideratæ secundùm affectum justitiæ, adeoq; contra naturam hominis.* Est communis & Scoti in 2. d. 7. q. un. n. 26. ubi dicit: *Quod voluntas etiam habeat inclinationem quandam naturalem quasi passivam ad bonitatem in actu.* Et paulò pòst. *Potest dici, quod peccatum est contra naturam, hoc est, contra illum actum* V.

V. Peccatum est contra affectionem justitiæ.

actum, qui natus est elici concorditer inclinationi naturali. Probatur Primò: Ex D. Augustino 22. Civit. c. 1. *Omne*, inquit, *vitium naturæ nocet, ac per hoc contra naturam est.* Et lib. 3. de lib. arbitr. cap. 3. ait. *Omne vitium, eo ipso quo vitium est, contra naturam est.* Et colligitur quoque ex Scriptura, quæ peccatum passim vocat mortem, morsum, venenum, corruptionem, stultitiam, infirmitatem, pœnam &c. repugnare legi mentis &c. Quæ omnia intelligenda sunt secundùm affectionem justitiæ, ergo. Probatur Secundò: Naturalis inclinatio naturæ abhorret nociva naturæ, sed naturæ rationali secundùm affectionem justitiæ consideratæ nocet peccatum, in quantum eam privat suo ultimo fine, medijsque ad eum perducentibus, ergo naturalis inclinatio naturæ abhorret peccatum.

Probatur Tertiò: Quælibet natura habet naturalem inclinationem ad sui perfectionem recipiendam, ergo rationalis ad suas perfectiones scilicet virtutes, earumque actus, ergo per oppositum abhorret actus vitiosos illis oppositos quâ tales. Sed in contra

Arguitur Primò.: Quod est contra naturam, reperitur in paucis, atqui peccatum reperitur in multis, ergo peccatum non est contra naturam. Respond. distin. maj. Quod est contra naturam, reperitur in paucis, si illud, quod contra naturam dicitur, non dependeat à libertate, conc. si dependeat, nego. In casu autem nostro peccata dependent à libertate nostra. Deinde, etsi peccatum sit contra naturam rationalem hominis secundùm affectionem, vel affectum justitiæ, non est tamen contra naturam animalem, aut etiam rationalem secundùm affectum commodi, secundùm quem sæpè sistit indelectabilius, antequam perveniat ad rationem honesti.

Instatur: Ergo in voluntate sunt oppositæ inclinationes, una, per quam inclinatur ad sensibilia, altera, per quam ab ijsdem retrahitur, & inclinatur ad bonum honestum, quod videtur implicare, cùm oppositæ inclinationes arguant oppositas potentias. Respond. conced. illatum, ex quo tamen nulla implicantia inferri potest, quia licèt sint illæ inclinationes oppositæ in voluntate, sunt tamen subordinatæ, inclinatio enim ad sensibilia subordinatur inclinationi ad bonum honestum secundùm regulas morum, bona enim delectabilia appetuntur à natura rationali appetitu innato; in ordine ad bonum honestum autem fertur appetitu elicito, ex quo non sequitur esse in voluntate potentias, sed quòd ipsa sit potentia universalis nata ferri in varia potentiarum sensitivarum objecta, quo modo etiam intellectus est potentia universalis.

Urgetur: Oppositi modi operandi scilicet naturaliter & liberè arguunt diversas potentias, ut patet de intellectu & voluntate, sed in ipsa voluntate sunt etiam isti oppositi modi operandi, ergo etiam diversæ potentiæ. Probatur min. Voluntas secundùm inclinationem agit cum determinatione ad unum, adeoque naturaliter tendit in bonum, ita ut secundùm hanc inclinationem non possit non ferri in bonum, & ex alia parte secundùm omnes agit cum indifferentia ad oppositos actus secundùm appetitum elicitum, ergo habet oppositos modos operandi. Respond. neg. min. ad probat: dico, quod illa inclinatio naturalis voluntatis ad bonum non est activa, sed merè passiva, seu non est ad actum secundum naturaliter eliciendum, sed ad recipiendum, & ideò non arguit in voluntate diversam potentiam activam à potentia libera.

Arguitur Secundò: Quæ sunt contra naturam, non possunt assuefieri ex 2. Ethic: Sicut lapis nunquam assuefit ad moveri sursum, sed aliqui assuefiunt ad vitia, ergo non sunt contra naturam. Respond.

majo. esse veram in illis solùm, quorum principia naturaliter activa sunt, & cum determinatione ad unum operantur, secus est in liberis.

VI. Peccatum non corrumpit naturam. Dico Tertiò: *Peccatum nullo modo corrumpit naturam rationalem intrinsecè, sive secundùm substantiam, sive secundùm naturalem ejus inclinationem ad bonum.* Ita Doctor subtilis in 2. d. 35. & 37. q. 1. n. 3. Oppositum attribuitur Alensi 2. p. q. 95. Gregorio, Ariminensi, Richardo, D. Bonaventuræ 2. d. 33. & 35. quos tamen moderni explicant, & dicunt illos Authores non voluisse nec intendisse dicere, quasi per peccatum minuatur aliqua pars intrinseca ipsius naturæ, vel ejus nativa inclinatio ad virtutem, sed tantùm quòd inclinatio naturalis non ita facilè feratur in virtutem, quando prædominantur ei vitia. Probatur conclusio Primò: Natura rationalis non potest totaliter absumi per peccatum, quamvis quantumcunque multiplicetur, sed consumeretur aliquando, si peccatum corrumperet aliquid de ejus substantia, ergo. Probatur min. Quia bonum finitum per continuam ablationem boni, vel alicujus partis ab eo potest tandem totaliter consumi, sed rationalis natura est finita, ergo. Probatur Secundò. Natura rationalis est à solo DEO creabilis & annihilabilis, ergo peccans per proprium actum non potest aliquid de natura sua destruere, aliàs creatura annihilaret. Tum denique, Quia secundùm D. Dionysium in Angelis, qui peccârunt, manserunt omnia naturalia integra, ergo peccatum non destruit aliquid de substantia. Dixi autem in conclusione *Naturam rationalem*, quia sæpè habitus vitiosi corrumpunt & minuunt naturam animalem, seu corporalem, ut patet in ebriosis, luxuriosis.

Opponitur Primò: Authoritas S. Scripturæ, & Patrum docentium, peccatum esse mortem animæ, venenum, vulnus, attenuare vires &c. ut Lucæ 10. *Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, & incidit in latrones, qui despoliaverunt eum: & plagis impositis abierunt semivivo relicto.* Ubi Glossa dicit: *Peccatum vulnerat in naturalibus.* Et Concilium Arausic. II. can. 13. & 25. dicit: *Liberum arbitrium infirmatum, & attenuatum fuisse per peccatum.* Ergo. Respond. neg. consequ. Quia ista & similia loca non volunt, quòd peccatum auferat aliquam partem naturæ rationalis, cùm secundùm Dionysium in dæmonibus manserint naturalia integra, sed quia peccatum est impedimentum retardans naturam à recto usu potentiarum, & quia perdit gratuita, quæ facerent hominem rectum etiam in naturalibus, & quorum defectu retardatur in exercitio suarum potentiarum, unde rectè assimilatur homo lapsus, & homo in puris naturalibus constitutus nudo nato, & nudo spoliato, per hunc intelligendo hominem lapsum, per illum verò hominem in puris naturalibus constitutum.

Instatur: D. Augustinus lib. 12. Civit. cap. 6. dicit, Quod malum corrumpat illud bonum, cui nocet, sed peccatum nocet naturæ rationali, ergo eam corrumpit. Respond. distin. min. auferendo ab ea aliquam partem intrinsecam, & substantialem sui, nego: aliquam perfectionem extrinsecam sibi convenientem, ut justitiam, rectitudinem actualem, &c. concedo.

VII. Vulnus quid sit in animâ. Itaque pro intelligentia horum Notandum, quòd sicut vulnus materiale nihil est aliud, quàm separatio continui, ita vulnus spirituale & spoliatio spiritualis, est separatio virium spiritualium à natura, & hoc modo dicimur per peccatum vulnerari in naturalibus, & licet in statu puræ naturæ fuisset talis separatio, non tamen fuisset vulneratio, aut spoliatio propriè loquendo, quia à nemine fuisset vulnus illud inflictum, sed separatio esset ex ipso connaturali statu hominis, atque juxta hæc intelligendus est Beda super illud citat: Lucæ 10. dicens: *Non tantùm in gratuitis, sed etiam in naturalibus.* bomi-

hominem per peccatum vulnerari quatuor vulneribus, scilicet infirmitate, ignorantia, malitia & concupiscentia. Hoc enim idem est, ac per separationem gratuitorum hominem multùm tardari circa functionem virium naturalium, unde sequuntur ista vulnera.

QUÆSTIO QUARTA.

An peccatum necessariò respiciat Legem?

I. Præcepta prima duo, iit Scotus, esse indispensabilia

SEnsus quæstionis est, An si nulla esset lex naturalis, aut positiva, divina vel humana, Civilis aut gentium, an in tali casu occidere, furari, odire DEUM &c. essent peccata? Qua in re Vasquez 1. 2. disp. 97. cap. 3. docet: Non omne peccatum eô esse peccatum, quô lege aliqua prohibitum, sed quô suapte naturâ malum est homini, & disconveniens naturæ rationali, citat pro se Scotum in 3. d. 37. q. un. Richardum ibidem, Gabrielem, Durandum &c. sed perperam, cùm hi Authores in locis citatis solùm disputent, An omnia præcepta Decalogi sint indispensabilia, quorum aliqui absolutè tenent cum D. Thoma, omnia esse indispensabilia, Scotus verò resolvit, duo præcepta negativæ primæ tabulæ esse indispensabilia, ex quo non rectè colligit Vasquez eos existimâsse, non omne peccatum eô esse peccatum, quo lege aliqua prohibitum, imò nullus ex illis Authoribus docuit id, in quo ipse fundat suam sententiam, videlicet peccatum consistere in oppositione cum natura rationali. Verùm Notandum, Peccatum aliud esse *Philosophicum*, aliud *Theologicum*. Peccatum theologicum est, cujus malitia non cognoscitur nisi dependenter à revelatione, & quatenus supernaturaliter seu per scripturas, aut traditiones innotescit, tanquam offensivum DEI, aversivum ab ipso, impeditivum gloriæ, & dispositivum ad pœnam æternam. Peccatum verò philosophicè consideratum est, cujus malitia ex naturalibus cognosci potest, quemadmodum ex naturalibus potest detestari, ut virtuti naturali contrarium, & hoc modo omnes cognoscunt fugiendum esse malum, dolendum de malo, & tristari de ipso perpetrato, unde.

Notandum Secundò: Ex Doctore in 4. d. 14. q. 3. Duplicem esse legem, ex qua peccatum detestari debet, nempe *Naturalem* & *Supernaturalem*, *naturalis* est quæ est naturaliter cognoscibilis, ut scilicet quod de peccato est displicendum, & ista esset nota intellectui Angelico, si fuisset Angelus viator, post primum peccatum commissum: & per consequens potuisset habere aliquid in voluntate, correspondenter inclinans illi regulæ ad actum vindicandi & displicendi; & ista pœnitentia, sicut & regula ejus, posset esse in omni statu uniformis; quia si non deficeret cognitio naturalis conveniens naturæ humanæ, posset pro quocunque statu devenire in cognitionem istius regulæ: & per consequens æquè habere in voluntate aliquid inclinans proportionabiliter isti regulæ: Alia regula respiciens peccatum detestandum tantummodò est nota ex revelatione, scilicet quod peccatum est detestandum, in quantum est DEI offensivum; vel in quantum aversivum à DEO vel impeditivum acquisitionis beatitudinis; vel in quantum inductivum finalis miseriæ; & sub istis rationibus correspondet huic regulæ aliqua justitia in voluntate, alia quidem, sicut alia est ejus regula contra hanc opinionem cum communi.

Dico Primò: *Si nulla lex esset, nullum esset peccatum, ita quod omne peccatum qua tale essentialiter opponatur legi.* Ita D. Bonaventura 2. d. 35. in Exposit. literæ dub. 40. Occhamus 3. d. 19. Navarrus in Manuali, Gerson, Castro, Vega, Corduba, & expressè Scotus 2. d. 37. q. 1. n. 7. ubi ait: *Voluntas verò libera debitrix est, ut omnem actum suum eliciat conformiter regulæ superioris secundum* — II. Lex nulla si esset, nullum peccatum esset

cundùm divinum præceptum. Et paulò infrà: *Peccatum est, velle vetitum.* Probatur conclusio Primò: Ex Scriptura ad Rom. *Lex iram operatur, & ubi non est lex, nec prævaricatio legis*, quod non esset verùm, si daretur aliquod peccatum, quod non esset prævaricatio legis; Omitto alia loca, in quibus passim peccatum declaratur per recessum à lege, transgressionem, violationem pacti, voluntatem propriam, rebellionem, confractionem jugi, prævaricationem, & similia, ut videri potest in omnibus Prophetarum libris.

Probatur Secundò: Ex Patribus Augustin. suprà, Augustin. lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 16. *Nec peccatum erit*, inquit, *si non divinitus jubeatur, ut non fit.* Et lib. de fide contra Manichæos cap. 6. *Malum non est natura, sed aversio à DEI præceptis.* Et lib. de Gen. ad litt. Imperf. cap. 1. *Esse autem omnia, quæ fecit, bona valdè, mala verò non esse naturalia, sed omne, quod dicitur malum, aut peccatum esse, aut pœnam peccati. Nec esse peccatum, nisi pravum liberæ voluntatis assensum, cùm inclinamur ad ea, quæ justitia vetat, & unde liberum est abstinere: id est, non in rebus istis, sed in usu earum illegitimò.*

Dices: Verum quidem esse, non fore peccatum, si nullo modo jubeatur, ut non fit, prout loquitur Augustinus, sed non ideò omne peccatum est peccatum, quia prohibetur, licèt omne prohibitum peccatum sit. Sed Contra 1. Si nulla esset lex vetans peccatum, nullum esset peccatum, ut admittit Vasquez, ergo ideo est peccatum, quia contra legem vetantem. Deinde prohibitio non est effectus malitiæ, aut circumstantia impertinens, ergo est causa malitiæ, scilicet causa occasionalis.

Probatur conclusio Tertiò: Nemo peccat in eo, quod vitare non tenetur, sed nemo tenetur aliquid vitare, nisi sit lex aliqua superioris ad id obligans, ergo seclusa omni tali lege, nemo peccat. Deinde non offenditur DEUS, nisi ejus præceptum violetur. Iterum DEus justè non potest punire nisi transgressiones suæ legis, unde actus indifferens non punitur, nec est peccatum, quia non est contra ullam legem. Denique ideò actus amoris DEI est moraliter bonus, quia conformis legi naturali & divinæ, ergo ideo odium DEI, vel aversio à DEO est moraliter mala, quia contra legem naturalem, & divinam. Sed

Opponitur Primò: Ad Rom. 2. dicitur: *Qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt*, ergo non omne peccatum est contra legem. Respond. neg. consequ. Quia Apostolus loquitur de lege strictâ & scripta, sine qua stat lex naturæ, unde subjungit: *Gentes quæ legem non habent*, id est scriptam, *naturaliter faciunt, quæ legis sunt*, scilicet naturalis.

III. Mala alia prohibita, quia mala &c.

Opponitur Secundò: Commune axioma Theologorum: *Alia sunt mala quia prohibita, alia prohibita quia mala*, ergo dantur aliqua, quæ sunt mala, non quia prohibita, sed quia mala in se. Respond. cum D. Thoma, Axioma quoad secundam partem esse veram, sed cum respectu legis positivæ, hæc enim multa prohibet, eò quòd impediant vel retardent ab observatione legis divinæ vel naturalis, esto aliàs in se non sint mala, & multa præcipit ad meliorem observantiam legis divinæ, quæ aliàs non sunt de præcepto, omnia tamen mala sunt, quia aliqua sub lege sunt præcepta, vel prohibita.

Instatur: Si per impossibile nulla esset lex divina, aut DEUS ipse, & esset homo rectâ ratione judicaret non esse pejerandum, furandum &c. imò de facto, si aliquis invincibiliter ignoraret legem DEI, recta ratio idem dictaret, & idem faciendo contra rectam rationem seclusâ omni alia lege esset peccatum. Respond. neg. consequ. Quia in tali casu ipsa recta ratio foret regula, & lex, cui teneretur se voluntas conformare, & hoc

Digitized by Google

& hoc maximè in sententia Adversariorum, qui sustinent legem formaliter esse in intellectu. Ut ex conclusione sequenti clarius patebit.

Arguitur Tertiò: Dantur actus quidam, qui seclusa omni lege sunt inconvenientes naturae rationali, non minus quàm calor aquae, aut frigus igni, ergo tales seclusa omni lege sunt ex se mala: consequ. patet. antec. probatur. Nam adulterium, odium DEI &c. sunt adeò disconvenientia naturae humanae, ut non possit DEUS facere, quòd non sint disconvenientia, sicut non potest naturas rerum ipsis manentibus variare. Respond. distin. antec. seclusâ omni lege sunt inconvenientes naturae rationali moraliter, nego. Physicè, transeat: sicut enim bonum intellectûs in genere entis physici est intelligere, & rectè intelligere, malum verò non intelligere, vel errare, ita voluntas seclusâ omni lege haberet bonum & malum in genere physico prosequendo bonum vel malum, per hoc tamen in casu isto non admitto illam comparationem de calore respectu aquae, quia calor est ita disconveniens aquae, ut destruat naturam ejus, sed malum in genere moris non destruit naturam humanam quoad substantiam.

Instatur: Si odium DEI, blasphemia &c. Seclusa omni lege non sunt moraliter mala, ergo in genere moris non sunt intrinsecè mala, ergò possunt non esse mala: patent consequ. Quia omnis legislator potest liberè tollere legem sicut & ponere, ergo potest DEUS, vel saltem potuit ab initio non prohibuisse blasphemiam, odium DEI &c. cùm omne velle DEI ad extra sit contingens, & ita possunt ista non esse peccata. Respondet Faber in 4. d. 14. q. 1. Concedendo totam instantiam, sine ulla absurditate attentâ potentiâ DEI absolutâ, quae potest facere, quidquid in terminis non repugnat, qualia sunt omnia enumerata. Sed Respond. 2. cum alijs, admissa prima consequ. Negando secundam, ad cujus probationem dico, quòd licèt legislator sit absolutè liber in ferendo legem, & per hoc DEUS ad extra omnia liberè agat, absolutè loquendo, tamen ex suppositione necessitatur ad aliqua extra volenda, licet enim DEUS posset absolutè nullam creaturam producere, non potest tamen eam producere sine dependentia ad seipsum, & ità in proposito poterat DEUS creaturam rationalem non producere, & per hoc nullam legem etiam imponere, supposito tamen, quòd eam creaverit, non videtur, quod potuerit eam eximere ab ordine ad suum finem, qui est ipse DEUS, & per consequens non potuit ei licentiam dare, ut velit DEUM non esse, aut ad alium finem se convertere.

Arguitur Quartò: Prius est esse aliquid in se malum morale, quàm DEUS illud prohibeat, ergò etiamsi non prohiberetur, adhuc esset malum: Probatur antec. Priusquam voluntas divina aliquid prohibeat, intellectus divinus vidit illud ut malum, ergo ante omnem prohibitionem est malum. Respond. distin. antec. Fundamentaliter quodammodò & remotè, transeat. Formaliter, nego. Odium enim & mendacium quatenus in genere entis physici habent quandam disconvenientiam cum natura rationali, habent fundamentum quoddam remotum, ratione cujus prohibentur à DEO: ad probati: antec. eodem modo Respond. Intellectus divinus enim ante actum voluntatis nonnisi fundamentaliter & remotè vidit ista ut mala, nec practicè dictabat dicendo, odium DEI in genere moris est formaliter malum, siquidem voluntas divina est rectissima, est prima regula morum, nulla alia indigens regula dirigente, adeóque nullo indigens dictamine intellectûs practici, ostendentis illud esse malum, vel bonum, & sicut voluntas divina est prima regula morum, ita ipsa est prima causa, cur aliquid in genere moris sit bonum vel malum formaliter, si enim DEUS non vellet, quòd ego ipsum amarem, meus amor in genere

nere moris non esset bonus, sicut nec rectè vellem ego, DEUM amari in damnatis, cùm sciam hoc non placere DEO.

IV. Peccans contra rectam rationem eo ipso peccat contra legem DEI. Dico Secundò: *Eo ipso, quo quis agit contra rectam rationem, necessariò agit contra legem DEI.* Colligitur ex doctrina Scoti, & est D. Thomæ 1. 2. & aliorum communiter. Probatur Primò: Rectitudo rationis in genere moris consistit essentialiter in conformitate ad legem superioris, cui recta ratio dictat obediendum, ergo ratio tunc est recta, quod judicat id esse faciendum, quod lex superioris mandat, vel prohibet, ergo quando ratio omnimodè ignorat talem legem, non potest judicare aliquid secundùm legem esse faciendum, vel non faciendum, ergo implicat agere contra rectam rationem in genere moris, quin etiam agatur contra legem aliquam superioris, vel DEI. Probatur Secundò: Implicat aliquid esse conforme rectæ rationi, quin sit conforme legi DEI, ergo econtra implicat aliquid esse difforme rationi rectæ, quin sit contra legem DEI. Sed in contra

Arguitur Primò: Recta ratio distinguitur realiter à lege DEI, & ipso DEO, ergo quod est contra rectam rationem, non est necesse, quòd sit contra DEUM. Respond. neg. consequ. Quia licet realiter distinguantur, tamen recta ratio est necessaria applicatio divinæ legis, ideò enim dicitur recta, quia applicat, & proponit legem rectam.

Instatur: Demus aliquem scire peccatum esse contra rectam rationem, & invincibiliter ignorare esse contra DEUM, talis peccaret faciendo contra rationem, & non faceret contra DEUM, ergo &c. Respond. Casum esse impossibilem, quia implicat dari applicationem legis superioris, & ignorare ipsum superiorem.

Instatur iterum: Contingit sæpè aliquem peccare absq; eo, quòd cogitet de DEO, & de ejus lege, ergo tunc peccat solùm contra rationem, & non contra legem DEI. Respond. distin. antec. Absque eo, quòd cogitet de DEO formaliter & explicitè, conc. implicitè & virtualiter, nego. Hoc enim ipso, quòd recta ratio judicet aliquid esse malum, judicat illud esse contra aliquem superiorem, esto ille superior sub propria & distincta ratione non cognoscatur.

Arguitur Secundò: Philosophi considerabant peccatum ut contra rectam rationem, & non ut contra DEUM, unde S. Augustinus in hoc laudat Platonem, eumque præfert aliis Philosophis, quòd docuerit, nihil DEO gratius virtute, nihil odiosius vitiô. Respond. Quòd sicut Philosophi isti posuerunt felicitatem ultimam in bono aliquo commodo creato, ità conformiter ad hanc felicitatem statuerunt regulas morum, & ideo peccatum à Philosophis præcipuè considerabatur, quatenus fuit dissentaneum naturæ inclinanti ad proprium commodum. Plato verò, & post eum Aristoteles, qui aliqualem Divinitatis, & veræ felicitatis notitiam consecuti sunt, considerârunt peccatum, ut opponitur bono honesto, & DEI beneplacito, & in hoc præferuntur cæteris Philosophis.

Dico Tertiò: *Si crearetur homo in puris naturalibus absque ordine ad finem supernaturalem, sed tantùm ad naturalem, etiamsi tunc peccaret contra finem naturalem, adeòque contra DEUM, ut Authorem naturæ, non tamen contra DEUM, ut finem supernaturalem.* V. Homo in pura natura qui peccaret: contra Authorem naturæ. Probatur Primò: Quia in tali casu non averteret se à fine supernaturali, cùm ad eum non sit ordinatus, ergo. Secundò: Non haberet præceptum de aliqua rectitudine in ordine ad finem supernaturalem servanda, ergo actus elicitus contra finem naturalem non haberet privationem rectitudinis supernaturalis, utpotè quam non tenetur ponere in suo actu, cùm non sit ordinatus, ut suppono, ad finem supernaturalem. Ex hac conclusione sequitur, quòd homo defacto ordinatus ad finem supernaturalem, sed

tized by Google

sed invincibiliter ignorans finē eundem v. g. infans baptizatus in sylvis, vel inter infideles educatus etiamsi peccaret contra DEUM, ut finem naturalem, non tamen ut supernaturalem. Et ratio est, quia peccatum debet esse voluntarium, sed isti non esset voluntaria aversio à fine supernaturali, cùm nec ipse finis sit ei cognitus. Sed in contra

Arguitur: In tali casu homo haberet privationem rectitudinis supernaturalis, quia non haberet conversionem ad finem supernaturalem, ergo peccaret contra eundem finem. Respond. neg. antec. Sed tantùm haberet nudam & puram negationem, quia sibi tunc non deberetur talis rectitudo.

Instatur: Finis objectivus naturalis, & supernaturalis est omninò idem, scilicet DEUS, ergo qualitercunque se averteret ab uno fine, averteret etiam se ab alio. Respond. neg. consequ. Quia cùm aversio à fine naturali sit aversio à medio ad finem supernaturalem attingendum: & mediorum alia sunt, quibus imperfectè attingitur finis, scilicet vires naturæ, alia cum quibus perfectè attingitur, ut auxilia supernaturalia, hinc ex horum mediorum differentia oritur naturalitas & supernaturalitas, non autem ex fine ipso secundum se, ac proindè non sequitur, quòd avertens se à fine uno modo, debeat se avertere altero modo, cùm nec ipsa media sint conjuncta ex naturâ rei, nec in statu naturæ puræ homo esset debitor mediorum supernaturalium, utpotè ad quorum finem non esset ordinatus.

VI. Avertens se à fine naturali, avertit se etiam à supernaturali. Dico Quartò: *Homo sciens se esse ordinatum ad finem supernaturalem, eo ipso, quòd peccet contra finem naturalem, peccaret etiam contra supernaturalem.* Probatur, Quia finis naturalis in homine ordinato ad vitam æternam est subordinatus ad finem supernaturalem, ergo voluntariè se avertens à primo fine, consequenter avertit se à secundo, & sic peccat contra utrumque. Sed contra

Arguitur: Sequeretur, quòd ordinatus ad finem supernaturalem scienter, & peccans, peccaret duplici peccato, uno contra finem naturalem, & altero contra finem supernaturalem, quod videtur absurdum. Respond. distin. sequ. Duplici peccato subordinato, transeat: non subordinato, neg.

Instatur: Licèt peccata ista essent subordinata, utraque tamen esset diversæ speciei, ergo duplici peccato specie distincto. Probatur antec. Quia peccando contra finem supernaturalem peccaret etiam peccato sacrilegij, nam facere injuriam supernaturalibus est sacrilegium, talis autem tunc etiam averteret se à supernaturalibus, ergo. Respond. neg. antec. cum sua probatione, & rationem allatam distin. Facere injuriam generalem, quæ includitur in omni peccato, non minus quàm ingratitudo & inobedientia est Sacrilegium, neg. Facere injuriam specialem indignè tractando rem aliquam ex particulari dedicatione cultui divino consecratam, ut polluere Ecclesiam, furari calicem &c. concedo; Talem autem injuriam non facit, qui quomodocunque se avertit à fine supernaturali.

Hic solet adhuc examinari, quomodo peccatum opponatur gratiæ sanctificanti, virtutibus supernaturalibus & naturalibus, seu quomodo eas privet, sed quia de hoc egi in materia de justificatione hic supersedeo multiplicando repetere. Sit

QUÆSTIO QUINTA.

De multiplicibus Peccatorum Divisionibus.

SUbnecto naturæ peccati ejus multiplices divisiones, ut eas species, quæ particulari non indigebunt discussione, hic simul expediam, nec alibi opus sit amplius repetere: Prima itaque divisio est in Peccatum *Originale*, & *Personale*, seu *Actuale*. Utrumq; suam propriam requirit disputationem. I. Divisio peccatorū prima in originale & personale.

(*) Rrrrr Secun-

II. Peccatum aliud Commissionis, aliud omissionis. Secundò generalissimè Peccatum Personale in peccatum *Commissionis* & *omissionis*, quorum termini quidem patent, attamen controvertitur, an benè sic dividatur? & an specie distinguantur? quod utrumque inferius resolvam, in hac quæstione non intendo nisi generaliter omnes peccatorum divisiones, speciales difficultates relicturus ad proprium locum.

III. Peccatum aliud Carnale, aliud Spirituale. Tertiò igitur Peccatum generaliter & materialiter sumptum, dividitur in *Carnale & Spirituale*; idque divisione adæquata, quod patet ex D. Gregorio 3. Moral. cap. 26. ubi dicit: *Omne certamen hominis Spiritualis, vel est contra peccata carnalia, vel contra peccata Spiritualia.* Item quia omne peccatum consummatur in Spiritu, vel in carne, & Doctor noster subtilis in 2. d. 12. q. 5. rem hoc modo declarat: Peccata quoad materiale, seu actus, qui sunt materiale peccati, distinguuntur penes objecta, objecta autem, circa quæ contingunt peccata, sunt vel res Spirituales, vel carnales, voluntas autem ut conjuncta appetitui sensitivo nata est tendere in objecta delectabilia secundùm carnem, v. g. in objectum gulæ, luxuriæ, consentiendo appetitui inordinato, & sic habentur peccata carnalia; Et eadem voluntas secundùm se considerata nata est versari circa illud, quod est delectabile in se abstrahendo à sensibilibus, & circa hujusmodi contingit peccare spiritualiter.

III. Capitalia peccata sunt septem. In hac etiam divisione involvitur illa septimembris D. Gregorij communiter recepta in septem peccata capitalia, quæ etiam est divisio peccati pro materiali, quorum duo scilicet *Gula* & *Luxuria* sunt carnalia; Quatuor autem, ut *Superbia*, *Ira*, *Invidia*, *Acedia*, in actibus Spiritualibus, sunt Spiritualia: Septimum autem, quod est *Avaritia*, cùm sit circa appetibile utile, si ordinetur ad voluptatem, reducitur ad carnale: Si ad honorem, tunc ad Spirituale. Dicuntur autem ista septem peccata Capitalia, non quòd sub istis omnia alia contineantur, cùm multa sint peccata, quæ sub ijs non comprehendantur, ut desperatio, infidelitas, blasphemia &c. sed quia sunt radices quædam valdè communes, sub quibus multa & varia peccata specie distincta complectuntur.

IV. Trimembris divisio peccati à D. Joanne assignatur. Ad tertiam suprà datam divisionem spectat etiam illa trimembris à D. Joanne data in epist. 1. cap. 2. *Quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ: quæ non est ex Patre, sed ex mundo est;* quam repartitionem, ut convenit, tanquam bonam amplectitur & sequitur D. Augustinus Enarrat. in Psalm 8. propè finem, ubi dicit: *Tria generum vitiorum, id est, voluptas carnis, & superbia, & curiositas, omnia peccata concludunt, quæ mihi videntur à Joanne Apostolo enumerata, cùm dicit: Nolite diligere mundum, quoniam omnia, quæ in mundo sunt, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio sæculi. Per oculos enim maximè curiositas prævalet: Reliqua verò quo pertineant, manifestum est, & illa Dominici hominis tentatio tripartita est: Per cibum, id est, per concupiscentiam carnis ubi suggeritur. Dic lapidibus istis, ut panes fiant. Per inanem jactantiam, ubi ei in monte constituto ostenduntur omnia regna hujus terræ, & promittuntur, si adoraverit. Per curiositatem, ubi de pinna templi admonetur, ut se deorsum mittat, tentandi gratia, utrum ab Angelis suscipiatur.*

V. Peccatum contra DEUM & contra proximum. Quartò dividitur Peccatum principaliter ex objectis ab eodem D. Augustino serm. 105. in Peccatum *contra DEUM*, & peccatum *contra proximum* dicens: *Duo sunt genera peccatorum, unum, quo in DEUM, alterum, quo in hominem peccatur, unde etiam sunt duo præcepta illa, in quibus tota lex pendet & prophetæ. Diliges Dominum DEUM tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Et diliges proximum tuum tanquam te ipsum. Et in his continetur etiam decalogus præceptorum*

Digitized by Google

rum, ubi tria præcepta pertinent ad dilectionem DEI, septem ad proximi, Quomodo ergo duo sunt præcepta: sic & duo genera peccatorum. Aut enim homo in DEUM peccat, aut in hominem. Peccatur autem in DEUM etiam corrumpendo templum ejus in te: Etenim DEUS redemit te sanguine filij sui, quem locum citat etiam Venerabilis Beda in 1. Corinth. 6. circa finem, quamvis ipse lib. de summo bono hanc divisionem faciat trimembrem Contra *DEUM*, *proximum*, & *seipsum*.

VI. Peccata infirmitatis, ignorantiæ, & malitiæ.

Quintò dividitur iterum principaliter peccatum à D. Augustino in Peccata *Infirmitatis*, *Imperitiæ*, & *Malitiæ*. Ita lib. 83. qq. q. 26. ubi ait: *Alia sunt peccata infirmitatis, alia imperitiæ, alia malitiæ, infirmitas contraria est virtuti, imperitia contraria est sapientiæ, malitia contraria est bonitati*, quam ergo repartitionem amplectuntur Theologi communiter, hoc excepto, quòd pro *imperitia* ponant *ignorantiam*, & hinc ortum habet illa divisio alia, in peccata in Patrem, & in Filium, & in Spiritum Sanctum, de ultimo infrà.

VII. Peccata cordis, operis, & consuetudinis.

Sextò Idem S. Doctor serm. 44. de Verbis Domini, in Peccatum *Cordis*, *Operis*, & *Consuetudinis* dicens: *Sunt intus, qui peccatum in corde habent, in facto nondum habent. Dicit enim ipse Dominus: Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo: nondum accessit corpore, consensit in corde, mortuum intus habet, nondum extulit. Alij post consensum eunt in factum, tanquam efferentes mortuum, ut quod latebat in secreto, appareat in publico. Nunquid jam isti, quia in factum processerant, desperati sunt? Nonne & illi juveni dictum est, tibi dico surge? Nonne & ille redditus est matri suæ? sic ergo & qui jam fecerit, si fortè commonitus & commotus verbo veritatis ad Christi vocem resurgit, vivus redditur. Potuit progredi, in æternum perire non potuit. Qui autem faciendo quod malum est, etiam mala consuetudine se implicant, ut ipsa consuetudo mali non eos sinat videre, quia malum est, fiunt defensores malorum factorum suorum. Irascuntur cùm reprehenduntur in tantum, ut Sodomitæ quondam dicerent viro justo reprehendenti nequissimam voluntatem, habitare venisti, non leges dare. Tanta ibi nefandæ turpitudinis consuetudo erat, ut jam nequitia esset justitia, & prohibitor potius reprehenderetur quàm factor. Tales consuetudine maligna pressi tanquam sepulti sunt.* Ubi, ut vides, comparat peccantes his peccatis, tribus mortuis, quos Christus Dominus suscitavit, unde Theologus Poëta ob faciliorem captum rem totam his verbis comprehendere voluit:

Mens mala mors intus: Malus actus
mors foris: Usus
Tumba: Puella, puer, Lazarus ipse
notat.
Hanc verbo, hunc motu, lacrymando
suscitat illum
Christus, & in medio noscitur æger
homo.

VIII. Peccata cordis oris & operis.

D. Hieronymus super Ezechielem cap. 43. Similem tradit divisionem in Peccatum *Cordis*, *Oris*, & *Operis*, quæ etiam traditur à Magistro 2. d. 42. & Scoto ibidem, quæ ut adæquata sit, oportet per *peccatum cordis* intelligi non solùm illud, quod fit in cogitatione intellectûs, sed etiam in actu interno voluntatis. Per *peccatum oris* intelligitur id, quod committitur ex sermone, ut mendacium. Per *peccatum operis* intellige omne illud, quod consumatur in operatione alicujus potentiæ sensitivæ, sive internæ sive externæ.

Porro Notandum, divisionem hanc dupliciter posse intelligi: Primò ut quædam sint peccata, quæ à natura sua consummantur in corde, ut hæresis, desperatio, odium DEI, &c. quædam in sermone, ut detractio, perjurium, blasphemia &c. quædam in opere, ut furtum, homicidium &c. & hoc modo explicata divisio illa est generis in species, adeóque essentialis. Secundo modo explicatur, ut quædam peccata sint actus cordis, quædam oris, quædam operis,

operis, ita tamen, ut sint consummanda in ipso opere, cujusmodi est voluntas furandi, sollicitatio ad furtum, & ipsum furtum actuale, & idem dic de aliis, & hoc modo explicata illa divisio secundùm aliquos est divisio ejusdem peccati specifici in plures gradus. Secundùm Scotum verò est divisio subjecti materialis peccati, non quidem primarij & immediati, cùm hoc sit solus actus voluntatis, sed mediati & secundarij, quod nimirum est triplex, cogitatio intellectûs, verbum oris, & opus externum.

IX. Peccata per excessum, & per defectum. Septimò dividunt aliqui Peccatum ut sic in *Peccatum per excessum*, & *peccatum per defectum*: primum fit, quando peccatur ultra medium, seu ultra id, quod postulat regula recta, ut prodigalitas, & temeritas respectu liberalitatis, & magnanimitatis. Peccatum per *defectum* econtra fit ut avaritia, pusillanimitas, contra easdem virtutes: hæc divisio sumitur ab objectis, quorum aliqua movent ad excessum inordinatum, alia ad defectum.

X. Mortale & Veniale peccatum. Denique ultimò, & principalissimè cum D. Augustino, Doctoribus, Patribus, & Ecclesia Catholica Peccatum personale, & actuale generaliter dividitur in *Mortale*, & *Veniale*. De utrisque agit S. Augustinus, nunc venialia proprio exprimendo terminô, ut cùm ageret contra Julianum Pelagianum lib. 2. circa finem, ubi de concupiscentia loquens: *Sed in quibus ab illo rebellante*, stimulo carnis, *& si non lethaliter, sed venialiter tamen vincimur, in his contrahimus, unde quotidie dicamus: Dimitte nobis debita nostra*: Vides utrumque proprijs Catholicorum terminis expressum, item in Enchirid. cap. 78. & lib. 3. contra duas epistol. Pelag. cap. 3. unde postmodum serm. 41. de Sanctis, enumerat varias species tam mortalium, quàm venialium peccatorum, & præmissis mortalibus notis subdit: Quæ autem sint minuta peccata, licèt omnibus nota sint, tamen quia longum est, ut omnia replicentur, opus est, ut ex ijs vel aliqua nominemus. Quoties aliquis in cibo, aut in potu plus accipit, quàm necesse sit, ad minuta peccata noverit pertinere, quoties plus loquitur, quàm oportet, aut plus tacet quàm expedit. Quoties pauperem importunè petentem exasperat. Quoties cùm corpore sit sanus, aliis jejunantibus prandere voluerit, aut somno deditus tardius ad Ecclesiam surgit. Quoties excepto desiderio filiorum uxorem suam cognoverit. Quoties in carcere clausos & in vinculis positos tardius requisierit. Quoties infirmos tardius visitaverit. Si discordes ad concordiam revocare neglexerit. Si plus aut proximum, aut uxorem, aut filium, aut servum exasperaverit, quàm oportet. Si amplius fuerit blanditus, quàm expedit. Si cuicunque majori personæ, aut ex voluntate, aut ex necessitate, adulari voluerit. Si pauperibus esurientibus cibum non dederit, aut nimium delitiosa aut sumptuosa sibi convivia præparaverit. Hæc Augustinus. Ubi tamen Notandum, quòd ista, quæ hic commemorantur peccata venialia esse talia, quando vitiosus actus voluntatis non est adeò intensus, nec formalis & necessarius adest consensus, nec in re magni momenti, alioqui nonnulla mortalia esse possunt.

XI. Peccata venialia recensentur à D. Augustino.

QUÆSTIO SEXTA

De Distinctione specifica Peccatorum.

I. Distinctio specifica unde petenda in peccatis. IN priori quæstione generaliter retuli plures divisiones, & distinctiones peccatorum ex parte materiæ, seu objectorum materialium nunc videndum, unde desumenda sit distinctio formalis, seu specifica eorundem: An videlicet penes ordinem ad diversas causas efficientes, vel finales? an penes ordinem ad diversa præcepta? an denique penes ordinem ad diversas virtutes? Pro quo

Notandum Primò: Per causam

ſam peccati hic intelligi non tantùm ipſam voluntatem, ſed quodcunque aliud diſponens, vel movens illam ad peccandum; motiva verò ad peccandum alia ſunt generalia, ut *timor malè humilians, & amor malè inflammans* ſecundùm D. Auguſtinum in Pſalm 79. Quædam ſunt motiva particularia, ut finis, & ratio impulſiva. Cauſa autem finalis, in hoc diſtinguitur, à cauſa & ratione impulſiva, quod propter illam principaliter fiat operatio, non propter hanc, licet utraque ſuo modo moveat, v. g. cauſa finalis dandi eleemoſynam eſt DEUS, vel ſublevatio miſeriæ indigentis; cauſa impulſiva ſunt clamores & importunæ preces pauperis, hoc etiam modò paſſio iræ eſt cauſa impulſiva ad occidendum.

II. Finis alius operis, alius operantis.

Notandum Secundò: Finem eſſe duplicem: Alium *Operis*: *Alium Opeerantis*: *Finis Operis* eſt quid intrinſecum, & inſeparabile ab ipſo opere, éſtque idem quod *objectum quod* operantis, ut ſublevatio miſeriæ, reſpectu eleemoſynæ. *Finis operantis*, qui & extrinſecus dicitur, eſt, quem principaliter intendit operans, ſeu cujus gratiâ operatur, ut dans eleemoſynam propter DEUM, aut propter vanam gloriam. Cùm igitur quæritur de diſtinctione formali peccatorum ex parte præceptorum, aliquando plura præcepta tam poſitiva, quàm negativa eſſe circa eandem, ejusdemque virtutis materiam eſſe poſſunt, aliquando circa diverſas: Exemplum primi, Lex divina, naturalis, poſitiva, civilis, & Eccleſiaſtica prohibet homicidium. Exemplum ſecundi *Non occides, non mœchaberis* &c. His prænotatis

III. Objecta materialia ſpecificant peccata.

Dico Primò: *Peccata materialiter ſumpta, ſeu ut ſunt actus poſitivi, conſtituuntur & diſtinguuntur Specie penes ordinem ad objecta Specie diſtincta.* Eſt communis, & patet ex dictis de actibus humanis. Probatur ex generali illo principio, quòd actus poſitivi deſumant ſuam Speciem ab objectis, in quæ tendunt, ergo ubi objecta habent Specie diſtinctam aliquam difformitatem ad rectam rationem, etiam peccata eandem habebunt. Hæc concluſio tamen ſic intelligenda eſt de objectis moralem diverſitatem ſpecificam habentibus, quia furtum v. g. non diſtinguitur Specie, ſi panem, pannum, ovem aut bovem fureris, dummodò ſit peccati mortalis materia. Sed contra

Arguitur: Peccata diſtinguuntur ex parte converſionis ad objecta creata, & non ex parte deordinationis, ſeu averſionis à DEO, ergo non ſolùm materialiter, ſed etiam formaliter diſtinguuntur penes ordinem ad objecta, & fines. Conſequ. patet; antec. probatur: Quia converſio ad tale, vel tale objectum propter talem, vel talem finem, per ſe intenditur à voluntate, deordinatio verò non niſi per accidens, quia nemo intendens in malum operatur, ergò quodlibet ſumit ſuam ſpeciem formalem, & diſtinctionem ab objectis & finibus, quos intendit peccans. Reſpond. neg. antec. ad probat. dico, quòd in moralibus ſufficit formalis, vel virtualis, vel interpretativa intentio avertendi ſe à DEO, cujusmodi reperitur in omni peccato, qui enim intendit per ſe frui, vel uti aliquo objecto prohibito per legem DEI, hoc ipſo cenſetur moraliter intendere averſionem à DEO, imò talis converſio ad creaturam non eſt mala, aut imputabilis in genere moris, niſi in quantum involvit averſionem à DEO, ut præclarè docet D. Auguſtinus lib. de natura boni cap. 36. his verbis: *Non eſt ergo, ut dixi, peccatum malæ naturæ appetitio, ſed melioris deſertio; & ideò factum eſt ipſum malum, non illa natura, quæ malè utitur peccans. Malum eſt enim malè uti bono. Unde Apoſtolus damnatos quosdam divino judicio reprehendit, qui colerunt & ſervierunt creaturæ potiùs quàm Creatori.* Quare argumentum potiùs probat concluſionem, nempè peccata materialiter ſumpta ſumere ſuam ſpeciem ab objectis, & finibus. Hinc

Digitized by Google

IV. Fines diversificant peccata materialiter accepta

Dico Secundò : *Diversi fines sive operis, sive operantis, diversificant specie peccata materialiter sumpta, non tamen causæ impulsivæ.* Est communis post D. Thomam in 1. 2. Probatur prima pars de fine operis : Quia hic secundùm omnes est idem quod objectum, in quod tendit opus, ergo sicut objecta diversificant specie actus, ita & fines operis. Probatur de fine operantis : Quia alia specie peccati peccat, qui dat eleemosynam ob vanam gloriam, ac qui dat propter fornicationem, ergo diversi fines operantis arguunt diversitatem specificam peccatorum, quòd autem illa sit distinctio peccatorum pro materiali tantùm, patebit ex ultima conclusione. Probatur tertia Pars de causa impulsiva, Quia ex timore malè humilianté, tanquam ex motivo potest procedere, quòd homo fornicetur, neget fidem, deserat gregem, vel curam sibi commissam. Item ex motivo passionis homo blasphemat, occidit, &c. ergo ex hujusmodi motivis non sumitur distinctio specifica peccatorum.

V. Præcepta diversa non variãt specie peccata.

Dico Tertiò : *Diversa præcepta circa eandem materiam secundùm rem, & secundùm idem motivum non variant speciem peccata.* Ita D. Thomas suprà. Cajetanus, Valentia &c. & colligitur ex Scoto in 2. d. 37. contra Medinam, Vasquem, & alios, qui dicunt ea, quæ sunt mala, quia prohibita, distingui ex præceptis, secus verò de ijs, quæ in se sunt mala, seclusa omni prohibitione. Probatur conclusio Primò : Quia ex prima, distinctio essentialis peccatorum ex parte actuum desumitur ab objectis, & ex dicendis distinctio formalis ex parte malitiæ desumenda est penes ordinem ad virtutes, seu rectitudines oppositas, ergo quando diversa præcepta præcipiunt eandem virtutem, vel rectitudinem specificam circa idem specie objectum, non arguunt distinctionem specificam peccatorum, vel ex parte actuum, vel ex parte malitiæ formalis. Probatur Secundò : Circa idem numero peccatum v. g. furti est præceptum naturale, divinum, & humanum, ergo distinctio præceptorum circa eandem materiam non arguit distinctionem peccatorum. Probatur Tertiò : Quia absurdum esset dicere, quòd Titius tria peccata committeret violando jejunium, per hoc, quòd superior illius ter ei præciperet jejunare, ergo similiter absurdum videtur, quòd tria peccata specie diversa committantur ex eo, quòd tres legislatores specie diversi idem mihi præcipiant. Probatur Quartò : Præceptum in tantùm inducit novam obligationem in specie, in quantum præcipiens intendit hanc vel illam honestatem in specie, ergo ubi non præcipitur diversa specie honestas, non variantur peccata, licèt varientur præcepta. Ex his sequitur, quòd licèt homicidium prohibeatur jure naturali, divino positivo, humano, Ecclesiastico, & civili, non esse tamen plura peccata, sed unum specie & numero. Item violans vigiliam occurrentem in quadragesima, aut festum cadens in Dominicam, non peccat duplici peccato, quidquid dicat Navarrus contra communem sententiam. Sed in contra

Arguitur Primò. : Diversæ leges inducunt diversas obligationes, ergo earum transgressiones sunt diversa peccata : patet antec. Quia Titius, v. g. seu quicunque alius, qui haberet votum jejunandi, est ad jejunium obligatus ex præcepto Ecclesiæ, & simùl ex voto Religionis, habet duplicem obligationem, ergo, & consequenter si transgreditur, committit duo peccata. Respond. neg. antec. ad cujus probationem dico, quòd Titius violans jejunium peccat quidem duplici peccato, non tamen ob duplicatum præceptum, sed quia peccat contra diversas rectitudines seu virtutes, nimirum contra virtutem temperantiæ, quam præcipit Ecclesia, & contra virtutem religionis, ad quam obligat votum suum; non sic autem fit in alijs actibus & casibus, puta cùm quis violat vigiliam

liam incidentem in quadragesima, quia tunc duo præcepta idem habent motivum, scilicet temperantiæ, unde violans vigiliam St. Mathiæ, cadentem in quatuor Tempora, & in quadragesima non committit duo peccata, licet transgrediatur duo præcepta, quia illa duo præcepta sunt ex eodem motivo temperantiæ.

Instatur: Transgressio unius præcepti est peccatum, ergo transgressio plurium, sunt plura peccata. Respond. neg. consequ. Quia transgressio unius præcepti est privatio unius rectitudinis, & sic unum peccatum, sed in transgressione plurium præceptorum circa materiam ejusdem virtutis, & sub eodem motivo, non est privatio plurium rectitudinum, sed unius tantùm, unde unum peccatum tantùm, sicut præcepta non præcipiunt, nisi unam rectitudinem.

Arguitur Secundò: Præceptum dignioris personæ magis obligat, ergo præceptum divinum infinitè magis obligat, quàm humanum, ergo violans utrumque, diversa committit peccata, licèt utrumque sit circa eandem materiam, & ex eodem motivo. Respond. Præceptum etiam humanum esse mediatè divinum, quia DEUS præcipit esse obediendum Superioribus, & ideò divinum non obligat notabiliter magis, quàm humanum, si utrumque objectum sit idem, & circa paria. Vel dato quod magis obliget, tantùm sequitur, quòd gravius peccet transgressor, non verò quòd diversa peccata committat.

Instatur: Ubi sunt diversa specie præcepta, sunt diversæ specie rectitudines, sed præceptum divinum & humanum sunt diversa specie præcepta, ergo etiam diversæ rectitudines, & consequenter diversa peccata in specie quia diversæ specie rectitudines. Respond. dist. ant. Ubi sunt diversa præcepta &c. si diversitas specifica præceptorũ desumitur à diversitate objectorum, vel finium, conc. antec. quando à diversitate tantùm extrinseca Legislatorum, seu præcipientium, neg. In proposito autem præceptum divinum, & humanum circa eandem, & sub eodem motivo non distinguitur specie, nisi ex parte legislatorum, ut patet, ergo.

IV. Præcepta virtutum diversarum variant peccata.

Dico Quartò: *Præcepta diversa circa diversarum virtutum materias, vel etiam circa ejusdem virtutis materiam sub diversis tamen, diversarúmque virtutum motivis, arguunt diversitatem specificam peccatorum.* Ita communis, Henriquez lib. 5. de Pœnit. Vasquez 1. 2. q. 98. Azorius, & alij. Prima pars non indiget probatione. Secunda declaratur exemplo illius, qui tenetur ad rectitudinem temperantiæ per præceptum Ecclesiasticum, & ad rectitudinem religionis per votum emissum, talis violando præceptum & votum dupliciter peccat. Ratio hujus à priori est, quia lex v. g. naturalis prohibens occisionem hominis ponit actum illum occisionis in speciali oppositione ad virtutem justitiæ, & similiter lex Ecclesiastica prohibens in speciali occisionem hominis Clerici, ponit illam in speciali oppositione ad virtutem Religionis; quæ inclinat ad reverentiam debitam talibus personis præstandam, & consequenter constituit illam in alia specie peccati. Similiter lex affirmativa præcipiens abstinentiam à carnibus ob motivum temperantiæ, ponit illum actum in speciali virtute, & lex vel præceptum regulæ præcipiens eandem abstinentiam & motivum religionis, scilicet ob tria vota essentialia perfectiùs observanda, ponit eundem actum in speciali virtute religionis, & oppositum in speciali malitia, ergo diversa ejusmodi præcepta, quando occurrunt diversa motiva etiam circa eandem materiam, arguunt peccata specie diversa.

VII. Peccata formaliter sumunt suam speciem à diversis virtutibus oppositis.

Dico Quintò: *Peccata pro formali proximè, & immediatè distinguuntur solùm penes ordinem ad virtutes seu rectitudines actuales eis oppositas.* Ita Scotus 2. d. 37. q. 1. §. *Ex hoc*

Digitized by Google

hoc patet secundum. Probatur conclusio ex dictis: Quia ratio formalis constitutiva peccati est privatio rectitudinis debitæ inesse, ergo cùm secundùm omnes principiū formale constitutivum alicujus rei sit etiam distinctivum ejusdem rei à quocunque alio, sequitur, quòd peccatum proximè & immediatè summat suam distinctionem specificam, vel numericam, ex specifica vel numerica distinctione rectitudinum oppositarum. Dixi *Proximè & immediatè:* Quia cum rectitudines, seu virtutes in suo esse per ordinem ad rectam rationem immediatè, & hac mediante per ordinem ad leges, quibus conformantur, & ex alia parte tam recta ratio, quàm leges sumant extrinsecè suam speciem ab objectis, seu motivis formalibus, hinc benè potest dici, peccata mediatè & remotè distingui per objecta, vel per leges quæ versantur circa diversa objecta.

VIII. *Præcepta duo in pluribus casibus unum peccatum faciunt.*

Ex hactenus dictis infero nonnulla corollaria inservientia in foro conscientiæ: Primò. Esse unum tantùm peccatum violare duplicem vigiliam, vel duplex festum, eadem die incidentia. Secundò, non esse necessarium in confessione exprimere, violavi diversa præcepta, nisi ejusmodi inducant diversas obligationes, ex diversis motivis. Tertiò, Percutientem Clericum duplex peccatum committere, unum contra justitiam, alterum contra religionem. Quartò violantem votum sæpius multiplicatum, unum tantùm peccatum committere: idem de juramento. Quintò Religiosum transgredientem justum præceptum superioris duplex peccatum committere, alterum contra virtutem, cujus actum superior præcipit, & alterum contra votum religionis, quia vovit obedire superiori. Sextò, Religiosum Sacerdotem omittentem officium divinum, vel in carnis peccatum lapsum, unum peccatum tantùm committere, quia utraque obligatio, licèt procedat ex diversis præceptis, non tamen sub diversis motivis, sed sub eodem motivo, seu voti solemnis. Ita Corduba, Vega &c.

Septimò inferunt aliqui, unum tantùm esse peccatum omittere officium divinum, licèt ad id tenereris ratione ordinis sacri & beneficij, sed veriùs alij oppositum tenent, quia ibi est obligatio ad diversas virtutes spectans, justitiæ scilicet & Religionis, ita Sanchez, Sayrus, & alij. Octavò infertur, Duplex esse adulterium conjugatum cum alia conjugata adulterantem. Duplex sacrilegium Religiosum cum Religiosa, vel voto obstricta congredientem. &c.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De distinctione numerica Peccatorum.

I. *Numerus peccatorū in confessione est exprimendus.*

CLamant Concilia, Lateranense, Florentinum, & Tridentinum, omnia & singula, ac singillatim peccata esse confitenda non solùm quoad speciem, sed etiam quoad numerum; Hoc idem obtinuit perpetuus Ecclesiæ usus, & pariter ex Patribus constat, unde D. Augustinus, seu quisquis Author sit, lib. de vera & falsa pœnit. cap. 15. dicit, Dominus JESUS *nunquam aliquem sanavit, quem omninò non liberavit. Totum enim hominem sanavit in Sabbato, quia & corpus ab infirmitate, & animam ab omni contagione liberavit: indicans pœnitentem oportere simul dolere de omni crimine orto in anima & corpore. Scio enim DEUM inimicum omni criminoso. Quomodo ergo qui unum crimen reservat, de alio recipiet veniam? Sine amore DEI consequeretur indulgentiam, sine quo nemo unquam invenit gratiam. Hostis enim DEI est, dum offendit perseveranter. Quædam enim impietas infidelitatis est ab illo, qui justus & justitia est, dimidiam sperare veniam.*

Hinc cognita specifica peccatorum distinctione, etiam de numerica agendum, si non necessarium, saltem utile credo futurum pro majori

Digitized by Google

jori confessariorum directione. Pro quo

11. Distinctio numerica peccatorũ unde desumenda.

Notandum: Distinctionem numericã peccatorum absolutè desumi ex distinctione numericã malitiarum & difformitatũ ad legem propositam per rectam rationem: porro malitiarum & actuum distinctio non solùm physica, sed etiam moralis est attendenda Verùm hic ulterius progrediẽdum, & sciendũ, moralem hanc distinctionem, vel unitatem dependere totaliter à prudentũ judicio, qui determinent, quando malitia sit eadem vel diversa in ordine ad forum Sacramentale, potest enim fieri, quòd ea, quæ in foro poli habent distinctam malitiam, & demeritum diversum apud DEUM, in foro Sacramentali unũ tantum censeatur esse peccatum ob connexionem, quam actus integrantes ad se invicem habent, cum enim homines aliquando non attendãt interruptionem physicam, sed actûs malitiã complentes ad integritatem unius actûs peccaminosi usurpent, credibile est, Christum Dominum sic tulisse præceptũ de confitendo peccatorum numero, ut illa actio, quantum; ad confessionem censeatur tunc esse unum peccatum, quando actionis conditio, vel interruptio est talis: ut juxta moralem hominum æstimationem censeatur esse una, & econtra multiplex, si homines prudenter, & absque dolo existiment malitiam verè esse multiplicatam: Quia hoc præceptum concernit homines pro foro Sacramentali, in quo simùl sunt Judices, igitur eorum judicio divina providentia ejus administrationem commisit & dijudicationem, quod gratiosè declaratur exemplo, nam celebratio Missæ ejusque auditio pro una actione habetur, licèt infra illam habeatur concio, celebrans interim dormiat, vel horas recitet, & sic de alijs.

Notandum Secundò: Hanc distinctionem numericam attendendam esse tam quoad actum internum, quàm quoad externum: Nam peccatum primò & principaliter committitur per voluntatem, deinde multa complentur per actus exteriores, in quantum tamen ab interna voluntate imperantur, sine hac enim sicut nullum peccatum committitur, ita etiam nullum multiplicatur, quia peccatum esse non potest, nisi sit voluntariũ, exterior autem non potest esse voluntarius, nec moraliter malus, nisi in quantum ab interiori voluntate procedit. His prænotatis

Actus interni cognoscuntur numero distingui per interruptionem.

Dico Primò: *In peccatis internis numerica distinctio sumitur ex numerica distinctione tam actuum physicorum, quàm malitiarum, hi autem actus interni non possunt cognosci numero distincti nisi per interruptionem, & hæc fieri potest tam per notabilem cessationem physicam, quàm per contrariam voluntatem retractantem priorem actum, ita quod tot sint peccata numero, quot fuerunt actus interrupti realiter, & malitiâ morali distincti:* Hæc colligitur ex Suarez disp. 22. de integritate confessionis. Probatur prima pars: Quia numerum constituunt individua multiplicata tam in substantijs, quàm in accidentibus, spiritualibus & materialibus, permanentibus & transeuntibus, sed peccata interna sunt individua & accidentia spiritualia transeuntia, ergo toties multiplicabuntur & individuabuntur, quot fuerunt distincti actus physici, distinctas malitias morales habentes, sicut habent diversas entitates realiter distinctas.

Probatur secunda pars: Ex Aristotele: Motus non multiplicatur numero, nisi interrumpantur, ergo nec actus peccaminosi multiplicantur, nisi per interruptionem prioris actûs, cui succedit posterior, quia non durat actus voluntatis per continuam partium successionem, sed per perseverantiam unius & indivisibilis actûs circa idem objectum, ergò nec multiplicari poterunt, nisi interrumpantur, quamdiu enim voluntas durat in illo actu interiori quo peccatum committit, tamdiu non erit aliud numero distinctum peccatum, duret etiam quantocunque tempore velit, quamvis illa duratio sit circumstantia aggravans etiam neces-

necessariò in confessione exprimenda, unde quamdiu manet voluntas continuò amando aliquod objectum materiale sub eadem ratione illud aut desiderando, aut in illo se delectando, quamvis plures faciat reflexiones, unum tamen est peccatum, quia illæ reflexiones potius se habent per modum intensionis, & novæ animadversionis per intellectum factæ, adeóque ad multiplicationem actuum necessaria est aliqua interruptio, ut alius actûs de novo inchoare, & succedere possit.

IV. Interruptio in peccatis numericis dupliciter fieri potest.

Probatur tertia pars: Hanc interruptionem fieri posse per contrariam voluntatem retractantem, Quia certissimum est, illos actus esse numero distinctos, quantumvis breve tempus intercedat, ergo interruptio fit per cessationem & retractionem. Probatur antec. Quoties homo voluntariè cessat ab interiori consensu & delectatione, per dolorem, nolitionem ejus, aut volitionem fugere delectationem, tanquam peccaminosam, & ideò ad alia voluntariè se convertit, tunc interruptio est perfecta illius actûs, & physica, & moralis, ergo si alius actus subsequitur non erit prior, sed alius numero distinctus novúmque peccatum: quod probatur: Tum, quia prior totaliter desiit: Tum, quia nova accessit deliberatio, consensus & delectatio, ergo & novum peccatum, quia adsunt & novæ entitates physicæ, & novæ malitiæ, seu privationes rectitudinum in hujusmodi actibus.

Probatur quarta pars: Interruptionem etiam multiplicare actum, si notabile intercedat tempus, quamvis positivè non retractâsset quis actum: Quia toties est moralis & physica interruptio, quoties prior actus cessavit, & prior consensus non amplius influit, sed alius: atqui si delectatio morosa v. g. per somnum unius horæ, aut etiam noctis interrupta fuerit, prior consensus & deliberatio, aut delectatio non amplius manet, ergo. Probatur min. Quia virtus prioris consensûs & deliberationis post notabilem interruptionem amplius nequit influere, cùm amplius non sit, & totaliter defierit; nec aliquid allegari possit, ratione cujus isti duo actus continuentur: imò post somnum horæ, aut noctis nova deliberatio, & novus consensus accedit, adeóque & certissimum novum peccatum numero distinctum, loquendo de numerico ejusdem speciei peccato. Hinc particulariter noto, cessationem temporis non esse ita necessariam ad multiplicationem numericam peccati, si alia species accedat, quando videlicet objecta formalia mutantur, & diversæ turpitudines succedunt. V. g. Si quis delectetur de una persona libera affectans ejus amplexus, & hac relicta transiret affectu ad conjugatam, à conjugata ad voto obstrictam, eodem actu delectationis durante plura committeret peccata & specie & numero distincta, & necessariò in confessione exprimenda.

Progredior nunc ad peccata in actum externum prodeuntia, aut etiam in illis consistentia, in quo pariter certum esse debet toties peccatum numero multiplicari, quoties cessatur à toto actu externo & interno, & postmodum alius in eadem specie inchoatur, eadem enim est de his ac de purè internis ratio. Restant tamen adhuc aliæ difficultates, quas breviter expediendo

V. Actus dispositivi ad peccatum totale, unum cum illo faciunt.

Dico Secundò: *Actus peccaminosi præcedentes & disponentes ad aliquod peccatum totale consummandum, censentur unum peccatum esse cum actu completo, & peccato consummato, nisi actus prævij haberent malitiam non subordinatam.* Ita communiter Doctores apud Suarez disp. 22. de integrit. Confess. Et patet ex usu Ecclesiæ. Probatur Ratione: Quia actus physici & materiales per modum dispositionum totam suam malitiam participant ab interiori intentione & fine ad quem à voluntate diriguntur, ergo ex se non sunt peccata completa: probatur antec. Quia sæpè contingit, quòd

quòd actus physici licèt ad malum ordinati, non sint moraliter mali, v. g. volo occidere Cajum, & ideò surgo ex lecto, vestio me, præparo ensem, ascendo equum, & pergo per milliare, ut Cajum deprehendam, quem vulnero & occido, actus omnes præcedentes ex se mali non erant, sed indifferentes, ergo ex solo interiori & fine suam malitiam participârunt. Confirmatur: Quia actus prævij satis intelliguntur in actu principali, cum quo constituunt unum homicidium totale & consummatum, quemadmodum habitâ notitiâ causam suum posuisse effectum, statim cognoscitur etiam dispositionem necessariò præcessisse præviè ad illum effectum, unde Confessarius habet sufficientem pœnitentis statûs cognitionem ad debitum de eo ferendum judicium. Dixi autem in conclusione *Nisi actus haberent malitiam non subordinatam*, quia si tales actus prævij haberent specie distinctam malitiam ab objecto principali, deberent specialiter in confessione exprimi, e. g. si pergens ad occidendum hominem in via blasphemaret, dira imprecaretur, pejeraret &c. hæc forent particulariter confitenda. Imò sentiunt etiam Doctores, si actus prævij mali sunt, & sine intentione ad actû principalem facti, esse exprimendos, licet postmodum per accidens sequatur effectus principalis v. g. Petrus impudicè conversatur cum Paula in osculis & tactibus hos præcisè intendens, confiteri debet eos, licèt postmodum nova resolutione facta etiam carnale consummet peccatum.

VI. *Actus physici distincti ad unum completum concurrentes, unum tantum faciunt moraliter peccatum.*

Dico Tertiò: *Actus exteriores peccaminosi physicè distincti non distinguuntur moraliter ad numerum peccatorum multiplicandum, & in confessione exprimendum, si se habent ut partes unius peccati completi & totalis in communi æstimatione hominum, sed faciunt unum tantùm numero peccatum, nisi ex circumstantia oriretur aliqua alia differentia.* Hæc est communis sententia Cajetani, Navarri, Suarez, & aliorum. Probatur Primò. Ex Scriptura: Sanctus Petrus dicitur negasse Christum Dominum tribus vicibus tantum, ut patet ex Matth. 26. *In hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis*, sed constat Petrum sæpiùs negâsse Christum secundùm actus physicus, nam ut refert D. Marcus cap. 14. in prima negatione dixit: *Neque scio, neque novi quid dicas.* Secundò simpliciter *iterum negavit*, & tertia vice versu 71. *Cœpit anathematizare, & jurare, quia nesciò hominem istum, quem dicitis*, ergo actus physicè distincti sine interna interruptione et unum completum facientes non multiplicant numero peccatum. Probatur Secundò ex *Cap. Cum pro Causa* 24. *de sent. Excom.* ubi insinuatur, unam excommunicationem incurri à percussore Clerici, quem tamen sæpius percusserat, in dormitorio scilicet, & in claustro, quia isti actus multiplicati reputabantur una percussio, hinc etiam qui pluribus ictibus uno impetu continuatis quempiam percutit & occidit, non nisi unum peccatum committit. Item qui in eadem contentione & rixatione contra alterum plura verba contumeliosa congerit, & plures defectus objicit, is unum peccatum complet.

Hinc docet Cardinalis de Lugo, sacerdotem indignè celebrantem committere unum peccatum mortale, licèt interponatur concio, & licèt tunc penitus distraheretur sive dicendo horas, sive dormiendo, aut quidcunque aliàs tractando. Diana autem parte 1. Resol. 4. tract. 7. ait: Testem interrogatum de pluribus rebus & articulis sub juramento, ac in omnibus mentientem & pejerantem committere unum peccatum, & posse id totum ut unum confiteri, quod sat probabile censeo, sed non universaliter, quia si esset alia & alia materia atque diversa causa, dico talem plura committere peccata necessariò exprimenda, unde Diana intelligendus est de eodem objecto, & in eadem materia. Quare in similibus casibus standum potius & sequendum prudentiorum judicium,

Digitized by Google

cùm enim connexio & unio actuum non semper sit eadem, nec æqualiter ubique sufficiat, illorum erit discernere, quando unum, vel multiplex tales actus faciant peccatum, in ordine ad, & in confessione exprimendum, contingere enim potest, quòd fortè coram DEO sit multiplex delictum, & duplici pœna dignum, quod tamen in confessione sub uno satis exprimitur, quia reliqui actus integrantes subintelliguntur, & hoc ex misericordissima DEI dispositione accommodante se fragilitati humanæ, quæ non potest ita adæquatè singulorum actuum distinctionem penetrare.

VII. Actus peccaminosi completi etiam contigui faciunt distinctionem numericã.

Dico Quartò: *Actus peccaminosi opere completi, licet unus post alterum immediatè sequatur, sunt absolutè numero distincti, & necessariò in confessione exprimendi.* Ita communis, & Suarez supra. Probatur: Quia inter talia peccata opere consummata, v. g. inter duo homicidia, & duas fornicationes immediatè continuatas non est ulla moralis subordinatio & compositio, ergo constituent non unum sed duo numero peccata: probatur antec. quia unum non ordinatur ad aliud ut pars integrans, nec ut dispositio prævia, ergo non est ulla moralis subordinatio. Confirmatur: Quia in actibus humanis sunt aliqui exteriores actus, qui habent determinatos terminos, in quibus consummantur, qui si attingantur, ibi peccatum est plenè consummatum, si aliquod aliud subsequatur merè per accidens est, sive immediatè subsequatur, sive post alicujus temporis interruptionem, quod declarari potest exemplo: Nasci hominem est actus completus, & licèt paulò pòst sequatur, vel etiam immediatè alterius hominis nativitas, v. g. Jacob & Esau, sunt duæ completæ nativitates, ergo etiam duæ completæ fornicationes, licèt immediatè sequantur.

Hinc infero Primò: Illum, qui unico conflictu plures personas occidisset, aut vulnerâsset: Qui in malo statu unum baptizaret, & statim postea alterum: Qui in die Natali Domini ter consequenter celebraret; vel qui plura alia Sacramenta consequenter irrita efficeret, deberet tot peccata confiteri. Infero Secundò: Illum, qui pluribus personis successivè Sacramentum pœnitentiæ administraret indignè absque interruptione sæpius peccare, quia singulæ confessiones & absolutiones sunt completa & integra Sacramenta, nec ulla ratione sibi subordinantur, aut cöuniuntur, nam quod confessarius sit expositus una vice ad confessiones adventantium percipiendas nihil facit, nec plus unit, quàm in eo, qui expositus est unâ vice ad baptizandum, si plures successivè delatos baptizaret, ergo sicut iste plura peccata committit, ita & ille.

Inferunt aliqui Tertiò: Hoc idem censendum esse de administratione Sacramenti Evcharistiæ, verumtamen puto hîc disparitatem esse, nam quamvis contra Vasquez & alios concedatur esse mortale in peccato illud administrare, attamen non videtur peccata ibi multiplicari, quia distributio illa habet ordinem & connexionem ad se invicem ex unitate convivij, ratione cujus omnes convivæ, & distributiones ad se invicem coordinantur, & maximè si fiant sub eadem Missa.

VIII. Actus consummatũ subsequentes distinguuntur numero.

Dico Quintò: *Actus exteriores subsequentes actum consummatum etiam incompleti numero distinguuntur à consummato, ita quod particulariter in confessione sint exprimendi.* Hæc est Suarez contra Navarrum. Declaro conclusionem exemplo: Si quis consummâsset fornicationem, & postmodum cum eadem Bertha tactibus impudicis se delectaret, talis teneretur subsequentes actus in confessione exprimere. Probatur conclusio: Quia actus subsequentes non sunt partes prioris actus consummati, neque ex natura rei illum subsequuntur, quasi proprietates sicut præcedentes ordinantur ad consummandum actum, tanquam dispositiones; neque in actu completo

Digitized by Google

pleto virtualiter includuntur, sed simpliciter ex malitia operantis adjunguntur, ergo non sufficit actum consummatum exprimere solum, sed etiam requiritur delectationes postmodum quæsitas adjungere, sicut ille peccato adjunxit peccatum, cùm tales actus non includantur in priori fornicatione, sed disponant iterum ad novam, cum qua, si intenderetur, quidem conjungerētur, hac autem præcisa intentione, de se sunt mortales, & confitendi.

Hinc infero: Quòd si quis fornicatione peracta, paulò pôst de ea delectaretur etiam adhuc durante peccati fervore, aut de eo gloriaretur cum nova complacentia, talis de novo particulariter peccaret, quia licèt ista omnia in flagranti contingerent, & in fervore peccandi, sunt tamen distincti actus mali physicè & moraliter, quorum distinctio non ex interruptione, vel temporis continuatione desumitur, sed ex natura talium actuum, & insuper quia actus isti versantur de priori fornicatione veluti circa materiam novam & particulare objectum. Plura de interruptione & continuatione actuum vide in circumstantia *Quomodo*. Nunc sit

DISPUTATIO QUARTA.

DE

Originali Peccato.

PEccatum Adæ, in quo omnes peccamus, non sic originale dicitur, quasi ipsum esset prima origo, fons & omnium peccatorum scaturigo, nam dicit Apostolus: *Ab*
1. Joan. 3. Sapient. 2. *initio diabolus peccat.* Et Sapiens: *Invidiâ diaboli mors intravit in orbem terrarum*, sed quia ipse Adam est Pater & origo omnium hominum cum peccato
August. lib. 1. de peccat. merit. & remiss. cap. 9. nascentium, ut pulchrè dicit D. Augustinus: *Imitantur quidem Adam, quotquot per inobedientiam transgrediuntur mandatum DEI: sed aliud est, quod exemplum est voluntate peccantibus, aliud quod origo est cum peccato nascentibus:* à quo proinde nec infans, cujus unius diei vita est super terram immunis est. Examinato ergo peccato Adami, quo ipse actualiter peccavit, & natura peccati in genere videndum est de illo, quo originaliter omne genus infecit humanum. De hoc originali peccato sæpius agit Magnus Doctor Augustinus, attamen particularem librum edidit contra Pelagium de peccato originali. De eodem tractârunt S. Ambrosius, quem S. Augustinus citat, Prosper super Genes. Fulgentius lib. de grat. Christi cap. 3. & cap. 4. Anselmus. de Conceptu Virginali. Inter Scholasticos de illo agit particulariter D. Thomas 2. 2. q. 81. & ibidem sui interpretes. Scotus 2. d. 30. 31. & 32. per totam, & ibidem reliqui Scholastici. Ex Controversistis de eo tractant Alphonsus de Castro lib. 2. adversus hæreses, Andreas de Vega lib. 2. in Concil. Trident. Bellarminus tom. 3. Controvers. Est autem materia

hæc difficillima cognitu, & abscondita ab oculis mentis nostræ, unde idem S. Augustinus lib. 1. de mor. Eccles. cap. 22. dicit: *Nihil esse peccato originali ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius.* Sit ergo.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit Peccatum Originale?

I. Originale Peccatum negare propria hæresis Pelagianorum.

Negare peccatum originale propria hæresis Pelagianorum est, ait S. Augustinus lib. de hæresibus ad Quodv. hæresi 88. & iterum lib. de peccat. merit. cap. 9. *In parvulis nolunt credere (Pelagiani) per baptismum solvi peccatum originale, quod in nascentibus nullum omninò esse contendunt.* Verùm ut scribit Possidonius in vita S. Augustini cap. 18. *Quoniam ijdem perversi sedi Apostolicæ per suam ambitionem eandem perfidiam persuadere conabantur, instantissimè etiam Concilijs Africanis Sanctorum Episcoporum gestum est, ut Sancto Papæ Urbis Romæ, & prius Venerabili Innocentio, & postea Sancto Zozimo ejus successori persuaderetur, quòd illa secta Catholica fide & abominanda & damnanda fuisset. At illi tantæ Sedis Antistites, suis diversis temporibus eosdem notantes, atque à membris Ecclesiæ præcidentes datas litteris ad Africanas, Orientis & Occidentis Ecclesias, eos anathematizandos & devitandos ab omnibus Catholicis censuerunt.* Idem hisce temporibus modernos Sectarios infrà citandos abundanter præstiterunt Concilium Florent. in Decreto Eugenij IV. & Trident. sess. 5. can. 3. *Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine unum est, & propagatione, non imitatione transfusum omnibus, inest unicuique proprium, vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium asserit tolli, quàm per meritum unius mediatoris Domini nostri JESU Christi, qui nos DEO reconciliavit in sanguine suo, factus nobis justitia, sanctificatio, & redemptio ..... anathema sit.* Supposito hoc tanquam certo, quod ulterius quæst. 2. demonstrabo.

II. Originale circa pec-

Porrò in explicanda naturâ peccati originalis diversimodè errârunt hæretici, & inter se variant Catholici, nam Illyricus, & sequaces ejus asserunt peccatum originale esse substantiam, seu ipsam essentiam animæ factam diaboli imaginem, ac proindè animam rationalem peccato primi hominis substantialiter totam corruptam esse, ac transformatam ex DEI imagine in imaginem diaboli.

catum explicandum diversi errores.

Calvinistæ, & Lutherani communiter sentiunt, ac docent peccatum Originale nihil aliud esse, quàm illam corruptionem naturæ, qualis remanet etiam in peccatoribus, nempè concupiscentiam, ignorantiam, difficultatem ad bonum, propensionem ad malum, & similia, quæ Catholici vocant effectus, pœnásque peccati, & vulnera naturæ.

Tertia sententia est Magistri sent. 2. dist. 31. *Henrici* quodl. 11. & aliorum, qui dicunt, peccatum originale nihil aliud esse, quàm morbidam quandam qualitatem in anima contractam per ejus infusionem in carnem, infectam & pollutam à quadam qualitate fœda, & morbida carnis parentum infectorum, quæ qualitas dicitur in anima *Lex membrorum, fomes, Tyrannus*, & quasi pondus excitans motus sensuales, inclinans animam ad condelectandum carni, & retardans à bono Spirituali. Quæ sententia differt ab hæreticorum errore in eo, quòd Catholici isti Authores dicant, illam morbidam qualitatem post baptismum, & justificationem nullo modo manere, hæretici verò affirmant, & penes alias differentias, quas allegant.

III. Originale peccatum non est unum numero in omnibus.

Quarta sententia, seu error est quorundam dicentium, peccatum originale esse quidem illam primam Adami inobedientiam, qua violavit præceptum de non gustando pomum vetitum, in quo omnes Catholici

ogle

lici conveniunt, sed errant in hoc, quòd dicant, illud peccatum esse unum numero in omnibus posteris, non re ipsa, seu tanquam aliquid intrinsecè inhærens ad eum modum, quo peccata actualia dicuntur inhærere, sed tantùm per imputationem. Hunc errorem damnavit Concilium Tridentinum sess. 5. can. 3. ubi suprà definit, peccatum Adæ, quod origine unum est, omnibus tamen per propagationem transfusum esse, ac unicuique proprium, & per baptismum tolli ab eis, quod habet propriam rationem peccati. Denique refutatur ista sententia per illud ad Rom. 5. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita etiam per unius obedientiam justi constituuntur multi*, sed de fide est, nos non esse formaliter justos justitiâ Christi, sed per eam, quam quisque in se habet, ergo etiam nemo est formaliter peccator per ipsum primi hominis peccatum, sed per id, quod quisque in se jure quasi hæreditario contrahit.

Sunt & complures alij errores, ac opiniones Catholicorum, ut videri potest apud Bellarminum tom. 4. Communior eorundem est, Peccatum originale esse formaliter privationem boni cujusdam supernaturalis, dissentiunt tamen, an illud bonum sit ipse habitus justitiæ originalis? an verò actus natus elici ab ipso? An gratia sanctificans? an aliquid aliud? Pro intelligentia igitur dicendorum

IV. Adæ in lumbis existentes peccavimus.

Prænotandum Primò: Adamum habuisse obligationem, & debitum reservandi sibi & nobis justitiam originalem, quæ reservatio dependebat ab observatione præcepti de non edendo pomo vetito ex ligno scientiæ boni & mali, quæ conservatio quidem potissimum consistebat in eo, quòd non eliceret actum positivum contrarium illi præcepto; adeóque in eo, quòd servaret rectitudinem debitam in suis actibus, eos non eliciendo contra DEI præceptum, quam obligationem nos tunc in lumbis ejus existentes quoque habuimus, ita quòd illius culpa personalis & actualis, nostra esset originalis, sicut & justitia illius suo modo, quasi hæreditario jure ad nos transfunderetur, si ille perseverâsset, solus enim Adam actuali voluntate in sua propria persona illud commisit, nobis verò communicatur per generationem, omnibus etiam imputatur, qui ex Adamo nascuntur, quia omnes in lumbo Adæ existentes in eo, & per eum peccavimus, cùm ipse peccavit. Doctrina hæc est Magni S. Augustini, & quia fortè dulcius erit ex ipso fonte haurire ejus scientiæ aquas, cito unum locum, nam lib. 2. de Nupt. & Concupisc. cap. 8. ait: *Ex voluntate peccatum est. Quærit fortè (Pelagius) utrum & originale peccatum? Respondeo, prorsus & originale peccatum, quia & hoc ex voluntate primi hominis seminatum est, ut & in illo esset, & in omnes transiret.* Et clariùs multò lib. 3. de peccat. merit. & remiss. c. 7. *Per unum hominem Peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccaverunt. Unde nec illud liquidè dici potest, quòd peccatum Adæ etiam non peccantibus nocuit, cùm Scriptura dicat: in quo omnes peccaverunt, nec sic dicuntur ista aliena peccata, tanquam omninò ad parvulos non pertineant: siquidem in Adam tunc peccaverunt, quando in ejus natura illa insita, in qua eos gignere potuerat, adhuc omnes ille unus fuerunt, sed dicuntur aliena, quia nondum ipsi agebant vitas proprias, sed quidquid erat in futura propagine, vita unius hominis continebat.* Hinc licèt peccatum illud personaliter sit unum, quia nimirum ab una persona actu commissum, originaliter tamen est totuplex, quot personæ ab Adam per naturalem generationem ab eo descendunt, excipe semper B. Virginem Mariam, de qua nunquam, cùm de peccatis agetur, volo habere mentionem.

V. Privatio ...

Notandum Secundò: Peccatum pro formali, quod univocè descendit

sitivos terminos explicantur. scendit ad actuale & originale, consistere in privatione, ac consequenter de uno idem dicendum, ac de altero, cœteris salvis, unde sicut negationes & privationes non possunt explicari nisi per terminos positivos, quos privant, vel negant, ut cœcitas vel surditas, non aliter explicantur, aut dignoscuntur, nisi per positiva eis directè opposita, puta per visum & auditum, sic quoque peccatum originale, si privatio est, explicari debebit per aliquid positivum, quô privavit hominem, nam ut idem S. Augustinus concione contra Judæos, Reg. & hæret. c. 2. dicit. *Cum tanta bona homini diabolus abstulisset, pudicitiam, continentiam, charitatem, immortalitatem, eumque turpem ac nudum reddidisset, obsitum suis pannis, deridens eum, suo Domino obstrinxit, atque ex illo vinculo omnem prolem ejus sibimet obligavit.* Subjungit ibidem: *quid perdidit, quid accepit?* nempe ex omnibus illis perditis, in quo consistat privatio nostra?

VI. Comparatio inter meritum & peccatum. Notandum Tertiò: Quòd sicut meritum, quo promeremur vitam æternam, non consistit in habitu formaliter, vel qualitate aliqua nobis superaddita, sed in actu voluntatis, vel alterius potentiæ ab ipsa imperato, ita ex opposito demeritum seu peccatum, quo meremur pœnam, non debet poni formaliter, nisi in carentia, seu privatione actûs talis boni, quem debuissemus habere, hinc peccatum dicitur transgressio legis divinæ, id est, carentia actûs, quo debemus legem observare. His ita præmissis

VII. Peccatū nō [est] substa[ntia]. Dico Primò: *Peccatum originale non est substantia.* Ita fides contra Illyricum suprà, & Probatur Primò: ex D. Augustino lib. de nat. & grat. ubi cap. 10. generaliter de omni peccato dicit: *Non est peccatum aliqua substantia, sed tantum hoc nomine perperam facti actus exprimitur.* Et lib. 6. contra Julian. cap. 7. expressè ait: *Peccatum originale non esse corpus, neque substantiam*, nam ut illemet arguit, DEUS alioquin esset author peccati, cùm sit author substantiæ. Enarratione in Psalm. 68. iterum universaliter docet peccatum non esse substantiam, & in Psalm 123. ait: Peccatum inopiam habere & egestatem in illud: *Torrentem pertransivit anima nostra.* Dicens: *Quæ est aqua sine substantia, nisi aqua peccatorum sine substantia? Peccata enim non habent substantiam; inopiam habent, non substantiam, egestatem habent, non substantiam. In ista aqua sine substantia, perdidit ille minor filius totam substantiam suam.* Sed inopia & egestas non sunt nisi carentiæ & privationes, ergo etiam peccata. lib. 7. Confess. cap. 12. *Malum illud, de quo quærebam, unde esset, non est substantia, quia si substantia esset, bonum esset.* Ex quo ulterius Probatur Secundò. Si substantia est, vel est à DEO efficienter, vel à diabolo solo? Non primum, quia omnis creatura bona est, imago autem diaboli non potest esse bona: Nec secundum. Quia *sine DEO factum est nihil.* Joan. 1. ergo omnis substantia à DEO facta est, & per consequens peccatum originale, aut substantia non est, aut si est, erit à DEO, adeóque DEUS erit author peccati, aut certè alium DEUM malum oportet ponere cum Manichæis, & Marcionistis, qui sit causa omnis mali.

Probatur Tertiò: De fide est, animam rationalem esse Spiritualem, & incorruptibilem, sed si peccatum originale substantialiter corrumpit animam, ut vult Illyricus, anima erit corruptibilis, ergo. Tum etiam, Quia aliàs Christus Dominus non assumpsisset eandem specie naturam nobiscum, quoniam illius natura & substantia, nullum est, aut esse potest peccatum. Tum denique, Quia in resurrectione non resurgeremus in eadem specie natura, in qua nati sumus &c. plura alia sequerentur absurda. Nihilominus in contra

Opponitur Primò: Authoritas Scripturæ Gen. 8. dicitur. *Figmentum cordis humani malum esse ab adolescen-*

lescentia sua. Ad. Rom. 6. *Vetus homo noster crucifixus est, ut destruatur corpus peccati.* Et ibidem dicitur: *Non regnet peccatum in corpore vestro mortali ad obediendum concupiscentijs ejus.* In quibus locis significatur, corpus, veterem hominem esse peccatum & peccatum habere corpus, & regnare in corpore mortali, quæ omnia sunt propria solius substantiæ, ergo peccatum originale, de quo ibi fit mentio, est formaliter substantia. Respond. neg. consequ. Quia Sacra Scriptura in illis & similibus locis figuratè tantùm loquitur, sicut in Psalm. 68. dicitur: *Confusio operuit faciem meam*, certè confusio non est substantia, & tamen describitur, quasi esset indumentum aliquod; sic etiam D. Augustinus citatus conci: contra Paganos &c. c. 2. comparat peccatum originale, & personale ipsiusmet Adami cum pannis dicens: *Turpes enim pannos suscepit Adam, quando à diabolo exspoliatus pudicitiâ, accinctus est impudicitiâ, amissâ temperantiâ, intemperans effectus est, perdita charitate, malus inventus est, exspoliatus immortalitate morti propinatus est.*

Similiter Christus Dominus legitur Lucæ 4. *Imperavit febribus*, imperare est autem illis, qui audire possunt, sicut & prædicare, qualis non est febris, & tamen describitur tanquam substantia quædam intellectualis. Hoc eodem modo figurato dicitur quoque Christus Dominus, *factus est pro nobis peccatum*, quia scilicet victima fuit pro peccatis, & tollens peccata mundi, unde ut ad singula respondeam loca: Dico ad primum, per *figmentum cordis* intelligi cogitationes malas, quæ à corde, & à mente finguntur: *Vetus homo* sumitur pro vita veteri in peccatis peracta: *Et corpus peccati* pro congerie, & collectione peccatorum, quam considerat Apostolus tanquam unam massam, quæ collectivè ex pluribus rebus, vel non rebus confici solet, sicut ipsæ regulæ, leges, & canones (quorum peccatum est transgressio) dicitur *Corpus juris.* Hinc cape ansam instando.

Instatur: Omne id est peccatum, quod pugnat cum lege, sed ipsa anima, quæ est substantia, pugnat cum lege, ergo est peccatum. Respond. neg. maj. Quia non id, quod pugnat, est peccatum, sed quo lex impugnatur, & violatur, peccatum est, nempè ipsa contrarietas, & repugnantia contra legem est formaliter peccatum, qui verò pugnat contra legem, est peccans, non peccatum ipsum.

Arguitur Secundò: Homo per peccatum amisit imaginem DEI, & assumpsit imaginem diaboli, sed imago diaboli est peccatum, & substantia, ergo: probatur maj. Joan. 8. *Vos ex patre diabolo estis.* Et D. Augustinus in Dialog. ad Orosium dicens: *Ad imaginem & similitudinem suam creavit eum, quia justum, & sanctum, & verum, sicuti est, creavit: ad similitudinem, quia immortalem & æternum condidit eum, nisi peccâsset: sed statim ut peccavit, imaginem & similitudinem perdidit.* Respond. neg. maj. Quia homo per peccatum non amisit imaginem DEI, quæ est ipsa anima rationalis, sed benè fuisse per illud multùm illam imaginem deturpatam, ut semetipsum explicat S. Augustinus lib. 2. Retract. cap. 24. his verbis: *Quod dixi, Adam imaginem DEI, secundùm quam factus est, perdidisse peccato, non sic accipiendum est, tanquam in eo nulla remanserit, sed quòd tam deformis, ut reformatione opus haberet.* Unde alij Patres inter imaginem & similitudinem DEI distinguunt, & per imaginem ipsam animæ substantiam intelligunt, per similitudinem verò ornamenta virtutum, & donorum supernaturalium, & hanc similitudinem dicunt Adamum perdidisse, quod verum est, & per Christum renovatum, & restauratum esse.

VIII. Concupiscentia nō est originale peccatum.

Dico Secundò: *Corruptio naturæ, seu concupiscentia, quæ remanet post baptismum, nullo modo ex natura pec-* catum

(*) Ttttt

catum dici potest. Ita contra Hæreticos Calvin. & Luthera. definit Concilium Trident. Sess. 5. can. 5. *Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur, & sentit: Quæ cùm ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed utiliter per Christi JESU gratiam repugnantibus non valet: quinimò qui legitimè certaverit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè, & propriè in renatis peccatum sit; sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.* Ex quo probata manet conclusio 1. Probatur 2. Ex Scripturis ad Rom. 8. ubi postquam Apostolus in cap. 6. & 7. multa dixisset de concupiscentia, nunc per metaphoram & figuram, quæ metonomyadicitur, appellando eam *peccatum*, nunc *legem membrorum*, tandem in loco citato concludit: *Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo JESU, qui non secundùm carnem ambulant*, quasi diceret, nihil timendum esse in Christo justificatis, quamvis habeant concupiscentiam repugnantem legi mentis, ergo secundùm Apostolum illa concupiscentia non est peccatum ex natura sua, alioquin certè multum esset timendum, nè propter eam æternaliter damnemur, si sit peccatum, per quod meremur damnationem. Nec valet dicere, intantum concupiscentiam non inferre damnationem, non quia non sit peccatum, sed quià nobis jam justificatis non imputatur; Non valet inquam, nam hoc esset in re nobiscum sentire, quod enim eis est, DEUM non imputare culpam ad pœnam, hoc nos dicimus planè remittere, prout fusè cum alijs tradidi in materia de Sacramentis.

Probatur Tertiò: Ex Epistola D. Jacobi cap. 1. *Unusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus. Deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum: peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Ubi Apostolus, & ex eo Patres, ac Doctores quadruplicem colligunt rerum distinctionem, videlicet *concupiscentiam*, quæ est potentia prona, & inclinata ad malum, & tres ejus motus, nempè *Suggestionem*, *delectationem*, & *consensum*: Suggestio est apprehensio rei delectabilis attrahentis animam, quòd si illa apprehensio trahat ad complacentiam cum aliquo imperfecto consensu voluntatis, tunc est secundus motus, scilicet delectatio, quæ, ut dicit S. Jacobus, est peccatum, ex se veniale, quòd si verò suggestio adjuncta delectationi trahat ad plenum & perfectum consensum, tunc est tertius motus, de quo dicit Jacobus: *Peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem*, id est, peccatum mortale, ubi Apostolus manifestè ostendit concupiscentiam non esse peccatum, sed tantùm alliciens ad peccatum.

Et hæc est expressa doctrina, & explicatio D. Augustini lib. 5. contra Julianum cap. 5. *Cum dicit Apostolus Jacobus: Unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus: deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum, profectò in his verbis partus à pariente discernitur. Pariens enim est concupiscentia, partus peccatum. Sed concupiscentia non parit, nisi conceperit: non concipit, nisi illexerit, hoc est, ad malum perpetrandum obtinuerit volentis assensum. Quod ergo adversus eam dimicatur, hoc agitur, ut concipiat, pariatque peccatum.* Hinc sicut consentientibus est occasio & incentivum, sic quoque si ei resistamus, non solùm non erit peccatum, sed & maxima occasio coronæ, juxta eundem Apostolum ibidem dicentem: *Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit DEUS diligentibus se.* Sed pro Luthero

Oppo-

Digitized by Google

IX. Concupiscentia qua ratione dicatur peccatum.

Opponitur Primò: Authoritas Scripturæ ad Rom. 6. *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentijs ejus:* Ubi expressè Apostolus loquitur de concupiscentia, & vocat eam *peccatum*, monétque, ut *non regnet*, ergo. Respond. Ex jam sæpe dictis concupiscentiam vocari peccatum per figuram metonomiæ, vel quia est causa & origo peccati actualis, si ei consentiatur, vel quia est effectus originalis.

Instatur: Apostolus vocat ibidem cap. 7. concupiscentiam *Non bonum:* Imò *malum* appellat, Quod *odi malum facio:* deinde describit illam privativè dicens: *Perficere bonum non invenio.* Quartò dicit illud malum esse crucifigendum & destruendum. Denique propter hoc malum exclamat idem Apostolus: *Miser ego homo*, sed hæc omnia non possunt verificari nisi de propriè dicto peccato. Respond. concupiscentiam, quamvis non sit propriè peccatum, rectè tamen dici *non bonum, malum*, & malum privativum, mortificandum, & crucifigendum, quia revera est quædam corruptio, & fomes incitans ad malum, ac propterea ei totis viribus resistendum est, alioquin valdè miseri sumus, unde semper ad DEUM clamandum est, ut non permittat nos illi succumbere, quia verè tyrannica ejus est potentia, si semel regnet.

Urgetur: Hæc non solvere, quin concupiscentia sit verè peccatum, nam ibidem ad Roman. cap. 7. ait: *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis*, atqui repugnare legi mentis est verè peccatum, ut dictum est in priori tractatu de regulis conscientiæ, ergo. Respond. neg. min. Quia, ut suprà dictum est, non omne, quod repugnat legi, vel DEO, est peccatum, alioquin ipse homo esset verè peccatum, unde concupiscentia, licèt incitet ad peccatum, non tamen in se formaliter est peccatum. Aut si argumenta ista probarent, concupiscentiam esse verum peccatum, probarent actuale esse, non originale, cùm actu sentiamus in nobis ejusmodi motus, qui verè sunt actus personales nostri.

Urgetur adhuc: Motus concupiscentiæ sunt illiciti, & incitant ad peccatum, & prohibentur, ergo sunt verè peccata. Respond. neg. consequen. Quia illi motus ideò dicuntur illiciti, quia non licet eis consentire, & hoc modo prohibiti dicuntur, in quantum sunt in nostra potestate, sed non sunt prohibiti tanquam peccaminosi, quando non sunt in potestate nostra, ut sunt motus illi, qui reluctante animo interdum oriuntur.

Arguitur Secundò: Concupiscentia non est ex DEO, ut colligitur ex epist. 1. Joan. 2. sed omnis justa pœna est à DEO, ergo concupiscentia non est solùm pœna, sed etiam verè peccatum. Respond. neg. consequ. Nam si valeret, probaret, quòd mors temporalis non sit à DEO, nam Sapien. 1. dicitur: *DEUS mortem non fecit*, dicitur ergo concupiscentia non esse ex DEO, quia ille non fuit author peccati, unde illa manavit, est tamen à DEO, quia in ultionem peccati abstulit frœnum justitiæ originalis, quæ frœnabat concupiscentiam, quomodo etiam mors temporalis est à DEO, quia non permitteret hominem mori, nisi se homo privâsset vitâ gratiæ.

Instatur: DEUS nullam infligit pœnam, nisi quæ expeti potest ob finem aliquem bonum, sed concupiscentia ob nullum talem finem expeti potest, ergo non est pœna, sed peccatum. Respond. neg. simpliciter majorem. Nam ignorantia, tentationes Sathanæ, verè sunt pœnæ, & tamen ob nullum finem expeti debent, cùm jubeamur orare, *Et nè nos inducas in tentationem.* Itaque non omnes pœnæ sunt expetendæ, sed benè aliquando tolerandæ propter virtutum exercitia, ut do-

Digitized by Google

cet D. Augustinus lib. 10. Confess. cap. 28.

Urgetur: Si in istis omnibus locis, in quibus concupiscentia dicitur peccatum, tò *peccatum* non accipitur propriè, non poterit ostendi ex scriptura dari ullum peccatum propriè dictum, ergo &c. Respond. neg. sequelam, nam ex regula generali S. Augustini lib. 83. qq. Omnis Scriptura ex antecedentibus, & consequentibus est intelligenda: Item ex materia & natura rei, de qua agitur: Insuper ex ratione & authoritate Patrum, & Ecclesiæ, quæ declarat in uno loco propriè, in alio impropriè peccatum accipi debere, ex his ergo cognoscitur diversa ejusdem vocabuli acceptio, & significatio. Sed

Dices: Si ergò concupiscentia non est peccatum, quare Christus Dominus non assumpsit eam, cùm tamen assumpserit alios defectus naturæ humanæ? Respond. Christum Dominum assumpsisse perfectam naturam cum omnibus defectibus decentibus sanctitatem tantæ personæ, quia autem concupiscentiæ motus non decebant ipsum, & habuit habitus virtutum oppositos in summa perfectione, qui concupiscentiam pleno dominio sub se habebant, ideò non debuit hunc pœnalem defectum assumere.

X. Originale peccatum non est morbida qualitas.

Dico Tertiò: *Peccatum originale non consistit in aliqua morbida qualitate, ad animam ex carne infecta, transfusa.* Ia Scotus 2. dist. 32. ubi ad longum refutat opinionem Magistri. Probatur Primò: Ratione Scoti: Quia fomes ille, tyrannus, rebellio, & concupiscentia in puris naturalibus essent, nam appetitus natus est ferri ad suum delectabile, & tamen tunc non esset peccatum originale, ergo. Secundò: Omnia ista manent etiam post baptismum in renatis, ut docet D. Augustinus lib. 1. de peccat. merit. cap. 39. ubi dicit: *In parvulis certè gratia DEI per baptismum ejus, qui venit in similitudine carnis peccati, id igitur, ut evacuetur caro peccati. Evacuatur autem non ut in ipsa vivente carne concupiscentia conspersa & innata, repentè absumatur, & non sit, sed ne obsit mortuo, quæ inerat nato.* Et patet ab experientia, & tamen secundùm omnes Doctores non manet peccatum originale, ergo non consistit formaliter in istis.

Probatur Tertiò: Non est intelligibile, quomodo voluntas primi hominis causet in semine suo tabem, qualitatémque talem, cùm semen nunquam fuerit animatum anima hominis, unde Anselmus de Concept. Virgin. dicit, quod non magis semen est infectum, quàm sputum, vel sanguis, & multò minus intelligibile est, quomodo caro similem qualitatem in anima causaret, cùm corpus immediatè, & per actionem realem in animam nequeat agere.

Probatur Quartò: DEUS est causa omnis entitatis positivæ, ergo & illius qualitatis, & consequenter si illa est formaliter peccatum, DEUS erit author peccati. Denique illa qualitas ponitur propter carnis rebellionem, qua eadem concupiscit adversus spiritum, sed ipsemet appetitus sensitivus sufficit ad illum effectum, ergo frustra ponitur illa qualitas ab eo distincta. Plura argumenta vide apud Scotum, ubi supra, & Bellarm. citat. Sed in contra

Opponitur Authoritas S. Augustini lib. 10. de concupisc. & Nupt. cap. 25. loquens de concupiscentia ait: *Non enim substantialiter manet, sicut aliquod corpus, aut Spiritus, sed affectio est quædam malæ qualitatis, sicut languor, non ergo aliquid remanet, quod non remittatur.* Et lib. 5. contra Julian. cap. 3. dicit: *Animam in corpore tanquam in vase vitiato corrumpi*, hoc est ex mala qualitate carnis redundare malam qualitatem in anima, ergo peccatum consistit in tali qualitate. Respond. neg. consequ. Quia D. Augustinus per qualitatem, seu affectum morbidum non intelligit aliud, quàm ipsam naturalem inclinationem, & sensualiter vi-

Digitized by Google

ter vitiatam ex carentia justitiæ originalis, & hoc modo dicitur languor. Ad 2. locum locum Respond. Ritè animam esse in corpore tanquam in vase vitiato, non per aliquam positivam qualitatem, per quam anima similem qualitatem attraheret, sed quòd anima non incipiat habere peccatum, nisi dum infunditur corpori naturaliter ab Adamo propagato.

XI. Peccatum originale non est ipsum Adæ peccatum.

Dico Quartò: *Peccatum originale non est ipsum Adæ peccatum manens in nobis moraliter.* Hæc est contra quosdam Scotistas, ut Vulpem tom. 1. part. 3. dist. 140. art. 6. Pontium, disp. 18. q. 3. concl. ult. est etiam contra Arriagam disp. 51. sect. 4. Granado, Salmeronem, & plures Recentiores. Probatur Primò: Ex Scriptura S. ad Rom. 5. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita & per unius obeditionem, justi constituentur multi*, sed non constituimur justi per obedientiam, aliósque actus virtutum Christi moraliter imputatos, aut formaliter, sed tantùm causaliter, in quantum scilicet promeretur nobis nostram justificationem, & justitiam internam, ergo.

Probatur Secundò: Ex Concilio Trident. Sess. 6. can. 3. *Nam sicut revera homines, nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti; cum ea propagatione, per ipsum dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahant: ita nisi in Christo renascerentur, nunquam justificarentur, cum ea renascentia per meritum passionis ejus gratia, qua justi fiunt, illis tribuatur*, ubi vides Concilium statuere parvulos, dum concipiuntur propriam injustitiam contrahere ex vi propagationis carnalis, sicut fideles per renascentiam in baptismo gratiam Christi consequuntur. Deinde Sess. 5. can. 3. ait, peccatum originale inesse unicuique proprium.

Probatur Tertiò: Ex Patribus D. August. lib. 2. de concup. & Nupt. cap. 26. ubi docet peccatum originale distinctum esse à peccato Adæ, ut effectum à causa, dum ait: *Voluntarium peccatum hominis primi, originalis est causa peccati.* Et lib. 3. de Peccat. merit. & remiss. cap. 8. expressè docet peccatum originale inesse unicuique proprium dicens: Quod DEUS *imputat verò non jam aliena, sed propria: aliena quippè erant, quando hi, qui ea prognata portarent, nondum erant: nunc verò carnali generatione jam eorum sunt, quibus nondum Spirituali regeneratione dimissa sunt.* Et D. Anselmus lib. de Concept. Virg. cap. 27. inquit: *Unumquemque non portare peccatum Adæ, sed suum; Nam aliud est peccatum Adæ, aliud infantium: Illud enim est causa, istud effectus.* Et paulò pòst: *Quapropter cùm damnatur infans, pro peccato originali damnatur, non pro peccato Adæ, sed suo: si ipse non haberet peccatum, non damnaretur*, ergo peccatum originale non est ipsum Adæ peccatum moraliter manens, & parvulis imputatum.

Probatur Quartò: Ratione: Quia nequit intelligi, quomodo per voluntatem alienam possit quis intrinsecè peccare, & non merè per denominationem extrinsecam: Tum, quia peccatum Adæ est causa peccati originalis in nobis, ergo non est ipsum Adæ peccatum: Tum, Quia in baptismo remittitur parvulis originale peccatum, sed non remittitur illis peccatum Adæ, ergo illud non est peccatum originale: Tum denique, licèt filij parentum peccantium justè puniantur in tertiam & quartam generationem, non tamen illis imputatur peccatum parentum, sed pœnam tantùm luunt. Sed in contra sic

Opponitur Primò Authoritas Scripturæ ad Rom. 5. *Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccaverunt*, ergo parvuli necdum nati actualiter peccaverunt in Adamo in paradiso, quod peccatum postmodum in natis habitualiter manet, unde D. Augustinus lib. 2. de Nuptijs &

 concup.

concup. 5. dicit: *Per unius voluntatem malam omnes in eo peccaverunt, quando omnes unus fuerunt*, ergo peccatum originale est illud ipsum Adami, quod fuit etiam nostrum moraliter, seu habitualiter manens, qui enim semel peccavit actualiter, semper peccator habitualiter manet, donec condonetur. Confirmatur ex Trident. Sess. 5. can. 3. Hoc quidem peccatum, quod origine unum est, & propagatione, non imitatione transfusum, omnibus inest unicuique proprium, ergo peccatum originale est ipsum peccatum Adæ. Respond: neg: consequ: ex omnibus assumptis deductam: Quia omnes quidem peccaverunt in Adamo peccato alieno, & per denominationem extrinsecam, quatenus scilicet illud erat peccatum capitis, adeóque ad omnes aliquo modo spectabat, tanquam causa peccati ad posteros transferendi, veruntamen hoc non inest unicuique proprium, peccatum autem originale inesse debet unicuique proprium: unde D. Augustinus lib. de corrept: & grat: cap. 6. dicit: *Peccata quidem ista originalia ideo dicuntur aliena, quòd ea singuli de parentibus trahunt, sed non sine causa dicuntur & nostra, quia in illo uno omnes, sicut dicit Apostolus, peccaverunt.* Et lib. 6. contra Julianum cap. 10. ait: *Peccatum Adæ fuisse alienum proprietate actionis, nostrum verò contagione propaginis*, id est, quod inde seminaliter propagatur, ergo juxta Augustinum peccatum nostrum originale non est peccatum Adæ, sed aliquid aliud. Quando autem dicitur, eum, qui semel peccavit semper manere peccatorem habitualiter, verum est de peccato proprio, non alieno, nisi derivetur in eum aliqua macula. Ad Confirmationem ex Concilio Respond: illud per peccatum Adæ non intelligere ipsum, quò Adam inquinatus fuit, sed quod in nos transfudit, ut patet ex contextu.

Arguitur Secundò: Opera Tutorum & Actorum imputantur pupillis, ijsque, quorum curam agunt, ergo etiam peccatum Adæ filijs suis imputandum. Respond: neg: consequ: Quia licèt aliquæ actiones tutorum censeantur esse pupilli, non tamen ita sunt, ut censeatur pupillus illa agere, sed tantùm quòd habeat eas ratas quoad effectus juris, proindè ac si pupillus illas in propria persona exercuisset, multò minus ista imputantur pupillo ad laudem, vel vituperium, sicut nobis imputatur, nobisque proprium cuilibet inhæret originale peccatum.

Pro intelligentia sequentis conclusionis Nota: *Justitiam originalem* fuisse duplicem: *Alia erat actualis*, quæ erat rectitudo debita in esse voluntati primi parentis, & nostræ, quantum in illo veluti in morali capite fuimus, quibus proindè esus ligni fuit prohibitus, cujus prohibicionis transgressio fuit actualis injustitia in Adamo, in nobis autem actualis originalis. *Habitualis alia*, quæ fuit donum aliquod gratuitum datum primo Parenti, cujus beneficio inferiores potentiæ subjiciebantur voluntati ad nutum, & voluntas rationi, absque ulla rebellione, ita ut voluntas magis delectaretur ultimo fine, & dilectione DEI, quàm objecto quocunque, quod esset delectabile potentijs, & viribus inferioribus, unde non excludebat, sed potius aliqua ratione includebat, & connotabat gratiam sanctificantem, quare justitia originalis erat donum distinctum à gratia sanctificante, & quamvis illa faceret hominem gratum DEO pro illo statu, non erat tamen principium merendi, sed hoc erat gratia sanctificans. Hoc præmisso XII. Justitia originalis est duplex.

Dico Quintò: *Peccatum originale quamvis demeritoriè sit privatio sanctificantis, formaliter tamen est carentia justitiæ originalis debitæ, qua acceptæ in primo Parente, & in ipso nobis amissæ.* Ita Scotus 2. d. 30. & 32. Unde Scotus vult peccatum originale dicere duo, nempe carentiam justitiæ originalis pro formali, & debitum habendi illam pro materia- XIII. Peccatum originale est carentia justitiæ originalis.

Digitized by Google

teriali. Prima pars non indiget probatione, quia certum est, Adamum demeruisse sibi & nobis privationem gratiæ sanctificantis. Probatur secunda pars 1. Ex Patribus, Augustino lib. 4. de Civit. cap. 17. ubi dicit: *Cognoverunt, quia nudi erant, nudati scilicet eâ gratiâ, qua fiebat, ut nuditas corporis nulla eos lege peccati, menti eorum repugnante, confunderet.* Et lib. 1. de peccat. merit. & remiss. cap. 16. *Quando peccavit Adam non obediens DEO, hic ejus corpus, quamvis esset animale, atque mortale, gratiam perdidit, qua ejus animæ omni ex parte obediebat. Tunc ille extitit bestialis motus pudendus hominibus, quem in sua erubuit nuditate*, sed illa gratia fuit justitia originalis, qua non erubescebant nuditatem suam, cujusque beneficio animale corpus animæ & Spiritui obediebat, ergo peccatum originale est illius privatio. Item D. Anselmus lib. 1. de Concept. Virg. cap. 27. *Per peccatum*, inquit, *quod originale dico, aliud intelligere nequeo in ipsis infantibus, nisi factam per inobedientiam Adæ, justitiæ debitæ nuditatem, per quam omnes sunt filij iræ.* Ergo

Probatur Secundò: Ex Scoto: Peccatum formaliter est justitia, sed injustitia formaliter secundùm Anselm: ubi suprà cap. 5. & 15. & de se patet, non est nisi carentia justitiæ debitæ, ergo originalis injustitia est carentia justitiæ originalis. Probatur tertia secundùm omnes: Id ipsum quod in non baptizato est peccatum originale, fuit actuale in Adamo, sed peccatum actuale est carentia justitiæ originalis, quam debuimus nos per Adamum habere. Min. pro nunc breviter probatur: Quia non consistit in privatione gratiæ, ut dicunt Thomistæ, alioquin omnia peccata mortalia essent ejusdem speciei, cùm gratia sit ejusdem speciei; Et insuper sequeretur, quòd post primum peccatum nullus posset peccare, quia per primum deletur gratia, & per consequens secundum non potest amplius privare. Probatur eadem minor suprà secundò: Quia peccatum, ut alij nolunt, non consistit in privatione habituum acquisitorum, quia benè possunt tales compati cum peccato mortali, v. g. habitus temperantiæ, cum actu intemperantiæ. Nec denique pro tertio consistit in privatione alicujus boni naturalis, illius, qui peccat, ut de se patet, alioquin qui continuò peccaret, totaliter posset absumi, vel saltem citius eo, qui non peccaret, ergo à primo ad ultimum, peccatum actuale consistit in privatione justitiæ seu rectitudinis actualis debitæ inesse actui, si sit peccatum commissionis, vel saltem ipsius actûs recti debiti inesse voluntati, si omissionis, & per consequens sicut peccatum illud v. g. Esus pomi in Adamo fuit privatio rectitudinis, seu conformitatis ad legem divinam, cui debebat se conformare, ita idem peccatum ad nos originaliter derivatum, erit eadem privatio ejusdem rectitudinis, originaliter transfundendæ, & sic habetur intentum. Sed

Opponitur in contra primò: Authoritas Concilij Trident: Sess. 5. in decreto de peccato originali, ubi dicit illud esse mortem animæ, Adamum non solùm sibi sed & nobis perdidisse justitiam, & sanctitatem, ergo peccatum originale consistit formaliter in privatione gratiæ sanctificantis. Respond: conc: cum Concilio peccatum originale esse mortem animæ, & per illud nos in Adamo perdidisse justitiam & sanctitatem, nego tamen peccatum originale esse formaliter, sed potius causaliter, & demeritoriè privationem gratiæ, seu mortem animæ, privatio enim gratiæ, & cœterorum donorum, sicut & reliquæ pœnalitates, quas in Adamo contraximus, non sunt ipsum peccatum, sed pœna peccati, ipsum autem peccatum est carentia illius rectitudinis, seu justitiæ illius, quam perdidimus in Adamo, & propter ejus carentiam, caremus gratia, & reliquis donis, donec restituatur in baptismo, vel in se, vel in æquivalente.

Arguitur Secundò: Justitia originalis

Digitized by Google

ginalis fuit donum habituale simile gratiæ sanctificanti, sed peccatum non est formaliter privatio gratiæ habitualis, ergò nec justitiæ originalis. Confirmatur: Non magis repugnat peccatum justitiæ originali, quàm gratiæ sanctificanti, quia hæc fuit etiam infusa, vel certè connexa justitiæ originali, ergo sicut privatio hujus non est peccatum formaliter, ita nec justitiæ originalis privatio. Respond: distin: maj: Justitia originalis habitualis est simile, conc: maj: actualis, neg: maj: & concess: min: distinguendum est similiter consequens: Quia ut antè conclusionem prænotavi, cùm dico peccatum originale esse privationem justitiæ originalis, non loquor principaliter de justitia habituali, seu quæ erat habitus, & donum supernaturale animæ infusum, sed de justitia actuali, seu de actu recto, ad quem inclinabat iste habitus, quia habitus sunt propter actus, & actus sunt principaliter in nostra potestate, ideo enim censemur propriè peccare, vel quando non elicimus actum, quem debuimus elicere, vel quia in actu elicito non est debita conformitas ad legem DEI: Hinc ergo Adam, quia habuit debitum servandi rectitudinem in suis actibus, ideò non servando illam rectitudinem peccavit, in cujus pœnam fuit privatus justitia habituali, & cæteris donis supernaturalibus, & quia nos fuimus in illo tanquam in stipite, injustitia ejus ad nos transfunditur, ut loquitur Trident: Sess: 5. can. 3. Sicut & justitia, si perseverâsset, transfunderetur.

Instatur: Privatio justitiæ originalis manet in baptizatis, quia per baptismum non recipimus justitiam originalem, ergo ista privatio non erit peccatum originale, vel illud manebit post baptismum, contra Tridentinum. Respond: distin: antec: privatio justitiæ originalis debitæ in esse manet in baptizatis, neg: antec: simpliciter, transeat, illa autem est peccatū originale, non autem hæc, nempè rectitudinis actualis.

Urgetur: Privatio justitiæ originalis in Adam non fuit peccatum, sed effectus peccati, ergo nec in nobis. Respond. neg. consequ. Quia carentia justitiæ originalis in Adamo non fuit peccatum originale, quia illam non amisit actu sui parentis, sed proprio actu; nec peccatum actuale, sed illius pœna, infantes autem contrahunt carentiam illam ex peccato Adæ, ideò in illis est peccatum originale.

Arguitur Tertiò: DEUS effectivè causat privationem justitiæ originalis, sed DEUS non est causa peccati, ergo carentia justitiæ originalis non est peccatum originale. Respond: distin: maj: Ut est pœna, conc: maj: ut est culpa, neg: maj: similiter distin: min: & neg: consequ: DEUS enim potest subtrahere gratiam, sine qua homo labitur, sic in proposito propter peccatum Adæ DEUS subtrahit justitiam originalem ab infantibus. Respond: 2. DEUM esse tantùm causam negativam privationis, quia non dat causam oppositam sanctificantem originaliter, demeritoriam autem esse peccatum Adæ. Præterea non implicat unum peccatum esse pœnam alterius. Respond. 3. Privationem justitiæ originalis non esse peccatum originale quomodocunque, sed prout respicit peccatum Adæ, & rectitudinis debitæ inesse, sub hac autem ratione non est causa privationis gratiæ & justitiæ, quidquid sit, an sit causa illius carentiæ merè, ut est quid physicum. Deinde Respondere potest, DEUM quoque esse causam privationis justitiæ originalis, nisi ad summum permissivam, quia voluntas dandi hanc justitiam non erat nisi conditionata, posito scilicet, quòd Adam non peccaret, illo autem peccante, eam non producit, nec est opus alia voluntate, sicque merè permissivè se habet respectu hujusmodi privationis.

Arguitur Quartò: Peccatum debet esse voluntarium & liberum, ita ut, Augustino teste, peccatum non sit, nisi liberum sit, sed privatio justitiæ

justitiæ originalis nec est parvulis voluntaria, nec libera, cùm non sit in illorum potestate habere illam, vel non habere, ergo. Respond. distin: min: privatio non est libera, voluntate propria, conc: voluntate aliena, scilicet capitis, neg: min: cum consequ: & hanc distinctionem & solutionem præbet D. Augustin: lib: 1. Retract. cap. 13. his verbis: *Illud quod in parvulis dicitur originale peccatum, cùm adhuc non utuntur arbitrio voluntatis, non absurdè etiam vocatur voluntarium, quia ex prima hominis mala voluntate contractum, factum est quodammodò hæreditarium. Non itaque falsum est, quod dixi: usque adeò peccatum voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.*

QUÆSTIO SECUNDA.

An peccatum Originale verè contrahatur ad posteros Adæ?

I. Penalitates nostræ sunt ex pœna.

HIc occurrit illa, ait Augustinus lib. 3. de lib. arbitr. cap. 19. *Quæstio, quam inter se murmurantes homines rodere consueverunt, qui quodlibet aliud in peccando, quàm se accusare parati sunt: Dicunt enim, si Adam & Eva peccaverunt, quid nos miseri fecimus, ut cum ignorantiæ cæcitate, & difficultatis cruciatibus nasceremur, & primò erraremus, nescientes quid nobis esset faciendum: Deinde ubi nobis inciperent aperiri præcepta justitiæ, vellemus ea facere, & renitente carnalis concupiscentiæ, nescio qua necessitate, non valeremus? Quibus breviter respondetur, ut quiescant, & adversus DEUM murmurare desistant.* Quæ controversia, & quæstio sanè olim acerrima fuit inter D. Augustinum & Pelagianos, ex eo, quòd filius non debeat portare iniquitatem patris, adeóque Adamum sibi soli, non posteris nocuisse, & consequenter, vel nos injustè ista pati, vel has omnes, quas in nobis experimur pœnalitates esse ex mera naturæ conditione, non ex peccato.

II. Pelagianorum errores de peccato originali.

Quamvis autem Pelagius in Synodo Palestina coactus fuerit canere palinodiam, asserens peccatum primi hominis posteris ipsis nocuisse, postea tamen discipulis suis satisfaciens dixit, se intellexisse id, scilicet peccatum Adæ nocuisse posteris, non propagatione, sed imitatione, & exemplo, quia nimirum imitati sumus Adamum actualiter peccando, & sic Adam suo malo exemplo nobis nocuit, & consequenter ad hæc dicebat parvulos usu rationis carentes non peccâsse in Adamo, quia non sunt capaces præcepti, vel exempli imitandi. Ac proinde pro Tertio docebant, parvulos non baptizari propter peccatum originale, sed propter ingressum in regnum cœlorum, ad quod nemini patet aditus absque baptismo, quare si quis parvulus ex hac vita sine baptismo decederet, tunc dicunt, eum extra cœlum adepturum esse beatitudinem.

Pelagium secuti sunt olim ex discipulis ejus principaliter Cœlestius, & Julianus, aliíque; hisce autem temporibus in negando peccatum originale secuti sunt Albigenses, teste S. Antonino 4. p. tit: 11. c. 7. Petrus Abailardus, ut insinuat S. Bernardus epist: 111. & 118. Armeni, teste nostro Alphonso à Castro, Verbo *Peccatum*, hæresi 1. Anabaptistæ, & Zwinglius, ut habet Prateolus, Verbo *Zwinglius:* Erasmus Roterodamus, in illud ad Rom. 5. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum*, quod interpretatur de traductione & interpretatione, non verò de generatione. Videatur Bellarminus tom: 3. Controvers: E contra Lutherus & Calvinus, ita gravitatem hujus peccati exaggerant, ut dicant, liberum arbitrium per illud fuisse planè extinctum, ut nec gratiæ cooperari valeat, sed de hoc errore jam in priori tractatu est actum, nunc ad ea tantùm progredior, quæ ad hanc spectant materiam, &

III. Adam etiã posteris nocuit.

Dico Primò: *Adam prævaricatione sua non sibi soli, sed & po-*

steris suis omnibus nocuit. Ita fides Catholica, & sic definiunt complura Concilia Palestinum, Milevitanum can. 2. Arausicanum II. can. 2. Toletanum VI. can. 1. Florent: Tridentinum Sess. 5. Ita quoque sentiunt SS. Patres Dionysius Areopag. lib. de Eccles. Hierarch. cap. 3. n. 3. Ignatius ad Trallianos, Irenæus lib: 5. cap. 17. Ambrosius, & alij omnes Patres, ex quibus solùm adduco D. Augustinum lib: 2. Hypognost: *Audes dicere hæretice, Adæ peccatum nulli nisi soli nocuit ipsi? Et verè tunc soli nocuit, cùm solus esset ipse, & Eva mulier ejus; sed in illis unis omnes eramus, quia natura humani generis erant, sicut in nobis omnibus illi jam sunt, quia natura eorum sumus.* Et lib: 14. de Civit: cap. 1. *A duobus primis (Adam & Eva) admissum est tam grande peccatum, ut in deterius eo natura mutaretur humana, etiam in posteros obligatione peccati, & mortis necessitate transmissa. Mortis autem regnum in homines usque adeò dominatum est, ut omnes in secundam quoque mortem, cujus nullus est finis, pœna debita præcipites ageret, nisi inde quosdam indebita DEI gratia liberaret.* Et ad art. sibi falsò impositos art. 1. *Vulnere originalis peccati in Adamo omnium hominum corrupta & mortificata est natura, unde omnium concupiscentiarum morbus inolevit: Verum & potens & singulare remedium est mors filij DEI Domini nostri JESU Christi, qui liber à mortis debito, & solus absque peccato, pro peccatoribus & debitoribus mortuus est,* neque hæc veritas aliqua probatione indiget, experientiâ enim patet, nos pœnas peccati primi hominis sentire, & qua ratione ad pœnæ transierunt, ita & culpa.

IV. Parvuli propter remissionem peccatorum baptizandi.

Dico Secundò: *Parvuli baptizandi sunt, non solùm propter adoptionem filiorum, sed etiam propter remissionem peccati originalis ab Adamo contracti.* Ita definit Concilium Milevitanum can. 2. *Placuit ut quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat: aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod lavacro regenerationis expietur, unde fit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum, non vera sed falsa intelligatur, anathema sit: quoniam non aliter intelligendum est, quod ait Apostolus: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccaverunt, nisi quemadmodum Ecclesia ubique diffusa semper intellexit.*

Probatur Secundò: Authoritate S. Augustini epist. 28. ad Hieronym: ubi in illud 1. Corinth. 13. Sicut in Adam omnes moriuntur &c. dicit: *Per hanc Apostolicam, divinam, claramque sententiam evidenter elucet, neminem ire in mortem, nisi per Adam: neminem ire ad vitam æternam, nisi per Christum: ac per hoc quisquis nobis dixerit, quenquam in resurrectione mortuorum vivificari posse, nisi in Christo, tanquam pestis communis fidei detestandus est. Item quisquis dixerit, quòd in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine Sacramenti perceptione de vita exeunt, hic profectò & contra Apostoli prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam.*

V. Propagatione non imitatione contrahitur peccatum originale.

Dico Tertiò: *Peccatum originale ad omnes posteros Adæ propagatione non imitatione traductum est.* Ita fides Catholica. Probatur Primò: Ex Scriptura ad Rom. 5. ubi D. Paulus per totum aliud nihil facit, quàm comparationem inter Christum & Adamum, & in Adamò omnes esse mortuos, condemnatos, & peccatores, in Christo verò omnes vivificatos, ita enim dicit: *Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita & per unius obeditionem justi constituentur multi .... ut sicut regnavit peccatum in mortem: ita & gratia regnet per justitiam in vitam æternam, per JESUM Christum Dominum nostrum.* Et 1. Corinth. 15. *Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur*, quibus in locis expressè loquitur Apostolus

Digitized by Google

stolus de peccato originali, quod contraximus ex Adamo: Tum, Quia parvuli, & non habentes usum rationis non possunt actualiter peccare: Tum, Quia si de actuali ipsius Adami loqueretur, non esset verum dicere, quod ibidem dicit Apostolus, peccatum per unum hominem intrâsse in mundum, sed per Angelum malum, & etiam in mundo sensibili prius Eva peccavit, ut mox ex D. Augustino adducam. Sed

Dices pro Pelagio & discipulis suis: Non omnes peccâsse in Adam propagatione, sed imitatione, ita videlicet, quòd omnes Adamum imitando peccaverimus. Verùm Respond: hanc explicationem esse valdè extortam, quam proindè egregiè refutat S. Augustinus lib: 1. de peccat: merit: & remission: cap: 13. dicens: *Nam si propterea cæteri ob alterius delictum mortui sunt, quia illum in delinquendo præcedentem subsequentes imitati sunt: ille quoque & multò magis ob alterius delictum mortuus est, quem diabolus delinquendo ita præcesserat, ut ei delictum etiam ipse suaderet; Adam verò nihil suasit imitatoribus suis, & multi, qui ejus imitatores dicuntur, eum fuisse, & tale aliquid commisisse, vel non audierunt, vel omninò non credunt. Quantò ergo rectius, sicut jam dixi, diabolum principem constituisset Apostolus, à quo uno peccatum & mortem per omnes transisse diceret, si hoc loco non propagationem, sed imitationem dicere voluisset? Et paulò post: Sicut per unius delictum in omnes homines ad condemnationem, ita & per unius justificationem in omnes homines ad justificationem vitæ. Hoc unius delictum, si imitationem attendamus, non erit nisi diaboli, sed quia manifestum est de Adam, non de diabolo dici, restat intelligenda non imitatio, sed propagatio peccati.* Imò ad hanc instantiam Responderi potest, non per Adamum, sed per Evam sumpsisse originem peccatum, nam ut dicitur Eccles. 25. *A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur*, quam imitata fuit Adamus, loquendo de mundo sensibili, imò quæ virum seduxit, non enim Adam seductus fuit, sed mulier secundùm Apostolum. Item multi peccant, qui nihil de Adamo audiverunt. Denique parvuli in Adam peccant, & tamen sunt incapaces proprij peccati, sicut voluntatis propriæ, & usus illius, & tamen habent peccatum, quia sicut parvuli filij Abrahæ, si non circumcidebantur, delebantur de libro populi sui, & cœlesti gloria, juxta illud Genes. 17. *Masculus, cujus præputij caro circumcisa non fuerit, delibitur anima illa de populo suo: quia pactum meum irritum fecit.* Ita de parvulis Christianorum verum est illud Joann. 3. *Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum DEI.* Unde dicit D. Augustinus epist. 28. ad Hieronymum. *Damnari animas, si sine baptismo de corpore exiverint, & S. Scriptura, & sancta testis est Ecclesia.*

Dices Secundò: Ibi non intelligi peccatum propriè dictum, sed morbum, inclinationem quandam ad peccandum, mortalitatem & cœteras pœnalitates, quas patimur. Sed contra: Apostolus ibidem dicit, per unum hominem peccatum in hunc mundum introisse, & per peccatum mortem, ubi Doctor gentium expresse distinguit inter mortem, quæ est pœna peccati, & peccatum propriè dictum, per quod mors & cœteræ pœnæ intraverunt in hunc mundum, alioquin cùm dicit Apostolus per peccatum mortem intrâsse, sensus esset, per mortem intravit mors, quod est ineptum. Adde, quòd DEUS sit justissimus, & consequenter non infligit pœnam mortis sine culpa peccati, ergo si nos incurrimus pœnam mortis per peccatum, incurrimus etiam culpam.

Probatur conclusio Secundò: Ex eodem D. Paulo ad Rom. cap. 5. *Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, qui est forma futuri*, qui textus omninò clarus est, & nulla ratione

ratione exponi potest de imitatione, quia non peccaverunt in similitudinem, id est, ac juxta imitationem, hinc exponunt communiter Patres de parvulis, qui non peccarunt in similitudinem prævaricationis Adæ, id est, actu & propria voluntate sicut Adam.

Probatur Tertiò: Ex Psalmo 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.* Job. 14. *Nemo mundus à sorde neque infans, cujus est unius diei vita super terram.* Et ad Rom. 3. *Omnes peccârunt, & egent gloria DEI*, & alibi sæpè, quos textus adducit D. Augustinus lib. 6. contra Julianum Pelagianum cap. 12. qui ibi unà cum sua interpretatione videri potest. Unde

Probatur Quartò: Authoritate & ratione S. Augustini sæpissimè, duo loca hìc adduco ex fonte lib. 13. de Civit. DEI cap. 14. ubi dicit: *Omnes enim fuimus in illo uno, quando omnes ille unus corrupit, qui per fœminam lapsus est in peccatum, quæ de illo facta est ante peccatum. Nondum erat nobis sigillatim creata & distributa forma, in qua singuli viveremus, sed jam natura erat seminalis, ex qua propagaremur: qua scilicet propter peccatum vitiata, & vinculo mortis obstricta, justéque damnata, non alterius conditionis homo ex homine nasceretur: ac per hoc à liberi arbitrij malo usu, series hujus calamitatis exorta est, quæ humanum genus originale depravata, velut radice corrupta, usque ad secundæ mortis exitum, quæ non habet finem (solis eis exceptis, qui per gratiam DEI liberantur) miseriarum connexione perducit.* Et in Enchirid. ad Laurent. cap. 26. *Post peccatum exul effectus stirpem quoque suam (*loquitur de Adam*) quam peccando in se tanquam in radice vitiaverat, pœna mortis & damnationis obstrinxit: ut quidquid prolis ex illo & simul damnata, per quem peccaverat, conjuge, per carnalem concupiscentiam, in qua obedientiæ pœna similis retributa est, nasceretur, traheret originale peccatum, quo traheretur per errores doloresque diversos ad illud extremum cum desertoribus Angelis vitiatoribus & possessoribus & consortibus suis sine fine supplicium. Sic per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes pertransijt, in quo omnes peccaverunt. Mundum quippe appellavit in eo loco Apostolus universum genus humanum.* Ergo

Probatur Quintò: Ex praxi totius Ecclesiæ, quæ à prima sua institutione baptizavit tàm magnos, quàm parvulos, ut ipsemet quoque adducit S. Augustinus, ut scilicet renascantur in vita gratiæ per Christum, sicut mortui sunt in prima nativitate per Adam. Denique Christus pro omnibus mortuus est, justus pro injustis, tam parvis quàm magnis, quia *pro justo*, ut dicit S. Paulus, *vix quis moritur*, sed non est mortuus ut salvet eos à morte temporali, ergo à morte peccati, ergo omnes sic mortui sunt. Hæ omnes rationes probant etiam contra Calvinum, filios fidelium contrahere peccatum originale, nam revera David erat filius fidelium parentum, qui tamen dicit, se in iniquitatibus conceptum, & Paulus Judæus erat à nativitate, adeóque filius fidelium, qui tamen ad Ephes. 2. ait: *Eramus & nos naturâ filij iræ.* Unde S. Augustinus in illud Joann. 3. *Ira DEI manet super illum* serm. 14. de verb. Apostoli ait: *Respexit originem, cùm ait: ira DEI manet super eum. Quàm respiciens & Apostolus, dixit: fuimus & nos aliquando naturâ filij iræ. Non accusamus naturam. Naturæ Author est DEUS, à DEO bona est instituta natura, sed per malam voluntatem à serpente vitiata est; Ideò quod fuit in Adam culpæ, non naturæ, nobis propagatis factum est jam naturæ, ab hoc vitio naturæ, cum quo nascitur homo, non liberat, nisi qui natus est sine vitio. Ab hac carne peccati non liberat, nisi qui natus est sine peccato, per similitudinem carnis peccati. Ab hoc veneno serpentis non liberat nisi exaltatio serpentis.* Sed pro Pelagio

Opponuntur plura loca Scripturæ Ezechielis 18. *Anima, quæ peccaverit,*

verit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij: justitia justi super eum erit, & impietas impij erit super eum. Et epist. 2. ad Corinth. 5. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum*, sed si parvuli contraherent peccatum originale, portarent iniquitatem patris, & peccata, quæ non fecerunt, referrent in judicio, quod est contra summam DEI æquitatem, & justitiam, ergo. Respond. neg. min. Quia filij non portant iniquitatem patris, nec referunt peccata aliena, sed sua propria, nam hic non solùm Pater Adam peccavit, sed omnes & singuli filij ejus, quia omnes continebantur in voluntate primi parentis, licèt aliter Adam peccaverit, aliter nos: ille actualiter, nos originaliter, & sic verificatur illud alterum Scripturæ testimonium: *Patres nostri manducaverunt uvam, & dentes filiorum obstupescunt.* Respondet 2. S. Augustinus lib. 6. contra Julianum: Prophetam ibi prædixisse beneficium novi testamenti, quo delendum erat chyrographum paternum, ut amplius non portemus iniquitatem Adæ, quàm nostram propriam, in quantum in illo omnes peccavimus.

Instat Julianus: Peccatum hoc non potest habere causam in filijs & posteris Adæ, ergo nec esse: consequ. patet. Probatur antec. Nam nec qui generatur, peccat, quia non potest: nec qui generat, quia suppono esse legitimum, & justum matrimonium, & etiam qui generat, non habet peccatum originale, si est Christianus; ergo non potest causare, quia nemo potest dare, quod non habet: DEUS denique, qui animam condidit, etiam non peccat, nec peccare potest, ergo nemo: *per quas ergo rimas*, inquit, *inter tot innocentiæ præsidia peccatum originale intrat in mundum?* Respond. neg. antec. & probationis consequ. Quia Julianus in sua subtilitate, & acumine non advertit confusus, quòd aliud sit committere peccatum, & aliud contrahere, unde qui generatur non committit, sed contrahit peccatum, ad quod non requiritur voluntatis propriæ exercitium, sed sufficit præteritum in parente primo. Unde D. Augustinus ad acuminosam ejus quæstionem Respond. lib. 2. de Nupt. & Concup. 28. *Quid quæris latentem rimam, cùm habeas apertissimã januam, per unum hominẽ, ait Apostolus, peccatum in hunc mundum intravit.*

Urgetur: Si peccatum originale per generationem à parentibus trahitur, ergo malum est conjugium, quippè quod est causa peccati. Respond. S. Augustinus in eodem lib. 1. cap. 4. neg. consequ. Quia *concupiscentiam carnis, qua caro concupiscit adversus Spiritum, in usum justitiæ convertunt fidelium nuptiæ. Habent quippè intentionem generandi generandos: ut qui ex eis filij sæculi nascuntur, in filios DEI renascantur.* Unde cap. 17. adhortatur: *In nuptijs nuptialia bona diligantur, proles, fides, sacramentum, sed proles non ut nascatur tantùm, verùm etiam ut renascatur. Nascitur namq; ad pœnam nisi renascatur ad vitã.* Quare per accidens est Conjugio, quòd proles nascantur cum peccato ratione scilicet naturæ propagatæ, quæ fuit vitiata in primo homine, per suam culpam, non per conjugium.

Opponitur Secundò: Authoritas Scripturæ pro Zwinglio ad Rom. 3. *Per legem cognitio peccati.* & cap. 4. *Lex enim iram operatur. Ubi enim non est lex, nec prævaricatio*, sed parvuli non possunt per legem, cujus sunt incapaces, cognoscere peccatum, ergo nec possunt peccare. Respond. Vera esse, quæ dicit Apostolus, non tamen dicit: ubi nulla est cognitio legis, ibi nulla sit prævaricatio, cum detur peccatum ex ignorantia voluntaria, unde Apostolus in primo loco vult dicere, quòd homines ante legem non cognoverunt peccatum, quamvis verè fuisset, unde ad Rom. 5. dicit: *Usque ad legem enim peccatum erat in mundo*

Digitized by Google

mundo, peccatum autem non imputabatur, cùm lex non esset, id est, non habebatur ab omnibus pro peccato, donec lex prohiberet. Respond. 2. cum S. Augustino, parvulos omninò habuisse legem, & eam cognovisse in Adamo, unde lib. 16. de Civit. 18. dicit. *Quamobrem si etiam parvuli, quod vera fides habet, nascuntur non propriè, sed originaliter, peccatores, unde illis gratiam remissionis peccatorum necessariam confitemur, profectò eo modo, quo sunt peccatores, etiam prævaricatores legis illius, quæ in paradiso data est, agnoscuntur.*

Instatur: Ad rationem peccati requiritur non solùm lex, sed etiam debet esse voluntarium, sed in parvulis non est liberum, nec voluntarium, ergo. Ad hanc instantiam respondi suprà quæst. 1. in ultima objectione. Unde hic addo ex S. Bernardo serm. 1. de Dominica prima post octavam Epiphaniæ dicente: *Nostra*, (est Adami culpa) *quia etsi in alio, nos tamen peccavimus, & nobis justo DEI judicio imputatur, licèt occulto.*

Urgetur: Hoc esse alienum à divina misericordia, ut alicui imputetur alienum peccatum. Respond. neg. antec. Quia valdè consentaneum est divinæ justitiæ, quæ sicut ex pacto inito cum Adamo (quod fuit, ut dicit Scotus: Do tibi justitiam Adame, & omnibus filijs tuis naturalibus, si serves meum mandatum, quòd si non, scias, quòd non solùm tibi, sed & posteris tuis eam perdes, & similiter mulctabimini pœnâ mortis, & reliquis indè secutis) dedisset omnibus justitiam originalem per solius Adæ meritum actuale, ita justum fuit, ut per ejus demeritum eos omnes eadem privaret, sed nec adhuc deficit misericordia DEI, siquidem providit per merita secundi Adam, nempè Christum, efficacissima remedia.

Arguitur Tertiò: Meritum Adæ nihil nobis proficit, ergo nec culpa obfuit, consequ. est optima & justissima, quia manifesta esset injustitia, si ego v. g. exponar solo periculo damni, & non etiam spei lucri. antec. autem patet: Quia soli DEO debemus justitiam, quam habemus. Confirmatur, Quia si imputaretur nobis justitia Adæ, non nasceremur cum culpa, sed sine illa, quia Adamus tandem fuit sine illa, egit enim pœnitentiam, & remissum est illi Peccatum. Respond. neg. antec. Quidquid dicant alij, meritum enim Adæ nobis profuisset, ac proindè non fuimus magis expositi periculo, quàm lucro, & si Adam vicisset illam primam tentationem non comedendo de pomo vetito, ejus victoria & meritum nobis quoque imputata fuissent, quia verò nos non expositi fuimus alicui periculo in Adamo nisi respectu præcepti, à quo pendebat justitia originalis & mors, ideò nulla alia ejus merita & demerita imputantur nobis. Hinc ad confirmationem nego sequelam, & ad probationem dico, Quòd Adam egit pro se pœnitentiam, & obtinuit remissionem sui peccati, quod erat personale, non verò pro originali, quia pro illo solo satisfecit Christus. Unde

Instatur: Meritum, & satisfactio Christi non profuit, nec prodest omnibus, quia non omnes sanctificantur per Christum, ut patet de parvulis decedentibus sine baptismo, ergo nec peccatum primi Adami debet omnes inficere, & consequenter peccatum originale non contrahitur ab omnibus. Respond. distin. maj. Non prodest in actu secundo, & per accidens, conc. in actu primo, & ex sua virtute intrinseca, quantum est in se, neg. maj. & consequent. loquendo enim proportionaliter, sic justitia Christi ostendit se ad omnes in ipso spiritualiter generatos, sicut peccatum Adæ ad filios suos carnaliter genitos, parvuli verò, qui sine baptismo decedunt, quamvis sine culpa propria generentur, non tamen sine culpa pereunt, quia omnes in Adamo peccaverant.

Arguitur Quartò: Peccatum non in carne, sed in anima sedem habet,

Digitized by Google

habet, sed anima non trahitur ex Adamo, quippè quæ à DEO immediatè creatur, ergo nec peccatum. Respond. distin. min. Non trahitur efficienter conc. dispositivè, nego, quia corpus organicum, quòd est dispositio necessitans ad introductionem animæ trahitur ab Adamo, & per hoc totus homo constitutus ex corpore & anima dicitur propriè generari ex Adamo, adeóque anima corpori ab Adamo propagato insita contrahit peccatum, sicut contraheret justitiam, si Adam perseverásset. Cui non satisfaciunt harum objectionum solutiones, consoletur se cum S. Augustino epist. 9. ad Hieronymum his verbis: *Eleganter dictum esse narratur, quod huic rei satis aptè convenit, cùm quidam ruisset in puteum, ubi tanta aqua erat, ut eum magis exciperet, nè moreretur, quam suffocaret, nè loqueretur, accessit alius, & eo viso, admirans ait: Quomodo huc cecidisti? At ille, obsecro, inquit, cogita, quomodo me hinc liberes, non quomodo huc ceciderim quæras, ita quoniam fatemur, & fide catholica tenemus de reatu peccati, tanquam de puteo, & parvuli animam Christi gratiâ liberandam, sati est ei, quòd modum, quo salva fiat novimus, etiamsi nunquam illud quomodo in malum illud devenerit, noverimus.* Ita Augustinus.

QUÆSTIO TERTIA.

De Pœnis Originalis Peccati.

DE pœnis primorum parentum egi suprà disp. 1. q. 4. nunc de pœnis peccati originalis, prout in nobis est, erit videndum:

1\. *Pœna duplex damni & sensus.*

Pœna autem duplex correspondet peccato, una in altera vita, & altera in ista solvenda: Illa iterum est duplex, una, quæ dicitur *Pœna damni*, consistit in privatione visionis & fruitionis divinæ. Altera dicitur *Pœna sensûs*, quæ complectitur non solum sensibilem illum dolorem, quo cruciantur corpora per ignem, sed etiam internam animi tristitiam & afflictionem, de quibus potissimum hic controvertitur, idque maximè, An parvuli decedentes sine baptismo pœnam sensûs patiantur? Unde de hac primitus agam, pœnas hujus temporalis vitæ reservando pro fine, & epilogo hujus quæstionis. Unde

II. *Infantes sine baptismo decedentes habent pœnam damni.*

Suppono Primò: Certum esse de fide, infantes sive fidelium, sive infidelium decedentes sine baptismo, pati pœnam damni, id est carentiam beatitudinis supernaturalis, & æternæ, ut definiunt plurima Concilia, & novissimè Trident. Sess. 5. ac colligitur evidenter ex illo Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum DEI.* Id est, æternam beatitudinem, quamvis Zwinglius in declaratione de peccato originali contrarium teneat, sicut & Calvinus lib. de baptismo cap. 4. quantum attinet filios fidelium, quorum errores præclarè confutat S. Augustinus lib. 6. contra Julianum cap. 7. dicens: *Ex isto, & cum isto hominis malo* (loquitur de peccato originali) *nascitur homo, quod malum per se ipsum tam magnum est, & ad hominis damnationem, atque à regno DEI separationem tantum habet obligationis, ut etiamsi de parentibus trahatur regeneratis, non nisi quemadmodum in illis sola regeneratione solvatur, atque isto unico remedio præpositus mortis à prole pellatur, quo à parentibus est pulsus.* Et lib. 2. de peccat. merit. cap. 15. dat pulchrum exemplum dicens: *Sicut ergo tempore illius Sacramenti* (legis antiquæ) *de circumciso qui nasceretur, circumcidendus erat: sic nunc de baptizato, qui natus fuerit, baptizandus est.*

III. *Infantes sine baptismo non habebant beatitudinem naturalem.*

Suppono Secundò: Ut certum, quamvis non sit expressum de fide, neque tales infantes habituros beatitudinem quandam naturalem & æternam extra cœlum, ut dicebant Pelagiani apud Augustinum lib. de Hæres. cap. 88. qui *Etiamsi non baptizentur, permittunt extra regnum quidem DEI, sed tamen æternam, & beatam vitam.* Ad hanc sententiam accedit Ambrosius Catherinus, Alber-

Digitized by Google

Albertus Pighius, & alij asserentes parvulos non baptizatos post diem Judicij futuros beatos, beatitudine quadam naturali, in quodam veluti paradiso terrestri, sed hæc sententia copiosè infrà rejicitur, nunc sufficit allegare D. Anselmum lib. de Concept. Virg. cap. 27. *Si originale*, inquit, *peccatum est aliquod peccatum, necesse est omnem hominem in eo nasci, illo non dimisso damnari.* Et D. Bernardus in epist. 191. ad Innocentium, ubi dicit, infantes perire, si non baptizentur.

IV. Parvulorum de pœnis tres sententiæ.

His suppositis tres adhuc sunt sententiæ in hac materia: Prima est, parvulos non passuros aliam pœnam sensûs, sive in corporo, sive in anima. Hæc est communis ferè omnium Scholasticorum D. Thomæ, q. 1. de Malo, Scoti in 2. d. 33. & aliorum. Secunda est in alio extremo sententia, parvulos scilicet non solùm passuros pœnam damni, sed etiam sensûs, tam in anima scilicet tristitiam ob carentiam visionis, & beatitudinis, quàm in corpore in inferno post judicium, quamquam levissimam comparatione eorum, qui actualiter peccaverunt, hanc sententiam defendit Ariminensis 2. d. 33. Driedo lib. 1. de gratia & lib. arbitr. Hanc sequitur Pontius noster, & Florentius, Archi-Episcopus Thuomonensis exactissimus D. Augustini interpres, idque ex mente ejusdem S. Doctoris, hanc quoque probabilem existimat, & sequitur noster P. Bernardus Sannig tom. 2. tract. 8. dist. ult. Tertia est media scilicet parvulos quidem passuros internum animi dolorem ob carentiam beatitudinis, non tamen corporalem afflictionem, ita Magister Sent. in 2. d. 33. quem sequitur Bellarminus tom. 3. lib. 6. de statu peccati cap. 6. Hanc sententiam

V. Tristitia est summa pœna.

improbat Scotus citatus suprà: Quia tristitia de carentia beatitudinis de carentia spei eam assequendi, est fine comparatione major omni alia pœna sensûs excogitabili, imò maxima omnium, quam in se experiuntur damnati, ergo inconsequenter loquuntur, qui in parvulis hanc pœnam admittunt, & negant pœnam externam corporis, quæ est multò tolerabilior. Secundò probat idem, quia voluntas est magis appetitus hominis, qua homo est, quàm appetitus sensitivus, ergo, quidquid patitur secundùm voluntatem, est ipsi magis pœnale, quàm quod patitur secundùm appetitum sensitivum, ergo tristitia, quam patitur voluntas, est magis intolerabilis, quàm dolor appetitus sensitivi, & per consequens sine fundamento negatur hæc secunda pœna in parvulis, admissâ pœnâ interni doloris in voluntate, & sic manet refutata tertia sententia. Quid autem sentiendum sit & dicendum de prima & secunda dubius hæreo, & fluctuans, cum D. Augustino epist. 28. ad Hieronym. dico: *Cùm ad pœnas ventum est parvulorum, magnis, mihi crede, coarctor angustijs, nec quid respondeam prorsus invenio.* Nam ex una parte video omnes ferè Scholasticos unanimi consensu pia fortè commiseratione magis, quàm rationibus commotos contrarium sentire: Ex altera verò parte pondero fortissimas & insolubiles rationes S. Augustini; cujus vel sola authoritas sufficere videtur, probantes secundam sententiam, & *à quo*, ut cum S. Bernardo loquar, *difficulter moveor*, cùm faceret Augustini mentionem. Nescio profectò, quo me vertam, accedit, quod videam Doctorem subtilem in simili fluctuatione hæsisse, ut patet ex ejus verbis in 2. d. 33. *Hæc*, inquit, *videtur Magistrorum sententia, quòd damnati pro solo peccato originali nullam habebunt pœnam sensûs exterioris &c.* Et paucis interjectis: *Nullam etiam habebunt pœnam interiorem ut tristitiam*, & sic prosequitur usque ad finem tanquam in aliena magis, quàm in propria sententia discurrens, cujus etiam vestigijs inhærendo problematicè duabus conclusionibus quidquid sive ex professo, sive per incidens aliàs dixi, resolvam: Itaque

VI. Scotus de pœnis parvulorum est dubius.

Dico Primò: *Probabile est parvulos*

VII. Infantes sine baptismo decedentes non habent pœnam sensus.

parvulos sine baptismo decedentes non passuros ullam pœnam sensus, nec in corpore per dolorem afflictivum, nec in anima per tristitiam tormentantem. Ita cum prima sententia. Probatur Primò: Ex S. Scriptura Apocalyp. 8. ubi dicitur. *Quantum se glorificavit, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum*, sed parvuli non fuerunt in ullis delicijs, ergo nullum debent pati tormentum. Pro hac sententia comprobanda adducit Bellarminus Innocentium III. *Cap. Majores* de baptismo, & ejus effectu, dicentem: *Pœna originalis peccati est carentia visionis DEI, actualis verò peccati est gehennæ perpetuæ cruciatus.* Item Ambrosium lib. 2. de Abraham cap. ult. ubi de parvulis loquens ait: *Habeant tamen optatam illam pœnarum immunitatem.* Gregorium Nazianzenum orat. in sanctum Lavacrum dicentem: *Quòd nec cœlesti gloria, nec supplicijs à justo Judice afficiantur, utpote qui licèt baptismo non consignati fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc jacturam passi potius fuerint, quàm fecerint.* Et alios &c.

Probatur Secundò: Peccatum originale non tollit in homine ordinem naturalem, sed supernaturalem videlicet conversionem ad DEUM, ergo justum est, ut pœna ejusdem peccati sit solùm privatio boni supernaturalis, scilicet beatitudinis, & non inflictio pœnæ sensibilis.

Probatur Tertiò: Quamvis qui carent justitia, & sunt proni ad vitia, possunt meritò à magistratu rejici tanquam indigni aliqua dignitate in Republica, tamen non possunt justè puniri positivè, nisi qui actu aliquam injustitiam, aut crimen aliquod commiserunt, ergo quamvis parvuli careant justitiâ, & habeant animam infectam per peccatum originale, & per hoc meritò ab ingressu regni cœlorum secludantur, non proinde debebunt puniri pœnâ sensûs, cum nullum actuale peccatum in se commiserunt.

Probatur Quartò: Ex Bellarmino: Propter originale peccatum non imponitur baptizandis etiam adultis, pœnalis satisfactio, neque propter illud jubentur ullam animi tristitiam concipere, quod signum est, nullam ei correspondere in altero mundo pœnam vel corporis, vel animæ.

Probatur Quintò: Pœna ignis in inferno correspondet tanquam propria pœna delectationis; sed parvuli nullam delectationem habuerunt in hoc mundo, ergo nec in futuro passuri sunt pœnam ignis. Quæ omnes rationes benè perpensæ probabilem certè faciunt primam sententiam, quibus tamen obstantibus

Dico Secundò: *Valde probabile est, parvulos istos passuros pœnam sensûs, tam in corpore, quàm in anima, quamvis inter omnes pœnas damnatorum levissimam.* Hæc est sententiæ secundæ. Et Probatur prima pars: Ex Scriptura ad Ephes. 2. *Eramus & nos naturâ filij iræ sicut & cœteri.* Apocalyp. 20. *Qui non est inventus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum*, quæ sententia secundùm omnes comprehendit & parvulos non baptizatos, sed quorsum dicuntur filij iræ, vel mitti in stagnum ignis, nisi ut à DEO irato tradantur Sathanæ ad comburendum. VIII. Probabile est infantes sine baptismo passuros pœnam sensûs.

Probatur Secundò: Ex Florent. Sess. ult. ubi dicit: *Illorum animas, qui in actuali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendos*, ubi videtur Concilium loqui expresè de pœna sensûs, quia quantum ad pœnam damni, sunt omninò pares, ergò disparitas illa debet attendi quoad pœnam sensûs.

Probatur Tertiò: Ex Patribus Augustino lib. 2. de orig. animæ cap. 12. ubi dicit: *Novellos hæreticos Pelagianos justissimè Conciliorum, & sedis Apostolicæ damnavit Authoritas, eò quòd ausi fuerint dare quietis & salutis locum etiam præter regnum cœlorum.* Lib. 1. de peccat. merit. & remiss. cap. 23. *Nulla salus æterna præter baptismum Christi promittatur infantibus, quam non promittit scriptura,*

ptura, omnibus ingenijs præferenda; Sed certè Pelagiani non admittebant parvulos visuros DEUM facie ad faciem, & consequenter non negabant eos passuros pœnam damni, ergo salus æterna, quam promittebant eis, consistebat, quòd non paterentur ab ulla infirmitate corporis, vel animæ afflictione. Item in eodem libro cap. 28. probat D. Augustinus idem his verbis: *Nec est ullus ulli medius locus, ubi possit esse nisi cum diabolo, qui non est cum Christo. Hinc & ipse Dominus volens auferre de omnibus malè credentium istam nescio quam medietatem, quam conantur quidam parvulis non baptizatis tribuere, ut quasi meritò Innocentiæ sint in vita æterna, sed quia non sunt baptizati, non sunt cum Christo in regno ejus, definitivam protulit ad hæc omnia destruenda sententiam, ubi ait, qui non est mecum, contra me est.* Quod clarius adhuc ostendit serm. 14. de verbis Apostoli: *Nullus*, inquit, *relictus est medius locus ubi ponere queas infantes, de vivis & mortuis judicabitur, alij erant ad dextram, alij ad sinistram, si ergo dextra erit & sinistra, & nullum locum medium novimus, Ecce in dextra regnum cœlorum est, percipite, inquit, regnum, si ibi non est, in sinistra est, quid erit in sinistra? Ite in ignem æternum.* Hæc Augustinus, ubi apertè docet, parvulos non baptizatos esse contra Christum, esse sub potestate diaboli, esse locandos in sinistra, & per hoc in ignem æternum injiciuntur, sed quomodo sub Diaboli potestate constituuntur, aut in ignem æternum conjiciuntur, quos nec diabolus, vel ignis in minimo potest lædere? quod hic ulterius declaro: Agens habens sufficientem virtutem agendi, sufficienter passum approximatum naturaliter & necessariò agit, ergò sicut evidenter probat S. Augustinus, parvuli sunt mittendi in ignem infernalem, qui est intensissimus, necessariò aget in ipsos, nisi impediatur vel à DEO, vel à diabolo: Non ab isto, cùm hic adhuc libentius adderet pœnas, nec credibile est, quòd omninò à DEO per miraculum, cùm sint ejus inimici, impediatur ignis, nè in eos agat.

Hinc Author Hypognostici, qui communiter dicitur esse Augustinus, vel certè alius antiquus, & doctus scriptor, inter opera D. Augustini insertus lib. 5. dicit: *Primum locum fides Catholicorum divina authoritate, regnum credidit esse cœlorum, secundùm gehennam, ubi omnis apostata, vel à fide Christi alienus supplicia experietur. Tertium penitus ignoramus, imò non esse in scripturis sanctis invenimus. Finge Pelagiane locum ex officina perversi dogmatis tui, ubi alieni à Christi gratia vitam requiei, & gloriæ possidere possint.* Quo nihil clarius? Addo S. Gregorium lib. 9. Moral. cap. 16. dicentem: *Quos à culpa originali sacramenta salutis non liberant, & hic ex proprio nihil egerunt, & illuc ad tormenta perveniunt.* Et infrà: *Perpetua quippè tormenta percipiunt, qui nihil ex propria voluntate peccarunt*, ubi per tormenta vix potest aliquid nisi cruciatus animæ & corporis propriè intelligi.

Probatur ultimò ijsdem rationibus, quibus probatur parvulos passuros esse pœnam damni, quæ incomparabiliter major est, quàm imaginabiles corporis & animæ cruciatus, nam si tanta pœna fuit injuncta propter peccatum aliena voluntate commissum, cur negabimus injunctam etiam pœnam incomparabiliter minorem, scilicet levem quandam sensûs pœnam, maximè cùm in hac vita parvuli valdè crucientur aliquando, & quod gravissimum est, moriantur, & hoc in pœnam originalis peccati, ergo.

Probatur Secunda Pars: Ex D. Augustino lib. 5. contra Pelag. cap. 8. ubi dicit: *Quis dubitaverit parvulos non baptizatos, qui solùm habent originale peccatum, nec ullis proprijs aggravantur, in damnatione omnium levissima futuros? Quæ, qualis & quanta erit, quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere, quod eis ut nullibi essent, quàm ut ibi essent, potius expediret.* Et lib. 1. de peccat. merit. IX. Infantes sine baptismo habebant mitissimam pœnam.

merit. cap. 16. *Potest perindè rectè dici, parvulos sine baptismo de corpore exeuntes, in damnatione omnium mitissima futuros. Multùm autem fallit & fallitur, qui eos in damnatione prædicat non futuros, dicente Apostolo: Judicium ex uno delicto in condemnationem. Et paulò pòst: Per unius delictum in omnes homines ad condemnationem.* Et ratio est: Quia cùm actuale peccatum sit longè gravius puniendum, quàm originale, consequens est, quòd cœteri damnati graviorem pœnam sint passuri, quàm qui solùm aliena voluntate peccârunt, ergo &c.

His itaque pro utrâque parte discussis eligat sibi quisque, quod voluerit, & tenendo hanc secundam conclusionem facilè solvet argumenta primæ sententiæ sic:

Ad primum Respond. Illum locum ex Apocalyp. intelligendum esse de adultis, vel si extendatur ad parvulos, negatur subsumptum. Quia sicut parvuli fuerunt in Adami lumbis, & per hoc contraxerunt originale peccatum secundùm omnes, ita erant in delicijs Paradisi, & Arboris scientiæ boni & mali, in cujus fructu delectabatur Adam. Ad authoritatem Innocentij III. dico primò, illum locum fuisse secundùm suum propositum, & fortè quia sic sentiebat, non verò per modum alicujus decreti definitivi. Secundò: Nihil ex illa authoritate inferri potest, quia non magis dicitur in ea, quòd illa sit sola pœna originalis, quàm quòd pœna sensûs sit sola pœna peccati actualis, sed est manifestè falsum dicere, quòd hæc sit sola pœna peccati actualis, cùm ob quodlibet peccatum mortale perdatur visio DEI, ergo nec sola carentia visionis debet dici esse pœna peccati originalis. Ad Patres Respond. concedendo libenter multos fuisse, & esse in illa sententia, non tamen Augustinum, Nazianzenus verò tantùm vult, quòd parvulis non debeat ea pœna infligi, sicut illi, qui baptismum contempserunt, nec sicut illi, qui aliàs malè operati fuerunt, quamvis debeatur ipsis aliqua alia pœna propter ipsum originale.

Ad secundum Resp. neg. consequ. Quia nec actuale peccatum tollit ordinem naturalem, sed supernaturalem, videlicet conversionem ad DEUM, per donum gratiæ, & tamen punitur non solum per carentiam boni supernaturalis scilicet beatitudinis, sed etiam pœna sensibili.

Ad tertium Respond. Bellarminum, eximium Doctorem, malè supponere, quòd parvuli propter solam carentiam justitiæ originalis habitualis puniantur, quin imò, ut supra dictum est, ideò carent justitiâ ipsâ, & per hoc puniuntur, quia verè peccârunt in Adamo, unde exemplum adductum de Magistratibus, non est ad propositum, quia talis non admissus ad dignitatem in Republica, ut supponitur, nullo modo peccavit, & ideò nullo modo puniendus. Imò exemplum posset benè applicari ad propositum secundæ conclusionis, quia videmus aliquando filios alicujus malè meriti in Republica, etiamsi in omnibus sint idonei ad administrandas in Republica dignitates, & officia, & mulctari pœnâ exilij, & confiscationis bonorum, per quæ procul dubio tales valdè affliguntur, ergo à pari &c.

Ad quartum Respond. neg. consequ. Quia dolor requisitus in adultis ad valorem Sacramenti, exigitur propter illud peccatum, quod in sua propria persona commisit, non quod in aliena, & sicut in aliena persona peccavit peccatum originale, ita sufficit, quòd in aliena persona de eo doluerit scilicet Christi, in cruce maximè dolentis, & deprecantis.

Ad quintum Respondetur sicut ad primum: Et ad motivum illud, propter quod alliciuntur Authores primæ conclusionis: Nempe hoc esse nimis crudele, & alienum à DEI misericordia, ut parvuli, qui in se nullum actum malum, aut delectationem commiserunt, puniantur pœnâ X. Compassio parvulis nihil prodest.

pœnâ ignis in inferno. Respond. Hanc piam compassionem parvulis nihil prodesse, imò fortè multùm obest, quia si parentes & parochi essent certi illos passuros esse talem pœnam, fortè majori pietate moverentur ad subveniendum illis, ut baptizentur, & prægnans majorem adhiberet cautelam, curamq; ut infans salvus nasceretur.

Quia tamen *Misericordia Domini superexaltat judicium*, & nemo in potentias Domini intrare debet, ideò tenendo primam conclusionem argumentis pro secunda factis sic respondendum est. Et primò ad loca illa S. Scripturæ, & Patrum, qui dicunt, parvulos esse filios iræ, sub potestate diaboli, mitti in stagnum ignis &c. tormenta & supplicia passuros, potest dici, quòd in tantum dicantur filij iræ, quia exclusi à regno DEI, quod est maximum indicium divinæ iræ, & per hoc dicuntur sub potestate diaboli, quia in stagno illo ignis, & in carcere illo tenebroso inferni, cujus custos est diabolus, quæ possunt aliquomodo dici tormenta, quia privant delicijs paradisi, esto nullam pœnam positivam infligant.

Similiter ad loca & rationes D. Augustini potest concedi, quòd nullus sit locus medius inter dextram & sinistram, cœlum & infernum, seu stagnum ignis, non tamen sequitur, quòd in inferno parvuli crucientur. Et cùm contra hoc quæritur, per quid impediatur ignis, ne agat in illos. Respondet Scotus, hoc esse ex divina dispositione, non tamen per donum, & dotem impassibilitatis, ut in beatis, & licèt sint inimici, DEUS tamen punit, ut loquuntur Theologi, citra condignum, id est, minùs quàm quis meretur, quod maximè sentiendum est quoad parvulos, qui nihil mali actualiter commiserunt. Et per hoc patet ad ultimam rationem desumptam ex rationibus probantibus pœnam damni in parvulis, Quia licèt possit DEUS sine nota injustitiæ punire parvulos pœnâ sensûs, sicut & damni, negandum tamen non est, quin possit etiam in hoc mitigare suam iram & indignationem quoad parvulos, non infligendo illis talem pœnam, sicut omnes Theologi fatentur, DEUM citra condignum etiam sceleratissimos punire.

Restat nunc breviter aliquid dicere de pœnis temporalibus generi humano propter peccatum originale inflictis, quas sufficiet per modum catalogi recensere. Itaq; pœnæ temporales originalis peccati aliæ sunt in intellectu, aliæ in voluntate, aliæ in sensibus tum externis, tum internis, aliæ deniq; in corpore ipso. Pœnæ intellectûs sunt potissimum hæ; Primò ignorantia rerum necessariarum in infantibus, quanta nec in bestijs quidem cernitur. Unde Augustinus lib. 1. de peccat. merit. cap. 38. *Multorum pecorum*, inquit, *pulli etiam minutissimi, matres agnoscunt nec sugendis uberibus curâ & ope admoventur aliena, sed ea ipsi in maternis corporibus, loco abdito posita mirabili facilitate noverunt. Contra homini nato nisi opere nutrientis admotis labijs papillis uberis ingerantur, nec ubi sint sentiunt, & juxta se jacentibus mammis magis possunt esurientes flere, quam sugere.* Secundò est difficultas addiscendi. Tertia ignorantia ultimi finis non solùm supernaturalis, sed etiam naturalis. Quarta ignorantia mediorum ad illum finem. Quinta difficultas cognoscendi naturas rerum. Sexta, quod mens humana seipsam non agnoscat. Item quòd ab ipso corpore, quod ei datum est, tanquam instrumentum ad scientias comparandas impediatur, nè facilè aut perfectè eas comparet. Et aliæ multæ similes. Vide dicta in secunda disputatione, quæ huc referri possunt.

XI. Pœnæ temporales peccati originalis.

In voluntate prima pœna est amor sui, quia quisque quærit quæ sua sunt, non quæ DEI. Secunda est difficultas in virtutibus excolendis, & vitijs superandis. Tertia incredibilis quædam negligentia in ijs, quæ ad beatè vivendum requiruntur. Quarta immoderata sollicitudo in

do in temporalibus. Quinta mira tarditas ad DEUM super omnia amandum. Sexta summum fastidium proprij statûs. Septima, quòd nullus sine speciali DEI gratia possit omnia peccata mortalia & venialia cavere, undè vulgò dicitur humanum est peccare. Ultima deniq; quod voluntas perdidit supremum & perfectum illud dominium super cœteras potentias, quæ poterat illas coërcere ab omni prava actione, saltem quæ essent peccatum mortale. In sensibus prima pœna est, quòd multi nascantur surdi, cœci, multi stulti. Secunda illusio somniorum. Item in parte irascibili, ira, rabies. In parte concupiscibili mira pugna contra Spiritum, juxta illud: *Caro concupiscit adversus Spiritum.* In corpore denique tot morborum genera, quæ nec medici suis libris comprehendere possunt, inopiâ cibi & potûs, labor & sudor in pane acquirendo, juxta illud: *In sudore vultûs tui vesceris pane tuo.* In fœminis labor & dolor partûs secundùm illud: *In dolore paries filios tuos.* His addo omnes istas pœnas extrinsecas, quæ vel à DEO, vel à dæmone, bestijs, elementis, & cœteris patiuntur homines, & tandem mortem ipsam, quæ naturæ violentissima pœna est.

Nota tamen, quamvis omnes dictæ pœnæ in nobis communiter sint propter culpam originalem, tanquam primam radicem, aliquas tamen ex illis posse aliquibus infligi sine ulla ipsorum culpa, videlicet ad exercitium virtutum, & majorem meritorum cumulum acquirendum, ut patet de Christo, quem nullum constat habuisse peccatum, qui tamen multas pœnalitates passus est. Idem dic de Beatissima Virgine Maria, & pluribus alijs Sanctis, quibus omnibus sit laus, honor, & gloria in sæcula sæculorum, & nobis remissio peccatorum!

DISPUTATIO QUINTA.

DE

De Peccato Actuali, Tam mortali quàm veniali.

I. Jovinianus docet peccata esse æqualia.

JOvinianus, ait S. Augustinus, *Omnia peccata, sicut Stoici Philosophi, paria esse dicebat, nec posse peccare hominem lavacro regenerationis accepto, nec aliquid prodesse jejunia, vel à cibis aliquibus abstinentiam.* Lib. de hæres. hæres. 82. Idem docuit Tullius in orat. de Murena, asserens, licèt peccata crescant numero, non tamen gravitate. Idem docent moderni hæretici contra expressam D. Pauli doctrinam dicentem: *Manifesta sunt autem opera carnis: quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, secta, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam, qui talia agunt, re-* Ad Gal. 5.

gnum DEI non consequentur. Unde Eminentissimus Bellarminus hunc errorem hæreticorum fortissimè oppugnat lib. 1. de amissione gratiæ cap. 4. Noster Alphonsus à Castro lib. 12. Verb. Peccatum hæres. 8. &c. pro quo sit

QUÆSTIO PRIMA.

An ex natura sua peccata omnia sint æqualia, vel aliqua ex se sint mortalia, alia ex se venialia?

II. Mortalis & venialis peccati denominatio

JOvinianum olim secutus est Pelagius, docens per quodlibet peccatum amitti gratiam, consequenter omnia peccata esse mortalia. Wiclephus, quem ferè sequitur Calvinus, dixit, omnia peccata reproborum esse ex natura rei mortalia. Electorum verò post fidem adeptam esse venialia. Econtra Lutherus in lib. de Captivit: Babylon. cap. de baptismo dixit, solam incredulitatem, seu infidelitatem esse peccatum mortale. Pro intelligentia autem dicendorum.

Notandum: Peccatum *mortale* desumere suam denominationem à morte animæ, sicut *veniale* à venia: *Veniale* autem dicitur tripliciter tale: A *causa*, ab *Eventu*, & ex *natura*. *Veniale à causa* est, quod ex ignorantia, vel infirmitate committitur, & dicitur veniale, non ut veniale opponitur cuicunq; mortali, sed ut distinguitur contra peccatum ex certa malitia, quamvis enim peccata ex ignorantia, vel infirmitate commissa sæpè sint mortalia, id est, privantia vitâ gratiæ, dicuntur tamen venialia, quia in eis est aliquid minuens gravitatem, ratione cujus is, qui peccavit, vicinior est veniæ, de quo genere peccati loquitur Apostolus 1. ad Timoth. 1. *Blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus: sed misericordiam DEI consecutus sum, qui ignorans feci in incredulitate.* *Veniale ab Eventu* dicitur, quod per pœnam expiatur, quantumvis enorme sit, & hoc modo omnia peccata, quæ defacto à DEO remittuntur, venialia dicuntur, & mortale huic oppositum est illud, quod nec in hoc, nec in futuro sæculo expiatur, ut sunt peccata mortalia finaliter impœnitentium. *Veniale ex natura sua*, quod suapte natura non physica, sed morali, adeò leve est & exiguum, ut rectæ rationi non multum dissonet, nec charitatem DEI & proximi expellat, aut mortem animæ inferat, & hoc est, quod propriissimè dicitur veniale, & mortale ei oppositum est, quod charitati DEI & proximi adversatur, mortémq; animæ infert, ut blasphemia, perjurium, adulterium, homicidium &c.

III. Veniale propriè sumptum.

Notandum Secundò: Veniale hoc modo sumptum duplex esse: Aliud ex genere suo, nempè ex genere entis moralis, quod tale dicitur, quod habet pro objecto rem malam & inordinatam, sed quæ charitati DEI vel proximi non repugnat, ut verbum otiosum, risus levis, mendacium jocosum, & officiosum, cogitatio vana, multiloquium, nugæ, impatiens responsio, otium &c. Secundò aliud est Veniale *ex imperfectione operis*, quod licet ex genere suo mortale esse possit, tamen ob imperfectionem operis veniale efficitur: Et iterum est duplex: Aliud *ex surreptione*, seu indeliberatione, ut subitanei motus cupiditatis, iræ, invidiæ, infidelitatis &c. Aliud ex parvitate materiæ, quia scilicet in re parva & levi committitur, ut furtum leve, detractio modica &c. Mortale similiter est duplex, unum ex genere suo, quod scilicet charitati DEI & proximi valdè repugnat, ut homicidium &c. Aliud ex dispositione operantis redditur mortale, ut si quis adeò delectaretur in otiosis confabulationibus, ut paratus sit in ijs tempus perdere, etiamsi aliud ex divino præcepto

pto faciendum ei incumberet. His prænotatis

III. Peccato non omnia sunt æqualia. Dico Primò : *Peccata omnia non sunt in gravitate paria.* Hæc est de fide, & Probatur Primò : Ex Scriptura Gen. 15. *Sodomitæ pessimi sunt, & peccatores coram DEO nimis.* Jeremiæ 3. *Major est iniquitas populi mei peccato Sodomorum*, sed ubi majus & minus est, non est æqualitas, ergo si una iniquitas major est altera, & omne peccatum est iniquitas, peccata non sunt æqualia. Item Joann. 19. *Qui me tradidit, majus peccatum habet.* 1. Corinth. 5. *Auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes.* Et cap. 6. *Neq; fures, neq; avari, neq; rapaces regnum DEI possidebunt*, quæ omnia insinuant peccata mortalia. Deinde insinuantur etiam venialia Proverb. 24. *Septies in die cadit justus*, sed hæc non videntur esse gravia sed levia, ergo.

Probatur Secundò : Authoritate Patrum, unicus nobis sufficiat relatus D. Augustinus lib. de fide & operibus cap. 26. dicens : *Nisi essent quædam ita gravia, ut etiam excommunicatione plectenda sint, non diceret Apostolus : Congregatis vobis & meo spiritu tradere ejusmodi hominem Sathanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus in die Domini JESU. Unde etiam dicit : Ne lugeant multos ex iis, qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditiam & fornicationem, quam gesserunt. Item si essent quædam non ea humilitate pœnitentiæ sananda, talis in Ecclesia datur eis, qui propriè pœnitentes vocantur, sed quibusdam correptionem medicamentis, non diceret ipse Dominus : corripe eum inter te & ipsum solum, & si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Postremò nisi esset quædam, sine quibus hæc vita non agitur, non quotidianam medelam poneret in oratione, quam docuit, ut dicamus : dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Ita ille, ubi satis adducit & Scripturas, & rationes ex eis desumptas. Verùm

Probatur Tertiò Ratione : Quia peccatum est formaliter privatio rectitudinis debitæ, sed inter rectitudines aliæ sunt alijs perfectiores, & magis obligantes, ergo etiam inter privationes harum rectitudinum alijs sunt aliæ graviores. Sed

Opponitur Primò : Authoritas S. Basilij in Regulis brevioribus respons. 263. ubi ait : *Differentiam majorum, & minorum peccatorum nusquam in novo testamento reperi*, ergo. Respond. neg. consequ. Quia S. Basilius tantùm loquitur, & respondet ad quæstionem sibi factam, quæ talis erat, quomodo agere par est cum ijs, qui cùm peccata majora declinant, minora perinde, ac si nihil referret, committunt? ad hanc propositionem respondet : Nulla esse talia peccata in Evangelio, quæ nihil referret committere, & in hoc omnia quodammodo esse paria, quod multùm refert ea non committere, sive majora sint, sive minora.

Arguitur Secundò : Pro Stoicis : Peccatum est recessus à virtute, vel transgressio præcepti superioris, non secus, ac si quis terminum lineæ præfixum transiliret, sed hoc consistit in indivisibili, ergo sicut ad transeundam lineam non refert, quòd quis multum aut parum transgrediatur, ergo nec ad transgressionem præcepti refert, quod quis multum aut parum agat, & consequenter unum peccatum non est majus altero. Respond. distin. min. Consistit in indivisibili quantum ad suam entitatem & rationem genericam, conc. quantum ad formam qua privat, & quoad rationem specificam, neg. min. & consequ. Nam verum est peccatum ut sic, esse transgressionem præcepti ut sic, & consequenter quoad rationem peccati ut sic, omnia peccata sunt æqualia, sed peccatum tale, est transgressio talis præcepti, & aliud peccatum tale, est transgressio non prioris, sed alterius talis præcepti, unde cùm illa præcepta possint esse ratione virtutum & objectorum majoris vel minoris momenti, etiam transgressiones ipsorum possunt esse majoris vel minoris malitiæ, secundùm majorem

vel

vel minorem perfectionem formæ, quâ privant.

V. Manducās bis ter &c. in jejunio quoties peccat.

Instatur: Ex principijs Christianis: sic se habet præceptum non transgrediendi lineam, sicut præceptum jejunij, sed qui in die jejunij bis comedit, tantum peccat, quantum qui centies comederet, similiter qui semel comederet ante communionem, vel Sacrum, tantum qui decies, ergo idem dicendum de transgressione lineæ, vel quocunq; alio præcepto superioris. Respond. Concedendo totum, hæc tamen instantia non est contra conclusionem positam, utpotè quæ loquitur de duobus præceptis diversarum virtutum, earúmq; individuis, non verò de peccatis ejusdem speciei, ut sunt illa, si sunt ullo modo peccata, dico si sunt ullo modo peccata, quia Major, Medina, Covarruvias &c. negant min: & dicunt, plus peccare, qui sæpius comedit, quàm qui semel aut bis. Ratio eorum est, quòd præceptum jejunij sit negativum, semper, & pro semper obliget. Respond. 2. cum Durando, Paludano, Gabriele, Navarro in Manuali cap. 21. n. 14. Negando paritatem: Quia in casibus in minori allegatis in sola secunda comestione peccaret quis contra jejunium, & in sola prima contra reverentiam Sacramenti, aut præcepti Ecclesiastici ordinantis, ut quis regulariter accedat jejunus jejunio naturali ad sacram Communionem. Ratio hujus resolutionis est, Quia Ecclesia tantùm prohibet in die jejunij, nè bis de die comedatur, ita ut per solam secundam comestionem violet jejunium, non verò per reliquas, quod autem hoc sit verum constat tum ex communi Doctorum sententia: tum ex praxi confessariorum, qui non solent interrogare quoties in die uno, vel ante communionem unius diei comederit, nec ipsi pœnitentes in hoc se accusant. Sed contra hanc doctrinam

Urgetur argumentum: Qui ter vel quater una die celebrat sine licentia, plus peccat, quàm qui bis tantùm: similiter qui ter vel quater in die abstinentiæ comedit carnis, quàm qui bis tantùm aut semel comedit, ergo similiter in proposito, qui in die jejunij ter aut quater comedit, gravius peccat, quàm qui semel. Respond. negan. consequ. Tum, quia in his praxis, & consuetudo tenet contrarium: Tum etiam, Quia regula generalis est, quòd præcepta, quæ prohibent id, quod in se malum est, vel quæ continent negationem sine ulla limitatione, quòd obligent pro semper, adeóq; toties peccari, quoties ejusmodi præcepta violantur. Econtra verò quando præcepta continent negationem limitatam & certam v. g. nè bis comedas de die tempore jejunij limitatur tantùm ad secundam comestionem. At quoad carnes absolutè, & sine limitatione prohibetur, ne ullo modo, ulla vice comedas carnes die Veneris, idem de celebratione sacri plus quàm semel de die, adeóq; quoties comeduntur carnes in die prohibito, vel celebratur ultra semel, toties peccatur. Sed

Instatur iterum: Si Ecclesia præciperet dicendo non comedas in die nisi semel tantùm, transgrediens præceptum peccaret toties, quoties comederet ultra semel, sed præcipiendo non comedas bis, præcipit non comedere nisi semel, ergo. Respond. conced. maj. Quia nisi ex mente Ecclesiæ aliud colligeretur, particula illa tantùm, vel nisi, est ex se, & sine limitatione exclusiva, atq; adeò æqualiter excludit omnia alia ab eo, cui adjacet, præterquam, ut dixi, si legislator aliud intenderet per eam non excludi nisi unum tantum limitatum numerum; unde præcipere semel tantùm comedere non est idem, quod præcipere, bis non comedere, quia bis non comedere, non excludit vi vocis nisi binarium numerum, & sic neganda est minor. Ad hæc autem debitè dignoscenda est ista regula communis, videlicet, quando præceptum est non solùm de ipso opere, sed etiam de progressu operis, tunc toties peccari, quoties

Digitized by Google

ties quis progreditur in opere prohibito, secus verò quando de solo opere est præceptum. Si autem quæras, unde constet opus tantum, & non progressum prohiberi? Respond. Hoc colligendum esse partim ex mente & motivo Legislatoris, præcipientis juxta rectam rationem: partim ex praxi & communi Doctorum sententia, quæ est optima legum interpres. Sed contra conclusionem

Arguitur Tertiò: Peccatum formaliter est privatio rectitudinis, sed privatio non suscipit magis & minus, ergo: probatur min. Quia unus homo non dicitur magis mortuus quàm alter, nec unus cœcus magis cœcus quàm alter, quia privatio utraq; tollit in utroq; totam formam sibi oppositam. Respond. neg. min. Privatio enim suscipit magis vel minus, secundùm quod forma privata est magis vel minus perfecta, & sic quia unum peccatum privat perfectiori rectitudine, unum erit gravius alio. Ad exempla de cœcitate, & morte dico, quòd etiam suo modo suscipiant magis & minus, quamvis enim cœcitas in utroq; visum totum expellat, & mors totam vitam, si tamen uni debebatur perfectior visus, aut excellentior vita, cœcitas aut mors illius magis quàm alterius est nociva. Unde in aquila privatio visûs major est, quàm in passere, & mors hominis est major privatio vitæ, quàm mors asini, quod ex eo colligitur, quia occidens hominem gravius punitur, quàm occidens asinum. Denique dato, quòd privationes vitæ, visûs non susciperent magis & minus, privatio tamen vitæ est major, quàm sit privatio visûs, sic etiam est loquendum de peccatis distinctæ speciei non intra eandem speciem, unum esse gravius altero.

VI. Venialia peccata dantur sicut & mortalia. Dico Secundò: *Peccata dantur alia mortalia, & alia venialia.* De mortalibus nemo negat, de venialibus Probatur ex Concilio Milevitano can. 7. ubi definit: Sanctos, dum in hac vita orant illud orationis Dominicæ *Dimitte nobis debita nostra*, non pro alijs, sed pro seipsis orare. Idem docet Tridentinum sess. 6. cap. 11. constat autem, Sanctos non habere peccata mortalia dimittenda, ergò dantur venialia. Item colligitur ex Proverb. 24. supra citato, & Eccles. 7. *Non est justus homo in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Et Joann. 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Et Jacob. 3. *In multis offendimus omnes*, Ex quibus locis D. Augustinus ostendit, & convincit, non omnia peccata esse mortalia, sed & multa venialia. Probatur Secundò: Ex Patribus supra, & ex D. Augustino lib. de Spir. & litt. cap. 28. ubi dicit: *Sicut non impediunt à vita æterna justum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur: sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillimè vita cujuslibet pessimi hominis invenitur.* Ex qua authoritate hæc desumitur ratio, dantur aliqua peccata, quæ non excludunt justitiam, vel sanctitatem, & à vita æterna, ergò non omnia peccata sunt mortalia: antec. patet tum ex Concilijs supra, tum ex Augustino. Probatur consequ. Quia illud solùm dicitur mortale, quod destruit charitatem, justitiam & sanctitatem, quæ est vita animæ, ergò. Sed contra

Opponitur Primò pro Pelagio. Deuter. 27. *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis.* Et Ezechiel. 16. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* Rom. 6. *Stipendium peccati mors.* Jacobi 2. *Qui offenderit in uno, factus est omnium reus.* Matth. 5. *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno cœlorum.* Ex quibus sic argumentabatur: Illa, quæ faciunt hominem divinâ maledictione reum, inducunt mortē, & à regno cœlesti excludunt, debent dici peccata mortalia, sed omnia omninò peccata sine ullo discrimine & differentia hoc faciunt, ergò omnia sunt mortalia, & consequenter nullum datur veniale. Respond.

spond.neg. min. quæ ex præfatis locis nunquam deduci potest, nam in illis solum est sermo de peccatis, quæ sub gravissima pœna mortis prohibetur, quod patet ex contextu primi loci, ubi postquam mentionem fecit de idololatria, incestibus, bestialitatibus, ut *Maledictus, qui dormit cum uxore patris sui, & revelat operimentum lectuli ejus. Et dicet omnis populus: Amen. Maledictus, qui dormit cum omni jumento. Et dicet omnis populus: Amen.* Et plura alia, in fine capitis subjungit illud, quod objicitur, quæ verè omnia mortalia sunt. Similiter loquitur Ezechiel, & D. Paulus de peccatis mortalibus, ex quibus Patres & Doctores colligunt, tunc esse peccata mortalia aliqua, quando pro transgressione comminatur DEUS maledictionem, mortem, reatum gehennæ &c. Ad locum S. Jacobi Respond. D. Augustinus: Ideò transgressorem unius mandati esse reum omnium mandatorum, quia omnia mandata ad unicum dilectionis præceptum revocantur, ut dicit D. Paulus ad Rom. 13. *Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio.* Hinc, cùm unico peccato mortali charitas tollatur, totius legis transgressio dicitur fieri ex transgressione unius, adeóq; perinde esse unicum peccatum mortale committere quantum ad amissionem gratiæ sanctificantis, & exclusionem Regni cœlestis, si in ipso moriatur, non tamen perindè est quoad gravitatem peccati, & intensionem pœnæ sensûs, licèt pœna damni sit æqualis. Pariformiter possent illa verba Matth. 5. intelligi, nempè quòd nullus vocabitur, aut comparebit in regno cœlorum, qui minimum mandatum in materia gravi transgreditur, si non resipiscat. Verùm D. Hieronymus in Commentario, & D. Augustinus super serm. Domini in monte, per *solvere minimum mandatum* intelligunt idem esse, ac S. Scripturam perniciosè interpretari, vel docere, sicut fecerunt Scribæ & Pharisæi, quos ibi redarguit Christus.

Dico Tertiò: *Non omnia peccata prædestinatorum sunt venialia, nec reproborum omnia sunt mortalia.* Hæc est de fide contra Wiclephum supra. Probatur ex SS. Patribus Irenæo lib. 1. cap. 13. Epiphanio, Tertulliano &c. qui dicunt, Adamum fuisse prædestinatum & salvatum, quem tamen constat lethaliter, seu mortaliter peccâsse, juxta illud ad Rom. 5. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors.* Idem patet de David, de cujus prædestinatione nemo dubitare potest, & multò minus de adulterio & homicidio. Similiter de S. Petro, qui Christum negavit, ac de pluribus alijs Sanctis, quos Scriptura graviter peccâsse commemorat, ergò omnia peccata prædestinatorum non sunt venialia. Quòd etiam omnia peccata reproborum non sint mortalia patet in Juda, Saule, & alijs, qui multo tempore in hac vita sanctè & justè vixerunt, quo tempore credibile non est, quin aliqua venialia commiserint. Sed in contra VII. Prædestinatorum omnia peccata non sunt venialia.

Opponitur pro Wiclepho Primò: Joan. 3. *Omnis, qui natus est ex DEO, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex DEO natus est,* ergo nullus justus potest peccare, & consequenter omne peccatum erit incompatibile cum justitia, adeóque mortale. Ad hanc oppositionem D. Augustinus lib. 3. contra duas epist. Pelag. cap. 3. respondet, & distinguit: Non peccat ea conditione, qua filius DEI est, concedit, qua filius sæculi est, negat non peccare, placeat ex fonte ipso eximiam libare doctrinam: *Quamvis enim*, ait, *diabolus sit author & princeps omnium peccatorum, non tamen filios diaboli faciunt quæcunque peccata. Peccant enim & filij DEI, quoniam si dixerint se non habere peccatum, seipsos seducunt, & veritas in eis non est, sed ea conditione peccant, quâ sunt filij adhuc hujus seculi. Quâ verò gratia sunt filij DEI, non utiq. peccant, quia omnis, qui natus est ex DEO, non peccat.*

Respond.

Respond. 2. cum S. Bernardo serm. in Septuagesima, Natos, seu filios DEI prædestinatos non peccare, ita ut in peccato finaliter maneant, benè tamen ad resurrectionem, emendationem, & aliquando ad majorem sanctificationem, unde D. Paulus ait: *Diligentibus DEUM omnia coöperantur in bonum*, ad quod D. Augustinus addit: *Usque adeò etiam peccatum in bonum coöperatur*, lapsi enim fiunt humiliores &c.

Respond. 3. neg. consequ. utramque: Quia ibi non agitur de incompatibilitate cujuscunque peccati cum gratia, sed de repugnantia, quam habet gratia cum hoc, quòd non fit causa cujuscunque peccati, & sensus est, quod peccatum sive veniale, sive mortale non causatùr à DEO, vel à gratia DEI, vel ab eo, qui est in gratia, ut talis est, sed ab eo, ut tentatur à concupiscentia sua, vel ab alio motivo malo, seu ut D. Augustinus: ut est adhuc filius hujus sæculi. Potest etiam dici, quòd D. Joannes loquatur de peccato mortali, utpote quod nequit stare cum semine vitæ æternæ, id est, gratia.

Instatur: Peccatum est macula, sed justi non habent maculam, juxta illud Psalm. 118. *Beata immaculati in via*, ergo saltem in justis nulla dantur venialia ex genere, & ex natura sua. Respond. Peccatum esse maculam proportione ad rectitudinem, qua privat, nempe mortale mortalem, veniale venialem, justi autem in hac vita habent veniales & leves maculas, unde per immaculatos in via intelliguntur, qui non habent maculam saltem mortalem, in patria verò debent esse ab omni macula liberi, quia nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum.

VIII. Fiducia non facit fidelium peccata esse venialia.

Dico Quartò: *Non omnia peccata sunt ex natura sua mortalia, ac proindè peccata fidelium non dicuntur venialia propter fiduciam divinæ misericordiæ.* Est communis Catholicorum contra Lutherum & Calvinum. Probatur Primò: Tum ex dictis: Tum ex Bulla Pij V. & Gregorij XIII. in qua damnatur hæc propositio Baij: *Nullum est peccatum naturâ suâ veniale:* Tum, Quia si ideo peccata fidelium essent venialia, quia non imputantur illis, sequeretur, quòd justi gratis, & superfluè orarent: *Dimitte nobis debita nostra.* Item falsò diceret Joannes: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.*

Probatur Secundò: Contra eos, qui dicunt, ideò esse peccata venialia in fidelibus, quia in eis compatiuntur cum fide, quæ secundùm illos sola justificat, nam ex hoc sequeretur, solam infidelitatem esse peccatum mortale, & sic falsum esset, Davidem, Petrum, & alios similes mortaliter peccâsse. Nec valet recurrere ad fiduciam divinæ misericordiæ, cùm videamus plurimos etiam inter hæreticos, qui fidem se habere dicunt, turpissimam vitam ducere, errorésque gravissimos de Christo, Ecclesia, Sacramentis &c. docere, prout Lutherani impingunt Calvinistis, & hi econtra illis. Adde inauditum esse, in Ecclesia semper fidem amitti per fornicationem, adulterium, aut quid simile, aliàs nullum erit discrimen inter veros fideles Catholicos, & inter hæreticos contra communem sensum Patrum, & D. Augustinum lib. qq. in Matthæ. q. 11. dicentem: *Inter hæreticos, & malos Catholicos hoc interest, quòd hæretici falsa credunt, illi autem vera credentes, non vivunt ita, ut credunt.*

Denique multò minus auditum, vel tolerabile est dicere Adulteria, furta, & his similia flagitia, in fidelibus esse tantùm venialia, nam Christus omnibus tam fidelibus quàm infidelibus dixit: *Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis.* Et Paulus ad Galat. 5. postquam varia enumerâsset peccatorum genera, subdit: *Qui talia agunt, regnum DEI non possidebunt*, & tamen Galatæ erant fideles, ergo falsò asseritur, omnia peccata fidelium esse venialia. Plura vide apud Bellarminum & à Castro suprà citatos. Sed in contra

Opponitur Primò: Illud Joan. 13.

Si non lavero te, non habebis partem mecum, ubi D. Augustinus per lotionem pedum intelligit lotionem à venialibus, ergo etiam venialia excludunt à parte Christi, & regno cœlesti, & per consequens ex se omnia sunt mortalia, nisi ab ijs lavemur. Respond. neg. consequ. Quia sensus illius loci est, nisi lavero te à venialibus in hac vita, non habebis partem in cœlesti, ubi nihil inquinatum ingreditur, quod libenter concedo, non tamen proindè sunt mortalia, cùm non inducant mortem animæ.

Instatur: Quidquid repugnat huic præcepto: *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo*, est mortale, sed quævis culpa etiam minima sic repugnat, quia perfectus amor DEI non compatitur aliquam culpam, sicut etiam nemo perfectus dicitur, qui culpas habet quamvis minimas, perfectus enim non est, cui aliquid deest. Respond. neg. min. Loquendo de illo præcepto, ut observando à viatoribus, licèt in patria, in qua perfectissimè adimpletur, excludat etiam minimam culpam, unde ulterius negatur, quamlibet culpam repugnare perfectioni status hujus vitæ, benè tamen perfectioni status vitæ æternæ.

Arguitur Secundò: Quælibet, quantumvis levis culpa, potest à DEO puniri pœnâ æternâ, ergo quælibet ex natura sua est mortalis, & nulla venialis, nisi ex sola misericordia divina. Respond. distin. antec. Potest DEUS, ut est Dominus absolutus creaturarum infligere pœnam æternam sine injustitiæ nota, pro levi, imò pro nulla culpa, conc. antec. quia potest uti creaturis suis, prout vult, sed talis inflictio tunc non haberet rationem pœnæ propriè dictæ, & correspondentis culpæ, sed solùm nudæ pœnalitatis, cœterum ut Judex non potest, vel saltem non decet sic facere, ut sine culpa sic puniat. Et dato quòd posset, constat tamen ex Scriptura, eum non sic statuisse.

Instatur: Malum culpæ levissimæ majus est quocunque malo pœnæ, ergo DEUS etiam ut Judex potest pro levi culpa pœnam æternam infligere: probatur antec. Quia potius subeunda esset quævis pœna gravissima, quàm levissimum peccatum perpetrandum, ergo. Respond. conc. antec. cum probat. Quia malum culpæ est malum simpliciter, adeòque nullo modo eligibile, pœna verò est malum secundùm quid, scilicet illi, qui punitur, negatur tamen consequentia, quia inter pœnam & culpam debet servari proportio, ita ut levi culpæ non nisi levis pœna correspondeat, & gravi gravis, graviori gravior &c.

Arguitur Tertiò: Peccatum quod potest justè semper puniri, est mortale, sed minima culpa potest sic puniri, ergo: probatur min. Talis culpa potest nunquam sine nota injustitiæ remitti, ergo potest semper justè puniri: antec. probatur: Quia quod DEUS ex gratia facit, potest nunquam facere, sed remissio cujuscunque peccati etiam levissimi est ex gratia DEI, ergo. Respond. concessâ maj. neg. min. Loquendo de lege ordinaria divinæ justitiæ, ad prob. neg. antec. cum prob. Quia licèt mortale ex natura sua non sit remissibile, nisi ex gratia DEI, veniale tamen ex natura sua, & juxta legem justitiæ est remissibile, nec ad ejus remissionem necessariò requiritur gratia, aut actus charitatis.

Instatur: Levissima culpa meretur carentiam visionis DEI saltem ad tempus, sed hæc pœna est multò gravior pœnâ æternâ sensûs, ergo quod meretur primam, meretur & secundam. Respond. conced. maj. neg. min. Quia major pœna est carere diu vel æternalibus parvis bonis, quàm brevi tempore magnis, & gravius est simpliciter pati pœnam inferioris ordinis æternaliter, quàm pœnam superioris ordinis brevi tempore, quamvis servata æqualitate durationis gravius sit tanto tempore privari DEI visione, quàm tanto tempore puniri pœnâ ignis infernalis,

Digitized by Google

nalis, & hoc eſt, quod vult D. Auguſtinus ſerm. 2. de omnibus Sanctis, ubi ait: quod deberemus gehennam ad tempus pati, ut poſſimus Chriſtum videre.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quomodo peccata mortalia, & venialia inter ſe differant?

I. Differentiæ inter mortale & veniale peccatum.

SUpponunt omnes Theologi aliqua eſſe peccata ex genere ſuo mortalia, aliqua venialia, ſed multùm controvertitur, an hæc differentia competat eis ex natura rei phyſicè loquendo, ſecluſo omni ordine ad Legiſlatorem, ſaltem divinum, an tantùm in genere moris, & præſuppoſita Legiſlatoris voluntate præcipientis alia ſub mortali, alia ſub veniali pœna? Vaſquez, & quidam alij apud ipſum dicunt, id ex natura rei, & independenter à DEI voluntate eis competere, adeò ut ſecundùm hos Authores non poſſit DEUS rem levem ex natura ſua ſub mortali præcipere, aut gravem ſub veniali. Pro quo

Notandum Primò: Peccatum mortale & veniale convenire inter ſe primò, quòd utrumq; ſit contra id, quod lex divina vel humana ſtatuit. Secundò quòd utrumq; ſit privatio rectitudinis debitæ. Tertiò, Quòd utrumq; ſuo modo ſit offenſa DEI, macula animæ. Quarto, quòd utrumq; poſſit eſſe tam circa ea, quæ ſunt ad finem, quàm circa ea, quæ ſunt ad media, in his conveniunt, unde

Notandum Secundò: Certum eſſe, apud omnes mortale & veniale in his differre Primò, Quòd mortale ſit inductivum pœnæ æternæ, veniale verò non niſi temporalis. Secundò, Quòd mortale privet gratiâ DEI & amicitiâ ejus, veniale verò ſtet cum utraq;. Tertiò, Quòd per illud conſtituat homo finem ſuum ultimum in creatura, loquendo de illis peccatis, in quibus fit converſio ad creaturam, veniale verò non ſic, ſed ſtat in hoc, quòd DEUS ſit ultimus finis venialiter peccantis. Præter has differentias aſſignant Theologi adhuc diverſas alias, de quibus non conſtat inter omnes, an ſint ſufficienter traditæ. D. Thomas 1. 2. q. 88. art. 1. aſſignat adhuc differentiam iſtam, quòd mortale ſit contra finem ultimum, veniale verò contra media ad finem. Alij differentiam aſſignant in eo, quòd mortale ſit contra præceptum ſeu legem, veniale verò non contra, ſed præter legem, attribuitur etiam D. Thomæ ſuprà, & Alenſi 2. p. q. 106. membro 1. item attribuitur ab Adverſarijs Scoto, quòd poſuerit differentiam inter mortale & veniale, quòd mortale ſit contra præceptum, veniale contra conſilium, de quibus omnibus paulò pòſt. Nunc

Dico Primò: *Quòd aliqua peccata ex genere ſuo ſint mortalia, aliqua venialia, non habent ex natura ſua phyſicè loquendo, & ſecluſa ordinatione Legiſlatoris, ſaltem divini.* II. Ordinatione Domini fit aliqua eſſe peccata mortalia, alia venialia.

Eſt communior, colligitur ex Scoto ſuprà, & Probatur Primò: Si nulla eſſet lex, nullum eſſet peccatum, ergo ſi nulla eſſet lex obligans ſub pœna mortis æternæ nullum eſſet mortale vel veniale. Probatur conſequ. Quia implicat aliquid, quod ex natura rei nullo modo eſt peccatum, ſit ſecluſa lege mortale vel veniale, lex enim eſt actus Legiſlatoris: *Actus autem agentium non operantur ultra intentionem eorum*, ut ajunt Juriſperiti, ergo etiam obligatio, quam operatur lex, adeóq; peccatum contra talem obligationem tantum erit, quantum intenderit Legiſlator, maximè ſi is habeat illimitatam authoritatem. Probatur Secundò: Multa ex ſe, & ex natura rei minima à DEO ſunt præcepta ſub mortali, ut nè primi Parentes comederent de fructu ligni ſcientiæ boni & mali, & multæ cæremoniæ veteris legis, alia verò ſunt ex ſe majora, & tamen non ſunt divinitus præcepta, niſi ſub veniali, ut parvum furtum, mendacium jocoſum &c. quæ ex natura ſua magis videntur ſpectare ad honeſta-

tem morum, quàm vitare immunditiam legalem, aut similia.

Probatur Tertiò: Si peccatum veniale esset tale ex natura sua, ut non posset esse mortale, maximè quia esset ex natura rei tam notabilis differentia inter mortale & veniale, ut unum non posset puniri per se pœnâ æternâ damni & sensûs, quamvis alterum possit, sed hoc non est verum, ergo peccata, quæ sunt venialia, non sunt talia ex natura sua physica. Probatur min. Primò, non est tanta differentia in furto unius cruciferi, quod sufficit ad veniale, à furto unius aurei, quod sufficit ad mortale, ut illud non posset puniri pœnâ æternâ ex naturâ suâ, hoc verò posset, nam excessus hujus furti gravis supra leve est finitus, & aliquando valdè parvus, excessus verò pœnæ infinitæ supra finitam est valdè magnus, ergo ex natura rei non potest furtum magnum exigere pœnam illam infinitam, & furtum parvum non exigere puniri tali pœna. Probatur eadem minor principalis secundò: Vel DEUS posset, si vellet peccatum veniale puniri pœnâ æternâ, vel non potest? Si potest, ergo misericordiæ ipsius & bonitati est adscribendum, quòd non puniat, quia inter illa duo peccata non est ex natura rei nisi differentia finita: Si non potest, ergo nec mortale, cùm illa duo peccata non differant, nisi finito modo. Sed

Arguitur Primò: Inter homines sunt quædam offensæ ex natura sua graves, ergo etiam respectu DEI. Respond. 1. dist. antec. seclusa lege humana, transf. antec. seclusa lege divina, aut naturali, neg. antec. Respond. 2. negando consequ. Quia non est eadem ratio de DEO, & de hominibus, quantum ad privandos aliquos suâ amicitiâ, homines enim semper moventur æstimatione propriâ, quæ sæpissimè non habet fundamentum sufficiens in re, unde fit, ut aliqui minori, aliqui majori vix offensa moveantur, ad expellendos aliquos ab amicitia sua, imò eadem ipsa persona quandoq; conservat amicitiam etiamsi magnam patiatur injuriam, quam dissolvit nonnunquam ob multò leviorem causam, DEUS autem non habet æstimationem de rebus, nisi secundùm ipsam naturam rerum, unde cùm ex naturâ rei non sit inter furtum leve & grave independenter ab ordinatione DEI tanta differentia, ut unum dicat, aut debeat puniri pœnâ æternâ, & alterum temporali, non potest DEUS consideratâ naturâ rei ob majorem vel minorem rationem injuriæ, quæ est in ipsis destinare unum dignum tali pœna æterna, alterum verò solùm pœnâ temporali, nisi fuisset ordinatio divina potius, quàm de alio.

Instatur: Non constat nobis de ordinatione aliqua particulari DEI, quâ voluerit hæc peccata, quæ venialia dicuntur, prohibere sub pœnâ temporali, & alia, quæ vocantur mortalia sub pœnâ æternâ, ergo non habent venialia esse talia ex ordinatione divina. Respond. neg. antec. Nam ex quibuscunq; principijs colligitur dari peccata venialia, colligitur etiam DEUM prohibuisse tantum sub pœna temporali, & si de hoc dubitaretur, nullo modo posset constare, quòd essent venialia, cùm possent prohiberi sub pœna æterna.

Urgetur: Sæpe ex arbitrio prudentis viri colligitur aliqua esse venialia, de quibus aliàs dubitaretur, sed hoc arbitrium non fundatur in ulla cognitione, quæ habetur de ordinatione DEI, sed ex natura rei, ergò ex natura rei habent esse venialia. Respond. neg. min. Quia ex natura rei non est aliquod fundamentum, ex quo colligi posset, aliqua esse mortalia, & alia venialia, nisi quòd aliqua sint graviora, aliqua minus gravia, sed hoc non sufficit, quia tam inter mortalia, quàm inter venialia repepiuntur aliqua graviora, & aliqua minus gravia, & tamen hoc non facit, quod illa, quæ sunt minus gravia inter venialia, sint mortalia, ergo major & minor gravitas peccatorum præcisè non sufficit, ut

aliqua

aliqua sint venialia, alia mortalia.

Doctores ergò colligunt aliquid esse mortale, & aliud veniale, ex gravitate vel levitate materiæ, quod tamen non fundatur in hoc, quòd DEUS non possit rem gravem leviter præcipere, aut econtra, sed quia præsumitur DEUM legem suam ordinâsse conformiter qualitati materiæ, nisi aliud ex circumstantijs colligatur.

Urgetur Secundò: Pœnam legalem constituere est actus justitiæ legalis, ergo talis lex supponit inæqualitatem ex parte culpæ, ut uni possit decernere gravem, alteri levem pœnam, ergò gravitas vel levitas culpæ præsupponitur ad legem. Respond. Instantiam hanc concludere tantùm respectu Legislatoris humani, utpotè qui tenetur statuere legem pœnalem juxta præscriptum legis divinæ, aut naturalis, secùs verò est respectu Legislatoris DEI, qui non solùm potest statuere leges juxta gravitatem, & levitatem materiæ ex natura rei, sed etiam ipsam gravitatem, levitatémque in genere mortis constituere.

Arguitur Secundò: Conclusio videtur sentire cum hæreticis, dicentibus, ideò aliquid esse peccatum, quia imputatur à DEO. Respond. neg. Assumptum, Theologi enim duplicem intelligunt voluntatem, seu ordinationem in DEO, unam antecedentem, & aliam consequentem: Antecedens est ipsa Lex DEI, quæ disponit de tali opere faciendo, vel omittendo, ex qua pendet necessitas illius faciendi, vel omittendi, adeoque gravitas vel levitas in actu: Voluntas consequens intelligitur ea, quæ advenit operi jam constituto in toto esse morali: hæc est, quam dicunt hæretici imputationem, quâ imputat DEUS opus jam factum mortale, aut veniale, antequam posuisset ullam legem de statu talis operis, nos autem loquimur de illa antecedente ordinatione posita ante actum peccati, determinante talem actum circa tale, vel tale objectum, cum hac vel illa circumstantia, esse mortalem vel venialem. Verum est quidem peccata venialia de facto supposità prohibitione, quâ prohibentur esse talia, ita ut non possit DEUS ea punire pœnâ æternâ, nec ratione eorum privare quempiam vitâ æternâ. Nec obstat D. Chrysostomus hom. 4. de levibus peccatis dicens: non esse levius peccatum furari duos obulos, quàm magnam auri quantitatem, quia intelligendus est de eo, qui duos furatur obulos cum animo furandi plura, dummodò posset.

Dico Secundò: *Peccatum mortale non benè distinguitur à veniali per hoc, quòd illud sit contra finem, hoc verò contra media.* Ita Scotus 2. d. 21. q. 1. §. *Dico ergo.* Probatur: Quia tam mortale quàm veniale potest esse tam circa DEUM, finem ultimum, quàm circa creaturas, quæ sunt media, ergò illa differentia non valet: probatur antec. Actus levis infidelitatis, odij &c. non plenè deliberati sunt venialia, hæresis & odium DEI deliberatum sunt mortalia, ergò circa DEUM non solùm mortaliter, sed & venialiter potest peccari: Similiter circa creaturas contingit sæpissimè peccari mortaliter, v. g. per adulterium, homicidium &c. item furtum leve, injuria levis proximo irrogata, venialia sunt, ergo, &c. III. Mortale & veniale nō distinguūtur per finem & media.

Arguitur in contra: Quidquid committitur contra finem ultimum, est mortale, ergò in hoc distinguitur à veniali: probatur antec. Nihil committitur contra finem ultimum, nisi quod est contra legem DEI æternam, sed quidquid est contra talem legem, est mortale, ergò quidquid est contra finem ultimum, est mortale. Respond. neg. antec. ejusque probat. minorem, quia mendacium jocosum, & furtum leve est contra legem DEI æternam, non tamen mortale, sed tantùm veniale, ergo.

Dico Tertiò: *Mortale & veniale peccatum nec in hoc differunt, quòd illud sit contra legem, aut præceptum, hoc verò præter legem: aut quòd* IV. Mortale & veniale nec differunt per præceptū & consilium.

Digitized by Google

quòd illud sit contra legem, hoc verò contra consilium. Ita Doctor subtilis supra. Probatur Prima pars: Tum ex dictis suprà, ubi dixi, nullum esse peccatum, quòd non sit contra aliquam legem: Tum, Quia mendacium & furtum leve, sunt peccata venialia, quæ tamen sunt contra legem naturalem. Tum, Quia sola lex obligat ad culpam, & ad pœnam, sed venialiter peccans obligatur ad utrumque, ergò hoc ideò, quia agit contra legem.

Probatur Secunda pars: Quia certum est apud omnes peccatum veniale esse verè peccatum, & contra legem aliquam, si enim etiam Consilia Evangelica obligarent ad, vel sub veniali, sequeretur, ducentes uxorem, aut non renuntiantes omnibus, imò universaliter non observantes consilia, peccarent, saltem venialiter, quòd est contra omnes Theologos, ergò ut aliquid sit peccatum mortale aut veniale, non sufficit, quòd sit contra consilium. Sed in contra

Opponitur S. Scriptura: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* 1. Joan. 2. *Si quis dixerit, quoniam diligo DEUM, & mandata ejus non servat, mendax est.* Et ibidem cap. 3. *Qui non obedit filio, non habet vitam.* Ex quibus sic argumentor: Veniale peccatum non impedit ingressum ad vitam, nec dilectionem DEI, nec reddit inobedientem filio; ergò signum est veniale non esse contra legem, aut obedientiam DEO debitam, aut dilectionem, & per consequens rectè assignatur differentia inter ipsum & mortale, quòd hoc sit contra legem, illud non, sed tantùm præter legem, vel contra consilium. Respond. neg. utramque consequ. Quia omnia illa loca intelligenda sunt de mandatis, lege, & obedientia ad salutem necessarijs, & sine quibus finis assequi non potest, non verò de mandatis, vel lege statuentibus aliquid tanquam utile tantùm ad finem consequendum, & ratio est, quia mandata simpliciter & indefinitè accepta debent sumi, & intelligi de potiori significato, cujusmodi sunt ea, quæ ad salutem sunt necessaria. Hujus rei exemplum habetur Lucæ 1. ubi de Zacharia & Elisabeth dicitur, quod erant incedentes *in omnibus mandatis, & justificationibus Domini sine querela*, licèt certum sit, quòd peccaverint aliquando venialiter.

Opponitur Secundò: Authoritas Doctoris subtilis suprà citati §. *Dico ergo.* Ubi hæc habet: *Sed in hoc distinguuntur, quia peccatum mortale est deordinatio opposita ordinationi, sine quâ finis non potest sequi aliquo modo, quæ quidem ordinatio habet præceptum, contra quod deordinatio sit, & ideò omnis deordinatio, cadens sub præcepto, avertit à fine necessariò, sed alia est ordinatio, quæ potest esse respectu finis sequendi, quæ non est necessaria, sed utilis, quæ non est de præcepto, sed potius de consilio, & deordinatio opposita huic est peccatum veniale, nec facit cadere à fine necessariò.* Ita Scotus. Ergò ex Scoti verbis, ait Cajetanus, Vasquez, & alij, clarè colligitur, omne id, & solum id, quod sit quomodocunque contra consilium, esse veniale. Respond. neg. consequ. Quia Scotus nunquam intendit, nec intendere potuit, nec dixit, veniale non esse contra præceptum, qui expresse docet, peccatum ut sic esse privationem rectitudinis debitæ, utique secundùm legem aliquam, & peccatum ideo esse peccatum, quia aliqua lege prohibitum, ut ergo mens Scoti, & veritas in hac parte clucescat. V. Scotus dixit veniale esse contra consilium.

Notandum, Legem dupliciter accipi: Primò pro regula obligante ad aliquid simpliciter necessarium ad consecutionem ultimi finis: Secundò pro regula obligante ad aliquid utile tantùm ad finem. Similiter consilium dupliciter sumitur: Primò & proprijssimè, ut opponitur legi obligandi ad aliquid utile tantum: Secundò prout opponitur legi obliganti ad aliquid necessarium, & coincidit cum lege secundo modo sumpta, quæ eatenus dicitur consilium, quatenus relinquit hominem libe- VI. Consilium dupliciter accipitur.

liberum ad faciendum, quod præcipit, ita quòd propter transgressionem non sit periculum perdendi finem ultimum. Scotus ergo dum dicit veniale esse contra consilium, sumit consilium secundo modo, ut ex ipsis ejus verbis satis claret, dicit enim: *Quòd alia est ordinatio sine qua finis non potest assequi, & deordinatio huic opposita est mortale peccatum, & contra præceptum* (intellige obligans) *ad aliquid necessarium ad assequendum finem, alia verò est ordinatio non necessaria, sed utilis respectu finis consequendi, quæ non est de præcepto* (scilicet necessitatis ad finem) *sed potius de consilio* scilicet secundo modo sumpto. Hinc

VII. Mortale & veniale differunt ob præcepta aliter obligantia.

Dico Quartò: *Mortale differt à veniali per hoc, quòd illud sit contra præceptum, cujus observantia est simpliciter necessaria ad salutem, hoc verò contra præceptum non ita formaliter & graviter obligans.* Est communis, & patet: Quia inde dicitur mortale inducere mortem animæ, reatum gehennæ, privationem vitæ spiritualis, gratiæ, quia opponitur alicui necessariò ad salutem, finem ultimum, & vitam æternam consequendam, veniale verò quia nullo tali privat, nec inducit mortem anima, ergo per hæc verè explicantur, & differunt. Confirmatur: Utrumq; conveniunt in hoc, quod quodlibet sit privativum rectitudinis debitæ inesse, ergo non possunt convenientius distingui, quàm quod unum inducat privationem rectitudinis debitæ, & necessariæ ad consecutionem finis, aliud verò privationem rectitudinis debitæ, & valdè utilis ad consecutionem ipsius.

A differentijs speculativis operæ pretium esse censeo, progredi ad differentias practicas explicandas, licèt enim præfatæ distinctiones, & discrimina valeant ad cognoscendam speculativè utriusq; naturam, non sufficiunt tamen, ut in foro confessionis, & in praxi possit confessarius inter utrumq; cognoscere, quod quàm difficile sit, ingenuè fatetur D. Augustinus lib. 20. de Civit. cap. ult: *Difficillimum & periculosum esse definire, quæ peccata sint venialia, & quæ mortalia.* Et ratio est: Quia peccatum fieri veniale oritur, vel ex levitate & parvitate materiæ, vel obligationis, aut inconsiderationis; quis autem definire potest, quando talis inconsideratio adsit, vel materiæ parvitas, aut obligatio, unde idem S. Doctor in Enchirid. cap. 78. dicit: *Quæ sint autem levia, & quæ gravia peccata, non humano sed divino sunt pensanda judicio. Videmus enim quædam ab ipsis quoq; Apostolis ignoscendo fuisse concessa: quale illud est, quod Venerabilis Paulus conjugibus ait: Nolite fraudare invicem.* Et paulò infrà subjungit: *Posset ergo, ut dixi, hoc putari non esse peccatum, nisi addidisset: Hoc autem dico secundùm veniam, non secundùm imperium, quis autem jam esse peccatum neget, cùm dari veniam facientibus Apostolica authoritas fateatur.* Unde concludit propter hæc & similia peccata justè omnes quotidie orare: *Dimitte nobis debita nostra.*

Nihilominus nè fideles scrupulis varijs & angustijs se involvant, à Doctoribus certæ regulæ assignantur, ex quibus aliqualem hujus rei possumus capere cognitionem, qua de re videndi sunt nostri Alphonsus à Castro lib. 1. de lege pœnali. Vega in Concilium Trident: Navarrus præludio 9. Rada tom. 2. controversia 17. Prima ergo Regula est: Illud censendum est mortale esse ex genere suo, quod charitatem DEI & proximi graviter lædit, & per oppositum veniale, quod sic charitatem non offendit. Quando autem charitas DEI & proximi lædatur graviter, vel leviter, partim ex gravitate vel levitate materiæ, partim ex imperfectione operis, partim ex indeliberatione operantis, partim etiam ex arbitrio prudentum, & communi Doctorum consensu pensandum est.

VIII. Regulæ practicæ pro discernendis venialibus peccatis.

Secunda & optima Regula est, id habendum pro mortali, aut veniali, quod à probis & doctis viris pro tali habetur. Ratio est, quia

licèt S. Scriptura aliquorum mortalium mentionem faciat, & leges humanæ, & Ecclesiasticæ multa sub mortali præcipiant explicitè, multa tamen sunt, de quibus est valdè dubium, an sint mortalia vel venialia, aut ullo modo peccata, in quibus oportet recurrere ad viros doctos & probos, qui sciunt divinas & humanas leges melius interpretari.

Tertia Regula est: Id censendum est esse mortale, quod in aliqua communitate vel congregatione pro tali habetur, & tanquam obligans acceptatur ab illis. Ratio est, quia consuetudo est optima legum interpres.

Quarta & fundatissima Regula generalis est: Illa omnia opera, quæ in S. Scriptura abominabilia, DEO exosa, execranda dicuntur, mortémq; inferre, à Regno DEI excludere, quorum aliqua recenset D. Paulus ad Roman. 5. talia esse peccata mortalia ex genere suo: Hinc fornicatio, avaritia, immunditia, mollities &c. sunt peccata mortalia, quia Apostolus ibidem subdit: *Quoniam qui talia agunt Regnum DEI non consequentur.* Similiter ad Ephes. cap. 5. dicit: *Fornicatio autem & omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos.* Econtra autem in eodem contextu subjungit: *Turpitudo*, seu levitas, vel inverecundia, *aut Stultiloquium, aut scurrilitas* &c. nec tamen apponit aliquam abominationem vel execrationem, hinc posteriora censentur esse venialia. Similem facit Christus Dominus apud Matthæ. cap. 5. differentiam: *Ego autem dico vobis: quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, raca: reus erit concilio. Qui autem dixerit fatue: reus erit gehennæ ignis.* Ex quibus colligunt Expositores hoc ultimum esse peccatum mortale, reliqua verò venialia. Talem quoq; differentiam facit Sapiens cap. 1. *Custodite ergo vos à murmuratione, quæ nihil prodest, & à detractione parcite linguæ, quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit: os autem, quod mentitur, occidit animam.* Ex quo colligitur mendacium perniciosum esse peccatum mortale, non verò murmurationem, aut detractionem obscuram, seu levem, quia illis non apponitur occisio animæ. Hinc fit

Quinta Regula, quòd lex humana censeatur obligare sub mortali, quoties pœnam mortis transgressoribus imponit, maximè si acceptetur, vel acceptata sit à communitate, quòd si dubium est, recurrendum est ad regulam secundam.

Sexta Regula: Quanta libertas, seu deliberatio sufficiat, vel non sufficiat ad mortale, vel veniale difficile est scire, quare hic recurrendum est ad communem Doctorum consensum, licèt enim plena & diuturna deliberatio, quæ facilè dignoscitur, sufficiens sit, tamen subita & imperfecta deliberatio non ita facilè distinguitur, tenet tamen communis Doctorum opinio, quòd sicut parvitas materiæ, ita etiam tenuitas, seu defectus deliberationis excuset à mortali, quia cùm ea sit fragilitas humana, ut homo ad malitiam objecti perfectè advertere non valeat, non decere bonitatem divinam damnare aliquem propter talem actum. Imperfecta autem consideratio, seu semiplena deliberatio est similis illi, quam posset habere homo non plenè à somno excitatus circa malitiam pollutionis nocturnæ, potest enim quis in vigilia adeò tenuem malitiæ considerationem habere, ut sit instar semidormientis, eò quòd intellectus alio distrahatur. Perfecta verò consideratio est, quando plenè advertit quis maliam instar perfectè excitati à somno.

Regula Septima: Quænam quantitas materiæ sufficiat, vel non sufficiat ad mortale, non potest certa regula præscribi, nisi ex communi Doctorum acceptione, & consensu, qui duobus modis communiter considerant quantitatem materiæ: Primò non esse respiciendum ad materiam secundùm se, sed eam, ut subest

fini

Digitized by Google

fini intento à præcipiente, qui si gravis est, materia censenda est gravis, si non, non: hinc colligimus non audire Sacrum in festo esse mortale, quia Ecclesia per hoc præceptum intendit magnum, bonum spirituale singulorum, idem dic de jejunio, & alijs. Secundò, Attendendas esse circumstantias, quibus movetur præcipiens, quæ aliquando materiam aliàs levem faciunt gravem. Ex hoc colligunt Doctores, non esse negligendum præceptum Superioris, etiam in re levi, quia ignoratur, quibus circumstantijs affectus sit Superior. Hic etiam attendendæ sunt circumstantiæ personæ, loci, temporis &c.

Octava Regula: Quando quis advertit peccatum ut sic, non tamen advertit, quòd sit mortale vel veniale, nec habet dubium, nec ipse est aliàs malus, aut perditæ conscientiæ, ejus peccatum esse veniale censendum, & ratio est, Quia ad peccatum ut sic requiritur advertentia, & cogitatio peccati mortalis, vel ejus periculi.

Nona Regula: Peccata, quæ sunt contra proprium commodum temporale, ut prodigalitas, excessus in abstinentia, disciplina, esse plerumq; venialia, quia cùm unusquisq; ad proprium commodum sit naturaliter propensus, non est necessarium hoc ei specialiter, & tam rigidè præcipere, Ita Lessius de Justitia, Azorius &c. Cavendum tamen, nè ad similes excessus trahatur ebrietas, quæ licèt sit contra proprium commodum hominis, est tamen tanquam mortale aliàs prohibita.

Decima Regula sit generalis: Quando inter Doctores est dissensio de aliquo, An sit peccatum mortale vel veniale, tunc sententia, quæ firmo ac solido nititur fundamento est tenenda, Quod si in hoc pares videantur secundùm sententiam probatissimorum ferendum est judicium: Et si adhuc in hoc pares habeantur, procedendum est sicut in dubijs, vel opinionibus probabilibus, de quibus egi in materiâ de actibus humanis. Sit

QUÆSTIO TERTIA.

An ex mortali possit fieri veniale, aut econtra?

Veniale ex genere suo, seu ex objecto posse fieri mortale concedunt omnes, quando ei advenit circumstantia sub mortali prohibita, sed controvertitur quibus circumstantijs hoc fiat? Adrianus Quodl. 1. art. 1. de Pœnit. & alij docent, hoc contingere posse ex magna complacentia in peccato veniali, vel ex magno voluntatis conatu deliberatè peccatum veniale committendo. D. Bonaventura 2. d. 21. q. 1. art. 3. & Richardus docent, hoc oriri aliquando ex dignitate personæ, ut si Religiosus officiosè, & sæpè mentiatur, peccat, inquiunt, ob perfectionem sui status. Alij ulterius opinantur peccatum veniale ex nimia consuetudine transire in mortale. Alij aliter. I. Veniale potest fieri mortale.

Dico Primò: *Peccatum mortale ex genere suo mutatione circumstantiarum interdum potest fieri veniale in individuo, & econtra veniale mortale.* Est communis. Probatur prima pars: Quia peccatum mortale ex genere suo potest fieri veniale propter levitatem materiæ, nam sicut lege civili nullus damnatur ad mortem corporalem prò re parvi momenti, ita nec DEUS vult hominem privare vitâ gratiæ, aut æternaliter punire pro furto unius obuli, aut parva læsione famæ proximi. Deinde fit etiam veniale ex defectu sufficientis deliberationis, vel advertentiæ in actu, nam ad peccatum mortale requiritur plena advertentia & deliberatio. Similiter fit ratione ignorantiæ, nam sicut ignorantia excusat ab incursione omnis novi peccati, ita etiam à gravitate culpæ mortalis. Ita Bonacina disp. 2. de peccatis, punc. 3. citans alios. II. Mortale potest fieri veniale.

Secunda pars patet quoq;: Veniale enim multis modis fit mortale, ut ra-

III. Casus quando veniale fit mortale

ut ratione finis operantis, quando sumitur peccatum ex se aliàs veniale tanquam medium ad mortale, ut oscula, tactus leves, impudici saltus ad provocandam aliam personam ad luxuriam. Secundò: Item surreptio calami ad provocandum alterum ad blasphemandum, aut diras imprecationes, quia tales actiones inficiuntur à pravo fine. Tertiò: Item quando committitur veniale cum ea animi præparatione, ut quantumvis sciretur esse contra legem obligantem ad mortale, adhuc committeretur, fit per hoc mortale, hinc qui furatur duos vel tres obulos, seu cruciferos cum eâ præparatione animi, quòd mille aureos furaretur, si inveniret, peccat mortaliter, quod pariter dicendum est de percussione levi, animo occidendi, nam in his & similibus casibus voluntas pro facto reputatur. Quartò: Item quod est veniale ex inadvertentia, & parvitate materiæ, addita sufficienti consideratione, & auctâ notabiliter materiâ fit mortale, unde qui sine plena advertentia delectatur in re venerea, peccat tantùm venialiter, si verò adveniente plena advertentia perseveret in delectatione, peccabit mortaliter. Quintò: Similiter actus venialis, aut indifferens fit mortalis ratione proximi & moralis periculi consentiendi in mortale, ut delectationes venereæ sæpius sine resistentia admissæ, nimia familiaritas cum mulieribus, etiam sub prætextu Spiritualis consilij, quando ex earum consortio timetur consensus in peccatum carnis, juxta illud Eccles. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Sextò: Fit etiam veniale ex genere, mortale ex ratione conscientiæ erroneæ, ut si quis loquatur verbum otiosum, putans esse peccatum mortale. Septimò: Per contemptum legis, aut legislatoris maximè divini, aut etiam consilij erit mortale, Tunc autem secundùm S. Thomam dicitur quis contemnere divinam legem, vel consilium, quando voluntas renuit subjici legis ordinationi, vel regulæ divinæ, & ex hoc procedit contra legem vel consilium: Sed secundum Scotum, tunc quis contemnit consilium vel præceptum, quando judicat illud esse rationabile, vel infructuosum, hoc enim importat vox ista *contemptus*, contemnere enim est parvi facere rem aliquam tanquam nullius valoris, vel utilitatis. Fit etiam mortale, quod fuit veniale ratione scandali, de quo infrà in particulari quæstione agam.

IV. Consuetudo non facit veniale esse mortale.

Dico Secundò: *Peccatum veniale in genere suo non fit mortale vi consuetudinis, aut majoris conatûs.* Colligitur ex Scoto 3. d. 38. q. unica. Probatur prima pars: Quia consuetudo repetendi idem peccatum veniale solùm infert multiplicationem venialium, sed venialia quantumcunque multiplicata non constituunt mortale, ergo, Min. est Scoti in 4. d. 21. q. 1. art. 4. ubi dicit: Peccatum mortale & veniale sunt improportionabilia in ratione malitiæ, vel offensæ, quia infinita venialia si essent, non æquipararentur uni mortali in ratione offensæ, nam illa omnia non averterent à fine ultimo, sicut unum mortale &c. Probatur etiam eadem Min. ex Trident Sess. 14. cap. 5. ubi dicit, peccata venialia non excludere gratiam sanctificantem, neque inducere pœnam æternam. Similiter ex eodem capite & praxi Ecclesiæ non tenemur ea de necessitate confiteri, sed hæc non essent vera, si multa venialia, vel consuetudo venialiter peccandi faceret veniale esse mortale, ergò. Probatur min. Quia ex eodem capite Tridentini tenemur omnia & singula peccata mortalia in confessione aperire, ergò cùm non teneamur venialia confiteri, quantumvis multiplicata non facient mortale.

Deinde ex eodem Trident. Sess. 6. cap. 11. Sancti & justi homines retinendo adhuc justitiam & sanctitatem suam sæpius incidunt in peccata venialia, juxta illud Proverb. 24. *Septies de die cadit justus*, sed hoc non fieret, si plura venialia facerent unum mortale, quia tales post tertium, aut quartum peccatum veniale expo-

exponerent se periculo peccandi mortaliter, cùm numerus venialium determinatè requisitus ad unum mortale constituendum sit ignotus, nec possumus scire, quot venialia debeant præcedere, ut unum mortale constituant.

Probatur Secundò: Quia conatus includitur in omni peccato, ergò si ex objecto res non sit prohibita sub mortali, conatus ille nihil ei conferet, non enim prohibetur conatus, nisi juxta mensuram objecti prohibiti.

Opponitur in contra authoritas D. Augustini tract. 1. in epist. 1. Joann. ubi dicit: *Levia multa faciunt unum grande. Multæ guttæ implent flumen.* Et Epist. 108. *Quæ* (peccata) *humanæ fragilitati quamvis parva tamen crebra subrepunt. Quæ si collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt & oppriment, sicut unum aliquod grande peccatum.* Et lib. 10. Confess. cap. *Morsus unus & alter homini exitium non adfert, sed si examen apum, vel pulicum pungentium mordeat, lethale erit*, ita peccata venialia, quam vis singula non sint mortifera, agmen tamen eorum erit mortale. ergò. Respond. S. Augustinum, & alios Patres, dum videntur quandoque afferere plura venialia facere unum mortale, intelligendos de peccatis istis, quæ ex intentione operantis, vel ex parte materiæ inter se sunt connexæ, de quibus paulò post agam: Vel certè velle tantum, quòd ejusmodi peccata sæpius, & sine resistentiâ admissa, disponant ad peccatum mortale, juxta illud, *Qui spernit modica, paulatim decedit*, non velle autem, quòd revera aut in seipsis faciant unum mortale, unde nego consequentiam.

Arguitur Secundò: Malitia peccati mortalis secundùm Scotistas est finita, ergò malitia peccatorum venialium multiplicata poterit adæquare ipsam: Probatur consequen. infinita peccata venialia habent infinitas malitias, nam ex maximo numerò finito peccatorum venialium habet quodlibet suam propriam malitiam, sed malitia infinita excedit quamcunque finitam, & maxima malitia finita adæquat ad minus quamcunque malitiam finitam, ergò malitia peccatorum venialium multiplicata excedit, vel adæquat malitiam peccati mortalis. Resp. neg. consequen. cujus probationis min. distin. Infinita malitia venialium excedit quamcunque malitiam finitam ejusdem ordinis, & rationis secum, concedo: alterius ordinis, & rationis, neg. min. & consequ. licèt enim peccata venialia, eorumq; malitiæ multiplicentur usque ad summum numerum finitium, vel etiam infinitum, sunt tamen diversi ordinis à peccato quocunque mortali, quia hoc ordinatur ad pœnam æternam, illa verò ad temporalem tantùm pœnam, adeòque in malitiâ non excedunt, nec adæquant ullum mortale.

Arguitur Tertiò: Illa consuetudo videtur inferre complacentiam in peccato veniali, sed hoc non potest fieri absq; peccato mortali, ergo. Major supponitur. Probatur min. ex S. Augustino, qui dicit, nullum peccatum adeò veniale est, quin fiat mortale dum placet, ergò ratione consuetudinis & complacentiæ veniale potest reddi mortale. Respond. 1. Verba illa Augustino quidem adscribi, sed ego, licèt me profitear textuum ex D. Augustino citandorum, industriosum in fonte indagatorem, illum textum non inveni, & maximè in operibus genuinis, nisi esset fortè in appendice alicujus tomi, cujuscunq; tamen sit; Respond. 2. admittendo maj. ex supposito, quamvis falsam, neg. min. & dico, Augustinum, vel Authorem illum intelligendum esse de complacentia habente annexum legis vel legislatoris contemptum, non de alia. Respond. 3. concedendo tale peccatum cœteris paribus augere malitiam peccati, sed intra eandem speciem peccati venialis, sicut S. Bernardus: *Nugæ in ore sæcularis sunt nugæ, in ore autem Sacerdotis vel Religiosi,*

giosi, ut addit S. Bonaventura, *sunt blasphemiæ*, quia Sacerdos, vel Religiosus specialiter est DEO consecratus, ac proindè magis tenetur abstinere à nugis quàm sæcularis, ac propterea dicitur blasphemare, quando alter dicitur tantùm nugari, ibi tamen blasphemia non capitur pro peccato mortali, nisi adsit circumstantia scandali, vel quid simile.

IV. Personæ dignitas non facit veniale mortale.

Dico Tertiò: *Peccatum veniale nec fit mortale ob dignitatem personæ peccantis, seclusis alijs circumstantijs scandali, vel contemptûs.* Probatur: Quia de fide est, quantumcunq; perfectos in sanctitate, vel officio peccare quandoq; venialiter sine amissione sanctitatis, sed hoc esset falsum, si dignitas personæ redderet mortale, quod ex genere suo est veniale, ergo: min. patet: Eo ipso, quo perfectus in sanctitate, & officio peccaret venialiter, jam ejus peccatum foret mortale. Deinde Episcopus, Sacerdos, vel Religiosus non tenetur ad plus quàm sæcularis, præter ea, quibus se adstrinxit, sed non adstrinxit se voto, vel alia lege nova ad non peccandum venialiter, ergo quod est in sæculari veniale, erit etiam in Religioso, exceptis ijs, ad quæ specialiter se obligavit. Poterit tamen per accidens contingere oppositum, ut si Episcopus, aut concionator sæpius inter concionandum officiosè mentiatur, quia per hoc Sacra doctrina redditur vilis, & auditores scandalizarentur, tunc similia mendacia redderentur mortalia.

V. Venialia disponunt ad mortale directè & indirectè.

Quæres: An, & quomodo veniale disponat ad mortale? Respond. Veniale sæpe disponere ad mortale, quia veniale ex indeliberatione facilè transit ad mortale, accedente deliberatione sufficiente: Item veniale ex parvitate materiæ, extensione ad plura fit mortale: Item usus furandi parva inclinat voluntatem aliquomodo ad gravia accipienda. Unde Respond. 2. Venialia disponere ad mortale duplici ratione: *Directè* scilicet, vel *Indirectè*. *Directè* disponunt illa, quando similitudinem habent cum mortalibus ratione materiæ, vel objecti, v. g. furta parva ad furtum magnum, vel peccata levia ex indeliberatione, si negligantur generant habitum vitiosum inclinantem ad graviora, & ex plena deliberatione, quia, ut docet Philosophus de elementis: *Inter Symbolica facilior est transitus.* *Indirectè* dicuntur disponere illa venialia, quæ non symbolizant cum mortalibus, sed tantùm removent prohibens peccatum mortale, videlicet fervorem charitatis, & timorem actualem DEI, per quæ posset impedire mortale, vel ita tenent affectum ligatum, ut faciliùs incurratur mortale, quàm ista deserantur, ut qui assuescit mendacijs officiosis, verbis otiosis, risibus, aut discursibus superfluis, non facilè ea omittit, hinc oritur, quod veniale transeat ad mortale, quando in ijs ponunt finem ultimum, ut Theologi loquuntur, tunc enim dicitur quis finem ultimum ponere in peccato veniali, quando quis ita afficitur circa illud, ut non curet propter illud transgredi præceptum sub mortali obligans, tunc enim magis diligit quis creaturam quàm DEUM, v. g. cùm quis tempore audiendi Sacrum vellet ludere, & ad hoc maximè disponit affectus ad similia venialia.

VI. Finem ultimum ponere in veniali quid sit.

Item: Peccata venialia disponunt ad mortale, quia sunt occasiones horum, ut aspectus curiosus mulierum, auditio turpium, & hujusmodi alia, quæ valdè sunt cavenda, ad quod facit illud Ecclesiast. 17. *Qui spernit modica, paulatim decidit*, quod de venialibus exponunt interpretes. Unde D. Augustinus tum suprà citatus in prima oppositione, tum serm. 44. de Tempore dicit: *Noli despicere peccata tua, quia parva sunt, quia etiam pluviarum guttæ flumina complent, moles trahunt, & arbores cum suis radicibus tollunt.* Et S. Bernardus serm. 59. in illud Canticum: *Tempus putationis advenit*, ait: *Virtutem languere, & suffocari, nisi crebrò amputentur vitiorum surgentium capita.* Attamen Notandum, Veniale nunquam esse di-

Digitized by Google

se dispositionem necessitantem ad mortale, Patet, quia cum quantalibet multitudine venialium stat gratia DEI, quæ non necessariò destruitur per ullam dispositionem introductam à venialibus, quamvis unum veniale magis disponat, quàm aliud, ut patet ex dictis.

re- Hinc peccati venialis effectus sequuntur: Diminutio fervoris in dilectione DEI: subtractio & impeditio auxiliorum specialiorum divinæ gratiæ; inflictio multarum pœnarum temporalium in hac, & in altera vita, unde præclarè dicit D. Augustinus serm. 41. de Sanctis: *Illo enim transitorio igne, de quo dixit Apostolus, ipse autem salvus erit sic tamen quasi per ignem: non capitalia sed minuta peccata purgantur.* Et paulò infrà: *Quibus peccatis licèt occidi animam non credamus, ita tamen eam velut quibusdam pustulis, & quasi horrenda scabie replentes, deformem faciunt, ut eam ad amplexus illius sponsi cœlestis aut vix, aut cum grandi confusione venire permittant.*

QUÆSTIO QUARTA.

An venialia multiplicata efficere possint unum mortale?

I. Peccata nō sunt necessariò sibi connexa.

PRo resolutione hujus quæstionis Prænotandum Primò: Peccata omnia non esse necessariò sibi adinvicem connexa, nam aliàs si quis peccaret peccato adulterij, aut fornicationis, etiam necessariò peccaret peccato hæresis, & sicut per quodlibet mortale perditur charitas, ita perderetur & fides, quod est contra Concilium Trident. Sess. 6. can. 28. Deinde nec virtutes inter se sunt sic connexæ, ergo nec privationes earundem, quales sunt peccata. Nihilominus aliqua peccata sunt ita ad invicem connexa, ut unum inducat ad aliud, in quãtum unum peccatum removet prohibens aliud v. g. Gula & luxuria, sunt quodammodo connexæ, quia gula prohibet abstinentiam, quæ abstinentia prohibet luxuriam; Qua ratione etiam virtutes aliquæ sunt ad invicem connexæ.

II. Venialia in materia aliqua sunt connexa.

Notandum Secundò: Peccata venialia quoque esse quædam, quæ nullam habent connexionem, & quædam, quæ talem habent ratione materiæ, vel effectûs connexionem, moralem saltem, ita ut quodammodò unum censeantur. Nam contingere potest, quòd materia alicujus actûs exigua secundum se spectata, tamen si conjungatur materiæ alterius actûs, apparebit gravior, v. g. furtum unius grossi est secundùm se leve, ratione materiæ, si tamen multiplicentur hujusmodi furta, magnam tandem quantitatem constituent, adeóque gravem materiam efficient, nam hujusmodi levibus furtis successivè potest alter, quantumvis dives totaliter depauperari, & mercator v. g. vel fur pauper ditari. Alia sunt peccata venialia, quæ nullam prorsus dicunt connexionem ad se invicem ratione materiæ, vel effectûs, seu damni, ut mendacia levia millies repetita nunquam simul cum præcedentibus integrant materiam mortalis peccati, nisi alia circumstantia scandali accedat, aut aliquid simile.

III. Furans rē parvam putans vel volens magnam graviter peccat.

Notandum Tertiò ex dictis: Quòd v. g. in peccato furti accipiendo rem parvam putans esse magnam, aut etiam magni pretij, etiamsi non sit ita, peccet mortaliter ratione intentionis malæ auferendi, quia non consideratur res, prout est in se, aut secundùm valorem, quem in se habet, sed quem habet in intentione malè auferentis. Similiter accipiens rem parvam, sciens esse talem, sed optans quòd esset magna, vel intendens illam auferre, licèt esset res magna, peccaret mortaliter ratione illius actûs conditionalis, quo paratus fuit auferre rem magnam. Similiter peccat mortaliter, qui diversis, & minutis furtis intendit ab uno solo magnam summam auferre, licèt non peccet multipliciter mortaliter secundùm multiplicitatem minutorum furtorum, Ratio primi est: Quia talis verè intendit notabile damnum

mnum inferre Ratio secundi est: Quia omnia ista minuta furta committuntur & continuantur in ordine ad unum furtum. His prænotatis in hac quæstione potissimum agitur de peccatis connexionem habentibus, & accipiuntur furta minuta & multiplicata pro exemplo, à quibus ad alia peccata similem connexionem v. g. percussiones, vulnerationes, deducuntur pares conclusiones, quæritur ergo, An qui à pluribus intendit accipere magnam summam, sed tamen parum tantùm à quolibet, peccet mortaliter, aut ad restitutionem teneatur. Secundò: An peccet mortaliter, qui per parva furta non intendit acquirere rem notabilem, nec uni aut pluribus damnum notabile inferre, sed tantùm ex occasione, & sine animo, aut proposito continuandi tot minuta furta diversis temporibus committit, ut ad notabilem summam perveniat, &c. Respondeo &

IV. Intendens magnam summam à pluribus furari peccat mortaliter.

Dico Primò: *Intendens per diversa, & minuta furta à pluribus magnam summam furari, licèt parum à quolibet peccat mortaliter, & sub mortali ad restitutionem tenetur.* Hæc est Bonacinæ disp. 2. de pecc. q. 3. punc. 5. & aliorum ibi citatorum. Probatur: Quia ex opposita sententia sequeretur, quòd utens ponderibus, & mensuris justò minoribus, & per hæc singulos, licèt minutim defraudans, non peccaret mortaliter, contra illud Proverb. 11. *Statera dolosa abominatio est apud Dominum, & pondus æquum voluntas ejus.* Et Deuteron. 25. *Non habebis in sacculo diversa pondera majus & minus: nec erit in domo tua modius major & minor: pondus habebis justum & verum, & modius æqualis & verus erit tibi: ut multo vivas tempore super terram, quam Dominus DEUS dederit tibi: abominatur enim Dominus DEUS tuus eum, qui facit hæc, & aversatur omnem injustitiam.*

Probatur Secundò: Ex Decreto Alexandri VII. edito die 18. Martij Anno 1666. ubi inter damnatas propositiones hæc est 38. *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcúnq; sit magna summa totalis.*

Probatur Tertiò: Quia ex opposito præberetur hominibus occasio ditescendi ex ære alieno, quod est illicitum. Imò sequeretur, quòd auferens ex immenso aliquo granario notabilem quantitatem frumenti non peccaret mortaliter, quia tunc non censetur notabile damnum illatum, atqui hoc esset absurdum & perversa iniquitas, ergo: probatur min. Quia furtum ex genere suo est peccatum mortale, & tantùm ex levitate materiæ, & in individuo redditur veniale, ergo absurdum est dicere talem furem non peccare, cùm & successivè magnum damnum inferat, & intentionem damnificandi habuerit.

Dico Secundò: *Qui sine animo acquirendi rem notabilem, aut inferendi ullum notabile damnum, post multa minuta furta accipit aliquid, quo complet materiam sufficientem aliàs ad mortale, si à pluribus id sparsim auferat, non peccat mortaliter, benè tamen si advertat, aut ab uno, & eodem quantitatem illam accipiat.* Ita Azorius Vasquez, & alij. Prima pars est communis apud Bonacinam loco suprà allegato, ubi citat Reginaldum, Navarrum, & alios, Ratio est, Quia nec ab initio, nec ab ultimo furto intendit ullam notabilem quantitatem furari, aut ulli notabile damnum facere, & quamvis per ultimum furtum perveniat ad notabilem quantitatem, ad hoc tamen sicut ad præcedentia furta non advertit, adeóq; notabilis illa quantitas non est illi ullo modo voluntaria, quod tamen requiritur ad peccatum mortale.

V. Fur accipiens sparsim minuta complet in fine peccatum mortale.

Probatur secunda pars: Quia tunc talis habet voluntatem præsentem, qua circa totam materiam fertur: Tum, quia gravitas peccati colligitur rectè ex materiæ gravitate, vel damni, idem enim erit moraliter, si paulatim levibus ictibus, sive

sive uno aliquem occidas. Item si ex dolio magnam vini quantitatem simùl, vel successivè effundas, aut si tempus ad satisfaciendum præcepto & obligationi paulatim per momenta elabi finas, ergo talis fur ultimo furto mortaliter peccabit.

Notandum autem hìc est, quòd etiam Authores oppositæ sententiæ, unà nobiscum concedant notabilem illam quantitatem, etsi ejus acceptio fuisset venialis, seu mortalis, esse sub obligatione peccati mortalis restituendam. Sed contra hanc secundam partem

Arguitur: Ultimum furtum leve complens materiam notabilem est ejusdem rationis cum primo, ergo si primum tantùm fuit veniale, ultimum quoq; non erit nisi veniale. Respond. distin. antec. Est ejusdem rationis ex objecto, conced. antec. ratione circumstantiæ, neg. ultimum enim furtum, per quod completur materiæ gravitas, habet pro circumstantia omnia furta præcedentia propter materiæ connexionem, quam tamen circumstantiam primum furtum non habet.

Instatur: Si ultimum furtum haberet mortalem malitiam ratione præcedentium furtorum, sequeretur priora bis imputari ad culpam, semel ratione sui quoad culpam venialem, & iterum ratione ultimi furti, respectu cujus dicitur circumstantia aggravans ipsum ad culpam mortalem, sed hoc videtur durum, cùm non judicet DEUS bis in idipsum. Respond. neg. sequel. priora enim furta tantùm imputantur ad culpam venialem, ultimum tantùm cum tali circumstantia ad mortalem, nam cùm tunc materiam sufficientem complevit, tunc etiam ad mortale imputatur, nam suppono furem in ultimo furto primò advertisse, aut advertere debuisse, quòd illud ultimum cum præcedentibus materiam sufficientem compleverit, & damnum notabile intulerit.

Ex dictis infero plura corollaria: Primò obligatum ad officium divinum peccare mortaliter, si interruptis vicibus plures psalmos, vel medios psalmos in officio unius diei omittat, quia hæc omnia simul sumpta efficiunt quantitatem notabilem. Item peccare illum mortaliter, qui in die festo sæpius, & per modica intervalla reassumit opus servile. Item, qui in die jejunij frequenter modicum quid eodem die sumit. Ratio est, Quia in his est moralis connexio ratione materiæ v. g. officij divini, servilis operis, vel ratione effectûs, sicut est in tertio casu, sicut enim unico haustu post multam bibitionem aliquis potest reddi ebrius, qui antea non fuit, sic ultima modica refectione post alias præcedentes potest homo satiari sufficienter, non minus, quàm si bis de die in bona quantitate cibum sumpsisset. VI. Manducàs sæpius parum mortaliter peccat.

Infertur Secundò: Eum non peccare mortaliter, qui singulis diebus per quadragesimam modicum cibi extra dictam, & licitam refectionem sumeret, vel singulis diebus festivis per modicum tempus laboraret, vel in officio divino singulis diebus aliquos versiculos omitteret; Ratio est, Quia similes actus ex objecto sunt leves, nec inter se ratione materiæ habent ullam connexionem moralem, quia quilibet dies festus, aut jejunij, aut officium divinum habet suam determinatam obligationem sine ulla connexione sequentis diei, ita ut eo finito cesset determinatè obligatio. Ex hac eadem ratione VII. Omittens singulis diebus aliquos versus in breviario non peccat graviter.

Infertur Tertiò: Illum, qui fecit plura parva vota circa eandem, vel diversam materiam, ut si quis voveret quotidiè orare aliquot *Pater & Ave*, aut unam rationem de B. Virgine, & sine aliqua connexione, altera die unam ad S. Josephum &c. talem non peccare mortaliter, si illa omitteret, quia non violat Religionem graviter intensivè, licèt extensivè, eò quòd ista vota, licèt obligent pro eodem tempore, sicut præcepta, singula tamen fiunt instar actuum totalium, & divisim, ac indepen-

Digitized by Google

denter à se invicem exequendorum. Aliud foret, si quis illas materias per intentionem conjungeret, ut videtur contingere, quando vovens respicit idem singulare motivum.

VIII. Exercitu transeuntes singuli non peccant mortaliter unam spicam vellendo.

Quæres: An quando plures per parva furta inferunt uni grave damnum, singuli peccent mortaliter? sensus non est, si se invicem instigent, quia tunc pars affirmativa certa, sed sine alterius instigatione, quamvis de se invicem sciant, v. g. Exercitus aliquis, vel processio magnæ peregrinationis transit per campos, aut vineam, & quilibet viator vellit spicam aliquam, vel rapit unum botrum, & ita depopulantur totum agrum satum &c. Respond. Probabile esse, quòd talis non peccet mortaliter, unam spicam vellendo, vel botrum unum accipiendo. Ita Lessius de Jure & Justit. lib. 2. cap. 12. dubio 8. & alij. Probatur: Quia damnum ab ipso illatum est modicum, nec est ullo modo causa damni ab alijs illati, ergò non peccat mortaliter. Secundò: Notitia præcisa peccati alieni, cujus causa non est ullo modo noscens, ipsi non nocet, ergò nec ejus peccatum aggravat, sed peccatum furis in proposito fieret tantùm veniale, si nullam notitiam haberet furti alieni, ergo etiam tale erit cum notitia ista. Tertiò, à Simili: Dans Principi suo unum cruciferum, vel obolum, etiam sciat alios multos tantum daturos usque ad magnam summam, non ideò plus meretur notabiliter, quàm si id ignoraret, ergò idem dicendum in casu proposito per oppositum. Sed

Dices: Si quis hominem vulneribus aliorum, aut morbo jam penè mortuum leviter percuteret, ex quo & alijs præcedentibus sequitur mors, peccat mortaliter, nam cum alijs notabile damnum consummat, ergò similiter qui furto lèvi consummat notabile damnum, quod levibus aliorum furtis inchoatum est. Respondent Doctores aliqui communiter negando consequentiam, disparitatem dant, quòd in primo casu damnum notabile sequatur ex levi vulnere tanquam ultimata causa, & qua seclusâ forsan non moreretur, vel non tam citò, & proindè vulnus illud non est tam leve, sed gravissimum respectivè, licèt in se absolutè sit leve, non sic in posteriori casu. Sed Respond. aliter, si percutiens leviter, aut vulnerans non prævidet ullum periculum hujusmodi damni, etiamsi sequatur mors percussi, aut vulnerati præter intentionem, imò contra voluntatem ipsius, percutientem non peccare mortaliter, unde nego antec. cum consequentia

QUÆSTIO QUINTA.

An & quomodo peccatum leve, vel opus indifferens fiat grave & mortale ratione Scandali?

I. Opus leve fit grave & mortale ratione scandali.

IN confesso apud omnes est, peccata levia ratione scandali fieri mortalia, difficultas tamen est, an illud nocumentum, seu ruina Spiritualis proximi debeat directè intendi, vel an sufficiat virtualiter, vel interpretativè, nam Durandus, Cajetanus, Banes dicunt actum præbentem occasionem ruinæ, si sit aliundè malus, non habere specialem malitiam scandali, nisi ruina sit formaliter, & expressè volita, quando verò non est aliundè malus, dicunt tunc sufficere indirectam volitionem.

D. Thomas 2. 2. q. 43. art. 3. Angelus *Verbo scandalum.* Vasquez 1. 2. disput. 102. &c. docent, tunc tantùm esse peccatum scandali speciale, quando directè & formaliter intenditur ruina spiritualis proximi, unde secundùm illos, qui consilio suo, aliòve modo ad peccatum inducit ob aliquem alium finem præter ruinam spiritualem proximi, non committit scandalum speciale; sed tantùm commune, quod reducitur ad speciem illius peccati; ad quod inducit, ad quam difficultatem resolvendam

Prænotandum est Primò: Scandalum

Digitized by Google

dalum nomine nocumenti spiritualis communiter accipi, nam plures Theologi præmittunt hîc quæstionem longam, quomodo opus leve ex nocumento temporali fiat grave & mortale, aut in aliam speciem transferatur, sed de hoc egi in tractatu de Actibus humanis. Vide ibi.

II. Scandalū aliud est activum, aliud, passivum.

Notandum Secundò: Scandalum aliud esse *Activum*, aliud *Passivum*. *Activum* est dictum, vel factum, vel omissio minus recta præbens proximo occasionem ruinæ spiritualis, ita docent Theologi & D. Hieronym. dicitur minus recta, non autem mala, aut mali speciem habens, ut detur intelligi per actus indifferentes, imò bonos aliquando committi peccatum scandali, ut docet D. Thomas 2. 2. q. 43. a. 7. & 8. Ex hac descriptione sequitur, solos actus externos alteri notos, non autem internos posse habere rationem scandali activi, quia illi soli possunt esse occasio ruinæ spiritualis proximi.

III. Scandalū datum & acceptum.

Scandalum Passivum, Activo correspondens, est ipsa Spiritualis ruina proximi, & est duplex: *Datum* & *Acceptum*. *Datum* (quod & pusillorum, vel infirmorum dicitur) tunc contingit, quando occasione sui alter labitur ex infirmitate, & correspondet scandalo activo formaliter, vel virtualiter, vel interpretativè intento. Scandalum *Acceptum* (quod & Pharisæorum dicitur) tunc contingit, quando proximus ex mera sua malitia, ex opere tuo sumit occasionem scandali, & correspondet scandalo activo per accidens dato, quale fuit scandalum Pharisæorum, ex eo, quòd viderent Christum sanantem infirmos in Sabbatho, vescentem cum peccatoribus: ob hoc scandalum acceptum hoc modo non est omittendum ullum commodum spirituale, vel corporale, exemplo Christi Matth. 15. dicentis: *Sinite illos, cæci sunt, & duces cœcorum*; quanquam, ut benè notat Valentia, teneatur saltem sub veniali cavere scandalum proximi acceptum, quando potest sine suo incommodo, quia etiam, qui ex malitia peccaturus est, & constitutus in aliqua speciali necessitate, à quo, si potest, tenetur quis eum liberare sine suo incommodo.

Ex his suppono Primò: Ad rationem scandali non sufficere, quòd aliquis ex alterius facto de eo concipiat habere malam opinionem, cùm hoc sæpius contingat sine peccato sic opinantis, sed requiritur, quòd unius factum sit alteri occasio peccandi, quod tripliciter contingit: Primò, Quando unus alterius exemplo inducitur ad peccandum. Secundò, Quando quis alteri persuadet, ut peccet. Tertiò, Quando unus ob alterius peccatum concipit malam opinionem, aut de religione catholica, dum videt unum catholicum graviter peccantem, & putat omnes, aut plures esse tales, ac proindè fidem catholicam spernit, aut de statu Ecclesiastico, dum videt personam Ecclesiasticam graviter peccantem.

Secundò Suppono, Scandalum datum esse peccatum contra charitatem, quia per illud procuratur ruina Spiritualis. Quæritur ergo hîc an, ut circumstantia Scandali det novam speciem malitiæ, requiratur, quòd sit formaliter & directè volita? an verò sufficiat virtualis, vel interpretativa volitio, loquendo de scandalo pusillorum? Quibus præmissis IV. Scandalū est peccatū contra charitatem.

Dico Primò: *Ut scandalum det speciem actui malo, vel indifferenti, vel aliàs bono, non requiritur, ut directè intendatur, sed sat est, si virtualiter, vel interpretativè intendatur.* Ita Alensis 2. parte q. ult. mem. 2. Antoninus 2. par. tit. 7. cap. 4. Sylvest. ver. *Scandalum*, Navarr. in Summ. cap. 6. n. 19. colligitur ex Scoto in 3. dist. 38. ante solutionem argumentorum. Contra Bannes, Cajetan. & Durand. suprà citatos. Probatur conclus. Primò: Quia sive dictum aut factum sit verè malum, vel tantùm speciem mali habens, ratio scandali eadem est, eademque modo causatur, V. Scandalū, ut faciat mortale, non requiritur, quòd directè intendatur.

fatur, ergo. Secundò, Quòd opus sit in se malum, non tollit quo minus aliundè accipiat novam malitiam. Tertiò, non minus nocet proximo, qui opere aliàs malo incitat eum ad peccandum, quàm qui bono vel indifferenti. Quartò, Aliàs esset melioris conditionis, qui opere malo inducit ad peccandum, quàm qui bono vel indifferenti, quia hic peccat contra charitatem, ille non.

VI. Scandalum sufficit virtualiter intendi, ut det malitiam.

Dico Secundò: *Ut scandalum det malitiam actui cuicunque sufficit, si virtualiter intendatur.* Ita Authores supra, contra Vasquem &c. contra quos Probatur conclus. Primò. Potest quis peccare contra misericordiam omittendo succurrere ei in necessitate, etiamsi non velit formaliter, & expresse ejus miseriam, ergò à fortiori potest quis peccare spiritualiter contra charitatem fraternam, committendo aliquid, ex quo prævidet, vel prævidere debet ruinam fratris, esto formaliter, & expresse illam non intendat. Probatur Secundò: Qui facit aliquid prævidens ex hoc se constituendum in periculo prorumpendi in odium DEI, vel proximi peccat specialiter peccato odij, sine aliâ expressâ volitione secundùm omnes, ergò ut peccet speciali peccato scandali non requiritur expressa intentio ruinæ Spiritualis proximi. Probatur Tertiò: Peccatum scandali est frequens, ut constat ex Scripturis, & quotidiana experientia, ergò ad illud non requiritur formalis & expressa intentio: Probatur consequ. Quia hæc rarissimè contingit, quis enim nisi diabolus, vel ei similis vellet sine ullo suo commodo expresse & formaliter procurare ruinam spiritualem proximi.

Probatur Quartò. Nocumentum corporale indirectè tantùm volitum infert malitiam specialem, ut vidimus supra, & admittunt adversarij, ergò nocumentum Spirituale indirectè volitum à fortiori infert malitiam specialem. Probatur Quintò. Obligatus ad correctionem fraternam, eamque omittens; licet expresse non velit fratrem spiritualiter perire, peccat nihilominus specialiter contra charitatem fraternam, ergò committens aliquid, ex quo videt secuturam ruinam fratris, licèt eam expresse non intendat, peccat specialiter contra charitatem fraternam.

Arguitur Primò: Ratio specialis peccati requirit specialem oppositionem ad virtutem specialem, sed scandalum, nisi formaliter intendatur, non habet talem oppositionem, ergò: probatur min. quia nec opponitur justitiæ, nam cùm scandalizandus spontè peccet, non fit ei injuria, quia volenti non fit injuria, nec opponitur charitati DEI, aut proximi, quia ad hoc requiritur, ut malum inferas DEO, aut proximo, vel ei evenire appetas ex odio ipsius, aliàs quodlibet peccatum in DEUM, vel proximum erit speciale peccatum contra charitatem. Respondi neg. min. ad prob. dico, quòd sit contra charitatem proximi, ad probat: contra hoc neg. assumptum, sed sufficit, quòd malum sit indirectè volitum, cùm infers, ergò quodlibet peccatum in proximum erit specialiter contra charitatem, dico id non esse inconveniens dicere, nam ita expresse docet S. Augustinus epist. 29. ad Hieronymum dicens: *Nemo autem peccat, nisi adversus illam faciendo, quia non adulterabis, non homicidium facies, non furaberis, non concupisces: & si quod est aliud mandatum, in hoc sermone recapitulatur, in eo, quod diligis proximum tuum tanquam teipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo autem legis, charitas.* Quia tamen hæc est circumstantia generalis, habetq; se instar generalis proprietatis, non censetur novum, aut distinctum peccatum, præsertim in confessione distinctè exprimendum, nisi sit formaliter intenta, quia talis circumstantia, etsi sit specialis malitia, est tamen nota cuilibet confessario propter necessariam ejus connexionem ad quodlibet peccatum in proximum, unde qui confitetur se furatum

Digitized by Google

ratum fuisse, hoc ipso confitetur, se peccâsse contra charitatem proximi, sed si ex formali, & expresso odio in proximum aliquod peccatum committat, debet hoc exprimere in confessione, quia licèt formalis intentio non addat virtuti novam & distinctam malitiam, eam tamen multùm aggravat.

Arguitur Secundò: Ad specialem ingratitudinem, inobedientiam, inimicitiam, requiritur formalis & expressa intentio contemnendi beneficia, vel potestatem, vel aliquid faciendi ex displicentia alterius, ergò ut ruina proximi sit speciale peccatum, requiritur ejus expressa intentio: consequ. patet à paritate, antec. probatur: Quia aliàs in omni actu peccaminoso erunt quinque vel sex malitiæ specie distinctæ, quod videtur absurdum. Respond. juxta jam dicta neg. antec. ad probat. conc. consequ. sine absurdo, quia in quolibet actu malo reperiuntur multæ circumstantiæ generales, in quibus reperitur diversa habitudo ad diversas regulas rectæ rationis, recta enim ratio ex motivo justitiæ dictat non esse furandum, vel occidendum, & ex motivo charitatis non esse inferendum damnum corporale vel spirituale proximo, & ex motivo gratitudinis dictat, non esse contemnenda DEI, vel proximi beneficia, & ex motivo obedientiæ præcepta superioris non esse spernenda, & sic de alijs dictaminibus, quæ generaliter circa omnem cujuscunque virtutis actum versantur, quòd autem hæ circumstantiæ generales non censeantur habere speciales malitias in confessione exprimendas, nisi expressè intendantur, hoc ideò fit, quia sunt per se notæ cuilibet confessario, ac proindè non est necesse, quòd singulæ exprimantur. Solùm circa circumstantiam ingratitudinis est notandum, quòd quando beneficia accepta sunt specialia, & ingentia, tunc ea contemnere est peccatum specialiter exprimendum, sive ille contemptus sit directè, sive indirectè volitus, quia ejusmodi beneficia videntur inferre specialem obligationem non offendendi datorem, unde Scotus in 4. dist. 22. art. 3. quem sequitur Scotus, dicit, qui sæpius in peccata lapsus sæpius veniam obtinuit, teneri suam ingratitudinem confiteri. Quando autem beneficia sunt communia & ordinaria, ut sunt beneficia creationis, conservationis, redemptionis, tunc non inferunt specialem obligationem.

Arguitur Tertiò: Sequeretur ex conclusione, quòd inducens alium ad occidendum graviùs peccaret, quàm ipse homicida, quia peccaret peccato homicidij, & insuper peccato speciali contra charitatem, ipse autem homicida non nisi solo homicidio peccaret. Respond. conc. totum sine ullo absurdo.

Arguitur Quartò: Ssandalum est peccatum oppositum charitati, seu correctioni fraternæ, sed ad hanc requiritur, quòd emenda fratris sit expressè volita, ergo ad scandalum requiritur, quòd ruina sit expressè volita, ergo. Respond neg. consequen. Disparitas est, quia bonum ex integra causa, malum ex quocunq; defectu, ut ergo actus recipiat speciem bonitatis ab objecto, debet objectum esse propter se volitum, non sic autem, ut recipiat speciem mali, aliàs raró actus vitiaretur. Addo hic, fieri posse, ut actus externi virtutis sint boni & meritorij, esto eorum objecta non sint expressè volita, dummodò eliciantur ex charitate inexistente, & dicant ex natura sua habitudinem ad virtutem, qui enim dat eleemosynam indigenti, etiamsi non habeat expressam intentionem sublevandi ejus miseriam, facit opus misericordiæ.

Ex dictis colligitur Primò: Eum, qui non solùm suo malo exemplo, sed etiam suadendo, vel cogendo inducit aliquem v. g. ad fornicandum tripliciter peccare, semel ratione proprij peccati à se commissi. Secundò ratione peccati alterius, cujus ipse est causa, & particeps. Tertiò ratione scandali specialis VII. Scandalizans proximum multipliciter peccat.

cialis contra charitatem; eum verò, qui solo suo exemplo provocat, dupliciter tantùm peccare, videlicet ratione proprij peccati, & ratione scandali.

Colligitur Secundò: Esse scandalum datum, quando quis infirmo, vel pusillo præbet occasionem peccandi, estò ille aliàs paratus sit ad peccandum; patet: tum quia non semper aliquis est ita paratus ad peccandum, quin, si non haberet occasionem, vitaret peccatum: tum quia estò interno affectu paratus sit, fortè tamen non committeret actum externum, nisi dares ei occasionem: tum denique, quia si quis duos paratos ad pugnam videret, eósq; magis incitaret, vel arma ministraret, peccaret, ergo præbere ansam peccandi etiam aliàs parato est peccatum scandali. Ex quo

Colligitur Tertiò: Eum, qui fuit occasio alteri ad fornicandum, etiamsi aliàs sit ad hoc paratus, debere hoc in confessione exprimere ratione scandali, & participationis cum delicto alterius, ubi Casuistæ advertunt hanc circumstantiam in hoc peccato communiter intelligi, esse in peccato viri, quia tamen contrarium subindè fit, tutius est, quòd etiam vir id explicet: si verò mulier sit, quæ induxit virum, debet necessariò exprimere hoc, eò quòd, nisi exprimat, in ipsa præsupponatur contrarium, videlicet quòd fuerit potius inducta, & sic tacetur circumstantia mutans speciem contra integritatem confessionis.

Colligitur Quartò: Quòd præbere proximo occasionem peccandi, etiamsi eam aliundè esset habiturus, sit scandalum datum v. g. alicui violaturo jejunium, apponis carnes, quas si non apponeres, facilè aliunde haberet, es occasionaliter causa ejus peccati, quia quòd alius esset daturus similem occasionem, nihil obstat, quo minus tamen hic & nunc dans occasionem sis causa peccati.

Colligitur quintò cum Sylvestro ver: *Scandalum*, non tantùm esse scandalum, quando inducis proximum ad peccatum ejusdem speciei cum tuo peccato, sed etiam quando ad peccatum alterius speciei v. g. Prælatus per peccatum injustitiæ, dans subdito occasionem peccandi non contra justitiam, sed contra obedientiam peccat peccato scandali, siquidem ex ejus facto sequitur ruina subditi.

Colligitur Sextò: Omittere ea, ex quibus ruina proximi posset impediri, vel permittere ea, ex quibus ejus ruina scienter sequitur, esse peccatum scandali, nisi tua vel proximi utilitas aut necessitas excuset, si sis persona privata, si verò sis Prælatus, non potes regulariter ob tuam privatam necessitatem permittere peccatum subditi, sed solùm propter majorem utilitatem ipsius peccantis, quia fortè deterior fieret per correptionem, vel ob cavendum malum corporale, vel spirituale tertiæ personæ, vel communitatis, in quibus etiam casibus potest privatus etiam permittere peccatum proximi, unde maritus potest licitè unum actum adulterij uxoris jam suspectæ permittere, ut cum testibus eam observet, & accuset ad divortium faciendum propter commodum proprium. Item parentes vel paterfamilias potest permittere unum actum furti, ut observet domesticos & deprehendat, faciátq; eos resipiscere, ita Navarr. lib. 3. de restitut. cap. 40. non tamen licet aperire ostia, pecunias relinquere in loco aperto ad faciendum experimentum de furto, quia, ut dicitur, *occasiones faciunt fures*, ita Sanchez. lib. 10. de matrim. disp. 12. n. 53. quamvis contrarium teneat Navarr: suprà.

Dico Tertiò: *Tunc solùm & semper veniale peccatum transit in mortale ratione scandali, quando ex peccato veniali sumit proximus probabilem occasionem peccandi mortaliter.* Ita Suar. dist. 18. de Censur. sect. 3. Valentia tom. 3. disp. 3. q. 18. quando autem per peccatum veniale solùm datur occasio venialis, tunc VIII. Veniale quando ob scandalum transit in mortale.

tunc

Digitized by Google

tunc est solummodò veniale scandalum.

IX. Opus indifferens quando transit in mortale ob scandalum.

Dico Quartò: *Opus indifferens tunc redditur peccatum mortale ratione scandali, quando operans non habet justam causam opus illud exercendi, secus verò quando habet.* Ita Sylvester verbo *infidelitas* q. 4. Valent. 2. 2. disp. 1. q. 10. Ex quo patet, famulos ob solam causam servitij excusari, quando dominis exhibent ea officia, quæ remotiùs concurrunt ad peccandum, maximè si talia non sunt contra justitiam, hoc titulo excusatur ancilla ornans suam dominam impudicam, & famuli comitantes dominum ad lupanar, vel similia loca prohibita, aut parantes cibos dominis jejunium violaturis, non tamen excusantur illi, qui proximè cooperantur, nam Innocentius XI. damnat hanc propositionem in suo decreto Anno 1679. die 2. Martij edito. n. 51. *Famulus, qui submissis humeris adjuvat scienter herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties ei deservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, nè à domino malè tractetur, nè torvis oculis aspiciatur, nè domo expellatur.* Similiter non excusantur præbentes opera indifferentia proximè inducentia ad peccatum, ex quibus sciunt proximum abusurum, sic inquam non excusantur communi titulo lucri, aut commodi, sed solùm titulo gravioris damni, quod timent se incursuros, nisi illa indifferentia subministrent. Hoc & solo modo excusantur caupones apponentes cœnam hospitibus tempore jejunij, quos sciunt jejunium violaturos, nisi enim apponunt, diffamabuntur tanquam mali hospites, nec ad illos divertent homines, ita Cajetan. 2. 2. q. 147. art. 4. in fine, & plures alij, quanquam id negat Navarr. Addit tamen Lessius, quando tabernarij dubitant, an hospites habeant justam causam non jejunandi, debent eos interrogare, quòd meritò rejicit Sanchez, quia non est ipsorum discutere conscientias hospitum, imò in dubio possunt præsumere, quòd bonâ conscientiâ procedant, & tunc etiam sine necessitate urgente possunt illis cœnam apponere. Idem dicendum de cauponibus propinantibus vinum se se inebriare volentibus. Eodem etiam modo excusantur pictores pingentes hominum nuda corpora ad ostensionem sui artificij, dummodò tegant partes inhonestas. Item pingens lascivo juveni imaginem puellæ, quam perditè amat, juxta doctrinam Navarr. cap. 14. N. 43. ubi ait artifices non peccare talia faciendo, quibus homines benè, vel malè possunt uti, esto plerique abutantur.

X. Opera bona non sunt omittenda propter scandalum.

Dico Quintò: *Bona opera sive de consilio sint, sive de præcepto, ut talia, non sunt omittenda propter scandalum proximi.* De operibus consilij patet, quia ad cavendum damnum proprium corporale potest quis negligere scandalum proximi, ergò à fortiori ob cavendum damnum proprium spirituale, quod incurritur, dum quis omittit bona opera. De præceptis est evidentius, quia non licet facere mala, ut eveniant bona. Dixi *bona opera, qua talia sunt*, quia sæpè bonum opus etiam præceptum definit esse bonum ex circumstantia scandali, ut patet in præceptis affirmativis juris naturalis, de eleemosyna facienda, de honorandis parentibus, de correctione fraternâ, de docendis ignorantibus, quæ tunc sunt omittenda, & desinunt esse præcepta, vel bona, quando ruina proximi censetur majoris momenti, quàm illorum observatio, quia hæc non obligant pro semper, sed pro tempore, quo possunt sine majori incommodo observari, secus est de præceptis negativis juris divini tam primæ, quàm secundæ tabulæ, & affirmativis ejusdem juris divini, quibus aliquid præcipitur tanquam medium necessarium ad salutem, ut sunt præcepta fidei, spei, & charitatis. Item baptismi & pœnitentiæ, quæ omnia non sunt omit-

omittenda propter scandalum, quia omissio horum adeò mala est, ut bonum, quod est in cavenda alterius ruina, nequeat ei præponderari. Reliqua præcepta DEI positiva, idem dic de humanis, tunc sunt omittenda, quando ruina proximi est majus malum, quàm sit bonum hîc & nunc illa observare.

QUÆSTIO SEXTA.

An malitia peccati mortalis sit infinita?

1. Infinitum dupliciter considerari potest.

AD perfectiorem notitiam naturæ peccati mortalis plurimum conducet scire ejus modum, quantitatem, & gravitatem, hoc ut præstem,

Prænotandum Primò: Quòd sicut infinitum simpliciter, & in genere Entis est id, quod quod esse simpliciter non habet principium nec finem, ita infinitum in tali genere est, quod in eo genere non habet principium aut finem, ut linea infinita. Notandum Secundò: Infinitum dici dupliciter tale: primò *Intrinsecè*, quando scilicet in se habet infinitatem intensivam, vel extensivam entitatum. Secundò *Extrinsecè*, quia scilicet tendit in objectum infinitum, quo sensu omnis actus tendens in DEUM, sive bonus, sive malus dicitur extrinsecè infinitus. Et hac infinitate extrinseca certum est peccatum esse infinitum, quia est aversio à DEO, sicut per oppositum conversio ad DEUM potest sic dici infinita. Difficultas ergo est, An peccatum in genere mali sit intrinsecè infinitum, id est habens malitiam intrinsecè infinitam. Affirmant Richardus in 3. d. 2. q. 4. & 5. Capreolus 4. dist. 15. q. 1. Major ibidem, Cajetanus, Medina &c. ex mente D. Thomæ, qui omnes ideò tenent & docent purum hominem non posse satisfacere absolutè pro peccato mortali, quia hoc est infinitum. Sed contra, ad quæstionem

Dico. *Malitia peccati mortalis cujuscunque non est intrinsecè, aut intensivè infinita* Ita Doctor subtilis in 2. dist. 37. q. 1. Et in 3. dist. 20. q. 5. §. Contra ea & Scotistarum communiter, quos sequuntur Suarez, Granada, Vasquez 3. p. q. 1. d. 5. Soto in 4. dist. 5. & alij. Probatur conclus. Primò: Malitia peccati est tanta formaliter & intensivè, quanta est bonitas ejus, cujus est privatio, aut cujus privationem infert, sed bonitas, quæ deberet inesse voluntati, aut actui, non est infinita formaliter & intensivè, ergo nec malitia eâ formaliter privans. — II. Malitia peccati mortalis non est infinita.

Dices cum Amico: Majorem esse veram de malitia, quæ opponitur bonitati morali virtutis oppositæ, non verò de malitia, quæ opponitur bonitati supernaturali, seu divinæ, & ipsi DEO, quia hæc sub hoc respectu ad DEUM est infinita. Contra: Malitia istius offensæ divinæ, quæ est in peccato mortali, vel est oppositio ejus ad charitatem, quâ dirimit amicitiam cum DEO, vel consistit in injuria facta DEO, per oppositionem ad aliam virtutem in specie, quidquid dicatur, malitia ejus non erit infinita, ergo. maj. patet. probatur min. quoad primam partem: Nulla virtus perfectius attingit DEUM quàm charitas, quæ est prima & principalior reliquarum, sed hujus rectitudo, & conjunctio cum DEO est finita, ergo etiam ejus oppositum erit finitum. Similiter dicendum de injuria facta DEO per oppositionem ad aliam virtutem in specie.

Dices: Malitiam esse contra DEUM infinitum in ratione offensæ, & ideò esse infinitum. Respond. 1. hanc evasionem esse verbalem, non realem. Respond. 2. & simul

Probatur conclus. Secundò: Eatenus malitia peccati esset infinita, quia esset contra DEUM infinitum, sed malitia hæc nec in actu primo, nec in actu secundo est contra DEUM infinito modo, ergò: probatur min. quòd non sit contra DEUM in actu primo consideratum, nam cùm DEUS sit Ens *Necesse esse*, non

Digitized by Google

non datur negatio, aut privatio sui esse possibilis: Neq; est privatio, aut negatio sui esse ex affectu peccatoris, aliàs quilibet peccans vellet DEUM non esse, quod nemo dicet. Neq; potest dici virtualiter, aut implicitè non velle, quia illud virtualiter & implicitè vult, quod ex natura rei est connexum cum suo actu; sed velle DEUM non esse, non est connexum cum actu peccatoris, sed potius contrarium, operans enim virtualiter, & implicitè vult omnia, sine quibus repugnat suum actum esse, sed repugnat ipsius actum esse sine DEO, sine quo operari nequit, ergo in proposito sicut peccator vult seipsum esse, & opus suum, & objectum, quod amat, aut odit peccando; sic etiam vult virtualiter DEUM esse, & nullo modo vult ipsum non esse.

III. Peccator non vult DEUM non esse.

Dices: Peccatorem statuere ultimum finem suum, peccando, in creatura, & consequenter ex affectu destruere DEUM, quantum est ex se. Sed Contra: Peccator non statuit sibi finem, qui repugnat DEO in esse, sed tantùm non assequitur DEUM, & ultimum verum finem suum per applicationem mediorum; sed per hoc non destruit DEUM etiam ex affectu, quem habet erga creaturam, ergo. Probatur min. si quis non vellet media necessaria ad finem ponere, non indè sequitur, eum velle finem non esse in re, sed tantùm non vult assequi ipsum, aliàs nolens sumere sacros ordines; aut ingredi religionem semper peccaret nolendo hos status esse, quod alienum ab omni prudentia, ex his ergo sequitur, peccatum non esse contra DEUM in actu primo, nunc

IV. Peccatum quà ratione non sit contra DEUM in actu secundo.

Probatur min. principalis prioris argumenti, peccatum non esse contra DEUM infinito modo; sed tantùm finito: In tantum est peccatum contra DEUM in actu secundo, in quantum est contra DEI voluntatem, ergo est tantum contra voluntatem, quâ determinatè præcipit contrarium, & rectitudinem, & consequenter ideò præcisè opponitur DEO, quia opponitur ejus præcepto, quo præcipit rectitudinem contrariæ virtutis, sed ista rectitudo est finita, ergo & malitia illi opposita, quia non aliter DEO opponitur, nisi ut opponitur rectitudini, quam præcipit DEUS. Confirmatur: Nullam facit injuriam DEO, ratione cujus auferret aliquid de fama, vita, aut alio quocunq; bono, quod resarcire deberet per restitutionem, DEO enim ex creaturis nihil crescit, aut decrescit; nec dominio earum privari potest, unde non aliam injuriam peccator DEO facit, quàm servus suo domino, non faciendo voluntatem sui domini, hujus enim injuria est inobedientia quædam, ergo peccator non offendit DEUM, nec ullam ei injuriam facit, præterquam quòd non faciat, quod mandat DEUS, atqui DEUS non mandat, nisi ponere rectitudinem oppositi vitij, sed hæc rectitudo est finita, ergo & malitia ei opposita.

Probari solet conclusio Tertiò: Actus charitatis, quo quis amat DEUM, est tantæ bonitatis, quantæ malitiæ est odium DEI, aut quodcunq; aliud peccatum; sed actus charitatis à creatura elicitus, non potest esse intrinsecè infinitus, ergò nec peccatum infinitum. Probatur Quartò: Non aliter potest dici peccatum includere infinitam malitiam, nisi quia vel meretur, vel inducit pœnam æternam extensivè infinitam, vel quia offendit personam infinitæ dignitatis, nempè DEUM, sed hæc non arguunt infinitatem ullam intrinsecam, aut intensivam in ipso, ergo probatur min. Ex hoc quòd actus charitatis tendat immediatè in DEUM infinitum in perfectione, & mereatur gloriam æternam extensivè infinitam, non arguitur in ipso ulla infinitas intensiva, aut intrinseca, ergò neq; æternitas pœnæ, aut infinitas personæ offensæ arguet infinitatem intrinsecam in peccato. Probatur Quintò: Aliqua peccata sunt graviora alijs, ut ex Scriptura suprà ostensum est, sed si quodlibet includeret infinitam malitiam, essent

Digitized by Google

omnia in gravitate æqualia, aut unum infinitum esset majus altero, consequenter non esset infinitum.

Dices: Peccata quidem esse graviora quædam ex proximo objecto & circumstantijs, non tamen quoad ordinem, qui desumitur ex persona increata, quæ offenditur, ex hoc ordine non variantur species peccatorum, benè tamen ex priori, unde etiam sunt ex illo alia alijs graviora. Sed Contra: Persona increata non offenditur, nisi in quantum voluntas creata non facit, quod præcipit, aut non omittit, quod prohibet, sed non præcipit nisi rectitudinem finitam virtutis, ergo nec prohibet nisi malitiam finitam. Sed contra conclusionem

Opponitur Primò: Authoritas Patrum, & specialiter D. Anselmi lib. I. Cur DEUS homo cap. 21. ubi ait: *Peccati malitiam esse super omne quod non est DEUS*, quia pro nulla re mundi peccatum etiam minimum est committendum, & ex hoc deducit, non posse pro eo satisfacere purum hominem, ergo secundum Anselmum peccati malitia est infinita. Respond. negando consequ. Nam licèt D. Anselmus illius fuerit opinionis, eam tamen non amplector, quia ratio ejus non urget, nam etiam pro unione hypostatica non est committendum veniale, & tamen bonitas illius unionis excedit malitiam venialis, ut patet, quamvis ergo peccatum pro nulla re sit committendum, non sequitur, quòd habeat malitiam infinitam, sed tantùm quòd in se sit malum, *non sunt autem facienda mala, ut eveniant bona.*

Arguitur Secundò: Quò dignior est persona offensa, eò culpa est gravior, sed persona DEI offenditur quolibet peccato mortali, & est infinitæ dignitatis, ergò & malitia culpæ erit infinita. Respond. dist. majo. Eò culpa est gravior in æqualitate intensionis graduum, neg. majo. ita ut sit major, præsertim cùm intendit directè offendere ipsam personam divinam, transf. maj. Offensa DEI in genere est circumstantia generalis inclusa in omni peccato mortali, quapropter non aggravat peccatum nisi in quantum opponitur legi DEI, & rectitudini oppositæ virtutis, sed si directè intendatur offendere DEUM, aut facere ipsi injuriam, vel irreverentiam v. g. blasphemando contra ipsum, aut contemnendo ex proposito ejus præceptum, tunc committitur diversum in specie peccatum ab eo, quod committeretur contra creaturam, tamen licèt esset majus peccatum, non esset infinitæ malitiæ. Ratio est, quia ad malitiam intrinsecè infinitam non sufficit actum tendere in objectum infinitum, aut contra ipsum elici, sed requiritur ultra, ut modo infinito in ipsum tendat, qualiter non potest ullus actus à creatura elicitus tendere, cum sit finitæ & limitatæ entitatis.

Instatur: Quod est dignum pœnâ infinitâ, debet esse infinitæ malitiæ, sed peccatum mortale hanc meretur, ergò: maj. probatur. Peccatum, quod de condigno meretur pœnam unius anni est alicujus malitiæ, & quod meretur pœnam 100. annorum est majoris malitiæ, ergò quod meretur pœnam æternam, & infinitam, debet esse infinitæ malitiæ. Confirmatur: Ex proprietate rei colligitur ejus essentia, sed condignitas pœnæ est proprietas culpæ, ergo etiam condignitas ad pœnam æternam arguet infinitam malitiam culpæ. Respond. dist. maj. Debet esse infinitæ malitiæ extensivæ, conc. maj. intensivæ, neg. maj. ipsiúsq; probationis consequen. in eodem sensu. Et distin. similiter consequens. Confirmationis arguit infinitam malitiam extrinsecè, conc. intrinsecè, neg. consequ. Ratio autem negandæ consequ. universaliter videtur esse, quòd non obstante proportione, quam debet habere offensa cum persona, quæ offenditur, & visio cum objecto, quod videtur, quæ talis esse debet, ut offensa talis personæ debeat esse major quacunque offensa alterius

rius perſonæ non talis, & viſio objecti infiniti perfectior viſione cujuscunque alterius objecti finiti, tamen non debet, aut offenſa, aut viſio, eſſe infinita, nam poteſt eſſe illa proportio ſine infinitate, quia ſi adderetur unus gradus viſionis, aut offenſæ DEI ſupra gradum viſionis, aut offenſæ creaturæ, eſſet major, quo tamen addito non eſſet infinita.

Urgetur: Una offenſa DEI eſt major quàm infinitæ offenſiones, quibus infiniti homines, ſi darentur, offenderetur, ergò proportio præcisè ad perſonam debet attendi. Reſp. neg. conſequ. Quæ non ſequitur ex antecedente, quia ſicut unus homo eſt perfectior quàm infinitæ muſcæ, ex hoc tamen non ſequitur, quòd homo ſit infinitæ perfectionis, ita offenſa DEI, licèt ſit major, quàm offenſæ infinitorum hominum, non ſequitur eſſe infinitæ gravitatis. Ratio eſt, quia unus gradus perfectionis ſpecificæ ſuperioris debet ſuperare individua infinita ſpeciei inferioris, nam illa multiplicatio individualis non auget perfectionem ſpecificam, hinc dicitur communiter: *Infimum ſupremi generis eſt perfectius ſupremo infimi generis.*

Arguitur Tertiò: Privatio aut inductivum privationis tantum eſt, quantum bonum, quo privat, ſed bonum, quo privat peccatum, eſt DEUS intenſivè infinitè bonus, ergò & peccatum erit taliter malum: hoc argumentum eſt directè oppoſitum primæ probationis noſtræ. Sed Reſpond. diſtin. majo. Quantum eſt bonum ipſi privativè oppoſitum, & quo formaliter privat, conc. majo. quantum eſt bonum, quo tanquam fine ultimo privat, neg. majo. Similiter diſtin. min. & neg. conſequ. Bonum enim privativè oppoſitum peccato, & quo formaliter privat, non eſt DEUS, neque gratia, neque viſio beata, aliàs omnia peccata eſſent paria, & ejuſdem ſpeciei, ſed rectitudo debita ineſſe, quæ in ſe eſt finita & limitata, & conſequenter malitia ipſi oppoſita.

Inſtatur: Si peccatum mortale non eſſet infinitæ malitiæ intrinſecè, non poſſet DEUS ſine injuſtitia pœnam æternam etiam extenſivè pro eo infligere, ſed infligit, ergo. Reſpond. neg. majo. Quia licèt peccato actuali ſecundùm ſuum eſſe phyſicum non debeatur pœna æterna, ſicuti nec actui bono & meritorio debetur ex natura rei vita æterna, ſuppoſito tamen decreto, & pacto DEI cùm creatura rationali de tribuendò prœmio æterno propter actus meritorios, & infligenda pœna æterna propter peccatum, ſicut juſtè ſtatuit finaliter perſeverantibus usque in finem, propter meritum temporale vitam æternam, ita ex eodem pacto juſtè ſtatuit finaliter permanentibus in peccato mortali infligere pœnam æternam, nam licèt peccatum actuale ſecundùm eſſe ſuum phyſicum ſit temporale & tranſitorium, ineſſe tamen morali æternaliter manet, donec à peccatore revocetur, aut à DEO condonetur, cùm ergo ante mortem illud non revocaverit, nec poſt mortem amplius detur locus, aut tempus revocandi, ſic in æternum manebit, adeóque pœna ipſi debita debet in æternum manere. Nec creatura poteſt juſtè conqueri de hac æternitate, quia inflictionem ipſius potius ſibi quàm DEO debet adſcribere, quandoquidem ipſe liberrimè ponat illa peccata, ob quæ infligitur pœna; & prætulit bonum ſenſitivum, & delectabile bono honeſto.

QUÆSTIO SEPTIMA.

Unde deſumenda ſit gravitas Peccatorum eſſentialis?

IN præterita quæſtione viſum eſt, peccata mortalia non eſſe infinitæ malitiæ, ex altera autem parte certum eſſe, peccata omnia non eſſe æqualis & paris gravitatis & malitiæ, quare nunc conſiderandum reſtat, unde major & minor deſumatur peccatorum gravitas; & quamvis ſuperius diſputat. 3. q. 6. jam oſtenderim, unde peccata ſpe- 1. Gravitas peccatorũ ex multis cauſis oriri poteſt major.

cificè distinguantur, sicut etiam qua ratione peccatum mortale discernatur à veniali, hic tamen potissimum de peccatis mortalibus sermo erit, unde

Notandum Primò: Gravitatem peccati ex multis capitibus crescere posse: Ut ex dignitate virtutis, qua privat: Ex dignitate personæ offendentis & offensæ: Ex natura ipsius actus, unde peccata Spiritualia graviora sunt carnalibus. Ex causa impulsiva, qua ratione peccata ex certa malitia graviora sunt peccatis ex passione, vel ignorantia: Quartò ex gravitate unius legis præ alia strictiùs obligante. Quintò ex circumstantia intensionis, aut continuationis, gravius enim est accidentaliter peccatum, quod fortius intenditur & diutius continuatur, quàm quòd non. Et tandē ex dignitate objecti, circa quod contingit peccare.

II. Gravitas peccati alia est essentialis, alia accidentalis.

Notandum Secundo: Gravitatem peccati aliam esse *Essentialem* quodammodò, & intrinsecam aliam *Accidentalem* & extrinsecam: Illa est, quæ desumitur ab ijsdem principiis, à quibus peccata sumunt suam speciem, videlicet à rectitudinibus oppositis immediatè, & ab eorum objectis mediatè: *Accidentalis* gravitas sumitur à circumstantijs, & adjacentibus. De utraque hac gravitate agam, & quidem de essentiali in hac quæstione, de accidentali verò in sequenti.

III. Debitum rectitudinis in peccato debet attendi.

Notandum Tertiò: Dum quæritur de gravitate peccatorum per oppositionem ad virtutes oppositas maximè attendendum esse ad rationem debiti in rectitudine virtutis, potest enim contingere, quòd rectitudo perfectioris virtutis nullo modo, vel minus debita sit, quàm rectitudo imperfectioris virtutis, & consequenter illius privatio nullo modo, vel minus grave peccatum erit, unde licèt virginitas perfectior sit, quàm castitas conjugalis, tamen quia virginitas non est debita ex obligatione, ejus privatio non est peccatum, sicut est privatio castitatis conjugalis. His prænotatis

IV. Gravitas essentialis oritur ex dignitate objecti.

Dico Primò: *Eò gravius est peccatum essentialiter cœteris paribus, quò dignius est objectum, circa quod peccatur.* Ita D. Thomas 1. 2. q. 73. art. & 3. colligitur ex Scoto in Rep. Et in 2. d. 35. q. unic. §. *de quarto quæro ubi, Dico*, inquit, *Quod illud peccatum est gravissimum, quod est contra ultimum finem contrariè, & si est immediatè, circa ea, quæ sunt ad finem, quanto illud bonum, circa quod est peccatum, magis est necessarium ad ultimum finem, tanto est illud peccatum gravius*, ita quòd talis ordo sit in gravitate inter privationes, qualis est inter habitus, quibus privant.

Probatur Conclusio authoritate D. Augustini lib. contra Manichæos de duabus animabus cap. 8. ubi ait: *Quid enim si cognitio summi mali sine cognitione summi boni contingere homini non potest? Non enim nossemus tenebras, si in tenebris semper essemus, sed lucis notitia contrarium suum non finit incognitum. Summum autem bonum, id est, quo superius nihil esse potest, DEUS autem bonum, & DEO superius nihil esse potest, DEUS igitur summum bonum. Cognoscamus ergo DEUM, atq; ita nos illud, quod præproperè quærimus, non latebit.* Scilicet peccatum, de cujus cognitione & natura tunc agebat tanquam de malo unico, quod à summo bono DEO non est factum, ergo gravitas peccati congruenter sumitur per ordinem ad objectum, cui opponitur, & contra quod peccatur.

Probatur Conclusio ratione: Recta ratio ordinat agibilia ex fine, ergo quantò peccatum contingit ex altiori fine objectivo, tantò est gravius, sed fines intrinseci actuum humanorum, & objecta coincidunt, ergò secundùm diversitatem objectorum diversificatur gravitas peccatorum: primum antec. declaratur: Quia res externæ ordinantur ad hominem ut ad finem, homo autem ad DEUM, ut ad ultimum finem, ex quo sequitur, quòd peccatum commissum circa ipsam substantiam hominis v. g. homicidium, gravius est peccato, quod fit circa res

res externas, cujusmodi est furtum, & adhuc gravius peccatum, quod immediatè contra ipsum DEUM committitur, ut blasphemia, odiùm DEI &c. quàm quod contra hominem.

Dixi in conclusione *Cœteris paribus*, quia potest quandoq; contingere ex varijs circumstantijs, quòd peccatum ex objecto ignobili, gravius excedat alterum ex vehementiori conatu, intensione, & deliberatione saltem accidentaliter, de quo postea. Notandum quoque, cùm dico gravitatem peccatorum desumi ex objectis, id fieri tantùm mediatè, quia sicut non sumunt speciem ab objectis immediatè, ita nec intrinsecam gravitatem. Sed in contra

Arguitur: Gravitas essentialis, & intrinseca pertinet ad modum, vel qualitatem ipsius peccati, sed objectum, seu finis est quid extrinsecum actui peccaminoso, ergò ab objecto non sumitur gravitas intrinseca peccati. Respond. distin. consequens: Immediatè, conc. quia immediatè sumitur à rectitudine virtutis oppositæ. Mediatè, neg. consequen. quia licèt objectum & finis sit quid extrinsecum, & materia circa quam versatur actus humanus, intentio tamen agentis fertur in ipsum, & quia forma actûs moralis dependet ex fine, hinc actus humanus materialiter saltem dicit intrinsecum ordinem ad ipsum; adeóq; etiam in genere moris sumit ab eo, mediatè saltem, suam speciem & gravitatem.

IV. Gravitas peccati ex rectitudine opposita bene etiam colligitur.

Dico Secundò: *Eò cœteris paribus gravius est peccatum essentialiter, quò perfectior est virtus & rectitudo, cui opponitur.* Est D. Thomæ suprà Scoti 2. dist. 37. q. 1. §. ad tertium etiam patet: *Illud*, inquit, *peccatum est gravius ex genere, quod opponitur rectitudini meliori, quæ est fini immediatior.* Probatur conclusio: Quia malitia peccati sumit suam speciem à rectitudine, qua privat, ergo major vel minor malitia à majori vel minori rectitudine desumitur, cœteris paribus, ergo quò dignior est rectitudo, eò gravius est peccatum: Hinc odium DEI formale, si sit possibile, gravius est essentialiter desperatione, & hæc infidelitate, quia inter virtutes theologicas charitas, ejusq; actus est excellentior spe & fide, earúmq; actibus, & spes perfectior est fide. Item homicidium, vel infamatio est gravior furto, vel peccato intemperantiæ, & sic de alijs.

Dices: Sæpè fit, quod rectitudo perfectioris virtutis sit minus debita, ut exemplificatum fuit de virginitate & castitate conjugali, quarum prima est perfectior, sed minus debita, ac proindè ejus privatio in nubente nullo modo, vel minus est peccatum, quàm privatio castitatis conjugalis, ergo ex perfectiore rectitudine & virtute, malè colligitur gravitas peccatorum. Respond. negan. consequ. Quia licèt major vel minor ratio debiti in rectitudine virtutis non variat rationem essentialem, benè tamen ipsa substantia debiti, majoritas autem, & minoritas non nisi accidentaliter faciunt graviora esse peccata. Sed

Quæres: Quænam virtutes & rectitudines sint excellentiores & magis debitæ? Respond. ut suprà: Illam esse majorem rectitudinem, & magis habere rationem debiti, cujus opposita malitia magis lædit charitatem & amicitiam cum DEO, aut proximo, hinc, quia opposita vitia virtutum theologicarum magis lædunt amicitiam cum DEO, quàm qui operantur contra virtutes morales, eò majora & graviora sunt peccata; similiter inter ipsas morales, quæ transgrediuntur perfectiores virtutes morales, cœteris paribus graviora sunt, quare cùm justitia sit magis debita, & inter species justitiæ, ea quæ respicit bonum famæ, vel naturæ quàm quæ respiciunt bona externa, ideò etiam iniquitates istæ sunt majores.

Arguitur in contra: Levis incredulitas, vel levis desperatio est minus peccatum quàm homicidium, vel fornicatio, & tamen virtutes oppositæ

Digitized by Google

positæ incredulitati, vel desperationi sunt nobiliores, & magis debitæ, earúmq; objecta longè excellentiora, ergo contra utramq; conclusionem, nec objecta, nec virtutes, & rectitudines augent gravitatem peccatorum. Item contra eandem virtutem mutilatio unius digiti est levius peccatum, quàm ablatio centum millium florenorum, vel unius millionis, & tamen justitia opposita mutilationi est perfectior, & excellentior quoad objectum, quàm justitia opposita furto, nam primâ mandat servare justitiam circa bona naturæ, secunda verò circa bona fortunæ, ergo &c. Respond. neg. consequ. Quia conclusio non facit comparationem inter peccatum leve contra unam virtutem, & grave seu mortale contra aliam, sed quòd cœteris paribus gravius sit peccatum mortale commissum contra nobiliorem virtutem, quàm peccatum mortale contra minus nobilem, adeóq; quòd nobilitas & perfectio virtutis obligantis ad sui sequelam augeat malitiam peccati, non verò quod minimum peccatum veniale commissum contra virtutem nobiliorem sit gravius commisso contra ignobiliorem. Imò speculativè loquendo peccatum infidelitatis essentialiter est gravius ex genere suo, quàm quodcunq; furtum, verùm illa inadvertentia, vel subreptio excusant à ratione peccati formaliter constituti, & mortalis. Ad secundam instantiam dico, quòd licèt bonum naturæ sit cœteris paribus longè perfectius bonis fortunæ, comparando tamen magnam quantitatem bonorum fortunæ ad parvam portionem boni naturæ, vel personæ, in communi æstimatione hominum illa censetur pretiosior, hinc credo, quòd homo dives vellet potius carere una aure, vel uno digito, quàm centum millibus aureorum.

QUÆSTIO OCTAVA.

An, & qualis desumatur gravitas & levitas peccatorum ex circumstantijs tam aggravantibus, quàm mutantibus speciem?

PRo Circumstantijs non mutantibus speciem Notandum Primò cum Herrera, duo hic esse observanda. Primum est peccatum inferioris speciei secundùm communem modum loquendi in tantum dici gravius, peccato superioris speciei ex circumstantijs, ratione voluntarij, intensionis, & damni, &c. in quantum scilicet pluribus modis, seu titulis est malum. Ex quo sequitur secundum hic observandum videlicet graviorem pœnam sensûs infligi peccato inferioris speciei, quãdo adest ei ingẽs circumstantiarum annexa malitia, quàm peccato superioris speciei non sic circumstantionato, ex hoc tamen non sequitur, quòd malitia peccati inferioris speciei attingat intensivè malitiam peccati superioris speciei, cujus ratio est, quia malitia inferioris est diversæ rationis specificæ, à malitia superioris, & ideò quantumvis augeatur illa intra suam speciem, non potest adæquari malitiæ hujus, sicut quantumvis intendatur calor non attinget perfectionem imperfectissimæ qualitatis spiritualis, Econtra verò pœna sensûs correspondens utriq; peccato, est ejusdem speciei v. g. pœna ignis, & ideò pœna debita peccato inferioris speciei potest per multiplices circumstantias malas eo usq; augeri, donec pertingat, vel excedat pœnam debitam peccato superioris speciei, exemplum hujus est argentum quantumvis augeatur, nunquam pertinget ad perfectionem essentialem & specificam auri, benè tamen ad volorem extrinsecum utriq; ex hominum æstimatione correspondentem, nam magna quantitas argenti majoris est valoris, quàm minima portio auri, sic in proposito, quia pœna illa sensûs

1 Peccata diversæ speciei possunt varijs modis augeri & minui.

fus respicit æstimationem infligentis pœnam, rectè secundùm eam potest major pœna infligi pro peccato, quod ex objecto est minus, si habeat multas, & graves circumstantias malas.

II. Circumstantiæ mutantes speciem variè considerari possunt.

Pro circumstantijs mutantibus speciem Notandum Secundò. Quòd quando quæritur, an circumstantiæ loci sacri, personæ DEO dicatæ, aggravant accidentaliter, id est, ut non solùm afferat malitiam sacrilegij, sed etiam augeat malitiam injustitiæ & intemperantiæ, & sic de alijs. Pro quo Notandum, circumstantiam mutantem speciem, quandoque esse finem, cujus gratiâ, seu motivum peccantis, ut cum quis furatur propter mœchiam, quandoque ut medium, ut cùm econtra pecuniam furtivam dat quis pro fruendo illicito concubitu, quandoque etiam nec ut finis, nec ut medium, ut cùm quis furatur in loco sacro, qui locus non habet rationem medij, aut finis respectu furti, sed tantum accidentaliter se habet, hoc posito aliqui ad quæstionem respondent absolutè negando: alij distingunt dicentes, circumstantias, quæ se habent adinstar medij, vel conditionis aggravare malitiam desumptam ex objecto, secus verò de ijs, quæ se habent instar motivi, seu finis, cujus gratiâ. Ego.

III. Peccatum inferioris speciei multitudine circumstantiarum non mutatur.

Dico Primò: *Peccatum inferioris speciei quoad malitiam essentialem non potest excedere malitiam superioris quantumvis vestiatur multis, & malis circumstantijs non mutantibus speciem.* Colligitur ex Scoto 2. dist. 21. q. 2. Et in Respon. dist. 22. q. 1. ubi dicit: *Peccatum Adæ esse simpliciter levius quàm Evæ, quamvis ille ex circumstantia & dignitate personæ, ratione cujus fuit constitutus caput morale suæ posteritatis, & ratione fortitudinis majoris ad resistendum tentationi, meruerit sibi & suæ posteritati privationem justitiæ originalis, aliasque pœnas, quæ non sequerentur ex peccato Evæ.* Conclusionem tenet D. Thomas 1. 2. q. 73. art. 4. Durand, Vasqu. & alij. Probatur Primò: In naturalibus: Individuum inferioris speciei nunquam potest excedere individuum superioris v.g. Bucephalus Petrum; ergo nec in moralibus peccatum superioris essentialiter.

Dices: Argumentum concludere, nisi individuum inferioris speciei vestiatur varijs circumstantijs. Contra: Circumstantiæ non mutantes speciem, de quibus loquimur, sunt accidentia, adeoque perfectiones, vel imperfectiones secundùm quid; ergo additione harum non potest id, quod secundùm essentiam est minus, fieri majus.

Probatur Secundò: Certum videtur, quòd mille actus temperantiæ non æquivalent in essentiali rectitudine uni actui amoris DEI, quamvis tot actus temperantiæ majus prœmium essentiale mereantur, ergo ex opposito mille actûs intemperantiæ non adæquant in intrinseca malitia unum actum odij DEI, esto in pœna sensûs correspondente excedant, ergo ulterius mille malitiæ in uno actu furti, ex mille malis circumstantijs non transferentibus illius malitiam extra speciem furti, non adæquant gravitatem essentialem, & specificam odij DEI. Et ratio horum à priori est, quia circumstantiæ non mutantes speciem, solùm accidentaliter augent malitiam actûs, gravitas autem accidentalis non facit unum per se cum gravitate essentiali, cùm sint diversi ordinis, ergo quantumvis illa augeatur, semper malitia essentialis erit minor in peccato inferioris speciei, licèt in malitijs accidentalibus excedat.

Dices: Licèt id, quod in naturalibus excedit rationem specificam, sit simpliciter perfectius, in moralibus tamen ex circumstantijs, & accidentibus potest sumi excessus simpliciter, quia in moralibus non consideratur sola entitas rei, sed moralis appretiatio in ordine ad fines humanæ vitæ, quod declaratur exemplo illo communi de magna copia argenti comparata ad parvam quantitatem auri. Contra: Nulla appretia-

Digitized by Google

pretiatio moralis potest facere virtutem naturâ suâ perfectiorem esse imperfectiorem, ergo nec privationem illius virtutis, esse minorem privationem alterius imperfectioris. Antec. patet: quia nulla moralis æstimatio potest facere, quod amor DEI sit minus perfectus, quàm amor proximi. Deinde si æstimatio moralis potest circumstantijs facere peccatum inferioris speciei esse essentialiter gravius, ergo etiam sine ullis circumstantijs potest idem facere, sicut Rex absolutè potest facere tantum argentum æquivalere in pretio, & æstimatione tanta auri. Illa ergò appretiatio proveniens ex circumstantijs solùm habet locum in ordine ad valorem extrinsecum respectu pœnæ, aut gloriæ; præmij, aut supplicij, sicut enim in ordine ad commutationes, & contractus appretiatur magna copia argenti plus quàm parva auri, ita in ordine ad retributionem pœnæ appretiatur magna copia malitiarum accidentalium inferioris speciei, plus quàm una parva malitia superioris speciei.

IV. *Catholicus malus accidentaliter, pejor est hæretico imperito.*

Arguitur Primò: Augustinus 4. de Baptismo contra Donatistas cap. 5. dubitat, quis sit major peccator, an hæreticus ex hebetudine, vel imperitia, an Catholicus scienter avarus? Item an hæreticus moraliter bonus, an Catholicus perversis moribus? & si Augustinus putaret oppositum melioris virtutis esse semper pejus, non dubitaret hæreticum quantumvis moraliter bonum esse pejorem avaro, aut perverso Catholico. Respond. Augustinum non dubitasse privationem nobiloris virtutis esse essentialiter pejorem privatione minus nobilis, sed solùm dubitâsse, quodnam ex illis in ratione culpæ, & gravitatis accidentalis, ac demeriti sit majus, de quo meritò poterat dubitare, quia licèt hæresis ex una parte sit essentialiter pejor avaritiâ, tamen ex alia parte hebetudo, vel imperitia, aut bonitas moralis excusat aliquomodo, quo minus totam pœnam incurrat, similiter avaritia licèt sit essentialiter levius peccatum quàm hæresis, fieri tamen potest, ut ratione circumstantiarum, aliorúmq; peccatorum, ad quæ avaritia trahit, majorem pœnam mereatur, quàm hæresis.

Arguitur Secundò: Sequeretur, quòd non audire sacrum in die festo esset gravius homicidio, similiter & furtum fornicatione, quia contra nobiliores virtutes. Respond. conc. consequ. in utroq; casu, quoad malitiam essentialem, licèt homicidium in ratione demeriti sit accidentaliter gravius, eò quòd inferat damnum irreparabile, & sit ex se turbativum pacis, magisq; rigidè prohibitum, adeóq; pluribus modis malum. Idem dico de furto comparato ad simplicem fornicationem, quia illud opponitur perfectiori virtuti, scilicet justitiæ, hæc verò temperantiæ.

Arguitur Tertiò: Pœna est passio consequens ad peccatum, ergò ex pœnæ augmento vel diminutione, sequitur peccatum esse gravius, vel levius, aliàs DEUS esset injustus puniendo graviori pœna peccatum minoris malitiæ. Respond. dist. consequ. sequitur esse gravius vel levius essentialiter, aut accidentaliter, conc. essentialiter semper, neg. ad proba. similiter distinguo, si puniret DEUS peccatum minoris malitiæ tam essentialis, quàm accidentalis magis quàm peccatum majoris malitiæ, transeat: si autem peccatum minoris malitiæ essentialis, sed majoris accidentalis gravius puniret, nego. Aliàs peccatum veniale contra fidem, aut spem imperfectione actûs deberet puniri graviori pœnâ, quàm homicidium, aut sodomia, quod est contra omnes.

Arguitur Quartò: Privatio virginitatis est essentialiter minus malum, quàm privatio communis castitatis, quia virginitas est minus debita, minúsq; obligans, & tamen virginitas est perfectior virtus, quàm castitas communis v. g. conjugalis, aut vidualis, ergo. Respond. neg. maj. licèt enim virginitas sit minus debita, quàm castitas communis, non

non tamen sequitur inde, quòd ejus privatio non sit simpliciter pejor, licèt accidentaliter non sit pejor, quia esse communis magis vel minus debitum non mutat essentialiter, sed tantùm accidentaliter virtutem, aut privationem oppositam, quod enim virginitas non sit magis debita indè provenit, quia DEUS non voluit aliquem ad eam obligare sub mortali, vel etiam veniali, sicut obligavit ad communem castitatem, & hoc ideò, quia virginitas non est ita necessaria ad servandam amicitiam cum DEO & proximo, sicut est castitas conjugalis. Ex quo sequitur, quòd spolians ærarium publicum, licèt graviorem pœnam ex hoc mereatur, quàm si occideret privatum hominem, tamen gravius essentialiter peccat occidendo, quàm spoliando. Sed hæc omnia faciliùs capiet subtilis & speculativus Theologus, quàm rigidus Moralista.

V. Circumstantia mutans speciem etiam accidentaliter aggravat peccatum.

Dico Secundò: *Omnis & quælibet circumstantia mutans speciem, quomodocunque se habet respectu peccantis aggravat non solùm essentialiter, sed etiam accidentaliter malitiam sumptam ex objecto.* Ita Salas Tract. 7. disp. 3. N. 97. Herrera, & alij. Probatur: Eò magis est peccatum, quò magis est voluntarium, sed quando adest circumstantia mutans speciem, peccatum, redditur magis voluntarium, ergò gravius. maj. patet. min. probatur. Peccatum eò magis est voluntarium & imputabile, quo plura habet retrahentia ab ipso, sed quando adest circumstantia mutans speciem plura retrahunt à peccato, ergò tunc fit magis voluntarium. maj. probatur: Tum, Quia, quando plura retrahunt à malo, tunc assecutio illius redditur difficilior, & per consequens majorem requirit in voluntate conatum, quia tantum quantum sufficit, ut & superet difficultates ortas ex alijs retrahentibus, & simul ut voluntas feratur in id, à quo retrahit: Tum etiam, quia per oppositum, quo plura retrahunt à bono, eò tendentia in illud redditur actus melior, quia difficilior, ut patet de eo, qui servat castitatem non obstantibus multis & magnis carnis, & dæmonis tentationibus. min. etiam supra dicta probatur: Quia major est obligatio abstinendi à malo objecto propter se, si adsit circumstantia mutans speciem, quàm si non adesset, ut patet de eo, qui cogitat de furto in loco sacro, statim enim ei occurrit obligatio abstinendi à furto ex justitia, & alia obligatio ex virtute Religionis ob circumstantiam loci sacri. Sed in contra

Arguitur Primò: Bonus finis non minuit malitiam pravæ electionis, ergò nec malus finis auget malitiam medij, ergò multò minus circumstantia mutans speciem augebit malitiam sumptam ex objecto. Respond. neg. antec. Quia bonus finis minuit aliquando de ratione voluntarij circa pravam electionem, v. g. qui propter eleemosynam non audit sacrum in die festo.

Arguitur Secundò: Cum quis occidit ob furtum non augetur homicidium secundùm se, nec ratione motivorum diversorum retrahentium à malo, ergò nullo modo: antec. quoad 1. partem patet. Secunda probatur: Quia minus voluntarium est homicidium factum ob furtum, quàm si directè & propter se esset volitum, imò non occideret tunc, nisi ob finem furti, quem videt non posse assequi nisi occidendo, ergo in tali casu non habet motiva diversa retrahentia, & consequenter non augetur ejus malitia. Respon. neg. antec. pro secunda parte, ad prob. dico: licèt furtum in tali casu sit causa impulsiva ad homicidium, & per hoc reddens illud directè minus voluntarium, tamen alia ratione reddit illud magis voluntarium, quatenus tam malitia furti, quàm homicidij malitia deberet retrahere illum, non solum ab utroque actu, sed etiam à volitione unius propter alium, & quamvis non vellem aliàs homicidium, nisi quia aliter non possum furari, & per hoc conditionatè homicidium sit in se nolitum, tamen simpliciter illud volo, quando

me determino ad aliud, esto illa determinatio proveniat à fine furandi, tanquam ex motivo principali.

Arguitur Tertiò: Una circumstantia non potest dare duas malitias specie distinctas, ergò circumstantia loci sacri, v. g. non auget malitiam essentialem furti. Respond. distin. antec. Per se & æquè primò non potest dare duas malitias specie distinctas, conc. non potest dare unam per se & primariò, & alteram occasionaliter, & per accidens ratione augmenti voluntarij, ut fit in proposito, nego. Imò hoc modo justus potest esse occasio augendi malitiam peccatoris, quia quò magis dissuadet peccata, eo fiunt graviora, si non evitentur.

Instatur: Si circumstantia illa auget quandoq; malitiam sumptam ex objecto, ergò etiam potest dare primum esse isti malitiæ, quia primus gradus & alij subsequentes sunt ejusdem rationis, consequens autem est contra omnes. Respond. neg. consequ. Quia talis circumstantia, ut det augmentum malitiæ, tantum habet facere actum magis voluntarium, non verò simpliciter voluntarium, ut autem det primum esse isti malitiæ, deberet reddere actum simpliciter voluntarium, in proposito autem circumstantia non facit actum primò voluntarium, sed supponit objectum in se malum, & volitum, cujus malitia crescit ratione magis voluntarij. Quòd si objectum sit indifferens, vel aliàs bonum, tunc actus circa ipsum ex mala circumstantia, vel fine malo, acquiret malitiam ipsius circumstantiæ vel finis, loquendo de actu indifferenti, vel malitiam oppositam virtuti, ad quam spectat actus aliàs bonus, vitiatus tamen circumstantiâ malâ, & tunc potest concedi, quòd circumstantia mutans speciem det aliquibus primum esse malitiæ. Hinc saltare, quod est ex se actus indifferens, ad provocandam libidinem est malum malitiâ participatâ à peccato libidinis.

Arguitur Quartò: Ducendo rationem factam pro conclusione in oppositum, quia quamvis quo plura sunt retrahentia à peccato, eò magis intendatur ratio voluntarij, & conatus circa illud, tamen major illa intentio in conatu non est referenda in motiva retrahentia, sed in ipsam voluntatem, & in motiva allicientia ad peccatum, ergo nec augmentum malitiæ desumptæ ab objecto referendum est ad circumstantiam mutantem speciem ratione motivi retrahentis, sed ad ipsam voluntatem, & ad motivum alliciens. Respond. neg. antec. pro secunda parte tanquam simpliciter falsum, quod sic ostendo, quia, imò quò plura & efficaciora sunt motiva allicientia ad malum, eò magis minuitur ratio voluntarij in malitia formali, ergò tantum abest, ut motiva allicientia augeant conatum & voluntarium respectu malitiæ, quin potius minuant, hoc declaratur: quia quando ad peccatum carnis trahunt, ipsum imprimis bonum delectabile, magna sollicitatio alterius, occasio proxima, suggestus dæmonis, nec adsunt alia retrahentia, nisi in nuda malitia peccati, tunc censetur peccatum illud minus voluntarium, minusvè imputabile, quàm si committeretur seclusis illis omnibus, vel aliquibus, & per oppositum, quando non adsunt tot motiva allicientia, & adsunt plura retrahentia v. g. circumstantia personæ, quia est religiosus; loci, quia in Ecclesia, alterius personæ, quia conjugata, tunc censetur peccatum gravius, magisque voluntarium, ergo ratio voluntarij ejusque intentio in conatu non est referenda in motiva allicientia ad peccatum, sed in retrahentia.

QUÆSTIO NONA.

De circumstantijs in particulari.

IN tractatu de Actibus humanis generaliter tetigi circumstantias tam illas, quas Doctor noster Seraphicus S. Bonaventura in 4. d. 16. dubio 6. enumerat, quàm illas à Theolo- 1. Bonaventura S. enumerat 14. circumstantias.

Digitized by Google

Theologis communiter acceptatas, nunc ergo specialiùs de illis hìc erit agendum. Pro quo

Notandum Primò: Aliter Rhetores, & Philosophos recensere circumstantias, aliter Theologos, aliter Juris peritos; Cicero enim lib. 1. de Invent. cap. 4. sic eas enumerat: *Ejus constitutionis est controversia, cum aut quem, aut qui cum, aut quomodo, aut apud quos, aut quo jure, aut quo tempore agere oporteat.* Aristoteles verò lib. 3. Ethic. cap. 1. sic eas recitat: *Quis item sanè, & quid, & circa quid, vel in quo agat nonnunquam, & quo veluti instrumento, & cujus gratiâ, ut salutis, & quomodo, ut sensim & vehementer.* Juris periti autem ex L. Aut facta ff. de Pœnis in actionibus humanis has considerant: *Causa*, hoc est, *cur*, *Persona*, *Locus*, *tempus*, *qualitas facti*, hoc est, *quomodo*, *quantitas*, ut in furto. D. Damascenus lib. 2. de fide cap. 24. octo computat, & sunt *Quis, quem, quid, quo, ubi, quando, à quo tempore, aut quomodo, quare, cujus gratiâ.* S. Bonaventura supra quatuordecim recenset, & pro captu in sequentibus versibus comprehendit:

Circumstantiæ peccatorum variæ sunt.

Aggravat ordo, locus, persona, scientia, tempus,
Ætas, conditio, numerus, mora, copia, causa,
Est modus in culpa, status altus, lucta pusilla.

Verùm Theologi communiter septem tantùm recensent in hoc carmine:

Quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

Notandum Secundò: Has circumstantias, si non omnes, saltem potiores in confessione exprimendas jam olim Patres docuerunt, & præcipuè D. Augustinus à Doctore subtili citatus, lib. de vera & falsa pœnitent. cap. 16. ubi dicit: Consideret qualitatem criminis, in loco, in tempore, in perseverentia, in varietate personæ, & quali hoc fecerit tentatione, & in ipsius vitij multiplici executione. Oportet enim pœnitere fornicantem secundùm excellentiam sui statûs aut officij, & secundùm modum meretricis, & secundùm modum operis sui, & qualiter turpitudinem suam peregit, si in loco sacro, aut cui debuit excellentiam fidei, ut sunt domus dominorum, & aliorum multorum. Si in tempore orationi constituto, aut in festivitate Sanctorum, & in tempore jejunij. Consideret quantum perseveraverit, & defleat, quod perseveranter peccaverit, & quanta victus fuerit impugnatione. Sunt enim qui non solum non vincuntur, sed ultrò se peccato offerunt: nec expectant tentationem, sed præveniunt voluntatem, & pertractant secum, quàm multiplici actione vitij delectabiliter peccent. Omnis ista varietas confitenda est, & deflenda, ut cùm cognoverit, quod peccatum est multum, citò inveniat DEUM propitium. Hæc Augustinus, vel quisquis Author sit, inter opera D. Augustini tom. 4. fol. 515. Et quia priores circumstantiæ à D. Bonaventura traditæ in posteriori continentur versu, secundùm hunc veluti communiorem eas examinabo, itaq;

Circumstantia Prima QUIS?

II. Quis particula quid significet?

Particula hæc tam infinitè, quàm relativè accipitur à Grammaticis, sed à Theologis hìc interrogativè juxta illud Esther 7. *Quis est iste, & cujus potentiæ, ut hæc audeat facere?* Porrò non significat ipsam personæ substantiam, quæ est operationis principium, utpotè quæ pertinet ad rationem essentialem actûs, qui sine operante aliquo esse non potest, sed significat hìc qualitatem, conditionem, & statum ipsius operantis, An scilicet sit persona publica vel privata? an laicus vel Ecclesiasticus? votò adstrictus, vel liber, conjugatus vel solutus, sanguine aut affinitate junctus vel non? Ad hæc enim

III. Quis vel quæ circumstantiæ sunt confitendæ.

Dico Primò: *Omnes istæ circumstantiæ Ecclesiastici statûs, voti, ligati, sanguine vel affinitate juncti, sunt necessariò confitendæ.* Est de fide & communis Theologorum.

 Proba-

Digitized by Google

Probatur: Tum ex D. Augustino supra citato: Tum ex Ratione: Tum quia omnes istæ circumstantiæ mutant speciem actus, ergo. Tum quia idem objectum & subjectum, consideratum secundùm varias considerationes & cōditiones potest esse materia diversarum artium & scientiarum, ergo etiam potest esse diversorum vitiorum & virtutum materia & objectum; Insuper materia indifferens per circumstantiam advenientem efficitur bona vel mala. Probatur consequ. Quia ex tali diversa consideratione diversificatur objectum formale & materiale, ratione cujus etiam diversificantur actus, hinc potest considerari Rachel ut uxor, & tunc est actus licitus: si consideretur ut aliena, est adulterium: similiter in dando potest considerari Rachel ut indigens, & erit actus misericordiæ: ut delinquens, & erit actus justitiæ vindicativæ. &c. verumtamen præter dictas circumstantias, de quibus non est difficultas, adhuc

De hac Circumstantia plura alia occurrunt dubia examinanda, Primò An circumstantia virginitatis addat specialem defo rmitatem primo actui fornicationis, saltem fœminæ? An ita, ut sit in confessione exprimenda? Secundò, An sponsi utrinq; fornicantes peccatum eorum aggravetur vel speciem mutet necessariò confitendum? Tertiò An sacerdos habens votum simul & sacerdotium gravius peccet, aut speciem peccati mutet? Quartò An circumstantia solemnitatis in voto castitatis speciem mutet, aut saltem notabiliter aggravet? Quintò An sacerdos plus & gravius peccet quàm diaconus? Sextò An circumstantia habitus vel consuetudinis aggravet peccatum & sit necessariò confitenda? Quæ omnia breviter hic resolvam, ordine quo præmisi. Unde

IV. Virginitas violata nō est necessariò confitenda.

Dico Secundò: *Circumstantia virginitatis in virgine liberè consentiente non est necessariò confitenda, benè tamen si fiat contra ejus voluntatem, quoniam stuprum est.* Ita Vasquez, Cajetanus &c. Probatur Primò: Quia peccatum hoc nec est contra specialem virtutem, nec specialem legem, vel difformitatem, aut objectum formale, ergo: probatur antec. Quia nec est contra justitiam, prout sunt adulterium, & raptus. Nec contra pietatem, ut est incestus, nec contra religionem, ut Sacrilegium, ergo. Confirmatur: Quia non distinguuntur specie à fornicatione simplici, nam violatio virginitatis corporalis non plus differt à fornicatione quàm primum peccatum à sequentibus. Probatur secunda pars. Quia hæc est injuria & violentia contra justitiam, adeóq; specialem habet malitiam, adeóq; necessariò confitenda.

V. Sponsi fornicationes suas debent confiteri.

Dico Tertiò: *Fornicantes sponsi cum alienis, & cum ipsis peccantes gravius peccant, & hæc circumstantia in confessione necessariò est exprimenda.* Ita Aretinus. Probatur: Tum, Quia sponsalia sunt inchoationes matrimonij, quibus sua corpora promiserunt onerosè sibi invicem, ergo injuriam faciunt suæ comparti: Tum, Quia femina facit gravem injuriam & turpitudinem sponso, quâ cognitâ acquirit jus quasi invitus eam repudiandi: Tum, Quia tales reddunt futurum matrimonium suspectum, ita quòd altera pars non abs fundamento suspicari possit de fide sui conjugis, quæ omnes sunt rationes profectò multùm aggravantes, si non planè speciem mutantes, Et si contra justitiam esse dixeris, jam speciem mutans erit.

VI. Sacerdos votum habens consulitur illud exprimere, nisi jam constet.

Dico Quartò: *Sacerdos habens votum castitatis adjunctum consultius exprimit utramq; circumstantiam, sicut etiam illam, quæ est solemnitatis.* Ita Suarez parte 3. disp. 22. sect. 4. Probatur: Quia hoc facilè est, securum & tutum in conscientia, nam licèt peccata non sint contra diversam virtutem, nec sacrilegia distincta, ob quæ speciem mutarent, attamen quia Authores diversificant, & aliqui affirmant, alij verò negant, ideò

ideò censeo tenēdum consultius esse, hoc tamen sic intelligendum est, si confessario alioquin non constet de qualitate personæ, quod si ipsam nosset, sicut noscuntur Religiosi, qui non habent necesse, quòd illas exprimant circumstantias. Nec denique puto necessariam esse exprimere ordinem ipsum sacrum, sed sufficere, si dicat, se in sacris constitutum in peccatum carnis lapsum fuisse. Per quæ patet ad 3. 4. & 5. Dubium

VII. Consuetudo per se non est necessariò confitenda

Dico Quintò: *Circumstantia habitûs, vel consuetudinis per se non est necessariò confitenda, quandoque tamen per accidens opus est.* Hæc est communis. Probatur prima pars, Quia consuetudo vel habitus, nec speciem mutat, nec notabiliter aggravat, imò peccatum subindè alleviat, cùm videlicet peccator velut quodam impetu illius rapiatur, frequenter affectans & desiderans seriò ab illa prava consuetudine emendare. Confirmatur: Quia si quis teneretur confiteri habitum, videretur, quòd peccata sæpè confessa teneretur reiterare & saltem implicitè de novo confiteri, quod tamen non est necessarium, quamvis teneatur non complacere, si memoriæ incidant, sed potius ea detestari. Probatur secunda pars: Quia ex habitu & usu potest confessarius quandoque colligere, an pœnitens sit verè dispositus ratione propositi de non peccando amplius ad absolutionem, si scilicet pœnitens non vitaret proximam occasionem, v. g. conservando apud se pellicem, ex quibus colligere potest confessarius, an verum dolorem, vel propositum habeat, ob quod absolutio sit impertienda, vel neganda, in tali casu, ergo habitus & consuetudo esset exprimenda.

2. QUID?

VIII. Quid circumstantia explicatur.

Quid, ex Doctore subtili 1. d. 25. q. un. §. Respondeo *Quandoque quærit definitionem, ut patet ex primo Topicorum: quandoque quærit illud, de quo aliquid dicitur, ut habetur 10. Metaph. textu. 7.* & in hac posteriori acceptione agitur hic de circumstantia *Quid*, unde significat ipsum actionis humanæ vel peccaminosæ objectum, unde potest etiam vocari circumstantia, *Circa quid* videlicet actio versetur; sed si *Quid* consideretur tanquam objectum operationis non habebit specialem rationem circumstantiæ, sed potius rationem materialem vel formalem constitutivam, vel specificativam peccati, unde

Dico Sextò: *Circumstantia QUId potissimum significat quantitatem & qualitatem, hac tamen cum differentia, quòd secundùm quantitatem non mutet speciem; benè tamen secundùm qualitatem.* Hæc est communis Theologorum, ut testatur Vasquez. Probatur prima pars: Quia quantitas multum facit ad augmentum malitiæ, ut patet, quando aliquis multum vel parum furatur, nam furari parum est veniale ratione materiæ, multum verò accipere est peccatum mortale, sed parvum & magnum furtum secundùm se speciem non mutant, ergo. Quod de furto dico, idem censeo esse tenendum de eo, qui multum vel parum lædit famam proximi, magnum vel parvum affert in bonis temporalibus vel corporis damnum: Qui parum vel multum est intemperans, hæc enim sunt ex genere suo & objecto mortalia, & consequenter tantùm ex parvitate materiæ venialia redduntur Undè notabilis circumstantia in furto, damnificatione, detractione &c. si non absolutè necessariò, tutius tamen & consultius, quamvis utrumque in mea opinione, est confitendum, nam contingere potest, quòd in furto quantitas aliquando duplum & quadruplum excedat infimum mortale furti peccatum, quamvis non desint alij Authores, qui putant aggravantem hanc circumstantiam non necessariò esse exprimendam, verùm non potest negari, quòd aliquando quantitas tantùm aggravet, quamvis ea, quæ speciem mutat, ut uno ictu occidere unum hominem in Ecclesia, & 20. in foro, percutere clericum diaconum, & percutere clericum Episcopum &c. Probatur secunda

IX. Quid circumstantia significat quantitatem & qualitatem.

pars: Quia ad qualitatem pertinet conditio personæ, an clericus sit vel laicus, liber vel conjugatus, sed has & similes qualitates mutare speciem peccati, & esse necessariò confitendas, manifestum & certum est, nam si actio vel sola delectatio versetur circa personam, v. g. haberet quis, aut desideraret habere commercium cum aliena, committit adulterium, si cum voto ad stricta, sacrilegium, si cum sanguine juncta incestum, si Patri matrive inferat injuriam, calumniam, vel inferre intendat, peccat contra pietatem. Idem est etiam de malis, quæ imprecatur parentibus, aut alijs, *Quid* scilicet devoverit illis, an corporis, malorum temporalium, aut æternorum, mortis vel gehennæ, hæc enim omnia sunt in confessione exprimenda, ex circumstantia *Quid* variante & mutante speciem. Idem similiter sentiendum de circumstantia mariti, uxoris, prolium, fratrum, sororum, unde non solùm exprimenda est circumstantia *Quis*, de qua supra, sed etiam *Quid*, seu circumstantia circa quid, & circa quam actiones vel desideria fuerunt versata, quia gravius peccat, si conjugatus cum conjugata, DEO dicatus cum sacra persona peccet vel peccare desideret, quia conjugatus fecit duplicem injuriam, scilicet uxori propriæ & marito complicis: Pari ratione Religiosus transgreditur votum proprium, & concurrit ad frangendam obligationem & fœdus, quam habet altera cum DEO, ubi duplex, si non specie, saltem numero est perfidia, & sacrilegium.

x. Quid circumstantia complectitur etiam effectus subsequentes.

Dico Septimò: *Ad circumstantiam* Quid *etiam reducuntur effectus subsequentes actionem humanam & peccaminosam.* Hæc etiam est communis. Probatur: Quia, ut dixi supra in tract. de Act. human. si talis effectus vel damnum consequens directè vel indirectè intendatur, certum est, quòd augeatur malitia, & ipsam actionem malam reddat, maximè si ille effectus natus sit per se subsequi actionem illam, & si aliquomodo prævideat, & non præpediat. Hinc qui jaculatur in feram, existimans tamen esse hominem, committit homicidium, quia ex intentione operantis hæc circumstantia fuit annexa operi, licèt materialiter homicidium non fuerit perpetratum. Eadem ratione qui volens occidere hominem, aut aliud quodpiam peccatum perpetrare, ut compendiosori perveniat viâ, conculcat segetes, vineam, aut aliud inferat damnum, peccat gravius, & non solùm tenetur hoc confiteri, sed etiam pro qualitate damni restituere, quamvis damnum directè non intenderit, quia tamen ex occasione illius itineris damnum prævidit, & prævidere debuit. Item qui dat scandalum activum proximo, peccat singulariter, & quidem eo genere peccati, quod proximus incurrit, quia ex præcepto divino nulli proximo præbendum est scandalum, & nullus ex præcepto dilectionis potest dare proximo occasionem ruinæ spiritualis, quoniam probi viri non tantùm malum cavere, sed etiam omnem mali speciem vitare, unde D. Paulus admonet Thessalonicenses cap. 4. *Rogamus vos --- ut honestè ambuletis qui foris sunt, & nullius aliquid desideretis*, si tamen scandalum ex alterius malitia proficiscatur, à nullo bono opere abstinendum, nec etiam ab indifferenti, maximè si proximus debitè informetur de ratione recti facti, hoc facto nemo obligatur à cessante aliquo opere commodo vel utili, propter alterius malitiam, sicut in pluribus casibus potest contingere. Quod dixi de malitia actûs peccaminosi, hoc etiam potest applicari ad bonitatem actûs moralis, si bonus effectus intendatur, & ad hoc laboret & conetur, quamvis effectus ipse non subsequatur, ut patet de martyrio in voto & desiderio, ac labore ad illud consequendum adhibito, *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem*, ait D. Paulus 1. Corinth. 3.

3. UBI?

Ubi significat locum, An operatio

tio & actio facta sit in loco sacro vel profano? An in publico vel privato? nam si in loco sacro contingat fieri opus, si de se malum est, participabit novam speciem malitiæ, si de se est indifferens, rarò à loco intra eandem speciem ut circumstantia multum aggravabit, citius tamen speciem mutabit.

XI. Ubi aliquando constituit peccati speciem & aliquando mutat.

Dico Octavò: *Ubi, seu locus aliquando habet virtutem & rationem formalem specificandi actum, aliquando verò mutat speciem, & aliquando verò non auget graviter malitiam actûs.* Hæc est Cajetani contra Joannem Medinam lib. de confess. in speciali existimantem omne peccatum commissum in loco sacro habere specialem malitiam, necessariò in confessione exprimendam. Probatur quoad singulas partes, & quoad primam: Quia certum est celebrationem Missarum esse rem sacram & sanctam DEO placentem; Administratio judiciorum est negotium rectum; & captio homicidæ est justa: sed ratione loci hæc omnia fieri possunt mala, ergo in illis casibus *ubi*, seu *locus* habet virtutem specificandi actum: probatur min. Quia celebratio missæ in loco profano est illicita: Exercere judicia forensia in Ecclesia absq; necessitate est prohibitum, & confugientem ad Ecclesiam tanquam ad asylum extrahere est sacrilegium, & grave peccatum contra immunitatem Ecclesiasticam, ergo ista sunt mala, & consequenter ubi non habebit solùm rationem circumstantiæ, sed etiam rationem specificativam, quamvis sit circumstantia actûs secundum esse physicum.

Probatur Secunda pars: Quia si actus alioquin de se sit malus, & committitur in loco sacro mutat speciem malitiæ propter reverentiam loco sacro debitam ex virtute Religionis, ergo: probatur antec. enumerando plures casus: Nam furtum in Ecclesia factum est sacrilegium, non tantùm si res ablata sit sacra, sed etiam si sit profana, dummodò ex sacro loco auferatur, & ad sacrum locum aliqua ratione pertineat, v. g. si res sit ad Ecclesiæ usum vel ornamentum accommodata, vel si sit ad Ecclesiæ custodiam recommendata, & ad observandum tradita. Similiter effusio voluntaria seminis vel sanguinis notabilis & peccaminosa sunt sacrilegia, unde occidere quempiam, graviter vulnerare, etiam propriam uxorem sine urgente aliqua necessitate cognoscere in Ecclesia peccatum est in confessione explicandum. Dico tamen sine urgente gravi necessitate, unde si conjuges ad Ecclesiam tempore obsidionis confugerent, in qua diutius morari compellerentur, possunt sibi invicem reddere & petere debitum ad evitandam fornicationem ex virtute justitiæ, si verò tantùm per parvum aliquod tempus ibi essent mansuri, propter reverentiam loco sacro debitam non possent facere. Unde hoc, quod dixi de conjugibus potius pertinet ad primam Conclusionem.

Probatur Tertia pars. Quia cogitationes peccaminosæ v. g. velle notabiliter cuidam sæculari domino furari extra Ecclesiam, velle fornicari &c. non videntur augere malitiam volitionis peccaminosæ, saltem graviter, quoniam respectu actûs interni locus sensibilis valdè accidentalis est, & ipse parum violatur tali actu. Si verò cogitationes illæ sibi formarent pro objecto illas actiones in Ecclesia patrandas omninò mutarent speciem, & augerent malitiam, atq; forent necessariò in confessione exprimendæ. Sed

XII. Oscula & tactus impudici in Ecclesia facti sunt confitendi.

Quæres: Quid sit sentiendum de osculis & tactibus impudicis, venereis in Ecclesia factis, an mutent speciem, & sint in confessione exprimendi? Respond. Mihi probabilius & tutius videri cum Sylvestro Con. 5 §. 1. omninò confitendam esse hanc circumstantiam, Quia graviter lædunt sanctitatem & reverentiam loco sacro debitam, & frequenter habent pollutionis, & malitiosæ effusionis seminis periculum annexum: Tum,

Tum, Quia etiam confabulationes in Ecclesia factæ reprehenduntur, Etsi Christus Dominus vendentes oves, boves, & columbas ejecit ex templo Lucæ 19. *Domus mea, domus orationis est, vos autem fecistis speluncam.* Adonidis & Veneris delicitias exercentium. Nec obstat, quòd de his non extet speciale aliquod præceptum, quia sufficit hoc, quòd sancta sint sanctè tractanda, unde etiam apud Ezechiel cap. 8. reprehenduntur mulieres in templo *plangentes Adonidem.*

XIII. Locus sacer quis sit?

Pro majori dictorum intelligentia Notandum: Locum sacrum intelligi omnem illum & solum, qui per consecrationem Episcopi, vel alicujus alterius potestatem habentis divinis officijs est deputatus, hinc privatæ capellæ nondum consecratæ, licèt in illis celebrentur sacra, item campanile Ecclesiæ, dormitoria, & aliæ officinæ monasteriorum non intelliguntur hic nomine loci sacri, & consequenter peccata talia ibi commissa non contrahunt specialem malitiam in confessione exprimendam, saltem vi juris Ecclesiastici. Similiter si quis supra tectum Ecclesiæ, vel in cœmeterio ei contiguo effunderet sanguinem, vel semen non pollueretur Ecclesia, quia accessorium non trahit ad se principale, econtra verò pollutâ Ecclesiâ manet pollutum etiam cœmeterium, *ex cap. 1. de Consecrat. in 6.*

4. *Quibus Auxilijs?*

XIV Auxilijs quibus qualis circumstantia.

Concausæ peccatorum, & instrumenta dicuntur hic auxilia, possunt enim tam homines, quàm quælibet aliæ res esse concausæ, & concurrere ad peccatum perpetrandum. Pro quo

Dico Nonò: *Instrumenta materialia concurrentia ad peccatum perpetrandum non sunt de se necessariò in confessione exprimenda, humana verò, seu homines, si qui ad peccandum sua culpa inducti fuerint, sunt confitenda.* Hæc est communis & colligitur ex Suarez disp. 22. de integrit: Confessionis, Medinæ &c. Et Probatur Primò: Quia physicæ res non mutant, nec aggravant speciem, unde parum refert, seu gladio, seu sclopo occideris hominem; similiter nihil interest, sive per scalas, sive per funes ascenderis fenestram ad furandum, ergo. Dixi tamen *de se.* Quia in duobus casibus potest oriri obligatio exprimendi in confessione, primò si illud instrumentum speciali præcepto esset inhibitum, ex hac enim prohibitione actus haberet specialem malitiam. Secundò si propter instrumentum gravius damnum & nocumentum proximo esset illatum, ratione cujus peccatum traheret gravem sequelam, & fieret nimis caudatum.

Probatur secunda pars: Quia peccata, ad quæ homines concurrunt, ex natura sua exigunt complicem, vel non: Si complicem exigunt, ut in fornicatione, non est ultra exprimendum aliquid præter fornicationem, hæc enim sine socio non fit, nisi ad hoc peccatum induxisset socium: Vel illa peccata non exigunt complices concausas, ut est in furto, homicidio &c. Si auxiliantes de se fuerunt parati, & de se concurrerunt, & tunc non est necesse exprimere socios criminis, quia hoc nihil refert ad declarandum proprium delictum: si autem socius ad hoc fuerit inductus, semper est declarandum, Quia tunc intercedit malitia scandali, quæ particulariter est confitenda, ad quamcunque speciem postmodum reducatur, adeoque ubicunque socius & auxiliator ad peccandum fuerit introductus, exprimendum est etiam in illis peccatis, quæ sine socio committi nequeunt.

Unde Medina in sua instructione duos refert casus: Primò si instigavit, incitavitque aliquem ad opem sibi ferendam in peccato, & si ex tali incitatione subsecuta est ruina talis personæ seu scandalum, utpotè quæ alioquin ad tale peccatum de se non erat parata. Secundò, si princeps Christianus ad bellum quæsivit auxilia & opera infidelium ad debellandos

dos Christianos. Denique potest ipsa quoque persona inducta considerari secundùm suum proprium statum, ratione cujus actio ipsi esset particulariter prohibita, ad quam fuit inducta. Alia nullam habet difficultatem.

5. *CUR?*

XV. Cur & finis qua ratione sit circumstantia.

Cur idem est, *Propter quid*, & significat finem peccati, & cujuscunque actionis humanæ, de quo, quia in tractatu de actibus humanis jam satis dixi, quomodo, & qua ratione influat bonitatem & malitiam in actus humanos, hic breviter resolvendum est, quando *Cur*, seu finis habeat rationem circumstantiæ. Pro quo

Dico Decimò: *Cur, seu finis non potest habere rationem circumstantiæ, nisi quando est actui extrinsecus, & præsupponit jam speciem malitiæ constitutam in alio genere.* Ita Suarez disput. 22. supra Vasquez &c. Probatur: Quia finis intrinsecus habet rationem objecti, ergò finis, si est circumstantia, debet inesse actui alicui malo, ut contingit, quando quis furatur propter fornicationem, occidit propter adulterium, & tunc certum est finem, augere malitiam, imò addere novam speciem distinctam. Quomodo autem cognosci possit circumstantiam *Cur* & finem habere rationem circumstantiæ, videtur mihi optima regula ista: Quando unus actus potest manere sine altero, tùnc prima ratio actûs est specifica illi actui, & malitia, quæ ex alio fine supervenit, quæque rationem conditionis habet, erit accidentalis finis, licèt in se novam speciem constituat, priori tamen actui est accidentalis & circumstantionalis. Exempla allegata de furto & homicidio clarè id demonstrant; nam furtum & homicidium possunt esse sine actibus posterioribus, & posteriores actus licèt habeant suas rationes formales specificas & distinctivas, tamen prout superveniunt priori actui sunt accidentales. Hinc hanc regulam infero, universaliter circumstantiam finis esse confitendam, quando finis est prohibitus sub mortali culpa, aliàs verò non, si verò nullum sit peccatum, aut saltem veniale, non necessariò est exprimenda, quod patet, quia ut docet Soto, si quis confitetur ob vanam gloriam, in confessione sequenti hæc circumstantia finis non esset necessariò dicenda, quia confessio illa fuit valida, fructuosa, & præcepti impletiva: Si tamen quis confessus fuisset hoc fine, ut alterum alliceret secum ad peccandum subministrando stimulos, quia cùm tunc dolor defuerit, firmum & absolutum propositum se emendandi, confessio fuit invalida. Similiter si quis omittat sacrum, ut domi possit liberius fornicari, confitendum est: Si verò omittat idem sacrum ut studeat, necesse non est in confessione hoc exprimere.

6. *QUOMODO?*

Hæc circumstantia quærit de modo, quô peccatum fuit commissum, modus autem ordinariè non mutat substantiam rei, cujus est modus: qui, quantùm ad præsens attinet, triplex est secundùm intensionem, extensionem, remissionem, & continuationem. Secundus est quoad ignorantiam, passionem, malitiam, vel contemptum. Tertius verò est quoad consuetudinem aut violentiam, hos autem modos posse augere, vel minuere malitiam peccati mihi videtur indubium, nam gravior est rapina quàm furtum, stuprum quàm simplex fornicatio, peccatum ex malitia factum, quàm ex ignorantia, unde quæritur hic, an omnes modi hujus circumstantiæ *Quomodo* sint in confessione explicandi, pro quo generalem pono regulam, &

XVI. Modi circumstantiarum diversi.

Dico Undecimò: *Modi committendi peccatum, quæ non constituunt novam malitiæ speciem, non sunt necessariò per se confitendi, benè tamen qui talem apti nati sunt constituere.* Hæc est D. Thomæ 1. 2. q. 18. art. 11. Vasquez &c. Probatur prima pars: Quia tales modi ex natura sua non habent specialem ordinem ad bonum & malum, ergo non sunt necessariò

XVII. Modi qui confitendi.

sariò confitendi: patet antec. Ex paritate intensionis & extensionis, in qualitatibus quia non variatur v. g. ratio caloris, ergo nec per hoc, quod actus extensè fiat extrinsecè, vel intrinsecè intensè fit volitus, nullius malitiæ particularis habet rationem, sicut nec in qualitatibus, nisi supposità primâ malitiâ, ergo. Confirmatur: Quia parvum & magnum nihil tribuit actui bono, nisi ipse supponatur bonus esse, ergo nec peccato, sive addatur parvum vel magnum, intensum vel remissum.

Unde per accidens contingit, quòd aliquando debeant exprimi, tum ut pœnitentis statum Confessarius debitè cognoscat, an verum dolorem habeat, an verè graviter peccaverit vel leviter, quare si aliquis ex ignorantia invincibili aliquem actum de se sub mortali prohibitum fecisset, dicenda foret ignorantiæ circumstantia, quia hæc rationem peccati tollit. Item explicandum foret modus consentiendi, an deliberatè vel indeliberatè, v. g. an in cogitatione morosa fuerit incidentalis simplex complacentia, an desiderium ipsius operis.

Probatur secunda pars: Quia sunt aliqui modi ex supra dictis, qui secundùm se apti nati sunt constituere specialem malitiam, ut sunt malitia *contemptiva*, *violentia*, *continuatio* actus exterioris, interrupta interna voluntate, sunt confitendi, quia isti modi omnes possunt contribuere actui specialem & specificam malitiam, ut sunt contemptus & violentia, vel saltem numericam, ut est continuatio alicujus actûs extrinsecè, interrupta voluntate.

Hinc infero, quamvis omne peccatum factum cum perfecta deliberatione, & plena libertate sit peccatum ex malitia, hæc non est confitenda, seu non est opus dicendum peccavi ex malitia, cùm non variet, nec particulariter aggravet, si tamen malitia sit *contemptiva*, tunc exprimendum foret, quia hæc circumstantia habet specialem deformitatem respectu divinæ majestatis, cujus supremum dominium contemnitur. Secundò hæc circumstantia veniale transfert ad mortale, unde si quis in Evangelij aut Christi Domini contemptum, loqueretur libenter otiosum verbum vel mendacium, peccaret lethaliter. Tertiò, hæc circumstantia præbet actui indifferenti primam suam malitiam, unde occidere pediculum in contemptum DEI gravissimum foret peccatum.

Infero Secundò: Quamvis desiderium vehemens internum, quod difficulter cognoscitur secundùm suam propriam rationem, non sit necessariò in confessione exprimendum, actus tamen externus cum violentia damnificante factus est confitendus, quia habet particularem malitiam latrocinij an̄exam, undè rapere rem alienam violenter est rapina, distincta species; oppressio fœminæ stuprum; à se occisum corpus humanum in partes secare, ludibrio exponere, est feritas, & specialis malitia juxta D. Thomam 22. q. 159. art. 2. & habet rationem novæ injuriæ, quæ etiam in corpore occiso fieri potest.

XVIII. Continuatio peccati qualis confitenda.

Infero Tertiò: Continuationem longam interrupta interna voluntate confitendam esse, quia hæc continuatio interrupta auget peccatorum numerum, toties enim renovatur peccatum, quoties actum peccaminosum voluntas reassumit, quod si verò actus aliquis extrinsecè & naturaliter interrumperetur, voluntas autem internè continuet, non est necessariò confitendum tanquam novum peccatum, vel novam malitiæ speciem, unde si quis fornicari volens continuet actum volendi, uno peccato peccabit, licèt per aliquos actus externos, ut locutiones, bibitiones, & alia interrumpatur. Et hæc doctrina quoad tales breves interruptiones mihi videtur probabilissima, imò etiam quoad longiores, quæ ex natura sunt tales, ut sunt comestio, bibitio &c. si autem aliæ naturales interruptiones, quæ distantiam

tiam actuum causant majorem, intercesserint, consultius æstimo, etiam talem continuationem exprimendam, non quidem ex obligatione, sed quia talis circumstantia continuationis, v.g. per diem integrum continuare actum volendi fornicari, est circumstantia valdè aggravans. Quod si verò aliquis cõtinuaret actũ volendi fornicari, adulterare, aut etiam occidere per septimanam, aut mẽsem, ajo talem ex obligatione esse exprimendam, non tantùm ob gravitatem circumstantiæ, sed etiam, quia in tanta continuatione intercedunt morales plures interruptiones & interruptivæ principiationes novæ in voluntate. Tum, quia videtur impossibile, quòd talis non interruperit hanc voluntatem etiam physicè, seu quin posuerit aliquos tales actus, qui ex naturâ suâ sunt tales, quòd priorem voluntatem interrumpant; Tum, quia ipsa cessatio actûs mali per somnum, aut aliquid simile est absoluta interruptio physica, atq; adeò peccatorum internorum multiplicatio realis & numero, & consequenter non tanquam circumstantia, sed tanquam numerus exprimenda: Tum deniq;, Quia si taliter continuans unum actum, non diceret continuationis diuturnitatem, confessarius non posset debitè cognoscere statum pœnitentis, cùm experientiâ constet, rudiores homines rarò numerum determinatum exprimere, vel exprimere posse, unde prudens confessarius totam notitiam necessariam ad clavium exercitium per cognitionem temporis, moræ, & continuationis acquirere debet, interrogando pœnitentem de tempore confessionis, de usu, & consuetudine peccandi, de more &c. Insuper contingit, quòd etiam interrogati pœnitentes, conjectando tantùm quid exprimunt, quia tacere erubescunt, vel quia à molesta interrogatione se liberare volunt, unde confessarius prudens ex notitia temporis elapsi ab ultima confessione, durationis peccati, frequentiæ, vivendi modo, & genere &c. peccatorum calculationem colligere, & dijudicare debet, & formare judicium tale, quale poterit de peccatorum numero, cùm determinatum habere non possit, quare ad omnem supplendum & præveniendum defectum adlaboret, ut pœnitens seriam eliciat contritionem, detestationem, quantum potest, perfectam eliciat, firmúmq; faciat propositum tam peccata quàm omnes vitandi occasiones. Vide quæ dixi de numero peccatorum supra, & de habitu, ac consuetudine in hac eadem quæstione in circumstantia *Quis?*

7. QUANDO?

Ultima circumstantia est de Tempore, quando opus fuerit perpetratum, & peccatum commissum, quod aliqui parvi pendunt, & nihil aggravari peccata putant, cùm tamen tempus aptum natum sit dare primam malitiam peccato, ut patet in violatione jejunij diebus vigiliarũ, & quadragesimæ tempore: de violatione sabbati tam per opera servila exercita positivè, quàm per omissum cultum divinum non audiendo sacrum diebus dominicis & festivis, aut non communicare in Paschate. Et deniq; celebrare Missam die Veneris sancto, & tempore interdicti, quare ergo tempus non posset augere malitiam peccati, cùm plus videatur violari diei sanctitas per peccatum, quàm per quodcunq; opus servile. XIX. Tempus actionibus dare potest primam malitiam.

Porrò non aggravari peccatum per dies festivos, tenent Sylvester in sua aurea Rosa super Evangelium, Et in Summa, item Cajetanus, Tabiena, Cano, Soto de justitia & jure lib. 2. Almainus & Navarrus, qui plures alios in suam sententiam trahere conantur. Econtra verò S. Thomas, quamvis in oppositum citetur, mox citandus, S. Bonaventura, Alexander Alensis 3. p. q. 32. memb. 5. art. 2. S. Albertus Magnus 3. d. 37. Gerson Alphabet. 31. Nicolaus Lyranus super illud Matth. 12. *Si licet Sabbato curare*, Adrianus, Gabriel, Abulensis & plurimi alij, quos citat & sequitur noster Corduba lib.

 1. q. 6.

1. q. 6. tenent circumstantiam diei festi omninò augere malitiam peccati in tantum, quòd etiam necessariò hoc in confessione sit exprimendum, cum quibus

XX. Festivitas diei auget malitiam peccati.

Dico Duodecimò: *Circumstantia festivi & solemnis diei DEO consecrati, si non mutat speciem, auget profectò malitiam in peccato mortali, ita quòd in confessione hoc sit exprimendum.* Ita Doctores pro secunda sententia citati, & Probatur primò quoad primam partem, scilicet quòd speciem mutet, & particulariter peccetur contra præceptum de sanctificando Sabbato ex Scriptura Exodi 20. *Memento ut diem Sabbati sanctifices*, in quem locum dicit S. Augustinus tract. 3. in Joann. tom 9. *Observa diem Sabbati, magis nobis præcipitur: quia spiritaliter observandum præcipitur. Judæi enim serviliter observant diem Sabbati, ad luxuriam, ad ebrietatem. Quantò melius fœminæ eorum lanam facerent, quàm illo die in neomenijs saltarent. Absit fratres, ut illos dicamus observare Sabbatum. Spiritaliter observat Sabbatum Christianus abstinens se ab opere servili. Quid est enim ab opere servili? A peccato. Et unde probamus? Dominum interroga: Omnis, qui facit peccatum, servus peccati est. Ergo & nobis præcipitur spiritaliter observatio Sabbati.* Sed Judæus peccat mortaliter servilia faciendo in Sabbato, ergo si peccans magis violat Sabbatum, majus peccatum committet.

Et ego ex hac sic argumentor: Hoc præceptum est affirmativum præcipiens sanctificationem hominis, & cultum latriæ interioris per fidem & charitatem eo die eliciendum, ergo hoc eodem præcepto inhibetur omne contrarium & impeditivum sanctificationis & cultûs divini, tanquam finis specialis extrinseci, imò etiam intrinseci ab ipso legislatore intenti. Probatur consequentia: Tum, quia finis præstat omnibus illis, quæ sunt ut media: Tum quia ille, qui tollit finem præcepti, tollit & respuit bonum præcepti, quia reddit ipsum præceptum inutile & inane, & consequenter illud vitiat, atque consequenter interpretativè contemnit: Tum quia Innocentius XI. damnat hanc propositionem: *Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem*, quæ est numero 55. sed non alia ratione, nisi quia sacrilega manducatio est impeditiva finis præcepti tam Christi, quàm Ecclesiæ, ergo. Hinc non satis consequenter loquitur Cajetanus, qui oppositum tenens tamen in summula *titul. festo: Violatio*: dicit: Is, qui voluntariè distractus & ad alia intentus audit sacrum, non implet præceptum, sed potius facit contra præceptum de audienda Missa, quia, sunt ejus verba, agit contra intentionem Ecclesiæ præcipientis audire Missam, ut habeat homo attentionem, ut sic oret, & offerat cum sacerdote & per illum, ubi particulariter sunt notanda verba illa, quia agit contra intentionem & finem præcepti, & præcipientis, hinc subsumo ad totum argumentum, sed omne peccatum est impeditivum finis præcepti de sanctificando Sabbato, ergo qui in illo peccat specialiter illud frangit & violat per quodcunque peccatum alio præcepto jam prohibitum.

Dices, S. Augustinum, ibi supra, in cujus authoritate se fundant Angelicus & Seraphicus Doctor, non esse intelligendum, quòd illa circumstantia sit gravius peccatum atque mortalis, sed quod aggravatum ex illa & ex peccato tum commisso est gravius, quàm si mechanicè in festo laboraretur. Respond. 1. Hanc responsionem concedere saltem secundam partem conclusionis, si ergò illud peccatum aggravatum est ex circumstantia festi, & quidem notabiliter, ergò erit in confessione exprimendum. Respond. 2. neg. Glossationem Cajetani, Quia nisi Augustinus vellet, quòd illa circumstantia mortaliter aggravaret, non reprehenderet tam acriter illud peccatum magis tunc, quàm alia die commissum, quia igitur Augustinus propriè

&ve-

& verè locutus est, non potest aliter intelligi, nisi quod comparando solam injuriam aut gravitatem violationis festi, quæ fit per peccatum mortale tunc commissum, ad violationem festi per opus mechanicum, censet graviorem esse primam quàm secundam, aut saltem æqualem, & contra sanctificationem Sabbati, ut ita doceret, quod à Sabbati violatione hoc & illo modo cavendum esset.

Probatur Secundò: Authoritate Patrum D. Augustini supra, quem etiam D. Thomas & S. Bonaventura infra citant: Ambrosij super illud Lucæ 13. Archisynagogus indignans, quòd JESUS Sabbato curâsset, ait: *Lex in Sabbato non hominem curare, sed servilia opera facere, id est, peccatis gravari, prohibet.* Et habetur in Glossa ordina. ibidem. Item Glossa, Marci 1. & 3. Si licet Sabbatis benè facere, ait: *Opus servile peccatum est, à quo docet nos Christus Sabbato abstinere* D. Thomas 22. q. 122. art. 4. ad 3. sic ait: *Alia opera servilia, scilicet mechanica, & peccata contrariantur observantiæ Sabbati, in quantum impediunt applicationem hominis ad divina, & quia magis homo impeditur à rebus divinis per opus peccati, quàm per opus aliàs licitum corporale & mechanicum, imò magis contra hoc præceptum agit, qui peccat mortaliter in die festo, quàm qui corporale opus aliàs licitum facit, unde Augustinus de decem cordis ait: melius faceret Judæus.* Hæc S. Thomas, & paulò pòst subjungit: *Qui autem peccat venialiter in Sabbato, non facit contra hoc præceptum, quia peccatum veniale non excludit sanctitatem.* D. Bonavent. 3. d. 37. in Glossa marginali supra textum Magistri §. 6. & 7. dicit: *A fortiori opera carnalia & ebrietas, lites & jurgia, quæ maximè repugnant spiritûs libertati, nè homo DEO vacet, dicuntur, suntque opera servilia, & in hoc præcepto potius probibita quàm opera mechanica, & quàm negotia terrena, quæ animum distrahunt, nè homo intendat divinis secundùm Augustinum de decem cordis: melius faceret Judæus &c.* Ergò qui mœchatur vel fornicatur non solùm contra sextum præceptum, sed etiam contra tertium præceptum primæ tabulæ peccat. Sed pro Cajetano

Dices Sanctos Patres loqui mysticè & moraliter de sanctificando Sabbato, non verò litteraliter, unde præceptum morale de cavendo omni peccato in Sabbato, non est præceptum speciale, sed generale, & generale præceptum est irreverentia DEO facta & ingratitudo, quæ violantur per quodcunque peccatum, atqui facere contra unum præceptum litteraliter & propriè intellectum, & simùl contra aliud mysticè & moraliter sumptum, non est duplex peccatum formaliter, & circumstantia alterius speciei, ut patet de ingratitudine, irreverentia &c. ergo nec in hoc præcepto Sabbati mysticè intellecto. Respond. neg. maj. Cùm enim Sancti Patres expressè dicant, quòd in festo prohibeatur peccatum, sicut, aut magis, quàm opus servile & mechanicum, atqui opus servile per hoc præceptum inhibetur tanquam per particulare & speciale præceptum litteraliter sumptum, ergò etiam omne peccatum non solùm mysticè, sed etiam litteraliter est contra præceptum de sanctificando Sabbato, adeoque etiam specialiter prohibetur.

Probatur conclusio Tertiò: Ratione D. Thomæ: Opera servilia in tantum sunt prohibita, in quantum sunt impeditiva sanctificationis Sabbati, ergò etiam peccata in quantum eandem impediunt. Probatur antec. Quia circumcidere, sacrificare, mactare hostias, portare arcam, & hujusmodi manualia opera non solùm erant antiquitus in Sabbato licita, sed & præcepta, non alia ratione, nisi quia hæc pertinebant ad cultum divinum latriæ, & sanctificationem diei, unde Christus de circumcisione in Sabbato dicit Joan. 7. *Si circumcisionem accipit homo in Sabbato, ut non solvatur lex Moysi: mihi indignamini, quia totum hominem Sa-*

sanum fecit in Sabbato, ergo opera servilia in tantum sunt prohibita, in quantum impediunt sanctificationem diei, sed omne peccatum impedit, ergo est specialiter prohibitum in die festo.

Probatur Quartò: Omnis injuria & irreverentia loco & tempori sacro illata est ut sacrilega jure divino & naturali specialiter prohibita, sed per omne peccatum mortale in festo commissum fit prædicta injuria tempori sacro, ergo specialiter si non mutat speciem, saltem malitiam & sacrilegium efficit: major patet: Quia si quis in propria domo existeret velle fornicari absoluta voluntate in sacrilegium committeret, & teneretur ad confitendam hanc circumstantiam, imò Medina & alij existimant etiam sacrilegium committi ab illo, qui in Ecclesia existens vellet fornicari in domo sua, ergo etiam specialiter peccat, qui fornicatur, vel aliquod aliud grave peccatum impeditivum cultûs divini committit, quod addo ideò, quia si quis sola cogitatione peccaret, fortè non graviter peccaret, à veniali tamen particulari malitia non esset omninò tutus aut liber, veniale tamen sanctitatem diei non violat.

Dices cum Sylvestro: Licèt per peccatum mortale fiat aliqua injuria tempori sacro, & indè peccatum illud fit gravius quàm alio tempore commissum, quod nullus negat, id tamen non fit directè & per se, eo videlicet, quòd tali tempore sit specialiter ullo jure particulari prohibitum, sed ex suppositione, quia scilicet aliàs per aliud præceptum tale peccatum pro omni tempore prohibitum est, ideò talis irreverentia temporis sacri non est contra aliquod speciale præceptum de non faciendo irreverentiam tempori sacro: nisi ipsum tempus sacrum habeat pro objecto, cùm quis in contemptum festi peccaret, ita ille. Sed Respond. Hanc replicam denuò probare alteram partem conclusionis, unde si aggravat, & quidem pro solemnitate festi necessariò confitendum erit, quia erit irreverentia gravis, & non levis, maximè si fuerit tale peccatum ut est fornicatio, adulterium, aut etiam furtum, quia hæc exterius notabiliter impediunt libertatem Spiritûs, nè homo vacare possit DEO, & ita sentit S. Bonaventura supra. Respond. 2. neg. antec. Nam licet mœchari, furari sub his rationibus sint prohibita specialibus præceptis hæc vetantibus, adhuc tamen prohibentur etiam specialiter fieri in Sabbato per præceptum de eo sanctificando, ut homo liberius & expeditius vacare DEO suo possit, quod illud præceptum specialiter intendit, quódq; peccatum mortale plurimum impedit, unde est festiva solemnitas talis circumstantia, quæ secundùm se importat disconvenientiam ad rectam rationem, ideò ponit in actu specialem rationem peccati distinctam ab ipso peccato, quia ibi sunt plures difformitates specificæ, quarum una non est per se determinativa alterius, unde peccatum in tempore sacro commissum ponit distinctam difformitatem à peccato v. g. adulterij non minus quàm sacer locus, nam furtum & adulterium etiam fieri possunt extra diem festum, & festum etiam potest violari alio modo, quàm per furtum, consequenter unum aliud non infert. Hinc

Probatur Quintò: Strepitus juris & exercitia judicialia tam benè fieri prohibentur diebus festivis, quàm in loco sacro, non aliâ ratione, nisi propter reverentiam diei sacro debitam, ergo sicut sacrilegium est in Ecclesia facere illos actus, ita etiam in tempore sacro, unde Extra: de ferijs cap. 1. dicitur *Dies dominici cum omni observatione venerari debent.* Tum, quia si in fornicatione libidinosa domi occupatus die dominica omitteret sacrum, sufficeret dicere in confessione sine causa: *omisi sacrum*, atqui hoc non sufficit, quia hæc omissio est turpissima, quod propter voluptatem carnalem omiserit cultum DEO debitum præstare,

ergo hæc circumstantia addit specialem malitiam. Sed in contra

Arguitur Primò: Præceptum de sanctificando Sabbato est religionis & non charitatis, sed non omne peccatum mortale contrariatur virtuti religionis & cultûs divini, ergo per peccata in Sabbato commissa non violabitur sanctitas Sabbati: maj. patet. probatur min. Quia adulterium, furtum, perjurium, &c. Sunt contra religionem, ergo. Respond. concessa min. distin. min. non contrariatur virtuti religionis secundùm materiam & objectum, conc. min. Secundùm finem à præcepto intentum, neg. min. & consequ. licet enim adulterium & furtum in materia non sit contra hoc præceptum, memento diem Sabbati sanctifices, tanquam specialiter hæc materia hoc præcepto sit prohibita, est tamen hoc præcepto inhibitum, in quantum finem sanctitatis diei & hominis à DEO intentum impedit, unde sub hac ratione est specialiter prohibitum.

Instatur: Hinc sequeretur, quòd nullus in die dominico peccans mortaliter, possit uno solo peccato peccare, quia quocunq; mortali commisso peccaret etiam contra præceptum de sanctificando die Sabbatino, sed hoc videtur absurdum, & nimis grave, ergò. Respond. 1. neg. sequelam: Quia faciendo opera servilia die dominico, & non audiendo Missam semel tantùm peccaret, quia hæc non adversantur contra ullum aliud præceptum, & extra dies festos licitum est facere opera mechanica, nec obligatio ulla ad audiendam Missam, sed hoc nemo dicet, ergo. Unde Respond. 2. distin. majo. sequeretur &c. quòd nullus posset in die festo peccare uno solo peccato, quando peccatum illud versatur etiam in materia & objecto alterius virtutis & præcepti, conced. maj. tunc enim unum peccatum mortale foret contra objectum & materiam alterius virtutis, & alterum contra alterum divinum contra sanctitatem diei Sabbati non violandi. Sequeretur &c. quòd non posset peccare uno solo peccato, si contra solam materiam tam materialis & formalis præcepti de sanctificando Sabbato versaretur, neg. maj. & distin. similiter min. nego consequentiam.

Arguitur Secundò: Agere contra finem præcepti non prohibetur ipso præcepto, ergò licèt peccatum mortale sit contra finem præcepti de sanctificando Sabbato, non prohibetur hoc præcepto: Probatur antec. ex Medina, & Cajetano: Non peccat contra præceptum jejunij, qui in vigilia v. g. comedit una vice cibos non prohibitos excessivè, sed talis ageret contra finem præcepti, nempè contra temperantiam illo præcepto intentam, ergò agendo contra finem non agitur contra præceptum etiam in die festo. Respon. distin. antec. Agere contra finem non prohibetur ipso præcepto finis principalis & specialiter intentus, neg. antec. finis aliquis minus principaliter intentus, conc. antec. ad cujus probationem dico Covarruviam econtra affirmare excessivè se ingurgitantem, & infarcientem se cibis peccare contra præceptum jejunij, & credo nec Cajetanus diceret posset talem non agere contra præceptum jejunij formaliter considerati, licèt materialiter consideratum præceptum alteram tantùm refectionem prohibeat, supponit tamen illam debere esse moderatam. Et dato etiam, quòd jejunium in casu non frangeretur, est tamen magna disparitas in hoc & in altero præcepto, quia in violatione præcepti de jejunio non tollitur omnis finis principalis specialiter intentus, nam per jejunium cum unâ refectione adhuc introducitur habitus temperantiæ ad non manducandum, nisi cibos licitos, horis constitutis, & una refectione contentari, quæ omnia ad temperantiam disponunt. Item præcepto jejunij intendit Ecclesia principaliter humilem subjectionem & reverentiam, unde humiliter recurrentibus facilem præbet dispensatio-

sationem. Unde etiam dici potest, quòd licèt finis præcepti non acquiratur, aut intendatur ejus consecutio, præceptum tamen vult, ut non impediatur finis, sicut fit in violatione festi, quod particulariter est notandum, quia omne peccatum grave impedit finem sanctitatis Sabbatinæ.

Arguitur Tertiò: Si tam opus mechanicum, quàm omne peccatum mortale prohibetur hoc præcepto de sanctificando Sabbato, quia utrumque est impeditivum finis, seu sanctitatis interioris hominis, sequeretur, quòd sicut modicum mechanicum opus venialiter tantùm lædit sanctitatem diei, ita etiam peccatum fornicationis, breviusculo tempore commissum, venialiter tantum læderet sanctitatem diei, atqui hoc est contra hypothesim, ergo. Respond. Negando sequelam & paritatem, quia quodcunque peccatum mortale graviter lædit præceptum illud & impedit finem intentum non ratione durationis, sed ratione turpitudinis, & indispositionum, quæ ex illo peccato subsequuntur, ut hebetudo mentis, ob cœcatio, tædium ad divina ob phantasiam occupatam in imaginaria præterita delectatione, unde benè argumenti paritas curreret de peccato veniali, & modico opere, utrumque enim venialiter tantùm lædit sanctitatem diei. Sed quæres, utrum pluribus peccatis pluries lædatur diei sanctitas? mihi videtur quòd sic. Sed

Arguitur Quartò: Ecclesia secundùm communem sententiam non potest præcipere actus internos, sed dies dominicus, & quæcunque alia festa sunt tantùm jure Ecclesiastico instituta, ergò Ecclesia non potest specialiter præcipere sanctitatem interiorem. Respond. neg. maj. Sive id directè sive indirectè faciat, de quo alibi. Et dato illo, neg. min. diem dominicum esse tantùm de jure Ecclesiastico, quia ipsa sanctificatio unius diei intra septiduum, est de jure divino, determinatio hujus specificæ dominicæ est jure apostolico, & eorum authoritate facta, non quacunque humanâ potestate. Deinde licèt plures festivitates sint tantùm jure Ecclesiastico introductæ, stante tamen hac ordinatione jure divino præceptum est sancta sanctè tractanda, quidquid enim DEO consecratur, sanctitatem ex Religione debitam consequitur, sicut patet de Ecclesijs, Clericis, licèt enim humana ordinatione sic consecrentur, præcepto tamen divino sunt reverenter tractanda. Si quis tamen oppositam opinionem teneret, & me in Sacramento pœnitentiæ accederet, si hanc circumstantiam non exprimeret, conniverem quidem, sed scriptis meis nullam relaxationem inducere volo, nec aliquid, quod est impeditivum cultûs divini, quis enim Christianorum posset dicere, ludos comicos, & mascharatas exercere die veneris sancto non esse grave peccatum, magis illo die sancto adulterare vel fornicari? Quod avertat ab omnibus Christianis sacrum Numen, ne fiat.

DISPUTATIO SEXTA.

DE Causis Peccati actualis.

DE Authore peccati anxius discurrit S. Augustinus lib. 7. Confess. cap. 3. his verbis: *Rursus dicebam, quis fecit me? nonne DEUS meus, non tantùm bonus, sed ipsum bonum, unde igitur mihi malè velle, & nolle*

nolle ut esset, cur justè pœnas luerem? quis in me posuit & inseruit Plantarium amaritudinis, cùm totus fierem à dulcissimo DEO meo? Si diabolus author, unde ipse diabolus? quod si & ipse perversa voluntate ex bono angelo diabolus factus est, unde & in ipso voluntas mala, ut diabolus fieret? quando totus angelus à Conditore optimo factus est bonus. & cap. 7. *His itaque salvis & inconcussè roboratis in animo meo quærebam æstuans, unde sit malum, quæ illa tormenta parturientis cordis mei? qui gemitus DEUS meus?* Ob hæc Scholastici non solùm in peccato definiendo, ut suprà, sed etiam in causa assignando, in diversas abivêre sententias. Causæ autem peccatorum aliæ sunt in genere, ad quas concurrit ipsa voluntas creata, DEUS concurrens ad materiale peccati, dæmon instigans &c. Aliæ sunt in specie, ut ignorantia ex parte intellectûs, passio ex parte appetitûs, malitia ex parte voluntatis. De quibus omnibus in hac disputatione. Sit igitur

QUÆSTIO PRIMA.

An DEUS super omnia benedictus sit causa peccati?

I. Error abominandus dicere DEUM esse causam peccati.

DEtestanda, & abominanda opinio est, ait D. Augustinus lib. ad art. sibi falsò impositos art. 10. *quæ DEUM cujusquam malæ voluntatis, aut malæ actionis credit Authorem.* Et tamen moderni hæretici nescio quâ impudentiâ aperientes in cœlum os suum, ausi sunt asserere, DEUM esse Authorem peccati, nec minus opus DEI esse conversionem Pauli, quàm perditionem Judæ. Ita Calvinus lib. 1. Instit. cap. 17. & 18. Melanchthon in epistolam ad Rom. dicentes: DEUM instigare, determinare, & movere homines ad peccandum. Contra temeritatem horum est clara definitio Concilij Trident. sess. 6. can. 5. Pro majori intelligentia dicendorum

II. Cœcitas mentis in quo consistit.

Prænotandum Primò: Cœcitatem mentis (idem dic de cordis obduratione) esse sub diversis rationibus & peccatum, & causam peccati, & effectum peccati, sic enim scribit Augustinus lib. 5. contra Julian. cap. 3. *Cœcitas mentis, quam solus illuminator DEUS removere potest, & est peccatum, quo in DEUM non creditur, & est pœna peccati, quâ cor superbum digna animadversione punitur, & est causa peccati, cui aliquid mali, cœci cordis errore committitur.* Hæc Augustinus. Cœcitas ergo cordis non est simplex carentia luminis, sed affectus pravus, quô quis illustrationes divinas repellit, vel impedit, quò minus à DEO illuminetur. Unde Matth. 13. hujusmodi dicuntur *videntes videre, & non videre*, quia vident quidem, unde illuminari possent, sed ex malitia sua nolunt advertere, & sic *excœcat illos malitia eorum.* Sap. 5. Similiter obduratio cordis est pravus affectus, quô quis admonitiones contemnit, & magis ac magis in malitia persistit. Hinc enim dicitur cor durum, lapideum, grave, *quando* (ut ait Bernard.) *non movetur precibus, minis non cedit, flagellis magis duratur.*

III. Excœcatio plura requirit.

Notandum Secundò: Ad excœcationem, vel indurationem non sufficere, ut quis non videat, vel non credat, sed requiritur, ut moraliter loquendo non possit videre, aut credere, alioquin omnes, qui peccant, essent excœcati, & indurati, cùm nemo peccet, nisi permittente, & deserente DEO, hæc tamen impotentia moralis non est absoluta, sed ex hypothesi, quia licèt homo, dum est cœcus aut induratus, non possit videre, aut credere, potest tamen cum DEI gratia removere cœcitatem & duritiam, quibus remotis videre potest & credere, nunquam enim DEUS in hac vita quemquam ita deserit, quin saltem juvet ad impetrandam gratiam, & vires.

IV. Desertio rectè exprimitur per verba activa.

Notandum Tertiò: Desertionem illam, quâ DEUS deserit homines, secundùm modum loquendi S. Scripturæ rectè significari per vocabula actionem exprimentia, quamvis revera non sit actio, sed actionis omissio. Et hoc modo dicitur DEUS tradere in reprobum sensum, mittere operationem erroris, obdurare, excœcare, licèt hæc non faciat nisi permittendo, aut deserendo. Pro quo

V. Excœcatio mentalis tripliciter fieri potest.

Notandum Quartò: Ex Corduba lib. 2. q. 2. DEUM tripliciter permittere homines in cœcitatem & errorem cadere: Primò, Abscondendo à Doctoribus & Prælatis, quos ipsi consulunt, veritatem in pœnam peccati. Unde Ezechielis 14. dicitur: *Qui posuerit immunditiam in corde suo, & venerit ad Prophetam, ut interroget, ergo decipiam Prophetam illum*, id est, decipi permittam; & ibidem: *Juxta iniquitatem interrogantis, iniquitas & Propheta erit.* Unde Gregorius: *Secundùm merita plebis disponuntur corda Rectorum.* Secundò, DEUS aliquando ob peccata plebis non permittit bonis, & Doctoribus etiam consultis de veritate respondere, sed facit eos tacere, vel negligere docere veritatem, juxta illud Ezechielis 3. *Adhærere faciam linguam tuam palato tuo, & eris mutus.* Unde Christus Pilato quærenti: *Quid est veritas?* non respondit, quia non affectu sciendi interrogavit. Tertiò, Permittit DEUS in pœnam peccati malos non rectè, nec ad suum propositum intelligere doctrinam veram eis annuntiatam. Isaiæ 29. *Claudet DEUS oculos vestros, & erit vobis visio omnium Prophetarum, sicut verba signati.* His prænotatis

VI. DEUS non est author peccati.

Dico Primò: *DEUS Optimus Maximus, cujus omnia opera sunt valdè bona, non est author, vel causa pessimi peccati.* Ita fides Catholica, omnes S. S. Patres, & Doctores contra hæreticos. Probatur Primò: Ex Scriptura Sapient. 14. *Similiter autem odio sunt DEO, impius & impietas ejus.* Et ibidem cap. 11. *Diligis enim omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti: nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti.* Et Psalm. 44. *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem.* Psalm. 5. *Mane astabo tibi & videbo: quoniam non DEUS volens iniquitatem tu es.* Joannis 1. *Sine ipso factum est nihil.* Ubi D. Augustinus inquit: *Per Verbum non est factum peccatum.* Isaiæ 3. *Væ impio in malum: retributio enim manuum ejus fiet ei.* Deinde nihil frequentius in Scriptura Sacra deprehenditur, quàm odium DEI contra peccatores, nunc minando supplicia, ut in loco proximè citato, nunc invitando ad pœnitentiam, ut Ezechiel. 33. *Dic ad eos: Vivo ego, dicit Dominus DEUS: nolo mortem impij, sed ut convertatur impius à via sua, & vivat. Convertimini, convertimini à vijs vestris pessimis: & quare moriemini domus Israël?*

Probatur Secundò: Ex Patribus D. Augustino Ad artic. sibi falsò impositos art. 13. tom. 7. ubi dicit: *Nefas est DEO adscribere causas talium ruinarum, qui etsi ex æterna scientia præcognitum habeat, quid uniuscujusq; meritis retributurus sit: nemini tamen per hoc, quod falli non potest, aut necessitatem, aut voluntatem intulit delinquendi. Si ergo à justitia & pietate quis deficit, suo in præceps fertur arbitrio, sua concupiscentiâ trahitur,*

trabitur, suâ persuasione decipitur; nihil ibi Pater, nihil filius, nihil Spiritus Sanctus, nec in tali negotio quidquam divinæ voluntatis intervenit: cujus ope scimus multos, nè laberentur, retentos, nullos autem, ut laberentur, impulsos Et lib. de Hæres. hære. 81. oppositum errorem tribuit Seleucianis. Epiphanius hæres. 44. & Basilius in hom. quòd DEUS non sit author peccati, & Patres communiter docentes asserere DEUM esse authorem peccati, est dicere, DEUM non esse DEUM.

Probatur Tertiò: Ratione ex D. Augustino lib. 83. qq. q. 3. *Nullo sapiente authore homo fit deterior*, sed hoc non esset verum, si DEUS esset author peccati, ergo. Probat Doctor subtilis 4. ex Augustino ibidem q. 21. DEUS est causa omnis entis, adeóq; justitiæ, ergo non est causa non essendi ipsi justitiæ, esset autem, si esset causa peccati, quia peccatum est privatio justitiæ. Secundò: Ille non peccat, qui vult id, quod DEUS vult, ergo si DEUS vult peccatum, implicat, quòd ego conformando me in hoc DEO peccem.

Opponitur Primò: Authoritas Scripturæ Gen. 45. *Non vestro consilio, sed DEI voluntate huc missus sum*, sed venditio Joseph magnum fuit peccatum, ergo DEUS consiliô suô voluit peccatum volendo ejus venditionem. Item occisio Christi fuit maximum peccatum, & tamen Actor. 2. dicitur: *Hunc definitô consiliô, & præscientiâ DEI traditum.* &c. ergo. Respond. neg. consequ. quia hæc & similia loca non probant ullo modo DEUM esse Authorem peccati, quia si venditio Joseph, & occisio Christi considerentur ex parte patientium, sunt opera summæ patientiæ, ac meriti, adeóq; secundum hoc volita & præfinita à DEO, si verò ex parte agentium, gravissima sunt scelera, ac proindè nec volita, nec præfinita positivè à DEO, sed solùm præscita & permissa, ut explicant SS. Patres, & Doctores.

Opponitur Secundò: Proverb. 16. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum;* Et ad Rom. 9. *An non habet potestatem figulus facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam.* Et Exodi 9. de Pharaone dicitur: *Ideo autem posui te, ut ostendam fortitudinem meam.* Et 2. Reg. 24. *Addidit irasci furor Domini contra Israel, commovitque David in eis dicentem: vade numera Israel.* Et ibidem cap. 16. *Dominus præcepit Semei, ut malediceret David.* Et 3. Reg. 22. dicit DEUS Spiritui malo, qui promisit se decepturum Achab: *Decipies & prævalebis, vade & fac ita.* Et Psalm 43. *Declinasti semitas nostras à viâ tua.* Et Psalm. 104. *Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus:* Quæ omnia loca sonant, DEUM non solùm permittere, sed etiam impellere homines ad peccatum, ergo videtur quòd ipse sit author peccati. Respond. ad ista omnia, DEUM non dici impellere, vel inclinare ad malum physicè, id est, immediatè movendo voluntatem ad malum, vel moraliter consulendo, aut imperando, unde Augustin. de gratia & lib. arbitr. cap. 20. *Quomodo, inquit, dixerit DEUS Semei maledicere David, quis sapiens & intelliget? non enim jubendo dixit, ubi obedientia laudaretur, nam si jubenti obtemperâsset, laudandus potius, quàm puniendus esset, sicut ex hoc postea novimus esse punitum.* Hæc Augustinus: Dicitur ergò DEUS excitare, provocare, vel etiam imperare ad malum, malisque tanquam instrumentis uti: Primò, Quia justo suô judicio, & ineffabili sapientia, qua novit ex malo elicere bonum, permittit malos malè agere, eisque utitur vel ad excitandos bonos, vel ad corrigendos alios malos, & quia sine DEI permissione nihil fieri potest, quoties ad certum aliquem finem consequendum sinit aliquid fieri, rectè dicitur per quendam tropum illud imperare, vel ad id excitare, sicut usitatè dicimus venatorem immittere canem in leporem per hoc solùm, quòd funem laxaverit, quô canis retinebatur. Secundò: dicitur DEUS excitare ad malum, quia non

III. Incitare ad peccatum quibus rationibus dicitur DEUS.

non solùm permittit impios malè agere, sed etiam deserit eos, qui affliguntur, & sic donat impijs in eos victoriam: sic dicitur imperâsse spiritui, ut loqueretur mendacia per ora omnium prophetarum Achab, quia non dedit ei lumen, quo discerneret mendacium à veritate; sic etiam dicitur DEUS usus Assyriorum Rege tanquam virgâ & baculo, malleo, & securi ad percutiendos filios Israel, quia non solùm permisit Regem illum in eos armari, sed etiam quia *avertit adjutorium gladij sui à populo suo, & non est auxiliatus eis in bello.* Sic denique exponit Augustin. epist. 89. illud: *Et ne nos inducas in tentationem. Intelligitur*, inquit, *nè nos inferri deserendo permittas.*

Opponitur Tertiò: Exod. 7. *Induravit DEUS cor Pharaonis.* Isaiæ 19. *Dominus miscuit in medio ejus Spiritum vertiginis.* Et cap. 63. *Indurâsti cor nostrum, nè timeremus te.* Et Joan. 12. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias, excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum.* Et ad Rom. 1. *Tradidit eos Dominus in reprobum sensum*, ergò. Respond. juxta prædicta, DEUM non esse causam excæcationis, indurationis, aut similium positivè, sed negativè, videlicet permittendo, deserendo, non miserendo, ita Augustin. epist. 105. ad Sixtum: *Non obdurat*, inquit, *DEUS impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam.* Et lib. ad Simplicium quæst. 2. *Obdurare*, inquit, *DEUM est nolle misereri, nec irrogatur aliquid, quo homo sit deterior, sed tantùm, quo fit melior non erogatur.* Et tract. 53. in Joan. *Sic excæcat DEUS, sic obdurat deserendo non adjuvando, quod occulto judicio facere potest, iniquè non potest.* Per hoc facilè solvi possunt omnia loca alia S. Scripturæ, & SS. Patrum.

Cæterùm quamvis indubitatum sit apud Catholicos, DEUM nullo modo esse causam, aut authorem peccati, maxima tamen difficultas est in explicando, quomodo DEUS excusetur à peccato, & ratio difficultatis est: Tum, quia DEUS secundùm communem est causa materialis peccati, seu entitatis positivæ, cui inest deformitas, & consequenter videtur, quod sit causa ipsius deformitatis, cùm privationes non aliter causentur, quàm causando entitates positivas, quibus annexæ sunt: Tum, quia homo non dicitur aliter peccare peccato, v. g. homicidij, quàm quia causat materiale illius homicidij, ergò cùm DEUS, & quidem ut causa principalis, concurrat ad materiale peccati, erit etiam causa peccati pro formali, omissis varijs modis dicendi pro resolutione hujus difficultatis.

Dico Secundò: *Ideò DEUS non est causa peccati, quamvis sit causa entitatis materialis, cui inest peccatum, quia ipse non subest regulis morum nec consulit, aut præcipit malum, sicut hortatur ad bonum, & ex altera parte ut causa prima prædecrevit permittere causas secundas maximè liberas, suos agere motus.* Ita Doctor subtilis 2. d. 37. q. 2. §. *ad solutionem istorum.* D. Bonavent. 2. d. 37. art. 2. q. 1. Gabriel & alij. Probatur Primò ex Scoto: Quia peccatum est privatio rectitudinis non intrinseca rei, & actus, sed tantùm prout provenit à tali causa, ergo. Nam cùm privatio sit duplex, una, quæ intrinsecè & connaturaliter sequitur ad formam, ut privatio albedinis in nigredine, & contra: Et hoc modo quicunque ponit formam, necessariò ponit privationem ad eam intrinsecè consequentem, hoc etiam modo, quia DEUS est physica causa occisionis, est etiam causa privationis vitæ. Alia est privatio, quæ non sequitur ex natura rei ad absolutum formæ, sed tantùm prout à tali causa venit, & hujusmodi est privatio rectitudinis in materiali peccati, quia non sequitur actus secundùm se, & ex natura rei, sed ut elicitur à potentia libera & subjecta regulæ, unde sicut occisio facta à furioso, non est peccatum defectu libertatis, ita occisio à DEO facta non est peccatum

IV. DEUS non subest regulis morum.

in

in DEO defectu subjectionis ad regulam superiorem.

Probatur, & declaratur eadem conclusio Secundò: Ex Doctore subtili suprà citato, quando duæ causæ particulares concurrunt ad unum effectum, potest in productione effectûs contingere defectus ex defectu unius, & non alterius causæ, v. g. possunt duo homines concurrere ad homicidium, quorum unus novit ibi esse hominem, alter invincibiliter ignorat, quo casu peccat unus, & non peccat alius, quia ignorat regulam, cui se conformare deberet, sic in proposito ad velle voluntatis creatæ concurrit voluntas creata, simul & divina, ergo potest in illo velle contingere defectus ex parte voluntatis creatæ, & non divinæ, ex eo scilicet, quòd creata tenetur dare rectitudinem actui, & non dat: Divina autem licèt non teneatur eam dare, tamen quantum est ex se daret, si voluntas creata cöoperaretur, universaliter enim quidquid DEUS dat antecedenter, daret illud consequenter quantum ex se, nisi esset impedimentum.

V. Ratio cur DEUS non sit causa peccati.

Est igitur, inquit Scotus, *defectus in effectu duarum causarum non propter defectum superioris, sed inferioris, non quia superior causat rectitudinem in actu, & inferior obliquitatem, sed quia superiori quantum est de se causaret, si inferior ex parte sua causaret, & ideò rectitudinem non causari provenit ex eo, quòd causa secunda quantum ad se pertinet, eam non causat.* Neq; enim tenetur DEUS subtrahere hominibus suum concursum, esto prævideat eos, eò abusuros, sicut nec alia dona naturæ & gratiæ, quibus malè sæpè utuntur, quia statuit concurrere cum creaturis ad suos motus, juxta ipsarum naturam, & quamvis, quantum in se est, vellet concurrere ad motus semper bonos, tamen propter naturam nostri liberi arbitrij defectibilis, permisit concursum suum determinari etiam ad malos motus. Et juxta hunc dicendi modum facilè solvuntur difficultates suprà positæ, videlicet ideò DEUM, quamvis sit causa entitatis materialis, cui inest peccatum, similiter, & causa ipsius voluntatis, ejúsq; defectibilitatis, non tamen esse causam ipsius defectûs, seu privationis rectitudinis debitæ, quia ex una parte deest illi una ex conditionibus necessariò requisitis, scilicet subjectio ad regulas morum, neq; præcipit, consulit, aut hortatur ad malum, sicut facit ad bonum: Et ex alia parte statuit permittere causas secundas maximè liberas motus suos, prout volunt, agere, adeóq; cum eis positivè concurrere ad suos motus physicos ex lege causæ primæ, & de reliquo, quantum est ex se semper vult concurrere ad motus tantùm bonos, ac proinde nulla ratione refundenda est in ipsum DEUM, si quæ culpa in hac parte committitur, quia tota provenit ex parte nostra. Et hinc concursus DEI cum causis secundis præsertim liberis explicari solet hoc exemplo: si esses in puteo non potens te indè eripere, & alius accederet porrigens tibi funem, quo te extraheret, si tunc arrepto fune exsurgeres, id meritò attribueres ei, qui funem porrexit, si verò funem non caperes, vel capto fune te adhuc magis implicares, id tibi ipsi attribuere deberes: Sic in proposito DEUS se habet instar porrigentes nobis suum concursum, gratiam, auxilia, ad hoc, ut possimus vel à lapsu resurgere, vel stantes non cadere. Applica reliqua ad materiam præsentem, nè fusior esse cogar.

QUÆSTIO SECUNDA.

An diabolus sit directa causa peccati?

I. Voluntas tripliciter potest moveri ab objecto.

PRo resolutione hujus quæstionis revocanda sunt dicta suprà, & in Philosophia de motione voluntatis humanæ, & insuper Notandum, cùm peccatum sit voluntarium, nihil posse esse directè causam peccati, nisi quod potest voluntatem movere ad agendum, voluntas

luntas autem duobus modis moveri potest, uno modo ab eo, quod interius inclinat voluntatem ad volendum aliquid, hoc autem non est nisi ipsa voluntas, & solus DEUS secundùm omnes. Alio modo movetur ab objecto realiter quidem secundùm Thomistas, metaphoricè verò secundùm nos, sicut dicitur, quòd appetitibile apprehensum movet appetitum. Ex parte autem objecti potest tripliciter intelligi voluntatem moveri. Primò, Ab ipso objecto, sicut dicimus cibum excitare appetitum hominis ad comedendum. Secundò, Ab eo, qui proponit hujusmodi objectum. Tertiò, Ab eo, qui persuadet ejusmodi objectum habere rationem boni.

II. Diabolus non potest esse directa causa peccati.

Dico Primò: *Diabolus nullo modo potest esse directa causa peccati alterius.* Est communis, & patet ex dictis in priori tractatu, ubi egi, quomodo arbitrium moveatur ab Angelis tam bonis, quàm malis, & hìc pariformiter est discurrendum. Probatur: Diabolus non potest aliter ad peccatum inducere, quàm proponendo voluntati, mediante appetitu & intellectu, objectum illicitum, & persuadendo illud esse bonum, sed isto modo non est causa directa peccati, ergo: maj. patet. min. probatur. Quia nec ipsum objectum sic propositum, nec ullum aliud objectum creatum, aut increatum, nec illud proponens, aut suadens potest necessitare voluntatem, utpotè intrinsecè liberam, ergo non potest dæmon proponens objectum malum esse causa directa peccati.

Opponitur Authoritas SS. Patrum Augustin. 4. Trinit. cap. 12. qui dicit: *Quod diabolus suæ societati malignos affectus inspiret.* Et Beda supra acta dicit: *Quòd diabolus animum in affectum malitiæ trahit.* Et Isidorus lib. de summo bono dicit: *Quòd diabolus corda hominum occultis cupiditatibus replet.* Respond. Omnia ista tantùm probare secundam conclusionem juxta quam intelligendus D. Hieronymus dum dicit: *Diabolum esse perfectorem mali, sicut DEUS est perfector boni.*

Instatur: Potest major necessitatem inferre minori, sed de diabolo dicit Job 41. *Non est potestas super terram, quæ ei valeat comparari*, ergo potest homini necessitatem inferre ad peccandum. Respond. maj. esse simpliciter falsam, maximè in agentibus liberis, quæ à nullo extrinseco, possunt simpliciter necessitari, potest quidem homo DEO permittente multa violenter pati à dæmone, non tamen necessitari quoad actus liberos.

III. Diabolus indirectè potest causare peccatum in nobis.

Dico Secundò: *Potest aliquando dæmon indirectè, & interius instigando inducere nos ad peccandum.* Patet similiter ex dictis in materia de Angelis, & malorum infestatione, & ulterius: Quia potest dæmon exterius proponere sensui aliquid delectabile, & ad ejusdem considerationem excitare interius phantasiam, & inde appetitum sensitivum ad illud concupiscendum, commovendo etiam humores, & Spiritus vitales, ex quo propter sympathiam appetitus rationalis ad sensitivum solet plerumque (nisi magna DEI gratia obsistat) voluntas trahi ad illicita, & sic patet ad propositum.

IV. Peccata omnia non fiunt ex suggestione diaboli.

Dico Tertiò: *Non omnia peccata hominum fiunt de facto ex suggestione dæmonis. Neq; omnia ex incentivo carnis.* Hæc est D. Augustini lib. 14. de Civit. DEI cap. 3. ubi eleganter refutat Virgilium dicentem, omnia peccata originem habere à carne dicens: Qui omnia animæ mala ex corpore putant accidisse, in errore sunt. Quamvis enim Virgilius Platonicam videatur luculentis versibus explicare sententiam, dicens:

Igneus est ollis vigor, & cœlestis origo.
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terreniq; hebetant actus moribundaq; membra:

Omnésq; illas notissimas quatuor animi perturbationes, cupiditatem, timorem,

timorem, lætitiam, tristitiam, quasi origines omnium peccatorum atque vitiorum volens intelligi ex corpore accidere, subjungat, & dicat:

Hinc metuunt, cupiúntque, dolent, gaudéntq; : nec auras
Suspiciunt, clausæ tenebris & carcere cœco:

Tamen aliter se habet fides nostra. Nam corruptio corporis, quæ aggravat animam, non peccati primi est causa, sed pœna: nec caro corruptibilis animam peccatricem, sed anima peccatrix fecit corruptibilem carnem. Ex qua corruptione carnis, licet existant quædam incitamenta vitiorum, & ipsa desideria vitiosa: non tamen omnia vitæ iniquæ vitia tribuenda sunt carni, ne ab his omnibus purgemus diabolum, qui non habet carnem. Etsi enim diabolus fornicator vel ebriosus, vel si quid aliud hujusmodi mali est, quod ad carnis pertinet voluptates, non potest dici, cùm sit etiam talium peccatorum suasor & instigator occultus. Hæc Augustinus, ubi tria probat: Primò non omnia peccata originari à carne, ut volebat Virgilius. Secundò à carne tamen oriri incentiva concupiscentiæ & desideria prima: Non tamen ad omnia peccata, sed quod tertium erat, etiam quædam fieri ex instigatione diaboli. Conclusio ista quoque habetur in Ecclesiasticis dogmatibus, ubi dicitur: *Non omnes cogitationes nostræ à diabolo excitantur, sed aliquoties ex nostri arbitrij motu emergunt.* Colligitur ex illo Jacob. 1. *Unusquisque verò tentatur à concupiscentia sua.* Eam probat Origenes 3. Periarchon cap. 2. Quia etiamsi non esset diabolus, homines adhuc haberent appetitum ciborum, venereorum, sentiréntque in se motus inordinatos appetitûs tam concupiscibilis, quàm irascibilis.

Opponitur Authoritas D. Dionys. 4. de divinis Nominibus dicentis: *Quòd multitudo dæmonum causa est omnium malorum, & sibi, & alijs,* ergò: Respond. neg. consequ. Quia S. Pater loquitur ad primam originem peccati, seu quoad peccatum originale, unde cœtera promanârunt.

Arguitur Secundò: Peccatum diaboli secundùm Gregorium ideò dicitur irreparabile, quia cecidit nullo suggerente, ergò si aliqui homines peccarent nullo suggerente, etiam eorum peccatum esset irreparabile, quod est falsum. Respond. distin. consequens, si peccarent nullo suggerente, id est, nec diabolo, nec carne, nec mundo, transeat. Semper autem aliquid horum suggerit homini peccatum. Addo illam sententiam Gregorij cum grano salis esse intelligendam, quia revera & peccatum diaboli, quamdiu mansit in via, fuit per pœnitentiam reparabile, aliqui homines quotidiè ex certa malitia peccant, & tamen sanantur per pœnitentiam. Vult ergò Gregorius, quòd peccatum nullo suggerente commissum, comparatione eorum, quæ fiunt ex ignorantia vel passione, sit difficile reparatu, non tamen absolutè irreparabile.

Dico Quartò: *Unum peccatum potest esse causa alterius, non quidem simpliciter, sed ex hypothesi, quòd velit quis manere in statu peccati.* Patet secunda pars: Quia nil absolutè necessitat voluntatem creatam ad aliquid operandum. Prima pars verò est communis, colligiturque ex Gregorio homil. in Ezechiel: & lib. 25. moral. cap. 13. *Peccatum,* inquit, *quod per pœnitentiam citius non deletur, peccatum est, & causa peccati.* Probatur Primò: Quia imprimis unum mortale removet prohibens aliud, scilicet gratiam habitualem, verecundiam, vel quodcunque aliud à peccato retrahens, & ex hoc facilius incidit in aliud. V. Peccatum unum est frequenter causa alterius peccati.

Probatur Secundò: Quia ex uno peccato disponitur peccans ad alium consimilem actum, adeoque ad habitum vitiosum in se producendum, hæc ratio quoque est D. Augustini lib. 12. Civit. cap. 3. ubi ait: *Non enim quisquam de vitiis naturalibus, sed de voluntariis pœnas luit:*

Nam

Nam etiam quod vitium consuetudine, nimióve progressu roboratum, velut naturaliter inolevit, à voluntate sumpsit exordium.

Probatur Tertiò: Quia unum peccatum præparat materiam ad aliud sicut avaritia ad litigium, quarè S. Jacobus cap. 4. dicit: *Unde bella & lites in vobis? nonne ex concupiscentijs vestris?* id est, ex cupiditatibus. Et D. Paulus 1. Timoth. 6. *Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas.* Hinc Augustinus lib. 3. de lit. arbit. cap. 17. *Hæc avaritia cupiditas est, cupiditas porrò improba voluntas est. Ergò improba voluntas, malorum omnium causa est.*

Ex quo Probatur Quartò conclusio: Quia unum peccatum est causa finalis alterius v. g. furtum respectu fornicationis, quod clarè liquet in exemplis Davidis & Salomonis, ille ex adulterio commisso perpetravit homicidium, hic ob amorem mulierum, quas perditè amavit, Ecclesiast. excœcatus, factus est Idololatra, unde quemadmodum Paulus avaritiam vocavit radicem omnium malorum, ita Eccles. cap. 14. dicit *Initium omnis peccati est superbia*, quia sicut illa præbet opportunitatem adimplendi omnia desideria mala, ita superbia, quæ est inordinatus amor sui, est finis omnium malorum, propter excellentiam enim suam manutenendam perpetrantur quæcunque maxima crimina, & habita illa excellentia audent impunè homines quæcunque volunt, unde D. Augustinus ipsam superbiam quandam avaritiam vocat, & utrumque textum tam D. Pauli quàm Ecclesiastici sic concordat lib. 11. de Gen. ad litt. cap. 15. dicens: *Meritò initium omnis peccati superbiam scriptura definivit, dicens: Initium omnis peccati Superbia. Cui testimonio non inconvenienter aptatur etiam illud, quod Apostolus ait: Radix omnium malorum est avaritia: Si avaritiam generalem intelligamus, qua quisque appetit amplius aliquid, quàm oportet, propter excellentiam suam, & quendam propriæ rei amorem.* Et lib. 3. de lib. arbit. cap. 17. ait: *Avaritia enim, quæ græcè φιλαργυρία dicitur, non in solo argento vel in nummis, unde magis nomen duxisse resonat, argento enim nummi vel mixto argento frequentius apud veteres fiebant: Sed in omnibus rebus, quæ immoderatè cupiuntur, intelligenda est, ubicunque omninò plus vult quisque quàm sat est.*

Probatur Quartò: Unum peccatum est causa finalis alterius, v. g. furtum respectu fornicationis, ergò. Confirm. idem exemplo David, qui ex adulterio commisit homicidium, Salomonis, qui ex amore mulierum excœcatus factus est idololatra. Probatur etiam idem de Avaritia 1. ad Tim. ult. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa & inutilia, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem, radix enim omnium malorum est cupiditas.* Ubi Apostolus vocat avaritiam radicem omnium malorum ad similitudinem radicis arboris, quia per divitias acquirit homo facultatem perpetrandi plurima alia peccata. De Superbia idem etiam probatur Eccles. 7. *Initium omnis peccati Superbia.* Sicut enim cupiditas dicitur radix omnis peccati, quia præbet oportunitatem adimplendi omnia desideria mala, ita Superbia, quæ est inordinatus amor propriæ excellentiæ, & motivum, & finis omnium malorum, finis enim divitiarum acquirendarum est, ut homo per illas quandam singularem excellentiam præ reliquis habeat, & ideò ex hac parte ponitur Superbia initium omnis peccati.

Arguitur: Gignere sibi simile est proprium rei perfectæ, sed peccatum est quid imperfectum, ergò non potest esse causa alterius peccati. Respond. distin. min. Secundùm esse malum & physicum ipsius, neg. secundùm esse formale & morale, conc. & hoc modo non dico, unum

unum peccatum esse causam alterius, sed solùm secundùm esse physicum, in quo subjectatur malitia.

QUÆSTIO TERTIA.

An & quomodo voluntas sit causa peccati?

I. Voluntas humana est causa peccati.

DIv. Dionysius negat quidem peccatum habere causam, sed intelligendus est in sensu aliorum Patrum & Doctorum idem affirmantium, nempe quòd non habeat causam efficientem, sed solum deficientem. Et sic de fide est, quòd voluntas creata sit causa peccati, nam ipsa est potentia libera indifferens ad bonum & malum; ipsa est subjecta regulis morum, & legi æternæ, à quibus deficere & declinare potest; ipsa deniq; est principium actuum humanorum, quibus bonitatem, vel malitiam tribuere debet, consequenter ipsa est causa peccati, nec de hac re est ullum dubium.

Difficultas est Primò in declarando modum, quo causat peccatum, de qua re expresè agit Scotus 2. d. 37. q. 1. ubi notat, quòd sicut in peccato præsertim commissionis sunt duo, scilicet entitas positiva pro materiali, & privatio justitiæ debitæ pro formali, ita voluntas creata potest dupliciter considerari, Primò, ut efficiens, & hoc modo est causa effectiva materialis peccati. Secundò ut deficiens, & hoc modo dicitur causa peccati pro formali.

Difficultas secunda est: An voluntas peccet in suis motibus primo primis, nam dari ejusmodi motus subitaneos, & indeliberatos motibus sensualitatis correspondentes, omnes supponunt ob naturalem connexionem istorum appetituum, secundùm quam posita in sensu, prosecutione, vel fuga alicujus objecti, statim mediante cognitione intellectiva nihil adhuc advertente de bonitate, vel malitia morali objecti, suggeritur voluntati prosecutio, vel fuga ejusdem objecti. Pro quo

II. Motus voluntatis sunt triplices.

Notandum Primò: Motus subitaneos in voluntate insurgentes triplices esse: scilicet *Motum primò primum: Motum secundò primum:* & *Motum deliberatum. Motus primò primus* est, qui præcedit advertentiam rationis circa bonitatem, vel malitiam objecti. *Secundò primus* est, qui procedit ex aliquali advertentia, sed imperfecta, & semiplena, qualis est in homine semidormiente. *Motus deliberatus* est, qui procedit ex plena advertentia & perfecta deliberatione pro qualitate & conditione objecti, & circumstantiarum. Primus motus in S. Scriptura vocatur Suggestio: Secundus delectatio: Tertius consensus, ut ex D. Jacobo cap. 1. suæ Epistolæ colligitur, & suprà ex D. Augustino deduxi, cùm agerem, an concupiscentia sit ipsum peccatum originale. Primus motus tribuitur appetitui, & à Patribus assimilatur serpenti suggerenti esum ligni mulieri. Secundus tribuitur portioni inferiori animæ, quæ assimilatur mulieri suadēti viro malum, v.g. esum ligni vetiti. Tertius tribuitur portioni superiori, seu viro, per quem completum est peccatum. His præmissis

III. Ordo motuum subitaneorum.

Notandum Secundò: Inter istos motus hunc esse ordinem inter potentias animæ. Primò enim sensus externus v. g. visus percipit objectum aliquod delectabile. Secundò: Inde transit ad phantasiam. Tertiò: Appetitus sensitivus naturaliter id appetit. Quartò: Intellectus agens producit cum phantasmatibus species intelligibiles istius objecti sub ea præcisè ratione, quâ delectabile est, & illud sic apprehensum proponit voluntati. Quintò: Voluntas ex nativa propensione, qua fertur ad bonum quodcunq;, etiam delectabile, fertur in illud objectum ut sibi proponitur ab intellectu ante omnem advertentiam de malitia, aut prohibitione istius objecti, & hic sistunt motus illi primò primi, quæ nullo modo sunt peccata. Sextò: Offertur & proponitur intellectui lex

 prohi-

prohibens delectationem illius objecti, vel saltem dubium, aut periculum de tali prohibitione, & siquidem imperfectè & semiplenè tantùm ei tali modo proponit intellectus voluntati, & tunc voluntas fertur in objectum prohibitum per motus quosdam imperfectos, quos vocamus secundò primos, & hi sunt peccata venialia, si verò intellectus perfectè & plenè advertit legem prohibentem, aut periculum, aut dubium, tunc tenetur voluntas cessare à delectatione illius objecti, alioquin si in eo delectetur per motus, quos vocamus deliberatos, peccat mortaliter, & sic finitur totus ordo, & processus potentiarum circa motus illicitos.

IV. Voluntas creata est causa peccati. Dico Primò: *Voluntas creata peccat deficiendo à regulis morum, quibus se conformare potest & debet.* Ita Scotus suprà, quod explicat & probat his verbis: *Respectu*, inquit, *hujus privationis nulla est causa efficiens sed deficiens, voluntas enim, quæ est debitrix dando rectitudinem suo actui & non dat deficiendo peccat, hoc est ergo formaliter peccare, scilicet causam hujusmodi liberam non dare debitam rectitudinem suo actui, quam tunc potest dare.* Hæc Scotus. Confirmatur, nam in artificialibus ille dicitur peccare in sua arte, qui deficit à regulis artis, & in naturalibus illud dicitur monstrum, quod deficit à fine intento à natura, nec hujusmodi defectuum est assignabilis aliqua causa per se, sed tantùm per accidens, & ut deficiens à regulis sibi præscriptis, ergo similiter in proposito.

Probatur Secundò: Ex D. August. 22. Civit. cap. 7. *Nemo*, inquit, *quæret efficientem causam malitiæ voluntatis, non enim est efficiens sed, deficiens, nec illa effectio, sed defectio est, deficere enim ab illo, quod summè est, ad id, quod minus est, hoc est incipere habere malam voluntatem, causas porro istarum defectionum, cùm efficientes non sint, ut dixi, sed deficientes, velle invenire perindè est, acsi velit quisquam videre tenebras, vel audire silentium.* Hæc Augustinus

Arguitur Primò: Peccatum non procedit à causa ut bona est: tum, quia *arbor bona non potest fructus malos facere.* Tum, quia nihil est causa sui oppositi, malum autem opponitur bono, ergò peccatum procedit à voluntate, quâ mala est: tunc sic: sed ratio mali est nihil, ergo à nihilo procedit peccatum. Respond. 1. Hoc argumentum jam dudum D. Augustinum contra Manichæos solvisse lib. 3. de lib. arbit. cap. 18. ubi postquam resolvisset, cupiditatem esse improbam voluntatem, & improbam voluntatem esse causam omnium malorum, tandem Manichæis finem non facientibus, sed quæ tandem ante voluntatem poterit esse causa voluntatis? Respond. *Aut igitur ipsa voluntas est prima causa peccandi. Nec est cui rectè imputetur peccatum nisi peccanti. Non est ergo cui rectè imputetur nisi volenti. Sed nescio cur aliud te quærere libeat. Deinde quæcunq; illa causa est voluntatis, aut justa profectò est, aut injusta. Si justa, quisquis ei obtemperabit non peccabit. Si injusta, non ei obtemperet, & non peccabit.* Et sequenti capite infert, si aliqua causa peccati sit, cui voluntas non possit resistere, *sine peccato ei ceditur, si autem potest non ei cedatur, & non peccabitur.* Respond. 2. Peccatum procedere à voluntate naturaliter quidem bona, sed in genere moris indifferente ad bonum & malum, & secundùm hoc apta nata causare peccatum & meritum, hoc efficiendo, illud verò deficiendo, ex quo neg. consequ. quia peccatum non procedit à voluntate, qua formaliter mala est, nec etiam qua formaliter bona, sed quia indifferens ad utrumque, seu qua defectibilis est, non qua formaliter defectuosa.

Instatur: Effectus defectuosus præsupponit causam defectuosam v. g. non potest esse defectus in motu progressivo animalis, quin prius sit defectus in ipso principio motûs, ergo peccatum per se loquendo prærequirit causam malam. Respond.

spond. neg. antec. universaliter, sed sufficit, quòd causa sit defectibilis: ad exemplum dico, aliter loquendum esse in causis naturalibus, aliter in liberis, quia causa naturalis agit secundùm ultimum suum posse, & consequenter producit optimum effectum, quem potest, nisi prius contingat in ipsa aliquis actualis defectus: Econtra verò causa libera cùm non agat secundùm ultimum posse, adeóq; non producit semper optimum, quem potest, hinc in ipsa non oportet aliquam causam effectûs defectuosi quærere præter ipsius libertatem, indifferentiam, & defectibilitatem.

Arguitur Secundò: Contrariorum contrariæ sunt causæ, ergo sicut omne bonum est à bono, ita omne malum ab aliquo malo qua tali. Respond. antec. non esse universaliter verum, nam defacto omnia contraria sunt ab unica causa prima, & similiter à voluntate creata multi actus contrarij.

Instatur cum Manichæis, qui dicebant esse unum summum malum, à quo essent omnia mala, sicut unum summum bonum, à quo omnia bona, quod sic probabant: si datur unum contrariorum, datur & aliud; ergo si datur summum bonum, à quo omnia bona, dabitur etiam summum malum, à quo omnia mala. Respond. summo bono nihil posse esse contrarium, quia nihil potest esse, quod ipsum destruat physicè & formaliter, unde neg. consequ.

V. Motus eliciti subitanei non procedunt naturaliter.

Dico Secundò: *Implicat aliquos motus elicitos etiam primò primos produci à voluntate naturaliter, seu per modum naturæ.* Ita Scotus 4. d. 49. q. 10. Et in 2. dist. 23. ad secundum & quodl. 16. n. 13. §. de isto articulo ubi probat, repugnare voluntatem esse principium per modum naturæ, sicut & naturam esse principium liberum, quia istæ sunt primæ differentiæ principij activi. Contra Almainum 3. Moral. cap. 24. Azorium tom. 1. lib. 4. Occamum in 3. Salas, & alios, qui docent ejusmodi motus esse naturales, & à voluntate, non ut voluntas est, sed ut natura produci: Probatur ex Scoto sic conclusio Primò: Agere naturaliter, & agere liberè sunt differentiæ oppositæ principij activi, ergo sub nullo respectu possunt eidem principio convenire, aliàs nobis nullum superest principium distinguendi intellectum, aut appetitum sensitivum à voluntate, cùm non aliter probemus istas potentias distingui nisi ex diversis & oppositis modis agendi, naturaliter scilicet & liberè, ergò vel illa ratio non valet, vel certò illi duo modi agendi eidem voluntati nequibunt convenire.

Probatur Secundò: Implicat voluntatem habere aliquem actum nisi ex aliquali objecti prævia cognitione, sed omnis talis actus est voluntarius, ut patet ex definitione voluntarij, adeóque liber libertate essentiali, ergò. Maj. prob. Tum ex naturali subordinatione istarum potentiarum: Tum, quia secundùm omnes *Nihil volitum, quin præcognitum*, ergò implicat dari aliquid volitum à voluntate, nisi quod est præcognitum ab intellectu, & per consequens verè voluntarium, adeóque liberum.

Arguitur in contrà Primò: Pueri, amentes, & ebrii eliciunt motus aliquos voluntatis necessarios: Item constat nos distractos multa facere, ergò naturaliter & non liberè. Respond. Si tales operantur sine ulla prorsus cognitione intellectuali objecti, quod voluntas tunc nullò modo, vel necessariò, vel liberè operatur, sed solùm imaginatio & appetitus, si autem præcedit cognitiò objecti, tunc conformiter, ad talem cognitionem voluntas fertur in illud aliquomodo ex tribus dictis, adeóq; liberè, si non deliberatè.

Instatur: Motus illi primò primi sequuntur naturaliter ad motus sensualitatis, sed hi naturaliter producuntur, ergò & illi. Respond. cum Corduba neg. maj. Sed sequuntur in voluntate ex cognitione prævia intellectûs proponentis ob-

 jectum

jectum ut delectabile tantùm, adeóque voluntariè sequuntur.

Urgetur: Si v. g. mulier violenter cognoscatur, necessariò & naturaliter habet delectationem in voluntate sequentem ex delectatione appetitûs, ergò. Respond. neg. simpliciter antec. Quia licèt fortè tunc causetur in voluntate aliqua passio necessariò, non tamen aliquis actus, hæ tantùm objectiones probant sequentem conclusionem videlicet quòd tales motus primò primi non sint ullo modo peccata.

Arguitur Secundò: Motus illi primò primi sunt per omnia similes motibus sensualitatis, ergò sunt naturales non minus quàm illi: prob. antec. Quia motus illi non sunt nisi imperfectè voluntarij, ut patet, nec in potestate voluntatis est eos reprimere, quia, ut dicit Augustinus: *Impossibile est, quin visis tangamur*, quod maximè intelligendum est de istis motibus. Denique non sunt moraliter mali, aut imputabiles, sed nihil plus convenit motibus sensualibus, ergò. Respond. neg. antec. Quia licèt videantur primâ facie per omnia similes, nec per rationem à priori facilè sit ostendere, quòd non sint naturales; tamen à posteriori optimè colligimus eos esse liberos, & in potestate voluntatis, Hoc modo: Per quod confirmabitur conclusio: Est proprium inseparabile cuilibet potentiæ naturaliter agenti applicato sufficienter objecto, & non impedita potentia, non solùm in primo instanti elicere circa illud necessariò & naturaliter actum, sed etiam naturaliter & necessariò continuare suum actum, quamdiu manet objectum sibi applicatum, & ipsa non impeditur, hoc est per se notum discurrenti per omnia, ergò per oppositum, quando videmus potentiam aliquam, quæ non sic naturaliter, aut necessariò continuat suum actum circa objectum eodem modo sibi applicatum sicut antea, rectè inferimus illam potentiam etiam quoad primam productionem ejusmodi actûs, non naturaliter se habuisse, quia revera potentia necessariò eliciens actum necessariò continuat eundem, quamdiu manet ipsa eodem modo disposita, & objectum eodem modo applicatum: tunc sic, sed voluntas potest illos motus primò primos directè reprimere, seu non continuare, stante apprehensione objecti delectabilis, & ipsa manente eodem modo disposita, ut docet experientia, quia quando intellectus advertit malitiam in illo objecto delectabili, & proponit illud voluntati sub utroque respectu, tunc potest voluntas illud adhuc prosequi, & suos motus continuare, vel omninò fugere comprimendo motus primò primos præhabitos, ergo signum est ejusmodi motus primò primos liberè & non naturaliter elicitos fuisse.

Dico Tertiò: *Isti motus primò primi, quamvis sint liberi, non tamen deliberati, adeoque nullo modo peccata.* Conclusio est certa, & fortè ad ejus mentem loquuntur Authores contrarium sentientes, suprà relati, qui tantùm videntur velle, quòd isti motus non sint tam perfectè liberi, seu deliberati, ut sufficiant ad peccatum. Quidquid sit: Cocluf. Probatur Primò: Quia ejusmodi motus, ut suppono, antecedunt omnem advertentiam intellectus de malitia morali, & lege prohibente, ergo non possunt dici moraliter mali. Secundò objecta talium motuum non aliter proponuntur, quàm ut bona & delectabilia, nec adhuc consideratur in eis ulla honestas, aut malitia, ergò voluntas ea sic appetens nullatenus peccat. VI. Motus primò primi non sunt peccata.

QUÆSTIO QUARTA.

An voluntas creata possit peccare ex certa malitia?

Subjungo hanc quæstionem superiori, ut ea, quæ de voluntate dicenda sint, in ordine combinem, relicto motuum sensualium examine ad quæst. 6. & 7. Unde Notandum Primò: Voluntatem dupliciter L. Voluntas dupliciter potest peccare ex malitia.

pliciter posse intelligi peccare ex certa malitia: Primò, volendo aliquid non ostensum sibi sub ratione boni veri, vel apparentis, aut nolendo aliquid non ostensum sub ratione mali veri, vel apparentis, seu, quod idem est, volendo malum, aut nolendo bonum quâ tale. Secundo modo intelligi potest, voluntatem ex certa malitia peccare, quando sine ullo errore ex parte intellectûs, aut sine passione ex parte appetitûs, mera sua sponte fertur in aliquod bonum commodum, vel delectabile, cui annexa est malitia moralis v. g. ad vindictam, vel ad prohibita comedendum, ita quod nullum sit motivum ex parte objecti, vel intellectûs, aut appetitûs trahens eam ad operandum circa illud, sed solùm mera libertas, & malitia ipsius voluntatis, & de utroque sensu procedit difficultas quæstionis, majör tamen est de primo, quàm de secundo, nam quoniam illa peccata, quæ fiunt ex certa malitia, communiter dicantur peccatum in Spiritum Sanctum.

Notandum Secundò: Ex S. Augustino serm. 11. de Verb. Domini cap. 4. Quod *nonnullis videatur eos tantummodò peccare in Spiritum Sanctum, qui lavacro regenerationis abluti in Ecclesia, & accepto Spiritu Sancto, velut tanto postea dono Salvatoris ingrati, mortifero aliquo peccato se immerserint: qualia sunt adulteria, homicidia, vel ipsa discessio, sive omnimodo à nomine Christiano, sive à catholica Ecclesia. Sed iste sensus unde probari possit, ignoro: cùm & pœnitentiæ quorumque criminum locus in Ecclesia non negetur, & ipsos hæreticos ad hoc utique corripiendos dicat Apostolus: Ne fortè det illis DEUS pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur secundùm ipsius voluntatem.*

II. Impœnitentia est peccatum in Spiritū Sanctum.

Notandum Tertiò: Ex eodem quòd impœnitentia propriè dicatur blasphemia, & peccatum in Spiritum Sanctum, & quæ ad illam reducuntur, ut sunt Præsumptio, Desperatio, Obstinatio &c. nam in eodem serm. supra citato cap. 12. ubi ait: *Ipsa ergo impœnitentia est Spiritus blasphemia - - - Hæc ergò impœnitentia, sic enim uno aliquo nomine possumus utcunq; appellare & blasphemiam, & verbum contra Spiritum Sanctum, quod remissionem non habet in æternum: hæc, inquam, impœnitentia; contra quam clamabant & præco, & judex dicentes: Pœnitentiam agite, appropinguavit enim regnum cœlorum: contra quam Dominus os Evangelicæ prædicationis aperuit, & contra quam ipsum Evangelium in toto orbe prædicandum esse prædixit.*

III. Peccata in Spiritū S. appropriatè tribuuntur tertiæ personæ.

Notandum Quartò: Ex eodem & ex Theologis communiter: Peccata in Spiritum S. non ideò dici talia, eò quòd actualiter tendant in illam personam divinam; non tendendò saltem virtualiter in Patrem & Filium, sicut fieri potest, nam potest fieri aversio ab una persona absque eo, quòd fiat formaliter ab alia aversio, quemadmodum Ariani Patrem credebant DEUM, & negabant DEUM esse Filium, sed dicebant esse primam creaturam; nihilominus quandò offenditur una persona, virtualiter offenditur etiam altera; sed peccata in Spiritum S. dicuntur non propriè, sed appropriatè; quia Spiritui Sancto attribuitur donum charitas & bonitas, quemadmodum peccata ex infirmitate commissa appropriatè tribuuntur Patri; cui attribuitur potentia, peccata ex ignorantia filio; qui est natum Verbum & æterna Sapientia; unde dicit Augustinus citatus: *In Patre authoritas: in Filio nativitas*; Verbum & Sapientia; *in Spiritu S. Patris Filijq; communitas, in tribus æqualitas - - - Contra hoc donum gratuitum, contra istam DEI gratiam loquitur cor impœnitens.* His prænotatis

IV. Voluntas peccare potest ex malitia sine ullo errore prævio.

Dico Primò: *Loquendo in secundo sensu potest voluntas peccare ex certa malitia.* Est communis, & Scoti 2. d. 43. q. 2. Probatur Job 34. *Quasi de industria recesserunt ab eo*, sed sic recedere est ex certa malitia recedere; ergo. Hoc etiam experientia

rientia docet, quâ videmus multos sine errore intellectûs, aut passione appetitûs, saltem vehementi, relicto bono honesto & incommutabili adhærere bono commodo & delectabili. Ratio à priori hujus est, quia, ut sæpè ostensum, voluntas adeò libera est, ut non necessitetur ab ullo extrinseco vel ad bonum, vel ad malum, in quo apparet ratio aliqua boni commodi, & consequenter potest ferri ex sua libertate ad bonum commodum, esto habeat annexam aliquam malitiam moralem.

V. Voluntas non potest malum velle, & bonum nolle qua tale. Dico Secundò: *Voluntas non potest peccare volendo malum, quà malum, aut nolendo bonum quâ tale.* Hæc videtur communis, & licèt in ea videatur Scotus problematicus, præsertim in 1. d. 1. q. 4. §. ad argumenta, & in 2. d. 6. q. 2. n. 13. nihilominus in 4. d. 49. q. 10. n. 8. & 9. resolvit se dicens: *Sicut circa malum ostensum non possum elicere actum nisi nolle, sic circa bonum oblatum, non possum elicere actum voluntatis nisi velle.* Et paulò infrà Respond. *Quòd à voluntate excluditur actus volitionis respectu miseriæ, & actus nolitionis respectu beatitudinis, quia miseria non est nata esse objectum volitionis, nec beatitudo objectum nolitionis.* Hæc Scotus. Probatur Conclusio Primò: Nihil est appetendum & fugiendum sub eadem ratione, sed bonum qua tale est appetendum, ergo qua tale non est fugiendum. Secundò: Actus toto genere diversi sumunt suam distinctionem saltem à posteriori per ordinem ad objecta specie, vel genere diversa, vel saltem ex diverso modo tendendi in idem objectum, sed actus volitionis & nolitionis sunt distincti etiam genere, tunc sic, sed non distinguuntur secundùm diversum modum tendendi, ut patet, quia uterq; actus liberè & contingenter tendit, ergo distinguuntur per ordinem ad objecta ex suo genere distincta, sed talia sunt bonum & malum, ergo objectum volitionis est bonum tantùm, & nolitionis malum tantùm, alioquin non apparet unde desumenda sit distinctio generica, aut specifica istorum actuum.

Arguitur Primò: Damnati odiunt DEUM juxta illud: *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*, sed in DEO nulla est ratio mali, ergo odiunt DEUM, quâ bonus est. Respond. cum Scoto in 2. d. 6. q. 2. Damnatos non odire DEUM, quantum ipsum in se, sed in quantum illis infligit pœnam, & ita vellent justitiam ejus vindicativam, ut punientem illos, non esse, non tamen volunt, aut possunt DEUM in se aut ejus justitiam non esse.

Instatur: Damnati appetunt sui non esse, sed non esse est simpliciter malum, ergo appetunt malum sub ratione mali. Respond. transeat maj. & distin. min. non esse est malum, si considerentur secundùm suam naturam absolutè, concedo, si considerentur respectu damnatorum, ut subsunt istis pœnis, nego; esset enim illius melius non esse, quàm sic in tormentis esse, & licèt utrumq; in se sit malum, respectivè tamen minus malum est non esse, quàm sic esse, minus autem malum comparatione majoris inducit quodammodò rationem boni, & eligibilis secundùm illud Evangelij: *Bonum erat ei, si natus non fuisset.*

Arguitur Secundò: Datur peccatum in Spiritum S. secundùm omnes, sed hoc non potest esse aliud, quàm odium DEI qua talis, ergò datur peccatum ex certa malitia in primo sensu. Probatur min. Peccatum in Spiritum S. est omnium maximum, & consequenter directè oppositum actui perfectissimo tendendi in DEUM, scilicet amori, ergo peccatum in Spiritum S. erit odium DEI. Occasione hujus objectionis

Dico Tertiò: *Peccatum in Spiritum Sanctum, ut sumitur in Evangelio, non est quodvis peccatum ex certa malitia, sed debet esse actus oppositus actui perfectissimo in DEUM conversivo, scilicet amori DEI (si ejus odium sit possibile) vel saltem spei, & ita peccatum in Spiritum S. propriè est desperatio, seu impœnitentia finalis.* VI. Peccatum in Spiritum S. quod sit, declaratur

lis. Ita D. August. supra in prænotatis, tum in exposit: in ep. ad Rom. inchoata versùs finem, ubi recensitis gravissimis peccatis etiam in Spiritum S. tandem concludit: *Quid aliud restat, nisi ut peccatum in Spiritum Sanctum, quod neq; in hoc seculo, neq; in futuro dimitti Dominus dicit, nullum intelligamus, nisi perseverantiam in nequitia & malignitate, cum desperatione indulgentiæ DEI? Hoc est enim gratiæ illius & paci resistere.* Similiter Scotus ubi suprà. Declaratur, simul, & probatur conclusio Secundò: Quod non quodvis peccatum ex certa malitia, propriè loquendo sit peccatum in Spiritum S. Probatur: Quia hoc peccatum debet esse gravissimum, nam Matth. 12. dicitur: *Qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neq; in hoc sæculo, neq; in futuro*, sed non omne peccatum ex certa malitia est gravissimum, nec adeo irremissibile, cùm multa talia sint contra præcepta secundæ tabulæ tantùm. Ex quo patet, quod peccatum in Spiritum Sanctum, ut hìc sumitur, debeat esse contra præceptum aliquod primæ tabulæ, quia tunc solùm actualiter & formaliter avertitur ab ultimo fine, nec adhuc esse peccatum contra præcepta primæ tabulæ est in Spiritum S. quia ut sit gravissimum, debet opponi actui perfectissimo in DEUM conversivo, & sic cùm dilectio DEI sit perfectissimus actus, odium DEI (si sit possibile) erit maximum peccatum, *sed non credo*, inquit Scotus, *quod actus charitatis habet oppositum actum contrarium, quia DEUS non potest odiri*, cùm ergo post dilectionem DEI actus perfectissimus, quo voluntas tendit in DEUM, sit actus spei, hinc actus huic oppositus scilicet desperatio, seu obstinatio in malo cum proposito non pœnitendi, erit propriissimè peccatum in Spiritum S. & in hoc peccatum secundùm Augustin. de fide ad Petrum pessimi homines incidunt, ut Cain, qui dixit major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear, & Judas, qui, ut ait Augustinus desperans faciliùs currit ad laqueum, quàm humiliatus veniam peteret, per hæc patet ad ultimam objectionem præcedentis conclusionis, neg. min. ad prob. dico: Si odium DEI esset possibile illud fore ex certa malitia in primo sensu, sed nego illud esse possibile.

Arguitur contrà suppositum conclusionis: Peccatum in Spiritum S. dicitur irremissibile etiam in hac vita, sed nullum est peccatum in hac vita irremissibile, ut docetur fusè in materia de pœnitentia, ergò non datur peccatum in Spiritum S. Respond. cum communi, peccatum in Spiritum S. non dici simpliciter, & absolutè irremissibile in hac vita, ut patet ex verbis Augustini adductis, sed dicitur præ cœteris peccatis irremissibile, quia cœteris difficilius remittitur, eò quòd directè opponatur principio remissionis, scilicet divinæ misericordiæ, & bonitati, quia talis desperat de misericordia, & proinde quamdiu manet in desperatione, peccatum est irremissibile, & sic sibi debet id imputare, quia si vellet credere, sperare & respicere, janua misericordiæ est semper illa aperta.

VI. Peccatum ex malitia gravius est quàm illud quod fit ex passione vel ignorantia.

Dico Quartò: *Peccatum ex ignorantia cœteris paribus levius est peccato ex passione, & utroque gravius est peccatum ex malitia.* Est communis. Probatur Primò: Ex D. Gregorio & habetur *de pœnitentia dist. 2. cap. sciendum. Peccatum*, inquit, *tribus modis admittitur, ignorantia, infirmitate, & studio, & gravius quidem infirmitate quàm ignorantia, sed multò gravius studio, quàm infirmitate peccatur.* Probatur Secundò: Ubi est minus de voluntario & contemptu ibi cœteris paribus levius est peccatum, sed in peccato ex ignorantia minus est de voluntario, & contemptu, quàm in alijs, ergò: maj. patet. min. Probatur quia Lucæ 12. *Servus, qui cognovit voluntatem Domini, & facit digna plagis, vapulabit paucis*, cujus causa subditur, quia *cui multum datum est*, scilicet de cognitione, *multum quæritur ab eo.* Ubi fundatur

regula

regula S. Augustini, quòd scilicet minora sunt peccata ignorantium, quàm scientium. Undè secundùm eundem avarus fidelis, cœteris paribus, pejor est hæretico ignorante. Dixi in conclusione *cœteris paribus*, quia plerumque passio, seu infirmitas, v. g. concupiscentia vel ira, adeò vehemens est, ut perturbet rationis judicium, & tunc certum est, quòd peccatum sic commissum levius sit, quàm si ex sola ignorantia, vel sola passione committeretur. Per hæc patet, peccatum ex malitia esse cœteris gravius, quia magis habet de voluntario.

Arguitur Primò: Passio iræ vel concupiscentiæ plus minuit de voluntario, quàm ignorantia, ergò est levius peccatum, consequ. patet. antec. probatur: Quia passio perturbat judicium intellectûs eum divertendo à consideratione honesti, ad considerationem utilis vel delectabilis, & etiam tollit indifferentiam voluntatis in operando, eam inclinando ad proprium objectum, ignorantia autem solùm privat judicio rationis, ergò. Respond. neg. antec. Per se loquendo, & cœteris paribus: ad prob. dico, quòd tunc non solùm concurrit passio, sed etiam ignorantia, propter quam maximè excusatur actus malus secutus.

Arguitur Secundò: Majori ignorantiâ laborat, qui ex certa malitia peccat, quàm qui ex infirmitate, ergò minus peccat: consequ. patet. antec. probatur: Quia peccans ex certa malitia patitur ignorantiam principii, habet enim malam æstimationem de fine, qui est principium operationis, ex 3. & 6. Ethic. talis autem ignorantia est omnium maxima, ut patet, ergò. Respond. neg. antec. loquendo de ignorantia speculativa, licèt benè verum sit de ignorantia pravæ electionis, quâ scilicet vult quis ex proposito ignorare finem, & media, ut liberiùs peccet, sed hæc non excusat, sed potius aggravat. Per idem patet ad probat. antec. Ex his infertur peccatum ex malitia esse periculosius secundùm se, quàm ex passione, vel ignorantia, quia qui ex malitia peccat, est magis corruptus, difficiliúsque sanatur, nam talis sine ullo extrinseco impellente elegit malum, non sic peccans ex passione, vel ignorantia, & hinc difficilius sanatur, quia maximum medicamentum, & principium medendi est recta ratio, quam ex malitia peccans non admittit propter corruptionem sui appetitûs circa principia practica, sicut in corporalibus difficiliùs sanatur qui medicinam corporalem cognitam, nulla alia passione ductus, omninò non vult admittere, quàm qui ex ignorantia medicinæ, aut ex alia passione eam ad tempus non admittit, & hinc 2. Ethic. peccans ex malitia comparatur hydropico vel physico, qui scilicet continua ægritudine laborat, incontinens verò seu ex passione peccans comparatur Epyleptico, qui solùm certis temporibus infirmatur. VII. Peccatum ex malitia valdè periculosum.

QUÆSTIO QUINTA.

An tam in portione superiori quàm inferiori possit esse peccatum?

QUoniam portio tam inferior quàm superior hominis spectat non solùm ad unam potentiam animæ, v. g. vel ad intellectum, vel voluntatem, sed secundùm D. Augustinum, & Scotum mox citandos, simul ad intellectum, memoriam, & voluntatem, ita ut in qualibet potentia possit distingui utraq; illo portio, nempè solâ ratione distincta, hinc dum ago de voluntate tanquam causa peccati, etiam opus est quærere, an in utraq; portione possit esse peccatum, seu an utraq; portio tam venialiter, quàm mortaliter possit peccare? in qua materia diversificant Authores, secundùm quod diversimodè accipiunt portionem superiorem & inferiorem, ego ut rem absq; æquivocatione resolvam, conformiter ad dicta in materia de Incarnatione, censeo I. Portio superior & inferior communes sunt potentiis.

Præno-

II. Homo aliùs interior aliùs exterior.

Prænotandum Primò: Hominem à Patribus secundùm esse morale, & etiam physicum dividi in *Interiorem*, & *Exteriorem*, seu in Carnem & Spiritum, desumpta ab Apostolo ad Rom 7. & 1. Corinth. 4. homo *Exterior*, & carnalis dicitur pars sensitiva, quæ communis est cum brutis. *Interior* verò, & spiritualis dicitur pars rationis animæ, quæ communis est cum Angelis.

III. Duplex portio in homine.

Notandum Secundò: Partem rationalem dividi ab Augustino 12. Trin. per totum in Rationem, seu *Portionem superiorem & inferiorem*, à quo eam desumpserunt reliqui Theologi, quam optimè explicat Scotus 2. d. 24. per *Rationem*, seu *Portionem superiorem* intelligens tam intellectum, quàm memoriam, quàm etiam voluntatem, ut respiciunt & cognoscunt regulas æternas, id est, prima principia practica dirigentia ad operandum circa finem ultimum amandum, sperandum, & in eum credendum, quæ principia desumpta sunt ab ipso ultimo fine, cujus participatione reliqua sunt bona: *Ratio* verò, vel *Portio inferior animæ* comprehendit eundem intellectum, memoriam, & voluntatem, non solùm ut respiciunt temporalia in ordine ad temporale commodum, vel utilitatem, sed etiam ut respiciunt media ordinata ad finem ultimum, & conclusiones deductas ex primis illis regulis æternis, ex quibus proximè, vel remotè, per portionem inferiorem deducitur in qualibet re particulari quid prosequendum vel fugiendum sit in genere moris. Secundùm verò Augustin.

IV. Portio superior & inferior declaratur.

Portio Superior est ea animæ pars, quæ respicit immediatè finem ultimum, & prima principia immediatè deducta ab eo. *Pars verò inferior* est illa animæ pars, quæ respicit temporalia tanquam media ordinata ad ista prima principia, seu tanquam conclusiones ex illis proximè vel remotè deducendas. Undè superior circa virtutes theologicas, inferior verò circa virtutes morales versatur. Quibus præmissis ad quæstionem resolutivè

V. Portione in superiori quàm inferiori invenitur peccatum.

Dico: *Tam in superiori, quàm inferiori portione animæ invenitur tam mortale, quàm veniale peccatum.* Probatur Primò: Peccatum hæresis, desperationis, odij DEI, & omissiones actuum virtutum theologicarum sunt in portione superiori, quia contra finem ultimum, & contra principia practica, in his etiam potest contingere peccatum veniale, ut levis dubietas in fide, leve odium proximi, & similia, ergo in portione superiori potest contingere tam mortale, quàm veniale peccatum. Similiter in portione inferiori contingunt peccata contra virtutes morales, quæ possunt esse venialia, vel mortalia juxta naturam actûs & objecti. Probatur Secundò: In utraq; portione inveniuntur lex & præceptum, ratione meriti & demeriti, & utraq; prœmiatur, vel punitur, ergo in utraq; potest esse ratio peccati tam venialis, quàm mortalis. Sed in contra

Arguitur Primò: Peccatum mortale dicit aversionem à DEO fine supernaturali, ergo in sola ratione superiori, cujus solius est DEUM sic contemplari, potest esse peccatum mortale tantùm, & per consequens in inferiori portione non nisi veniale subjectatur. Respond. neg. consequ. quia etiam veniale suo modo est aversio à fine supernaturali, & sic habet locum in portione superiori, deinde etiam per peccata opposita virtutibus moralibus, quæ spectant ad portionem inferiorem, avertimur virtualiter, & indirectè à fine supernaturali.

Arguitur Secundò: Non potest esse peccatum in ratione, seu portione inferiori nulla facta consideratione in portione superiori, ut docent communiter Doctores, sicut non potest quis defacto peccare contra finem naturalem, quin hoc ipso peccet contra supernaturalem, ergo videtur, quòd tota ratio peccati sit in portione superiori, non inferiori. Respond. quamvis ut por-

tio inferior peccet requiratur, quòd superior præostendat regulas æternas, quibus inferior se conformare debet, & per hoc prima radix, & fundamentum virtutis ac vitij sit in portione superiori, nihilominus quia ostensis regulis æternis per superiorem potest inferior deviare in ordinando media ad regulas illas æternas, seu inferendo conclusiones ex illis circa materiam virtutum moralium, hinc in ipsa portione inferiori potest verè & propriè esse peccatum.

QUÆSTIO SEXTA.

An motus sensuales sint causa peccati, vel peccata, & qua ratione?

I. Sensualitas dupliciter considerari potest.

LUtherus, & Calvinus, ut suprà visum est de peccato originali, sicut docent ipsam sensualitatem, seu concupiscentiam innatam esse peccatum originale, ita docent, omnes actus & motus ex ea secutos esse peccata actualia, quem errorem cum alijs rejeci suprà. Cajetanus, ut in priori tractatu visum est, sicut docet 1. 2. q. 74. q. 4. in sensualitate, non solùm ut subest voluntati, sed etiam secundùm se esse sufficientem libertatem ad venialia peccata, ita affirmat motus sensualitatis etiam prævenientes rationem, esse veniales culpas, non tamen mortales. Similem verò sententiam attribuit Lorca Magistro sententiarum 2. dist. 21. & 24. quasi cum aliquibus antiquioribus diceret in motu sensuali, ut antecedit rationem, & consensum voluntatis, esse illecebram peccati, & peccatum veniale, sed falsò in hac parte citatur Magister. Pro quo

Notandum Primò: Motus sensualitatis in homine dupliciter considerari posse, Primò ut præcedunt omnem actum, & imperium voluntatis, An videlicet in sensualitate ante omnem consensum voluntatis sit peccatum? secundo prout subordinatur voluntati, & in utroq; sensu examinanda est quæstio.

II. Motus triplex in anima.

Notandum Secundò: In anima hominis triplicem esse motum, scilicet *Naturalem, Sensualem*, & *Rationalem*: *Naturalis* est, qui ab ipsa causatur dispositione naturalium qualitatum, quibus disponuntur potentiæ animæ ad suas functiones exercendas, & super hunc motum non habet voluntas directè imperium, cùm sit naturalis, & ad actiones naturalium agentium sequens. *Motus sensualis* est, qui secundùm impulsum carnis tendit impetuosè in sensibilia præter ordinem rationis, eam præveniendo, & quandoq; causatur ex illo motu naturali, de quo jam suprà, quandoque & plurimum ex imaginatione, vel apprehensione objecti delectabilis. *Motus rationalis* est actus, seu consensus appetitûs rationalis scilicet voluntatis sequentis judicium rationis. Et de hac postea agam, de appetitu illo naturali non est magna difficultas, cùm constet, illum directè non subesse imperio voluntatis, quæritur ergò de motu illo sensuali, an secundùm se, & ut prævenit rationem, sit peccatum, pro quo

III. Motus sensuales ex varijs oriuntur causis.

Notandum Tertiò: Ejusmodi motus sensualitatis à varijs principijs causari posse. Primò possunt esse à causis naturalibus, puta ex nimio calore, abundantia cibi, lectione, auditione, vel contactu objectorum provocantium ad delectationem, iram, vel similem passionem. Secundò causantur ab imaginatione, nam ad fortem imaginationem commoventur humores, & Spiritus vitales, ex qua communiter sequuntur in appetitu motus sensualitatis, & exindè in voluntate, nisi ratio benè vigilet, & voluntas formaliter resistat, solent similes motus causari. Tertiò: Possunt causari ab ipsa voluntate excitante & imperante appetitui similes motus, volendo v. g. excitare suas vires corporales ad fortiter dimicandum. Quartò: Plerumque causantur à dæmone, & hoc vel immediatè excitando tales motus, eo modo, quo aliæ causæ naturales, ut fecit in Paulo, in quo excitavit

citavit vehementem carnis stimulum, vel mediatè repræsentando alicui lectionem, vel aliquod objectum visum, vel auditum, unde tales motus sequuntur.

IV. Discernere difficile est inter motus appetitûs sensitivi & voluntatis.

Notandum Quartò: Difficile esse aliquando discernere inter motus istos sensualitatis in appetitu sensitivo, & motus voluntatis eis correspondentes, quia sicut sæpè non possumus discernere inter actus intellectûs, & phantasiæ, nisi quando experimur nos formaliter discurrere, ita difficulter possumus distinguere inter motus sensualitatis, & voluntatis, nisi quando experimur actus contrarios, v. g. quando sensualitas refugit abstinentiam, vel martyrium, & voluntas econtra acceptat.

V. Deliberatio est triplex.

Notandum Quintò: Deliberationem tanquam actum intellectûs aliam esse *Formalem*, aliam *Interpretativam*, aliam esse *Plenam*, aliam *Semiplenam*. Illa est cùm clarè, distinctè, & completè dictatur de objecto prosequendo, vel fugiendo, cum suis circumstantijs. *Semiplena* per oppositum est, quando non ita clarè & distinctè dictatur de objecto prosequendo vel fugiendo, quod tunc contingit, quando intellectus proponit objectum utile, vel delectabile prosequendum, vel oppositum vitandum, simul advertendo de turpitudine vel honestate, sed ita tenuiter, ut voluntas non satis arceatur à prosecutione turpitudinis, ut patet de semidormiente.

VI. Consensus voluntatis triplex quoque est.

Notandum Sextò: Consensum voluntatis esse triplicem, *Formalem*, *Virtualem*, & *Interpretativum*. *Formalis* est, quando per volitionem directam tendit in appetibile ipsum volendo, sive actu efficaci, sive tantùm per simplicem complacentiam. *Virtualis* est, quando voluntas fertur in causam per se talis motûs, ut cùm vult audire vel aspicere, aut cogitare aliquid, undè oritur motus v. g. iræ, vel libidinis. *Interpretativus consensus* est libera & aliquo modo deliberata permissio illius actûs, quem intellectus advertit, vel advertere debuit vitandum, & voluntas impedire poterat, & non impedivit, v. g. habens tempus sufficiens & deliberandi facultatem, an liceat vesci carnibus tali die, & tamen omittit inquirere, cùm posset, & sic cum tali ignorantia culpabili comedit, is interpretativè deliberat, & consentit in malum, quamvis nesciat, se malè agere, dummodò adverterit periculum, vel dubium de peccato committendo.

VII. Consensus alius dicitur esse ad mortale, alius ad veniale.

Notandum Septimò: Seu potius supponendum cum communi deliberationem, vel consensum sufficientem ad veniale non sufficere semper ad mortale. Ratio est, quia in reliquis omnibus, quæ concurrunt circa actum, parvitas reddit ipsum levem, ergò similiter potest dari adeò parva deliberatio vel consensus, qui licèt sufficiat ad levem & venialem culpam, non tamen ad mortalem. His positis, ut ad principalia quæsita deveniam, certum est, motus sensualitatis circa materiam illicitam, ut subsunt imperio voluntatis, & ut sunt plenè vel semiplenè, perfectè vel imperfectè deliberati esse proportionaliter peccata mortalia, vel venialia.

VIII. Motus sensualitatis de se non sunt peccata.

Dico Primò: *Motus sensualitatis sive excitentur à dæmone, sive ab alijs quibuscunque causis naturalibus secundùm se, & ut antecedunt omnem consensum voluntatis etiam circa rem aliàs turpem & illicitam, nullo modo sunt peccata.* Ita Scotus 2. d. 42. in solutione tertiæ quæst. ad 1. argum. Richard. d. 24. q. 1. Almainus tract. 3. moral. Angestus in moral. cap. 6. Corduba lib. 4. q. 23. & alij. Probatur Primò: ad Rom. 6. *Non regnet in corpore vestro mortale peccatum, ut obediatis concupiscentiis ejus*, ubi non vult Apostolus, quòd concupiscentia non sit ullo modo in corpore, cùm hoc sit pro hoc statu impossibile, sed quòd non regnet, quod fit, cùm voluntas non obedit, aut consentit motibus concupiscentiæ, undè Augustin. 1. Civit. cap. 25. *Si, inquit, concupiscentialis inobedientia, quæ adhuc in membris moribundis* habi-

habitat præter nostræ voluntatis legem, quasi lege sua movetur, quantò magis est absque culpa in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis. Secundò Probatur ad Rom. 7. & 8. *Mente servio Legi DEI, & carne legi peccati*, ergò datur motus carnis, cui mens non consentit, & consequenter qui non sit peccatum; unde Trident. decreto de peccato originali definit concupiscentiam non nocere non consentientibus.

Probatur Tertiò: Ex Ecclesiast. 18. *Nè post concupiscentias tuas eas.* Ubi Augustin. 5. contra Julian. cap. 3. ait: *Aliud est habere mala desideria cordis, aliud tradi eis, utique ut consentiendo eis possideatur ab eis, quod fit, cùm divino judicio traditur eis. Alioquin frustra dictum est: Post concupiscentias tuas non eas, si jam quisque reus est, quod tumultuantes & ad mala trahere nitentes sentit eas nec eas sequitur, si non eis traditur; exercens adversus eas gloriosa certamina, si vivit in gratia*, qui plura hujus S. Doctoris, loca desiderat, videat dicta in superiori tractatu de actibus humanis.

Probatur ratione Quartò: Quia non est in nostra potestate prævenire omnes motus appetitûs, cum ad hoc requiratur, quòd homo semper actu vigilet, nè insurgant tales motus; quod moraliter in mundanis præsertim, est impossibile, cùm tot negotia & occupationes vitæ humanæ id non permittant, lex autem DEI cùm sit suavis, non obligat ad impossibile, vel nimis difficile, ergò &c.

Per hæc sufficienter impugnantur omnes sententiæ supra relatæ, sed specialiter adhuc impugnantur. Cajet. Primò: Quia falsè & periculosè ponit in appetitu sensitivo aliquam libertatem propriam. Secundò: Quia si sit libertas sufficiens ad veniale, cur etiam non sufficiat ad mortale. Tertiò: Appetitus sensitivus est potentia naturalis secundùm omnes, ergò nullo modo intrinsecè libera, cum oppositi agendi modi eidem potentiæ convenire nequeant.

Dico Secundò: *Motus sensualitatis circa materiam illicitam, ut imputentur ad peccatum sufficit quicunque consensus ex parte voluntatis sive formalis, sive virtualis, sive interpretativus, ad hunc tamen requiritur ad minus quod præcesserit in intellectu cogitatio malitiæ in opere, vel ejus periculum, aut dubium.* Quod sufficiat quivis consensus ex tribus prædictis omnes concedunt, de formali & virtuali res est evidens, quia ad rationem peccati sufficit, quod actus malus sit formaliter, vel virtualiter voluntarius. Quod autem sufficiat consensus interpretativus, seu libera, & culpabilis omissio operis boni, patet, quia sicut voluntas est debitrix legis servandæ, ita tenetur applicare media ad id necessaria, & removere impedimenta, cujusmodi sunt motus sensualitatis circa materiam illicitam, ergò culpabiliter omittens reprimere istos motus, etiamsi formaliter, aut virtualiter non consentiat, peccat, aliàs si requireretur consensus positivus, vix posset dignosci, quando peccaretur mortaliter, vel venialiter per illos motus. IX. Consensus omnis sufficit ut motus sensuales sint peccata.

Ultima pars conclusionis, scilicet ad consensum interpretativum culpabilem prærequiri cogitationem malitiæ operis, vel periculi, aut dubii, est communis, & probatur Primò: Quia nulla omissio aut inconsideratio imputatur voluntati ad culpam, nisi quæ est aliquomodò in ejus libera potestate, sed non est in potestate liberi arbitrii sine actuali cognitione præsenti, vel præcedenti excitare intellectum ad alicujus objecti considerationem, ergo. Probatur Secundò: Quia superat humanam diligentiam expellere ignorantiam, vel inadvertentiam malitiæ, cujus nulla ei incidit cogitatio, ergo nulli culpæ imputari debet. Tertiò: Quia Confessarius doctus satisfaciet suo officio, si pœnitens dicit, se omisisse jejunium, sed si addit, nullam ei cognitionem vel

vel mentionem jejunii in mentem venisse, si tunc judicet pœnitentem nullo modo peccâsse, rectè judicat, nec debet ei pro hoc ullam pœnitentiam injungere, ergò signum est prærequiri aliquam cognitionem de objecto.

Arguitur Primò: Contra ultimam partem: sequeretur ex conclusione excusari homines ab innumeris peccatis externis, ut si quis subitò alteri impingit alapam, non advertens actualiter de malitia. Respond. cum Corduba, si contingat, ejusmodi actus externos, vel etiam internos elici sine præsenti, vel præcedenti aliqua actuali cognitione malitiæ, concedo tales actus nullo modo esse peccata, quod tamen vix aut rarò contingit.

Dices: Ex hoc sequeretur, nullam dari inadvertentiam culpabilem, quia si requiritur actualis advertentia ad peccatum, sequitur, quòd omnis inadvertentia excuset à peccato. Respond. neg. sequelam, Quia tunc datur culpabilis inadvertentia, quando advertis periculum, vel dubium de peccato, & ulterius de hoc non requiris, sed prosequeris opus.

Arguitur Secundò: Sequeretur, nullum peccare sine actuali remorsu conscientiæ, cùm remorsus necessariò sequatur ad actualem advertentiam malitiæ, consequens est contra experientiam, ergo. Respond. distin. sequ. Nullum peccare sine remorsu ex parte intellectûs, conc. ex parte voluntatis, nego. quare dico, nullum peccare quidem sine quadam conscientiæ reprehensione ex parte cognitionis malitiæ, aut periculi ejus, quamvis sæpè multi peccent sine cruciatu voluntatis, quando scilicet ex pravâ consuetudine peccans non deterretur à turpitudine peccati, sed potius voluntariè se divertit, à consideratione turpitudinis, & periculi proprii ex lapsu evenientis.

Arguitur Tertiò: Patres & Doctores communiter tenent, quædam peccata esse ex passione, & quædam ex certa malitia, sed ex conclusione sequeretur, omne peccatum esse ex certa malitia, si nimirum ad quodvis requiratur advertentia, ergo. Respond. neg. min. Quia tunc dicitur peccatum ex passione, quando passio turbat aliquomodo judicium rationis, quo minus posset perfectè advertere malitiam operis, non tamen totaliter, quin aliquomodo, licèt minus perfectè advertat malitiam. Ex ignorantia verò, quando intellectus culpabiliter ignorat. Ex malitia autem, quando voluntariè, & sine ulla passione, aut ignorantia peccatur, quod non semper fit, ac proindè non omne peccatum est ex certa malitia.

QUÆSTIO SEPTIMA.

An Consensus in delectationem morosam de re illicita sit peccatum mortale, etiam absque consensu in opus ipsum?

Quæstio hæc procedit de delectatione morosa circa rem aliàs sub mortali prohibitam, v. g. circa homicidium, fornicationem, &c. Qua in re certum est Primò, delectationem de peccato veniali, quamvis morosam, non esse plus quàm veniale peccatum. Deindè certum est quoq; perinde esse, quòd delecteris de peccato proprio, vel alieno, quia malitia delectationis sumitur ab objecto malo, præscindendo, quod sit tibi vel alteri mala. Insuper patet ex præcedentibus, quòd consensus imperfectus in delectationem etiam morosam de re illicita, cùm semiplena, & imperfecta inadvertentia de malitia mortali, aut periculo ejus, esse tantùm veniale peccatum. Iterum tanquam certum teneo, consensum efficacem in opus turpe sub mortali prohibitum esse mortale, esto opere non exequaris, imò consensus in delectationem, vel gaudium de peccato mortali est peccatum mortale, quia eadem lege, quâ tenemur cavere à peccatis committendis, tenemur etiam

1. Delectationes quæ veniales, & quæ mortales.

etiam non complacere in commissis. Deniq; certum est, quod delectatio & consensus de speculativa tantùm cogitatione turpium sub ratione honesta, seu conditione aliqua justificante, non esse mortale, sed sæpè licitum, v. g. cùm Medicus speculatur modum generandi fœtum, vel Confessarius modum & circumstantias operis turpis, ut benè sciat exequi munus suum. Pro quo

II. Delectatio de speculatione & de re, diversa sunt.

Notandum Primò: Aliud est delectari de re ipsâ illicitâ, aliud de cogitatione, vel speculatione ejusdem. Tunc autem est delectatio de re ipsâ turpi, quando hæc est objectum ejus, scilicet res turpis, & cogitatio est tantùm conditio eam proponens, sed quando delectatio tendit directè in ipsam cogitationem tanquam in objectum, tunc non censetur esse circa rem turpem, nisi esset periculum evidens consentiendi in ipsam turpitudinem, unde optimè dicit Scotus in 2. d. 42. q 4 n. 14. *Si cogitatio placet & continuatur, non propter cogitatum, sed ut per eam quis ad finem debitum deducatur, non est peccatum, sed si propter objectum illicitum, ut in ipso delectetur, sic est peccatum, & isto modo sancti viri detestantur cogitationes illicitas.* Ita Doctor.

III. Morosa delectatio quæ dicatur.

Notandum Secundò: Delectationem morosam tunc contingere, quando post advertentiam malitiæ, vel probabilis periculi, aut dubii ejus, non cohibetur complacentia appetitûs in objecto malo, nec dicitur morosa à morâ tantùm temporis, sed quia post plenam advertentiam moraris & hæres in eâ, sive in tempore, sive tantùm in instanti, Quare in hac quæstione quæritur, An consensus perfectus sive formalis, sive virtualis, sive interpretativus in delectationem morosam, & perfectè deliberatam de re turpi quâ tali, etiam sine consensu in opus ipsum externum, sit mortale peccatum? Qua in re prima sententia est absolutè negans, quando abest periculum consentiendi in opus ipsum, hæc tribuitur Richardo in 2. d. 24. Secunda sententia docet, talem consensum esse tantùm veniale, ita quidam apud Cordubam lib. 1. q. 23. d. 2. quorum sententiam judicat quidem esse probabilem, licèt minus tutam, nec in praxi sequendam. Tertia sententia docet, delectationem de opere prohibito jure naturali esse mortalem, non autem de prohibito opere jure positivo. Quarta sententia dicit, si absq; periculo consentiendi in opus ipsum, & voluntas tantùm negativè, seu permissivè se habeat, non reprimendo delectationem, tunc non esse peccatum. Verùm

IV. Consensus in delectationem morosam etiam non in opus est peccatum mortale.

Dico Primò: *Consensus voluntatis sive formalis, sive virtualis, sive interpretativus in delectationem morosam, & perfectè deliberatam de re graviter turpi, sive sit prohibita jure naturali, positivo divino, vel humano, etiam sine consensu in opus ipsum externum, est semper mortale peccatum.* Hanc fatentur omnes esse communiorem & tutiorem, eamque expressè tenet Scotus 2. d. 42. q. 4. n. 14. & alii Scholastici ibidem, & Summistæ Verbo *Delectatio.* Et verb. *Cogitatio.* Alensis 2. parte q. 109. memb. 11. D. Thom. 1. 2. q. 74. a. 2. Probatur Primò: Ex Scripturâ Hieremiæ 4. *Usquequò morabuntur in te cogitationes noxiæ.* Et Job 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut nec cogitarem quidem de virgine.* Ubi Glossa interlin. *Cum consensu*, inquit, *delectationis.* Et subditur ibidem: *Quam enim partem haberet in me DEUS meus* (supple) si cogitâssem, & Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est in corde suo.* Ubi Chrysost. inquit: *Non enim idcircò advenisse contentus est, ut solummodò corpus à malis actibus, sed etiam animam ab ejusmodi actibus cogitationibus averteret, & propterea non dixit, qui concupierit ad adulterandum; sed qui viderit ad concupiscendum.* Hæc Chrysost. Et D. Augustinus tract. de honestate mulierum cap. 5. ait: *Dominus dixit: Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus*

chatus est eam in corde suo: intelligitur, quod voluntas perfecta faciendi, reputabitur pro opere facti. Ac si dum aliquis libidinoso animo considerat, per fenestram corporis in secretum cordis venenum mortis instillat. Talis enim cogitatio, etiamsi aliquo impedita casu, non impleat voluntatem suam, nihilominus actionis crimine condemnatur à Domino.

Probatur Secundò Ratione: Delectatio de re illicita est objectum malum, ergò consensus voluntatis in eam est malus: Consequ. patet, antec. probatur ex illo. *Non concupisces* &c. Sed consentiens in solam delectationem concupiscit, ergò sola delectatio est objectum malum. Probatur Tertiò: Voluntas peccat mortaliter circa impossibilia, sicut peccavit Angelus appetendo æqualitatem DEI, sed circa impossibile cognitum ut tale non potest voluntas habere consensum efficacem, & absolutum in opus ipsum, ergò tunc solum peccatur per consensum in solam delectationem rei aliàs impossibilis, & per consequens consensus in solam delectationem operis sufficit ad mortale. Probatur Quartò: Voluntas tenetur continere potentias inferiores, eàsque à motu inordinatu reprimere, quando potest, ergò etiam à complacentia inordinata in tali motu: Tum, quia delectatio sumpta ex re imaginata similis est ei, quæ sumitur ex ejus præsentia, vel fruitione, quia eodem modo illa & hæc immutat corpus, & ad illicita incitat, sed delectatio quæ est in usu & fruitione rei turpis, est mortale secundùm omnes, ergò & ea, quæ est in re ipsa imaginata.

Arguitur Primò: Actus interior non prohibetur nisi in quantum est causa exterioris, sed delectatio ut supponitur, non est talis causa, ergò non est peccatum. Respond. neg. maj. imò in foro saltem DEI magis prohibetur actus interior, quàm exterior, cùm hic ab illo suam malitiam participet.

Instatur: Talis actus nulli præcepto decalogi contrariatur. Respond. contrariari illi præcepto, cui opus ipsum externum contrariatur, v. g. delectatio venerea illi *Non concupisces*, delectatio de homicidio isti *Non occides*, & sic de alijs.

Arguitur Secundò: Delectatio illa sine consensu in opus non est de opere in se, sed de opere, ut est in animo cogitatum, seu de ipsa operis cogitatione, sed talis delectatio non est peccatum, ergò nec consensus in ea: probatur min. Quia si esset, ideò esset maximè, quia indè sequitur complacentia, seu volitio ipsius operis cogitati, sed non est talis complacentia, ut supponitur, ergò. Respond. Quòd delectatio sit de opere non quidem in re, sed ut in animo cogitatum, ita ut opus turpe sit objectum, vel materia circa quam delectationis, & cogitatio sit conditio tantùm applicans, & secundùm hoc consensus in ipsum & cogitatum scilicet, ut tale, est peccatum mortale, unde neg. min. ad prob. distin. min. non est complacentia de opere in rè exequendo, transeat. De opere in ipsa apprehensione fruendo, quod sufficit ad peccatum, nego.

Arguitur Tertiò: Potest quis delectari in homicidio, vel furto, non quòd desideret ea committere, sed quo miro & raro modo commissa sunt, quo casu non peccaret, ergò conclusio non stat. Respond. Licitum esse delectari de quæsitis & artificiosis modis committendi peccatum, v. g. furandi, fallendi, vindicandi, si ipsi modi aliàs sint honesti, nec aliquâ lege prohibiti ut docet communis, & ratio est, quia delectatio tunc potius est de cogitatione ipsâ, quàm de re cogitata, objectum enim ejus est mirabilitas, artificiositas, aut raritas agendi.

Instatur: Ex simili responsione nunquam dignosci poterit, an delectatio sit de cogitatione, an verò de cogitato. Respond. neg. antec. Quia primum signum est, si delectans afficiatur ad ipsum cogitatum, tunc enim delectatio erit de re cogitata, si verò non sit affectatus, tunc delectatio

V. Modus cognoscendi delectationem esse de re, vel de cogitatione.

tio erit de ipsa cogitatione. Secundum signum sumitur ex occasione delectandi, si enim disputaturus v. g. aut concionaturus de venereis delectetur, tunc censetur delectatio de cogitatione; aut doctrina, quando occasionem sumit ab ipsa disputatione, vel concione facienda, secus autem si sequatur ex turpi tactu, vel aspectu, aut simili. Tertium signum est, si artificium, vel motus in alijs rebus non delectat, tunc enim signum est, quòd res ipsa delectat.

VI. Delectatio aliquando absq; consensu voluntatis potest admitti.

Quæres Primò: Quibus ex causis possit quandoq; homo licitè permittere in appetitu delectationem de re turpi absq; consensu positivo voluntatis. Respond. aliqui assignant hujus causam, quando scilicet videret quis concupiscentiam v. g. eò magis augeri, quò major adhibetur conatus ad ipsam reprimendum, tunc enim deberet fugiendo potius, & quasi contemnendo tam debilem hostem vincere, quàm positivè resistendo, quia continua ejus cogitatio auget incrementum peccati, sed hæc non videtur alijs sufficiens, quia revera ex hac sola causa non licet admittere delectationem, sed potius fugienda est, & simul causa, ex qua oritur, nec talis delectatio contemnenda est, ut debilis hostis, quia certè si semel regnet, tyrannica est ejus potentia. Alia causa justificans morosam delectationem est occupatio utilis vel necessaria, ut est audire confessiones, applicare corporibus infirmis medicamenta, esset enim nimis grave, si in talibus casibus teneretur homo istas occupationes omittere potius, quàm delectationem, quam in earum exercitio patitur, ullo modo permittere. Tertia causa est, quando delectatio est de re, non qua illicita est, sed de aliqua conditione accidentaliter annexa, v. g. delectatio de duello, non in seipso sed de visione ejus, aut cogitatione, dexteritate pugnandi, aut fortitudine. Item de modo aliquo subtili & ingenioso decipiendi, furandi, & hoc modo excusantur qui gaudent, vel delectantur de lectione librorum, comœdiarum visione, sistendo tamen in sola lectione, aspectu, vel auditione talium, & non extendendo se ad rem repræsentatam turpem, & dummodò non sit periculum ruinæ. Occasione hujus

Dico Secundò: *Licet conjugi in absentia alterius conjugis delectari de copula præhabita, vel habenda, nisi sit periculum pollutionis extra licitam copulam.* Ita communis. Paludan. in 4. d. 9. q. 3. Gerson, Cajetanus, Armilla, & alij apud Vasquez.

Probatur Primò: Authoritate S. Chrysostomi hom. 17. in illud Matthæi: *Qui viderit mulierem*, ubi dicit, sicut est temerè irasci, ita etiam temerè videre, si id ad libidinem facias, si enim vis videre, & ex visu capere voluptatem, aspice propriam conjugem, & illius usq; amore perfruere, hoc enim nulla lex prohibet omninò, si verò alterius venustatem penitius intuebere, etiam tuam injuriâ afficis, à qua in aliam oculos avertis, & ista etiam quam contueris nefariè illam tangis, si enim illam non attrectâsti manu, sed oculis tantùm, at voluptate palpâsti, propterea hoc procul dubio adulterium reputatur. Ubi S. Doctor duo docet, Primò: cum libidine & delectatione alienam concupiscere esse peccatum adulterii. Secundò: suam propriam conjugem cum delectatione aspicere, & delectari in ejus amore non esse ulla lege prohibitum, ergo licitum est conjugibus delectari de se invicem etiam extra actum matrimonialem. Nec refert, quod S. Pater ibi loquatur de visu & intuitu, & amore inde sequente, adeoque de eorum præsentia, quod non videtur trahendum ad absentiam, non obstat, inquam, Quia eadem utrobique est ratio, nam in absentia non fieret cum animo accedendi & copulandi conjugi, quia in præsentia etiam potest quis sine animo concumbendi delectari de conjuge sua, ergò utrobique eadem est ratio. Probatur Secundò Ratione: Tum,

Tum, Quia aliàs sequeretur tactus & oscula, in quibus conjuges mutuò delectantur, esse mortalia, quod nemo dixit: Tum, Quia onus & sanctitas matrimonij tales delectationes justificat.

VIII. Viduæ non possunt delectari de actu conjugali præterito.

Dico Tertiò: *Delectatio sensualis voluntaria & deliberata viduæ de actu præterito conjugali, ac si nunc consorti suo commiscerentur, est peccatum mortale.* Hæc est Cajetani 2. quodl. Sylvestri tit. delectation. q. 3. Navarri, ut eos citat Corduba noster lib. 1. q. 23. dub. 11. & Probatur: Quia illa delectatio & concupiscentia sensualis non excusatur à culpa, sicut nec tactus impudici, nisi quatenus hæc ordinantur ad actum matrimonialem licitum, sed talis delectatio non potest illuc ordinari, quia copula similis amplius non est possibilis, ergo. maj. patet. Quia sine tali ordine manent in sua deformitate culpabili, cessante enim matrimoniali onere, cessat matrimonij beneficium, delectationes autem hujusmodi propter onera conjugij solummodò honestantur. ergo.

Dices: Talis delectatio viduæ est de objecto licito, ergo. Probatur antec. quia matrimonium objectum illud, seu actu præteritum jam honestavit, adeóq; semper actus honestus, & consequenter sicut conjuges possunt de præsenti delectari, ita viduæ de præterito. Respond. neg. antec. cujus probationem distin. honestavit illum actu in re existentem & rationem usûs corporis habentem, conc. antec. Pro quocunq; tempore futuro imaginariè repræsentandum, neg. antec. & consequ., quia sicut mors abstulit conjugem, ita ablata est delectationis sensualis honestas.

IX. Sponsi non possunt delectari de actu conjugali futuro.

Dico Quartò: *Delectatio sensualis & venerea ut supra sponsorum de actu carnali futuro, seu pro quando sponsus vel sponsa erit sua, est etiam illicita, & peccaminosa mortaliter.* Ita Cajetanus, Sylvester, Navarrus apud Cordubam supra citatum. Probatur: Quia omnis delectatio venerea, sicut & tactus & oscula extra matrimonium sunt sub mortali prohibita, atqui inter sponsos de futuro nullum adhuc est matrimonium, sed est futurum, ergo defacto non sunt eis licita, futuritio enim non honestat præsentem delectationem alioquin ex se prohibitam: Tum, Quia talis delectatio habet semper annexum periculum complacentiæ, & consensus in actum carnalem pro nunc cum illâ, quæ futura est tunc, vel etiam planè pollutionis: Tum, Quia, ut dicit Cajetanus, delectatio sensualis est talis, quod non tendat in futurum, sed in objectum præsens absolutè apprehensum, quamvis consensus & gaudium appetitus rationalis tendat in actum futurum licitum. Unde aliqui Authores oppositam sententiam sequentes distinguunt de delectatione & complacentia voluntatis, & appetitûs sensitivi, & priorem viduis ac sponsis concèdunt, ut Sylvester, non tamen posteriorem, per quam distinctionem probabilis fit opposita opinio, quia sicut vidua potest habere actus matrimonij ratos, & approbare benè factos, cur non posset etiam de illis gaudere præcisè in voluntate. Verumtamen difficulter istæ complacentiæ voluntatis & appetitûs ab invicem separantur, ideo dicit Corduba, hæc opinio videtur tutior, & fortè etiam verior, & ideò tenenda est regulariter, quamvis, ait, in aliquo casu non habeat locum. Sed

Dices Primò: Consensus sponsi de illo futuro actu taliter qualificato & conditionato excludit culpam & deformitatem, estq; licitus, ergo etiam delectatio inde sequens tam in voluntate, seu appetitu rationali, quàm sensitivo. Respond. neg. consequ. Quia consensus in futurum actum præcisè ut est voluntatis consensus, habet pro objecto & habere potest, quod illo actu intendet generare prolem ad DEI gloriam, vitandam concupiscentiam, & ideò vult subire onera matrimonij, Delectatio verò sensualis non potest sic honestari, unde si ille consensus

sensus

sensus de actu futuro esset sub ratione delectabilitatis in tactu, & complacentiæ non esset licitus.

X. Delectari sub conditione honestante actum videtur licere.

Quæres Secundò: An liceat delectari de malo opere sub conditione v. g. si non esset prohibitum? Respond. In hoc variant Authores, quia quidam universaliter negant, ita Cajet. Sylvester, Navarr. & alij. Ratio est Primò: Quia ibi regulariter est periculum consensûs, aut complacentiæ in opus ipsum. Secundò, Quia talis delectatio tendit in objectum ut præsentialiter apprehensum, quamvis conditionaliter tantùm in re futurum. Tertiò de venereis id specialiter probant, quia omnes tales sensualitates sunt sub mortali prohibitæ, nisi quando ratione matrimonij, ut suprà dictum est, honestantur. Alij dicunt licere delectari in objecto prohibito, sub conditione tamen auferente omninò malitiam, v. g. occiderem, si non esset prohibitum, ducerem uxorem, si non vovissem castitatem. Pro hoc citantur Gerson. 2. p. Alphab. 24. litt. G. Vasquez & alij multi, & ratio est Primò, Quia nemo dixit illum peccare, qui dicit, induerem me illis vestibus, si essent meæ, comederem carnes, si non esset quadragesima, ergo nec qui dicit, accederem ad illam, si esset mea. Secundò, voluntas tunc non fertur in objectum malum, nisi sub tali conditione, quæ si poneretur, tolleretur malitia objecti, ergo taliter delectari non est peccatum. Ex hoc per oppositum inferre licet, si objectum tale sit, ut nullo modo ejus malitia valeat auferre, mutatione circumstantiæ vel statûs, non licere tunc in illud tendere sub ulla conditione, v. g. qui diceret, blasphemarem, mentirer, si hoc vel illud non obstaret, unde monent aliqui, benè considerandum esse, an ille actus, vel delectatio per se sit capax alicujus motivi honesti v. g. quamvis Fratri Minori non liceat dispensare, vel contrectare pecunias, tamen si ita apud se diceret, si mihi liceret, & haberem pecuniam, darem isti pauperi, & in hoc delectaretur, non peccaret, imò fortè mereretur, secus est, quando talis actus non est capax alicujus motivi honesti, etiam ex mutatione statûs, vel circumstantiæ, ut exemplificavi de blasphemia.

Quæres Tertiò: An morosæ delectationes præsertim in venereis sint diversæ speciei, ita ut alia sit adulterij, alii Sacrilegij? Certum est secundùm communem, quòd consensus efficax interior in opus turpe varietur specie secundùm diversitatem specificam objectorum, ita ut velle cognoscere alienam sit adulterium mentale; Monialem, Sacrilegium; consanguineam, incestus: Ratio est, quia actus sumunt suam specificam bonitatem, vel malitiam ab objectis. Difficultas est de simplici affectu, seu complacentia in ipsa delectatione morosa, & culpabili. Qua in re Vasquez 1. 2. disp. 114. cap. 2. affirmat delectationem morosam cùm rapta, vel consanguinea uxore aliena, non esse in specie alia, quàm simplicis fornicationis. Sed verius

XI. Delectationes morosæ sunt diversæ speciei.

Dico Quintò: *Omnes ejusmodi delectationes variari specie secundùm varietatem specificam objectorum.* Ita Navarr. cap. 16. n. 9. Ledesma 2. part. Summæ Sylvester ver. Delectatio. Et alij communiter. Probatur Primò: ex Chrysost. homil. 17. in Matth. *Qui aspicit*, inquit, *mulierem, ut oblectet aspectum, jam mœchatus est*, ergò qui ob eundem finem aspicit Monialem, jam in corde suo sacrilegium commisit. Probatur Secundò: Circumstantiæ uxoris alienæ, monialis, consanguineæ variant species in osculis & tactibus impudicis secundùm omnes, ergò & in delectationibus.

Arguitur Primò: Delectans de copula habita cum uxore aliena, aut moniali, non delectatur per hoc, quòd ipsa sit conjugata, vel DEO dicata, ergò ejus peccatum non est injuriosum alteri, vel contra castitatem. Respond. Si valeret argumentum, sequeretur, quòd efficaciter affectans copulam cum uxore aliena

aliena non faceret contra justitiam, quod est contra omnes, unde non in solo actu externo infertur injuria proximo, vel DEO, sed etiam internis actibus in foro saltem DEI.

Arguitur Secundò: Videns hostem occidi in loco sacro, & delectans ejus morte non est per hoc sacrilegus, sed peccat tantùm peccato odij, ergò similiter qui simplici tantùm affectu delectatur de copula cum aliena, vel moniali, non peccat nisi contra castitatem. Respond. neg. antec. Si talis advertat ad loci sanctitatem approbando injuriam, illi ab alio illatam in eodem loco.

QUÆSTIO OCTAVA.

An ignorantia sit causa peccati?

I. Ignorantia diversimodè dividitur.

PRo intelligentia dicendorum in hac, & sequent. quæstionibus Prænotandum Primò: Ignorantiam diversimodè dividi, nempe in *Negativam*, *Contrariam*, & *Privativam*. *Ignorantia Negativè* dicta, est quædam naturalis carentia scientiæ, & cognitionis in subjecto apto nato, quæ potius *Nescientia* dicitur, & hoc modo in Angelis, & hominibus reperitur ignorantia multarum rerum, quia non omnia cognoscunt. Ignorantia *Contrariè*, est assensus falsi, vel dissensus veri, & dicitur error pravæ dispositionis. Ignorantia *Privativè*, est privatio cognitionis aliquo modo debitæ, sive illa privatio proveniat ex propria culpa, sive originali.

II. Ignorantia speculativa & practica.

Ignorantia Secundò: Dividitur in *Speculativam* & *Practicam*. Illa est de aliquo purè speculativo, ut an corpus naturale sit moblie, & de hac hic non agitur. *Practica* alia est *Artificialis*, quæ est circa factibilia: Alia *Prudentialis*, quæ est circa agibilia, & concernit mores, opponiturque prudentiæ, cujus est dictare, An, quando, quomodo, & quibus circumstantijs sit operandum?

Tertiò dividitur in Ignorantiam *Juris*, & *Facti*. *Juris* est, cum ignoratur lex lata, vel prohibita, vel an hic, & nunc obliget, ut sæpè supra fuit mentio, ut cùm quis percutit Clericum, nesciens legem latam statuentem irregularitatem, vel excommunicationem in percussorem. Ignorantia *Facti* est, cùm quis ignorat id, quod facit esse malum, & prohibitum, ut qui occideret hominem credens esse feram, qualem etiam habuit Jacob accedens ad Liam, putans esse Rachaëlem.

III. Ignorantia Juris & Facti.

IV. Ignorantia vincibilis & affectata.

Quartò dividitur in Ingnorantiam *Vincibilem*, & *Invincibilem*, quæ & *Culpabilis*, & *Inculpabilis* vocatur. Illa est, quam homo potest vincere & tollere adhibendo diligentiam, quam in re aliqua ardua adhiberet. Et alia iterum est *Affectata*, quæ dicitur etiam ignorantia *pravæ electionis*, secundùm istam homo formaliter, & positivè non vult intelligere, ut benè ageret, qualem habuerunt, de quibus dicitur Job. 21. *Qui dicunt DEO, recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus:* qualem etiam habent, qui ex nimio in suos Principes affectu, eos in bello injusto sequuntur, non curantes scire, an id sit licitum, nec ne? Vincibilis iterum alia est *Crassa*, & *Supina*, quæ licèt non sit affectata, aut formaliter volita, benè tamen interpretativè, quia scilicet negligitur scientia requisita, & dicitur crassa propter pigritiam laborandi ad acquisitionem debitæ scientiæ. Et *Supina* ob nimiam sollicitudinem, & pronitatem ad terrena, unde oritur difficultas, & incuria mentis ad salutaria scienda, quia sollicitudo seculi, & fallacia divitiarum suffocant verbum DEI. Matth. 13.

V. Ignorantia Invincibilis.

Ignorantia *Invincibilis* est, quam non potest homo vincere adhibendo omnem diligentiam, quam tenetur adhibere, undè non dicitur invincibilis ex eo, quod ignorans simpliciter non posset vincere, quia revera potuit Jacob absolutè cognoscere Liam sibi suppositam accendendo lucernam, Et potuit Judæus Romæ advena adfuisse Jerosolymis

in Pentecoste, cùm Apostoli promulgarent legem Evangelicam, quia tamen nec Jacob tenebatur accendere lucernam, ut cognosceret Liam, nec Judæus tunc adire Jerosolymam ad sciendam legem Christi, hinc dicuntur pro tunc invincibiliter ignorâsse. Hoc etiam modo Parochianus simpliciter dicitur invincibiliter ignorare festum, aut jejunium non promulgatum à Parocho, quando vadit ad Ecclesiam. Omnis itaque ignorantia vincibilis est *culpabilis*, & invincibilis potest dici *culpabilis*.

Ignorantia etiam dividitur in *Antecedentem*, *Concomitantem*, & *Consequentem*, quas suprà in tractatu de actibus humanis disput. 4. q. 4. conclus. ultima sufficienter explicui.

VI. Regulæ ad vincendam ignorantiam. Notandum ulterius: Ad vincendam ignorantiam de aliquo, & ut dicatur quis invincibiliter ignorare, vix certam posse tradi regulam, plus enim tenetur scire, & facere in hoc negotio Prælatus, Doctor, aut Judex, quàm simplex subditus, vel idiota: attamen à Corduba lib. 2. q. 2. aliquæ ponuntur regulæ. Prima est, Ad habendam sufficientem notitiam eorum, quæ sunt simpliciter necessaria ad salutem, tenetur homo ratione præditus inquirere diligenter, quantum potest, veritatem pe se ipsum, aut per alios magis prudentes.

Secunda Regula est: Si per se ipsum, aut alios non potest habere sufficientem notitiam, requiritur, quòd sit debitè dispositus ad impetrandam illam, & cum pia ac bona affectione veritatis petat à DEO illuminari.

Regula tertia est: Si probabiliter timet homo, quod propter sua peccata permittat DEUS ipsum excœcari, vel depravari, talis ad debitam illustrationem obtinendam, ultra supra dicta, debet emundare conscientiam per contritionem saltem generalem, vel etiam particularem de illis, propter quæ timet se permissum à DEO, & derelinquendum in sua obcœcatione.

His prænotatis Quæritur Primò: An possit dari ignorantia invincibilis unius veri DEI, & mysteriorum fidei, cum qua salvari possint ignorantes? sed hæc dubia resoluta fuerunt in materia fidei, & alibi sparsim. Secundò quæritur. An dari possit ignorantia invincibilis Juris naturalis & humani? An facti? quæ & quando excuset à peccato? Et tandem an in omni peccato præsupponatur aliqua ignorantia vel inconsideratio ex parte intellectûs? pro secundo adhuc

VII. Præcepta juris naturalis in triplici differentia. Notandum Tertiò: Præcepta juris naturalis esse triplicis generis, alia enim sunt *ex terminis nota*, ut bonum est amandum, malum fugiendum, *quod tibi fieri non vis, alteri nè feceris.* Secundi generis sunt conclusiones evidenter deductæ ex præceptis primi generis, ut DEUS est amandus, quia bonus, proximus diligendus, non occidendum, non furandum, quia non velles tibi ista fieri. Tertii generis sunt conclusiones non ita facilè aut clarè deducibiles ex talibus principiis, & hoc vel secundùm substantiam, ut indissolubilitas matrimonii, unitas uxoris, fornicatio simplex; vel propter aliquam circumstantiam annexam, v. g. sit evidens neminem esse occidendum privata authoritate, aut sine causa aliqua, tamen non est ita evidens, si sit aliqua levis causa. Item licèt sit evidens non esse mentiendum sine causa, non est tamen ita evidens, si fiat ob salvandam vitam propriam, vel alienam, & sic de multis aliis: Prima præcepta dicuntur immediata: Secunda proximiora, & tertia, remotiora vocantur.

VIII. Præcepta prima nota ignorari non possunt. Dico Primò: *Præcepta juris naturalis primi generis non possunt inculpatè ignorari ab habente usum rationis.* Est communis apud Cordubam lib. 2. q. 4. Patet. Quia ista sunt usq; adeò nota, ut neminem ratione utentem latere possint magis quàm prima principia speculabilium, *ut quodlibet est, vel non est, totum est majus suâ parte*: ergo nemo ab eorum notitia excusatur.

Dico

IX. Ignorantia contingere potest in quibusdã præceptis juris naturæ.

Dico Secundò: *Circa præcepta secundi generis potest quidem contingere ignorantia, sed non ignorantia inculpata, neq; longo tempore.* Hæc est Cordubæ & aliorum. Probatur Prima pars Ex SS. Patribus, Augustino lib. 2. de peccator: merit. cap. 17. ubi ait: *Nolunt homines facere quod justum est, sive quia latet an justum sit, sive quia non delectat. Tanto enim quidq; vehementius volumus, quantò certiùs quàm bonum sit novimus, eòq; delectamur ardentius. Ignorantia igitur & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, nè moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum.* D. Hieronymo lib. 2. adversus Jovinianum non longè à principio ubi enumerat multas nationes, quæ ignorarunt præcepta Decalogi, & multa enormia putârunt esse licita his verbis: *Quod loquimur de cœteris nationibus, cum ipse adolescentulus in Gallia viderim Scotos, Gentem Britannicam humanis vesci carnibus, & cum per silvas porcorum greges & armentorum pecorúmq; reperiant, pastorum nates, & fœminarum papillas solere abscindere, & has solùm ciborum delicias arbitrari. Scotorum natio uxores proprias non habet, & quasi Platonis politiam legerit & Catonis sectetur exemplum, nulla apud eos conjux propria est: sed ut cuiq; libitum fuerit, pecorum more lasciviunt, Persæ Medi, Judi, & Æthiopes, Regna non modica, & Romano imperio paria, cum Matribus & Aviis, cum filiabus, & neptibus copulantur. Masagetes & Derbi miseros qui ægritudine moriuntur, & parentes cognatos, propinquos, cùm ad senectam venerint jugulatos devorant, rectius esse ducentes, ut à se potius, quàm à vermibus comedantur.* Et alia multa ibi narrat S. Doctor, ac tandem concludit: *Pervides igitur, quòd non solùm in esu, sed in sepulturis, & connubiis, & in omni conversatione unaquæq; gens suo ritu, & proprietatibus vivitet, & hoc eam naturæ legem putare, quod didicit.* Ergo potest dari ignorantia juris naturæ etiam quoad conclusiones proximiores facilè deducibiles, & multò magis quoad remotiores.

Idem docet S. Chrysostomus hom. 4. in cap. 1. Apostol. ad Romanos ubi dicit: *Legislator quidam apud illos sanxit, ut servi nec - - - ungerent, nec puerorum amoribus vacarent: hanc prærogativam ingenuis solis concedens, seu ut veriùs dicam, hanc turpitudinem, cum tamen ne turpitudinem quidem factum hujusmodi esse crederent, sed veluti venerandum, honestum, ac majus, quàm quod servorum personis conveniret, liberis ipsis permiserint, tum sapientissimus Athenienfium populus, tum qui magnus apud ipsos est habitus, Solon. Cum eo quoque multos Philosophorum libros hocce morbo refertos reperias.* Verumtamen hæc eos non inculpabiliter ignorâsse.

Probatur secunda pars: Quià licèt ejusmodi præcepta v. g. Decalogi non sint ex terminis nota, potest tamen quis brevi tempore solo lumine naturæ instructus ex illis principiis universalissimis ea facilè deducere, v. g. ex illo, quod tibi non vis fieri, alteri nè feceris, facilè deducuntur ista, non occides, non furaberis, non adulterabis. Item ex illo bonum est amandum; ergò summum bonum summè est amandum, unde Philosophus 3. Ethic. cap. 1. dicit: *Ignorantiam universalium non esse invitam, sed voluntariam,* & ideò ea ignorantes sunt inexcusabiles. Et Rom. 2. *Gentes naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, quia habent opus legis scriptum in cordibus suis, ita ut inexcusabiles sint:* quare licèt apud aliquas gentes barbaras aliquid contra jus naturale licitum olim indicaretur, ut supra ex Patribus visum est, & etiam furtum licitum fuisse apud quosdam Aquilonares, teste Julio Cæsare lib. 6. de bello Gallico, & apud Lacedemones adulterium; ut refert Plutarchus, horum tamen ignorantia culpæ imputabatur, propter quam tradidit DEUS illos in reprobum sensum, ut loquitur Apost. ad Rom. 1. Probatur tertia pars: De *longo tempore*, quia cùm hæc non

sint ex terminis nota, sed discursu discantur, aliquantulum tempore possunt invincibiliter ignorari, maximè si non adsit instructor, propter hoc ait Lorca, pueros & rudiores excusari à furto, dum reputant illud licitum.

X. Præcepta quædam juris naturalis diu ignorari possunt.

Dico Tertiò: *Præcepta tertii generis possunt invincibiliter ignorari à multis multo tempore nisi instruantur.* Est communis apud Cordubam citatum, Et patet ex priori conclusione. Probatur, Quia cùm hujusmodi præcepta sint conclusiones obscuriores, & difficulter deducibiles, petunt perspicaciam ingenii, vel opem magistri, sed contingit naturali hebetudine torpescere ingenium, & necessariis occupationibus impediri studium, ac deficere magistros, ergo in his potest contingere longo tempore ignorantia invincibilis. Confirm. exemplis: Quia polygamia, dissolubilitas matrimonii, repudiatio uxoris, simplex fornicatio, mendacium pro salvanda vita, & similia multa, sunt jure naturæ prohibita, & tamen in his etiam multi docti invincibiliter erraunt, nam Valentinianus senior, & alii Imperatores approbarunt polygamiam. Similiter Ethnici, qui optimè investigabant jus naturæ, approbabant repudium, quod & Athenienses & Cretenses permiserunt, fornicatio etiam simplex apud multas gentes licita habebatur, ergo verisimile est, illos ignorantiâ invincibili laborâsse, præsertim quoad rudiores, & incultos.

Ex his resolvi possunt multi casus de incultis gentibus, etiam fidelibus, sed carentibus Magisterio, nam multi faciunt tutâ conscientiâ, quæ verè sunt contra jus naturæ tertio modo, quia illud jus non est ita manifestatum, ut omnibus sit notum. Contra has conclusiones simul

Arguitur Primò: Jus naturæ nititur lumini rationis, & per illud manifestatur, sed hoc lumen non obscuratur, nisi per culpam, seu corruptionem morum, ergo si sic obscuratur, erit ignorantia culpabilis, vel si nullo modo obscuratur, non erit ignorantia. Respond. Lumen rationis etiam absq; ulla morum corruptione non æqualiter in omnibus omnia manifestare præcepta juris naturalis, & sic aliqua saltem, quæ ex terminis non sunt nota, possunt pro aliquo tempore inculpatè ignorari, aliqua etiam longe tempore, ut in tertia conclusione dixi.

Arguitur Secundò: In Canone *Turbatur* 1. q. 4. dicitur ignorantiam juris naturalis esse omnibus adultis damnabilem. Respond. loquitur de ignorantia principiorum, & conclusionum evidentium, & hoc pro longo tempore, ut dictum est in prima, & secunda conclusione, quomodo etiam intelligendus Apostolus ad Rom. 1. dicens: *Gentes esse inexcusabiles*, ob peccata, quæ committebant contra legem naturæ. Ex his patet, quid dicendum de ignorantia juris divini, nam in omnibus, quæ sunt de mero jure divino sine admixtione juris naturalis, poterant ante sufficientem promulgationem Evangelij invincibiliter ignorari, quia ista indigent speciali & supernaturali revelatione & promulgatione. Ex quo fit, ut interim homo faciens quod in se est, possit ea inculpabiliter ignorare, ut patet de præcepto baptismi & cessatione legalium, quæ ante sufficientem eorum promulgationem invincibiliter ignorabantur à multis per multum tempus post passionem Christi. Unde dicit D. Augustinus in Enchiridio cap. 81. *Duabus ex causis peccamus: aut non videndo quid facere debeamus, aut non faciendo quod debere fieri jam videmus. Quorum duorum illud ignorantiæ malum est, hoc infirmitatis.*

Dico Quartò: *Potest dari ignorantia juris humani in multis invincibilis, & longo tempore, etiam in iis quæ ad suum statum pertinent.* Hæc est communis præter Guilielmum Parisiensem. Et probatur. Quia potest dari talis ignorantia invincibilis in præceptis juri divini, ergo & à for- XI. Juris humani ignorantia invincibilis dari potest.

à fortiori de humano id dicendum. Deinde sæpè nulla occurrit notitia, cogitatio, aut dubitatio talis legis, aut ejus obligationis, & etiamsi occurreret talis cogitatio monens ad inquirendum scientiam, dummodò adhibeatur, communis diligentia legendo, aut consulendo peritos, ignorantia legis postea manens, invincibilis erit.

Dices contra hoc. 1. Reg. 4. Jonathas invincibiliter ignorabat patris præceptum de non edendo quidquam usq; ad vesperam, & tamen videtur peccâsse gustando mel, nam quærente Saul, cujus peccato DEUS irritatus negasset responsum? sors cecidit super Jonatham, ergo. Respond. cum Lyrano DEUM destinâsse sortem supra Jonatham, ut appareat ejus innocentia, & in gloriam suam liberaretur totius populi acclamatione, & sic Jonathas in facto isto nullo modo peccavit, quia ignoravit præceptum patris. Quæres autem, quando censetur ignorantia juris humani excusabilis, vel quæ diligentia ad hoc sufficiat? Respond. si subit ipsi aliqua cogitatio de lege, an sit, vel an ipsum obliget, requiritur, vel sufficit legere, vel consulere peritos in ea re, si ex se ipso non potest quidquam discernere, ita Navarr. cap. 37. & alii.

XII. Ignorans invincibiliter censetur, qui adhibet omnem diligentiam.

Dico Quintò: *Si quando occurrit cogitatio, an factum sit contra legem, & facis diligentiam, quam cordati viri in simili materia facere solent, & adhuc ignoras, tunc censeris invincibiliter ignorare, & hoc sive adhibeas operam rei licitæ, & aliquando etiam illicitæ.* Ita Castro lib. 2. de lege pœnali cap. 14. Sylv. q. 6. Covarruvias cap. *Alma Mater.* & alii. Prima pars patet ex dictis suprà de ignorantia juris naturalis tertii generis. Secunda pars est D. Thomæ 1. 2. q. 26. a. 3. ubi ait eum, qui patrem occidit ignorans ipsum esse patrem, excusari à parricidio, licèt non ab homicidio, si scivit illum esse hominem. Et Probatur: Illa dicitur inculpabilis ignorantia, quæ non potest tolli adhibita diligentiâ, quam cordatus quisq; in tali materia adhiberet, sed contingere potest, quòd dans operam rei etiam illicitæ, adhibeat debitam diligentiam, ne aliquod peccatum sequatur, v. g. in sylvis prohibitis occidis hominem, putans invincibiliter esse feram.

Arguitur Gen 20. Legitur Abimelech punitum à DEO propter Saram, quam habere voluit, & tamen invincibiliter ignoravit eam esse uxorem Abraham, siquidem diligenter interrogavit ipsum Abraham, an esset sua uxor, ergò signum est, ejus ignorantiam fuisse culpabilem, non obstante diligentiâ debita adhibitâ, eò quòd rei illicitæ operam daret. Respondent aliqui, ideò Abimelech punitum fuisse & peccâsse, quia dabat operam rei illicitæ, scilicet polygamiæ, seu pluralitati uxorum, volendo vivente prima uxore accipere sibi secundam: sed hæc solutio non valet: Tum, Quia, ut dixi in conclusione, parum refert ad propositum, sive det operam rei licitæ, sive illicitæ, modò adhibeat diligentiam sufficientem: Tum etiam, quia polygamia tunc fuit permissa Judæis, & gentes potuerant inculpatè ignorare ejus malitiam: Tum denique, Quia S. Scriptura apertè indicat Dominum minatum fuisse ei mortem, quia inquit uxor, quam tulisti, habet virum. Quare melius alij Respondent, Abimelech in illo casu non peccâsse, nam idem Abimelech monitus à DEO dixit: *In simplicitate cordis mei, & munditiâ manuum mearum hoc feci*: cui respondet Dominus: *Ego scio, quòd simplici corde feceris.* Et ideò quando supra dixit ei Dominus: *En morieris propter mulierem*, intelligi debet ita scilicet, si post hanc notitiam à me acceptam, eam tetigeris, morte morieris.

Dico Secundo: *Ignorantia culpabilis & antecedens, cujus oppositum si adesset, impediret peccatum, est per accidens causa actûs in se aliàs mali, non tamen alicujus moralis malitiæ in ipso.* Est communis & declaratur. Dicitur XIII. Ignorantia antecedēs est per accidens causa peccati.

tur enim causa, quia ut suppono absque ea non contingeret actus v. g. homicidii. *Per accidens* verò, quia talis ignorantia est tantùm privatio removens scientiam requisitam, quòd etiam non *causaret ullam malitiam in actu* patet, quia talis occisio in tali casu esset involuntaria, quia incognita, hoc modo excusatur à culpa occidens in sylvis hominem, quem invincibiliter putat esse feram.

XIV. Ignorantia concomitans nullo modo est causa peccati.

Dico Septimò: *Ignorantia concomitans juris, vel facti nullo modo est causa peccati, sive pro materiali, sive pro formali.* Est communis, Et patet, quia illud factum fieret etiamsi adesset scientia opposita, ergò. De ignorantiâ autem subsequenti potest dici, quòd sit & effectus peccati scilicet inordinati affectûs eam affectantis, & etiam causa peccati ex ea secuti modo dicto in priori conclusione.

Arguitur contra, id quod dictum est, scilicet ignorantiam esse solùm causam per accidens, excitans enim & movens est causa per se effectûs secuti ex tali motione, sed falsa æstimatio, quòd v. g. homo sit fera movet ad actum homicidij, ergò est causa per se homicidij. Respond. Esto talis æstimatio sit causa per se nudæ occisionis, non tamen humanæ occisionis, quia occisio hominis, ut suppono, non est intenta, sicut nec cognita. Ex his patet, quòd si ignorantia contingat ex prævia aliqua culpa, adeóque sit directè vel indirectè affectata, vel crassa & supina, tunc etiam erit causa malitiæ in opere.

Dices contra hoc: talis ignorantia tollit voluntarium, ergò & malitiam. Respond. dist. antec. tollit voluntarium formaliter, trans. virtualiter, aut interpretativè neg. ad hoc enim sufficit præcessisse aliquam dubitationem de illegitimitate actûs, & non adhibuisse debitam diligentiam de acquirenda scientia.

XV. Ignorantia non præcedit in omni peccato.

Dico Octavò: *Non omne peccatum necessariò præsupponit ignorantiam inconsiderationis ex parte intellectûs, licèt ut in pluribus præsupponat aliquam inconsiderationem oppositam perfectæ considerationi.* Hæc secunda pars patet, quia si quis benè, & attentè perpenderet omnia incommoda, quæ infert peccatum mortale, difficillimum foret illud admittere, unde Proverb. 14. *Sapiens timet & declinat à malo.* Et Ecclesʃ. 7. *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Primam partem conclusionis, in qua est controversia, tenet Scotus 3. d. 36. a. 2. & reliqui Scotistæ. Probatur: Stante prudentiâ, in intellectu, adeóq; nullo errore existente in illo potest contingere mala electio in voluntate, ergo. Videatur quod dixi in materia de actibus humanis.

Argumenta etiam, quæ contra hanc partem adducuntur, pleraq; sunt soluta locis citatis, & facili negotio juxta prædicta solvi possunt omnes authoritates in contrarium adduci solitæ, cujusmodi sunt 6. Eth. cap. 15. ubi dicitur: quòd *voluntas malè eligit, intellectus malè dictat.* & 5. Eth. *Nullus vult, ne incontinens quidem, quod non æstimant esse studiosum.* & 2. Rhetoric. *Nullus voluntarius & cognoscens pravè eligit.* & 3. Eth. *Omnis malus est ignorans.* & Proverb. 14. *Errant omnes, qui operantur malum.* & Dionys. 3. de divinis nominibus: *Nullus operatur ad malum aspiciens:* quæ omnia videntur probare præcedere semper in intellectu aliquem errorem. Respond. tamen, vel ista intelligenda esse juxta sensum secundæ partis nostræ conclusionis, quia videlicet rarò contingit in voluntate peccatum, quin præcedat in intellectu aliqua inconsideratio, vel certè intelligenda esse ita, quòd nullus peccet, nisi præcedat in intellectu error aliquis vel inconsiderationis, vel saltem pravæ electionis, modo suprà dicto.



Quæ-

QUÆSTIO NONA.

An & quomodo ignorantia excuset à peccato coram DEO?

I. Prævisum peccatum esse potest dupliciter contingere.

IN hac quæstione expediam ea sola, quæ de culpa, & pœna essentiali coram DEO debita dici possunt, ex quacunq; demum ignorantia procedant, etiam proveniente ex culpa propria, v. g. an ex ebrietate subsecutum homicidium, aut fornicatio &c. debeant imputari ad culpam. Pro quo

Notandum: Peccatum in ebrietate factum debet considerari, an aliquo modo fuerit prævisum: Et hoc dupliciter potest intelligi, nempe vel *Actualiter*, vel *Interpretativè*: *Actualiter* prævidetur, quando quis antequam posuit causam, prævidit aliquomodò, quòd ipse postmodum ratione privatus soleat talia peccata in genere, vel in specie committere. *Interpretativè* autem, seu in debito dicitur prævideri, quando quis sui compos, antequam incidat in ebrietatem, debuit, & potuit præcogitare talia mala posse ex alienatione mentis subsequi, puta quia expertus est inclinationes suas proprias pronas, quando talem causam ponit. Ex quo patet, tunc ergo censeri nullo modo prævisum, quando adhibitâ diligentiâ solita circa tale vel tale negotium, nulla subit cogitatio eventûs alicujus sinistri secuturi, v. g. quia hic ebrius assuetus est dormire, esse in pace. Hoc præmisso

II. Ignorantia invincibilis excusat à culpa.

Dico Primò: *Ignorantia invincibilis juris, vel facti, aut circumstantiarum excusat simpliciter à tota culpa.* In hac omnes conveniunt, & ratio est, quia talis ignorantia tollit scientiam requisitam ad rationem voluntarii, ergo tollit voluntarium, adeóque omnem rationem culpæ. major est difficultas de ignorantia concomitante, cujus scilicet opposita scientia si adesset, adhuc sequeretur actus. Qua in re

III. Ignorantia tollit culpam ab illo actu, à quo tollit cognitionem.

Dico Secundò: *Ignorantia invincibilis concomitans excusat etiam à culpa illum actum, à cujus objecto tollit omnem cognitionem, v. g. o cidens hostem putans invincibiliter esse feram, si tamen scires esse hostem, libenter occideres.* Dicit ergo conclusio in tali casu occisionis nullam esse malitiam, licèt eam comitari possit per accidens effectus aliquis malus actualis, vel habitualis. Conclusionem tenet Corduba lib. 2. q. 19. Vasq. disp. 25. cap. 1. & alii apud ipsum, ante cujus probationem suppono, conclusionem esse limitandam taliter, ut actus, circa cujus objectum contingit invincibilis ignorantia, non fit aliàs contra conscientiam, vel aliam legem prohibentem notam operanti, quia tunc talis actus sub illâ consideratione esset peccatum secundùm omnes, v. g. occidens hominem instrumento prohibito, vel in loco prohibito, putans invincibiliter esse feram, licèt non peccet peccato homicidii, benè tamen alio genere peccati. Similiter cognoscens in lupanari uxorem alterius putans invincibiliter esse scortum, licèt non fit adulter, est tamen fornicator. & sic de aliis. Deinde, ut supra dixi, potest cum tali actu esse adjunctus affectus actualis vel habitualis malus occidendi v. g. suum inimicum, si scivisset illum ibi esse, qui affectus de se est peccatum, & homicidium mentale, non tamen proindè actus externus erit homicidium.

Conclusio sic limitata probatur: Nullus actus est culpabilis de novo, nisi quia fit contra aliquam legem tunc obligantem, sed lex non obligat, nisi cognita aliquomodo, ergo invincibiliter ignorans ibi esse hominem, adeóq; ignorans legem prohibêtem occasionem illius, quod ibi videt, occidendo non peccat.

Arguitur: Talis ignorantia in illo casu non tollit rationem voluntarii ab illo actu, respectu etiam occisionis hominis, ergò non excusat ab homicidio. consequ. patet. antec. probatur: illud non tollit rationem voluntarij, quod si adesset, non impediret actum, imò fortè magis urgeret, sed sic se habet ignorantia

concomitans in proposito, ergo. Respond. neg. antec. quia nihil volitum, quin præcognitum: ad prob. dico, maj. esse falsam, quia quamvis si adesset, fortè non impediret actum voluntariè elicitum, tamen de facto & quando non adest, impedit voluntarium in illo actu homicidii, quia removet conditionem necessariò requisitam ad voluntarium, in illo actu, quâ homicidium est, scilicet considerationem debitam.

Instatur: Pono, quòd Petrus sit actualiter affectus, ut velit illud animal occidere, sive sit fera, sive hostis, occidat tamen hostem, petò utrum tunc excusetur? Respond. talem non censeri habere plenam ignorantiam illius objecti, sed potius confusam, quòd ibi sit hostis, ideoq; talis ignorantia non excusat.

Urgetur: In illo casu Petrus vult & intendit occidere illud animal, sed Joannes inimicus est illud animal, ut suppono, ergo intendit occidere Joannem, Respond. distin. maj. illud animal æstimatum feram, conc. secus, nego.

IV. Ignorantia crassa non excusat à culpa, sed minuit.

Dico Tertiò: *Ignorantia crassa seu supina juris vel facti, non excusat simpliciter à tota culpa, sed solùm ex parte minuit.* Est communis. Prima pars patet, quia operans ex tali ignorantia omittit culpabiliter inquirere legem præcipientem, quæ recta sunt, nec facit, quod tenetur, ut sciat, vel caveat peccatum, ergo undequaque non excusatur. Secunda pars etiam patet, quia ratione præfatæ ignorantiæ est minor contemptus legis, quàm si scienter fieret, minorque conatus & libido ad peccandum, ergò.

V. Ignorantia affectata minuit culpam.

Dico Quartò: *Ignorantia etiam affectata aliquomodo minuit culpam ex ea secutam.* Ita Salas, & alij, à quibus in re non videtur dissentire Cord. lib. 2. q. 20. Dixi *aliquomodo*, quia reverà comparatione ignorantiæ crassæ vel supinæ parum excusat, quia taliter ignorans dupliciter videtur contemnere legem, volendo scilicet illam ignorare, & ex hoc agere contra eandem. Probatur conclusio, quia simpliciter loquendo magis contemnit legem, qui expressè & distinctè eam sciens nihilominus transgreditur, quàm qui eam etiam affectatè ignorat, v. g. occidens hominem sciens esse talem, quàm per fenestram explodens non curans advertere, an transeat aliquis, quia in primo est directè voluntarium, in secundo verò non nisi indirectè, & in sua causa, item quia primum est certum, sed secundum est tantùm temerarium, & periculosum.

Probatur Secundò: Id est magis voluntarium, in quod tendit voluntas sub sua ratione specifica & distincta, quàm in quod tendit sub ratione tantùm generica, & confusa, non curans scilicet, sit ne hujus vel illius speciei, sed occidens hominem scienter, vult hoc peccatum sub sua ratione specifica, occidens autem ignoranter licèt affectatè nolens scilicet scire, an sit homo, vult tantùm aliquid, quod est indifferens ad rationem homicidii, vel non homicidii, ergo hic minus peccat, & ratio horum est, quia lex in propria & distincta specie proposita magis movet, magisq; obligat ad sui observationem, quàm in confuso tantùm proposita, vel affectatè tantùm ignorata, ergo faciens contra legem specificè & distinctè cognitam, magis contemnit eam, quàm faciens contra eam affectatè ignoratam.

Arguitur Primò: Peccans ex ignorantiâ affectata peccat ex duplici malitia, at scienter peccans non nisi ex unâ, ergò gravius ille peccat quàm hic: maj. patet, quia talis avertit se & à scientia requisita, & simul à lege obligante, scienter autem peccans tantùm avertit se à lege. Respond. neg. maj. ad prob. dico, quòd avertere se à scientia requisita in tantum est malum, in quantum per hoc incurritur periculum, & temeritas transgrediendi legem. Vel secundò Responderi potest, quòd licèt affectatè ignorans extensivè magis peccet, quàm scienter transgrediens legem, hic tamen magis intensivè peccat, quia magis perversè & malitiosè.

Arguitur Secundò: Qui vult ignorare legem, ut indè liberiùs peccet, hoc ipso vult peccatum, & quidem cum majore libidine, & conatu in illud fertur, sed talis est peccans ex affectata ignorantia, ergò gravius peccat. Respond. Si talis sit in se ita dispositus, ut paratus sit absolutè malum committere, etiam si illud sciret, tunc æquè saltem peccat, ac si scienter ageret, & hoc non negat conclusio, sed solùm in casu, quo quis affectat ignorantiam, ut liberius, id est sine majori obligatione ac contemptu legis possit frui concupito.

Dico Quintò: *Si nulla præcessit co-*

VI. *Ebriorum facta qua ratione imputãtur ad culpam.* *sit cogitatio, vel in actu, vel in debito de opere malo in ebrietate, vel simili causa culpabili secuto, vel etiamsi præcessit aliqua cogitatio, adhibuit nihilominus debitam diligentiam, nè tale opus eveniat, ejusmodi opus coram DEO non imputatur ad culpam novam distinctam à culpa suæ causæ.* Conclusio quoad omnes partes est communis, & D. Bonavent. in 2. d. 22. a 2. q. 3. Castro lib. 2. de lege pœnali cap. 14. & aliorum apud Vasquez. dist. 127. Prima pars de se patet, quia nihil est peccatum, nisi voluntarium, nec voluntarium, nisi aliquomodo præcognitum. Secunda pars etiam patet, quia quamvis prævideatur aliquomodo talis effectus secuturus ex causa, si tamen adhibeat debitam diligentiam ad illum præcavendum, puta si evitet tale consortium hominum, cum quibus rixari solet, vel consortium fœminarum, cum quibus periculum esset, quòd inebriatus peccaret, si in quantum evitet tales occasiones ante ebrietatem, & fugit ad alium locum, in quo non est simile periculum, etiamsi postea sequatur opus in se aliàs malum, tunc dicit conclusio, quòd non imputatur ad culpam, cùm nullo modo sit volitum aut prævisum, vel si aliquo modo fuit prævisum, adhibuit tamen debitam cautelam. Confirm. Conclus. ex ijs, quæ S. Scriptura, & Patres dicunt de incestu Loth in ebrietate, excusantes eum à peccato incestûs, quamvis non ab ebrietate. Origenes enim homil. 5. in Genes. ita loquitur: *Nescio si quis potest excusare Loth, ut eum immunem faciat à peccato, nec rursum eum ita accusandum puto, ut ita gravis incestus fieri debeat reus, non enim invenio eum insidiatum esse, aut violenter eripuisse pudicitiam filiarum, sed magis insidias passum, & artè circumscriptum, sed neque rursus circumventus esset à puellis, nisi inebriari voluisset, unde videtur mihi in parte culpabilis, in parte excusabilis, excusari namque potest, quòd à concupiscentiæ & voluptatis crimine liber sit, subjacet culpæ, quòd decipi potuit, quod vino nimis indulsit.* Idem habent alij Patres. Quæ contra hanc conclusionem objici possunt, soluta sunt supra, Solùm hic addendum est ex Majori in 4. d. 17. q. 8. multa facta ebriorum etiam prævisa non reputari ad peccata, quæ alioquin essent, si fierent à sobriis, nempe dicta vel facta contumeliosa, ex quibus non sequitur ullum detrimentum proximi, ratio est, quia ejusmodi in æstimatione hominum non reputantur injuriosa, secus dicendum de morte, mutilatione, vel alio damno corporali, quia hæc lædunt proximum, sunt etiam alia, quæ in ebrietate facta non reputantur peccata, quæque postulant scienter fieri, cujusmodi sunt blasphemia, infidelitas, perjurium, nam qui non videt vel dubitat esse falsum, quod jurat, perjurus non censetur.

QUÆSTIO DECIMA.

An & quomodo ignorantia juris & facti excuset à peccato, & à pœna Legis humanæ?

AB essentiali pœna ad accidentalem, quæ ab homine fieri solet, progredior, ut materiarum distinctio majorem afferat claritatem. Est autem accidentalis pœna in foro Ecclesiastico quàm maximè Censura Ecclesiastica, quæ in punitionem culpæ statuta est: potestque talis dupliciter considerari: Primò enim sunt quædam propriè dictæ pœnæ propter delicta in peccantes latæ, ut Excommunicatio, Suspensio, & Interdictum. Aliæ impropriè dictæ, quæ non tam ob punitionem culpæ, quàm ob reverentiam divinorum, vel aliam justam causam statuuntur, ut Irregularitas, Bigamia, Cessatio à divinis &c. pro intelligentia dicendorum in posterioribus conclusionibus I. *Pœna Ecclesiastica est duplex.*

Notandum Primò: Quod culpa, ob quam pœna infligitur, & ut distinguitur à dolo, sit *Deviatio incircumspecta ab eo, quod secundum legem esse deberet, & per hominis diligentiam prævideri poterat:* Et est tri- II. *Culpa quid & quotuplex.*

plex *Lata, Levis*, & *Levissima*. Culpa *Lata* est incircumspecta deviatio ab eâ diligentiâ, quam habent communiter homines ejusdem professionis. Culpa *Levis*, est deviatio ab ea diligentia, quam communiter habent homines diligentes in similibus actionibus. *Levissima* autem dicitur incircumspecta deviatio ab ea diligentia, quam communiter diligentissimi homines in similibus adhibent. *Dolus* ut distinguitur à culpa, est calliditas, fallacia, seu machinatio insidiosa nocendi Et est duplex, *Verus* & *præsumptus*. *Verus* dolus est formale propositum nocendi, vel peccandi. *Præsumptus* autem coincidit cum culpa lata. Pro quo

III. Peccatum quando punitur ex dolo vero.

Notandum Secundò: Tunc dignosci legem punire peccatum tantùm ex dolo vero quando imponitur pœna corporis vel sanguinis, aut quando punitur in fama, vel in statu, quia ibi culpa lata, seu dolus præsumptus non æquiparatur dolo vero. Ita Sylvester *tit. Culpa*. q. 10. & *tit. Pœna*. q. 16. & alii apud Cordubam. Et generaliter in utroque foro tunc punitur pœnâ legis peccatum ex dolo vero tantùm & non præsumpto, quando lex expressè id sonat, ut cùm dicit: *Si quis suadente diabolo* &c. *Si quis scienter, aut dolosè* &c. & maximè, si delevi aut levissima, sive ignoretur, sive non, non incurratur regulariter pœna, seu censura legis. Ita communior opinio Doctorum, & Ratio est, Quia regulariter non imponitur talis pœna nisi pro dolo vero, aut præsumpto. Dixi *Regulariter*, quia aliquando, licèt rarò, incurritur irregularitas, vel alia pœna legis ob levissimam culpam, ut cùm Medicus occasione medicinæ occidit hominem infirmum ob suam levissimam, vel nullam culpam, & hoc quia sic voluerunt leges propter odium criminis, & facti in se, vel ob decentiam statûs Ecclesiastici. His prænotatis

IV. Ignorantia crassa non excusat à culpa, nec à pœna.

Dico Primò: *Ignorantia crassa, vel affectata juris vel facti, sicut non excusat à culpa mortali, ita nec à jure, vel ab homine lata*. Est communis, & Glossæ *cap. Apost. in ver. probabilis*. Panor. num. 3. & 4. Adriani in 4. tract. de clavibus q. 1. & alii, quos citat, & sequitur Sayrus de censuris lib. 1. cap. 18. & probatur eadem ratione, quâ supra ostendi ignorantiam crassam non excusare à culpa. Ex hoc infertur, quòd percutiens Clericum, quem ex ignorantia crassa vel affectata ignorat esse talem, non solùm peccet peccato sacrilegii, sed etiam excommunicationem incurrit secundùm communem. *in cap. si verò.*

V. Ignorantia invincibilis excusat à culpa & à pœna.

Dico Secundò: *Ignorantia invincibilis juris, & facti sicut à peccato, ita etiam ab excommunicatione, aliisq. pœnis excusat, v. g. si statutum sit, nè quis arma de nocte deferat sub pœna excommunicationis, Petrus ignorans invincibiliter illud statutum, & ignorans similiter factum in se esse malum, non peccat contra faciendo, nec incurrit pœnam legis*. Ita Corduba lib 2. q. 26. Sayrus, ubi suprà, & alii. Probatur: Quia eadem ratione qua ignorantia invincibilis excusat à culpa, excusat à fortiori à pœna propter illam culpam statuta, cùm hæc non nisi ob culpam regulariter statuatur. Ex hoc

Infertur Primò: à paritate, quòd ignorantia invincibilis circumstantiæ, quæ speciem peccati aggravat, vel mutat, sicut excusat à culpa, sic etiam à pœna propter talem circumstantiam lata. v. g. peccans cum moniali ignorans talem esse, sciens tamen non esse suam, licèt peccet peccato fornicationis, excusatur tamen à peccato sacrilegii, adeoque à pœna propter hoc, si quæ imposita est.

Infertur Secundò: Quòd percutiens Clericum putans invincibiliter non esse talem, etiamsi sciat esse hominem, tametsi sit percussor, non tamen incurrit excommunicationem latam contra percutientem Clericum, ita Covarru. cap. *Alma Mater* Prima parte, Et alii apud Sayrum suprà. Ratio est, quia hæc pœna infligi-

infligitur solùm temerariis Clericorum percussoribus, non autem percussoribus hominum, talis autem non fuit in nostro casu, cùm invincibiliter ignoraverit eum esse Clericum, secus autem dicendum de eo, qui percutit Petrum Clericum, putans invincibiliter esse Paulum Clericum, cui soli inimicus erat, sciens tamen certò esse Clericum, tunc enim talis est verè percussor Clerici, & excommunicatus, quia licèt erraverit in hoc particulari individuo, & secundùm hoc actus videatur involuntarius, veruntamen actus iste est voluntarius in objecto, & percussione Clerici, ideoque in re censetur temerarius percussor Clerici, quidquid in hac re dicant nonnulli.

Infertur Tertiò: Quòd ignorantia invincibilis facti ob inadvertentiam circumstantiæ, aut speciei, licèt non excuset à peccato mortali opus, benè tamen ab excommunicatione, unde volens percutere Petrum laicum, & errans in persona percutit Paulum Clericum, existimans esse Petrum laicum, eò quòd absq; habitu Clericali & tonsura incedens appareat laicus, non est excommunicatus, ex cap. *Si verò secundo de sententia excommunicationis.* Ratio est, quia talis non censetur temerarius percussor Clerici, utpotè quem invincibiliter ignorat esse talem.

IV. Ignorantia invincibilis Canonis excusat à pœna humana.

Dico Tertiò: *Ignorantia invincibilis Canonis, aut statuti pœnam excommunicationis, vel similem statuentis pro actu aliquo jure divino, aut naturali minimè probibito, sed solùm jure illo positivo excusat ab eadem pœna.* Ita Bartolus in *leg. Cunctos populos.* n. 21. Panor. Angelus, & alii apud Sayrum. Probatur: Quia excommunicatio, vel quævis alia pœna Ecclesiastica non infertur nisi ob culpam, ergo sicut illa ignorantia Canonis excusat à culpa, ita & à pœna Canonis. Ex quo patet, quòd contrahens cum ea, quæ in 3. vel 4. gradu consanguinitatis, vel affinitatis est sibi conjuncta, ignorans invincibiliter jus canonicum tales nuptias prohibens, licèt matrimonium in se invalidum sit, non tamen incurrit talis excommunicationem Clementinæ Unicæ de consanguinitate & affinitate; nec peccat eàm cognoscendo, quamdiu manet in illa ignorantia. Ita Navarr. in Manuali cap. 22. n. 43. & alii apud Sayrum, de Censuris lib. 1. cap. 18.

VII. Ignorans canonem ob delictum lege divina prohibitum nec incurrit pœnam.

Dicò Quartò: *Ignorans invincibiliter Canonem non solùm Ordinarii, sed etiam Papæ, excommunicationem, vel aliam pœnam imponentem pro delicto alioquin lege divina vel naturali probibito, & ut tali cognito, committens illud delictum, pœnam talis canonis non incurrit.* Conclusio loquendo de canone Ordinarii est satis communis, eámq; tenet Joannes Andreas cap. 2. V. *Ignorans.* Glossa, verb. *Ignorantes*, de constitut. lib. 6. & alii plurimi apud Sayrum suprà, loquendo autem de canone Pontificio; idem tenet dictus Sayrus, & Joann. Andr. in cap. *Ut animarum* nec improbabilem reputat Corduba lib. 2. qu. 22. contra quosdam alios apud eosdem Authores, sed dicta opinio æquior est, & in praxi magis tenenda, quia pœnæ sunt semper restringendæ, & Probatur Primò: Ad excommunicationem & similem gravem pœnam requiritur contumacia, & inobedientia contra Ecclesiæ præceptum, juxta illud Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit*, ex quo loco deducunt Theologi, Ecclesiam habere potestatem ligandi & solvendi etiam in foro exteriori, nunc autem ignorans legem Ecclesiasticam, nec contumax, nec inobediens Ecclesiæ dici potest, ergo.

Probatur Secundò: Quantitas pœnæ debet proportionari quantitati culpæ cap. *Felicis. de pœna.* lib. 6. sed talis peccans licèt offendat DEUM, eiq; sit inobediens & contumax, non tamen offendit Conditorem canonis, nec ei inobediens censetur, cùm canonem ignoret, ergo nec incurrit pœnam ejusdem canonis,

nis, sive conditor sit Ordinarius, sive summus Pontifex.

Probatur Tertiò: Quia non est verisimile, quòd pia Mater Ecclesia, aut summus Pastor in terris velit fidelibus laqueum injicere, quod tamen faceret, si ignorantia invincibilis non excusaret à quibuscunq; pœnis canonicis, nimis enim durum esset affirmare, Indos & alios à Curia Romana longè remotos obligari ad constitutiones à Romano Pontifice editas, etiam pro peccato, aliàs jure divino damnato, priusquam dictæ constitutiones ad eorum aures pervenirent, de quibus nec ipsi probabiliter inquirere tenentur. Contra secundam partem hujus ultimæ Conclusionis, in qua sola est difficultas,

Arguitur Primò: Ex cap. *Ut animarum*, de constitutione lib. 6. ubi Pontifex vult statuta Ordinariorum non obligare ignorantes. Ex qua arguunt Authores contrariæ sententiæ dictum caput est novi juris inductivum, adeò ut ante ejus editionem, statuta etiam Ordinariorum obligarent ignorantes, ergò cùm per dictum caput Papa solùm excipiat statuta Ordinariorum, manet adhuc jus commune, & Pontificium in suo vigore sicut antea. Respond. Dictum caput nobis magis favere, quia utrobique par est ratio, unde falsum est, quod assumit ibi Adrianus, scilicet Papam ibi jus novum condidisse, solùm enim Pontifex declaravit ibi jus communè, contra quod judices Ordinarii credere possent ignorantiam invincibilem suorum statutorum non excusare, ut rectè notavit Sayrus ex Soto.

Arguitur Secundò: Ex cap. *Illorum. de sententia excommunicationis*, ignorantia juris infligentis excommunicationem percussori Clerici, non excusat ab irregularitate eum, qui memor facti, & juris ignarus, Ordines in eo statu suscipit, ergò ignorantia juris Pontificii non excusat à pœnâ. Respond. Canonem illum intelligi de ignorantia crassa, & culpabili, non de invincibili, cùm enim Canon ille de Clerici percussione sit omnibus notissimus, ut ibi supponit Pontifex, ideò percussor ille præsumitur Canonem illum scire, adeóque ex lata, seu præsumpta culpa excommunicationem incurrere. Hoc modo interpretari debet Scotus. dum in 4. dist. 6. q. 9. n. 1. & 2. dicit: quòd reiterans baptismum sciens divinam legem id prohibentem, quamvis ignoret jus humanum statuens pœnam, sit irregularis. Idemque dicit de percussore Clerici. Ad hoc, inquam, dicendum est, Scotum ibi loqui de ignorantia juris crassa, & culpabili, maximè cùm casus ibi à Scoto positi sint contra jura omnibus ferè nota, vel cognitu facilia, ideoque præsumit ibi Scotus, quòd talia jura ignorantes culpabiliter ignorent, & sic rectè dicit, eos non excusari; quod clariùs insinuat in 4. dist. 13. q. 2. n. 10. ubi loquens de pœna ministrantis Eucharistiam in quocunque impedimento canonico, dicit quòd ignorantia juris à tali pœna non excusat, & rationem subdit: *Quia*, inquit, *tenetur ille, qui se exponit ad tantum actum, scire Jura, secundùm quod debet exercere talem actum, & ideò talis ignorantia juris non excusat*: ubi patet, eum loqui de ignorantia crassa, quæ est privatio scientiæ, quam deberet quis habere.

Arguitur Tertiò: Quamvis quis ignoret pœnam civilem, nempè quòd fur, vel homicida suspendendus sit, si tamen furtum, aut homicidium committat, pœnam legis non evadit, cùm satis sit, quòd sciat, vel scire debeat actum esse malum, & jure divino damnatum, ergò similiter licèt quis ignoret pœnam excommunicationis, vel similem à lege latam contra factum jure divino damnatum, talem pœnam non evadet. Confirmatur: Quia qui scienter peccat contra legem naturalem aut divinam, esto ignoret pœnam inferni pro tali infligendam, non proindè evadit pœnam æternam, ergò similiter in proposito. Respond. Neg. consequ: quia quamvis ignorantia probabilis, vel etiam invincibilis pœnæ

pœnæ ordinariæ à lege civili imposita pro delicto ex se malo, non excuset ab illa ordinaria pœna legis, eò quòd delinquendo consentire videatur in pœnam ordinariam tali delicto correspondentem, cùm sciat, aut scire debeat, omni peccato aliquam ordinariam pœnam imponi solere. Ex Leg. *Imperatores. §. de jure fisci.* secus tamen dicendum est de pœnis exorbitantibus de novo, & extraordinariè impositis pro delictis jure communi prius damnatis, ut latè probabat Crotus in repetitione capitis *Ut animarum. n. 27. de constitut. lib. 6.* Et ita licèt ignorantia communiter nequeat esse justa circa legem naturalem vel divinam, & per hoc peccans mereatur pœnam ordinariam pro talibus delictis taxatam, cujusmodi pro peccato mortali est pœna æterna, quia talis pœna scitur, vel sciri debet, potest tamen esse justa ignorantia circa pœnam exorbitantem, & extraordinariam legis humanæ, quia etsi sciat, vel scire debeat, id quod facit esse malum, & puniendum juxta naturam delicti, & proindè consentire videatur in pœnam ordinariam, nescit tamen, nec scire semper debet tantam pœnam, quanta est excommunicatio, vel similis exorbitans, esse latam, nisi facta debita promulgatione. Per hæc patet ad confirmationem

Arguitur Quartò: Ex *cap. 1. & ultimo. de sententia excommunicationis*, habetur impuberes *in Canonem*, & excommunicationem capitis, *si quis suadente diabolo* incidere, quandoquidem ibi agatur de ipsis absolvendis ab ea excommunicatione, sed illa ætas quidquid videt, ignorat, ergò signum est, ignorantiam juris non excusare. Respond. dictum caput loqui de impuberibus doli capacibus, adeoque potentibus scire legem & Canonem. Et cùm dicitur, quòd talis ætas quidquid videt ignorat, solùm est verum de iis, qui sunt doli incapaces.

DISPUTATIO SEPTIMA.

DE

Effectibus Peccati Actualis.

EX *nihilo nihil fit*, decantata est parœmia: Peccatum nihil est, nihil ergò causare deberet? Sed eheu! quanta mala hoc unum operatur malum: Angelos de cœlo ejecit, Adamum ex paradiso, Posteros gratiâ spoliavit, omnes, qui operantur iniquitatem, reos facit mortis, gehennæ, & æternæ damnationis! Et hoc non tantùm quando illud nihilum actui, & actu inest, sed & quando transiit, hominem relinquit esse peccatorem, adeoque aliquid esse debet, undè denominetur homo peccator, quidquid illud sit, effectus peccati est, quem S. Jeremias vocat *Maculam* cap. 2. *Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam Borith, maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus DEUS.* Ezech. 24. *Immunditia tua execrabilis: quia mundare te volui, & non es mundata à sordibus tuis.* Et cap. 36. *Et effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab universis idolis vestris mundabo vos.* D. Paulus appellat *sordes* ad Ephes. 1. Et 1. ad Cor. 8. *Pollutio, Conscientia ipsorum, cùm sit infirma, polluitur*, quibus metaphoris Spiritus S. indicat, quòd quemadmodum maculæ & sordes auferunt nitorem, & splendorem corporis causando fœditatem, sic peccatum actuale auferens gratiæ nitorem ab anima, relinquit post se fœditatem. Primus ergò effectus peccati actualis est macula quædam in anima. Secundus reatus pœnæ. Tertius corruptio naturæ rationalis, de quo jam egi suprà Disp. 2. q. Restat ergò de primis duobus hic agendum.

QUÆ-

QUÆSTIO PRIMA.

De Macula relicta & remanente ex peccato actuali, quæ peccatum habituale dicitur.

I. Malitia transacto facto transit.

PRima & potissima difficultas est, cùm ex una parte malitia moralis, vel macula non insit animæ, nisi mediantibus suis potentiis, neq; potentiis, nisi mediantibus actibus: Et ex alia parte actus statim transeat, hinc fit, ut omnis relatio, vel privatio, bonitas aut malitia, quæ tali actui inerat ipso actu desinente desinere oporteat. Quæritur igitur, quid post actum transactum sit in homine, à quo formaliter & verè dicatur peccator, ad cujus deletionem requiritur pœnitentia? Qua in re prima sententia, seu potius error est quorundam asserentium, maculam peccati consistere in qualitate morbida, qui error suprà rejectus est à me, agendo de peccato originali.

II. Macula peccati non consistit in habitu vitioso.

Secunda sententia docet, maculam esse habitum vitiosum ex peccato relictum, favet Bassolis in 4. dist. 4. q. 2. hæc etiam ab omnibus rejicitur, Primò, Quia in justo recenter converso, manent multi mali habitus, seu pronitates ad malum. Secundò, Quia unus habitus malus expellit alium, ut prodigalitas avaritiam, & unum peccatum habituale non sic expellit alterum, ergo macula, seu peccatum habituale non consistit in aliquo vitioso habitu ex actibus relicto.

III. Macula non consistit in obligatione ad pœnam.

Tertia sententia ait, maculam seu peccatum habituale consistere in obligatione quadam ad pœnam condignam tali culpæ, quæ obligatio secundùm hanc sententiam est relatio realis fundata, non in ipso actu, utpotè qui jam transiit, sed in ipsa essentia animæ ex præsupposita actuali culpa jam præterita. Hæc sententia à multis tribuitur D. Thóm. in 4. dist. 14. q. 2. a. 1. verùm Soto non vult esse D. Thomæ, sed sententiam illius esse, quam tradit 1. 2. q. 86. a. 1. & 2. videlicet maculam consistere in privatione gratiæ, quæ est lux & nitor animæ, ac proinde hominem post transactum peccatum esse in peccato, nihil aliud esse, quàm carere gratiâ, & per hoc esse DEO invisum, peccatum verò remitti, esse redire ad gratiam sanctificantem. Vasquez disp. 139. cap. 5. ait: maculam consistere in eo, quod est peccâsse, & non revocâsse, pro hac citatur etiam D. Thomas. Alii, ut Medina, tract. 1. de pœnitentia q. 7. Suarez tom. 4. disp. 9. sect. 4. dicunt, maculam consistere in eo, quod est peccâsse, & condonatum non esse: hæ duæ ultimæ sententiæ in eo deficiunt, quòd neutra se sola sufficienter explicet naturam peccati habitualis, seu maculæ: de prima patet, quia etiamsi homo retractâsset actum præteritum, adhuc macula maneret, nisi DEUS condonaret, ergo sicut ad deletionem maculæ præter retractationem ex parte hominis, requiritur condonatio ex parte DEI, ita ad hoc, ut intelligatur macula illa permanere, præter hoc, quod est non retractâsse, requiritur etiam DEUM non condonâsse. Ex quo etiam patet insufficientia alterius sententiæ, quia præter hoc, quod est DEUM non condonare peccatum, requiritur etiam hominem non retractâsse, ad hoc, ut intelligatur manere, sicut ad ejus deletionem de lege ordinaria requiritur retractatio actûs præteriti per pœnitentiam, ex qua sequitur condonatio ex parte DEI juxta suam promissionem; unde videtur mihi ex his duabus ultimis sententiis posse integrari unam bonam, & veram juxta mentem Scoti.

Quinta itaque sententia principaliter controversa, & impugnanda est, quam sequuntur Gabriel in 4. dist. 14. q. 1. Major q. 1. Bassolius ibidem, Almainus, & Angles de Sacramento pœnitentiæ art. 3. qui omnes dicunt peccatum habituale, seu maculam post actum remanentem consistere in ordinatione ad pœnam,

nam, quæ ordinatio est denominatio extrinseca ab actu divinæ voluntatis ordinantis culpam actualem ad pœnam. Hæc ab omnibus tribuitur Scoto in 4. d. 14. q. 1. & ut talis ab omnibus ferè rejicitur, à quibusdam censuratur, Lorca dicit, quòd defendi amplius non potest propter Bullam Pii V. & Gregorii XIII. contra Bajum. Vasquez ait esse notatam ab iisdem Pontificibus in Bulla quadam, qua damnantur propositiones quædam Baji, quarum 53. erat. *In peccato duo sunt actus & reatus, transeunte actu nihil manet nisi reatus, sive obligatio ad pœnam. Unde in Sacramento baptismi aut sacerdotis absolutione propriè reatus peccati duntaxat tollitur, & ministerium sacerdotis solùm liberat à reatu.* Hæc Bajus, quæ verba dicunt Adversarii esse doctrinam Scoti.

Sed priusquam, quæ sit mens Scoti declarem, Notandum est, non omnes propositiones dicti Baji (ut monet ipse Vasquez) esse damnatas, & hoc tantùm in sensu ab assertoribus intento, nam in fine ejusdem Bullæ subditur: *Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quanquam nonnulla aliquo pacto sustineri possent, in rigore tamen, & proprio verborum sensu, ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas &c. præsentium authoritate damnamus.* His adjungit Vasquez ex suo: *Et quamvis*, inquit, *prædictæ propositiones non damnentur, nisi in sensu ab authore intento, hanc tamen propositionem non docuit ille in alio sensu, quàm Scotus, & quàm verba sonant.* Hæc Vasquez. Quæ si vera sint, mirum profectò est, cur tot summi Pontifices, præsertim Pius & Gregorius, eas in Scoto non notaverint, cur tot judices expurgatorii ab adversariis doctrinæ Scoticæ per tot sæcula ex operibus Scoti eas non ex Societ: JESU expunxerint? cur Antonius Posovinus in suo apparatu de Scoto loquens dicat: *Cujus doctrinæ grave illud testimonium extat, quòd ejus libri absq; ullo erroris nævo usque in hanc diem per trecentos circiter annos in OEcumenicis Conciliis inviolati permanserint* &c? Cur deniq; Sacra Congregatio Cardinalium teste Cavello in vita Scoti, districtè mandaverit Magistris Sacri Palatii, quæcunq; Scoti esse constiterit sine ulteriori examine liberè prælo mandari sinant? Tenendum ergo est, non in eodem sensu dictas propositiones intentas esse à Bajo, ac à Scoto, quod ulterius probatur, quia Bajus dicit transeunte actu nihil remanere præter reatum, vel obligationem ad pœnam; at Scotus expresè dicit remanere injustitiam habitualem, id est carentiam gratiæ sanctificantis: Tum, quia Bajus dicit in Sacramento baptismi, & pœnitentiæ reatum duntaxat tolli: at Scotus ubiq; docet, etiam gratiam sanctificantem conferri. Tum deniq; assertores illarum propositionum de rigore sermonis videntur velle, quòd illa obligatio remanens, sit obligatio absolutè proveniens ex voluntate DEI, nulla habita relatione ad peccatum præteritum commissum. At Scotus non ita, sed expresè docet, illam obligationem dicere respectum ad pœnam, non quomodocunq; sed ut debitam propter peccatum commissum, in re quidem præteritum, moraliter tamen permanens, ergo longè diversus est sensus Scoti à sensu Michaëlis Baji. Quare cùm adversarii ad corticem litteræ attendentes nimis exaggerant id quod aliquoties repetit Scotus, videlicet offensam, maculam, reatum, cessante actu peccati nihil aliud esse, quàm relationem rationis, seu ordinationem ad pœnam, ideò oportet hìc parum sistere, & ex ipso fonte genuinam Scoti mentem colligere. Scotus igitur in 4. d. 14. q. 1. n. 3. quærens quid remanet in peccatore transeunte actu, à quo dicitur peccator, duo facit, Primò, ostendit, quid non sit illa macula, quæ remanet. Secundò explicat, quid sit, quoad primum dicit, & cum ipso ego

IV. Scoti libri inoffenso pede legendi.

V. Macula peccati non est privatio gratiæ sanctificantis.

Dico Primò : *Illam maculam non esse solam privationem gratiæ, quæ dicitur justitia habitualis, & nitor animæ.* Est contra D. Thomam, & Authores quartæ sententiæ suprà relatæ. Ante probationem Notandum est, Scotum notanter dixisse maculam illam non esse solam privationem gratiæ, per hæc apertè innuens, maculam peccati de lege ordinaria involvere privationem gratiæ, sed non solam, quod probat Primò : Quia ex opposito sequeretur, quòd qui commisisset duo millia peccatorum, non esset magis peccator, quàm qui unum commisit tantùm peccatum : probatur sequela : Quia per minimum mortale privatur quis gratiâ totaliter, ac per duo millia, ergo si peccatum habituale in sola privatione gratiæ consistit, unus non erit magis peccator quàm alius, præsertim in sententia D. Thomæ, qui dicit, quòd privatio in facto esse non suscipit magis & minus, adeóq; privatus gratiâ propter unicum peccatum non erit minus privatus, quàm si mille committeret.

Dices cum aliquibus: Privationem gratiæ in illis esse inæqualem, ex eo, quòd graviùs, & sæpius peccans majori se gratiâ privet. Sed contra: sæpè fit, ut quis post acquisitum magnum cumulum gratiæ ac meritorum semel tantùm, & non adeò graviter mortaliter peccet, & consequenter perdat habitum gratiæ multò intensiorem, quàm perdit facinorosissimus aliquis, qui post gratiam baptismalem nullum unquam gradum gratiæ acquisivit, sed semper in statu peccati permansit, sed si solutio illa esset vera, sequeretur, quòd primus graviùs peccaret, quàm secundus, siquidem intensiori habitu gratiæ se privavit. Dices cum Cajetano, Soto, Medina, & aliis, quòd macula non est nuda, & pura privatio gratiæ, sed cum ordine ad causam scilicet peccatum præteritum, seu ad voluntatem liberè operantem, & sic ex diversa ratione, majoriq; intensione, vel extensione voluntarii in peccando, privatio gratiæ dicitur magis, vel minus intensa, vel extensa, ita quòd secundùm diversitatem peccatorum, maculæ seu privationes gratiæ sint majores vel minores, ad eum modum, quo ex diversitate corporum Soli objectorum diversificantur umbræ. Sed contra : Nec hæc solutio satisfacit, nam non aliter intenditur, vel augetur privatio formæ, quàm intenditur vel augetur ipsa forma, sed gratia secundum omnes per primum peccatum totaliter destruitur, ita ut nihil ejus remaneat, ergo ejus privatio tunc succedens privat totaliter intensivè & extensivè gratiâ, ergo secundum peccatum succedens sicut nihil minuit, aut tollit de gratia, utpotè cujus nihil jam existit, ita nihil augeat, vel intendit in privatione gratiæ factum per primum peccatum, quantumvis augeat de voluntario, ergo inintelligibile est, quod isti dicunt, scilicet privationes gratiæ esse majores, vel minores, secundùm diversitatem peccatorum præteritorum, unde falsum est, quod supponunt, scilicet diversitatem privationum desumi à diversitate causarum, cùm potius ex diversitate formæ privatæ desumatur, nam cœcitas in oculo, sive à DEO, sive ab homine, sive à quacunq; alia causa inducatur, erit ejusdem semper speciei, quia privat semper formâ ejusdem speciei, scilicet visu, unde eorum exemplum est ad oppositum, nam revera in eâdem parte aëris respectu ejusdem partis luminis non possunt à diversis quantumvis corporibus sibi in eâdem parte aëris eodem situ & dispositione succedentibus causari diversæ specie umbræ, vel etiam numero, siquidem ejusmodi corpora, quantumvis inter se diversa, si eundem situm, dispositionem, & figuram habeant, eandem umbram causabunt, eandémq; luminis privationem.

Probatur secunda conclusio : Privatio gratiæ est pœna peccati à solo DEO physicè causata, sicut ab ipso solo physicè infunditur, sed peccatum

catum habituale non est à DEO, ergo privatio gratiæ non est ipsum peccatum habituale permanens. Tertiò: Si per impossibile nulla esset gratia, adhuc posset esse lex, ergo posset esse peccatum, quo casu peccatum non esset privatio gratiæ.

Arguitur incontra Primò: Justitia habitualis est ipsa gratia sanctificans, ergo injustitia seu peccatum habituale est privatio gratiæ sanctificantis. Respond. neg. consequ. licèt enim gratia dicatur justitia habitualis, in quantum est causa formalis justificandi opera bona in ordine ad vitam æternam, non est tamen justitia illa, quæ privativè opponitur peccato, sed hæc est rectitudo actualis debita inesse actui, & quæ post actum moraliter debet permanere, & per consequens peccatum habituale, erit potius privatio rectitudinis habitualis, quæ deberet inesse.

Arguitur Secundò: Peccatum habituale est macula & immunditia animæ, & ex alia parte gratia est nitor animæ, ergo peccatum habituale nihil est aliud, quàm privatio illius nitoris. Respond. distin. conseq. est privatio solius gratiæ, nego, illius, & adhuc aliquid aliud suprà, conc. Itaq; argumentum benè concludit peccatum de lege ordinaria involvere privationem gratiæ, sed non solam, nec ex eo solo peccatum dicitur macula, quia privat gratiâ, sed quia est ex se disconveniens animæ, & inductivum pœnæ, ac inimicitiæ DEI, & ex hoc etiam dicitur reatus vel offensa.

VI. Macula peccati nō quid reale absolutum vel relativum.

Dico Secundò: *Nihil reale absolutum, vel relativum est in anima cessante actu peccati, à quo quis dicatur peccator.* Hæc conclusio est communis contra tertiam sententiam, & est Scoti suprà. Probatur: Quia vel esset relatio realis intrinsecùs adveniens, vel extrinsecùs adveniens; non primum, quia hæc necessariò manet manentibus extremis, sed anima, quæ secundùm illam sententiam est fundamentum illius relationis, & pœna inferni, quæ est terminus possunt manere absq; eo, quòd anima sit ordinata ad talem pœnam, quia pono, quòd per pœnitentiam deleatur macula, ergo talis relatio non potest dici intrinsecus adveniens: Quòd nec etiam sit extrinsecus adveniens probatur, quia hæc non insurgit præcisè virtute extremorum, sed ab agente extrinseco causatur, ut patet de actione, passione, ubi, &c. ergo oportet assignare causam aliquam extrinsecam effectivam illius relationis: Tunc sic, hæc causa in proposito non est ipsa anima, quia hæc nullam actionem habet nisi eam, quâ actus peccati producitur, quæq; jam transiit, & cum ea omnis relatio per eam causata. Nec potest dici, quòd DEUS sit causa illius relationis, aliàs esset causa peccati habitualis, ergo peccatum habituale non consistit in aliqua relatione extrinsecus adveniente. Quòd nec etiam consistat in aliquo absoluto, omnes docent. Ex his

Arguitur in contra: Si peccatum habituale nihil reale, absolutum, vel relativum dicit, ergo DEUS propter nihil, seu propter ens rationis infligit pœnam æternam, nec sacerdos absolvit in Sacramento pœnitentiæ, nisi ab ente rationis &c. quæ omnia, sicut videntur, sunt absurda, ergo. Respond. distin. sequelam: Peccatum habituale est nihil, & ens rationis merè fictitium, neg. antec. Est ens rationis, & nihil reale, fundatum tamen verè in ente reali vero, vel interpretativo, conc. in hoc sensu autem non sequuntur dicta absurda, in primo tamen sequerentur, unde etiam optimè negaretur suppositum.

VII. Macula nō est elongatio à DEO.

Dico Tertiò: *Nec macula permanens, seu peccatum habituale est sola elongatio animæ à DEO, per dissimilitudinem, quâ DEUS est vita, & puritas animæ, & ideò elongari ab eo per peccatum, est esse pollutum & maculatum, donec per pœnitentiam ei appropinquet.* Hæc est contra Magistrum, & refutatur ibidem à Scoto, quia quamvis verum sit, quod in macula, seu peccato habituali inclu-

 datur

datur hoc, quod est esse elongatum, & dissimilem DEO, non tamen explicat quid illud sit, in anima post actum, quo dicitur sic elongata à Deo, vel ei dissimilis, cùm tamen in hoc sit tota difficultas.

Refutatâ scientiâ Magistri rejicit Scotus quendam alium modum dicendi, scilicet maculam nihil aliud esse, quàm habitum vitiosum à peccato actuali in anima relictum, sicut & ego supra rejeci, ostenso igitur quid non sit illa macula, postmodum explicat Scotus quid sit, dicitq; ejusmodi maculam nihil esse aliud, quàm relationem rationis, seu ordinationem ad pœnam condignam, ita quòd secundùm ipsum hominem remanere in reatu, seu macula post actum nihil aliud sit, quàm ipsum à DEI voluntate ordinariâ ad pœnam cōdignam tali peccato, quæ sententia benè intellecta verissima est, & communis, pro cujus intellectu

VIII. Condignitas inimicitiæ DEI spectat ad maculam peccati.

Notandum cum Aretino in 4.d.14. qu. 1. a. 5. peccatum secundùm Scotum, ut patet ex ipsius verbis, duo dicere, scil. condignitatem ad pœnam, & inimicitiam DEI, & ex hoc ordinationem ad eandem pœnam, condignitas illa inimicitiæ DEI fundatur super peccatum actuale præsens, vel præteritum in re, in æstimatione tamen divina moraliter manens, donec per condignam satisfactionem, vel merè gratuitò à DEO condonetur, quæ quidem dignitas non est entitas aliqua realis in anima, sed hominem post actum peccati esse dignum inimicitiâ DEI, nihil aliud est, quàm esse objectum aptum, in quo DEUS per condignas pœnas suam inimicitiam, & justitiam exerceat propter peccatum in re quidem præteritum, sed moraliter perseverans, donec ex parte hominis retractetur, & ex parte DEI condonetur, sicut per oppositum hominem esse in statu gratiæ nihil aliud est, quàm esse dignum DEI amicitiâ, & beatitudinis prœmio suppositâ gratiâ, unde sicut status gratiæ post actuale meritum secundùm omnes nihil aliud est, quàm dignitas amicitiæ DEI, per quam DEUS ordinat hominem ad prœmium, ita in opposito status peccati post actum nihil aliud est, quàm dignitas inimicitiæ DEI, ex hoc hominem justè ordinātis ad pœnam debitam illi peccato in re præterito, & moraliter manente donec revocetur. Et sicut ordinatio ad prœmium sequitur dignitatem amicitiæ prœmiantis, ita ordinatio, seu obligatio ad pœnam sequitur dignitatem inimicitiæ punientis. Cùm ergò Scotus apertè dicat, in peccato habituali ista duo includi, scil. dignitatem ad pœnam, & ordinationem ad eandem, & hæc secunda necessariò secundùm Scotum supponat primam, siquidem secundùm ipsum ubique, Deus neminem punit, vel ordinat ad pœnam æternam, nisi sit verè dignus tali pœnâ, hinc planum est, Scotum non velle, quòd macula, seu peccatum habituale dicat solam ordinationem ad pœnam, sed ordinationem ad pœnam præsupponentem tamen in homine dignitatem ejusdem pœnæ, ac inimicitiæ DEI.

IX. Ordinatio ad pœnam spectat etiam ad maculam.

Et quia Scotus supponebat tanquam per se notū, quòd omnis justa ordinatio ad pœnam præsupponat dignitatem ejusdem, hinc rationem maculæ, seu peccati habitualis post actum permanentis, explicavit per ordinationem ad pœnam, tanquam per effectum ejus immediatum, magisq; notum, & ex cujus cognitione facillimè devenitur in notitiam illius maculæ, & cùm de re constaret, de modo loquendi noluit esse sollicitus; propriùs quidem dixisset, maculam esse ipsam dignitatē, secundùm quam aliquis dignus est, qui ordinatur ad pœnam æternam, imò cùm ipsa dignitas sit respectus quidam in illo, qui dicitur dignus ad illud, quò dignus est, scil. ad inimicitiam & pœnam, propriùs adhuc quidem diceretur, maculam esse id, in quo fundatur talis relatio, hoc autem non est aliud, quàm peccatum actuale in re præteritum, in æstimatione tamen DEI, & moraliter perseverans donec retractetur. Hinc propriissimè loquuntur Recentes, dicentes maculam remanentem post actum esse ipsum peccatum actuale in re præteritum, moraliter tamen perseverans, donec per con-

condignam satisfactionem deleatur: Pro quo notandum adhuc inter voluntatem producentem actum peccati, & ipsum peccatum post actum remanens esse quasi respectum foventis & conservantis ad conservatum, sicut enim in naturalibus conservatio rei dicitur habitualis, seu cōtinuata productio rei, sic cùm quis se avertit à DEO, & convertit ad bonum commutabile, efficit peccatum actuale, & transacta actione peccaminosa in esse physico, remanet & conservatur in esse moris illa aversio à DEO, donec per contrariam voluntatem quis resipiscat. Hinc

X. Peccatum habituale declaratur.

Dico Quartò: *In rei veritate, & secundùm mentem Scoti macula seu peccatum habituale transacto actu nihil aliud est, quàm ipsum peccatum actuale in re quidem & physice præteritum, moraliter tamen & in æstimatione DEI perseverans, donec à peccatore retractetur, & à DEO condonetur, fundans relationem rationis, quæ dicitur dignitas inimicitiæ DEI, adeoq; pœna debita.* Conclusio hæc præterquam quod ex dictis sufficienter sit probata, adhuc tamen clarè deducitur ex S. Augustino lib. 1. de nuptiis & Concupisc. ad Valerium cap. 36. ubi tria dicit: *Eorum peccatorum, quæ manere non possunt, quoniam cùm fiunt, prætereunt, reatus tamen manet, & nisi remittatur, in æternum manebit, sic illius concupiscentiæ, quando remittitur, reatus aufertur. Hoc est enim, non habere peccatum, reum non esse peccati. Nam si quisquam v. g. fecerit adulterium, etiamsi nunquam deinceps faciat, reus est adulterii, donec reatus ipsius indulgentia remittatur. Habet ergò peccatum, quamvis illud, quod amisit, jam non sit, quia cum tempore, quo factum est, præteriit. Nam si à peccando desistere, hoc esset, non habere peccatum, sufficeret, ut hoc nos moneret Scriptura, Fili peccasti, non adjicias iterum: Non autem sufficit, sed addidit: Et de pristinis deprecare, ut tibi remittantur. Sed quomodo manent, si præterita sunt, nisi quia præterierunt actu, manent reatu?* Ubi duo particulariter dicit, nempè peccatum, quod præteriit, manere usque dum remittatur, & peccatum habere esse reum ad peccatum, & ad pœnam, & tertio non sufficere ad liberandum se à reatu, à peccato cessare, sed etiam deprecandum esse DEUM, quod idem est, ac retractandum esse, ergò S. Augustinus similiter tenet quod Scotus, Peccatum habituale esse actuale præteritum moraliter manens, nondum retractatum, & nondum condonatum.

Probatur Secundò Ratione: Quia per positam conclusionem non solùm res ipsa, sed & modus loquendi hac in re optimè servatur, quod sic declaratur. Nam qui dicunt, peccatum consistere in relatione aliqua, oportet, ut assignent aliquod fundamentum ejus, vel terminum ex parte peccatoris. Item, qui dicunt, maculam esse privationem gratiæ, debent assignare aliquid in peccatore, ratione cujus privetur gratiâ, & dicatur magis vel minus peccator quàm alius, ut suprà visum est. Item, qui requirunt maculam esse relationem rationis, seu obligationem ad pœnam necessariò, ut ostensum est, supponunt in peccatore dignitatē ad illam pœnam, & hæc dignitas, cùm sit relatio, supponit sui fundamentum. Item qui ajunt, maculam esse idem quod peccâsse, & non retractâsset, non sufficiēter explicant; Tum, quia esto homo retractâsset per actū contrarium, adhuc posset DEUS non condonare: Tum, quia quamvis non retractâsset homo peccatum, DEUS absolutè posset illud condonare. Deniq; qui loquuntur peccatum habituale esse idem quod peccasse, & non condonatum esse, non adeò sufficienter rem explicant, quia licèt absolutè loquendo ad hoc, ut non maneat peccatum, vel macula, sufficiat, quod condonetur ab offenso, tamen de lege ordinaria ex parte offendentis requiritur retractatio offensæ, ut ex hoc sequatur condonatio ex parte offensi. Nostra autem conclusio omnia hæc ponit, videlicet peccatum habituale esse idem quod peccâsse, & non retractâsse, & ex hoc non condonatum esse, & insuper assignat fundamentum omnium relationum, quæ in peccatore, ut talis est, possunt imaginari, nimirum ipsum peccatum actuale moraliter manens, modo suprà dicto, ratio enim cur homo sit dignus inimicitiâ Dei, obligatus ad pœnam, privatus gratiâ, est

quia peccavit, & non retractavit, nec DEUS condonavit. Tandem ratio, cur unus sit magis peccator quàm alius, optimè per hanc conclusionem explicatur, quia nimirum pluries & gravius actualiter peccavit, & non retractavit, ergo hæc conclusio sufficienter explicat rationem maculæ.

Quod autem Scotus non aliud intendat, & non velit rationem maculæ consistere in sola illa relatione rationis, quæ dicitur obligatio ad pœnam debitam, præterquam quòd ex dictis pateat, adhuc ex multis locis doctrina ejus ostenditur Primò: nam ut suprà vidimus, requirit ad ejusmodi obligationem, dignitatem ex parte peccatoris, quæ dignitas fundatur in peccato moraliter permanente. Secundò: in 4. d. 21. q. 1. §. *Si iste modus non placet.* ait: *Secundùm SS. Patres distingui remissionem culpæ à remissione pœnæ*, sed si vellet Scotus ipsam culpam non esse aliud, quàm obligationem pœnæ, certè remissio culpæ secundùm ipsum non distingueretur à remissione pœnæ. Tertiò ipse in 4. d. 14. q. 1. n. 5. ex eo impugnat ponentes peccatum habituale esse relationem realem, quia talis causatur à DEO, sed etiam illa relatio rationis, seu ordinatio ad pœnam est à DEO, ut patet, ergo verisimile quòd non in sola illa relatione velit Scotus contra sua principia ponere rationem peccati habitualis. Quartò Scotus ut alibi ostendi, ponit peccatum actuale consistere in privatione rectitudinis debitæ, ergo cùm habituale non sit aliud quàm actuale moraliter remanens, nihil aliud erit secundùm Scotum, quàm privatio illa rectitudinis moraliter perseverans. Quintò Scotus in 4. d. 25. q. 1. n. 2. sic ait: *In ista quæstione una conclusio est certa, scilicet quod peccato dimisso in hac vita pœna debita pro ipso potest solvi in altera vita*, ergo secundùm ipsum non est idem obligatum ad pœnam, & esse in peccato, siquidem supponit peccato dimisso posse manere debitum pœnæ. Et 2. d. 36. q. 3. n. 22. explicans quomodo pœna ordinatur per culpam, sic ait: *Quia ex quo DEUS non vult culpam auferre, non potest melius, seu ordinatius anima culpabilis esse, quàm quæ sit in pœna, quæ non est tantum malum formaliter quàm est culpa, quia naturam manentem sub culpa ordinat.* Ubi clarissimè significat Scotus pœnam, & ordinationem ad pœnam supponere naturam ordinatam ad pœnam manere in una culpa, & consequenter ipsam ordinationem non esse idem quod culpa permanens.

XI. Peccati macula nó est sola obligatio ad pœnam.

Arguitur in contra: Si peccatum habituale consistit in peccâsse &c. sequitur, quòd non possit tolli, quia ad præteritum nulla est potentia, sed &c. ergo. Respond. distin. maj. si in solo peccâsse consistit, transeat quod denominatio præteriti actûs tolli non possit: nunc autem peccatum habituale non consistit solùm in peccâsse, sed etiam in eo, quòd non sit retractatum, aut condonatum. Instatur: Ergo DEUS non condonans conservat peccatum, & sic est author illius saltem in conservari Respond. neg. sequel. positivè loquendo, Quia non condonatio est conditio sine qua non conservatur peccatum, unde DEUS est paratus condonare, si homo velit retractare.

Dico Quintò: *Licèt se ita habeant quoad rem ipsam, nihilominus satis aptè explicavit Scotus rationem peccati habitualis seu maculæ, nomine reatûs, vel obligationis ad pœnam debitam.* Probatur ex usitatissimo modo loquendi S. Scripturæ, & PP., à quibus eum desumpsit Scotus Eccles. 9. *Nescit homo utrum amore vel odio dignus sit*: ubi culpa explicatur per esse dignum odio, cur ergo non posset similiter explicari per esse dignum pœnâ. Et Matth. 13. ac alibi sæpè vocatur peccator filius Gehennæ, id est, destinatus ad pœnas Gehennæ. Item sæpissimè S. Scriptura appellat peccatorem filium mortis, reū inferni. Item Augustinus supra illud Beati quorum remissæ sunt iniquitates, dicit: *Quòd DEUM non videre peccata, est ad pœnam non imputare, & avertere faciem suam à peccatis est ad pœnam non reservare*: ubi apertè explicat D. Augustinus peccatum per ordinem ad pœnam,

XI. Macula peccati qua ratione potest dici reatus & obligatio ad pœnam.

pœnam, ergo Adversarii non habent, quòd tam acriter reprehendant in Scoto id, quod non aliundè quàm ex ipso Augustino, & ad ejus mentem desumpsit, & quod in S. Scriptura usitatissimum est. Sed in contra

Arguitur Primò: Peccatum quà tale non est à DEO, sed ordinatio ad pœnam est à DEO, ergo hæc non est peccatum. Secundò, macula peccati est turpis, odio digna, sed ordinatio ad pœnam est bona, justa & à DEO, ergo. Tertiò. Etiamsi nulla pœna esset inferni, aut purgatorii, adhuc esset macula animæ, ergo. Quartò, Remisso veniali potest adhuc manere ordinatio ad pœnam sibi debitam, etiam secundùm Scotum, ergo obligatio ad pœnam non est ipsum peccatum. Quintò Damnati in inferno de novo peccant, & tamen propter illa nova peccata nulla insurgit in eis nova obligatio ad pœnam æternam, cùm quoad hoc sint in termino, ergo. Sextò Ex doctrina Scoti sequeretur peccatum remitti, nihil aliud esse, quàm pœnam remitti, consequens est falsum, quia non semper in justificatione peccatoris tota pœna aufertur, licèt tota culpa auferatur.

Ad hæc omnia & similia, unô verbô Respond. Ea procedere ex malo intellectu mentis, & doctrinæ Scoti, isti enim Authores ita intelligunt Scotum, quasi diceret maculam animæ nihil aliud esse, quàm nudam illam obligationem ad pœnam. Et contra hoc solum procedunt argumenta facta, sed jam suprà ostendi Scotum longè aliter docuisse, & sic in vanum laboraverunt. Scotus enim, ut demonstravi, præter obligationem ad pœnam, requirit debitum, seu dignitatem illius pœnæ, hæc autem dignitas requirit pro fundamento peccatum actuale non remissum, & hoc est, quod in justificatione remittitur, quod à DEO oditur, abominatur, & quod in damnatis continuò de novo peccantibus, licèt defactò non augeat, vel inducat novam pœnam, de se tamen est inductivum, nisi isti jam essent in termino, hoc denique est, quod esset in peccatore, esto pœna inferni vel purgatorii non esset, & quod de se esset inductivum talis pœnæ.

Imò argumenta omnia nobis suprà objecta elegàter retorqueri possunt in Adversarios, præsertim Thomistas, qui dicunt maculam esse solam privationem gratiæ, nam Primò Privatio gratiæ est efficienter & physicè à solo DEO secundùm omnes. Secundò, Privatio gratiæ est pœna peccati justè à DEO inflicta, nec est de se odio digna, quia posset esse in eo, qui non peccavit. Tertiò, si nulla esset gratia habitualis, adhuc esset peccatum. Quartò, Remisso peccato per absolutam potentiam posset adhuc manere privatio gratiæ. Quintò, Damnati in inferno de novo peccant, & tamen nullà gratià de novo privantur. Sextò, Gratiam restitui in justificatione non est idem, quod peccatum dimitti, cùm secundùm Tridentinum sæpè remissio peccati, & infusio gratiæ sint mutationes longè diversæ & oppositæ, ergo non possunt Adversarii asserere peccatum habituale esse solam privationem gratiæ.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Reatu, seu pœna peccati respectu alterius peccati, seu an unum peccatum sit pœna alterius?

PRo majori intelligentia, & complemento prioris quæstionis hanc addendam censui, ubi, ut dictum est, per reatum intelligo *respectum ad pœnam*, qui fundatur partim in actu peccati ordinabilis ad pœnam, partim in DEI voluntate ordinante peccatorem ad pœnam propter peccatum, qui respectus non est realis, sed rationis, ut suprà visum est. Est autem hæc vox *Reatus* communis apud D. Augustinum, nam con. 2. in psalm 118. ait: *Universus reatus Sacramento baptismatis est solutus*, id est, obligatio ad pœnam in parvulis. Et lib. 1. Retract. cap. 13 *Gratia DEI reatus omnium peccatorum præteritorum solvitur in omnibus, qui in Christo baptizantur.* Et alibi sæpe. Quod ergo hic quæritur est, An unum peccatum sit pœna alterius, taliter, ut in pœnam prioris peccati quis incidat, vel incidere

1. Reatus est respectus ad pœnam.

incidere permittatur à DEO in posterius peccatum, quod dupliciter potest intelligi, Primò, ita ut propter unum pecccatum commissum DEUS totaliter deserat peccatorem, nullum præbendo ei adjutorium gratiæ ad evitandū subsequens peccatum. Secundo modo potest intelligi unum peccatum esse pœnam alterius, seu DEUM propter unum peccatū permittere hominem cadere in aliud, negando videlicet abundantiora auxilia & cōcursus, quibus subsequens peccatum evitaretur, non tamen totaliter destituendo eum omni auxilio, saltem generalis ordinis gratiæ. qua in re

II. Peccatum unum est pœna alterius ratione alicujus effectûs.

Dico Primò: *Peccatum ratione alicujus effectûs ex eo secuti est pœna sui ipsius.* Ita Doctor in 2. d. 37. q. 2. Probatur ex D. August. lib. 1. Confessionum cap. 12. *Jussisti Domine, & ita est, ut omnis inordinatus animus sit sibi pœna.* Et ratio est: Tum, Quia ad peccatum sequitur privatio gratiæ, quæ est magna pœna: Tum etiam, Quia peccatum ordinariè secum adfert remorsum conscientiæ, qui est maxima pœna.

III. Peccatum unum non est propriè pœna alterius.

Dico Secundò: *Unum peccatum per se, & secundùm suam malitiam nullo modo potest esse pœna alterius peccati, bene tamen secundùm incommoda ex eo secuta, videlicet secundùm privationem gratiæ, desertionem DEI, non conferentis abūdantiora auxilia ad cavenda nova peccata.* Conclusio est Alensis Prima parte q. 40. m. 2 D. Thomæ 1. 2. q. 87. art 2. Et expresè Scoti in 2. d. 37. q. 2. Prima pars Probatur Primò omnibus rationibus, quibus suprà probatum est, DEUM non esse Authorem peccati. Secundò Nulla pœna justa est injuriosa ipsi, qui infligit pœnam, sed peccatum secundum est injuriosum Deo æq; ac primum, ergo quâ tale non potest esse pœna à DEO inflictum propter præcedens peccatum. Tertiò in pœna propriè dicta inveniuntur quatuor cōditiones, Prima, Quòd apta sit instaurare ordinem, quem pervertit peccatum. Secunda, Quòd conducat ad finem justitiæ. Tertia, Quòd licèt sit mala patienti, est tamē bona respectu cōmunis boni. Quarta, Quòd sit directè vel indirectè volita ab infligente, sed nulla ex his convenit peccato secundo, quâ peccatū est, ut de se patet, ergo non potest esse pœna prioris peccati.

Secunda pars, quæ est confirmatio prioris conclusionis, Est D. Augustini lib. de natura & gratia contra Pelagianos cap. 22. ubi dicit: *Prævaricatorem legis quàm dignè lux deserat veritatis, quâ desertus utiq; fit cæcus, & plus necesse est offendat, & cadendo vexetur, vexatusq́; non surgat, ut ideo tantùm audiat vocem legis, quò admoneatur implorare gratiam Salvatoris. An nulla pœna est eorum, de quibus dicit Apostolus, Quia cùm cognovissent DEUM, non sicut DEUM glorificaverunt aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum? Utiq; ista obscuratio vindicta & pœna jàm fuit, & tamen per hanc pœnam, id est, per cordis cæcitatem, quæ fit deserente luce sapientiæ, & in plura & gravia peccata collapsi sunt.* Et lib. 5. contra Julianum cap. 3. *Cùm ergo dicitur homo tradi desideriis suis; inde fit reus, quia desertus à DEO cedit eis atque consentit, vincitur, capitur, traditur, possidetur. A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est. Et fit ei peccatum consequens, præcedentis pœna peccati. An non est peccatum & pœna peccati, ubi legitur, Dominus enim misit illis Spiritum erroris, & seduxerunt Ægyptum in omnibus operibus suis, sicut seducitur ebrius? Non est peccatum & pœna peccati, ubi DEO dicit Propheta, Quid errare fecisti nos Domine à via tua, obdurasti corda nostra, ut non timeremus te.* Ubi plura alia exempla allegat de Gentibus Roboam, Amasia, & aliis, quæ propter unum in aliud fuerunt prolapsi. Quia sicut DEUS defacto propter mortale justè privat hominem gratiâ sanctificante, amicitiâ suâ, & aliis pœnis gravissimis punit, ita justè etiam deserit, ac destituit illum abundantioribus gratiæ adjutoriis propter demeritum præcedens, quamvis neminē omninò destituat omni auxilio, saltem generali & sufficienti, quamdiu est in hac vita.

Arguitur contra Primam partem: DEUS in pœnam obstinationis & finalis impœnitentiæ destituit damnatos omni auxilio gratiæ, etiam sufficienti ad evitandum peccatum, ergo saltem in damnatis unum peccatum

propriè

propriè est pœna alterius. Respond. Imprimis conclusionem loqui de statu viæ, in quo DEUS neminem destituit auxilio sufficienti, & licèt pro statu alterius vitæ DEUS destituit damnatum omnimodo adjutorio, hoc tamen non facit propter hoc, ut de novo peccet, quasi delectaretur in ipsius peccato, sed propter suam justitiam, sicut enim justè statuit cum Beatis perpetuò concurrere, eósque nè unquam peccent, ita justè statuit damnatis, qui in hac vita contempserunt multiplicia DEI beneficia, denegare in altera vita omne adjutorium gratiæ, etiam sufficientis ad eorum conversionem, vel ad vitanda nova peccata.

QUÆSTIO TERTIA.

An & quomodo peccatum mortale inducat reatum pœnæ æternæ & infinitæ?

I. Punitio & pœna describitur.

Quæstio hæc procedit de pœna extensivè infinita, & secundùm durationem, quia suppono, nullam dari pœnam intensivè infinitam, sicut nullum peccatum est formaliter, & intrinsecè infinitæ malitiæ. In qua materia Errorem Origenis refert S. Aug. lib. 21. Civ. cap. 17. dicens: *Quidam eorum nolunt credere pœnam sempiternam futuram, sed post certis temporis metas pro cujusque quantitate longiores sive breviores eos indè existimant liberandos. Qua in re misericordior profectò fuit Origenes, qui & ipsum diabolum atq; Angelos ejus post graviora pro meritis & diuturniora supplicia ex illis cruciatibus eruendos atque sociandos Sanctis Angelis credidit. Sed illum & propter hoc, & propter alia nonnulla, & maximè propter alternantes sine cessatione beatitudines & miserias, & statutis seculorum intervallis ab istis ad illas, atque ab illis ad istas itus ac reditus interminabiles non immeritò reprobavit Ecclesia: quia & hoc, quod misericors videbatur amisit, faciendo sanctis veras miserias, quibus pœnas luerent, & falsas beatitudines, in quibus verum ac securum, hoc est, sine timore certum sempiterni boni gaudium non haberent.*

Prænotandum ex Doctore subtili in 4. d. 46. qu. 4. §. ad quæstionem, Quòd *Punitio est perceptibilis carentia boni convenientis in natura intellectuali,* vel *Perceptibilis præsentia mali disconvenientis in eadem natura.* Porrò bonum intellectuale in genere aliud est commodum, aliud honestum, aliud utile, quod ad utrumque reduci potest, & tàm bonum honestum quàm commodum quandoq; conveniunt, præsertim in beatitudine, quæ est summè honesta, & summè commoda. Et secundùm hoc bonum potest in natura intellectuali intelligi duplex pœna negativa per carentiam duplicis boni convenientis: Prima pœna est ipsum peccatum, seu obstinatio, ac derelictio in peccato, quod est privatio boni honesti, adeóque demeritoriè privatio beatitudinis, quæ est summè honesta: Secunda punitio est per pœnam damni seu carentiam gratiæ & gloriæ, quæ sunt summè commoda. Et hæ breviter dicuntur *Pœna damni* generali vocabulo. Præter has punitiones negativas est alia pœna positiva, quæ appellatur *Pœna sensûs*, seu ignis, & fit per perceptibilem præsentiam mali disconvenientis, nempè ignis. Estque iterum duplex: una dicitur *Detentionis* in igne, tanquam in loco definitivo & perpetuo, & vocatur *Incarceratio.* Altera est *Considerationis*, qua scilicet detinetur intellectus damnati in intensa consideratione ignis, non permittendo eum alia quævis objecta considerare, imò nec sistere in quietâ consideratione sui ipsius, sed tantùm sub ea ratione, quâ est terminus, vel subjectum cujusdam alterius pœnæ, inferni, vel privationis gloriæ, vel peccati &c. & hæc pœna potest vocari *Excœcatio*, & sic respectu omnium damnatorum in genere datur quadruplex pœna, scilicet *Obstinatio*, seu *Derelictio in peccato. Pœna damni. Incarnatio*, & *Excœcatio*. His quatuor pœnis correspondet quadruplex tristitia ex nolitione quatuor pœnarum dictarum: Prima tristitia de obstinatione in peccato, non quia tristatur, quòd DEUM offenderit, sed quia per hoc commodo suo, quod immoderatè appetiit, se privat, & hæc tristitia dicitur Vermis conscientiæ, seu remorsus de peccato commisso, non quia peccatum est, sed quia causa demeritoria pœnæ damni. Secunda tristitia est de privatione ipsius beatitu-

II. Pœna negativa duplex.

III. Tristitia quadruplex in inferno.

dinis tanquam maximè commodæ, sive de damno illato, & vocatur à Scoto *Absorptiva*, quia ejus desiderium maximè inest naturæ, & maximè sine fræno justitiæ derelictæ. Tristitia tertia est de detentione illa, seu de Incarceratione, & vocatur *Angustiatio*, juxta illud: *Angustiæ sunt mihi undique.* Quarta est de excœcatione, & vocari potest *Gemitus*, juxta quod Tobias gemebundus dicebat: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video?* Sunt & aliæ plurimæ afflictiones, quas trado in quarto Sententiarum, cùm ago de ultimo fine hominis, ubi tracto ex professo de pœnis inferni, quo me revoco. Nunc ad peccata redeundo

IV. Peccatum mortale inducit reatum pœnæ æternæ.

Dico Primò: *Peccatum mortale inducit reatum pœnæ æternæ.* Ita fides Catholica ex Tridentino Sess. 6. cap. 14. & 15. Eam docent SS. Patres Augustinus de Hæresibus cap. 43. Hieronymus in epist. ad Avitum, Theophylactus in suo Paschali, & alii. Probatur Primò ex Matth. 25. *Ibunt hi in supplicium æternum.* Marci 9. *Ubi vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur.* D. Augustin. lib. 19. Civit. cap. 28. ubi dicit: *Eorum autem, qui non pertinent ad istam civitatem Dei, erit è contrario miseria sempiterna, quæ etiam secunda mors dicitur: quia nec anima ibi vivere dicenda est, quæ à vitâ DEI alienata erit: nec corpus, quod æternis doloribus subjacebit. Ac per hoc ideò durior ista secunda mors erit: quia finiri morte non poterit.* Idem habetur in Symbolo D. Athan. Et ratio à priori est, quia sicut voluntas divina, quæ potest disponere de suis creaturis prout vult, justè statuit perseverantes in bono usque ad finem hujus vitæ æternaliter prœmiare, ita etiam justè statuit perseverantes finaliter in malo æternaliter punire.

Opponuntur Primò: Patres, ut Origenes Homil. 8. in Josue, & Hieronymus in Isaiæ 18. & in 5. ad Ephes. oppositum tenent, ergò. Respond. Origenem tenere conclusionem nostram Homil. 14. in Josue. & Homil. 14. & 18. in Numeros, & alibi sæpè, undè quidam credunt, illum errorem à discipulis Origenis fuisse inter ejus opera insertum. Hieronymus autem seipsum ab omni suspicionis notâ purgat, & Apologia contra Ruffinum: & epist. ad Pamachium cap. 3. & alibi sæpè affirmans, se nunquam tale dixisse, sed tantùm retulisse aliorum expositiones.

Opponuntur Secundò Historiæ: Nam legitur, Trajanum Imperatorem infidelem ab inferno precibus B. Gregorii liberatum. Item Falconiam idolorum cultricem precibus B. Theclæ similiter liberatam, & similia multa, quæ non essent vera, si pœna inferni esset æterna. Aliqui, ut Soto, dicunt ejusmodi historias esse fictas. Medina cap. de orat. titulo de his, pro quibus orandum, dubitat de veritate historiarum. Baronius tom. 8. ad annum 604. dicit, historiam Trajani esse falsam. Sed negari non potest, aliquos etiam ex inferno suscitatos: Tùm quia id gravissimi Authores tradunt: Tum quia etiam authenticæ historiæ simile referunt de quibusdam Sanctis è cœlo revocatis ad corpora, ut videre est apud Surium tom. 3. de S. Christina Virgine. Quare aliter Respond. cum S. Thoma in 4. d. 45. q. 2. a. 2. Richardo, & aliis, admissâ historia Trajani, & aliorum, tales non fuisse absolutè damnatos, sed sententiam Judicis adhuc suspensam manifestè, & hoc ob prævisa merita ac preces Sanctorum, qui ex divino licèt occulto instinctu pro talibus orârunt, quod benè potest fieri, nec indè sequitur in inferno esse redemptionem quoad eos, contra quos lata est sententia ultimatè definitiva pœnæ æternæ, cujusmodi non erant isti.

Opponitur Secundò: Pœna debet proportionari culpæ, ergò culpæ temporali non debetur nisi temporalis pœna. Item videtur nimis crudele, & contra DEI bonitatem, tantam, & tàm æternam pœnam propter culpas quascunque temporales infligere. Propter hæc & similia sit Conclusio sequens, quâ

V. Culpæ mortali de rigore justitiæ non videtur deberi pœna æterna.

Dico Secundò: *Quamvis de rigore justitiæ culpæ mortali non debeatur pœna æterna quæcunque ex dictis, tamen loquendo de vera justitia, DEUS justè & decenter ejusmodi pœnas infligit.* Ita Scotus 4. d. 46. q.

46. q. 4. n. 20. Probatur Prima pars ex Scoto, & Augustin. 21. Civit cap. 11. ubi videtur dicere, quòd non requirat justitia pœnam infligi perpetuam, ad hoc ut sit sufficiens culpæ, sed ideò est perpetua, quia persona est perpetua, & perpetuò manet in culpa, ait enim: *Quod est de illa civitate mortali hominis supplicio primæ mortis, hoc est de illa civitate immortali homines supplicio secundæ mortis afferre.* Et paulò antè: *Nonne*, inquit, *pro hujus vitæ modo similia videntur pœnis æternis, ideò quippè æterna esse non possunt, quia nec ipsa vita, quæ his plectitur, aut punitur, porrigitur in æternum.* Hæc August. per quæ verba *vult dicere*, inquit Scotus, *quòd aliqua culpa talis est, quæ non meretur talem exclusionem à civitate, & hæc est temporalis, respectu autem vitæ civilis aliqua tanta est, quæ meretur talem exclusionem ab illa vita civili, & illius intensio correspondet culpæ, extensio autem accidit, scilicet quòd sit finita. Sic in proposito culpa mortalis meretur talem exclusionem ab illa civitate superna, sed ideò præcisè perpetua est, quia vita cum culpa perpetua est.* Hæc Scotus. Ex quibus patet secundùm Augustinum, & Scotum de rigore justitiæ, & ex natura rei non deberi perpetuitatem pœnæ ulli culpæ secundùm se, sed solùm ex conditione statûs & vitæ, quæ est perpetua. Secundò probat Scotus sic: Possibile esset DEO secundùm etiam strictum rigorem justitiæ taxare pœnam adeò intensam, ut sufficienter correspondeat gravitati culpæ, etsi natura esset statim annihilanda, ergo quòd defacto pœna æterna infligatur, non est per se de ratione pœnæ in quantum æqualiter punitivæ, sed accidit propter æternitatem personæ punitæ, & culpæ remanentis.

VI. Pœnarum congruentia ostenditur.

Secunda pars conclusionis est communis, D. Augustinus enim dicit, pœnam peccati esse justam lib. 3. de lib. arbitr. cap. 18. dicens: *Illa est enim peccati pœna justissima, ut amittat unusquisque, quo benè uti noluit, cum sine ulla posset difficultate, si vellet. Id est autem, ut qui sciens rectè non facit, amittat scire, quid rectum sit: & qui rectè facere, cùm posset, noluit, amittat posse, cùm velit.* Et Probatur à Scoto discurrendo per singula genera pœnarum. De primâ quidem, quia justè DEUS deserit & derelinquit in malitia sua æternaliter eum, qui potuit malitiam derelinquere, & ad hoc habuit tempus præcisum sibi taxatum, nec in illo tempore corrigitur, sed perseverat in malo, justum est, inquam, quod tempore illo elapso relinquatur semper in suo malo, sicut si quis se voluntariè projiceret in foveam, de qua non potest per se evadere, nec aliquomodo, nisi per adjutoriũ alterius, quem contemnit & offendit projiciendo se, justè à tali potest in fovea derelinqui. De secundâ pœnâ, scilicet damni idem patet, quia sicut bonum honestum ex DEI pacto justè requirit, ut pro ipso reddatur bonum commodum, ita peccatum quamdiu manet privans honestatem, justè requirit, ut pro ipso reddatur privatio boni commodi. De tertia, scilicet de incarceratione in igne, etiam patet, quia sicut Beatis justè & decenter debetur locus nobilissimus cum libertate ad quodvis aliud ubi, ita damnatis qui se captivârunt in peccato, meritò debetur locus vilissimus sine libertate indè exeundi. De quarta probatur, quia sicuti Beati meritò habent pro objecto nobilissimum Ens cum libertate amandi, & contemplandi multa alia creata objecta, ita damnati, qui voluntariè in hac vita & finaliter se avertunt ab illo summo bono, justè detinentur in consideratione alicujus objecti disconvenientis sine libertate considerandi, vel amandi pro libitu alia.

De Tristitiis autem ex his sequentibus idem patet, quia consummatio pœnæ requirit tristitiam. Ratio ergo generalis horum omnium est, Pactum DEI initum cum suis creaturis, quo sicut justè (sumendo semper justitiam latè pro respondentia unius ad aliud) statuit perseverantibus in bono finaliter prœmium æternæ beatitudinis concedere, cùm tamen posset eos per unius momenti beatitudinem sufficienter prœmiare, ita econtra justissimè statuit perseverantes in malo finaliter, in suo malo æternaliter deserere, omni commodo privare, & aliis suprà dictis pœnis punire, hoc est, quod dicit Apostolus

Rom. 2. *Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii DEI, qui reddet unicuiq; secundùm opera ejus.*

Hic tamen Notandum, damnatorum pœnas non ideò perpetuari, quia perpetuò de novo peccant, juxta illud: *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*, hoc enim dici nequit, quia in inferno de novo non demerentur, sic nec Beati in cœlo. Dicitur ergo pœna perpetuari propter peccata in hac vita commissa, & non remissa, & hoc ex ipsorum culpa, qua meruerunt à DEO deseri, & per hoc patet ad objectionem ultimam præcedentis conclusionis, & similes, cùm enim DEUS absolutè sit Dominus suæ creaturæ, potest de ea disponere prout vult, & proindè nec injustè nec crudeliter punit æternaliter eos, qui æternaliter præcipitârunt se in malo, maximè cùm DEUS semper paratus fuerit eos salvare in hac vita, & in hunc finem eos creaverit. Sed in contra

Opponitur Primò: Authoritas S. Augustini lib. 83. q. 3. dicentis: *Nullo sapiente authore fuit homo deterior*, sed qui addit malum pœnæ, malo culpæ, facit totum deterius, ergo DEUS non addit pœnam culpæ. Respond. Loqui S. Augustinum de malo culpæ, quòd scilicet nullus sapiens consulit, non de malo pœnæ, quia DEUS est judex malorum, & quia malum pœnæ non est simpliciter malum, licèt huic sit tale.

Opponitur Secundò: Scriptura Devteron. 25. *Secundùm modum delicti erit & plagarum modus*, sed delictum peccantis est temporale, ergo secundùm justitiam punitio debet esse tantùm temporalis. Respond. neg. min. quia, ut dictum est, quòd licèt peccatum actuale secundùm esse physicum sit temporale & transitorium, in esse tamen morali æternaliter durat.

Opponitur Tertiò: Omnis punitio justa est ad correctionem puniti, sed nullus damnatus per punitionem sui corrigitur, ergo frustra sic æternaliter punitur. Respondet Scotus, quòd sicut medicina alia est curativa, alia præservativa, ita pœna dupliciter est medicinalis, corrigibilis enim infligitur, ut curet, incorrigibilis, ut præservet non ipsum, sed alios, quia ad bonum communitatis spectat, quòd determinentur per leges aliquæ pœnæ delinquentibus infligendæ, vel ad eorum correctionem, si sint in statu correctionis, vel ad terrorem eorum, si ipsi jam sunt in statu incorrectionis, ut sit etiam in lege civili.

Opponitur Quartò: Melius simpliciter esset, quod tolleretur primum malum, seu peccatum ex universo, quàm de eo manente addatur aliud malum, scilicet pœnæ correspondens, sed DEUS semper facit, quod melius est, ergo. Ad hoc Respond. Quòd licèt huic in particulari id melius esset, non tamen respectu universi: Tum, Quia Augustin. in Enchirid. cap. 11. ait: *Omnipotens melius judicavit sinere mala fieri, quia potens est, de illis majora bona elicere.* Tum, Quia malum convenienter ordinatum eminentius comendat bonum oppositum: Tum, Quia per hoc magis elucescit divina justitia: Tum deniq;, Quia talis punitio conducit ad gloriam & lætitiam Electorum. Psalm. 57. *Lætabitur justus, cùm viderit vindictam.*

Instatur: Hæc solutio non videtur satisfacere Primò, Quia non solùm respectu hujus in particulari, sed etiam respectu totius universi melius esset (ut videtur) quia revera majora bona, vel saltem tanta eliceret DEUS ex bonis sine ulla admixtione mali, quàm permittendo mala fieri. Secundò: Licèt malum convenienter ordinatum comendet bonum, revera tamen melius commendaretur, si omnia essent bona ordinata absq; malo admixto. Tertiò Eminentiùs commendaretur divina justitia prœmiare bonum meritum, & nullum malũ permittendo, quàm malum punire, imò justitia vindicativa infimum locum tenet. Denique certum, quòd beatus plus lætaretur, si omnes etiam damnati essent salvati, quàm nunc lætatur de eorum punitione,

nitione, sicut nunc Petrus plus gaudet de beatitudine Lini, quàm de damnatione Judæ. Ad argumentum ergo aliter Respond. quòd sicut in operibus DEI ad extra prima radix omnis contingentiæ, adeoque bonitatis & malitiæ præsertim moralis desumitur à voluntate DEI liberè operante, ita non est petenda alia ratio, cur DEUS ista vel ista faciat, aut permittat, maximè in gratuitis, nisi quia voluit, nec aliam in proposito rationem reddit Apostolus nisi dicendo: *O homo tu quis es, qui respondeas DEO? nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic?* non ergo est, quòd multùm laboremus inquirendo, cur DEUS permittat mala fieri?

QUÆSTIO QUARTA.

An & quanta pœna debeatur peccato veniali, & an utrumq; puniatur à DEO citra condignum?

I. Peccato dimisso pœna potest solvi in altera vita.

DEclaratâ pœnâ peccati mortalis restat videndum, qualiter Deus in altera vita puniat peccatum veniale, & quidem temporaliter illud puniri flammis purgatorii ignis, si solum sit, id est, si nec originale, nec actuale mortale habeat admixtum, ostendi in tractatu de ultimo fine hominis in Quarto, hìc ergo discutiendum est, quando peccatum veniale conjunctum est mortali, vel originali, an in illo casu æternaliter puniatur. Hac in re Scotus in 4. d. 21. q. 1. duas refert sententias. Prima est Alensis &c. asserentis, peccato veniali per se deberi pœnam æternam, per accidens verò temporalem, eò quòd stet cum gratia sanctificante, ratione cujus non potest stare debitum pœnæ æternæ. Econtra autem D. Thomas 1. 2. q. 87. a. 5. Richardus &c. asserunt, peccato veniali non per se, sed per accidens, in quantum est conjunctum mortali, pœnam æternam deberi. Tertia deniq; sententia est Scoti suprà, cum quo

II. Peccato veniali nullo modo debetur pœna æterna.

Dico Primò: *Peccato veniali nec per se nec per accidens debetur pœna æterna, etiam in inferno.* Prima pars scilicet quòd non secundùm se Probatur à Scoto: Debitum pœnæ æternæ non stat cum charitate, sed veniale stat cum charitate, ergo veniali nec secundùm se, nec per accidens debetur. Aliæ rationes videantur apud Scotum & Aretinum. Secunda pars, scilicet quòd nec per accidens, & in inferno puniatur æternaliter veniale. Probatur contra Thomistas Primò: Veniali secundùm se per illos non debetur pœna æterna, ergo injustè illud punitur pœnâ æternâ per hoc, quòd sit conjunctum mortali. Probatur consequ. Quia habet propriam pœnam sibi correspondentem, ergo præter hanc injustè propter illud infligitur alia pœna æterna, quia hoc esset bis in id ipsum punire æternaliter idem peccatum mortale, semel per illam, quæ sibi secundùm se convenit, & iterum per æternitatem pœnæ correspondentis veniali, cur secundùm se non debetur talis perpetuitas, sed ratione mortalis.

Probatur Secundò: Totus rigor justitiæ inter ipsos homines non exigit nisi pœnam debitam ipsi culpæ secundùm se v. g. cùm quis solvit pœnam taxatam pro certo crimine v. g. triennii in triremibus, non potest amplius puniri pro illo crimine, etiamsi habeat plura peccata, ob quæ meretur longiorem pœnam v. g. exilii, ergo secundùm totum rigorem justitiæ debitæ non potest justè exigi pro veniali, nisi ea, qui ei secundùm se debetur.

Probatur Tertiò: DEUS ipsa mortalia punit citra condignum, ut hìc infrà dicam, ergo irrationabile, & contra DEI misericordiam & justitiam videtur, quòd levissima illa peccata pœnis æternis puniat.

Probatur Quartò: Vix potest in illa sententia salvari, quomodo venialia non sint facta mortalia, cùm saltem à posteriori sit evidens consequentia; habet quis reatum pœnæ æternæ, ergo & dignitatem, in qua fundatur talis reatus, & consequenter peccatum mortale, cùm hoc solum sit dignum pœnâ æternâ.

Probatur Quintò: Adversarii ponunt veniale æternaliter puniri in inferno, quia ibi nulla est redemptio,

 seu

seu quia ibi nulla est relevatio ab ulla pœna, sed hæc ratio non valet, quod sic probat Scotus, nam verè pœnitenti in hac vita de omnibus suis peccatis etiam mortalibus, commutatur pœna æterna in temporalem sibi injunctam à Confessario, quæ commutatio secundùm omnes nunquam per subsequens peccatum revocatur, tunc sic, reincidat iste in mortale, & ante pœnitentiam moriatur, peto, an pro residuo pœnitentiæ injunctæ à Confessario æternaliter sit puniendus, nec ne? si primum, hoc est contra omnes, quia ex quo semel DEUS commutat æternam in temporalem, nunquam id revocat: Si secundum, ergo solutâ illâ pœnâ temporali relevatur ab aliqua pœna, quam prius habuit, ergo quale inconveniens erit idem asserere de pœna debita veniali? Sed in contra

Arguitur Primò: Damnatus semper manet inimicus DEI, sed DEUS non acceptat satisfactionem ab inimico, utpote quod se ad id facit impotentem, ergo pro veniali nunquam satisfacit in inferno. Respond. Damnatum non tam satisfacere, quàm satispati pro veniali, nec DEUM misericorditer, liberaliter, aut gratanter acceptare ejusmodi satispassionem à damnato, sicut acceptat à justo, sed potius justitia divina, quæ non punit ultra condignum jam satiata id exigente non propriè remittendo, sed justè cessando ab inflictione pœnæ amplius indebitæ.

Instatur: Ergo in inferno sic est aliqua redemptio. Respond. Neg. conseq. Tum, quia solùm quoad illa, propter quæ quis damnatur, scilicet mortalia intelligi illud: *In inferno nulla est redemptio*: Tum etiam, quia non punire post absolutam pœnam non est misericordiæ, sed potius justitiæ, quæ sicut exigit pœnam debitam, ita non infligit indebitam.

Dices: Ergo aliquid consolationis expectandum est in inferno. Respond. Lex non curat de modico, & quod parum est, pro nihilo reputatur, ideò absolutè sunt extra consolationem.

Arguitur Secundò: Discedens in veniali conjuncto mortali vult virtualiter manere in æternum in veniali, sicut suprà dictum est de moriente in mortali, ergo meretur pœnam ei correspondentem prolongari in æternum. Respond. admissô antec. neg. consequ. Quia sicut non posuit finem suum ultimum in veniali, nec per illud sustulit principium ordinis supernaturalis, sed tantùm posuit ad tempus obstaculum, ita per illud non meretur æternam pœnam.

Arguitur Tertiò: Durante culpâ semper manet pœna, sed veniale in inferno semper durat, quia nunquam dimittitur seu remittitur, siquidem nulla culpa remittitur nisi ex meritis Christi, quæ tamen non applicantur damnatis. Respond. 1. Juxta sententiam unam probabilem, quod sicut probabile est, peccatum veniale non solùm quoad pœnam, verùm etiam quoad culpam in purgatorio remitti, vel potius imputari desinere, ita etiam probabile est in inferno solutâ pœnâ debitâ veniale amplius desinere, ita quòd DEUS non sit amplius offensus isti personæ propter illud veniale, sed propter mortalia, quæ semper manent, quia sicut veniale non nisi ad tempus ponit obstaculum beatitudini, & perfectæ amicitiæ DEI, justum non videtur, quòd propter illud æternaliter quis constituatur inimicus. Et hic modus dicendi habet fundamentum in authoritate S. Gregorii in Moral. ubi dicit: *Aliqua peccata dimitti post hanc vitam.* Et S. Isidorus super illud Matthæi 3. *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne, peccata,* (inquit) *quæ præcesserunt, Spiritus Sanctus per aquam baptismum abluet, & quædam ex eis, quæ postea sequuntur, criminibus per ignem purgatorium remittet.* Respond. 2. Juxta aliam sententiam, quam magis approbat Scotus 4. d. 21. q. 1. n. 8. quòd quamvis culpa venialis in æternum duret, non sequitur, quòd in æternum debeat puniri, quia etiam nova peccata mortalia, quæ ibi committuntur de novo nullo modo puniuntur, quia ibi non est status demerendi, sufficit ergo, quòd talis solvat

vat pœnam taxatam, quamvis quoad culpam semper maneat, quia, ut supra vidimus, ad remissionem culpæ præter solutionem pœnæ requiritur retractatio actûs præteriti per contrarium actum bonum habentem vim retractivam culpæ venialis præteritæ. Vide Aretin. 4. d.21. q.1. a. 2. Bassolium.

Secunda pars quæstionis hujus duplicem potest habere sensum, Primò, an de pœna jam taxata aliquid DEUS demat in inferno, sicut de veniali aliqua ratione dicebatur in priori conclusione, & in hoc sensu falsum est. Secundus sensus est, utrum in taxando pœnam peccatorum DEUS constituerit aliquid minus debito in pœna, & in hoc sensu.

III. DEUS punit citra condignū.

Dico Secundò: *DEUS punit citra condignum, & præmiat ultra condignum.* Est communis doctrina Patrum & Doctorum Magist. 4. d. 46. Scotus ibidem q.4. Probatur 1. Ps.24. *Universæ viæ Domini misericordia & veritas.* Ubi Cassiodor. *Hæ duæ res in viis Domini semper adjunctæ sunt.* Iterum de justitia habetur in alio Psalm: *Justus Dominus, & justitiam dilexit.* De misericordia alibi: *Nunquid obliviscetur misereri DEUS aut continebit in ira sua*, qua punit impios, *misericordias suas.* Item Jac. 2. *Misericordiæ superexaltat judicium.* Habac. 3. *Cùm iratus fueris misericordiæ recordaberis.* Ex his sic formatur argumentum: Quantò plures virtutes inclinant ad unum opus, tantò illud perfectius, sicut per oppositum, tantò unum opus est vituperabilius, quantò est contra rectitudinem plurium virtutum, sed omne opus DEI, ut ejus, est perfectissimum, ergò est ex omni virtute quam possibile est concurrere simul in illo opere, sed possibile est in punitione malorum justitiam & misericordiam concurrere eo modo, quo in DEO ponitur justitia, ut patet, ergo de facto DEUS ita secundùm justitiam punit damnatos, ut tamen misericorditer non taxaverit tantam pœnam illis, quantam aliàs mererentur, & similiter justos ita prœmiat in cœlo, ut nihil de debito eis subtrahat, & aliquid de indebito misericorditer addat, ut sic in omnibus viis ejus reluceat misericordia & justitia, per oppositum enim dicendum est de prœmiatione bonorum supra condignum. Idem docet D. Augustinus lib.19. Civit. cap.13. dicens: *Hoc autem in extremo supplicio rectè fit, ut iniqui & impii naturalium bonorum damna in cruciatibus defleant, sentientes eorum ablatorem justissimum DEUM, quem contempserunt benignissimum largitorem. DEUS ergo naturarum omnium sapientissimus conditor, & justissimus ordinator, qui terrenorum ornamentorum maximum instituit mortale genus humanum.*

Arguitur Primò, Jac.2. *Judicium sine misericordia fiet ei, qui non fecerit misericordiam.* Et Apoc.18. *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum.* Et Isaiæ 40. de anima peccatrice dicitur: *Suscepit de manu Domini duplicia.* Ergo, ibi est stricta correspondentia pœnæ ad culpam sine aliqua remissione. Respond. Primum locum intelligi de misericordia totaliter liberante, non aliqualiter mitigante. Ad secundum Respond. Per ly *tantum* & *quantum* ibi non denotari æqualitatem inter culpam & pœnam, sed proportionem, id est, quod quo plus inordinatè glorificavit, quàm alius, plus proportionaliter alio patiatur. Ad tertium similiter Respond. si comparetur pœna æterna ad ipsam temporalem delectationem peccati non solùm recipit damnatus duplicia, sed etiam millies majorem pœnam, quàm fuit delectatio peccati, sed si comparetur pœna æterna, ut comparari debet ad demeritum morale, & deformitatem peccati, tunc dico, quòd delectatio inordinata meretur adhuc majorem pœnam.

Arguitur Secundò: Misericordia destruit justitiam, ergo non compatiuntur in eodem opere. Antec. probatur: Quia sicut ex justitia malum est judicandum, ita contra justitiam est non vindicare illud etiam totaliter, & de condigno. Respond. Quòd justitia habeat latitudinem graduum, extra quam, si DEUs exierit per

exces-

excessum vel recessum non uteretur justitiâ, sed excedendo uteretur absoluto suo dominio, & recedendo uteretur suâ misericordiâ, manendo tamen intra illam latitudinem v. g. octo graduum, etiamsi mitiget quoad aliquos gradus, non recedit à justitia, sed miscet misericordiam cum justitia, quia sicut dare liberaliter bonum indebitum, non est contra justitiam, ita inferre malum citra debitum non est contra eandem. Pro fine hujus Quæstionis & Tractatus

IV. Pœna damni non est æqualis in inferno.

Quæres: An omnes pœnæ damnatorum sint æquales? Potissima difficultas est de pœna damni, an & quomodo sit inæqualis? Pro quo Notandum, dupliciter posse intelligi pœnam damni esse inæqualem: Primò, ex parte ejus, qui ordinatur ad privationem beatitudinis. Secundo Ex parte nolitionis pœnæ damni, & ex utroq; capite videtur Scotus expressè 4. d. ult. q. ult. n. 12. dicere, quòd pœna damni sit inæqualis juxta inæqualitatem culpæ, quidquid dicat P. Cavellus ibi in Scholio, & in materia de peccatis. Verba Scoti sunt ista: *Sed qualis erit illa inaqualitas*, loquitur de pœna damni in illis, *dico quòd erit secundùm inæqualitatem culpa, quia qui habet graviorem, habebit carentiam majoris boni, ad quod fuit ordinatus. Probo: quantò actus elicitur cum majori conatu, tantò deberet habere majorem rectitudinem, & per consequens tantò magis debet ordinari ad majus præmium, qui ergo gravius peccat, privat se majori bono: Et sic patet secundùm primum modum, quomodo potest pœna damni esse inæqulis. Ex alia parte, quantò aliquis gravius peccat, tantò magis dimittitur affectioni commodi, & privatur affectione justitia, & per consequens erit magis nolens peccatum suum, in quantum est causa pœna. Hæc Scotus. Ex his sit*

V. Inæqualitas pœnarum qualis.

Dico Tertiò: *Omnes pœnæ in damnatis sunt inæquales secundùm inæqualitatem peccatorum quoad numerum, vel extensionem eorundem.* Scotus ubi suprà Richard. 4. d. 50. q. ult. a. 5. Soto ibidem. Suarez contra Angles de Sacramento pœnitentiæ, Vasquez & alios apud ipsum, qui dicunt pœnam damni esse æqualem in omnibus, quamvis quoad reliquas sentiant nobiscum. Patet sufficienter ex dictis, & ulterius quoad pœnam damni (in qua præcipuè controvertitur) probatur: Ex Augustin. lib. 21. Civit. cap. 16. *Nequaquam tamen negandum est, etiam ipsum æternum ignem pro diversitate meritorum quamvis malorum aliis leviorem, aliis futurum esse graviorem, sive ipsius vis atq; ardor pro pœna digna cujusq; varietur, sive ipse æqualiter ardeat, sed non æquali molestia sentiatur.* Deinde Quia, Cùm in Beatis gloria, ut est bonum commodi, sit inæqualis eo modo, quo inæqualitas in ea attendi potest, ita etiam convenit, ut eâ privatus majorem pœnam & tristitiam de amissa beatitudine experiatur, qui graviùs & frequentius peccavit, quàm quia leviùs. Secundò, Pœna damni & tristiti ex ea sequens est incomparabiliter major pœnâ sensûs, ergo si pœna damni in omnibus sit æqualis, sequitur, quòd parvuli quoad pœnam essentialem æq; graviter puniantur, ac sceleratissimi quiq; quod refugit humanas aures.

Hic tamen Notandum: Conclusionem non velle, quòd pœna damni secundùm se, & ut est mera carentia gratiæ & gloriæ, sit major in uno, quàm in alio, ita ut nullum habeat gaudium illis, & hoc solum volunt fortè Authores oppositæ sententiæ, sed tantùm intendit conclusio, quòd pœna illa damni quantum ad positionem causæ & debiti, quia scilicet gravius peccavit, & ex hoc quantum ad nolitionem istius pœnæ, quia scilicet magis illi est involuntaria, adeóq; magis de ea tristatur, sit gravior in uno quàm in alio, sicut plus fuit voluntarium peccatum, omnium malorum pessimum, gravissimium, cane & angue magis odio habendum, propter quod tollendum ex Mundo ipse DEUS Verbum naturam assumpsit humanam, mortem, eámq; turpissimam subiit, qui est unica propitiatio pro peccatis nostris, quæ in tantum apud me multiplicata sunt, ut non sim dignus videre altitudinem cœli, iniquitatem tamen meam cognosco, unde sicut scripta hæc speculativa Sanctæ Romanæ Ecclesiæ totaliter subjicio, ita Gloriæ & Honori Altissimi dedico, & Judicem meum deprecor.

Bone JESU! JESU pie!
Quærens me sedisti lassus,
Redemisti Crucem passus
Tantus Labor non sit cassus!
Amen. Amen.

INDEX.

INDEX.
RERUM PRÆCIPUARUM IN HOC TOMO CONTENTARUM.

Litera P. paginam designat, Litera N. numerum marginalem.

B.

C.

D.

Efficax

F.

G.

H.

I.

L.

M.

proba-

Q.

R.

S.

T.

U.

Verba

V.

pag.

FINIS.